60-7-10

DE
EXEMPLARISMO DIVINO.

12-5

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

DE

EXEMPLARISMO DIVINO

SEU DOCTRINA

DE TRINO ORDINE EXEMPLARI ET DE TRINO RERUM OMNIUM ORDINE EXEMPLATO

IN QUO FUNDATUR

SPECULATIVA ET PRACTICA ENCYCLOPÆDIA SCIENTIARUM, ARTIUM ET VIRTUTUM

AUCTORE

ERNESTO DUBOIS

CONGR. SS. REDEMPTORIS.

Inspice, et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est (Exod. 25, v. 40).

TOMUS PRIMUS

STATUITUR DOCTRINA DIVINI EXEMPLARISMI

ALMA COLLEGE
231.21
LIBRARY
2853
Alma, California

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA *DELLA PACE*, PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace*, n. 35

1899

34329

APPROBATIONES.

Opus inscriptum *de Exemplarismo divino,* a Rev. P. Ernesto Dubois, Congregationis nostræ sacerdote, cum duo ex nostris theologis probaverint, facultatem libenter concedimus, ut idem, servatis de cætero servandis, typis edatur.

Romæ, ad S. Alphonsi, die 11 Aprilis an. 1899, festo S. Leonis Magni.

MATHIAS RAUS C. SS. R. Sup. Gen. et Rect. Maj.

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

FRANCISCUS CASSETTA Patriar. Antioch. Vicesgerens.

DILECTO FILIO

ERNESTO DUBOIS

E CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS

ROMÆ.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Accepimus librum, quem « De Exemplarismo Divino » haud ita pridem edidisti, amplum sane opus diuturnique laboris, quod assiduitatem tuam atque acre ingenium in sacris disciplinis tractandis manifestat. De exhibito officio gradum testamur animum tibique simul Alphonsianœque Sodalitati gratulamur, quod dum sacerdotalia munia in animarum utilitatem impigre persequimini, ecclesiasticis doctrinis excolendis atque illustrandis cum laude adhibere animum non prætermittitis. Ut autem benevolentiæ nostræ testimonio ne careas, Apostolicam Benedictionem divinarum gratiarum auspicem tibi peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVI *Februarii* MDCCCXCVIII, *Pontificatus Nostri anno vigesimo primo.*



LEONI · XIII · PONT · MAX.

OPTIMARVM · DOCTRINARVM · INSTAVRATORI

OPVS

IPSO · AVSPICE · ELVCVBRATVM

QVO · TRINITAS · AVGVSTA

CAVSSA · EXEMPLAR · FINIS

RERVM · VNIVERSARVM

OMNISQVE · VERI · PVLCHRI · BONIQVE · ARCHETYPON

DEMONSTRATVR

AVCTOR

GRATO · OBSERVANTIQVE · ANIMO

D.

PROLOGUS

DE OPERIS ARGUMENTO, METHODO, FINE ET PARTITIONE.

I. DE OPERIS ARGUMENTO. Favor, quo prævium ac minus Opus nostrum *de Exemplarismo divino* a doctis piisque viris, et præsertim a supremo hierarchiæ sacræ Capite acceptum est, animum nobis adjecit ut majus etiam Opus in lucem ederemus.

1°) In prima Parte *minoris Operis*, collegimus omnia principia doctrinæ divini Exemplarismi ac trini ordinis universi in se considerata, et plura jam diximus de ejus opportunitate, notione, divisione, objecto, subjecto, excellentia. — De modo, quo divina Trinitas est supremum omnium rerum Exemplar, et de modo, quo omnes creaturæ illam necessario repræsentant, vel libere imitantur. — De sapientium consensu in doctrina Exemplarismi. — De quæstionibus circa illam controversis, et de erroribus in ea vitandis. — De notione, divisione, trinitate, conditionibus, pulchritudine et conspectu ordinis universalis, quem docet divinus Exemplarismus. — De principiis applicationis Exemplarismi ad scientias, artes et virtutes, tam naturales quam supernaturales. — De objectionibus, quæ contra illum moveri possunt.

2°) Nunc *in majori Opere*, sequentes Synopsim, quam in secunda Parte opusculi præmisimus per modum speciminis, speculativam et practicam lectori præbemus *Encyclopædiam* in divino Exemplarismo fundatam. — Deum enim unitrinum ostendimus primo *speculative* quoad nos, ut supremum Artificem et Archetypum, qui Perfectionem suam infinitam, variis modis finitis imitatur, atque ad gloriam suam manifestat in toto trinoque ordine naturæ, gratiæ et gloriæ, juxta ideas ab æterno conceptas. Culmen autem ordinis gratiæ est unio hypostatica in Verbo incarnato, quod medium harmonicum tenet inter trinum Ordinem increatum ac exemplarem, et trinum ordinem creatum ac exemplatum, utrumque in sua persona conjungendo, et perfectissimum divinæ imitationis Exemplar nobis exhibendo in seipso, cum sit Deus homini similis factus, ut homo fieret Deo similis.

Secundo, Deum unitrinum et Jesum Christum, etiam *practice* ostendimus ut supremum, quamvis non unicum Exemplar, nobis libere, sed cum potenti gratiæ ejus auxilio imitandum, in toto trinoque ordine scientiarum, artium et virtutum, tam naturalium quam supernaturalium.

3°) Inde integra Exemplarismi doctrina continetur in verbis, quibus ipse Deus Moysen allocutus est tabernaculum fœderis ædificaturum: *Inspice, et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est* (Exod. 25, v. 40). Exemplar vero quod lectori ostendimus, non solum admirandum, sed etiam amandum atque imitandum, non est pulchra alicujus ædis idea; nam sublimius Archetypum ei proponimus, scilicet ipsum Deum unitrinum et Jesum Christum; ædi-

ficium autem ad divinam gloriam exstruendum, non est templum materiale, sed templum spirituale, seu completum perfectionis humanæ ædificium, cujus fundamenta in terra ponuntur in ordine naturæ et gratiæ, sed culmen cœlum attingit in ordine gloriæ. Anima enim nostra est physica divinæ Trinitatis imago, quæ libere in ordine intellectuali ac morali perfici nequit, nisi magis in dies assimiletur supremo suo Originali, donec nobilis illa similitudo in beatifica æternaque Dei visione consummetur. *Cum apparuerit, similes Ei erimus, quoniam videbimus Eum sicuti Est* (1. Joan. 3, v. 2).

Ad lectorem ergo dicimus: *Inspice* æterna et immutabilia divini Exemplarismi *principia*, quæ in supremæ Sapientiæ ideis originem habent, solidissimis argumentis probantur, et ab omnibus omnium sæculorum sapientibus participantur. Inspice deinceps mirabilia divini Exemplarismi *spectacula*, nempe pulcherrimum Trinitatis Ordinem exemplarem, propria perfectione in æterna gloria splendentem, et in tempore variis modis trine resplendentem, tum in mundo universo, tum in homine tanquam in minori mundo, tum in Verbo incarnato, quod humanam naturam assumens, totum mundum supernaturaliter ad Deum in Ecclesia elevavit.

Inspicere autem non satis est: Dei unitrini ac Christi perfectionem inspiciendo dilige, et diligendo imitare, seu *omnia fac* ad illius exemplar. Nam in quo consistit libera animæ tuæ perfectio? Consistit sane in vero per varias scientias cognoscendo; in pulchro variis signis in artium litterarumque opificiis exprimendo: in bono per virtutes agendo. Fac igitur ut scientia tua, ars tua, virtus tua, exemplari ipsius Dei Scientiæ, Arti, Virtuti analogice conformentur, et ita sint vera scientia, vera ars, vera virtus: vel aliis verbis, fac ut scientia tua sit vera Veritate divina, ut ars tua sit pulchra Pulchritudine divina, ut virtus tua sit bona Bonitate divina!

4°) Hinc patet titulum *Exemplarismi divini* essentialiter designare totam ideam operis nostri, quod speculative et practice omnia ordinat ad supremam omnis perfectionis *Causam exemplarem*, scilicet ad divinam Trinitatem. Speciali enim ista ordinatione, Encyclopædia nostra distinguitur a cæteris synthesibus, seu Summis philosophicis vel theologicis hucusque editis. Profecto, prima Causa exemplaris est æterna Ratio omnium opificiorum divini Artificis, et necessario medium tenet inter primam *Causam efficientem* ac *finalem*, ita ut talis ab omnibus vere sapientibus agnoscatur; itaque in præclaris eorum operibus, divinum Exemplar ponitur tanquam solidissimum totius ædificii fundamentum. Sed hoc fundamentum latet, ita ut non primo intuitu oculis lectorum appareat, quia in Summarum theologicarum divisione, Deus unitrinus declaratur tantum ut primum omnium rerum *Principium* et ultimus *Finis*, sive ut suprema Causa efficiens et finalis, quemadmodum patet in synopsi duarum Summarum S. Thomæ, quam referimus in hoc Tomo I, n.° 767 et 777.

Nos autem, pro modulo nostro detegimus profundissimum, æternum, immutabile divinarum idearum fundamentum, quod in secretis increatæ Sapientiæ absconditur, et palam exhibere volumus universalem influxum, quem prima, Causa exemplaris in omnia divini Artificis opera, atque in nostra exercet. Proinde non *nova* docemus, sed *nove*, cum antiquissimam, necessariam ac communem doctrinam divinarum idearum, sub novo Exemplarismi nomine, et sub latiori novoque aspectu lectori præbeamus.

Denique, cum divinum Exemplar sit prima Causa formalis extrinseca, seu norma omnis perfectionis in rebus creatis, sequitur Illud esse supremam Regulam, non solum omnis *veri* cognoscendi, et omnis *boni* agendi, sed etiam omnis *pulchri* sensibiliter exprimendi. Quapropter Encyclopædia in divino Exemplarismo fundata, non solas *scientias* ac *virtutes* complectitur, sicut aliæ Summæ philosophicæ et theologicæ, sed ipsas *artes et litteras*, quarum communis forma est pulchrum, variis signis in diversis operibus artificiatis exprimendum, atque oculis vel auribus percipiendum.

5°) Dum in præsenti Prologo de Operis nostri argumento agimus, lector luculenter et aperte præmoneatur, omnes divinæ Trinitatis repræsentationes, quas in toto trinoque ordine creato ostendimus, nequaquam demonstrare mysterium trium personarum in natura divina absconditum; nam docemus, SS. Trinitatem esse supremum omnium rerum creatarum *Exemplar*, non quidem secundum mutuas personarum *relationes*, quæ pertinent ad divinam operationem ad

intra, sed secundum personarum *processiones*, in quibus continentur Scientia et Voluntas, quæ sunt prima Causa rerum. (Vide in hoc Tomo I, n.° 254). — Præterea probamus n.^{is} 245 et 246, mysterum Trinitatis esse omnino indemonstrabile. Ast n.° 249 ostendimus illud congruenter suaderi atque illustrari posse. Et hoc tantummodo in opere nostro facimus.

II. DE OPERIS NOSTRI METHODO. Liquet methodum prædicto argumento tractando convenientem, esse methodum syntheticam, irenicam, encyclopædicam, compendiosam, completam, tempori nostro accommodatam, sincerum veritatis studium manifestantem, et in sua forma exteriore dialecticam.

Etenim 1°) Exemplarismus theologicus non per viam *analysis*, sed per viam *synthesis* procedit, quoniam a supremo omnis perfectionis Archetypo descendit ad omnes illius imitationes in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ. Exponit namque ac demonstrat trinum et pulcherrimum rerum omnium ordinem, per modum principii, medii ac termini, sive *exemplarem* in divina Trinitate, sive *exemplatum* in cunctis creaturis; et ex hac luminosa ordinis universalis expositione eruit conclusiones, quæ omnes errores, utpote ordini universali oppositos, convellunt, quæstionum particularium difficultates ex totius ordinis intuitu resolvunt, et scientiarum multiplicitatem ad sapientiæ unitatem ordinant.

2°) In quæstionibus autem controversis, opiniones extreme contrarias, ac partem tantum veritatis continentes, judicat Exemplarismus lumine ordinis universalis, et conciliare conatur in medio harmonico totam veritatem complectente. Itaque doctrina nostra non est *polemica*, sed *irenica* seu pacifica, quia ordinis contemplatio et amor animos non dividunt, sed cum Deo atque inter se conjungunt; non bellum causant, sed pacem, quæ est ordinata concordia et tranquillitas ordinis, sicut præclare dicit S. Augustinus.

3°) Præterea, cum prima Causa efficiens, exemplaris et finalis, sit principium, medium ac terminus omnium effectuum suorum, necesse est ut isti effectus ab ea incipiant, juxta seu circa illam progrediantur, atque ad eam reducantur, et sic *per modum circuli* perficiantur. Omnis enim motus ad suum principium rediens, quin recte ad illud regrediatur, sed uniformiter progreditur circa idem medium, seu centrum, est motus circularis, qui tanto progreditur, quanto redit et appropinquat ad suum principium; et terminatur quando circulus perficitur attingendo idem principium. — Atqui, divina Trinitas est primum Principium, Medium seu Centrum exemplare, et ultimus Finis motus progressivi omnium rerum creatarum, quæ unicam ejus Formam variis modis imitando atque ad illius similitudinem plus minusve appropinquando perficiuntur, et in vera sua perfectione beatitudinem inveniunt. — Ergo doctrina, quæ divinum hunc rerum progressum docet, est necessario *encyclopædica*, utpote a Deo, juxta seu circa Deum, atque ad Deum trine ordinata per modum principii, medii et finis. Hæc est genuina Encycopædia (ἓν κυκλῷ παιδεία), seu disciplina in orbem, quæ circulis geometricis rectissime figurari potest, sicut fecimus in Appendice Tomi II, ubi trinum ordinem perfectionis omnium rerum evolvimus.

Ergo pseudo-philosophi sæculi XVIII perperam Encyclopædiæ nomine decoraverunt materialem informemquem molem omnium rerum scibilium, quas congesserunt sine alio ordine quam litterarum alphabeti successione, et sine ulla relatione ad exemplarem centralemque divinæ Formæ Perfectionem, juxta quam omnia formantur, et deformata reformantur ac transformantur.

4°) Deinde methodus nostra debet esse *compendiosa*, et quare? Quia divinus Exemplarismus est doctrina universalis, quæ totum rerum divinarum et humanarum ordinem complectitur. — Atqui, impossibile est res omnes complecti in tota illarum *extensione*, nam ad hoc integram bibliothecam scribendo implere non sufficeret. — Ergo res omnes a nobis complectendæ sunt summatim, nimirum in suis *principiis* intrinsecis, atque in sua *relatione* ad primam Causam efficientem, finalem et maxime exemplarem, per modum principii, medii et finis.

Confidimus nos communi sapientium, et maxime doctoris angelici doctrina innixos, ac Deo juvante, vera ordinis et progressus universalis principia docuisse, ac præcipua omnium rerum capita attigisse. Quoad particulares variarum scientiarum quæstiones, quibus Exemplarismi principia applicavimus, viri docti, qui specialius has scrutati sunt, eas completius, clarius ac

latius evolvere poterunt, eadem principia sequendo, ita ut ipsis saltem aperuisse putemus viam tutam et certam ad deiformem universamque perfectionem.

Divini Exemplarismi methodus est necessario compendiosa propter aliam rationem. Cum enim Exemplarismus trinum ordinem universalem doceat, oportet ut lectores hunc ordinem ante oculos semper habeant, nec mentem a primis ordinis principiis diutius avertant, longius eorum consequentias evolvendo. Itaque in toto opere, lectoribus præbemus pulchrum trini ordinis universi spectaculum, illosque semper revocamus ad contemplandum divinum omnis ordinis Principium efficiens, exemplare et finale, sive explicamus, sive probamus, sive confirmamus, sive sobrie extendimus, sive applicamus Exemplarismi doctrinam, quia totum Opus ordinatur ad divinam Trinitatem admirandam, amandam atque imitandam. *Inspice et fac secundum Exemplar.* Talis procedendi modus aliquas exigit repetitiones, quibus trinus ordo universalis melius ostenditur. — Ob eamdem rationem, *majori Operi* præmisimus *Opus minus*, velut compendium, in quo collecta sunt omnia doctrinæ Exemplarismi et trini ordinis universi principia, quæ variis modis in Encyclopædia nostra evolvuntur, vel applicantur.

5°) Oportet ut methodus Exemplarismi sit etiam *completa*, ita ut divino Verbi et Spiritus sancti influxu, non solum lectoris *intellectum* illuminet, sed ipsam *voluntatem* inflammet, totumque hominem ad divinam imitationem, intuitione et amore supremi omnis perfectionis Archetypi moveat. Etenim Dei cognitio et amor duæ sunt alæ, quibus ad divinam imitationem, ac proinde ad perfectionem elevamur, quia cognitio parit amorem, et amor vicissim auget cognitionem ac desiderium imitandi Deum amatum. Crescentibus igitur alternatim cognitione et amore pulcherrimi Exemplaris nostri, similiores Illi in dies efficimur, ac spiritualiter ipsi pulchriores.

Ideo divinus Exemplarismus est quædam Theologia *mentis* et *cordis*, in qua non per solum rationis exercitium progredimur, sed etiam per voluntatis affectum, et in qua frigidis Peripateticorum syllogismis conjungitur nobilis et ardens Platonicorum enthusiasmus; nam per rationis discursum, seu ratiocinium, ordinis universi partes successive consideramus, usquedum intellectuali ascensione perveniamus ad simplicem mentis intuitum, quo totum rerum ordinem complectimur, primumque ejus Principium cum quiete, amore et gaudio contemplamur.

Sed quid loquor de gentilibus philosophis? Nobiliora habemus completæ hujus methodi exemplaria in sacris Scriptoribus et in Ecclesiæ Patribus, qui sine dubio sunt primi Theologiæ magistri, et scientiæ conjungere solebant pietatem. Etenim si de Luce divini Verbi, et de suprema ejus *Veritate* sublimiter disserit S. Joannes, non minus exaltat Spiritus sancti *Charitatem*. Quod exemplum imitati sunt S. Dionysius Areopagita et S. Augustinus, qui inter Patres, divinum Exemplarismum principaliter docuerunt.

6°) Præterea requiritur, ut nostra methodus sit *præsenti tempori accommodata*, relative ad Theologiam, scientias physicas et historicas, atque ad artes.

a) Quoad *Theologiam*, oportet ut Theologiæ *speculativæ* conjungatur Theologia *positiva*. Non enim medio ævo jam vivimus, in quo fides catholica omnes Europæ populos feliciter animabat, et in omnibus mentibus jure merito supponebatur. Jam ideo non sufficiunt solæ rationes theologicæ, quæ in eximiis hujus ævi Summis copiosissime inveniuntur. Nunc enim postquam Protestantes et increduli cuncta fidei puncta negaverunt, theologo ante omnia incumbit luculenter indicare quænam sint a fidelibus credenda, et hæc dogmata primo probare argumentis ex *S. Scripturæ* ac *traditionis* auctoritate desumptis, et dein demonstrare varia dogmata esse omnino *rationi* naturali consentanea. Quænam autem doctrina melius hoc præstare potest quam divinus Exemplarismus, qui humanam sapientiam divinæ Sapientiæ in sua universali synthesi conjungens, sublimem ostendit harmoniam divinitus existentem inter naturalem rationis ordinem et supernaturalem ordinem fidei?

Nostris diebus etiam necesse est, ut in theologicis operibus, specialis et spatiosus assignetur *Ecclesiæ catholicæ* locus, qui frustra in omnibus medii ævi Summis quæritur, non quidem ex præclarissimorum ipsarum auctorum culpa, sed quia tunc omnes Ecclesiam divinam esse agnoscentes, illam reverebantur atque audiebant tanquam supremam veritatis, virtutis omnisque progressus Magistram. Nunc e contra, sanctæ Ecclesiæ divinitas ab omnibus fidei adversariis

negatur, ejusque indignissime ab eis contemnitur auctoritas. Quapropter strictum moderni theologi officium est Ecclesiæ catholicæ divinam excellentiam patefacere, sublimemque ipsius pulchritudinem, in cujus comparatione idealis respublica Platonis vanum somnium apparet. Itaque divinus Exemplarismus Ecclesiam Christi tanquam universale divinæ Trinitatis opificium considerat, in quo totus mundus ad perfectionem supernaturalem elevatur, mediante homine ad unionem hypostaticam assumpto. Ecclesiam proinde admiratur tanquam corpus mysticum, cujus Caput est Jesus Christus; tanquam hierarchicam angelorum et hominum cum Deo unitrino societatem, quæ cœlum et terram, tempus et æternitatem complectitur; tanquam divinum cœtum, in quo solo homines individui, familiæ, nationes vere ad exemplar divinæ Trinitatis et Jesu Christi perfici possunt.

Tandem hodiernus Rationalismus exigit ut *supernaturalis* ordo gratiæ et gloriæ specialius demonstretur, ac clarius ab ordine *naturali* distinguatur, quam in theologicis medii ævi operibus. Quapropter totum ordinem creatum, luculenter et ubique in ordinem naturæ, gratiæ et gloriæ distinximus.

b) Quis insuper non videat, scientias positivas, quæ factorum observatione ac certitudine innituntur, quales sunt *scientiæ physicæ* et *historicæ*, hodie maximo coli studio, et generalius anteponi scientiis de se superioribus, quæ in mentis speculatione, vel in fide supernaturali fundantur, quales sunt Metaphysica et Theologia revelata? Nunc idcirco Physica et Historia, in propria via sua liberrime, ac sæpissime sine lumine ac ductu scientiarum superiorum currentes, in factorum observatione partim quidem progressæ sunt, sed partim erraverunt.

Scientiæ enim *physicæ*, in materiali sua inquisitione, nova quidem et certa invenerunt facta, quæ ad veræ scientiæ augmentum non modice contulerunt. At frequenter *inductionis* methodo abutentes, certissimasque deductiones Metaphysicæ ac Theologiæ contemnentes: ex insufficienti factorum physicorum observatione phantasticas concluserunt hypotheses, quæ non solum scientis superioribus, sed etiam certiori ac generaliori factorum observationi opponuntur: quales sunt mechanica mundi formatio, specierum transformatio, et pluralitas mundorum habitatorum. Præterea multi Physici, solam corporum materiam chymice scrutando, quin oculos ad invisibilem naturæ Auctorem attollerent, in abjectissimum Materialismum prolapsi sunt. Et quare? Potissimum quia cum Bacone Verulamio et Cartesio, ex corporum substantia rejecerunt *formas substantiales*, quæ sunt intrinseca principia quibus corpora realiter conformantur formis exemplaribus, seu ideis æternis in mente divini Artificis præconceptis atque intentis. — Consequenter formæ sunt principia intrinseca veritatis, unitatis, pulchritudinis, operationis, ordinis, singulorum et omnium corporum; nam formæ substantiales determinant intrinsece permanentes corporum species, et sunt stabile fundamentum metaphysicæ analysis, per quam nobiliores philosophi variis specierum creatarum gradibus ascendunt usque ad supremam Creatoris Formam exemplarem. Sublatis autem formis substantialibus, in corporum substantia non remanet nisi *materia*, quæ est principium divisibilitatis, et subjectum chymicæ analysis, ac realitatis sensibilis, supra quam multi Physici mente non ascendunt.

Quoad *crisim historicam* et *exegeticam*, libenter ejus utilitatem, imo et necessitatem agnoscimus, sed fateri cogimur, illam sæpe exaggeratam esse, rationem auctoritati nimium præferendo, et supernaturalem Providentiæ divinæ ordinem non satis attendendo, ita ut ad Rationalismum inclinet.

Quid igitur nobis faciendum est? nisi ut veros prædictarum scientiarum *progressus* sequamur, sed sine ullo respectu humano *defectus* earum devitemus. Agnoscantur ergo omnia facta physica moderno tempore inventa, quæ cæterum Metaphysicæ principiis optime concordant; ast facta dubia, et minus adhuc vanæ hypotheses, ad certæ scientiæ gradum non erigantur. — Similiter, facta historica non admittantur nisi lumine sanæ ac moderatæ criticæ certificata, sed simul in veneratione habeantur catholicæ traditionis documenta, et facta supernaturalia sufficienter probata non rejiciantur. — Uno verbo, sequamur encyclopædicam divini Exemplarismi et ordinis universalis doctrinam, quæ varias scientias ab invicem distinguit, sed non separat, illasque omnes harmonice inter se conjungit. Simul enim amplectitur Physicam et Metaphysicam, scientiam positivam et speculativam, scientiam naturalem et supernaturalem, quia

scientias omnes ordinat ad eamdem supremam Sapientiam, cujus variæ disciplinæ sunt diversæ participationes.

c) Quantum *ad artes*, medio ævo in artes *liberales* et artes *serviles* dividebantur, prout olim exercebantur a viris liberis, vel servituti addictis. Insuper septem distinguebantur artes liberales, quæ *trivium*, et *quadrivium* constituebant, nempe Grammatica, Rhetorica et Logica; — Arithmetica, Geometria, Musica et Astronomia.

Nunc autem ista divisio suo caret fundamento, scilicet distinctione inter statum libertatis et servitutis stabilita, cum servitus proprie dicta in christianis regionibus abolita sit. Inde quædam artes antea serviles, verbi gratia Architectura, Sculptura, Pictura, hodie nobiliter a viris liberis exercentur. — Deinde vetus hæc divisio non sufficienter artes a scientiis distinguit; nam Mathesis inter scientias speculativas, et simul inter artes, in medio ævo numerabatur. — Tandem Poetica omittitur inter artes liberales.

Melius igitur artes, juxta suum objectum et finem, dividuntur in pulchras artes, et artes materialiter utiles. Scimus ipsum *pulchrarum* artium nomen fuisse inusitatum apud veteres, qui *bonas* artes eas nuncupabunt. Sed quia communis illarum forma non est *bonum*, sed *pulchrum*, has artes non possumus proprio nomine non designare, et inter eas recensemus pulchras litteras tanquam species ejusdem generis; nam et pulchræ artes et pulchræ litteræ, ut communem suorum opificiorum formam, habent pulchrum spirituale et pulchrum sensibile, quod variis signis exprimitur oculis vel auribus, ita ut istos sensus et mentem delectent ad spiritualem quamdam utilitatem procurandam; nam *et prodesse volunt, et delectare poetæ*, dicit Horatius. — Artes *materialiter utiles* producunt opificia, quibus non intenditur nobilis delectatio, nec spiritualis utilitas per pulchram eorum formam procuranda, sed materiale tantum emolumentum.

Insuper hæc moderna artium divisio illas luculenter a scientiis distinguit, nam *scientia* cognitionem veri intendit, fundatur in specierum intelligibilium abstractione a materia, et nostrum perficit intellectum, dum *ars* intendit aliquam formam, qua perficienda est materia cujusdam opificii. — Demum prædicta divisio omnes litteras et artes complectitur; nam inter *pulchras litteras* recensentur Grammatica, Poetica et Rhetorica; inter *pulchras artes*, Architectura, Sculptura, Pictura et Musica; inter *artes materialiter utiles*, artes industriales, mercatoriæ et militares.

7°) Nostra methodus debet *sincerum veritatis studium manifestare*, errantes quidem et contradictores cum mansuetudine tractando, sed ipsos errores, vel temerarias ac periculosas opiniones, etiam magno favore receptas nostro labente sæculo, libere impugnando, sine ulla consideratione humana. Non enim curamus insipientium aut minus doctorum virorum vituperia, sed sapientium, piorum ac vere docotrum censuram timemus, et maxime supremum ac infallibile judicium Magistri magistrorum, qui Christus est. Sola divina ipsius doctrina verum hominis progressum in scientiis, artibus ac virtutibus procurare potest, cum sit ipsa Veritas, ipsa Pulchritudo, ipsa Bonitas. Ait enim: *Ego sum via, et veritas et vita* (Joan. 14, v. 6): quibus verbis addit auctor libri de Imitat. Christi: « Sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non vivitur. »

Inter Catholicos autem semper servabimus trinam aureamque S. Augustini regulam: « In certis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. » Et cum eodem magno humillimoque doctore adjiciemus: « Nec pigebit me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, discere. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad Eum de quo dictum est: *Quærite faciem ejus semper* (Psalm. 104, v. 4). Et hoc placitum pium atque tutum coram Domino Deo nostro cum omnibus inierim, qui ea quæ scribo legunt, et in omnibus scriptis meis, maximeque in his ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti; quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. » (De Trinit., Lib. 1, cap. 2 et 3).

8°) Tandem requiritur ut nostra methodus sit *dialectica*, seu strictis Logicæ legibus conformis; nam quamvis Exemplarismum philosophicus originem suam ducat a Platone, oratorius tamen stylus et litteraria dialogorum ejus forma delectant potius, quam prosunt ad sublimem ac difficilem idearum divinarum doctrinam accurate, clare et ordinate tradendam; itaque libri

Platonicorum nonnisi vago confusoque modo illam, in poetico et enthusiastico sermone suo exponunt. Sed quæso, quando magis logice loquendum est, nisi cum de ipso Λογῷ, seu de ipsa Ratione suprema et de toto rerum ordine ab illa procedente agitur? Nonne theologicus præsertim Exemplarismus, cum etiam de tota Dei Trinitate tractet, uti tenetur proprio, distincto atque ordinato loquendi modo, quem adhibuerunt scholastici doctores, et potissimum doctor angelicus? Nonne summopere convenit ut in illa sacra doctrina, conceptuum verborumque multitudo reducatur ad formam trinumque syllogismi ordinem, qui divinas processiones repræsentat? Minor enim a Majore nascitur, sicut Verbum intellectualiter gignitur a Patre, et Consequentia a Majore et Minore simul procedit, sicut Spiritus sanctus a Patre et Verbo.

Stylum insuper simplicem ac perspicuum adhibere studuimus, ad exemplar Verbi incarnati in Evangelio loquentis, atque ad instar Apostolorum ejus, in suis epistolis sublimia quidem dogmata, sed demisso sermone docentium. Præterea sine ullo scrupulo utimur locutionibus in Schola medii ævi atque in Ecclesia loquela usitatis. Quin, ut trinus omnium rerum ordo clarius pateat, earum distinctionem frequentibus titulis numerisque indicamus.

Et cum ad viros, ac maxime ad Clericos omnium nationum, de rebus theologicis, vel saltem ad Theologiam ordinatis loquamur, universalem Ecclesiæ latinæ linguam convenienter sane elegimus. Quod si Pars operis de litteris et artibus tractans, utilius in linguis vernaculis exprimeretur, poterit deinceps in has linguas transferri.

III. DE SCOPO OPERIS NOSTRI. 1°) In exhibendo lectoribus pulcherrimo spectaculo trini Ordinis exemplaris, et trini omnium rerum ordinis exemplati, eumdem finem intendere audemus, quem ipse Deus unitrinus in tota operatione ad extra sibi proponit. Nam quid primario intendit divinus Artifex, nisi propriam Perfectionem in omnibus opificiis suis, et speciatim in creaturis rationalibus repræsentandam, seu imitandam ad gloriam suam? — Atqui, nos similiter intendimus ut lectores nostri primo admirentur atque diligant exemplarem divinæ Trinitatis et Verbi incarnati Perfectionem; deinde ut illam mente ac voluntate, cum supernæ gratiæ auxilio in hac vita mortali imitantes, ultimam mereantur assimilationem ad Deum per beatificam visionem et fruisionem in vita æterna, qua summe Domini gloriam participabunt simulque procurabunt. — Ergo Deo principaliter operanti cooperari volumus.

2°) Ante omnia lumine divini Exemplarismo dissipare intendimus densas *errorum* tenebras, quæ humanum intellectum impediunt ne divino Intellectui conformetur veritatem intuendo, et per moralem sapientiæ ordinem curare *vitia*, quæ humanam voluntatem turpiter deformant. Quænam enim doctrina universalius, radicalius, potentius erroribus et vitiis temporis nostri opponitur, quam doctrina quæ omnia complectitur, omnia distinguit, omnia ad Deum et inter se ordinat?

Omnis error, omne malum, omnis turpitudo, omnis inordinatio, omnis miseria evidenter provenit ex aversione a Deo, qui est ipsa Veritas, ipsum Bonum, ipsa Pulchritudo, ipse Ordo, ipsa Beatitudo. — Atqui, nullo tempore post ineffabilem Verbi Incarnationem, aversio a Deo et anarchia tam generalis fuit quam hodie in ordine intellectuali, morali et sociali; nullo tempore tam intima fuit corruptio, quia non tantum ex passionum inordinatarum violentia sicut olim oritur, sed potius ex ipsius depravati intellectûs variis pessimisque erroribus, qui omnia ordinis principia destruunt, cum reducantur omnes ad aversionem a Deo, supremo totius ordinis Principio. — Ergo tam universali inordinationi, tam universali anarchiæ opponenda est hierarchica ordinis universali doctrina, quæ hominum mentes et voluntates ad Deum converterc intendat, eas divinæ Menti ac Voluntati conformando, atque ex potentia sapientiæ, seu scientiæ ordinis universalis, radicaliter confutando omnem intellectualem, moralem et socialem inordinationem; nam vera sapientia, cum sit divinæ Sapientiæ participatio et irradiatio, lumini solis in sacra Scriptura comparatur, et de illa dicitur: *Cum sit una, omnia potest* (Sap. 7, v. 27).

3°) Sed plures alios fructus colligere intendimus ex divini Exemplarismi applicatione ad scientias, artes, virtutes privatas et sociales, tam naturales quam supernaturales. Et quam ob causam? Quia divina Ratio, quæ lucidissimum culmen doctrinæ Exemplarismi occupat, est simul

suprema Ratio seu Regula omnium cognoscibilium, factibilium et agibilium. — Præterea divina Veritas est necessario supremum Exemplar omnis veri cognoscendi; divina Pulchitudo est necessario supremum Exemplar omnium pulchrorum artis opificiorum; divina Bonitas est necessario supremum Exemplar omnis boni per virtutem agendi. — Demum, anima nostra, cum sit naturaliter ac supernaturaliter divinæ Trinitatis imago, nullo modo perfici potest, nisi supremo Exemplari suo, cœlesti adjuvante gratia, similior fiat in ordine intellectuali, artistico, morali et sociali.

4°) Denique eumdem finem nobis proponimus, quem tam constanti sollicitudine persequitur Jesu Christi Vicarius, videlicet instaurationem doctrinæ S. Thomæ, a Leone XIII solemniter proclamati scholarum catholicarum patroni. Hoc autem eminenter atque efficaciter præstamus docendo divinum Exemplarismum, qui sapientiæ doctoris angelici anima et vita est, sicut in opere nostro ostendimus n.° 750, II.

5°) Prædictum nobilissimumque istum scopum, seu variam hominum ad Deum unitrinum atque ad Christum assimilationem, quam cum ipso Deo, cum Christo ejusque Vicario intendimus, vehementer optamus attingere. Ita, omnes lectores cupimus participes fieri divinæ vitæ, lucis et ardoris, quorum Focus æternus superabundans et inexhaustus est adoranda Trinitas. O Sol unice totius mundi spiritualis, qui præ nimio fulgore tuo, ipse a nullo intellectu creato intelligi potes, et tamen lumine tuo omnium rerum ordinem nobis manifestas! Sol a te, per te et in te vivens, lucens et ardens, atque ab universi mundi creatione, omnium justorum spiritus vivificans, illuminans, inflammans, in cœlo sicut in terra! Utinam vita tua, lux tua, calor tuus per Exemplarismi doctrinam multis mentibus ac cordibus communicentur, spissas errorum labentis virtute potius quam tempore sæculi nostri tenebras potenter dissipet, omnesque scientias, artes et virtutes vigere, florescere ac fruges abundantissimas ferre faciant! Quam gratiam humillime atque enixe a te deprecamur, unitrine Deus, intercedentibus B. V. Maria, sede Sapientiæ, S. Josepho, S. Joanne Evangelista, S. Dionysio Arcopagita, S. Augustino, S. Thoma et S. Alphonso.

IV. PARTITIO OPERIS. Totum opus formaliter complectitur tres Partes in quatuor Tomos distributas, propter copiam materiæ Partis tertiæ. Etenim in Tomo I *statuitur* doctrina Exemplarismi; in Tomo II *evolvitur;* in Tomis III et IV *applicatur* ad perfectionem scientiarum, artium et virtutum.

Itaque si opus comparetur arbori in Ecclesiæ agro plantatæ, *radices* firmissime figuntur purissimoque sapientiæ divinæ et humanæ nutriuntur in Tomo I; *rami* trifariam in unitate operis dividuntur, subdividuntur ac latissime extenduntur in Tomo II; sapientiæ *fructus* saporis varii, sed tamen analogice divini, colliguntur in Tomis III et IV. Unde totum opus, juxta ipsius doctrinam, trine dividitur et ordinatur secundum suum principium, medium ac finem, ad exemplar divinæ Trinitatis.

Si autem ad operis epigraphen attendatur, duo primi Tomi continent Exemplarismum *speculativum: Inspice*, et duo alii Tomi continent Exemplarismum *practicum: Fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est* (Exod. 25, v. 40).

Hæc fusius in sequente Synopsi patebunt.

SYNOPSIS

TOMORUM TOTIUS OPERIS.

TOMUS PRIMUS. Statuitur doctrina divini Exemplarismi.

Pars I. Explicatur Exemplarismus in suis principiis metaphysicis et theologicis.

Pars II. Probatur Exemplarismus ex Scriptura sacra, traditione et ratione.

Pars III. Confirmatur Exemplarismus ex communi sapientium doctrina.

TOMUS SECUNDUS. Evolvitur doctrina divini Exemplarismi in triplici ordine Dei, mundi et hominis.

Pars I. Evolvitur perfectio trini et divini Ordinis exemplaris.

Pars II. Evolvitur trinus ordo perfectionis mundi majoris exemplatus, et supernaturaliter in Ecclesia Christi elevatus.

Pars III. Evolvitur trinus ordo perfectionis mundi minoris, seu hominis, exemplatus, et in Christo ad unionem hypostaticam elevatus.

Appendix. Tribus circulis figuratur evolutio divini Exemplarismi,

TOMUS TERTIUS. Applicatur doctrina divini Exemplarismi ad trinum ordinem perfectionis scientiarum, tam naturalium quam supernaturalium.

Pars I. Dissipantur principales errores ordini universo oppositi.

Pars II. Elucidantur principales quæstiones controversæ de omni ordine naturali, vel supernaturali.

Pars III. Componitur scholastica scientiarum Encyclopædia, cujus centrum est Deus unitrinus et Christus.

TOMUS QUARTUS. Applicatur doctrina divini Exemplarismi ad trinum ordine perfectionis artium et virtutum, tam naturalium quam supernaturalium.

Pars I. Applicatur ad perfectionem artium et litterarum.

Pars II. Applicatur ad perfectionem virtutum privatarum.

Pars III. Applicatur ad perfectionem virtutum socialium.

Appendix. Circulo figuratur trinus ordo perfectionis scientiarium, artium et virtutum.

PARS PRIMA

EXPLICATUR DOCTRINA DIVINI EXEMPLARISMI IN SUIS PRINCIPIIS METAPHYSICIS ET THEOLOGICIS

SYNOPSIS LIBRORUM

QUI IN HAC PARTE PRIMA CONTINENTUR.

LIBER I. Explicantur doctrina divini Exemplarismi, et trinus ordo in genere.

LIBER II. Explicatur trinus Ordo mere exemplaris, seu Ordo Dei unitrini, qui est prima omnis ordinis Causa efficiens, exemplaris et finalis.

LIBER III. Explicatur trinus ordo mere exemplatus, seu ordo totius mundi analogice conformis divino Ordini.

» Trinus ordo minoris mundi, seu hominis, in ordine majoris mundi continetur tanquam pars in toto, et sufficienter explicatur, tum in majori mundo, tum seorsim in Libro I, Cap. I, Art. I, § III. Præterea in Tomo II, Parte II, separatim ac fusius de homine agemus, tanquam de toto aliquo ad propriam perfectionem ordinato.

LIBER IV. Explicantur trinus ordo unionis hypostaticæ, exemplaris simul et exemplatus, ac trinus ordo Ecclesiæ, quæ est mysticum Christi Capitis corpus.

LIBER V. Explicatur trina omnium ordinum analogia.

LIBER PRIMUS.

EXPLICATUR DOCTRINA DIVINI EXEMPLARISMI ET TRINUS ORDO IN GENERE.

PROŒMIUM. — Ad doctrinam Exemplarismi in solidis fundamentis stabiliendam, ante omnia necesse est ut lucidissime *explicentur ejus principia*, tam philosophica quam theologica, quia Exemplarismum in tota extensione sua naturali et supernaturali consideramus. Cum autem divinus Exemplarismus sit synthetica de trino ordine universali doctrina, et cum nihil principalius in rebus vel in scientiis occurrat quam earum essentia, seu quidditas, in duobus primis Capitibus nobis explicandum est 1°) quid sit doctrina divini Exemplarismi, et 2°) quid sit in genere ordo universalis, quem docet Exemplarismus.

CAPUT I.

EXPLICATUR DOCTRINA DIVINI EXEMPLARISMI.

1. — Prænotanda. I. Divinus Exemplarismus est synthesis universalis de trino Ordine exemplari, et de trino rerum omnium ordine exemplato. *Deum enim unitrinum* contemplatur tanquam Ordinem increatum, et tanquam primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem omnium rerum; *et consequenter omnes creaturas* considerat tamquam ab illo, juxta illum atque ad illum ordinatas per modum principii, medii et termini in trino ordine *physico*, *intellectuali* ac *morali*.

Physicus ordo naturalis est liber ex parte voluntatis supremi Artificis, qui ipsum ad sui exemplar creavit eo perfectionis gradu quo voluit; sed in rerum creatarum natura est necessarius, atque at unum et invariabilem essendi ac operandi modum determinatus, tanquam stabile fundamentum omnis perfectionis ulterioris, tam naturalis quam supernaturalis. Ordo perfectionis *intellectualis* et *moralis* est liber; supponit physicum necessariumque ordinem nostri intellectus ac voluntatis, et consistit in libera intellectus nostri ac voluntatis conformitate cum divino Intellectu et divina Voluntate.

Brevius loquendo, divinus Exemplarismus perfectionem Dei unitrini nobis ostendit *ut unicum Exemplar*, *quod ipse Deus imitatur in omnibus suis opificiis ad extra*, atque ut *supremum, sed non unicum Exemplar*, *quod nos in omnibus operibus nostris liberis imitari tenemur* in ordine scientiarum, artium et virtutum.

II. Vox quidem Exemplarismi nostris diebus inventa est, sed *doctrina* est antiquissima, cum *sit temporalis participatio et imitatio aeternæ Sapientiæ ipsius Dei*, qui omnia juxta seipsum judicat et ordinat, sicut docet S. Thomas in 1. q. 1, art. 6:

« Ille qui considerat simpliciter altissimam Causam totius mundi, quæ Deus est, maxime sapiens dicitur. » Et in 2. 2., q. 45, art. 1: « Ille qui cognoscit Causam altissimam simpliciter, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantum per regulas divinas omnia potest judicare et ordinare. » Itaque doctrina divini Exemplarismi, saltem partialiter vel in primis principiis suis, communis est sapientibus omnium nationum, quemadmodum ostendemus in Parte III hujus Tomi. Nobiliores enim *apud gentes* philosophi, inter quos eminent Platonici, Deum ut unum essentia consideraverunt tanquam Artificem et Archetypum ordinis naturæ; *christiani* autem sapientes Deum ut unum Essentia et trinum personis, contemplantur tanquam primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem ordinis naturæ, gratiæ et gloriæ.

III. Divina vero Trinitas est Causa rerum, inquantum Dei Scientia et Voluntas, quæ supreme omnia causant, includuntur in processionibus

Verbi et Spiritus sancti (1. q. 45, art. 6). Idcirco non ipsæ divinæ *relationes et personæ* in omnibus creatis effectibus repræsentantur, sed solummodo repræsentatur *trinus ordo attributorum*, secundum quem personæ procedunt ad intra, et omnia operantur, seu causant ad extra, scilicet trinus ordo divinæ Essentiæ, Intelligentiæ ac Voluntatis, quæ tribus personis communes sunt.

IV. Porro omnes creaturæ divinum Exemplar unitrinum repræsentant per modum vestigii, inquantum singulariter, vel collective in seipsis exhibent variis modis principium, medium et terminum, quæ ad primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem ordinantur. *Solæ creaturæ rationales divinum Artificem et Archetypum repræsentant per modum imaginis*, inquantum sunt in ordine physico, substantiæ spirituales, per intellectum ac voluntatem agentes, sicut ipse Deus. Cum autem perfectio imaginis essentialiter consistat in assimilatione ad suum Exemplar originale, sequitur creaturas rationales ulterius perfici non posse, nisi per majorem conformitatem cum Deo, naturalem vel supernaturalem in ordine *physico*, *intellectuali* et *morali*.

V. At quomodo divinam Sapientiam participamus, et exemplarem rerum omnium Ordinem cognoscimus in Deo, atque in ipsius Mente ab æterno conceptum? Hunc Ordinem non cognoscimus *directe, rerum exemplaria seu ideas intuendo in ipso Deo*, sicut somniaverunt Ontologistæ; hoc enim modo ea cognoscemus in visione beatifica; sed nunc rerum exemplaria novimus *naturaliter ex ipsis rebus exemplatis*, quia naturalis ratio nos docet omnem effectum aliquo modo repræsentare causam suam, et supremum mundi Artificem nullum opificium in tempore facere, quo ab æterno non intenderit ac ordinaverit. Præterea rerum exemplaria novimus *supernaturaliter ex divina revelatione*, qua Deus nobis manifestavit naturæ suæ secreta, et abscondita consilia sua nobis naturaliter impervia. Nam sine divina revelatione, creatura rationalis omnino non potest trium personarum in natura divina Ordinem cognoscere ex trinitate, quam ratione naturali perspicere potest in toto ordine naturæ creatæ, quia divinarum personarum relationes pertinent ad divinam operationem *ad intra*, ita ut concludi nequeant ex ordine divinorum opificiorum *ad extra*.

His prænotatis, ut notio divini Exemplarismi plene patescat, in tribus articulis breviter explicabimus ejus: 1°) objectum; 2°) divisionem; 3°) excellentiam.

ARTICULUS I.

DE DIVINI EXEMPLARISMI OBJECTO.

Objectum divini Exemplarismi est trinus ordo universalis, qui nunc tantummodo *explicandus* est, sed postea *probandus* et *evolvendus*. Jam vero ordinem universalem explicabimus primo in genere, et deinde in specie.

§ I.

De trino ordine universali in genere.

2. — I. **Objectum,** quod considerat ac docet divinus Exemplarismus, est trinus ordo universalis, nimirum: a) *trinus Ordo mere increatus et exemplaris*, scilicet Deus unitrinus, qui est supremus Ordo per se, omnia a seipso, juxta seipsum atque ad seipsum ordinans, tum in æterna sua intentione, tum in temporali operum suorum exsecutione; b) *trinus Ordo mere creatus et exemplatus* scilicet mundus universus et unitrinus, cujus homo et pars et compendium est, ita ut merito nuncupetur minus mundus; c) *trinus ordo unionis hypostaticæ, simul exemplaris et exemplatus* in Jesu Christo, seu in Deo-Homine, qui Caput est trini ordinis Ecclesiæ.

II. **Ordo exemplaris,** utpote infinite perfectus; est infinite superior *ordini exemplato*, qui finite perfectus est. Sed quamvis Ordo exemplaris et ordo exemplatus ab invicem distent infinite, ac *sibi invicem extreme opponantur*, ambo tamen in ordine unionis hypostaticæ *conveniunt* tanquam in medio harmonico; nam in hoc ineffabili ordine, natura humana, quæ est medium et compendium totius ordinis creati ac finiti, arctissimo quo fieri potest modo, naturæ divinæ unitur in una Verbi persona, quæ est medium Ordinis increati ac infiniti.

III. **Ordo exemplaris et ordo exemplatus trini sunt,** quia in utroque distinguuntur principium, medium et terminus, quæ necessario in omni ordine completo reperiuntur; nam ordo est relatio unius vel plurium ad alterum tanquam ad principium; principium autem existere non potest nisi aliquid ab eo procedat, et nulla existit processio quæ ad aliquid non terminetur.

IV. **In perfectione Ordinis exemplaris,** Pater, Filius et Spiritus sanctus, qui sunt ipsius principium, medium et terminus, *æquales* sunt eadem perfectione infinita naturæ, seu Formæ divinæ, atque ab invicem non distinguuntur nisi oppositione suarum relationum.

V. **Sed in exemplato ordine perfectionis mundi,** principium, medium et terminus sunt

perfectione *inæqualia*, quia tres gradus constituunt ad inæqualiter imitandum perfectionem trini Ordinis exemplaris. Etenim *in infimo gradu*, inveniuntur creaturæ mere corporeæ, quæ divinæ Trinitati variis modis assimilantur per modum vestigii tantum; *in supremo gradu*, eminent creaturæ mere spirituales, nimirum angeli, qui divinam Trinitatem imitantur per modum imaginis tantum; *in medio gradu*, reperitur homo substantialiter compositus corpore et spiritu, qui consequenter divinam Trinitatem repræsentat simul per modum vestigii et per modum imaginis. Præterea omnes creaturæ Deo unitrino assimilantur secundum *trinum gradum naturæ, gratiæ et gloriæ*, qui totam perfectionem creatam complectitur.

§ II.

De trino ordine exemplari in Deo.

In Deo unitrino, qui supremum omnis ordinis Exemplar est, triplicem ordinem virtualiter distinguimus, videlicet 1°) trinum ordinem Essentiæ et operationis in genere; 2°) trinum ordinem operationis ad intra, terminatæ ad divinas personas; 3°) trinum ordinem operationis ad extra, seu causalitatis, terminatæ ad creaturas.

3. — I. De trino ordine divinæ Essentiæ et operationis in genere. 1°) TRIA VIRTUALITER AC PRIMO DISTINGUIMUS IN DEO, scilicet Esse — Intelligere — Velle seipsum et alia a se.

Esse spirituale, quod est ipsa Dei Forma, a nobis concipitur tanquam principium intelligendi ac volendi; *intelligere*, tanquam medium inter Esse et velle; *velle*, tanquam terminus operationis spiritualis. Unde ordo Essentiæ et operationis in Deo est necessario trinus; nam Deus *est* purus spiritus, et purus spiritus omnia naturaliter operatur modo pure spirituali, nempe *per intellectum* ac *voluntatem;* atqui spiritus, intellectus et voluntas habent rationem principii, medii et termini, seu trini ordinis completi; ergo.

2°) OPERATIO DEI PER INTELLECTUM ET VOLUNTATEM HABET DUPLICEM TERMINUM, nempe seipsum, et alia a se. Idcirco ratione duplicis hujus termini, virtualiter in Deo distinguimus duplicem operationis ordinem, nimirum trinum ordinem operationis *ad intra*, et trinum ordinem operationis *ad extra*.

In ordine operationis ad intra, Deus necessario intelligit ac vult, seu diligit seipsum; et hæc operatio terminatur ad personas Filii et Spiritus sancti, quæ cum persona Patris constituunt, ratione suarum processionum, trinum ac realem divinæ naturæ Ordinem.

In ordine operationis ad extra, Deus necessario quidem intelligit, sed libere vult alia a se, quia terminus, seu objectum hujus volitionis, sive amoris, sunt bona finita. Hæc enim operatio terminatur ad omnes creaturas æterne a Deo unitrino intentas, et cum tempore, vel in tempore, ab eo productas. — *Totus autem ordo creaturarum necessario trinus est*, quia supremus Artifex unitrinus omnia opificia sua intendit ac producit ad exemplar trini Ordinis divinarum personarum, in quarum processionibus includuntur Dei Scientia et Voluntas, quæ sunt suprema et in Deo proxima rerum Causa, sed non ad exemplar relationum Paternitatis, Filiationis ac Spirationis, quæ divinas personas constituunt, et exclusive pertinent ad divinam operationem *ad intra*.

4. — II. De trino ordine divinæ operationis ad intra. Tria complectitur, nempe duas personarum processiones, — quatuor personarum relationes reales, — tres personas oppositione relationum realiter ab invicem distinctas, sed individue in divina Forma unitas.

1°) ORDO DIVINÆ OPERATIONIS AD INTRA FUNDATUR IN DUPLICI PROCESSIONE, scilicet in processione Filii a Patre per divinum intellectum Paternitate connotatum, et in processione Spiritus sancti a Patre ac Filio per divinam voluntatem connotatam communi spiratione activa Patris et Filii. — In utraque processione virtualiter distinguuntur principium, medium et terminus. *Principium* est persona producens; *medium* est actio productiva, nempe generatio in processione Filii a Patre, et spiratio in processione Spiritus sancti a Patre et Filio; *terminus* est persona producta.

2°) EX DUABUS ILLIS PROCESSIONIBUS ORIUNTUR QUATUOR RELATIONES REALES personarum sibi invicem oppositæ, scilicet Paternitas opposita Filiationi, et Spiratio activa opposita Spirationi passivæ.

3°) DEMUM EX OPPOSITIONE HARUM QUATUOR RELATIONUM REALIUM SEQUUNTUR REALIS DISTINCTIO ET ORDO TRIUM PERSONARUM DIVINARUM; videlicet distinctio personarum Patris et Filii, orta ex oppositione Paternitatis et Filiationis; quia impossibile est quod generans sit unum et idem relative cum generato, et vicissim. Secundo sequitur distinctio personæ Spiritus sancti, orta ex oppositione Spirationis activæ et Spirationis passivæ, quia impossibile est quod spirans sit unum et idem relative cum spirato ac vicissim.

Verum, licet tres personæ *ab invicem realiter distinguantur*, non tamen distinguuntur *realiter a divina Forma*, sed tantum *virtualiter* juxta theologicum effatum: « In divinis, omnia sunt unum et idem, nisi obviet relationis oppositio. »

5. — III. **De trino ordine divinæ operationis ad extra,** seu causalitatis. *Hæc operatio communis est tribus personis divinis*, ita ut tota Trinitas, seu totus Ordo increatus, sit supremus omnium rerum creatarum Artifex. Ordo autem divinæ operationis ad extra tria complectitur, quæ habent rationem *principii*, *medii* et *finis* in causando, nempe trinum mundi Artificem; — trinam opificii intentionem in mente et voluntate divini Artificis; — trinam opificii executionem.

1°) De trino mundi Artifice. Artifex mundi est trinus triplici ratione:

a) **Trinus, quia est Ens spirituale** quod omnia opificia sua efficit **per Intellectum et liberam Voluntatem.**

b) **Trinus est, quia ipse est prima Causa efficiens, exemplaris et finalis totius mundi et singularium partium ejus.** Omnis enim causa quæ aliquid efficit per intellectum et liberam voluntatem, agit propter aliquem finem, et juxta aliquod exemplar, sive ideale, sive externum, quod factionem ejus determinet, seu in faciendo dirigat ad intentum finem, qui est perfectio opificii. — Atqui, Deus omnia a se alia creavit, seu ex nihilo effecit, propter propriam perfectionem ad extra repræsentandam ac manifestandam, et juxta eamdem perfectionem ab ipso cognitam ut diverse imitabilem; opificiorum autem ejus perfectio consistit in repræsentatione divinæ perfectionis exemplaris. — Ergo Deus est prima Causa efficiens, exemplaris ac finalis omnium rerum a se aliarum.

c) **Artifex mundi trinus est, quia tota Trinitas est prima omnium Causa efficiens, exemplaris et finalis,** ex eo, quod Deus omnia opificia sua efficit juxta rationem processionum divinarum, seu juxta suum *Esse Intelligere* ac *Velle*, quæ sunt principia processionum personarum divinarum ad intra, et simul causa processionis seu productionis omnium creaturarum ad extra. Dicit S. Thomas in 1. q. 45, art. 6: « Creare convenit Deo secundum suum Esse, quod est ejus Essentia, quæ est communis tribus personis. Unde creare non est proprium alicui personæ, sed *commune toti Trinitati*. Sed tamen divinæ personæ secundum rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Ut enim supra ostensum est, cum de Dei scientia et voluntate ageretur, Deus est causa rerum *per suum Intellectum* et *Voluntatem*, sicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum et per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam *per suum Verbum*, quod est Filius, et *per suum Amorem*, qui est Spiritus sanctus. Et secundum hoc processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, inquantum includunt essentialia attributa, quæ sunt Scientia et Voluntas. »

Nihilominus, quamvis rerum causalitas, sit communis toti Trinitati, tamen causa efficiens quæ producit seu creat ipsum esse rei, *appropriatur Patri*, sicut et potentia; causa exemplaris, juxta quam esse rei producitur, *appropriatur Verbo*, sicut et sapientia; causa finalis, propter quam esse rei producitur, *appropriatur Spiritui sancto*, sicut et bonitas. Cæterum, cum ratione processionum Pater, Verbum et Spiritus sanctus habeant rationem principii, medii et termini in Ordine increato ac causante, ita in ordine creato, quidquid habet rationem *principii*, referendum est, per appropriationem, ad Patrem; quidquid habet rationem *medii*, referendum est ad Verbum; quidquid habet rationem *finis*, referendum est Spiritui sancto; nam omnia quæ tribus personis divinis appropriantur, et omnia divinæ Trinitatis vestigia in rebus creatis, quæ a S. Thoma indicantur loco citato, art. 7, reducuntur ad principium, medium et finem.

2°) De trina intentione divini Artificis.

a) **De æternis Dei ideis, de æterna Lege et de æterna prædestinatione.** Propria perfectio in opificiis suis repræsentanda ac manifestanda, est finis omnis operationis Dei ad extra. Inde sequitur quod divinus Artifex, in operando, intendit assimilationem omnium opificiorum suorum ad propriam perfectionem suam exemplarem. Sed in hac assimilatione distinguuntur *principium*, quod est assimilatio rerum ad Deum quoad esse; et *medium*, quod est assimilatio quoad operari; et *finis*, qui est assimilatio consummata in ultima rei perfectione. Ergo in ipsa Dei intentione tria distinguuntur, scilicet *æternæ ideæ*, juxta quas omnes creaturæ producuntur in esse; *æterna lex*, juxta quam creaturarum operatio, sive necessaria, sive libera, gubernatur ad finem; *æterna prædestinatio*, juxta quam creaturæ rationales attingunt ultimum finem suum supernaturalem.

Ideæ sunt norma perfectionis creaturarum quoad esse naturale aut supernaturale; *lex* est norma perfectionis creaturarum, quoad operationem naturalem, aut supernaturalem per gratiam; *prædestinatio* est norma perfectionis rationalium creaturarum in gloria cœlesti. Dicit S. Thomas in 1. 2. q. 93, art. 1: « Sicut ratio divinæ sapientiæ, inquantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet *artis*, *vel exemplaris*, *vel ideæ*, ita ratio divinæ Sapientiæ moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem *legis*. Et secundum hoc Lex æterna nihil aliud est

quam ratio divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum. » De prædestinatione autem dicitur in 1. q. 23. art. 2: « *Prædestinatio* est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in Mente divina existens. »

b) **De divinis ideis, seu exemplaribus, in specie.**

Et primo, divina exemplaria distinguenda sunt a divinis possibilibus. Etenim *possibilia* pertinent ad Dei scientiam speculativam, seu non ordinatam ad operationem; sunt enim modi numero infiniti, at perfectione finiti, quibus Deus infinitam perfectionem suam cognoscit ut imitabilem ab innumeris rerum speciebus et ordinibus; quos modos Deus necessario cognoscit cognoscendo propriam perfectionem tanquam imitabilem, sed eos non vult, ita ut sint speculativæ rationes rerum, quæ a Deo fieri possunt, at nunquam fient, quoniam Deus ipsas non vult, seu non intendit. *Exemplaria* autem rerum pertinent ad scientiam Dei practicam, seu ordinatam ad operationem ad extra. Sunt enim prædeterminati et varii modi imitationis suæ a divino Artifice intellecti, et juxta quos vult sive intendit infinitam Formæ suæ unitrinæ perfectionem repræsentare in certa quadam mensura, ac certo quodam rerum numero, et in certo quodam ordine. *Omnia enim in mensura, et numero et pondere disposuit*, sicut scriptum est in Sap. 11, v. 21.

Secundo, necesse est exemplaria ponere in mente divini Artificis. Secus enim admittendum foret Deum ad extra operari sine prædeterminata intentione, sine præconcepto consilio, sine regula vel arte, quod Sapientiæ ejus penitus repugnat.

Tertio, divina exemplaria sunt plura, non ex parte supremæ Formæ in se spectatæ, quæ unica est, cum sit infinite perfecta, sed ex parte modorum, quibus Deus intendit unam eamdemque Formam suam multiformiter ac finite in rebus repræsentare. Dicit doctor angelicus in q. 3 de Verit., art. 2, ad 6^{m}: « *Una prima Forma*, ad quam omnia reducuntur, est ipsa divina Essentia, secundum se considerata; ex cujus consideratione divinus intellectus adinvenit, ut ita dicam, *diversos modos imitationis* ipsius, in quibus pluralitas idearum consistit. »

Quarto, exemplarium pluralitas reducitur ad unitatem trini ordinis idealis. Nam quamvis rerum exemplaria sint multa, tamen a divino Artifice concipiuntur ac intenduntur tanquam trino gradu *superiorum, mediorum* et *inferiorum* ordinata, et hoc ordine inæqualiter repræsentantia æqualem trini Ordinis divini perfectionem. Sic pluralitas divinarum idearum *reducitur ad unitrinum ordinem*, qui est tota supremi Artificis idea, et a S. Augustino nuncupatur mundus intelligibilis. In hoc igitur ordine mundi intelligibilis, seu potius idealis, *pluralitas* oritur ex diversis modis particularibus, quibus Deus concipit propriam perfectionem ab aliis a se imitandam, et *unitas* oritur ex totali ac ordinata unicæ Perfectionis suæ unitrinæ imitatione ab omnibus rebus, quam Deus intendit, nam juxta S. Thomam 1. q. 47, art. 1, corp.: « Perfectius participat divinam Bonitatem et repræsentat eam totum universum, quam alia quæcumque creatura. »

c) **De fine primario et secundario in divina intentione.**

Finis primarius divini Artificis est propria Perfectio in toto opificio suo, seu mundo, repræsentanda, et creaturis intellectu præditis manifestanda ad gloriam suam. *Finis secundarius* est perfectio mundi partium singulariter consideratarum, et maxime ultima singularum creaturarum intelligentium perfectio ac beatitudo in gloriâ cœlesti.

Porro finis primarius nulla creaturarum intelligentium malitia frustrari potest, quia ipsa hæc malitia ad hunc finem ordinatur. Deus enim non intendit, sed permittit malum culpæ, ut illud ordinet ad manifestandam misericordiam vel justitiam erga peccatores, atque ut vitiorum oppositione virtus justorum magis splendeat in ordine morali. Vult autem malum pœnæ ad justam reparationem mali culpæ, atque ut oppositione suppliciorum et tenebrarum inferni, augeatur beatitudo et claritas gloriæ cœlestis. — Atqui, hæc oppositio ordinatur ad totius mundi pulchritudinem, sicut docet S. Augustinus. — Ergo Deus malum permittit propter majus bonum.

In fine secundario distinguenda est divina Voluntas salvandi creaturas rationales et liberas, antecedens aut consequens prævisionem meritorum harum creaturarum. Voluntate *antecedenti ac conditionata*, Deus vult salutem omnium angelorum et hominum juxta liberam ipsorum naturam, scilicet si ipsi salvari velint, gratiæ cooperando; Voluntate *consequenti et absoluta*, vult illorum tantum angelorum et hominum salutem, quos prævidet gratiæ cooperaturos. Jam vero manifestum est, antecedentem Dei voluntatem frustrari posse per malam voluntatem creaturæ liberæ non implentis conditionem salutis; consequentem vero voluntatem frustrari non posse.

3°) De trina divini opificii exsecutione.

Intentio est actus voluntatis agentis respiciens causam finalem, quæ movet agens ad agendum, et causam exemplarem, quæ intellectum agentis dirigit in agendo. *Exsecutio* autem est ipsa actio libera agentis per intellectum ac volun-

tatem, vel aliis verbis est agentis operatio efficax, cujus *terminus* est finis intentus, et cujus *regula* est exemplar aspectum.

Atqui, ordo exsecutionis est trinus, sicut ordo intentionis; complectitur enim operationis *principium, medium* et *finem*, sed ordini intentionis inversus est; nam *in ordine intentionis*, finis habet rationem principii, quia finis primo ab agente intenditur; dum contra *in ordine exsecutionis*, finis habet rationem termini per operationem obtenti. Sed *in utroque ordine*, finis intentus, et finis obtentus, est idem in idea, vel in re, et insuper exemplar habet rationem medii; itaque ordo exsecutionis est conformis ordini intentionis, licet sit ipsi inversus.

Opificium intentum in mente divini Artificis unitrini est totus mundus idealiter ab eo ordinatus ad proprii Ordinis sui unitrini assimilationem in triplici gradu naturæ, gratiæ et gloriæ.

Exsecutio autem divini opificii, juxta æternam ipsius ideam, fit per totam divinæ Trinitatis operationem ad extra. Hujus operationis *initium* est totius mundi creatio in esse seu statu naturæ et gratiæ, qui complectitur trinum ordinem physicum, intellectualem, et moralem privatum ac socialem; trinus ille ordo fundatur in natura, et per gratiam elevatur ad perfectionem supernaturalem.

Medium divinæ operationis est totius mundi gubernatio, quæ complectitur omnium mundi partium conservationem in esse, et duplicem operativarum potentiarum creaturarum motionem, physicam nempe et moralem, quæ ordinatur ad totius mundi perfectionem et divinam gloriam, non obstante malo physico, nec morali. *Terminus* divinæ operationis est consummatio perfectionis mundi per gloriam æternam.

Hæc trina supremi Artificis operatio ad extra, *durat per omnia mundi tempora præterita, præsentia et futura*, in quibus omnes creaturæ ab æternitate ad æternitatem moventur in quodam perfectionis circulo, cujus Centrum est divinus Artifex unitrinus. Divina enim Trinitas in sua æternitate creavit mundum cum tempore, illum gubernat in tempore, et consummat in æternitate, ad quam mundus reducetur completo perfectionis suæ ordine, seu circulo. In hoc circulo, mundus in temporis initio *formatus* est in opere creationis, ad exemplar Formæ unitrinæ; deinde peccato accidentaliter *deformatus*, fuit *reformatus* in opere Redemptionis; in tempore *transformatur* per gratiam, in opere justificationis; et in fine temporis, seu in æternitate, ultimo *transformabitur* per gloriam, in opere glorificationis.

Quamvis tota Dei operatio ad extra, sit communis tribus personis divinis, tamen Creatio *appropriatur Patri;* Redemptio, *Verbo incarnato;* Sanctificatio et glorificatio. *Spiritui sancto.*

§ III.

De trino ordine exemplato in majori mundo.

6. — I. Realis ordo majoris mundi est unitrinus in sua totalitate, nam est effectus totius operis divinæ Trinitatis ad extra, juxta trinum ordinem idealem, quem ab æterno intendit. Unde necessario trinus est in sua totalitate; complectitur enim res omnes, ac præcipue rationales, a Deo unitrino 1°) realiter creatas in perfectione naturæ et gratiæ, juxta æternas ejus ideas; 2°) realiter gubernatas juxta æternam Dei Legem naturalem ac supernaturalem, mediante gratia actuali; 3°) realiter vocatas, justificatas et glorificatas juxta æternam Dei prædestinationem.

Jam diximus quod *in exsecutione*, finis inverso ordine se habet quam *in intentione;* nam in intentione, finis præcedit omnia media, dum in exsecutione omnia media finem præcedunt. Ergo Deus primo *intendit* perfectionem suam gloriose manifestare per totius mundi perfectionem, et primo per creaturarum intelligentium glorificationem, cujus media sunt ipsarum justificatio, vocatio, lex supernaturalis et gratiæ auxilium; sed *in hoc proposito suo exsequendo*, Deus primo media adhibet ad finem obtinendum; intelligentibus enim creaturis dat legem supernaturalem, gratiæ auxilium, vocationem, justificationem et glorificationem.

7. — II. Ordo majoris mundi est unitrinus in singulis rebus, quibus componitur.

Nam 1°) IN REBUS, PROUT CREATIONE PERFICIUNTUR IN ESSENDO, reperiuntur: a) Potentia aliqua passiva, quæ in puris spiritibus est forma substantialis quæ mensurat, specificat, determinat eorum *esse* in ea receptum, et a quo realiter ac modaliter distinguitur sicut potentia ab actu; in corporibus autem distinguuntur materia prima, forma substantialis, et subsistentia, qua constituitur suppositum. b) In omnibus substantiis creatis, tam spiritualibus quam corporalibus, invenitur *esse*, quod est ipsis actus essendi physice et naturaliter. c) In omnibus justis spiritibus angelicis vel humanis, reperitur gratia sanctificans, seu accidentalis forma supernaturalis, per quam habent novum esse supernaturale, esse naturali a Deo superadditum gratuito beneficio, et qua physice sunt, seu existunt supernaturaliter, divinam naturam participando per analogicam similitudinem in essendo accidentaliter, sicut Deus est substantialiter.

2°) In rebus, prout divina gubernatione perficiuntur in operando, quod sequitur esse, tria inveniuntur operationis principia *in ipsis rebus* gubernatis; videlicet potentiæ operativæ, habitus naturales vel supernaturales, et actus. Tria quoque principia inveniuntur *extra res*, seu in Deo gubernante, videlicet lex naturalis, lex supernaturalis, gratia actualis, quæ potentias adjuvat ad legem implendam.

3°) In rebus, prout divina prædestinatione consummantur, tria inveniuntur, nempe vocatio, justificatio et glorificatio.

8. — III. **Singulæ creaturæ simul sumptæ, constituunt majorem mundum unitrinum,** ad cujus perfectionem a divino Artifice unitrino ordinantur, sicut partes ad totum.

Universalis autem perfectio mundi consistit in supremi Artificis unitrini imitatione in *triplice ordine naturæ, gratiæ* et *gloriæ*, per varias formas substantiales, vel accidentales, quibus cunctæ res creatæ intrinsece conformantur supremæ Formæ exemplari. Natura non est, nec esse potest *principium* gratiæ et gloriæ, quarum perfectio est supernaturalis, seu superat omnem naturæ indigentiam, captum et vires; sed natura est *fundamentum* gratiæ et gloriæ, quia tota perfectio supernaturalis est accidentalis, ac proin supponit naturam, quam elevat ad perfectionem omnino ei indebitam et gratuitam.

1°) Ordo naturæ iterum trinus est.

Continet enim tria naturarum, seu substantiarum genera, nempe: a) *naturas mere spirituales*, ordinatas in tribus hierarchiis, quæ singulæ tribus ordinibus constant; b) *naturas mere corporales*, sive cœlestes, sive terrestres. Corpora *cœlestia* ordinantur in triplici cœlo: aereo, sydereo et empyreo. Corpora *terrestria* ordinantur in triplici regno: minerali, vegetali et animali; c) *naturam humanam substantialiter compositam corpore et spiritu.* Hæc natura est una specie, et in toto mundo constituit medium unicum atque harmonicum, in quo multiplices aliæ naturæ, mere spirituales et mere corporales, extreme oppositæ conveniunt.

Hæc tria naturarum creatarum genera trinum supremæ Causæ ordinem generalissime repræsentant *per modum vestigii*, inquantum omnia et singula continent aliquod principium, medium et finem. Sed solæ naturæ spirituales specialiter *per modum imaginis* repræsentant, non quidem generice, nec specifice, sed tantum analogice spiritualem Dei naturam et ordinem operationis per intellectum et voluntatem, qui ex ipsa emanat, juxta humanum concipiendi modum; ita ut naturæ spirituales, ad exemplar divinæ naturæ, analogice sint, cognoscant et velint seu diligant Deum, seipsas et alias creaturas, atque per intellectum ac voluntatem operentur ad intra actione immanente, et ad extra actione transeunte.

2°) Ordo gratiæ est trinus, quia supponit totum naturæ ordinem, nempe ordinem physicum, intellectualem et moralem, quem accidentaliter elevat ad supernaturalem Dei unitrini imitationem *in essendo* per gratiam habitualem, et *in operando ad propriam sanctificationem* per gratiam actualem, atque *ad aliorum sanctificationem* per gratias gratis datas.

a) **Gratia habitualis** est accidentalis forma supernaturalis, quæ physicæ spirituum creatorum essentiæ inhæret illamque elevat ad divinæ naturæ consortium per analogicam participationem Esse divini, qua creatus spiritus fit filius Patris adoptivus, frater Verbi et Spiritui sancto despondetur. — *Gratiæ habitualis ordo est trinus*, ac complectitur *gratiam primam*, qua peccator fit justus; *gratiam secundam*, qua justus fit justior; *gratiam ultimam*, qua aliquis in justitiæ statu moritur.

b) **Gratia actualis** est supernaturale et transiens Dei auxilium ad ponendos actus supernaturales. — *Gratiæ actualis ordo est trinus:* in justis, tanquam remota actuum supernaturalium principia, seu tanquam actus primos, supponit in spirituum potentiis *habitus supernaturales seu infusos*, scilicet virtutes theologicas, virtutes morales et dona Spiritus sancti. Deinde datur *actualis gratia*, sive sufficiens, sive efficax, tanquam proximum actuum supernaturalium principium, quæ est illuminatio movens intellectum, inspiratio movens voluntatem, et variæ motiones supernaturales in utroque appetitu sensitivo. Tandem ponuntur *actus supernaturales*, qui sunt vel beatitudines Evangelii, vel fructus Spiritus sancti, vel alii actus minus perfecti.

c) **Gratiæ gratis datæ** ad aliorum sanctificationem *trine ordinantur*, nam sunt vel donum prophetiæ, pertinens *ad cognitionem;* vel donum linguarum et gratia sermonis, pertinentia *ad locutionem;* vel donum miraculorum pertinens *ad factionem.*

3°) Ordo gloriæ, ad quem ducit ordo gratiæ, est unitrinus; nam complectitur essentialem spirituum gloriam, accidentalem spirituum gloriam, et corporum gloriam.

a) **Gloria essentialis** elevat non essentiam physicam, sed spiritualem Beatorum operationem, quia *radix gloriæ in essendo est gratia habitualis*, quæ in physica Beatorum essentia æternitaliter permanendo, illamque ad esse divinum elevando, Beatos remote disponit ad supernaturalem gloriæ operationem. *Sed spiri-*

tuales Beatorum potentiæ scilicet intellectus ac voluntas, ad hanc operationem proxime disponuntur *tribus habitibus gloriosis*, nempe visione beatifica, quæ fidei succedit; comprehensione seu possessione Dei, quæ spei succedit; et fruitione Dei, quæ charitatem in gloria essentialiter permanentem perficit.

Ipsa operatio, in qua proprie consistit gloria et beatituto electorum, sunt *tres actus prædictorum habituum*, quorum nominibus designantur, scilicet nomine visionis, comprehensionis et fruitionis. Beatitudo gloriosa essentialiter consistit in immediata Formæ divinæ visione actuali, quam necessario sequuntur actus comprehensionis et fruitionis.

b) **Gloria accidentalis spirituum** consistit in triplici rerum creatarum cognitione, nempe in *cognitione essentiæ* creaturarum, sive per matutinam divinorum exemplarium visionem in Forma divina, quæ est supremum rerum omnium Exemplar, sive per vespertinam rerum exemplatarum visionem in seipsis. — Consistit secundo in *cognitione operationis* creaturarum, bonæ vel malæ, per divinam Providentiam gubernatæ, et prout ad ipsos Beatos spectat. — Denique consistit in *cognitione termini* creaturarum intelligentium, boni vel mali, ita ut de aliorum Beatorum felicitate congaudeant, et Dei misericordiam glorificent; atque de reproborum supplicio, necnon de Dei suorumque electorum ab inimicis suis triumpho divinam justitiam exaltent.

c) **Gloria accidentalis corporum** perficiet tria corporum genera, nempe *corpora ipsorum Beatorum*, corpora *cœlestia*, et corpora *terrestria* ad accidentalem Beatorum felicitatem procurandam.

4°) Juxta S. Thomam in 1. q. 73, art. 1, ad 1^{m}: « In septima die (productionis rerum) fuit *consummatio naturæ;* in Incarnatione Christi, *consummatio gratiæ;* in fine mundi, erit *consummatio gloriæ.* »

§ IV.

De trino ordine exemplato in minori mundo, seu in homine.

9. — I. Homo in ordine universo considerari potest sub duplici respectu, videlicet ut pars universi, vel ut aliquid in se totum.

1°) Tanquam pars universi ordinatur ad totius mundi perfectionem, ad eam infallibiliter concurrit, sive ipse attingat, sive non attingat propriam perfectionem suam, quia omnes privationes, defectus et imperfectiones particulares a supremo Artifice ordinantur ad totius opifici sui perfectionem, sicut umbra seorsim spectata, privatur omni pulchritudine, sed lumini et coloribus opposita in tabula picta, valde concurrit ad totius opificii pulchritudinem.

Sub hoc autem respectu consideratus, homo est pars mundi media et harmonica, quia in substantiæ ejus compositione conveniunt duæ aliæ mundi partes extreme oppositæ, nempe substantia *mere spiritualis*, quæ supremum tenet locum in ordine naturæ, et substantia *mere corporalis*, quæ infimum locum occupat. Itaque homo est *totius mundi compendium*, ita ut a sapientibus paganis et christianis nuncupetur *minor mundus;* habet enim esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis et cum ipso Deo.

2°) Inde homo considerari etiam potest tanquam totus ac minor mundus, ad propriam perfectionem ordinatus.

Imo in synthesi universali, necessarium est hominem sic seorsim spectare, quia cum in seipso compendiose complectatur omnia, quæ in mundo majori continentur, impossibile est hæc omnia sufficienter evolvere, si homo consideretur tantum sicut pars totius universi. Quapropter S. Thomas, in *Summa contra Gentiles*, et in *Summa theologica*, primo loquitur de divino Artifice, et de toto ejus opificio, quod est major mundus; deinde agit de homine speciatim spectato, quem vocat minorem mundum, sicut nos fecimus.

Illa autem duplex consideratio, seu divisio, est omnino conveniens non tantum *speculative*, sed etiam *practice spectata;* quia libera hominis perfectio, seu assimilatio ad Deum in ordine intellectuali, artistico, morali et sociali, debet esse scopus doctrinæ omnium sapientium, et maxime divini Exemplarismi.

10. — II. Homo, consideratus tanquam minor mundus, est vestigium et imago Dei unitrini in ordine physico, intellectuali et morali, tam naturaliter quam supernaturaliter.

1) In ordine physico, homo est a) **supremi Exemplaris unitrini vestigium,** sive quoad corpus, sive quoad animam.

Totius enim corporis humani partes generalissime spectatæ, trifariam distinguuntur ab Anatomiæ peritis in *caput*, *truncum* et *membra*. Hæc tria sunt corporis principium, medium et extremitates, sicut in arbore radix, truncus et rami. Plura alia divinæ Trinitatis vestigia in corpore humano inveniuntur, quæ deinceps indicabimus in Exemplarismi evolutione, Tomo III, Parte III.

Tota hominis anima est vestigium Trinitatis, inquantum tres habet gradus potentiarum, quæ generalissime distinguuntur in potentias *vege-*

tativas, sensitivas et *intellectivas*, quæ sunt fundamentum, medium et finis universæ operationis hominis agentis tanquam corpore et anima compositi.

b) **Homo est physica divinæ Trinitatis imago** sed quoad animam tantum, inquantum anima *spiritualis est* ac *spiritualiter operatur* analogice sicut ipse Deus unitrinus, necessitate physica intelligendo verum universale, et volendo bonum universale ab intellectu cognitum. Porro spiritualiter esse, intelligere verum universale, et velle bonum universale, sunt manifeste *principium, medium* et *terminus* totius ordinis spiritualis physice spectati, quoad esse et operari, sive in Spiritu increato, sive in omnibus spiritibus ad Dei imaginem creatis.

Physica Dei imago in anima nostra est *indelebilis ac immutabilis* quia anima nostra immortalis est.

c) **S. Augustinus et S. Thomas aliam physicam divinæ Trinitatis imaginem in spiritibus creatis vident** in ipsorum *memoria, intellectu et voluntate.*

Ast illa imago nobis videtur minus completa quam præcedens, quia spirituum operationem tantum, sed non essentiam complectitur.

2°) In ordine intellectuali et morali, qui physicum ordinem supponit tanquam fundamentum, *homo fit Trinitatis imago, non necessaria,* nec indelebilis, sicut in ordine physico, *sed libera* et delebilis ac mutabilis per liberam intellectus ac voluntatis operationem naturalem aut supernaturalem, qua cooperatur divino Artifici principaliter operanti hominis perfectionem. — Libere autem Deo cooperamur et conformamur, recte cognoscendo veritates particulares, et recte volendo bona particularia; nam veritates particulares et bona particularia, non sunt physica et necessaria, sed moralia et libera objecta nostri intellectus ac voluntatis; hæc enim libere eligit nostra voluntas moraliter mota ab intellectu, aliquod objectum particulare voluntati ostendente ut bonum, supposita tamen physica intellectus et voluntatis motione a Deo, quæ nobis requiritur ad cognoscendum verum universale, atque ad volendum bonum universale.

Ad hanc liberam cum Deo unitrino conformitatem disponimur tribus virtutum generibus, nempe *intellectualibus, moralibus* et *theologicis,* quibus adjiciuntur dona *Spiritus sancti.* Et præter omnes illos habitus naturales ac supernaturales, Deus nos adjuvat per *gratiam suam actualem,* quæ est proximum principium extrinsecum omnis operationis nostræ supernaturalis.

Horum omnium habituum et auxiliorum ope, ad divinam imaginem naturaliter aut supernaturaliter homo perficitur, non tantum in *privata vita,* sive contemplativa, sive activa, sive mixta, sed etiam in *vita sociali,* quæ degenda est in triplici societate religiosa, domestica et civili.

11. — III. **Triplicem Trinitatis imaginem in homine distinguit S. Thomas** 1. q. 93, art. 4. Prima est secundum conformitatem *naturæ,* et in omnibus hominibus reperitur; secunda est juxta conformitatem *gratiæ,* et in omnibus justis reperitur; tertia est secundum conformitatem *gloriæ,* et in omnibus Beatis reperitur.

Homo enim est Dei imago inquantum est spiritualis, et maxime illum imitatur spiritualiter, prout Deus operando ad intra seipsum cognoscit ac diligit. — Atqui, homo Deum cognoscere ac diligere potest in triplici ordine: *in ordine naturæ,* inquantum homo vel potest Deum unum essentia cognoscere et diligere, vel Deum unum cognoscit ac imperfectissime diligit ut naturæ Auctorem; *in ordine gratiæ,* inquantum homo Deum unum Essentia et trinum personis imperfecte per fidem cognoscit et per charitatem diligit ut gratiæ Auctorem; *in ordine gloriæ,* inquantum homo Deum unitrinum perfecte per visionem beatificam cognoscit, et per charitatem æternam diligit, primo propter infinitam ejus perfectionem, et secundo propter omnia naturæ, gratiæ et gloriæ dona ab eo accepta. — Ergo trina est Dei imago in anima humana.

Physica Dei imago *secundum naturam,* est indelebilis et immutabilis in anima nostra; sed imago *secundum gratiam* potest libere a nobis augeri, minui ac deleri in hac vita. In æterna autem vita, imago *secundum gloriam* erit in anima Beatorum consummata variis similitudinis gradibus, juxta diversa eorum merita; erit præterea immutabilis et indelebilis.

§ V.

De trino unionis hypostaticæ ordine exemplari simul et exemplato, atque de trino ordine Ecclesiæ exemplato.

Deus totum mundum ad supremam divinæ Trinitatis imitationem, per Jesum Christum in Ecclesia elevavit. Ecclesia autem est corpus mysticum, cujus *Caput* est Christus, et *Cor* Spiritus sanctus.

12. — I. **Dicit Apostolus,** in 1. Tim. 2, v. 5: *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.*

Etenim Christus, ut Filius Dei, *medium tenet in Ordine increato,* seu in divina Trinitate, et ut Deus-Homo *medium tenet inter Ordinem increatum et totum ordinem creatum.*

Nam, *inquantum Deus* et Verbum Dei, Christus medium tenet inter Patrem et Spiritum sanctum; est substantialis, æqualis et infinite pulchra Imago, quam mente concipit Pater infinite cognoscendo infinitam atque exemplarem divinæ Formæ unitrinæ perfectionem; et in qua intelligit ac vult, seu intendit in Spiritu sancto, omnia creati ordinis exemplaria.

Inquantum homo, Christus *naturaliter* occupat medium totius ordinis naturæ, cum substantiæ mere spirituales, quæ supremum perfectionis gradum tenent in hoc ordine, et substantiæ mere corporales, quæ infimum tenent gradum, harmonice conveniant in humana substantia spiritu et corpore composita; sed *supernaturaliter*, ratione hypostaticæ unionis naturæ divinæ cum humana in Ipso, Jesus Christus supremum occupat locum in omni ordine creato; nam in sua divina persona hypostatice humanæ naturæ unita, totam naturam spiritualem et corporalem in humana natura contentam elevavit ad dexteram Patris super omnes angelicas hierarchias, ita ut sit Caput totius ordinis creati, seu mundi, in catholica Ecclesia elevati ad supernaturalem Dei unitrini imitationem per gratiam et gloriam.

II. **Ergo supernaturalis ordo unionis hypostaticæ constituit medium aliquod harmonicum** inter unitrinum Ordinem mere increatum et unitrinum ordinem mere creatum; nam ordo unionis hypostaticæ est simul increatus et creatus, ratione unionis divinæ naturæ cum humana natura in divina Christi persona.

Ille ordo est ipse unitrinus inquantum divina natura et humana natura intime uniuntur in aliquo tertio, videlicet in Verbi persona, quæ virtualiter a divina natura et realiter ab humana natura distinguitur.

Præterea ordo unionis hypostaticæ *est unitrinus* quia, in tribus divinæ assimilationis gradibus, tres personas continet, nempe Jesum Christum, qui ipse est Deus-Homo; B. V. Mariam, quæ est mater Dei Hominis, cujus naturalis Pater est Deus; et S. Joseph, virum Mariæ et putativum Christi patrem. Maria et Joseph ad ordinem hypostaticum aliquo modo pertinent ratione propinquitatis ac supernaturalis assimilationis ad Jesum Christum, et ad totam Trinitatem divinam; quam propinquitatem et assimilationem nulla angelica, nec alia humana creatura participat in toto ordine supernaturali.

III. **Perfectissimum divini Artificis opificium, est catholica Ecclesia unitrina,** quæ est totus mundus, ad supernaturalem Dei unitrini assimilationem per Christum elevatus, in ordine gratiæ et gloriæ, ita ut supremæ Trinitatis perfectionem pulchrius ad ipsius gloriam repræsentet.

Ecclesia enim catholica potest quoque considerari ut regnum universale Dei unitrini, seu ut societas supernaturalis angelorum et hominum cum divina Trinitate, quæ societas fuit in mundi initio condita a Deo unitrino, deinde in terris conservata in Synagoga, ac demum a Jesu Christo perfecta. Hujus societatis Rex est Deus unitrinus et Christus, cui Pater dedit omnem potestatem in cœlo et in terra; præterea Christus, ut Deus, est Auctor gratiæ Redemptionis, quam mediante sua humanitate, Ecclesiæ communicat. Ecclesiæ Regina est B. V. Maria, quæ omnes gratias omnibus sua intercessione obtinet. Primus Minister gratiæ in Ecclesia est S. Joseph, qui omnes gratias a B. Virgine obtentas nobis dispensat.

Usque ad ultimum judicium, Ecclesia existit in triplici statu: nam *militat* in terra, *patitur* in Purgatorio, *triumphat* in cœlo; sed post ultimum judicium, *erit solummodo triumphans* ac consummabitur in gloria.

Catholica Ecclesia est *una* ratione suæ unicitatis atque omnium membrorum suorum unionis; *trina* est sanctitate, catholicitate et apostolicitate. *Una est trina unitate:* nempe fidei, communionis et cultus. *Sancta est trina sanctitate:* in suo Capite, in seipsa (scilicet in sua constitutione, in suis mediis, in suo fine) et in membris suis. *Catholica est trina catholicitate,* scilicet temporis, loci et doctrinæ. *Apostolica est trina apostolicitate:* originis, potestatis et doctrinæ.

ARTICULUS II.

DE DIVINI EXEMPLARISMI DIVISIONE.

Doctrina divini Exemplarismi trifariam dividitur, nempe 1°) ratione principii sui, seu originis; 2°) ratione medii, seu methodi; et 3°) ratione finis, quem intendit.

§ I.

De Exemplarismi divisione, ratione originis.

Ratione originis, divinus Exemplarismus dividitur in *philosophicum, dogmaticum* et *asceticum,* et sub quolibet respectu potest esse *speculativus* vel *practicus* prout divinum Exemplar considerat sine vel cum relatione ad liberam ipsius imitationem.

13. — I. **Exemplarismus philosophicus** originem habet mere naturalem.

1°) SPECULATIVE ENIM CONSIDERATUS, divinum omnium rerum Artificem et Archetypum, natu-

rali rationis lumine cognoscit ex totius mundi et partium ejus spectaculo, sicut opificem ex opificiis ejus.

Divinum autem Artificem *cognoscit ut unitrinum attributis essentialibus* et causantibus, scilicet prout constat Essentia spirituali, Intellectu et Voluntate, vel prout est omnipotens, sapiens et bonus; hæc enim attributa ad trinam Causam efficientem, exemplarem et finalem referuntur, atque in omnibus creatis effectibus analogice repræsentantur.

Sed Exemplarismus philosophicus divinum Artificem ex opificiis ejus *non cognoscit inquantum est trinus personis;* nam Trinitas divinarum personarum nullo lumine naturali cognosci potest; quia Deus naturali rationis lumine cognosci nequit, nisi ex effectibus creatis. Atqui, Deus res efficit non ratione relationum Paternitatis, Filiationis et Spirationis passivæ, quæ divinas personas constituunt, sed per Intellectum et Voluntatem, quibus et divinæ personæ procedunt et omnes creaturæ causantur; effectus autem creati non repræsentant nisi causam suam. Ergo in trino ordine suo generali et particulari repræsentant non ipsas personas procedentes, sed tantum processionum rationem atque ordinem per Intellectum et Voluntatem.

2°) Spectatus vero practice, Exemplarismus philosophicus, cujus origo est mere naturalis, divinum Archetypum proponere non potest imitandum nisi *in ordine perfectionis naturalis,* quia doctrina naturalis in sua origine, nequit nos perficere supernaturaliter.

Norma autem naturalis et nobis intrinseca perfectionis nostræ, tam in operatione immanente, quam in operatione transeunte, tam privatim quam sociatim, est recta ratio nostra naturalis, conformis divinæ Rationi, quæ est *prima norma extrinseca, seu Exemplar* omnis perfectionis. Inquantum autem ratio nostra est norma nobis intrinseca perfectionis naturalis actionum nostrarum moralium, dicitur *lex naturalis;* inquantum est norma intrinseca perfectionis naturalis opificiorum nostrorum, dicitur *ars naturalis.*

Solis autem naturæ suæ viribus, et sine divinæ gratiæ auxilio, homo nonnisi imperfectissime divinum Exemplar imitari potest in morali ordine, etiam naturali.

14. — II. **Exemplarismus dogmaticus** originem habet partim supernaturalem, quia principia sua ex generali revelatione haurit per fidem, et partim naturalem, quia magisterio naturali traditur, et studio naturali comparatur.

1°) Speculative consideratus, divinum Artificem et Archetypum fide cognoscit tanquam unum Essentia et trinum, non solummodo *attributis essentialibus,* sed etiam *personis* supernaturali revelatione manifestatis. Et hunc contemplatur tanquam Auctorem, non solum naturæ, sed etiam gratiæ et gloriæ.

2°) Practice consideratus, Exemplarismus theologicus ac moralis in dogmate fundatus, supremum Archetypum proponit imitandum, non solum in ordine perfectionis naturalis, sed etiam *in ordine perfectionis supernaturalis.*

Norma autem perfectionis supernaturalis, nobis *intrinseca,* est nostra ratio supernaturaliter illuminata per fidem aliosque habitus in nostro intellectu infusos; *extrinseca* vero norma est lex supernaturalis et revelata.

Auxilium supernaturale, quo ad divinum Exemplar imitandum adjuvamur, est gratia actualis.

15. — III. **Exemplarismus asceticus** originem habet mere supernaturalem, quæ est gratia sanctificans.

1°) Speculative consideratus, divinum Archetypum *unum Essentia et trinum personis* contemplatur non solum per fidem, sed etiam per intellectualia Spiritus sancti dona ex gratia sanctificante emanantia et fidem perficientia, in quibus eminet donum sapientiæ. Altissimi hujus doni lumine, justus experimentaliter novit, seu sapit divini Exemplaris unitrini perfectionem, quam ardenti charitate diligit.

2°) Practice consideratus, Exemplarismus asceticus divinam perfectionem non solum *supernaturaliter imitandam esse cognoscit,* sed etiam, adjuvante gratia actuali, *ferventer imitari conatur,* ut dilecto suo Exemplari conformior in dies fiat in morali ordine supernaturali, ac potissimum per charitatem, quæ est summa animæ justæ pulchritudo.

Exemplarismus *asceticus* pertinet ad viam perfectionis ordinariam. Exemplarismus *mysticus* proprie dictus pertinet ad viam extraordinariam.

§ II.

De Exemplarismi divisione, ratione methodi.

Ratione methodi, divinus Exemplarismus dividitur in *analyticum, syntheticum* et *intuitivum.*

16. — I. **Exemplarismus analyticus,** ab omnibus rebus exemplatis ad supremum Exemplar *ascendit per scientiam, sive naturalem, sive supernaturalem,* quæ Spiritus sancti donum est. Scientia enim proprie est habitus perficiens rationem inferiorem, et tanquam objectum habens varias creaturas; ideo scientiæ plures sunt, cum

multiplicentur secundum diversa genera cognoscibilium. (S. Thom. 1. 2. q. 57, corp., et 2. 2. q. 9, corp.).

Per scientiam naturalem, Exemplarismus philosophicus considerationem suam incipit a spectaculo rerum materialium, quarum intellectualem cognitionem abstractione acquirit. Scientiæ naturales tanto nobiliores sunt, quanto a materia magis abstrahunt, et mentem nostram magis elevant ad spiritualem et invisibilem perfectionem supremi ac unici totius naturæ Artificis et Archetypi.

Per donum scientiæ, Exemplarismus asceticus primo considerat creaturas corporales tanquam *vestigia* divini Archetypi unius Essentia et trini personis. Deinde transit ad considerationem hominis et angelorum, qui sunt divinæ Trinitatis *imagines*. Et sic manuducitur ad contemplandum supremum ac commune corporum et spirituum creatorum Exemplar.

17. — II. **Exemplarismus syntheticus**, a supremo Exemplari ad exemplata *descendit per sapientiam, sive naturalem, sive supernaturalem*, quæ Spiritus sancti donum est. Sapientia enim est habitus perficiens rationem superiorem, et Deum tanquam objectum habens. Considerat supremam Causam, omnesque illius effectus secundum illam judicat atque ordinat. Itaque sapientia est una et scientiarum multitudinem ad unitatem supremi judicii sui reducit. (1. 2. q. 57, art. 2. corp., et 2. 2. q. 45, art. 1, corp.).

Inde liquet syntheticum Exemplarismum esse ipsam sapientiam, vel potius sapientiæ apicem, cum omnia exemplata judicet atque ordinet secundum supremam Causam exemplarem, quæ est prima ratio perfectionis omnium divini Artificis opificiorum, in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ.

Sapientia naturalis Deum unum considerat tanquam supremam ac perfectissimam Causam efficientem, exemplarem et finalem totius naturæ, omnesque creatos effectus juxta illam judicat et ordinat.

Donum sapientiæ Deum unum Essentiâ et trinum personis, cum charitatis affectu considerat, seu sapit, tanquam supremam ac perfectissimam Causam efficientem, exemplarem et finalem naturæ, gratiæ et gloriæ; atque omnes creaturas, et maxime ipsum sapientem, juxta illam sapit et ordinat.

Theologia dogmatica, juxta S. Thomam 1. q. 1, art. 6, est supernaturalis quidem sapientia inquantum principia sua haurit ex fide, sed valde *differt a dono sapientiæ*, quod non fidem tantum supponit, sed charitatem. Propria theologiæ dogmaticæ methodus est synthesis.

18. — III. **Exemplarismus intuitivus, seu contemplativus**, tanquam præcipuum objectum habet divinum Exemplar, quod simpliciter intuetur per intelligentiam, absque actuali rationis discursu analytico vel synthetico. Dico *sine actuali discursu*, quia nullatenus excludit *prævium discursum*, sed hunc supponit et sequitur. Angelis enim naturale est res perfecte cognoscere per solum intuitum simplicem. At homo viator non acquirit perfectam rerum cognitionem, nisi mediante rationis discursu analytico et synthetico, seu mente dividendo et componendo. (1. q. 85, art. 5).

Hic autem discursus tanquam *terminum a quo* habet intuitum directum, initialem ac imperfectum, et tanquam *terminum ad quem* habet intuitum reflexum, finalem ac perfectum. In utroque intuitu, *objectum contemplationis* sunt res quas contemplamur, sed *medium contemplationis* in hac vita sunt species intelligibiles, quas prius intuemur sine rationis discursu, seu reflexione, et deinde intuemur post reflexionem.

Contemplatio fit per habitum intellectus, sive naturalis, sive supernaturalis, qui Spiritus sancti donum est. Intellectus enim est habitus primorum principiorum, quo supremum præsertim Principium contemplamur. (1. 2. q. 57, art. 2, corp., et 2. 2. q. 8, art. 6, corp.). — *Contemplatio naturalis* intuetur Deum unum. *Donum intellectus* contemplatur Deum unum in se et trinum personis. *Contemplatio supernaturalis perficietur in visione beatifica*, qua divinum Exemplar directe intuebimur, sine intermedio alicujus speciei intelligibilis, et in hac contemplatione essentialiter consistit vita æterna, inquantum Beati Deum unitrinum videndo immediate per suum intellectum, Deum necessario possident illoque fruuntur per suam voluntatem.

§ III.

De Exemplarismi divisione, ratione finis.

Ratione finis, Exemplarismus est scientificus, artisticus et moralis, secundum quod hominis *speculationem*, vel *factionem*, vel *actionem privatam aut socialem* perficere intendit, sive *naturaliter*, sive *supernaturaliter*.

19. — I. **Exemplarismus scientificus** ostendit, tam magistris quam discipulis, *supremam divinæ Formæ veritatem*, ut unicum Exemplar omnium veritatum, quæ omnem creatum intellectum informant seu perficiunt naturaliter aut supernaturaliter, cum omnia vera sint ipsa Veritate, sicut dicit S. Augustinus.

Res enim omnes veræ sunt, inquantum suo modo, per formam suam substantialem et formas accidentales, conformantur supremo Exemplari, sive ideis divini Artificis; *et intellectus creatus veram rerum cognitionem habet*, inquantum rebus et ipsarum ideis, seu divino Intellectui conformatur per species intelligibiles, quæ sunt similitudines, tam rerum exemplatarum, quam divinorum exemplarium.

20. — II. **Exemplarismus artisticus,** in cujus genere continetur *Exemplarismus litterarius*, ostendit omnibus architectis, sculptoribus, pictoribus, musicis, oratoribus atque poetis *supremam divinæ Formæ pulchritudinem*, ut primum, licet non unicum, omnis pulchritudinis Exemplar, juxta quod omnia Dei et hominum opificia pulchre informantur, sive naturaliter, sive supernaturaliter; nam teste eodem S. Augustino, omnia pulchra sunt ipsa Pulchritudine, nempe participatione seu imitatione Pulchri per se.

21. — III. **Exemplarismus moralis** omnibus hominibus, *privatim consideratis, ostendit supremam divinæ Formæ bonitatem*, ut primum Exemplar omnis virtutis, naturalis aut supernaturalis, voluntatem eorum informantis, illosque simpliciter bonos facientis ad imitationem Dei unitrini et Christi, qui est perfectissima Dei Imago invisibilis ac visibilis.

Et si socialis hominum perfectio intendatur, Exemplarismus *cunctis Superioribus*, nempe patribusfamilias, principibus, regibus, pontificibus ostendit *supremum Monarcham, unum et trinum*, a quo derivatur omnis potestas naturalis aut supernaturalis, omnis lex, omne bonum sociale; ad cujus exemplar omnes civiles atque ecclesiastici Superiores ita gubernare debent subditos suos, ut commune bonum familiæ Civitatis et Ecclesiæ procurent.

Omnibus quoque inferioribus ostendit Exemplarismus *Patrem patrum, Regem regum, Pastorem pastorum*, ut in omnibus Superioribus suis, primum omnium ac divinum Superiorem ejusque auctoritatem revereantur. — Et tanquam perfectissimum hujus reverentiæ Exemplar iis proponit *Christum hominem*, non solum Deo Patri obedientem usque ad mortem crucis, sed etiam ipsis creaturis, scilicet Mariæ et Josepho subditum per majorem vitæ suæ partem; imo injustis principibus ac judicibus, quin et tortoribus humillime sese subjicientem.

22. — IV. **Jam vero Exemplarismum docemus in tota sua extensione,** ut omnes homines in Ecclesia militante perficiamus, tam privatim quam sociatim, tam naturaliter quam supernaturaliter, ad assimilationem divini Archetypi ac Monarchæ unitrini; atque ut omnes homines ordinemus ad æternam Ecclesiæ triumphantis beatitudinem.

Omnibus ergo dicimus: *Inspice et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Et tanquam mercedem perfectæ ac supernaturalis speculationis, factionis et actionis privatæ et socialis, omnibus ostendimus consummatam assimilationem ad Deum unitrinum, per immediatam supremi hujus Exemplaris visionem in gloria cœlesti.

Hac enim beatifica visione ipsa Forma divina directe intellectum nostrum informabit, et gloriose in Deum transformabit, non substantialiter quidem, sed accidentaliter, *quoniam cum apparuerit, similes Ei erimus, quoniam videbimus Eum sicuti Est.* (1. Joan. 3, v. 2). — Beatifica autem Dei *visio* in nostro intellectu, necessario in voluntate nostra causabit beatificam Dei *comprehensionem*, seu possessionem, et beatificam Dei *fruitionem*, quibus consummabuntur supernaturalis perfectio nostra et felicitas.

ARTICULUS III.

DE DIVINI EXEMPLARISMI EXCELLENTIA.

Quis non cerneret præstantiam doctrinæ universalis omnes homines in tota ipsorum operatione perficere intendentis? Tripliciter enim ac complete bona est sub ratione *boni honesti, utilis* et *delectabilis*, quia est omnium doctrinarum *nobilissima, utilissima*, ac *jucundissima.*

§ I.

Exemplarismus est doctrina nobilissima.

Etenim Exemplarismus, sive *philosophicus*, sive *dogmaticus*, sive *mysticus, est ipsius divinæ Sapientiæ participatio et imitatio.* Omnia enim considerat secundum ipsas divinæ Sapientiæ ideas; cunctos effectus creatos et primario ipsum sapientem judicat et ordinat secundum primam Causam exemplarem; omnia ad supremam Dei Rationem reducit.

23. — I. **Exemplarismus philosophicus** 1°) OMNEM VETERUM SAPIENTIAM IN SE COMPLECTITUR, conjungendo omnia principia ordinis doctrinarum, quas professi sunt præcipui antiquitatis sapientes, nimirum *Pythagorici, Platonici* et *Peripatetici.* De *Stoicis* non loquimur, quia illorum doctrina non contemplatur speculativa sapientiæ principia, sed est mere pra-

ctica. Posteriores autem philosophi principia sapientiæ suæ a prioribus acceperunt.

Probatur propositio. Omnes fatentur, sapientis esse cunctas res ordinare ad prima ipsarum principia, et maxime *ad supremam Causam, quæ Deus est.* Itaque *Pythagoras* omnium rerum multiplicitatem ordinavit ad divinæ Monadis unitatem; *Plato* ad primam et extrinsecam Causam efficientem, exemplarem ac finalem; *Aristoteles* consideravit præsertim intrinsecas rerum causas, scilicet causam materialem et causam formalem, quas ad Deum ordinavit tanquam ad primum universalemque rerum Motorem; nullus vero philosophorum paganorum cognovit notionem creationis. — Atqui, doctrina divini Exemplarismi hanc notionem cum plena certitudine profitetur, et Deum contemplatur simul ut supremam simplicissimamque Unitatem, ut primam Causam efficientem, exemplarem et finalem, atque ut supremum Motorem. — Ergo totam sapientiam antiquam continet et complet.

2°) Ergo Exemplarismus philosophicus est per excellentiam sapientia naturalis, de qua dicit S. Thomas in 2. 2. q. 45, art. 1, corp.: « Secundum philosophum in principio Metaphys., ad sapientiam pertinet *considerare Causam altissimam*, per quam certissime de aliis judicatur, et secundum quam omnia ordinare oportet. »

Ibid., art. 2, corp.: « Sicut supra dictum est, sapientia importat quamdam *rectitudinem judicii secundum rationes divinas.* »

In 1. 2. q. 57, art. 2, corp.: « Circa hujusmodi est sapientia, quæ *considerat altissimas causas*, ut dicitur in primo Metaphys. — Unde convenienter judicat et ordinat de omnibus, quia judicium perfectum et universale haberi non potest, nisi per resolutionem ad primas causas. Ad id vero quod est ultimum in hoc vel illo genere cognoscibilium, perficit intellectum scientia, et ideo secundum diversa genera scibilium sunt diversi habitus scientiarum, cum tamen sapientia non sit nisi una. »

24. — II. **Exemplarismo dogmatico** præsertim applicanda sunt magna, quæ de sacra doctrina in genere dicit S. Thomas 1. q. 1, art. 6, corp.: « Hæc doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare et judicare; judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis..... *Ille igitur qui considerat simpliciter altissimam Causam totius universi, quæ Deus est, maxime sapiens dicitur.* Unde et sapientia dicitur divinorum cognitio, ut patet per August., 12 de Trinit. — Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo, *secundum quod est altissima Causa*, quia non solum quantum ad illud, quod est per creaturas cognoscibile (quod Philosophi cognoverunt) ut dicitur Rom. 1, v. 19: *Quod notum est Dei, manifestum est illis*, sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de seipso, et aliis per revelationem communicatam. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia. »

Ibid., ad 1^{m}: « Sacra doctrina non supponit sua principia ab aliqua scientia humana, sed *a Scientia divina*, a qua, sicut a summa Sapientia, omnis nostra cognitio ordinatur. »

Ibid., ad 2^{m}: « Propria hujus scientiæ cognitio est, quæ est per revelationem, non autem quæ est per naturalem rationem. Et ideo *non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum judicare de eis.* Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. Unde dicitur 2. Cor. 10: *Consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus Scientiam Dei.* »

Ibid., art. 7, corp.: « Omnia pertractantur in sacra doctrina *sub ratione Dei*, vel quia sunt *ipse Deus*, vel quia habent *ordinem ad Deum, ut ad Principium et finem.* Unde sequitur quod Deus vere sit subjectum hujus scientiae... De omnibus enim istis tractatur in ista scientia, sed secundum ordinem ad Deum. » — In 1. q. 44, art. 3, addit doctor angelicus omnes res creatas ad Deum ordinari non tantum sicut ad primam Causam *efficientem* et *finalem*, sed etiam sicut ad primam Causam *exemplarem.*

25. — III. **Exemplarismus asceticus** adhuc multo nobilior est Exemplarismo dogmatico. Hic enim supernaturalis est inquantum principia sua ex divina revelatione haurit per fidem, sed non est supernaturalis quoad modum, quo acquiritur, quod est studium naturale; *ille autem accipitur supernaturaliter*, cum gratiam sanctificantem ac charitatem supponat, et *sit infusum sapientiæ donum*, quo omnia juxta Deum judicamus ex inclinatione supernaturali, non tantum *speculative*, sed etiam *practice.* Hoc autem donum sapientiæ potest esse vel *gratia gratum faciens*, et omnibus justis data in ordine ad propriam salutem, *vel gratia gratis data* aliquibus tantum justis, in ordine ad aliorum sanctificationem. Haec omnia probabimus ex S. Thoma.

1°) Donum sapientiæ differt a sapientia studio acquisita.

Dicit doctor angelicus Dicit in 1. q. 1, art. 6, ad 3^{m}: « Cum judicium ad sapientem pertineat, secundum duplicem modum judicandi, dupliciter sapientia accipitur. Contingit enim aliquem

judicare uno modo *per modum inclinationis*, sicut qui habet habitum virtutis, recte judicat de his, quæ sunt secundum virtutem agenda, inquantum ad illa inclinatur. Unde et in 10. Ethic. dicitur, quod virtuosus est mensura et regula actuum humanorum. — Alio modo *per modum cognitionis*, sicut aliquis instructus in scientia morali, posset judicare de actibus virtutis, etiamsi virtutem non haberet. »

« Primus igitur modus judicandi de rebus divinis *pertinet ad sapientiam, quæ ponitur donum Spiritus sancti*, secundum illud 1. Cor. 2: *Spiritualis homo judicat omnia*, et Dionysius dicit 2. cap. de Divin. nom.: *Hierotheus doctus est non solum discens, sed et patiens divina.* — Secundus autem modus judicandi *pertinet ad hanc doctrinam, secundum quod per studium habetur*, licet ejus principia ex revelatione habeantur. »

Idem docet S. Thomas in 2. 2. q. 45, art. 2, corp.: « Sicut supra dictum est, sapientia importat quamdam rectitudinem judicii secundum rationes divinas. Rectitudo autem judicii potest contingere dupliciter: uno modo *secundum perfectum usum rationis;* alio modo propter *connaturalitatem quamdam* ad ea, de quibus jam est judicandum. Sicut de his, quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte judicat ille qui didicit scientiam moralem; sed per quamdam connaturalitatem ad ipsam, recte judicat de eis ille, qui habet habitum castitatis. — Sic ergo circa res divinas, ex rationis inquisitione rectum judicium habere *pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis;* sed rectum judicium habere de eis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsas, *pertinet ad sapientiam, secundum quod est donum Spiritus sancti.* Sicut Dionysius dicit in 2. Cap. de Div. nomin., quod Hierotheus est perfectus in divinis, non solum discens, sed est patiens divina. Hujusmodi autem compassio, sive connaturalitas ad res divinas fit per charitatem, quæ quidem unit nos Deo secundum illud 1. Cor. 6: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Sic ergo sapientia, quæ est donum, causam quidem habet in voluntate, scilicet charitatem, sed essentiam habet in intellectu, cujus actus est recte judicare. »

Jam vero liquet sapientiam *mysticam et infusam* per donum Spiritus sancti esse multo digniorem, quam *acquisitam.* « Multo nobilior est illa doctrina, quæ ex divina influentia manat, quam quæ laboriose humano acquiritur ingenio. » (De Imit. Christi, lib. 3, cap. 31).

2°) Donum sapientiæ est simul speculativum et practicum. Legitur in 2. 2. q. 45, art. 3 corp.: « Sicut Augustinus dicit in lib. 12 de Trinit. (cap. 14) *superior pars rationis sapientiæ deputatur*, inferior autem scientiæ. Superior autem ratio, ut ipse in eodem libro dicit (cap. 7), intendit rationibus supernis, scilicet divinis, et conspiciendis et consulendis: *conspiciendis* quidem, secundum quod divina in seipsis contemplatur; *consulendis* autem, secundum quod per divina judicat de humanis actibus, per divinas regulas dirigens actus humanos. Sic ergo sapientia, secundum quod est donum, non solum est *speculativa*, sed etiam *practica.* »

Ibid., ad 1^{m}: « *Quanto aliqua virtus est altior, tanto ad plura se extendit*, ut habetur in libro de Causis. Unde, ex hoc ipso, quod sapientia, quæ est donum, est excellentior quam sapientia, quæ est virtus intellectualis, *utpote magis de propinquo Deum attingens*, per quamdam unionem animæ ad ipsum, habet quod non solum dirigat *in contemplatione*, sed etiam *in actione.* »

Ibid., ad 3^{m}: « Prius est considerare aliquid in seipso, quam secundum quod ad alterum comparatur. Unde *ad sapientiam prius pertinet contemplatio divinorum, quæ est visio Principii*, et posterius dirigere actus humanos secundum rationes divinas. Nec tamen in actibus humanis ex directione sapientiæ provenit amaritudo aut labor; sed potius amaritudo propter sapientiam vertitur in dulcedinem, et labor in requiem. »

Juxta hanc doctrinam, manifestum est nostri operis divisionem maxime *Exemplarismo ascetico* applicari. Justo enim præcipue dicimus: *Inspice et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* (Exod. 25, v. 40).

3°) Donum sapientiæ, quod est gratia gratum faciens, distinguitur a dono sapientiae, quod est gratia gratis data. S. Thomas dicit ibid., art. 5: « Sapientia, de qua loquimur, sicut dictum est, importat quamdam rectitudinem judicii circa divina et conspicienda et consulenda. Et quantum ad utrumque, ex unione ad divina, secundum diversos gradus, aliqui sapientiam sortiuntur. Quidam enim tantum sortiuntur de recto judicio, tam in contemplatione divinorum, quam etiam in ordinatione rerum humanarum, secundum divinas regulas, *quantum est necessarium ad salutem.* Et hoc nulli deest sine peccato mortali existenti per gratiam gratum facientem, quia si natura non deficit, multo minus gratia. Unde dicitur 1. Joan. 2: *Unctio docet vos de omnibus.* — Quidam autem altiori gradu percipiunt sapientiæ donum, et quantum ad contemplationem divinorum, inquantum scilicet altiora quaedam mysteria et cognoscunt et aliis manifestare possunt; et etiam quantum ad directionem humanorum secundum regulas divinas, *inquantum possunt secundum eas, non solum seipsos, sed etiam alios ordinare.* Et iste

gradus sapientiæ non est commune omnibus habentibus *gratiam gratum facientem*, sed magis pertinet ad *gratias gratis datas*, quas Spiritus Sanctus distribuit prout vult, secundum illud 1. Cor. 12: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ* etc. »

4°) Sapientiæ præsertim gratis datæ appli-candum est hoc magnificum S. Scripturæ elo-gium:

« Quæcunque sunt absconsa et improvisa didici: *Omnium enim Artifex docuit me sapientia:* est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, *unicus, multiplex*, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, *omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus*, intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: *attingit autem ubique propter suam munditiam.* Vapor est enim virtutis Dei, et *emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera;* et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Et *cum sit una, omnia potest*, et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, *amicos Dei et prophetas constituit.* Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum Sapientia inhabitat. *Est enim hæc splendidior sole*, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia. *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* » Sap. 7, v. 21-30 et Cap. 8, v. 1.)

§ II.

Exemplarismus est doctrina utilissima.

Doctrina divini Exemplarismi utilissima est in quantum totam liberam hominis operationem perficit.

26. — I. Perficit enim nostram speculationem, factionem et actionem reducendo omnem *scientiarum, artium et virtutum multiplicitatem* ad *sapientiæ unitatem;* nam reducit *omnes scientias* ad cognitionem supremæ et originalis Veritatis, juxta quam vera sunt quæcunque vera sunt; reducit *omnes artes* ad imitandam, in omni opificio sensibili, supremam Pulchritudinem, juxta quam pulchra sunt quæcunque pulchra sunt; reducit *omnes virtutes* ad imitandam in omni actione morali supremam Bonitatem, juxta quam honesta sunt quæcunque honesta sunt; atque sic verum et universalem hominis progressum procurat in mirabili harmonia, ad nostram salutem et Dei gloriam.

Hæc magna sapientiæ ac proin Exemplarismi utilitas describitur ac laudatur verbis sequentibus a Sapiente divinitus inspirato, Sap. 8, v. 2-9: « Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius: generositatem illius glorificat contubernium habens Dei; sed et omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur *(opera artis)*, quis horum quæ sunt, magis quam illa est artifex? Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent *virtutes:* sobrietatem enim, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem *(fortitudinem)*, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Et si multitudinem *scientiæ* desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat; scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum; signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, *sciens quoniam mecum communicabit de bonis*, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. »

27. — II. Sapientia nos perficit, quia ex ejus amore, movemur ad illam studio et virtute acquirendam, vel augendam, sicut Jacob quatuordecim annis laboravit ad possidendam *pulchram Rachel*, quam ardentissime diligebat; hanc enim sancti Patres considerant ut figuram vitæ contemplativæ, quia nomen ejus significat *Principium visum* (2. 2. q. 182, art. 1.). De ipsa sapientia dicitur in Eccli. 6, v. 19 et 20: « Quasi is qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius; in opere enim ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. »

Præcipuæ autem virtutes, quibus ad sapientiam disponimur sunt *humilitas, munditia cordis* et *oratio.*

1°) Humilitas prorsus requiritur ad sapientiam acquirendam et augendam, quod probatur

a) **ex ratione;** nam sapientia est amor et cognitio supremæ Veritatis, Pulchritudinis et Bonitatis, nempe Dei, ad quem, sicut ad primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem, refert quidquid veri, pulchri ac boni videt in rebus creatis, et sic divino Artifici procurat gloriam ab ipso intentam ipsique debitam ex omnibus ipsius opificiis. — Atqui, superbia sapientiæ prorsus opponitur, cum per eam verum, pulchrum et bonum quæ in nobis sunt, vel in nobis esse videntur, tribuamus non Deo

sed nobis, ac proinde non vere in Deo, sed vanissime in nobis gloriemur. — Ergo ad sapientiam acquirendam, omnino requiritur ut superbiam fugiamus et humilitatem colamus, quæ cum sapientia penitus concordat, nihil veri, pulchri et boni sibi vane tribuendo, sed totum esse suum omnemque scientiam et excellentiam suam sincere ac fideliter referendo Deo, a quo se cuncta, quæ est et habet accepisse profitetur.

b) **Ex S. Scriptura** quæ testatur Deum sapientiam humilibus præstare, et superbis denegare. Dicit ipsa Sapientia incarnata apud Luc. 10, v. 21: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. »

Apostolus sic loquitur ad Rom. 1. de superbis gentilium philosophis: « Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor illorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. » Itaque S. Paulus scribit ad Corinthios 1, cap. 3: « Nemo se seducat; si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. »

Legitur quoque in Psalm. 118, v. 130: « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. »

c) **S. Augustinus,** cujus opera sunt profundissimus sapientiæ christianæ thesaurus, scripsit ad Dioscorum: « Huic *(Christo)* te, mi Dioscore, ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas; secunda, humilitas; tertia, humilitas; et quoties interrogares, hoc dicerem. » (Epist. 118, Patrol. latin., T. 33, p. 442.).

2°) Munditia cordis non est minus necessaria ad sapientiam acquirendam. Probatur a) **ex ratione,** nam *primo ad supernaturalem sapientiam, quæ Spiritus sancti donum est, omnino requiritur munditia a peccato mortali,* seu status gratiæ. S. Thomas inquit in 2. 2. q. 45, art. 4: « Sapientia, quæ est donum Spiritus sancti, sicut dictum est, facit rectitudinem judicii circa res divinas, vel per regulas divinas de aliis, ex quadam connaturalitate, sive unione ad divina, quæ quidem est per charitatem. Et ideo sapientia, de qua loquimur, præsupponit charitatem. Charitas autem non potest esse cum peccato mortali. Unde relinquitur, quod sapientia, de qua loquimur, non potest esse cum peccato mortali. »

Deinde munditia a peccato veniali valde confert ad augendum in justis donum sapientiæ; nam licet per peccatum veniale homo non adhæreat creaturæ tanquam fini ultimo, inordinate tamen ei adhæret; hæc autem inordinata adhærentia impedit perfectam cum Deo unionem et perfectum judicium supernaturale, quod ex hac unione oritur, sicut supra dictum est.

In genere immunitas a peccato auget hominis sapientiam, quia omne peccatum supponit aliquem inordinatum affectum ad aliquam creaturam; ille autem pravus affectus voluntatis pervertit rationis judicium; quia de rebus recte vel non recte judicamus, secundum quod illas recte, vel non recte amamus; ergo quælibet voluntatis inordinatio debet aliquam inordinationem judicii parere in intellectu, illumque impedire quominus de omnibus recte judicet, omniaque ordinet juxta divinas rationes.

b) **Confirmatur ex auctoritate.**

Legitur in Sap. 1: « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. » Sapiens dicit de seipso Sap. 8, v. 19 et 20: « Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum; » et cap. 6, v. 20: « Incorruptio autem facit esse proximum Deo. » In Psalm. 118: « Intellectus bonus omnibus facientibus eum. » In Matth. 5: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

Tandem legitur in aureo libello *de Imitat. Christi,* lib. 2, cap. 4: « Si rectum cor tuum esset, tum omnis creatura speculum vitæ, et liber sanctæ doctrinæ esset. Non est creatura tam parva et vilis, quæ Dei Bonitatem non repræsentet. Si tu esses intus bonus et purus, tum omnia sine impedimento videres, et bene caperes. Cor purum penetrat cœlum et infernum. » Et lib. 1, cap. 3: « Quanto aliquis magis sibi unitus *(id est ad divinam unitatem redactus),* et interius simplificatus fuerit, tanto plura et altiora sine labore intelligit, quia desuper lumen intelligentiæ accipit. »

3°) Oratio demum requiritur ad acquirendam vel ad augendam in nobis sapientiam supernaturalem. Probatur a) **ex ratione.** Hæc enim sapientia est donum excellentissimum a Deo petendum; est judicium rectum de omnibus, divino judicio conforme, procedens ex unione cum Deo. — Atqui, unio cum Deo perficitur in oratione mentali, qua intellectu ac voluntate Deo conjungimur. — Ergo nobis orandum est ad sapientiam a Deo obtinendum.

b) **Confirmatur ex Scriptura,** in qua dicit S. Jacobus 1: « Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. » Itaque Salomon testatur se donum sapientiæ a Deo petiisse et obtinuisse, et omnia bona refert, quæ sibi ex hoc dono emanaverunt. Dicit enim in Sap. 8, v. 21 et cap. 9, v. 1-11: « Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens *(scilicet sapientiæ)*, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, *adii Dominum, et deprecatus sum illum*, et dixi ex totis præcordiis meis: Deus patrum meorum... da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam... Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia. »

Et in Sap. 7, v. 7-14: « Optavi, et datus est mihi sensus, *et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ*. Et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius... Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, et laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est; quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. »

§ III.

Exemplarismus est doctrina jucundissima.

Pergit enim inspiratus auctor de Sapientia loquens Sap. 8, v. 18: « *In amicitia illius delectatio bona.* » Et v. 16: « Intrans in domum meam, *conquiescam cum illa:* non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, *sed lætitiam et gaudium.* » Et cap. 6, v. 17: « *In viis ostendit se hilariter*, et in omni providentia occurrit illis. » Dicit quoque auctor Ecclesiastici 15, v. 6: « *Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum.* »

Atqui, hanc delectationem nobis procurat divini Exemplarismi doctrina, quæ est vera sapientia, cum omnia judicet secundum divinas rationes, ut supra probatum est. Magnam enim jucunditatem nobis causat Exemplarismus *speculativus* et *practicus*.

28. — I. **Quoad speculationem,** a) **homo valde delectatur in contemplatione divinæ Veritatis et Pulchritudinis,** ita ut Aristoteles et S. Thomas, in 1. 2. q. 3, art. 4-6, posuerint essentialiter nostram beatitudinem in divinorum speculatione.

b) **Præterea homo delectatur in consideratione mirabilium Dei opificiorum,** sicut testatur regius Propheta in Psalm. 91: « Delectasti me in factura tua, Domine; et in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc. »

c) **Homo cum sit naturaliter rationalis, naturaliter delectatur in cognitione rationum et causarum.** « Felix qui potuit rerum cognoscere causas! » canit Virgilius. Delectatur potissimum in speculatione primæ Causæ; alta saltem ingenia non quiescunt si secundas tantum causas invenerint; ultra enim inquirunt, et non sistunt nisi in contemplatione supremæ Causæ, quæ Deus est, sicut docet S. Thomas in 1. 2. q. 3, art. 1 et 8.

29. — II. **Quoad factionem,** christianus artifex delectatur percipiendo pulchrum in omnibus divini Artificis opificiis, et mente assurgendo ad contemplationem supremæ Pulchritudinis, quæ est omnium divinorum opificiorum Exemplar; delectatur concipiendo ipse cum amore pulchras ideas ad imitandam Dei pulchritudinem, et propria opificia juxta illas perficiendo; delectatur tandem et quiescit aliquantulum, contemplando quamdam in opificiis suis perfectionem, postquam illa compleverit.

Atqui, in his omnibus supremum Artificem imitatur et divini Exemplarismi doctrinam in praxim, factione sua deducit, sive conscius, si hanc doctrinam cognoscat, sive inscius, si illam ignoret. — Jam vero manifestum est, quod si doctrinam Exemplarismi cognoscat illamque conscius operationi suæ applicet, divinum Artificem unitrinum multo melius ac delectabilius imitabitur.

Ergo Exemplarismus artes maxime perficit, suavissimamque artificibus delectationem et quietem procurat in suorum opificiorum perfectione, ac multo magis in contemplatione pulchritudinis supremi Exemplaris, cujus aliquam speciem in sua mente per rationem et fidem efformare conati sunt.

30. — III. **Quoad actionem,** a) **liquet hominem sanctius adhuc delectari de perfecta actione, quam de perfecta factione ad imitationem Dei completa.** Factio enim est operatio terminata ad

exteriorem materiam ipsamque perficiens; actio autem sumpta in stricto sensu, est operatio terminata ad ipsum agentem, illumque perficiens. Atqui, patet actus hominem perficientes, illum magis delectare, quam actus exteriorem materiam perficientes. Itaque perfecti actus immanentes, quos ponit justus, dicuntur beatitudines et fructus Spiritus sancti, ita ut illis applicari possint hæc verba Psalmi 127: « De fructu manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit. »

b) **Si vero justus jam in hac vita beatus est, multo beatior erit in regno cœlorum,** quando ab omni labore suo requiescet, facie ad faciem contemplando divinum Exemplar, quod in terris imitatus est, et summa delectatione gustando æternæ vitæ fructum, qui nihil aliud est quam ipsius summi Boni fruitio. Nam dicit Doctor angelicus in 1. q. 73, art. 2, ad 3^{m}: « Sicut Deus in solo se requiescit, et se fruendo beatus est, ita et nos per solam Dei fruitionem beati efficimur. Et sic etiam facit nos a suis et nostris operibus in seipso requiescere. » Unde, quemadmodum dicitur in Sap. 6: « Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, ô reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. »

Plura *de divini Exemplarismi notione* diximus in minori opere, ad quod lectorem remittimus.

CAPUT II.

EXPLICATUR IN GENERE TRINUS ORDO UNIVERSALIS, QUEM DOCET DIVINUS EXEMPLARISMUS.

Divinus Exemplarismus est doctrina de trino ordine universali, scilicet de trino Ordine exemplari in Deo, et de trino rerum omnium ordine exemplato.

Multa in minori opere scripsimus de ordinis notione, divisione, trinitate, conditionibus, pulchritudine et conspectu generali. Sufficiet nunc pauca quædam dicere de ordinis *definitione*, *trinitate* et *divisione*.

ARTICULUS I.

DE ORDINIS DEFINITIONE.

Omnes probati auctores scribunt *cum ordine*, sed fere nullus ex professo scripsit *de ipso ordine;* et nemo formaliorem, altiorem, universaliorem fecundioremque ordinis notionem docuit quam S. Thomas. Nos autem ipsius doctrinam evolventes 1°) explicare conabimur veram ordinis definitionem; 2°) clarius excellentiam ejus ostendemus, illam comparando cum aliis ordinis definitionibus.

§ I.

De vera ordinis definitione juxta S. Thomam.

31. — Secundum doctorem angelicum, ordo est essentialiter *relatio ad aliquod principium.* Legitur enim in 1. q. 43, art. 3: « Ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. » Relatio autem ad principium supponit saltem duos terminos, et statuit mutuam inter illos habitudinem. Itaque ordo expressius definitur: *Relatio unius vel plurium ad alterum, tanquam ad principium, et e converso.* Ex singulorum hujus definitionis verborum explicatione resultabit vera, clara et completa ordinis notio.

I. Ordo dicitur *relatio,* ad declarandum genus, cujus ordo est quædam species, inquantum est relatio *ad principium,* sicut infra explicabitur. Plures enim sunt aliae relationis species praeter ordinem; nam multa inter se referuntur, quorum unum non est principium alterius, quia fundamentum relationis eorum non est origo unius ab altero, sed aliquid aliud. Talis est relatio inter amicos, vel conjuges, vel fratres.

Additur: *unius vel plurium,* quia relatio esse potest vel inter duos terminos, quorum *unus* refertur ad alterum tanquam ad principium, verbi gratia filius ad patrem; vel inter *plura,* quæ aliqua similitudine referuntur, sive ad idem principium, sive inter se, propter communem originem suam ab hoc principio; sic referuntur filii ad suum patrem et inter se, aut omnes creaturæ ad Creatorem et inter se. Tunc igitur ordo definiendus est: *Relatio plurium ad alterum, tanquam ad principium et inter se.*

Dicitur: *ad alterum,* et non *ad aliud,* seu *ad aliam rem extrinsecam,* quia relatio esse potest non tantum rei *ad aliam rem* individuam, verbi gratia hominis alicujus ad Deum, vel unius ordinis ad alium ordinem, sicut ordinis creati ad Ordinem increatum; sed etiam esse potest ad aliquod principium *in eadem* re existens, et constituens ordinem ejus intrinsecum. Jam vero relatio intrinseca ad principium ejusdem rei, non est ordo *ad aliud,* sed *ad alterum* in eadem re, præcipue si hoc principium sit tantum mutua et opposita relatio, sicut in Ordine divinarum personarum, quæ habent eamdem substantiam individuam, et ab invicem non distinguun-

tur nisi oppositione mutuarum relationum; unde una divina persona non est *aliud* ab alia persona quoad substantiam, sed *altera* propter oppositionem relationum in eadem substantia.

Dicitur: *tanquam ad principium*, quia his verbis determinatur differentia, qua ordo distinguitur ab aliis speciebus relationis. Sed quid est principium? Respondet S. Thomas: « Hoc nomen *principium* nihil aliud significat quam id a quo aliquid procedit. Omne enim a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium, et e converso. » (1. q. 33, art. 1). Principium autem, cum sit relatio universalissima, invenitur vario modo in variis rerum ordinibus, tam in eadem re quam ad aliud, sive agatur de Ordine increato divinarum personarum, sive de diversis creaturarum ordinibus.

32. — II. Non diximus: *tanquam ad causam*, quia nulla est causalitas in Ordine increato divinarum personarum infinita perfectione sua aequalium. Differentia inter *principium* et *causam* sic statuit doctor angelicus: « Principium communius est quam causa, sicut causa communius est quam elementum... Hoc nomen causæ videtur importare diversitatem substantiæ et dependentiæ alicujus ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim causæ generibus, semper invenitur distantia inter causam et id cujus est causa, secundum aliquam perfectionem aut virtutem. » (1. q. 33, art. 1, ad 1[m]). Causa enim est quædam species principii, inquantum dat esse substantiale vel accidentale alteri rei, quæ ab ea producitur, sive physice, si causa est *efficiens*, sive moraliter si causa est *exemplaris* aut *finalis*. Itaque omnes creaturæ ad trinam hanc causam extrinsecam, primam vel secundam, referuntur in toto suo ordine *ad* Deum unitrinum, aut inter se. *In* ipsis autem rebus distinguuntur causa *materialis* et causa *formalis* intrinseca, quarum unione intima res substantialiter constituuntur.

Nec diximus: *tanquam ad caput*, quia caput est principium includens prioritatem dignitatis, cum sit præcipua pars rei; nec tanquam ad *initium*, quia initium est principium includens prioritatem temporis, a quo aliquis ordo incepit, ante illa, quæ a principio procedunt. Istæ enim species principii reperiuntur quidem in ordine creaturarum inæquali, sed non in æquali æternoque divinarum personarum Ordine, qui omnem dignitatis et temporis prioritatem excludit. Ad rem ait S. Thomas: « Licet hoc nomen *principium*, quantum ad id a quo nomen imponitur ad significandum, videatur a prioritate sumptum, non tamen significat prioritatem, sed originem. » (1. q. 33, art. 1, ad 3[m]). — Ordo igitur in Deo nihil aliud significat quam origo unius personæ ab altera, sine ulla prioritate; et vocatur *Ordo naturæ* « non quod ipsa natura ordinetur, sed quod ordo in divinis personis attenditur secundum naturalem originem. » (1. q. 42, art. 3, ad 3[m]). Ipsa enim natura divina non ordinatur realiter quoad substantiam, cum in ea non sit ulla realis distinctio substantialis, sed tamen in ea existit realis Ordo trium personarum, qui fundatur in distinctione resultante ex oppositione realium relationum, et qui realiter ab ipsa natura non distinguitur, quia realis distinctio non est inter personas et naturam, sed inter personas inter se. Unde natura divina realiter est una in se, et trina personis.

Nec diximus relationem ordinis esse *ad plura principia*, quia in omni ordini *in se considerato*, omnia referuntur ad unum aliquod principium, a quo procedunt medium et terminus. Sic in *Ordine increato*, Pater est unicum Principium totius Trinitatis, sine ullo principio intrinseco vel extrinseco; Filius autem est Principium sine principio extrinseco, sed habet Principium, divino Ordini intrinsecum, quod Pater est. — Unicum ac supremum totius *ordinis creati* Principium extrinsecum, seu potius unica et prima Causa, est Deus unitrinus. — Unicum principium intrinsecum et radicale *singularis* ordinis perfectionis, in qualibet re creata, est forma substantialis, qua res constituitur actualiter in aliqua natura, seu specie. — Unicum principium ordinis *specialis*, vel *generalis* proprie dicti, est communis species, seu natura, vel commune genus pluribus individuis. — Unicum principium intrinsecum ordinis *universalis* est esse, quod est supra omnem speciem ac omne genus, et in quo analogice conveniunt omnia entia. — Unicum principium intrinsecum et radicale ordinis *supernaturalis* est gratia, quæ consistit in unione creaturæ rationalis cum suo Creatore, et est semen gloriæ.

Si autem trini, varii et gradui creaturarum ordines considerentur in sua relatione ad invicem atque ad Deum, principia ordinum inferiorum subordinantur principiis, seu potius finibus ordinum superiorum, et omnes ordines subordinantur Deo unitrino, tanquam supremo Principio extrinseco, sicut jam dictum est. Ita mineralia, secundum naturalem perfectionis ordinem, subordinantur vegetalibus; vegetalia animalibus; animalia homini; homo angelis, quorum trina hierarchia subordinatur divinæ Trinitati.

33. — III. Tandem in definitione dicitur: *et e converso*, quia relatio inter principiatum et principium sic mutua est, ut semper sit necessaria et realis ex parte principiati relate ad principium, a quo accipit suum esse substan-

tiale, vel accidentale, vel relativum; unde nullum principiatum realiter esse potest, quin referatur ad proprium suum principium. Sed relatio non semper necessaria est, nec realis, ex parte principii relate ad omnia sua principiata, quia principium intelligens agit necessario in ordine physico, seu per modum naturæ, sed agit libere in ordine morali, seu per modum electionis et artis. Exempli gratia, Filius Dei necessarium ordinem habet ad suum Patrem, qui generat eum per modum naturæ; et omnes creaturæ necessario ordinantur ad divinam Trinitatem, licet hæc illas libere effecerit per modum artis; vicissim Deus Pater necessariam relationem habet ad Filium suum unigenitum; sed divina Trinitas nullam necessariam nec realem relationem habet ad suas creaturas, a quibus nihil realiter accipit, sed in quas tamen necessario exercet supremum suum dominium, quod abdicare non potest.

Ex tota explicatione nostra sequitur, ordinem generalissime sumptum, juxta S. Thomæ doctrinam, rectissime definiri: *Relatio unius vel plurium ad alterum tanquam ad principium, et e converso*, atque aliis verbis definiri posse: *Mutua principiati vel principiatorum relatio ad suum principium.* Hæc enim definitio omni ordini convenit, tam Ordini increato quam toti ordini creato, sive physico, sive intellectuali, sive morali, tam naturali quam supernaturali, tam particulari quam generali, sicut clarius in Articulo III præsentis Capitis apparebit.

§ II.

De aliis definitionibus ordinis.

34. — Sequentes definitiones sunt rectæ, sed particulares, ita ut non omni, sed alicui tantum ordini conveniant; præterea formalem ordinis rationem non exprimunt.

Quidam ordinem definiunt: *Pluralitatem in unitate.* Sed hæc definitio *conditiones* ordinis indicat potius quam ejus *rationem*, quæ consistit in relatione plurium ad unitatem alicujus principii intrinseci vel extrinseci, quod constituit plurium ordinem ad intra vel ad extra, quemadmodum supra diximus.

Alii ordinem definiunt: *Reductionem plurium ad unum.* At reductio est actio, quæ plura redire facit ad unum principium a quo orta sunt; vel aliis verbis, est plurium *ordinatio* peracta veluti circulariter ab aliquo principio ad idem principium. Itaque hæc definitio optime convenit ordini intellectuali, in quo mens nostra, ad alicujus rei cognitionem obtinendam, rationis discursum incipit ab intuitione directa primorum principiorum, illumque terminat in reflexa eorumdem principiorum intuitione; vel etiam convenit completo ordini perfectionis creaturarum spiritualium, quæ a Deo creantur atque ad Deum redeunt, et in consummata ac gloriosa unione cum Deo ultimum finem inveniunt. Sed talis ordinatio nullatenus applicari potest divinis personis, quæ a nemine ordinari incipiunt, nec successive ordinantur, sed constituunt Ordinem increatum, immutabilem et æternum.

Alii ordinem definiunt: *Convenientiam distinctorum*, vel *relationem convenientiæ unius vel plurium ad alterum.* Sed ordinatorum distinctio et convenientia supponunt processum a principio, qui est ratio distinctionis et convenientiæ ordinatorum. Etenim ordinata *distinguuntur* ab invicem, quia principiatum opponitur principio sicut passivum activo, et *ordinata conveniunt* inter se, quia principiatum aliquo modo simile est principio suo, nam omne agens, inquantum est agens, agit sibi simile. — Sic singulæ creaturæ ab invicem *distinguuntur* ratione relationum suarum oppositarum, quibus aliæ producunt et aliæ producuntur; *conveniunt* autem inter se quoad speciem, vel quoad genus, vel saltem quoad esse, secundum quod omnia entia conveniunt analogice inter se et cum Deo; quare? quia Deus est supremum Ens exemplare, quod omnia entia creata imitantur variis modis. Unde omnia entia inter se *conveniunt*, quia producuntur ab uno Principio, seu ab eodem Ente, quod omnia analogice imitantur; et ab invicem *distinguuntur*, quia idem Exemplar diversimode imitantur; en altissima ratio unitatis et ordinis in multiplicitate omnium entium.

Alii ordinem definiunt: *Aptam plurium dispositionem ad assecutionem finis.* Sed patet hanc definitionem nullatenus convenire Ordini increato divinarum personarum, at tantummodo ordini creato, et potius ordini morali quam ordini physico vel intellectuali.

S. Augustinus in lib. 19 de Civ. Dei, cap. 13, dicit: *Ordo est pariumdispariumque sua loca cuique tribuens dispositio.* Quis autem non videat hanc definitionem applicari non posse æquali trium personarum divinarum Ordini, sed tantum ordini creato et inæquali? Dispositio enim est aliquis ordo, quo partes compositi, seu totius, inæqualiter locantur ratione situs, vel dignitatis. Aristoteles enim ait in lib. 5 Metaph., cap. 24: « Dispositio est ordo habentis partes vel secundum locum, vel secundum potentiam, vel secundum speciem. »

Idem S. Augustinus scripsit in lib. 2 de Ordine, cap. 10: *Ordo est per quem aguntur omnia quæ Deus constituit.* His verbis egregie definit

solum ordinem divinæ Providentiæ, per quam omnes creaturæ certo modo a Deo constitutæ, seu quoad substantiam ac speciem dispositæ, in sua operatione gubernantur physice in ordine physico, et moraliter in ordine morali, ad totius mundi perfectionem, seu ad assimilationem ejus cum Deo unitrino, atque ad Dei gloriam.

Sanctus doctor ait ibid. cap. 2: *Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum; et quem, nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum.* Ibi tantummodo exprimitur ordo moralis, quem tenere, seu servare tenemur, ut perveniamus ad vitam æternam. Hic autem ordo consistit in voluntatis nostræ conformitate cum Voluntate, seu Lege divina.

ARTICULUS II.

DE ORDINIS TRINITATE.

In explicatione definitionis ordinis diximus, rem ordinari posse vel *in seipsa*, vel *ad aliam rem*. Atqui, omnis ordo *intrinsecus* ac completus cujuscumque rei singularis, vel pluribus rebus compositus, necessario est unus et trinus, quia in sua unitate continere debet principium, medium et terminum.

Quædam etiam trinitas invenitur in ordine rei *ad aliam rem* tanquam ad *causam*. Res enim quæ causatur, habet rationem *termini*, seu effectus. Sed inter causam et effectum existit aliquod *medium*, seu fundamentum relationis, quod consistit in aliqua similitudine dependente ab actione causæ, nam omne agens, inquantum est agens, agit sibi simile. Hæc autem actio potest esse generatio naturalis, vel effectio per artem divinam aut humanam. In *generatione*, proles parentibus assimilatur secundum naturam, seu speciem; in *effectione*, opificium artifici divino, vel humano assimilatur, secundum ideam in ejus mente conceptam.

Trinitas in ordine rei *ad aliam rem* ampliori explicatione, vel probatione non indiget; idcirco ulterius non demonstrabimus, nisi trinitatem in ordine *intrinseco* et completo.

§ I.

Probatur ex ratione.

35. — I. **Ex ipsa ordinis definitione.** Etenim cum omnis ordo sit *relatio unius ad alterum tanquam ad principium, et e converso;* vel, aliis verbis, *mutua relatio principiati ad principium*, sequitur quod ordinis perfectio consistere debet in perfectione, seu integritate hujus relationis. — Atqui, perfectio ista exigit ut inter principium, quod in eodem ordine non principiatur, sed principiat medium, et inter terminum, qui a principio et medio principiatur, sed in hoc ordine non principiat, existat aliquod medium commune et harmonicum, quod simul a principio principietur et terminum principiet; sic enim completur omnis relatio inter principium et principiatum, seu omnis relatio principialitatis. — Ergo in completo ordine omnis rei, vel plurium rerum inter se, necessario invenienda sunt principium, medium et terminus.

Eadem conclusio deducitur *ex notione principii*. Omnis ordo est relatio ad aliquod principium. Hoc autem nomen *principium*, ait doctor angelicus, in 1. q. 33, art. 1, nihil aliud significat quam id, a quo aliquod procedit. — Atqui, non datur processus in infinitum, neque in operatione naturæ, quæ necessario tendit ad aliquod objectum, vel ad aliquem locum; neque in operatione artis, cum omnis artifex aliquem finem intendat. — Ergo omnis processus habet aliquem terminum, ita ut processus sit medium inter principium et terminum. Ergo omnis ordo completus continet principium, medium ac terminum.

Hæc conclusio clarius adhuc patet ex *ordine cujusvis rei creatæ*, non quidem in ipsa rerum creatione, quæ facta est instantanee, sed in successiva evolutione perfectionis rei secundum tempus. Etenim res naturalis, vel artificialis, sine principio externo et interno, nunquam existeret; sine medio procedente a principio, non continuaretur; sine termino semper continuaretur, et nunquam finiretur, seu perficeretur.

II. **Probatur ex numeris,** qui sunt abstracta omnis ordinis principia, scilicet ex perfectione ternarii. Nam ut ordo rei sit perfectus, debet esse omnibus numeris absolutus. — Atqui, ternarius numerus est perfectissimus, quia complectitur omnia numerationis principia. Numerus enim, juxta Aristotelem, est multitudo mensurata per unum; unde unitas est principium omnis numerationis. Si autem primæ unitati addatur secunda unitas, producitur numerus binarius, qui est principium omnium numerorum parium. Et si addatur tertia unitas, producitur numerus ternarius, qui est principium omnium numerorum imparium, et in quo completur prima summa, in sua unitate collectiva continens omnia numerationis principia inter se æqualia, atque distincta per oppositionem suarum relationum, inquantum sunt in sua successione paria et imparia. — Ergo ad numericam perfectionem ordinis rei, necessaria est

trina summa, quæ in sua unitate contineat principium, medium et terminum.

III. **Probatur ex necessitate perfectæ proportionis, seu harmoniæ.** Ad perfectionem ordinis intrinseci omnis rei, requiritur perfecta proportio, seu harmonia inter ea, quæ in hac re ordinantur. — Atqui, juxta Boetium, harmonia consistit in aliqua oppositorum convenientia, seu consonantia; ac proinde exigit duos terminos extreme oppositos, qui aliqua similitudine conveniunt in medio communi. — Ergo harmonia exigit aliquod medium commune inter principium et terminum rei, quæ sibi extreme opponuntur, ita ut fiat hæc perfecta proportio inter tria, quorum medium bis enuntiatur, scilicet: Principium convenit medio, sicut medium convenit termino. Ergo ad perfectionem ordinis omnis rei requiruntur principium, medium et terminus.

§ II.

Probatur ex auctoritate.

36. — Conclusio tam evidens ex rationibus hucusque allatis, confirmatur consensu præclarissimorum sapientium, tam paganorum quam christianorum, unanimiter docentium, integram perfectionem, seu totalitatem ordinis omnis rei singularis, sicut omnium rerum collective in mundo sumptarum, exigere principium, medium et terminum.

Dicit Aristoteles: « Quemadmodum aiunt et Pythagoraci, *omne* (τὸ πᾶν, id est totum singulare), et omnia (τὰ πάντα, id est totum universale) tribus determinantur; finis enim, et medium, et principium illum habent numerum qui totius est, nempe numerum trinitatis. Hæc enim, sicut dictum est, sequimur propter quod natura ipsa sic inducit. » (Lib. 1 de Cœlo, cap. 1). — Et alibi: « Totum est habens principium, et medium, et terminum... Jam vero oportet pulchrum, et animal, et omnem rem, quæ ex quibusdam componitur, hæc ordinata in se habere. » (De Poetica, cap. 7).

Hanc doctrinam non solum a Pythagora, sed etiam a Platone acceperat Aristoteles, nam tota Platonis philosophia est trifariam divisa in Physicam, Logicam et Ethicam, sicut animadvertit S. Augustinus (Lib. 8 de Civ. Dei, cap. 4, et lib. 11, cap. 25). Præterea ulteriores partes doctrinæ platonicæ trilogiam quamdam constituunt, in qua duo termini extremi conveniunt in medio communi et harmonico, sicut in præsenti Tomo I, n.° 497 ostendemus.

S. Augustinus, qui Platonis philosophiam tanti faciebat, ipse scripsit: « Ut totum aliquod sit, principio, et medio, et fine constat.... In ternario numero quamdam perfectionem vides, quia totus est; habet enim principium, medium et finem. » (Lib. 1 de Musica, cap. 12).

S. Thomas similiter ait: « Cujuslibet rei perfectio attenditur secundum principium, medium et finem. » (1. 2. q. 70, art. 2 ad 2^{m}). — « Commendatur perfectio ternarii, qui est numerus omnis rei, utpote habens principium, medium et finem. » (3. q. 53, art. 2). — « Distantia natura non conjungit sine medio; et ideo in creaturis invenitur principium, medium et finis, secundum quæ tria ponebat Pythagoras perfectionem cujuslibet creaturæ. » (1 Dist. 3, q. 2, art. 2).

S. Bonaventura, doctor seraphicus, doctori angelico concordat dicendo: « Ubi est perfectus ordo, ibi est ratio principii, medii et finis. » (Serm. 11 in Hexæm.).

ARTICULUS III.

DE ORDINIS DIVISIONE.

37. — Hæc divisio sponte nascitur ex ipsa ordinis definitione. Etenim cum ordo sit *relatio ad aliquod principium*, sequitur tot distingui ordines, quot distinguuntur principia generalia, ad quæ plura vel omnia entia referuntur. Itaque concludit doctor angelicus: « Ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. Unde sicut dicitur *principium* multipliciter, scilicet secundum situm, ut punctus; secundum intellectum, ut principium demonstrationis; et secundum causas singulas; ita etiam dicitur *ordo*. » (1. q. 42, art. 3).

Cæterum patet omne principium exercere præcipuum influxum in ea, quæ ab eo procedunt, quia ea, quæ ab aliquo principio oriuntur, ab eo dependent eique similia sunt, ita ut nomen suum ab eo accipiant. Tantus est iste principii influxus, ut Aristoteles dicere non dubitaverit, principium esse plus quam dimidium rei.

Ordo igitur secundum varia principia sua generalia dividitur: 1°) in ordinem increatum et creatum; 2°) in ordinem physicum, intellectualem et moralem; 3°) in ordinem naturalem et supernaturalem; 4°) in ordinem realem et idealem; 5°) in ordinem singularem et communem; 6°) in ordinem in eadem re et ad aliam rem; 7°) in ordinem æqualem et inæqualem; 8°) in ordinem æternum et temporalem.

Omnes istæ divisiones breviter explicandæ sunt.

§ I.

De Ordine increato et exemplari, atque de ordine creato et exemplato.

38. — Haec divisio sumitur secundum quod principium ordinis *intrinsecum* non habet aliud principium *extrinsecum*, sed existit et operatur a seipso; vel secundum quod habet aliud Principium *extrinsecum*, scilicet Deum, a quo primarie ac totaliter causatur in physica linea essendi et operandi.

I. **In Ordine increato et exemplari** distinguitur triplex ordo; scilicet trinus ordo virtualis divinorum attributorum, trinus Ordo realis divinarum personarum, et trinus ordo virtualis divinæ causalitatis, quorum trium principium est a seipso.

Etenim principium trini ordinis divinorum *attributorum* est *Esse* spiritualiter a seipso, a quo necessarie procedunt *Intelligere* a seipso, et *Velle* a seipso, nam operari sequitur esse. Omnia autem divina attributa ad hæc tria reducuntur.

Principium trini Ordinis divinarum *personarum* est *Pater*, qui in hoc Ordine est Principium sine ullo principio extrinseco, et etiam intrinseco. A Patre generatur *Filius*. A Patre et Filio procedit Spiritus sanctus.

Principium trini Ordinis divinæ *causalitatis* est prima Causa *efficiens;* scilicet Ens divinum atque unitrinum, a seipso agens per Intellectum suum et liberam Voluntatem. Agit vero juxta seipsum, tanquam per primam Causam *exemplarem*, et propter seipsum, tanquam per primam Causam *finalem*. At quomodo Ens unitrinum seu tota Trinitas omnia causat ad extra? Omnia causat non secundum personarum relationes, quae pertinent ad divinam operationem ad intra, sed secundum personarum processiones, inquantum continent divinam Scientiam ac Voluntatem, quæ sunt Causa totius divinæ operationis ad extra. (1. q. 45, art. 6).

II. **De ordine creato et exemplato.** Ex præcedentibus sequitur omnem ordinem, qui non est increatus, nec supreme exemplaris, esse creatum, ac trine exemplatum a divina Trinitate creatrice, juxta divinam Trinitatem, et propter divinam Trinitatem.

Porro trinus ordo creatus, juxta divinum Ens unitrinum exemplatur non *specifice*, nec *generice;* sed tantum *analogice*, seu secundum *esse*, quod est extra omnem speciem et omne genus. Præterea res creatæ divinam Trinitatem analogice imitantur duobus modis generalibus, sicut docet S. Thomas (1. q. 45, art. 7) post S. Augustinum. Etenim cum omnis effectus aliquo modo repræsentare debeat causam suam, omnes creaturæ divinam Trinitatem creatricem necessario repræsentant *per modum vestigii*, inquantum varie repræsentant trinam Dei causalitatem, seu trinum Ordinem divinæ Causæ exemplaris, ita ut in eis inveniantur diversis modis principium, medium et terminus. — Sed præterea creaturæ spirituales, nimirum angeli et anima humana secundum mentem, gratuito Dei beneficio, Trinitatem ipsius imitantur *per modum imaginis*, inquantum naturam seu Formam divinam repræsentant per naturam suam, seu Formam spiritualem, et per intellectum ac voluntatem, quibus ipsum Deum aliaque ab eo cognoscere et diligere possunt.

§ II.

De ordine physico, intellectuali et morali.

39. — Trinus ille ordo suum nomen ex eo accipit, quod ipsius principia sunt, vel ipsa natura divina aut creata, vel ratio divina aut creata, vel libera voluntas divina aut creata. Proinde complectitur omnem Dei et creaturarum perfectionem in essendo et in operando, sed cum hac infinita differentia, quod hic ordo in Deo non causatur, sed omnia causat ad sui exemplar, dum in creaturis primario a Deo unitrino causatur, et juxta illum exemplatur. — Insuper ordo physicus, ordo intellectualis et ordo moralis ab invicem distinguuntur virtualiter tantum in Deo, sed realiter in creaturis.

In trino isto ordine, principium est ordo physicus, medium est ordo intellectualis, terminus est ordo moralis. Nam *ordo physicus* continet omnes rerum substantias, potentias operativas et primigenium, seu naturalem actum ipsarum; *ordo intellectualis* supponit totum ordinem physicum, atque ab eo gignitur, quia in ordine physico inveniuntur intellectus, et omnia objecta ex quibus procedit omnis cognitio; *ordo moralis* et liber voluntatis procedit simul ex ordine physico, in quo inveniuntur voluntas ejusque actus naturalis, per quem necessario intendit bonum universale, et ex ordine intellectuali, inquantum practica ac libera rationis judicia sunt principia liberarum voluntatis electionum.

Trina divisio, de qua nunc loquimur, fundatur in doctrina Platonis et S. Augustini, qui totam philosophiam in tres partes distinxerunt, secundum quod continet scientiam totius ordinis physici, intellectualis et moralis. Etenim S. Augustinus in lib. 8 de Civ. Dei, cap. 4, hanc divisionem Platoni attribuit; et in lib. 11, cap. 25, ipse illam approbat tanquam in rebus inventam,

communiter usitatam, ac consequenter non arbitrarie excogitatam. Sic loquitur: « Quantum intelligi datur, hinc philosophi sapientiæ disciplinam tripartitam esse voluerunt, imo vero tripartitam esse animadvertere potuerunt. Neque enim ipsi instituerunt ut ita essent, sed ita esse potius invenerunt, cujus una pars appellaretur *Physica*, altera *Logica*, tertia *Ethica*. Quarum nomina latina jam multorum litteris frequentata sunt, ut *naturalis, rationalis moralisque* vocarentur..... Non quod sit consequens, ut isti in his tribus aliquid secundum Deum de Trinitate cogitaverint. »

In ordine morali fundatur *ordo socialis*, quia nulla societas perfici potest, nisi per membrorum suorum moralitatem; scilicet nisi membra conformentur non solum justis societatis legibus, sed etiam legi Dei, qui est Rex regum et Dominus dominatium. Itaque principium *intrinsecum* ordinis socialis est legitima potestas a Deo derivata, per quam membrorum multitudo reducitur ad unitatem corporis moralis, cujus anima est observantia justarum legum a potestate latarum. — At principium *extrinsecum* et supremum omnis ordinis socialis est ipse Deus, a quo oritur omnis potestas hominis in alios homines ipsi naturaliter æquales, et cujus supremæ potestati ac legi naturaliter subsunt omnes homines, etiam patresfamilias atque principes, qua principes.

§ III.

De ordine naturali et supernaturali.

40. — Ordo physicus, ordo intellectualis et ordo moralis, ad quem refertur ordo socialis, si in creaturis considerentur, subdividuntur in ordinem naturalem et supernaturalem, secundum quod intrinsecum ejus principium est vel natura, vel gratia, quæ est semen gloriæ, ita ut omnis omnium rerum creatarum perfectio contineatur in ordine *naturæ, gratiæ* et *gloriæ*.

Ultima hæc trilogia ab omnibus theologis recipitur tanquam ipsis rebus innixa; nam natura creaturæ rationalis non est quidem principium, nec esse potest causa gratiæ, cujus perfectio superat omnes exigentias et vires omnis naturæ creatæ; sed natura est fundamentum accidentalis perfectionis gratiæ, quæ est medium, quo natura elevatur supra seipsam, et pervenit ad ultimam perfectionem gloriæ. Trinam perfectionem istam sic commemorat S. Thomas in 1. q. 73, art. 1, ad 1^{m}: « Ad beatitudinem (gloriam) duo requiruntur, natura et gratia. Ipsa beatitudinis perfectio erit in fine mundi. Sed ista consummatio præcessit causaliter, quantum ad naturam quidem in prima rerum institutione; quantum ad gratiam vero in Incarnatione Verbi, quia *gratia et veritas per Jesum Christum facta sunt*, ut dicitur Joan. 1, v. 17. Sic igitur in septima die fuit consummatio naturæ; in Incarnatione Verbi, consummatio gratiæ; in fine mundi erit consummatio gloriæ. »

In ordine supernaturali, creatura rationalis perficienda est in linea essendi et in linea operandi. Porro *in linea essendi*, perficitur supernaturaliter per gratiam habitualem seu sanctificantem; hæc gratia est physica forma supernaturalis et accidentalis, quæ physicam spiritus creati essentiam elevat ad esse supernaturale ac divinum, et est primum principium intrinsecum vitæ supernaturalis. *In linea operandi per gratiam*, potentiæ spiritus creati supernaturaliter disponuntur habitibus cum gratia habituali infusis, et moventur auxilio transeunte gratiæ actualis. *In linea operandi per gloriam*, potentiæ supernaturaliter disponuntur habitibus gloriosis, et continuo ac perfectissime operantur actibus horum gloriosorum habituum.

Ordo socialis ad perfectionem supernaturalem elevatur per gratiam in Ecclesia *militante* atque in Ecclesia *patiente*, et per gloriam in Ecclesia *triumphante*. Tres istæ Ecclesiæ, vel potius tres istæ partes ejusdem Ecclesiæ, per Sanctorum communionem conjunguntur, et constituunt unum corpus mysticum, quod post ultimum judicium constabit sola Ecclesia triumphante. — *Caput* hujus corporis est Jesus Christus consideratus ut homo Deo unitus sublimissimo modo in persona Verbi. Illa ineffabilis gratia *unionis hypostaticæ* est culmen ordinis supernaturalis, quia finis hujus ordinis est unio creaturæ cum Deo, et quia nulla creaturæ unio cum Deo excogitari potest supra unionem hypostaticam; nam præter unionem trium personarum in una numero natura divina, non existit unio magis intima quam unio physica naturæ humanæ cum natura divina in unitate personæ Verbi. — Jam vero primum *principium intrinsecum* ordinis in trina Ecclesia triumphante, patiente et militante, est suprema potestas hierarchica Christo homini concessa a divina Trinitate, quæ est *extrinsecum* ordinis Ecclesiæ Principium, et Princeps ipsius hominis Christi, qui est æqualis Patri secundum divinitatem, sed minor Patre secundum humanitatem.

Dona supernaturalia gratiæ et gloriæ *angelis* et *hominibus* communia sunt, in statu viæ et in termino, juxta modum naturæ ipsorum.

Ipsæ *creaturæ corporeæ* possunt, suo modo, ad supernaturalem gratiæ et gloriæ perfectionem passive elevari, propter supernaturalem hominis

utilitatem. Hæc elevatio jam fit in Ecclesiæ christianæ Sacramentis et sacramentalibus, et fiet in corporum innovatione ac transformatione per gloriam in fine mundi.

§ IV.

De ordine reali et ideali.

41. — Hæc divisio *in creaturis* sumitur secundum quod principium intrinsecum ordinis est forma *extra omnem intellectum producta cum aliqua re* subsistente, si est forma substantialis, vel *in aliqua re* si sit forma accidentalis, quæ rei jam substantialiter formatæ supervenit; aut secundum quod principium intrinsecum ordinis est forma *in aliquo intellectu*, sive divino, sive angelico, sive humano concepta, sine ulla realitate ex parte sua; nam formæ in rebus extra quemlibet intellectum productæ sunt principia intrinseca *realitatis* seu actualitatis rerum, et formæ conceptæ in aliquo intellectu sunt principia *cognitionis* vel *effectionis* rerum ipsis rebus extrinseca. Angeli enim et homo res *cognoscunt* per species seu formas intelligibiles, quæ in speculativo ipsorum intellectu res vere repræsentant, et omnis artifex opificia sua *efficit*, seu informat ac realisat, juxta ideas seu formas exemplares, quas in practico suo intellectu concepit. Homo præterea indiget speciebus seu *formis imaginariis*, quæ res non tantum existentes repræsentare possunt, sed etiam esse meræ fictiones, a phantasia in seipsa congestæ ex partibus vel qualitatibus rerum realium.

In Deo, nulla realis, sed virtualis tantum distinctio existit inter suam Formam seu Essentiam realissimam ac simplicissimam, et Intellectum ac Voluntatem, ita ut Deus, cum sit Actus purus in essendo et in operando, seipsum omnesque creaturas intelligat et velit per propriam Formam suam; itaque ordo realis et idealis, nonnisi virtualiter in Deo distinguuntur. Sed *in omnibus creaturis*, ordo idealis realiter ab ordine reali distinguitur, sicut realis potentia intellectiva a cæteris rebus, vel potius sicut entia rationis, in aliquo reali intellectu concepta, realiter distinguuntur ab entibus extra quemlibet intellectum productis.

Porro in rebus creatis, *ordo realis* complectitur tria formarum realium genera, nimirum *formas physicas*, causis physicis productas, ad quas refertur ordo physicus; *formas morales*, causis moralibus productas, ad quas refertur ordo moralis; et *formas artificiales*, arte creata productas, ad quas refertur ordo litterarum et artium.

In humano intellectu, *ordo idealis* continet tria genera formarum mente conceptarum, scilicet *intelligibiles species speculativas*, quæ sunt principia ordinis logici proprie dicti, et quibus speculativus noster intellectus res cognoscit theoretice in seipsis, sine relatione ad actionem moralem, nec ad effectionem artisticam; *intelligibiles species morales*, quæ sunt principia scientiæ ordinis moralis, et quibus practicus noster intellectus res cognoscit relative ad moralem actionem; et *ideas proprie dictas*, quæ sunt principia ordinis artistici, et quas omnis verus artifex in mente sua componit atque aspicit, ad rationabiliter ac pulchre dirigendam operationem suam ad extra, seu ad aliquam materiam informandam.

§ V.

De ordine singulari et communi.

42. — Si principium ordinis competat uni individuo, datur *ordo singularis seu individualis;* si principium competat pluribus, datur ordo *specialis* aut *generalis;* si principium competat omnibus absolute, datur *ordo universalis* proprie dictus.

Præterea trinus ille ordo esse potest *realis* vel *idealis*, secundum quod principium ejus est in rebus, vel in aliquo intellectu, sicut in præcedenti divisione dictum est. Principia autem pluribus vel omnibus communia, non existunt *realiter* nisi in individuis, quibus communia sunt.

In ordine singulari, principium dici potest vel secundum rei individuationem, vel secundum ordinem compositionis partium in individuo. — Jam vero *principium individuationis*, quo plura individua ejusdem speciei ab invicem distinguuntur, est materia signata quantitate, sicut docet S. Thomas; inde concludit, plura individua ejusdem speciei inveniri non posse, nisi in creaturis materialibus, seu corporeis, sed non in puris spiritibus, quales sunt angeli. — *Principium compositionis* existit vel in ordine physico, vel in ordine artis humanæ. Porro *in ordine physico*, principium intrinsecum compositionis partium corporis naturalis, est forma substantialis, quæ ad simplicitatis suæ unitatem reducit pluralitatem materialium corporis partium. *In ordine artis humanæ*, principium compositionis omnis opificii est forma artificialis, quam artifex in sua mente elaboravit, et juxta quam perficit, informat atque ordinat opificii sui materiam.

In ordine generali et *in ordine speciali* sumptis in stricto sensu, principia substantiarum

creatarum pluribus individuis communia, sunt genera, species et differentiæ. *Genera* autem sunt qualitates quædam essentiales, pluribus individuis communiores quam *species*, et restringuntur per *differentias*, usque ad ultimam differentiam, quæ proximum genus restringit, et determinat speciem individuorum; nam hæc differentia est quædam qualitas essentialis, exclusive propria individuis quibus communis est.

Ordo universalis proprie dictus, est relatio omnium rerum creatarum ad divinam Trinitatem, tanquam ad supremum Principium, vel potius ad primam earum Causam efficientem, exemplarem et finalem, atque inter se. Inde patet universalem ordinem esse unum et trinum, sicut prima Causa exemplaris, ad quam omnia referuntur. Complectitur enim omnes creaturas corporeas et spirituales, suis generibus, speciebus et differentiis mundum universum componentes, ac pulcherrime dispositas in ordine physico, intellectuali et morali, secundum trinum gradum perfectionis naturæ, gratiæ et gloriæ. — Unicum ordinis universalis fundamentum est *esse*, quod est extra omne genus et omnem speciem, et quo singulæ res creatæ, imo omnia entia analogica similitudine conveniunt cum supremo Ente divino, et inter se. — Ordo universalis complectitur non solum *omnia bona*, sed etiam *omnia mala*. Malum autem non est ens aliquod, sed defectus entis; unde subjectum ejus est ens, seu bonum aliquod, cui aliquid deest; nam malum est privatio, seu defectus alicujus qualitatis requisitæ ad perfectionem rei. Jam vero distinguitur triplex malum, videlicet *malum naturæ*, quod est privatio alicujus boni physici; *malum culpæ*, quod est abusus libertatis creatæ, consistens in defectu rectitudinis moralis in voluntate creata; *malum pœnæ*, quod reparat injuriam Deo illatam per malum culpæ, seu peccatum. Hæc omnia mala a Deo potentissimo, sapientissimo et optimo ordinantur ad suam gloriam, atque ad universalem opificii sui perfectionem; nam bonum oppositione mali, sicut lux oppositione umbræ, clarius resplendet.

§ VI.

De ordine ad extra atque ad intra.

43. — Hæc divisio attenditur secundum quod ordinis principium, vel causa, est extra aut intra rem, quæ ordinem habet. Porro solus *Ordo increatus* et exemplaris habet principium intrinsecum, sine ullo principio extrinseco, a quo causetur et dependeat. Sed omnis *ordo creatus* et exemplatus habet *extra se*, et *intra se*, varias causas.

Extra res, distinguuntur tres causæ, scilicet causa efficiens, exemplaris et finalis. *Causa efficiens* proprie dicta, est agens, quod effectum suum physice producit, sive per naturalem generationem, sive per operationem artis; jam vero effectus naturalis generationis dicitur proles; effectus operationis artis dicitur opificium. *Causa exemplaris*, seu causa formalis extrinseca, est forma quam artifex in mente sua vel extra mentem aspicit, et quam imitando dirigitur in sua operatione, cujus finis est hujus formae reproductio in aliqua materia. *Causa finalis*, seu finis, est aliquod bonum ab intellectu agentis cognitum, et voluntatem ejus moraliter movens ad agendum. — *Prima Causa* efficiens, exemplaris et finalis omnium rerum est Deus unitrinus, sub cujus influxu res creatæ agunt tanquam secundæ causæ efficientes, exemplares et finales.

Intra res distinguuntur primo causa materialis et causa formalis, quibus intrinsece constituuntur omnes res creatæ, sive naturales, sive artificiales. Etenim substantia *corporum naturalium* componitur materia prima, tanquam primo principio perfectibili, et forma substantiali, tanquam primo principio perficiente. Substantia *spirituum* constat sola forma substantiali, quæ in ipsis comparatur ad esse sicut physica potentia passiva ad actum. Omnia *artis humanæ opificia* componuntur materia secunda et forma artificiali.

Præter materiam et formam, alia distinguuntur principia in rerum ordine intrinseco, nimirum *fons* vel *radix*, ex quibus oritur aliquid ejusdem numero substantiæ; *prima pars* rei, cui succedunt aliæ partes, quin tamen ab ea oriantur, vel causentur; *initium*, a quo incipit aliquis ordo successivus per prius ac posterius.

§ VII.

De ordine æquali et inæquali.

44. — Hæc divisio sumitur secundum quod principium intrinsecum ordinis est perfectione æquale vel inæquale medio et termino. Omnia enim quæ inter se ordinem habent, necessario debent in aliquo inter se convenire, sive *qualitate*, sive *quantitate*. Porro convenientia in sola qualitate proprie dicitur *similitudo*, quæ triplex est: similitudo *specifica* quoad speciem, seu naturam; similitudo *generica* quoad genus; similitudo *analogica* quoad esse. Convenientia autem in quantitate dimensiva, vel virtuali, dicitur *æqualitas*. Jam vero Ordo increatus et exemplaris inter divinas personas, est omnino æqualis, sed ordo creatus et exemplatus om-

nium rerum est inæqualis, quia inæqualiter, seu variis gradibus perfectionis, imitatur æqualem divini Ordinis perfectionem.

In divina enim natura, seu in suprema Forma exemplari, ab æterno existit realis Ordo trium personarum, cujus Principium sine principio est Pater; Principium de Principio, seu medium, est Filius; terminus est Spiritus sanctus, qui a Patre Filioque procedit. Ineffabilis ille Ordo est absolute æqualis, quia ejus Principium, medium et terminus eamdem numero habent naturam perfectionemque divinam, qualitate et quantitate virtuali infinitam. Hic Ordo est tantummodo *ordo originis,* sine ulla prioritate dignitatis vel temporis, ita ut una persona sit *ab* altera, sed non *post* alteram. — In divino igitur Ordine nulla prorsus est *hierarchia,* quæ essentialiter supponit inæqualitatem dignitatis ac potestatis inter membra illius superiora, media et inferiora; sed adoranda Trinitas est supremus *Hierarcha,* seu suprema Majestas, quæ infinite supra et extra omnem hierarchiam elevatur, non quidem ratione loci, sed dignitatis.

Trinus ordo inæqualis omnium rerum creatarum est duplex, scilicet ordo *dignitatis,* seu descendens a supernaturali perfectione gloriæ et gratiæ ad perfectionem naturæ; et ordo *acquisitionis,* seu ascendens a perfectione naturæ ad perfectionem gratiæ et gloriæ. Jam vero ordo supernaturalis in creaturis intellectu præditis, videlicet in angelis et hominibus, proprie vocatur *hierarchia,* seu sacer principatus. Ordo perfectionis naturalis est fundamentum perfectionis hierarchicæ, inquantum tota perfectio supernaturalis est accidentalis, ac proinde supponit physicam rerum substantiam supernaturaliter elevandam; sed perfectio naturalis, non est, nec esse potest principium seu causa perfectionis supernaturalis, sicut ex ipsis verbis patet. — Creaturæ mere materiales non pertinent formaliter ad hierarchiam, sed tantum materialiter, inquantum passive perficiuntur supernaturaliter seu elevantur in ordine ad supernaturalem hominis utilitatem ac beatitudinem, sicut apparet in Sacramentis, in sacramentalibus, et in gloriosa corporis humani, cœli ac terræ transformatione post ultimum Judicium.

Medium harmonicum inter trinum Ordinem increatum atque æqualem, et trinum ordinem creatum atque inæqualem, seu hierarchicum, est Verbum incarnatum, quod ratione unionis hypostaticæ, culmen occupat totius ordinis supernaturalis. Christus, ut Deus, pertinet ad Ordinem increatum; sed simul, ut homo, pertinet ad ordinem creatum, et est Caput intrinsecum hierarchiæ cœlestis ac terrestris, seu Ecclesiæ triumphantis et militantis, imo et Ecclesiæ in purgatorio patientis, quæ medium tenet inter Ecclesiam triumphantem in cœlo, et Ecclesiam militantem in terra. Porro tres istæ Ecclesiæ, vel potius tres ejusdem Ecclesiæ partes, intime Sanctorum communione conjunctæ, efformant mysticum Jesu Christi corpus, in quo totus mundus naturalis elevatur ad supernaturalem gratiæ et gloriæ perfectionem, variis modis a Christo Capite in sua membra diffluentem. — Cum autem creatura rationalis tanto supernaturaliter elevetur, quanto dignitate sua appropinquat ad Jesum Christum, omnis hierarchiæ Caput, sequitur Sanctissimam Virginem Mariam, Matrem Christi, et virum ejus Josephum, qui est præterea nutritius Christi pater, supernaturaliter per gratiam et gloriam elevari super cæteros homines omnesque angelos. Quapropter, ratione propinquitatis suæ ad Verbum incarnatum, sibi solis propriæ, aliquo modo ad ordinem unionis hypostaticæ pertinent, in quo variis dignitatis perfectionisque gradibus, cum Christo homine constituunt *specialem quamdam hierarchiam,* superiorem cæterorum hominum omniumque angelorum hierarchiæ, et soli divinarum personarum Ordini inferiorem.

§ VIII.

De ordine æterno et temporali.

45. — Divisio præcedens spectat *perfectionem* rerum; præsens autem divisio spectat rerum *durationem,* quae pendet a perfectione substantiæ ipsarum. Ordo enim dicitur *æqualis,* si intrinsecum ejus principium non est perfectione prius medio nec termino; si autem principium est prius perfectione, ordo est inæqualis. Similiter ordo dicitur *æternus,* si intrinsecum ejus principium non est durationе prius medio nec termino, ita ut non existat in hoc ordine motus successivus per prius et posterius; si autem detur talis motus, ordo non est æternus, sed aut *temporalis,* aut *æviternus.* Dicit doctor angelicus in 1. q. 10, art. 5: « Ævum est medium inter æternitatem et tempus... *Tempus* habet prius et posterius; *ævum* autem non habet in se prius et posterius, sed eis conjungi potest; *æternitas* autem non habet prius neque posterius, neque ea compatitur ». Sed unde provenit motus iste successivus in ordine essendi vel operandi rerum? Oritur profecto ex earum mutabilitate et imperfectione, scilicet ex eo, quod non sunt semper eædem, seu in se æquales quoad substantiam et operationem. E contrario, exemptio a motu successivo, seu permanentia in eodem statu, provenit ex rerum immutabi-

litate, æqualitate intrinseca ac perfectione. Inde eruuntur sequentes conclusiones.

Solus Ordo increatus est de se æternus, quia divinæ tres personæ coæquales sunt in substantia immutabili atque a seipsa existente; unde coæternæ sunt in sua Essentia et operatione, quæ sequitur esse. Ergo sunt et operantur immutabiliter in æternitate, quæ a Boetio definitur: « Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. » Nulla igitur successio inveniri potest in Dei existentia, vel operatione.

Ordo creaturarum spiritualium est de se æviternus. Angeli et anima humana sunt immutabiles in sua substantia, quæ a materia eximitur, sed non sunt immutabiles in sua operatione, quia res successive et non simultanee intelligunt, nec volunt, sicut omnia simul intelligit et vult ipse Deus, cujus solius scientia ac dilectio immutabiles sunt atque æternæ. Quapropter ordo essendi et operandi creaturarum spiritualium non est de se æternus, sed solummodo æviternus, quia aliquam successionem habet in operando. — At in ordine gloriæ, angeli et homines communiter visione beatifica gaudent actu continuo, qui principium est actuum comprehensionis ac fruitionis, sine ulla successione, et his tribus actibus ipsius Dei æternitatem participant.

Ordo creaturarum materialium et terrestrium est de se temporalis. Hoc loco non loquimur de *corporibus cœlestibus*, quæ mensurantur ævo, si sunt substantialiter incorruptilia, sed successivum habent motum localem per prius et posterius. Agimus tantum de *corporibus terrestribus*, quæ substantialiter componuntur materia et forma communicabili per medium seminis in generatione animalium ac plantarum, et transmutabili in generatione aliorum substantiarum, quæ seminaliter non producuntur. Cum igitur substantia corporum terrestrium sit mutabilis, et oriatur per aliquem motum successivum, sequitur ordinem illorum in essendo, atque a fortiori in operando, esse *temporalem.* Tempus enim ab Aristotele definitur: « Numerus seu mensura motus, per prius et posterius. » Unde tempus incepit cum rebus mutabilibus, quarum successivam durationem et operationem primo mensuravit.

§ IX.

De mutua prædictarum ordinis divisionum oppositione, et trina harmonia.

46. — Docet Aristoteles clarissimam rerum notitiam ex ipsarum oppositione causari. Itaque postquam varias ordinis divisiones explicavimus, mutuam harum *oppositionem* ostendere juvabit, ut diversi ordines distinctius cognoscantur. Insuper *medium harmonicum*, quod intercedit inter istos ordines extreme contrarios, ostendemus, ut non dualitas sed trinitas in præcedentibus ordinis divisionibus luculenter appareat. Harmonia enim trinum quemdam ordinem semper requirit, cum ipsa sit contrariorum convenientia, seu consonantia, in aliquo medio communi.

I. Ordini *increato* extreme opponitur *ordo creatus*, ita ut infinita distantia inter utrumque intercedat. Sed Deus omnipotens, sapientissimus et optimus duos ordines istos infinite distantes conjunxit intime in Christo, qui est medium harmonicum inter utrumque; nam utriusque medium tenet, et utrumque in divina sua persona conjungit. Etenim Christus, ut Verbum Dei, medius est inter Patrem et Spiritum sanctum; ut homo autem, medius est inter creaturas mere spirituales et creaturas mere corporeas. Ordo igitur increatus et ordo creatus extreme oppositi, atque infinite distantes, harmonice conveniunt in *ordine unionis hypostaticæ*, qui medium tenet inter utrumque, cum sit increatus et creatus, exemplaris et exemplatus.

II. Ordini *physico naturali* extreme opponitur *ordo moralis.* Uterque ordo est realis, quia fundatur in aliqua forma in rebus creatis existente extra ordinem *idealem*, qui ordini *reali* opponitur; etenim ordo physicus fundatur in physica rerum forma, et ordo moralis fundatur in libera voluntatis electione, quæ est forma, seu actus realis, modificans seu specificans actum physicum, quo voluntas nostra intendit bonum universale. — Atqui, in physico ordine naturali, omnia fiunt per modum naturæ, scilicet ex *naturali necessitate* proveniente ex inclinatione, quam Deus intrinsece ipsis rebus imprimit virtute substantialis ipsarum formæ; e contrario, in ordine morali, omnia fiunt *libere*, juxta liberam bonorum particularium electionem, ad quam voluntas nostra proxime determinatur, non per causam physicam, sed per causam moralem, nimirum per practica rationis nostræ judicia. — Ergo ordo physicus naturalis opponitur ordini morali, sicut *realis ordo necessarius* opponitur *reali ordini libero.* Ergo ordo moralis non est medius inter ordinem idealem et ordinem physicum, quia nullum datur medium inter *ens rationis* et *ens reale;* sed in ipso ordine reali distinguuntur tria genera entium, quæ sunt vere realia in genere suo et suo modo, scilicet ens physicum, ens morale et ens artificiale, sicut diximus n.° 41.

Hucusque egimus de physico ordine *naturali*, seu proprie dicto, et non de physico or-

dine *supernaturali*, qui physicum ordinem naturalem supponit, quemque accidentaliter in essendo et in operando elevat realiter ad aliquem perfectionis modum. qui non est juxta naturam nec necessarius, sed supra naturam et liber ex parte nostra, cum perfectio supernaturalis exigat liberum voluntatis nostræ consensum. Itaque ordo supernaturalis dicitur *physicus metaphorice*, ad designandum aliquem modum accidentalem essendi et operandi primigenium seu radicalem in suo ordine, qui sicut physicus ordo naturalis, a solo Creatore causari potest; nam sicut forma substantialis est in omnibus creaturis primum principium intrinsecum ordinis naturalis, ita gratia sanctificans, quæ est realis forma accidentalis ac supernaturalis, est primum principium intrinsecum ordinis supernaturalis in creaturis rationalibus; ideo gratia sanctificans metaphorice dicitur *physica* forma supernaturalis.

Sed quodnam est *medium harmonicum* inter realem ordinem physicum naturalem, et realem ordinem moralem? Istud medium est *ordo intellectualis;* et quare? Quia primo tanquam a suo principio procedit ab ordine physico ac reali, in quo inveniuntur tum intellectus intelligens, tum prima objecta intellecta, tum primus intellectûs actus, seu directa necessariaque specierum intelligibilium intuitio, et ducit ad ordinem moralem, cujus ipse est causa moralis, nam liberæ electiones voluntatis moraliter determinantur a practicis intellectus judiciis. — Secundo, ordo intellectualis participat necessitatem ordinis physici, inquantum intellectus speculativus necessitate logica conclusiones ex primis rationis principiis eruit; et simul participat libertatem ordinis moralis, inquantum libera intellectus practici judicia circa bona particularia, determinant liberas voluntatis electiones, et inquantum exercitium seu applicatio intellectus pendet a liberæ voluntatis imperio.

In Deo, ordo *physicus* in hoc consistit quod Deus secundum modum naturæ seu Formæ suæ simplicissimæ atque infinitæ, necessario existit a seipso, et necessario seipsum infinite intelligit ac diligit. Ordo *intellectualis* in hoc consistit, quod Deus Formam suam necessario intelligendo tanquam infinite imitabilem, *speculative* ac necessario cognoscit omnes modos imitationis sui ipsius possibiles, et *practice* ac libere vult certos tantum imitationis modos, quæ sunt æternæ ideæ omnium opificiorum suorum ad extra. Ordo *moralis* consistit in libera rectissimaque Dei Voluntate et operatione ad extra, quæ nullam aliam legem habet quam propriam Rationem practicam; sed hæc divina Ratio est lex, seu norma moralitatis et perfectionis omnis voluntatis creatæ.

Ex dictis patet, ordinem *physicum, intellectualem* ac *moralem*, in Deo et in creaturis, ordinari sicut *naturam, rationem* et *liberam voluntatem*, at modo plane diverso in Deo quam in creaturis. Nam in Deo, trinus ille ordo fundatur in virtuali tantum distinctione, et est increatus, exemplaris, æternus; in creaturis autem fundatur in distinctione reali, et est creatus, exemplatus, de se temporalis ac participative tantum æternus. Natura est in rebus creatis fundamentum immobile et de se necessarium omnis ulterioris perfectionis, tam necessariæ quam liberæ; norma vero sive exemplar liberæ perfectionis est lex naturalis, quæ est Legis æternæ participatio in ratione humana; principium hujus perfectionis est libertas voluntatis, et terminus ejus est perfectio moralis, quæ consistit in liberæ voluntatis conformitate cum nostra ratione et divina Lege.

III. Ordini *naturali*, tam physico quam intellectuali et morali, opponitur ordo *supernaturalis*, tam physicus, quam intellectualis et moralis. Atqui, ordo supernaturalis complectitur gratiam, tanquam ipsius principium, et gloriam tanquam ejus terminum. Ergo gratia medium tenet inter naturam et gloriam.

Sed quomodo? Respondemus: Natura non est nec esse potest principium, seu causa gratiæ et gloriæ, quarum perfectio omnes naturæ exigentias viresque excedit. At, cum omnis perfectio supernaturalis, sit accidentalis, necessario supponit fundamentum, seu subjectum, cui inhæreat. Hoc autem fundamentum est natura, quam gratia elevat ad perfectionem supernaturalem, cujus ipsa est et intrinsecum principium, et simul medium necessarium perveniendi ad gloriam, quæ est terminus perfectionis supernaturalis.

Ergo totus ordo perfectionis rerum creatarum trinus est, inquantum complectitur naturam tanquam fundamentum, gratiam tanquam medium, et gloriam tanquam terminum.

IV. Ordini *reali* extreme opponitur ordo *idealis*. Quodnam autem medium harmonicum inveniri potest inter ens reale et ens rationis? Nullum sane. Sed sciendum est, omne ens rationis tenere medium harmonicum inter duo entia realia, scilicet inter intellectum cognoscentem et objectum cognoscendum in ordine intellectionis *speculativæ*, vel efficiendum in ordine intellectionis *practicæ*.

Perfectio enim utriusque ordinis intellectionis consistit in veritate, quæ est æquatio rei et intellectus, cum hac differentia, quod in ordine *cognitionis*, intellectus est perficiendus per suam

cum objecto cognoscendo conformitatem, mediante specie intelligibili, conformi objecto; dum e contrario, in ordine *effectionis*, objectum efficiendum, seu opificium, perficiendum est per suam conformitatem cum artificis idea, quæ medium tenet inter artificis intellectum et opificium.

Ergo *species intelligibiles*, quibus mediantibus intellectus cognoscens conformatur objecto cognito, et *ideæ* artificis, quibus mediantibus objectum effectum conformatur intellectui efficientis, sunt media harmonica, quibus res recte seu vere cognoscuntur vel efficiuntur. Ergo *perfectio cognitionis* consistit in sua veritate, scilicet in intellectus cognoscentis æquatione cum re cognita, et *perfectio effectionis* consistit quoque in sua veritate, scilicet in opificii æquatione cum intellectu artificis. Ergo, licet non detur medium inter ens reale et ens rationis, trinus tamen est ordo cognitionis et effectionis; nam *principium* ejus est intellectus cognoscentis, vel efficientis; *medium* est species intelligibilis, per quam res cognoscitur, vel idea, per quam opificium intelligitur atque intenditur; *terminus* est rei cognitio, seu intellectus conformitas cum re cognita, vel opificii effectio, seu ipsius conformitas cum idea artificis.

V. Ordini *singulari* opponitur ordo *communis*, sicut ordo unius opponitur ordini multorum. Sed in multis contineri possunt *plura* vel *omnia*. Atqui, *omnia* extreme opponuntur *uni soli*. Ergo *plura* medium tenent inter *unum* et *omnia*. Ergo ordo *generalis* proprie dictus, qui plura individua complectitur, in generibus et speciebus distributa, medium tenet inter ordinem *singularem*, qui individua in seipsis spectata continet, et ordinem *universalem*, qui omnia entia in vario esse ipsorum complectitur.

Jam vero fundamentum seu principium unitatis in ordine *singulari*, est forma substantialis, singulis individuis competens; fundamenta ordinis *generalis* sunt genera et species, quae pluribus individuis competunt, et variis formis substantialibus determinantur; fundamentum ordinis *universalis* est esse omnibus entibus competens, extra omne genus omnemque speciem ipsorum.

VI. Ordini *ad intra*, cujus principium est in re ordinata, extreme opponitur ordo *ad extra*, cujus principium, seu potius causa, est extra rem ordinatam. Sed in rebus corporeis, duo sunt principia ordinis intrinseca, scilicet materia et forma. Atqui, materia est exterior relate ad formam, et tamen constituit intrinsecum rei corporeæ ordinem. Ergo in rebus corporeis, *corpus* medium tenet inter *formam* substantialem ipsius, et *res corpori externas*, ita ut forma substantialis, seu anima in rebus viventibus, relationem cum rebus corpori externis habeat mediante corpore ejusque organis et sensibus externis, quibus respondent interiores animæ sensus.

VII. Ordini *æquali* trium personarum divinarum inter se, extreme opponitur ordo *inæqualis* omnium rerum creatarum, quæ variis gradibus perfectionis, nimirum per res superiores, medias et inferiores, trine a Deo disponuntur ad imitandum trinum divinumque Ordinem æqualem.

At inter utrumque ordinem existit medium harmonicum, scilicet ordo unionis hypostaticæ, in quo Jesus Christus, secundum suam divinitatem, perfectione infinita æqualis est Patri totique Trinitati, et secundum suam humanitatem finitamque ejus perfectionem, Patri ac Trinitati inæqualis est, sed supremum perfectionis supernaturalis gradum inter omnes creaturas occupat; non autem perfectionis naturalis; nam licet Christus sit omnium hominum perfectissimus quoad naturam, est tamen, sub hoc respectu, angelis inferior.

VIII. Ordini *æterno*, qui non habet prius nec posterius, neque ea compatitur, extreme opponitur ordo *temporalis*, qui de se habet prius et posterius.

Medium autem harmonicum inter utrumque tenet ordo *aeviternus*, qui de se non habet prius nec posterius, sed eis conjungi potest, sicut in praecedenti § VIII explicavimus.

Ex toto hoc § IX manifestum est dualitatem, quæ mutua prædictarum ordinis divisionum oppositione causatur, nullo modo contradicere trinitati ordinis universalis, sed ad illius harmoniam requiri, cum harmonia sit contrariorum consonantia, seu convenientia in aliquo medio communi, sicut in paragraphi initio præmonuimus.

LIBER SECUNDUS.

EXPLICATUR IN SPECIE TRINUS ORDO EXEMPLARIS.

PROŒMIUM. — Postquam explicavimus notionem doctrinæ divini Exemplarismi, et *in genere* trinum ordinem universalem, quem docet, *in specie* nunc explanandi sunt tres magni ordines, quos complectitur ordo universalis, et ad quos cæteri ordines reducuntur, videlicet: 1°) trinus Ordo Dei, mere increatus et exemplaris; 2°) trinus ordo mundi, mere creatus et exemplatus; 3°) trinus ordo hypostaticæ unionis Dei et minoris mundi, seu hominis, simul increatus ac exemplaris, et creatus ac exemplatus, ita ut utrumque ordinem summe et infinite oppositum, in Deo-Homine personaliter conjungat tanquam in medio harmonico. — Primo autem, ut decet, in hoc libro explicabimus trinum Ordinem exemplarem.

In unitate simplicissima divinæ Formæ, quæ est supremum omnis perfectionis et ordinis Exemplar, virtualiter distinguimus ordinem divini Esse et operationis, quo divina Forma est, intelligit et vult seipsam et alia a se.

In hoc ordine, primo ipsam Dei Formam, seu *essentiam* aut naturam, quæ est Dei Esse, concipimus ut principium intellectionis ac volitionis, secundo concipimus intellectionem, tertio volitionem; et hæc tria, nempe divinum Esse, Intelligere et Velle sunt principia operationis duplicis, ratione duorum terminorum infinite ab invicem distantium, cum divina Forma intelligat et velit naturaliter ac necessario seipsam, infinite perfectam; et intelligendo ac volendo seipsam, necessario intelligat ac libere velit alia a se, ipsius perfectionem finite repræsentantia; unde virtualiter distinguimus divinæ Formæ operationem *ad intra*, et operationem *ad extra*. In operatione ad intra, procedunt, quin causentur, distinctæ ab invicem personæ, juxta trinum ordinem divini Esse, Intelligere et Velle; in operatione ad extra, quæ priorem supponit, procedunt et causantur cunctæ creaturæ, juxta eumdem operationis ordinem. Ergo terminus trinæ operationis ad intra, sunt personæ divinæ constituentes trinum Ordinem increatum; et terminus trinæ operationis ad extra, sunt omnes creaturæ constituentes trinum ordinem creatum, qui necessario analogus est Ordini increato, licet infinite distet ab æquali ejus perfectione, quam inæqualiter imitatur trino gradu naturæ, gratiæ et gloriæ.

In præsenti libro explicabimus 1°) trinum ordinem divini Esse et operationis in genere; 2°) trinum ordinem divinæ operationis ad intra; 3°) trinum ordinem divinæ operationis ad extra, seu divinæ causalitatis.

CAPUT I.

EXPLICATUR TRINUS ORDO DIVINÆ SUBSTANTIÆ ET OPERATIONIS IN GENERE.

Explicabimus perfectionem ordinis, quem virtualiter distinguimus 1°) inter Dei Formam, Intellectum et Voluntatem et, 2°) inter Dei *unitatem*, quæ refertur ad Formam; *veritatem*, quæ refertur ad Intellectum; *bonitatem*, quæ refertur ad Voluntatem, et ex quarum ordine splendet *pulchritudo*, quæ simul refertur ad Formam, Intellectum et Voluntatem.

Quatuor illæ proprietates omnis entis a nobis concipiuntur tanquam prima principia ontologica perfectionis Formæ divinæ ejusque operationis, quæ diversimode ab omnibus rebus creatis participantur per substantiales ipsarum formas.

De cæteris autem divinæ Formæ attributis, quæ ad præcedentia referuntur, agemus in Tomo II, quando evolvemus perfectionem totius Ordinis exemplaris.

ARTICULUS I.

DE TRINO ORDINE VIRTUALI INTER DEI FORMAM, INTELLECTUM ET VOLUNTATEM.

Scilicet 1°) De divina Forma simplicissima, omnis perfectionis et ordinis principio in Deo. 2°) De duplici ordine operationis Formæ divinæ ad intra, atque ad extra, in genere.

§ I.

De divina Forma simplicissima, omnis perfectionis et ordinis principio in Deo.

47. — Cum Deus sit et operetur a seipso, non accipit ab altero actum essendi et operandi, sed Ipse est suum Esse et operari, seu est Actus purus in essendo et in operando. Igitur in Deo Esse, Intelligere et Velle non distinguuntur realiter a divina Forma, nec ab invicem, sed tamen virtualiter distinguimus Dei Formam, seu Esse spirituale, ab Intellectu et Voluntate, quibus divina Forma a nobis concipitur omnia operari, sive ad intra, sive ad extra.

Forma enim a nobis intelligitur ut primum in Deo principium omnis perfectionis et ordinis in essendo, atque in operando. Dicitur autem *essentia*, inquantum intelligitur ut principium essendi; dicitur *natura*, inquantum intelligitur ut principium operationis ad intra; dicitur *substantia* inquantum intelligitur subsistere in se, et non in alio ente per modum accidentis. Sed realiter Forma, essentia, natura, substantia sunt unum et idem atque identificantur cum divino Esse simplicissimo, nam juxta doctorem angelicum 1. q. 14, art. 4, corp.: « In Deo non est Forma, quæ sit aliud quam suum Esse ».

In omnibus rebus creatis, atque suvstantialiter perfectibilibus, quæ non sunt a seipsis, sed a Deo accipiunt actum essendi et operandi, forma, essentia, natura, substantia comparantur ad esse sicut passiva potentia ad actum. A Deo enim actum essendi continuo accipiunt in passiva sua potentia physica, seu essentia; et actum operandi, quandocumque opus est, in potentiis suis operativis accipiunt per physicam motionem, qua ad actum transeunt. Sed Deus, qui est suprema et per se Perfectio, nullam perfectionem, seu nullum actum ab altero perfectiore accipere potest; ergo nulla est in eo potentialitas, sive facultas accipiendi aliquem actum, quo perficiatur in essendo, et in operando in ordine ad se, aut ad alia; sed Ipse plene sibi sufficit, est sibi omnia in omnibus, est totum sibi juxta Formam, seu naturam suam infinitam.

Ergo Deus est Actus purus in essendo et operando, pura actualitas non actuata, sed omnia a se alia actuans; est Forma simplicissima, infinite perfecta, a nullo perfecta, nec ullo modo perfectibilis, sed omnia a seipsa, juxta seipsam et propter seipsam perficiens; est Forma formarum formosissima, non formata, sed omnia ad sui exemplar formans, ac deformata reformans et transformans, sicut ait S. Augustinus.

§ II.

De duplici ordine operationis Formæ divinæ ad intra, atque ad extra in genere.

48. — Divina Forma, cum sit spiritualis, spiritualiter omnia operatur per Intellectum ac Voluntatem. Porro in hac operatione, ordinem concipimus duplicem, non quidem ex parte principii operantis, quod est una et simplex Dei Forma, sed ex parte duorum operationis ejus terminorum infinite distantium, qui sunt ipsa Forma divina, et cætera alia ab ipsa. Unde distinguuntur divinæ Formæ operatio *ad intra*, et operatio ad extra.

I. **Operatio ad intra** est ipsa Forma divina, prout a nobis concipitur tanquam ad seipsam relata per suum Intellectum connotatum Paternitate, quo a Patre generatur Filius, et per suam Voluntatem, communi Patris et Filii spiratione activa connotatam, qua ab utroque spiratur Spiritus sanctus. In hac igitur operatione ad intra, duplex distinguitur processio, una Filii a Patre per Intellectum, altera Spiritus sancti a Patre et Filio per Voluntatem.

Tres personæ in divina Forma constituuntur oppositione realium relationum internarum Paternitatis et Filiationis, Spirationis activæ et Spirationis passivæ. Pater, necessario et infinite intelligendo infinitam perfectionem divinæ Formæ, a qua realiter non distinguitur, generat Filium, seu Verbum, in quo omnia intelligit, et qui vicissim Patrem infinite intelligit communi Intellectu. Ex hac autem infinita ac mutua intellectione infinitæ ac mutuæ perfectionis, procedit, ex communi Patris et Filii spiratione, infinitus, mutuus et communis Amor, qui est Spiritus sanctus.

Hinc sequitur terminum divinæ operationis ad intra esse personas Filii et Spiritus sancti, quæ si conjungantur personæ Patri, qui est hujus operationis Principium sine principio, completur divinarum Personarum Trinitas, seu trinus Ordo Formæ divinæ.

Operatio ad intra Deum non mutat, nec perficit, sed est ipsius Forma, seu natura infinite perfecta immutabiliter operans in seipsa.

II. **Operatio ad extra,** est ipsa et eadem Forma, seu Essentia divina, prout a nobis concipitur tanquam ad creaturas relata per suam Mentem ac Voluntatem relationibus personalibus non connotatas, sed tamen in duabus processionibus inclusas; quia, quemadmodum artifex per intellectum ac voluntatem operatur, sic Pater omnia ad extra operatur, seu facit per Verbum et Spiritum sanctum, ita ut omnia divina opificia sint toti Trinitati communia.

Pater enim, infinite in Verbo suo intelligendo infinitam divinæ Formæ unitrinæ perfectionem, hanc necessario intelligit tanquam infinite imitabilem ab infinitis numero, sed finitis perfectione rebus possibilibus, quas proinde in Verbo suo cognoscit tanquam in æterna Arte sua, et quæ ab ipso Verbo cognoscuntur eodem infinito intellectu. — Sed Pater et Verbum se invicem diligendo necessario, propter communem suam perfectionem, et sic spirando Spiritum sanctum, non diligunt in Spiritu sancto omnes perfectionis suæ imitationes possibiles, quas cognoscunt et causare possent, si vellent, sed eas tantum diligunt, quas causare volunt; has vero non volunt necessario, quia ipsas cognoscunt tanquam perfectione finitas; finita autem perfectio nequit esse necessarium divinæ Voluntatis objectum; unde dicit S. Bonaventura: « Deus est omnisciens et omnipotens, sed non omnivolens. » — Ergo omnia alia a se, libere vult, vel non vult; sed supposito quod aliqua libere velit, seu decernat, hæc libere facit; verumtamen ea facit infallibiliter, non necessitate præcedente, sed subsequente divinum decretum. Supposito enim quod Deus aliquem effectum libere decreverit, ille effectus non potest non fieri, quia divina Voluntas, licet libera sit, est simul omnipotentissima, efficacissima et immutabilis, ita ut infallibiliter impleatur eo modo, quo vult impleri, sive contingenter, sive necessario; nam *omnia quæcunque voluit, fecit*, sicut dicitur in Psalm. 113.

Ex libera divinæ Trinitatis operatione ad extra, sequitur ipsius relatio. seu ordo ad creaturas; at hæc relatio non est realis nec necessaria ex parte Dei, sed rationis, seu virtualis tantum, et prorsus libera; nec ullam mutationem aut novam perfectionem in divina Forma operante ponit, sed omnis perfectio aut mutatio fit in creatura; nam relatio creaturarum ad Deum est, ex parte ipsarum, relatio realis ac necessaria, per quam totam perfectionem suam a Deo accipiunt. Confer 1. q. 45, art. 3.

Unde operatio Dei ad extra habet initium, medium et terminum, non quidem ex parte Dei operantis, seu facientis, sed ex parte creaturæ totaliter a Deo factæ. *Initium* ergo factionis divinæ est Creatio, quæ importat realem creaturæ relationem ad Creatorem cum quadam novitate, seu inceptione, ut dicitur ibid. ad 3^{m}; creatione enim creaturæ primo constituuntur in esse. *Medium* autem divinæ factionis est gubernatio, qua creaturæ jam constitutæ conservantur in esse per continuatam creationem, et in operando moventur ad finem. *Terminus* divinæ factionis est consummatio, qua creaturæ attingunt finem suum intrinsecum, qui est totius mundi perfectio in essendo et operando, et finem extrinsecum, qui est divini Artificis unitrini gloria accidentalis; uterque vero finis est perfectio divinæ Formæ, variis modis ab omnibus ipsius opificiis ad Dei gloriam repræsentanda, per analogicam et variam omnium rerum ad divinam Formam unitrinam assimilationem.

III. Divina operatio ad intra et ad extra est eadem Forma divina, operans per suum Intellectum et suam Voluntatem, tam necessarias divinarum personarum processiones per modum principii, quam liberam rerum creatarum processionem per modum causæ.

Cum igitur divinum Esse, Intelligere et Velle sint simul trina principia Ordinis personarum divinarum, et trina Causa ordinis omnium creaturarum, sequitur necessaria analogia inter utrumque terminum utriusque operationis. Ergo necessario sequitur trina analogia totius ordinis creati cum unitrino Ordine increato, qui est ejus causa. Ergo creatus ordo est necessario unitrinus.

ARTICULUS II.

DE TRINO ORDINE INTER DEI UNITATEM, VERITATEM ET BONITATEM; EX QUO SPLENDET DEI PULCHRITUDO.

Suprema unitas, veritas, bonitas, pulchritudo non distinguuntur *realiter* a Forma divina, nec ab invicem, sed sunt ipsa Dei Forma a nobis considerata sub vario respectu, ita ut *ratione* ac virtualiter tantum ab ipsa et ab invicem distinguantur, ac consequenter ratione quoque inter se ordinentur secundum ordinem Dei Formae, intellectus et voluntatis, quem in præcedenti articulo explicavimus.

In Parte II præsentis Tomi, *demonstrabimus* divinæ Formæ unitatem, veritatem, bonitatem et pulchritudinem; nunc *explanabimus* tantum has quatuor proprietates.

§ I.

De virtuali distinctione Unitatis, Veritatis, Bonitatis et Pulchritudinis Formæ divinæ.

49. — Divina Forma est ipsa substantialis Unitas, Veritas, Bonitas et Pulchritudo, quas cunctæ res creatæ specifice ac varie participant per substantiales formas suas, nam quatuor illæ communes omnium entium proprietates fundantur in forma. Nihilominus has proprietates ratione ratiocinata distinguimus in Deo, secundum quod divinam Formam diversimode spectamus.

I. **Divina Unitas** est ipsa Dei Forma substantialiter in se spectata, inquantum est indivisa et omnino indivisibilis. Dicit S. Thomas in 1. q. 11, art. 1, corp.: « Unum non addit supra ens rem aliquam, sed tantum negationem divisionis; unum enim nihil aliud significat, quam ens indivisum. » Et ibid. ad 1^{m}: « Unum, quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed significat substantiam entis, prout est indivisa... Quælibet res est una per suam substantiam; si enim per aliquid aliud esset una quælibet res, cum illud iterum sit unum, si esset iterum unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum. »

II. **Divina Bonitas** est ipsa Dei Forma inquantum est appetibilis. Dicitur in 1. q. 5, art. 1: « Bonum et ens sunt idem secundum rem, sed differunt secundum rationem tantum, quod sic patet. Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile; unde Philosophus in 1. Ethic. dicit, quod bonum est quod omnia appetunt. Manifestum est autem, quod unumquodque est appetibile, secundum quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem. In tantum est autem perfectum unumquodque, inquantum est actu; unde manifestum est, quod in tantum est aliquid bonum, inquantum est ens; esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet. Unde manifestum est quod bonum et ens sunt idem secundum rem, sed bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens. »

Divina Forma primo appetitur a seipsa secundum seipsam, scilicet spiritualiter et infinite; deinde appetitur ab omnibus creaturis secundum ipsarum formam, seu naturam, inquantum cunctæ creaturæ ad bonum universale, tanquam ad finem communem, ex propriæ formæ inclinatione tendunt, sive spiritualiter cum cognitione intellectuali, sive materialiter absque cognitione intellectuali, sed ex inclinatione sensibili, vel pondere solius materiæ, quæ per omnem motum naturalem tendit ad quietem, sicut ad perfectionem sui status.

III. **Divina Veritas** est ipsa Dei Forma inquantum est cognoscibilis. Legitur in 1. q. 16, art. 3: « Sicut bonum habet rationem appetibilis, ita verum habet ordinem ad cognitionem. Unumquodque autem inquantum habet de esse, in tantum est cognoscibile. Et propter hoc dicitur in 3 de Anima, quod anima est quodammodo omnia, secundum sensum et intellectum. Et ideo sicut bonum convertitur cum ente, ita et verum. Sed tamen sicut bonum addit rationem appetibilis supra ens, ita et verum comparationem ad intellectum. » — Divina Forma primo intelligitur a seipsa infinite; deinde a creaturis spiritualibus intelligitur finite, ac diversis modis per lumen naturæ, gratiæ et gloriæ.

IV. **Divina Pulchritudo** est ipsa Dei Forma inquantum cognitio ejus placet. Dicitur in 1. q. 5, art. 4, ad 1^{m}: « Pulchrum et bonum, in subjecto quidem, sunt idem, quia super eamdem rem fundantur, scilicet super formam; et propter hoc bonum laudatur ut pulchrum. Sed ratione differunt; nam bonum proprie respicit appetitum; est enim bonum, quod omnia appetunt; et ideo habet rationem finis, nam appetitus est quasi quidam motus ad rem. Pulchrum autem respicit vim cognoscitivam: pulchra enim dicuntur quæ visa placent; unde pulchrum in debita proportione consistit, quia sensus delectatur in rebus debite proportionatis, sicut in sibi similibus; nam et sensus ratio quædam est, et omnis virtus cognoscitiva. Et quia cognitio fit per assimilationem, assimilitudo autem respicit formam, pulchrum proprie pertinet ad rationem causæ formalis. »

Item in 1. 2. q. 27, art. 1, ad 3^{m}: « Pulchrum est idem bono, sola ratione differens. Cum enim bonum sit quod omnia appetunt, de ratione boni est, quod in eo quietetur appetitus; sed ad rationem pulchri pertinet, quod in ejus aspectu seu cognitione quietetur appetitus; unde et illi sensus præcipue respiciunt pulchrum, qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet visus et auditus rationi deservientes; dicimus enim pulchra visibilia et pulchros sonos. In sensibilibus autem aliorum sensuum non utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus pulchros sapores aut odores. Et sic patet quod pulchrum addit supra bonum, quemdam ordinem ad vim cognoscitivam, ita quod bonum dicatur id quod simpliciter complacet appetitui, pulchrum autem dicatur id cujus apprehensio placet. »

Divinæ Formæ cognitio primo sibi ipsi complacet infinite, quia seipsam infinite perfectam cognoscit; deinde placet finite creaturis spiritualibus, secundum quod finite ab eis cognoscitur sive naturaliter, sive supernaturaliter.

§ II.

De ordine unitatis, veritatis, bonitatis et pulchritudinis in genere.

Ex præcedentibus liquet, has quatuor in Deo proprietates a Forma divina et ab invicem non distingui realiter, sed tantum virtualiter, inquantum Unitas respicit ipsam Formæ divinæ substantiam prout indivisibilis est; Veritas respicit Formam divinam prout cognoscibilis est; Bonitas, prout appetibilis est, seu placet appe-

titui; Pulchritudo, prout cognitio ejus placet appetitui rationali. Nunc ulterius quæritur quomodo, ratione hujus distinctionis, quatuor illæ proprietates inter se ordinentur. S. Thomas aperte docet unitatem, veritatem et bonitatem ordinari in genere secundum ordinem entis, intellectus et voluntatis; sed non clare apparet quomodo pulchritudo ad tres primas proprietates ordinatur.

50. — I. De ordine unitatis, veritatis et bonitatis.

Dicitur in 1. q. 16, art. 4, ad 2^{m}: « Secundum hoc est aliquid prius ratione, quod prius cadit in intellectu. Intellectus autem per prius apprehendit ipsum ens, et secundario apprehendit se intelligere ens, et tertio apprehendit se appetere ens. Unde primo est ratio entis, secundo ratio veri, tertio ratio boni, licet bonum sit in rebus. » Ex præcedentibus patet quod juxta doctorem angelicum ratio unitatis non distinguitur a ratione entis, sed tantum importat negationem divisionis in ente. Ergo juxta S. Thomam, unitas ratione præcedit veritatem et bonitatem.

Ibid., q. 5, art. 2: « Ens secundum rationem est prius quam bonum. Ratio enim significata per nomen, est id quod concipit intellectus de re, et significat illud per vocem; illud ergo est prius secundum rationem, quod prius cadit in conceptione intellectus. Primo autem in conceptione intellectus cadit ens, quia secundum hoc unumquodque cognoscibile est inquantum est actu, ut dicitur in 9 Metaph. Unde ens est proprium objectum intellectus, et sic est primum intelligibile, sicut sonus est primum audibile; ita ergo secundum rationem prius est ens quam bonum. » Verumtamen ex hac doctrina nullatenus sequitur divinum Ens esse primum quod intelligimus absolute sicut putant Ontologistæ, sed tantum sequitur divinum Ens esse primum, quod in ipso Deo intelligimus ante verum et bonum.

Ibid., q. 16, art. 4: « Licet bonum et verum supposito convertantur cum ente, tamen ratione differunt. Et secundum hoc verum, absolute loquendo, prius est quam bonum, quod ex duobus apparet. Primo quidem ex hoc, quod verum propinquius se habet ad ens, quod est prius quam bonum; nam verum respicit ipsum esse simpliciter et immediate, ratio autem boni consequitur esse, secundum quod est aliquo modo perfectum, sic enim appetibile est. Secundo apparet ex hoc quod cognitio naturaliter præcedit appetitum; unde cum verum respiciat cognitionem, bonum autem appetitum, prius erit verum quam bonum secundum rationem. »

51. — II. De ordine pulchritudinis, et de pulchritudine ordinis.

Latius de pulchro et sublimi disseremus in Tomo IV, Parte I. Sufficiat nunc pauca dicere 1°) De ordine pulchritudinis in ente, relate ad ejus unitatem, veritatem et bonitatem. S. Thomas pulchrum definit: « Ens cujus cognitio placet. » — Atqui, ut cognitio alicujus entis, seu objecti placeat, requiritur ut ens sit unum, nam omnes auctores unitatem exigunt ad objectivam pulchritudinem; requiritur præterea ut ens sit verum, scilicet ut existat æquatio inter ens et intellectum, in quo est vel ejus idea typica, vel ejus species intelligibilis; tandem requiritur ut ens sit bonum, scilicet perfectum in se et conveniens subjecto illud cognoscenti. — Ergo entis seu objecti pulchritudo supponit ejus unitatem, veritatem et bonitatem, ita ut, *objective* spectata, pulchritudo resultet ex trino harum proprietatum ordine.

Sed præter hanc excellentiam objectivam, pulchrum importat ordinem ad intellectum illud cognoscentem; intellectus autem cognitio præcedit voluntatis complacentiam; ergo *subjective* spectata, pulchritudo medium tenet inter veritatem, qua ens ab intellectu cognoscitur, et bonitatem, qua entis cognitio, et ipsum ens cognitum, voluntati placent. Primo enim ens vere cognoscimus prout est, scilicet ut unum, verum ac bonum; secundo ex hac vera cognitione entis perfecti, sequitur voluntatis complacentia, ex pulchro causata, tanquam ex bono intellectus; tertio ipsum ens perfectum diligimus, ac in eo delectamur, unde ipsi efficimur moraliter perfecti, seu virtuosi; et sic relate ad intellectum cognoscentem perfectum objectum, et relate ad voluntatem primo ex perfecti objecti cognitione, et dein de ipso perfecto objecto delectatam, verum, pulchrum et bonum se habent tanquam principium, medium et finem.

Unum autem pertinet ad ipsam substantiam objecti cujus cognitio placet; *verum* est de se objectum solius intellectus, *bonum* est de se objectum solius voluntatis; *pulchrum* est de se simul objectum intellectus et voluntatis, et ita est medium amœnum, quod delectabiliter nos ducit a vero ad bonum; itaque pulchrum recte a Platone definitur *voluptas utilis*.

Denique verum et pulchrum referuntur ad causam formalem, sive sit rei intrinseca, sive extrinseca, seu exemplaris. Atqui, causa formalis media est inter causam efficientem, ad quam refertur unum substantiale, tanquam præcipuus ejus effectus, et inter causam finalem, ad quam refertur bonum, quod omnes intendunt. Ergo sub respectu causalitatis, verum et pulchrum tenent medium inter unum et bonum.

2°) De pulchritudine ordinis in ente. Objectiva pulchritudo ordinis in ente consistit in ejus unitate quoad substantiam, quam sequitur veritas quoad ejus notitiam, et demum bonitas quoad appetitionem ac delectationem ex eo provenientem. In hoc enim trino ordine reperiuntur tres pulchri conditiones a S. Thoma requisitæ in 1. q. 39, art. 8, corp.: « Ad pulchritudinem tria requiruntur: primo quidem integritas, sive perfectio: quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; et debita proportio, sive consonantia; et iterum claritas, unde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur. » Liquet enim quod ad integritatem refertur unitas, seu indivisio, et bonitas rei completa, seu perfectio; ad claritatem intellectualem refertur veritas, qua ens manifestatur prout est; ad proportionem, seu consonantiam, refertur bonitas relativa, seu convenientia.

Atqui, in omni ente considerato *objective*, et inquantum est ens, necessario invenitur trinus ac pulcher ille ordo; nam unitas, veritas et bonitas sunt proprietates omnis entis, seu sunt ipsum ens sub vario respectu consideratum. Ergo omne ens *objective* et metaphysice spectatum, est pulchrum in sua essentia, sive sit exemplare, sive sit exemplatum.

Verumtamen omne ens non est pulchrum *subjective;* non enim placet cujuslibet entis cognitio. Hoc autem attribui nequit defectui essentiali ipsius objecti, seu entis cognoscibilis, cum in sua essentia pulchrum sit, sed ex defectu cognitionis in subjecto, vel ex aliquo rei accidente, quod sensibus displicet ac turpe apparet, quamvis sit forsitan convenientissimum, si vel toti rei, vel rebus proximis, vel toti mundo comparetur; sæpe enim aliqua pars est pulchra, non in se, sed in toto; sic umbra in se pulchra non est, sed lumini opposita valde confert ad rerum naturalium aut artificialium pulchritudinem. Omnes enim homines non sunt satis spirituales, ut intelligant essentialem, metaphysicam et abstractam entium pulchritudinem, fundatam in forma substantiali ac simplici, quæ sensibus percipi nequit. Generaliter non delectantur nisi corporum pulchritudine accidentali et sensibili. Itaque pulcherrimus ordo Formæ divinæ, quæ est Pulchritudo per essentiam et omnis pulchritudinis Exemplar, paucos homines delectat, quia a paucis cognoscitur. — Ergo ut ens aliquod sit pulchrum *subjective*, requiritur ut pulchritudo ordinis ejus splendeat intellectui subjecti. Unde rectissima est hæc pulchra definitio S. Augustino attributa: « Pulchritudo est ordinis splendor. » Adderem tamen: « ordinis splendor delectans » ad designandum jucundum pulchritudinis effectum in voluntatem. Quanto enim aliquod ens complete, distincte et harmonice ordinatur objective, et quanto ejus ordo alte intelligitur a subjecto, tanto hoc ens pulchrum est in se, et subjecto illud contemplanti; tantoque subjectum in ejus contemplatione delectatur. Quantum igitur est gaudium Beatorum divinam Formam unitrinam immediate contemplantium claro gloriæ lumine! Quantum præsertim est gaudium ipsius Formæ unitrinæ, quæ est infinita Ordinis perfectio, seipsam infinite contemplantis!

Pulchritudo ordinis alicujus entis fundatur in specifica perfectione substantialis formæ hujus entis; quia naturalem formam sequitur naturalis operatio et inclinatio ad aliquid, sicut dicitur in 1. q. 5, art. 5: « Cum unumquodque sit id, quod est per suam formam,... ad hoc quod aliquid sit perfectum et bonum, necesse est quod formam habeat, et ea quæ consequuntur ad ipsam... Ad formam autem consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid hujusmodi, quia unumquodque inquantum est actu, agit et tendit in id quod sibi convenit juxta suam formam; et hoc pertinet ad pondus et ordinem. » Sed præter perfectionem substantialis formæ, quæ non splendet nisi intellectui hanc abstracte ac metaphysice contemplanti, res creatæ ornantur pluribus aliis formis accidentalibus, sive spiritualibus, sive materialibus, quibus pulcher ipsarum ordo clarius splendet oculis et intellectui, qui plene non delectantur, nisi in quieta totius ordinis rei contemplatione; non enim eis sufficit discursiva variarum partium consideratio. Quapropter S. Augustinus dicit: « Pulchrum est totum. »

CAPUT II.

EXPLICATUR TRINUS ORDO DIVINÆ OPERATIONIS AD INTRA.

Prænotanda. — Ordo divinæ operationis ad intra, trinus est *ratione principiorum* suorum, quæ sunt divinum Esse, Intelligere ac Velle, et ratione *termini*, nempe ratione personæ Filii et personæ Spiritus sancti, quæ cum Patris persona, a qua ambæ procedunt, constituunt trinum Ordinem personarum in Forma divina.

Hic autem *Ordo complectitur* 1°) processiones, quibus personæ ab invicem oriuntur; 2°) relationes, quibus realiter ab invicem distinguuntur et constituuntur; 3°) consubstantialitatem, qua individue uniuntur in Forma divina, et eodem Intellectu eademque Voluntate operantur.

In tribus primis articulis explicabimus hæc tria elementa Ordinis divinarum personarum, et in quarto articulo ostendemus infinitam ipsius Ordinis perfectionem.

ARTICULUS I.

DE DUABUS PROCESSIONIBUS PERSONARUM IN DEO.

Explicabimus 1°) notionem, ordinem et divisionem processionis in genere; 2°) ordinem et modum processionis Filii et Spiritus sancti.

§ I.

De notione, ordine et divisione processionis in genere.

52. — I. **Processio in genere definitur:** Passiva emanatio, seu origo unius ab altero realiter distincto, tanquam a principio producente, sive agente.

Trinus igitur ordo in quavis processione distinguitur, qui constat agente, tanquam principio producente; actione principii, seu productione, tanquam medio; et producto, tanquam termino actionis.

II. **Processio dividitur** a) *ratione principii*, in productionem totius effectus ex nihilo, quæ dicitur creatio, et in effectus productionem ex quadam materia jam existente. — b) *Ratione actionis*, in generationem per naturam, et in effectionem per artem. — c) *Ratione termini actionis*, in processionem immanentem, seu ad intra, et in processionem transeuntem, seu ad extra.

Processio ad intra est productio alicujus manentis intra principium productivum. Ejusmodi est intellectio, qua producitur verbum mentis manens in intellectu, et volitio qua producitur amor manens in voluntate. Loquor de verbo et amore creaturæ intelligentis, quæ in potentiis operativis manent sicut accidentia in suo subjecto. In Deo autem Verbum et Amor non sunt accidentia, sed ipsa Dei substantia perfecta, per se et in personis subsistens. — Processio ad intra idem est ac *emanatio immanens*, seu origo, qua aliquid ita a principio emanat, ut eidem immaneat.

Processio ad extra est productio alicujus extra suum principium productivum. Ejusmodi est calefactio, qua ab igne egreditur calor, et recipitur in aqua, vel in aere, vel in alio subjecto. — Processio ad extra idem est ac *emanatio transiens*, seu origo, qua aliquid ita a principio suo emanat, ut ab eo transeat in exteriorem materiam, aut effectum.

III. **In Deo distinguuntur duplex operatio et duplex processio.** Sicut in præcedenti Capite dictum est, virtualiter in divina Forma distinguimus duplicem intellectus ac voluntatis operationem, scilicet *operationem ad intra*, qua seipsam cognoscit ac diligit, et *operationem ad extra*, qua cognoscit ac diligit alia a se. — Atqui, in hac duplici operatione fundatur duplex processio eorum, quæ concipimus a divina Forma ordinatissime derivari per ipsius Intellectum et Voluntatem. — Igitur in divinis virtualiter distinguimus in genere duplicem processionem, scilicet *ad intra*, et *ad extra*.

Processio ad intra est æterna et necessaria emanatio personæ ab alia tanquam a principio productivo. Est emanatio immanens, seu origo producti coessentialis producenti; nam processione ad intra, personæ procedenti communicatur eadem numero natura, seu Forma producentis; ideoque illa processio non posset esse intimior. — *Processio ad extra* est libera productio creaturæ cum tempore, quæ creatura a Deo producente infinite dissimilis est quoad naturam, sicut effectus finitus ab infinita Causa efficiente dissimilis est infinite. Prima processio ad extra, facta est per materiæ et formæ omnium rerum effectionem a Deo ex nihilo.

In Deo, Pater est *Principium* Filii, et Pater ac Filius sunt commune Principium Spiritus sancti, non tamen *causa;* quia causa, ordine naturæ, est prior suo effectu, et essentialiter ab eo distinguitur, saltem numerice, dum tres personæ divinæ sunt eadem numero natura.

In hoc Capite nobis agendum est de divinarum personarum processionibus *ad intra*. In sequenti agetur de omnium creaturarum processione *ad extra*.

§ II.

De ordine et modo processionis Filii et Spiritus sancti.

53. — I. **Duæ sunt divinæ processiones ad intra:** processio Filii a Patre, et processio Spiritus sancti a Patre et Filio, tanquam ab uno principio. — In utraque processione distinguitur trinus ordo, seu principium, medium et terminus. *Principium quod* est persona producens; *principium quo remotum* est natura seu Forma divina; *principium quo proximum* est, juxta S. Thomam, intellectus divinus Paternitate connotatus, et voluntas divina connotata spiratione activa ac communi Patris et Filii. *Medium* est productio, quæ est actio vitalis et substantialis; hæc autem productio est generatio Filii a Patre, et spiratio Spiritus sancti a Patre ac Filio. *Terminus* est persona producta.

Cum in Deo sint duæ processiones ad intra, et in qualibet processione inveniatur trinus ordo prædictus, distinguuntur duo ordines sicut di-

stinguuntur duæ processiones. Igitur illi ordines *processionum* non confundendi sunt cum Ordine trium *personarum* inter se. Nam duo sunt ordines processionum, et quilibet eorum fundatur in mutua relatione opposita duarum personarum, quarum una producit et altera producitur; ordo autem trium personarum unicus est, et supponit duas processiones duosque illarum ordines. — Præterea principium cujusvis ordinis processionis est persona producens, medium est productio, terminus est persona producta; dum in Ordine trium personarum in Forma divina, seu in divina Trinitate, principium est prima persona, medium est secunda persona, terminus est tertia persona. — Denique non existit universalis analogia inter duos ordines processionum et totum ordinem creatum; quia omnes creaturæ a Deo non producuntur per viam generationis et spirationis activæ; sed mira regnat analogia inter unicum Ordinem trium personarum et totum ordinem creatum, quia duæ processiones ad intra, quas supponit ille Ordo, fundantur, sicut et processio omnium creaturarum ad extra, in operatione divinæ Formæ per Intellectum et Voluntatem. Etenim divina Forma ejusque Intellectus ac Voluntas sunt simul *principia* duarum processionum ad intra, et *causa* processionis omnium creaturarum ad extra. Atqui, omnis effectus necessario repræsentat aliquo modo causam suam. Ergo omnis ordo creatus repræsentat aliquo modo, ac necessario Ordinem Formæ divinæ ejusque Intellectus ac Voluntatis, et est necessario analogus Ordini trium personarum, qui in eodem fundamento nititur.

II. **Processio Filii a Patre** est per modum generationis intellectivæ. Prima enim Persona, cujus tria nomina propria sunt Pater, Ingenitus, Principium sine principio, infinite cognoscendo divinam Formam, seipsam, totam Trinitatem, omnes creaturas possibiles, existentes, præteritas et futuras, generat secundam Personam, quæ infinitam Patris Scientiam exprimit.

Hæc autem processio Filii a Patre est vera generatio. Nam generatio est origo viventis a vivente conjuncto in similitudine naturæ. Atqui, processio Filii est origo viventis a vivente, quia Filius procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ; deinde est a vivente conjuncto, quia est per actionem immanentem, imo et substantialem; demum est in similitudine naturæ, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, sed ejusdem naturæ spiritualis ac intellectus. Præterea in Deo, Verbum est ejusdem numero naturæ, quam Pater.

Secunda Persona, quæ est Principium de principio, tribus nominibus propriis designatur; dicitur enim Filius Patris, Verbum Patris, Imago Patris. Nomen Verbi habet respectum non ad Patrem tantum, sed etiam ad creaturas, quæ per Verbum factæ sunt operativa potentia. Dicit S. Thomas in 1. q. 34, art. 3, corp.: « Quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva, ita Verbum Dei, ejus quod in Deo Patre est, est expressivum tantum; creaturarum vero est expressivum et operativum. Et propter hoc dicitur in Psalm. 32: *Dixit et facta sunt*, quia importatur in Verbo ratio factiva eorum, quæ Deus facit. »

III. **Processio Spiritus Sancti a Patre et Filio,** tanquam ab uno Principio, non est per modum generationis, nec per viam intellectus, sed per modum spirationis, seu amoris communis Patri ac Filio, et per viam voluntatis. Pater enim et Filius divinam Formam et se invicem necessario diligendo, atque creaturas futuras aut existentes libere volendo, non autem possibiles, spiratione communi producunt tertiam personam, quæ tribus nominibus propriis dicitur Spiritus sanctus, Amor Patris et Filii, Donum Patris et Filii.

Processio Spiritus sancti non est generatio, quia etsi tertia persona sit natura similis, vel potius æqualis Patri et Filio, quibuscum consubstantialis est, tamen non procedit per intellectum, qui vi sua est assimilativus, sed per voluntatem, quæ vi sua non est assimilitiva. Dicit Doctor angelicus in 1. q. 27, art. 4: « Omne generans generat sibi simile. Processio autem quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis vel moventis in aliquid. Et ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut Filius, sed magis procedit ut Spiritus. »

Spiritus sanctus æque dici potest, cum Patribus latinis, procedere a Patre *Filioque*, vel cum Patribus græcis et S. Hilario, procedere a Patre *per Filium*. Nam, dicit S. Thomas in 1. q. 36, art. 3: « Quia Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus sanctus, potest dici quod Pater per Filium spiret Spiritum sanctum, vel quod Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est. » Et ibidem, ad 1^{m}: « Si considerentur ipsæ personæ spirantes, sic cum Spiritus sanctus communiter procedat a Patre et Filio, invenitur Spiritus sanctus immediate a Patre procedere, in quantum est ab eo; et mediate, in quantum est a Filio; et sic dicitur procedere a Patre per Filium. »

ARTICULUS II.

DE QUATUOR RELATIONIBUS PERSONARUM DIVINARUM.

Loquemur 1°) de notione, divisione et indole relationis in genere; 2°) de realitate, numero et distinctione personarum divinarum; 3°) de tribus relationibus personas realiter distinctas constituentibus.

§ I.

De notione, divisione et indole relationis in genere.

54. — I. **Relatio in genere** est habitudo, seu respectus unius ad aliud. — Tria requirit: *subjectum* quod refertur; *terminum* ad quod refertur; *fundamentum* propter quod, vel cujus ratione subjectum ad terminum refertur. Verbi gratia, si homo ad angelum referatur, sive ei comparetur propter intellectum, homo est subjectum, angelus est terminus, intellectus est fundamentum relationis. Subjectum et terminus vocantur *extrema* relationis. Liquet non duo tantum, sed plura ad invicem referri posse, et non sub uno tantum respectu, sed sub pluribus respectibus.

Ordo proprie dictus est species relationis. Est enim relatio unius vel plurium ad alterum, tanquam ad principium, et e converso. Includit igitur processum unius ab altero, quem non includit omnis relatio. Unde omnis ordo est relatio, sed omnis relatio non est ordo proprie dictus. Vide supra n° 31.

II. **Relatio esse potest vel realis, vel logica, vel mixta.** Relatio *realis* est habitudo naturalis et mutua inter res vere existentes; qualis est, verbi gratia, relatio quæ inter patrem et filium intercedit. In tali relatione, fundamentum realiter existit in ambobus terminis extremis; sic in exemplo allato, eadem natura est realiter in patre et filio, ita ut ratione naturæ pater ad filium referatur, et vicissim filius ad patrem.

Relatio *logica* est habitudo intellectualis inter conceptus. Exempli gratia, si intellectus conceptum lapidis, quem actu in se intuetur, comparat cum lapidis conceptu, quem antea sibi efformavit, et priorem esse eumdem cum altero advertit, ponit logicam relationem identitatis inter utrumque.

Relatio *mixta* est habitudo cujus fundamentum est reale ex parte unius termini, et logicum ex parte alterius. Hæc relatio dicitur non mutua, quia in ea unum tantummodo extremorum realem habitudinem ad aliud habet. Tales sunt omnes Dei relationes ad extra, seu ad creaturas, ut creatio, gubernatio, prædestinatio, quae sunt reales ex parte creaturarum, cum ipsas realiter faciant aut perficiant; ast non sunt reales ex parte Dei, cum nullam realem in eo mutationem seu perfectionem ponant, sed tantum novum respectum sub quo Deum intellectu consideramus, scilicet sub immutabilis Dei Formæ respectu ad creaturas mutabiles, seu perfectibiles.

III. **In relatione reali ac mutua, extremi termini sunt simul natura et cognitione,** quia unus eorum poni nequit, quin et alter ponatur, nec unus tolli, quin et alter tollatur. Exempli gratia, si aliquis tanquam pater existit aut intelligitur, necesse est alterum tanquam filium existere aut intelligi.

In relatione mixta et non mutua, si extremi termini separatim spectentur, non sunt simul natura nec cognitione, quia licet terminus in quo est fundamentum reale nequeat esse nec intelligi, quin existat et intelligatur alter, tamen inversum dici nequit. Sed si extremi termini spectentur prout relati sunt, tunc sunt simul natura et cognitione, quia ipsi nequeunt tanquam relati considerari, nisi aliqua habitudo, seu relatio inter eos intercedat, et hæc habitudo expostulat ut unus nequeat existere aut intelligi sine alio. Sic, verbi gratia, licet existentia et conceptus Dei separatim spectati, secum non ferant existentiam aut conceptum creaturarum, tamen Deus considerari nequit tanquam rerum Creator, gubernator, consummator, nisi simul intelligatur existere, atque ad res extra se referri.

IV. **In Deo virtualiter distinguimus in genere duplicem relationem,** nempe *realem*, quæ in Deo vere existit, ac fundatur in divinarum personarum processionibus ad intra, et *rationalem*, quam in Deo concipimus eique tanquam primæ Causæ tribuimus per respectum ad effectus creatos; itaque fundatur in rerum creatarum processione ad extra.

De reali *relatione* nunc agitur; de *rationali* agemus in Capite sequenti.

§ II.

De realitate, numero et distinctione relationum personarum divinarum.

55. — *Relatio realis in Deo* est habitudo, seu respectus, quo personæ divinæ *formaliter* ad se invicem referuntur ratione processionis. *Formaliter*, id est quod personæ hic considerantur ut personæ.

I. **Sunt in Deo reales relationes.** Fides nos docet, tres in Deo esse personas realiter di-

stinctas. Atqui, nequeunt realiter distingui in absolutis, quibus sunt consubstantiales. Ergo in relativis, seu relationibus. Atqui, non in relationibus rationis, quia hæc facere nequeunt distinctionem realem. Ergo in relationibus realibus; ergo sunt in Deo relationes reales.

Pater enim non dicitur nisi a Paternitate, et Filius a Filiatione. Ergo si Paternitas et Filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ, quod est hæresis Sabelliana. Confer 1. q. 28, art. 1 et Billuart, de Deo trino, diss. 3, art. 1.

II. **Sunt in Deo quatuor reales relationes originis,** nempe Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et Spiratio passiva. Nam relationes reales originis accipiuntur in Deo secundum processiones ad intra, in quibus fundantur; consequenter tot sunt in Deo relationes reales, quot exigunt processiones ad intra. — Atqui, sunt duæ processiones ad intra: una per intellectum, quæ est processio Verbi, altera per voluntatem, quæ est processio Amoris, seu Spiritus sancti; et quælibet exigit duas relationes mutuas, scilicet principii ad principiatum, et e converso principiati ad principium. — Ergo sunt quatuor relationes reales, scilicet Paternitas et Filiatio, fundatæ in processione per intellectum; Spiratio activa et Spiratio passiva, fundatæ in processione per voluntatem. Confer S. Thomam ibid., q. 28, art. 4 et Billuart, loco citato, art. 2.

III. **Solæ relationes oppositæ inter se, realiter distinguuntur.** Etenim, juxta commune axioma, omnia in Deo sunt realiter unum et idem, ubi non obviat oppositio relationis; sed e contra ubi obviat oppositio relationis, existit realis distinctio. — Atqui, Paternitas et Filatio, Spiratio activa et passiva sibi invicem opponuntur immediate; insuper Spiratio passiva, licet non opponatur immediate Paternitati et Filiationi, mediate tamen eis opponitur, quatenus Paternitas et Filiatio connotant spirationem activam, qua mediante, opponuntur Spirationi passivæ; Spiratio autem activa non opponitur Paternitati nec Filiationi, sed tantum Spirationi passivæ, quamvis tamen disparate se habeat ad Paternitatem ac Filiationem. — Ergo Paternitas realiter distinguitur a Filiatione, et vicissim; Spiratio activa realiter distinguitur a passiva, et vicissim; Spiratio passiva realiter distinguitur a Paternitate ac Filiatione, adæquate sumptis, et prout identificantur cum Spiratione activa; sed Spiratio activa non distinguitur realiter, sed tantum virtualiter a Paternitate et Filiatione.

§ III.

De tribus relationibus personas realiter distinctas constituentibus.

56. — Ex ultima conclusione sequitur, quod ex quatuor realibus relationibus, tres tantum personales sunt, seu personas constituunt, scilicet: 1°) Paternitas constituens personam Patris, ut realiter distinctam a Filio; 2°) Filiatio constituens personam Filii, ut realiter distinctam a Patre; 3°) Spiratio passiva constituens personam Spiritus sancti, ut realiter distinctam a Patre et Filio. — Sed Spiratio activa non constituit personam, quia communis est Patri et Filio, eosque supponit jam personaliter constitutos per Paternitatem et Filiationem. Vide 1. q. 40, art. 2.

Cum tres personæ realiter ab invicem in divina Forma distinguantur, et sint tres subsistentiæ relativæ, recte tres dicuntur res relativæ et tres formæ hypostaticæ, virtualiter ab essentiali Forma distinctæ. Confer Billuart loc. cit.

ARTICULUS III.

DE INDIVIDUA TRIUM PERSONARUM UNITATE IN FORMA DIVINA.

Tres personæ realiter distinguuntur oppositione realium relationum, quibus constituuntur, sed sunt una et individua eadem Forma, seu substantia divina, a qua non distinguuntur nisi virtualiter.

§ I.

De reali et individua trium personarum divinarum consubstantialitate.

57. — I. **Consubstantialitas duplici modo intelligi potest.** Primo enim dici potest de natura seu Forma numerice una, seu individue eadem, ac proinde indivisa et immultiplicata in personis, quæ in ea conveniunt; secundo dici potest de natura specifice tantum una et eadem, ac proinde divisa et multiplicata in personis, quæ in ea conveniunt.

Atqui, primus sensus est catholicus circa divinam Trinitatem; secundus autem sensus applicatur creaturis ejusdem speciei.

Ergo, juxta doctrinam catholicam, licet in divinis multiplicentur personæ, non multiplicatur divinitas, sed hæc unica manet unitate vera, reali et individuali, ita ut tres personæ non sint tres dii, sed unus tantum Deus. Dum contra

in humanis, Petrus, Paulus et Franciscus non sunt tantum tres personæ humanæ, sed etiam tres homines, quia habent humanitatem specie quidem unam et eamdem, sed numero distinctam.

II. **Inde sequitur** Dei Formam, intellectum ac voluntatem, cum omnibus attributis, seu perfectionibus, quæ ad hæc tria referuntur, esse tribus personis communia, non specifice tantum sed individualiter.

§ II.

De virtuali personarum divinarum distinctione a Forma divina.

58. — I. **Divinæ personæ realiter non distinguuntur a Forma divina,** cum sint individualiter hæc ipsa Forma, sicut probatum est in præcedenti paragrapho.

Idem sequitur ex axiomate: *In Deo omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio;* atqui, non existit relationis oppositio inter divinam Formam et tres personas; ergo realiter non distinguuntur.

Et hæc conclusio est *certa de fide* ex Concilio Rhemensi contra Gilbertum Porretanum, et ex Lateranensi IV contra Abbatem Joachim; tunc enim definitum est, divinas relationes, ac proinde personas, non distingui realiter ab Essentia.

II. **Verumtamen tres personæ a divina Forma distinguuntur virtualiter,** seu ratione ratiocinata, quia de personis id prædicatur, quod de Forma prædicari nequit, scilicet quod producunt et producuntur, seu procedunt.

ARTICULUS IV.

DE INFINITA PERFECTIONE ORDINIS TRIUM PERSONARUM IN FORMA DIVINA.

59. — I. **In individua Formæ divinæ unitate est realis Ordo originis inter tres personas,** ita ut Pater sit prima persona non procedens; Filius, secunda persona a Patre procedens per generationem; Spiritus sanctus, tertia persona a Patre et Filio procedens per amorem.

Ubi enim est pluralitas sine confusione, ibi necessario est ordo. — Atqui, in divina Forma est pluralitas personarum sine confusione, cum tres personæ sint realiter distinctæ oppositione realium relationum; cæterum confusio importat imperfectionem, quæ in Deo impossibilis est. — Ergo in Deo est *Ordo*, et quidem realis, cum fundetur in processionibus personarum realiter distinctarum, quæ sunt res relativæ.

Non est in Deo ordo prioritatis, sive tempore, sive dignitate; nam tres personæ sunt individualiter consubstantiales, coæternæ et coæquales, sed est ordo originis, seu naturæ, quo una persona oritur ex alia, non autem post aliam.

II. **Ordo divinæ Formæ est infinite perfectus,** quia est supremus, completus, essentialis, æqualis, splendidus, æternus, totius ordinis creati causativus, ita ut omnes pulchritudinis conditiones summo modo complectatur.

1°) Increatus Ordo est supremus, quia non est ordinatus sicut omnes ordines creati, sed est Ordo a seipso. Pater enim est supremum Principium sine principio; Filius est supremum Principium de Principio; Spiritus sanctus supreme ab utroque principiatur, tanquam ab unico Principio.

2°) Est completus, quia constat principio, medio et termino, quæ omnem principialitatis modum in se continent. Nam Pater non principiatur, et principiat; Filius principiatur a Patre, et principiat Spiritum sanctum; Spiritus sanctus principiatur a Patre et Filio, seu per Filium, et non principiat ad intra, quia Ordo naturæ divinæ in ipso completur; sed cum Patre et Filio omnia causat ad extra.

3°) Est essentialis, quia est Ordo ipsius naturæ, seu Formæ divinæ in qua oriuntur personæ individualiter consubstantiales; unde hic Ordo est realiter ipsa Dei Forma simplicissima, in qua nihil est accidentale.

4°) Est æqualis, quia tres personæ numerice conveniunt in unica, suprema et infinita divinæ Formæ perfectione, ita ut major æqualitas, sive æquatio esse nequeat. Pater enim Forma numero eadem est æqualis Filio, sicut Filius est æqualis Spiritui sancto. Est suprema æqualitas numerosa, seu trium personarum æqualium unicitas in Forma perfectissima.

5°) Est splendidus, quia tres personæ, quæ illum constituunt, confundi nequeunt, sed necessario ab invicem distinguuntur, cum extreme opponantur, sicut activum passivo. Impossibile enim est, quod Pater sit Filius, quia nemo potest alterum generare et simul ab eo generari. Pariter impossibile est, quod Pater et Filius sint Spiritus sanctus, quia spirantes alterum, nequeunt simul ab eo spirari.

Equidem hæc clara distinctio, in qua fundatur Ordo trium personarum divinarum, nulla ratione naturali cognosci potest, sed sola Dei revelatione. At supernaturali fidei et gloriæ lumine cognita splendet intellectui creato, et quamvis ipsum mysterium trium personarum in Deo, a solo Deo intelligi possit, tamen trinus et clarus Ordo increatus divinarum personarum illuminat universum ordinem creatum, sicut

sol, præ nimio fulgore, ipse respici nequit, et tamen omnia corpora lumine suo manifestat.

6°) INCREATUS ORDO EST ÆTERNUS, quia est necessario et immutabiliter a seipso. Constat quidem principio, medio et termino, sed tamen nunquam incepit, nec successive continuatur, nec unquam desinet. Principium ejus est æternum, sine initio, imo sine alio principio æterno; medium ejus est de Principio æterno, et ipsum est Principium æternum alterius; terminus est a Principio et medio, tanquam ab uno Principio æterno, et ordinem increatum veluti claudit, non quod Ordo desinat, sed quia hic finis, etsi æternus sit, non est principium alterius in natura divina.

7°) EST PRIMA CAUSA EFFICIENS, EXEMPLARIS ET FINALIS TOTIUS ORDINIS CREATI, et infinita dignitate superat totum ordinem creatum. Etenim omnis ordo creatus, sive universalis, sive particularis, est causatus ab Ordine increato, juxta Ordinem increatum, et propter Ordinem increatum, ad extra repræsentandum ab aliis a seipso. Omnis igitur ordo creatus non potest esse nisi exemplatus juxta Ordinem increatum et creantem, non ordinatum, et omnia ordinantem a seipso, juxta seipsum, atque ad seipsum.

Sed omnis exemplatus effectus est perfectione inferior causa exemplari, et insuper exemplaris Ordo est perfectione infinitus. Ergo nullus ordo creatus et exemplatus potest esse perfectione æqualis supremo Ordini exemplari, sed est infinite illi inferior; infinite juxta illum perfectibilis, et juxta illum ad suam perfectionem ordinatus intra limites a divino Artifice unitrino assignatos. Voluit autem Deus totum ordinem a se creatum finite Ordinem exemplarem imitari triplici gradu generali, scilicet per naturam, gratiam et gloriam, quæ sunt principium, medium et finis omnis perfectionis creatæ.

III. **Ex præcedentibus manifestum est Ordinem increatum et exemplarem esse infinite pulchrum,** quia in se complectitur summopere ac infinite tres pulchritudinis conditiones a S. Thoma assignatas in 1. q. 39, art. 8, nempe integritatem, claritatem et proportionem.

Nam 1°) In Ordine divinæ Formæ est *summa integritas,* quia nihil ei deest, nec deesse potest, cum sit Ordo completus, immutabilis, æternus, et ipsa perfectio ordinis infinita.

2°) In eo est *summa claritas,* tum quia tres Personæ manifeste distinguuntur extrema relationum suarum oppositione, ex qua oritur mira distinctio inter personas; tum quia divini Ordinis perfectio clarissime a Patre cognoscitur et exprimitur in æterno Verbo suo; tum quia hæc perfectio resplendet in toto ordine creato, qui analogice unitrinus est, sicut Ordo increatus.

3°) In eo est *summa pròportio,* quia tres personæ conveniunt in una eademque numero Forma, ita ut inter tres personas sit mirabilis æquatio perfectionis infinitæ; nam quoad hanc absolutam perfectionem, Pater est æqualis Filio, sicut Filius æqualis est Spiritui sancto, licet tres personæ oppositione relativa realiter distinguantur, ut dictum est.

CAPUT III.

EXPLICATUR TRINUS ORDO DIVINÆ OPERATIONIS AD EXTRA, SEU CAUSALITATIS.

60. — Prænotanda de causis et divina causalitate in genere. In Capite præcedenti explicavimus *trinum ordinem divini Esse, Intelligere et Velle ad intra,* terminatum ad trinum et increatum personarum Ordinem in Forma divina; nunc agemus de *trino ordine divini Esse, Intelligere et Velle ad extra, seu causalitatis,* terminato ad totum ordinem creatum, qui est trini Ordinis increati effectus juxta illum exemplatus.

I. NOMINE CAUSÆ GENERATIM ACCEPTÆ, DESIGNATUR illud, quod aliquo modo confert ad alterius effectionem, quemadmodum vicissim nomine *effectus* vocatur illud, quod aliquo modo a causa producitur, ab eaque pendet. Ideo Causa in genere definiri potest: Principium influens esse in aliud essentia diversum, saltem numerice.

Aristoteles distinguit quatuor causarum genera, nempe causam *efficientem* et *finalem,* quæ sunt extra effectum; causam *materialem* et *formalem,* quæ effectum intrinsece constituunt.

His quatuor causis adjecit Plato *causam exemplarem,* quam alii reducunt ad causam efficientem, alii ad causam formalem extrinsecam, quæ causam efficientem intellectu pollentem dirigit in operando, sive sit in ejus intellectu, sive extra ejus intellectum. — Ad causam finalem refertur causa *moralis.*

Igitur *extra effectum* dantur causa efficiens, exemplaris et finalis; *intra effectum* dantur causa materialis et formalis. Præterea quælibet causa, sive extra, sive intra effectum, potest esse *prima* vel *secunda.*

Nunc explicabimus tantum tres causas, quæ sunt extra effectum.

II. PRIMA CAUSA EFFICIENS, EXEMPLARIS ET FINALIS est ipsa Dei Forma. In ordine divinæ causalitatis, *efficiens* causa est principium, et refertur ad divinam Formam agentem; *exemplaris* causa est medium, et refertur ad divi-

num Intellectum; *finalis* causa est terminus, et refertur ad divinam Voluntatem.

Secundæ causæ efficientes, exemplares et finales, sunt res a Deo causatæ, et sub principali ejus influxu agentes secundum ipsam, necessario quidem in ordine physico, et libere in ordine morali.

III. CAUSA DIVINA COMPARATUR AD RES CREATAS UT ARTIFEX AD ARTIFICIATA, juxta S. Thomam 1. q. 27, art. 1. ad 3^m. Insuper, juxta eumdem doctorem angelicum, 1. q. 45, art. 6 et 7, divina Forma est mundi Artifex, non tantum ut est una in se, sed etiam, aliquo modo, ut est trina personis, inquantum Verbum et Spiritus sanctus procedunt per Dei Intellectum et Voluntatem, quæ sunt Causa rerum, sicut infra probabitur.

Cæterum omnes Theologi docent omnia Dei opera ad extra, esse toti Trinitati communia, ita ut tres divinæ personæ sint simul Causa efficiens, exemplaris et finalis omnium rerum. Verumtamen causa efficiens, et prima in executione, appropriatur Patri, qui Trinitatis Principium est; causa exemplaris et media appropriatur Verbo, quod Trinitatis medium est; causa finalis, et ultima in executione, appropriatur Spiritui sancto, qui Trinitatis terminus est.

ARTICULUS I.

DE PRIMA CAUSA EFFICIENTE.

Agemus 1°) de causa efficiente in genere; 2°) de prima Causa efficiente, quæ Deus est.

§ I.

De causæ efficientis notione, et variis speciebus.

61. — I. **De notione causæ efficientis.** Nullus effectus produci potest, nisi extra illum sit aliquod ens a quo producatur. Jam vero, ens illud quod potentia sua activa effectum producit, illumque a potentia ad actum transfert, *efficiens* causa vocatur.

Ideo causa efficiens definitur: « Principium per se influens esse in aliud. » Dicitur *principium*, tanquam genus proximum definiti. *Per se*, id est vi sua, seu potentia sua activa; inde excluditur omnis causa per accidens. *Influens*, physico influxu. *Esse*, existentiam; esse scilicet causati participatum, distinctum ac dependens ab esse causæ. *In aliud*, nempe in effectum, essentia distinctum, saltem numerice.

Causæ efficienti nomen *causæ* et agentis *potissimum* tribui solet. Ratio est, quia causalitas causæ efficientis, sive ejus influxus in effectum, positus est in physica actione. Id autem de aliis causæ generibus asseri nequit. Nam causa *finalis* ad effectum ex eo concurrit, quod efficientem causam ad agendum movet objective; dicit S. Thomas, q. 22 de Verit., art. 2, corp.: « Sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti et desiderari. » Causa *exemplaris* efficientem causam in agendo dirigit. At, licet influxus causæ finalis et exemplaris non sit *physicus*, est tamen omnino *realis* in genere suo, id est, in genere morali.

Causa *materialis* et *formalis* ad effectum ex eo concurrunt, quod ipsum intrinsece constituunt.

II. **De variis speciebus causæ efficientis.** Multifariam distinguitur causa efficiens; præcipuas tantum species ejus indicabimus.

1°) CAUSA EFFICIENS PROPRIE DICTA effectum ipsa producit physice, et sic *distinguitur a causa morali*, quæ effectum physicum vel artificialem non facit directe, sed tantum indirecte, scilicet agendo in efficientem causam intelligentem; hanc enim moraliter, sed tamen realiter, movet ad prædictum effectum libere producendum ratione finis; itaque refertur ad causam finalem. Directus autem, seu immediatus effectus causæ moralis, est effectus moralis, in liberam agentis voluntatem productus.

Porro causa efficiens potest esse *principalis* aut *instrumentalis*, secundum quod in producendum effectum agit, vel virtute sibi propria, vel virtute sibi communicata. Exempli gratia, artifex est principalis causa artificiati, atque instrumenta, quibus utitur ad opus efficiendum, sunt causæ instrumentales. Dicit S. Thomas in 3. q. 62, art. 1. ad 2^m: « Instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quæ ei competit secundum propriam formam. Sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum inquantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum. »

2°) INTERDUM PLURES CAUSÆ ALIQUID CONFERUNT AD EUMDEM EFFECTUM PRODUCENDUM. Jam vero ex iis illa causa, quæ immediate effectum attingit, *proxima* dicitur; reliquæ autem, quæ mediate ad effectus productionem concurrunt, *remotæ* nuncupantur.

Patet plures esse posse causas proximas, si ad productionem effectus immediate aliquid agant. Exempli gratia, plures bajuli, qui idem pondus asportant. Tunc autem plures causæ

proximæ ejusdem ordinis ad eumdem effectum producendum requiruntur, cum ipsæ incompletæ sunt, quia si completæ essent, jam aliorum consortium excluderent. (Vide 1. q. 52, art. 3, corp.).

Circa has causarum species, S. Thomas in 1. q. 14, art. 13. ad 1^m, adnotavit naturam effectus pendere ex conditione causæ *proximæ*, non vero *remotæ*, quia effectus a causa proxima immediate promanat. Verbi gratia, juxta doctorem angelicum, licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens, propter causam proximam contingentem; sicut germinatio plantæ est contingens propter causam contingentem, licet motus solis, qui est causa prima, sit necessaria. »

3°) CAUSA EFFICIENS DISTINGUITUR QUOQUE IN UNIVOCAM, ÆQUIVOCAM ET ANALOGAM.

Causa *univoca* illa est, cujus effectus similis est ipsi causæ, secundum eamdem rationem *speciei*, uti homo est causa univoca hominis, quem generat. Idcirco causæ univocæ producere non possunt nisi effectus speciei suæ conformes.

Causa *æquivoca* dicitur illa, quæ cum effectu convenit secundum eamdem rationem generis; cujusmodi est sol respectu eorum ad quorum productionem ipse concurrit. Hinc causæ æquivocæ plures effectus specie diversos producere possunt.

Causa dicitur *analoga*, si effectus cum causa conveniat tantum in *esse*, secundum aliquam analogiam, seu comparationem. Hoc modo Deus est prima Causa omnium rerum creatarum sicut infra dicetur.

§ II.

De prima Causa efficiente, quæ Deus est.

Videbimus 1°) Primam Causam efficientem omnium rerum esse non posse nisi Formam divinam; 2°) quomodo Deus causat omnium rerum existentiam et operationem.

I. Deus est prima Causa efficiens existentiæ et operationis omnium rerum.

62. — 1°) QUOAD EXISTENTIAM, vidimus in Capite I quod divina Forma est supremum Esse simplicissimum, a se et per se subsistens; inde sequitur hanc esse primam Causam cæterorum entium inferiorum, quæ esse suum ab ea participant. S. Thomam audiamus in 1. q. 44, art. 1, corp.:

« Necesse est dicere, omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse. Si enim aliquid invenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo cui essentialiter convenit, sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem supra, cum de divina simplicitate ageretur, quod Deus est ipsum Esse per se subsistens. Et iterum ostensum est, quod esse subsistens non potest esse nisi unum, sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi una, cum albedines multiplicentur secundum recipientia. Relinquitur ergo quod omnia alia a Deo non sint suum esse, sed participant esse. Necesse est igitur quod omnia quæ diversificantur secundum diversam participationem essendi, ut sint perfectius, vel minus perfecte, causari ab uno primo Ente, quod perfectissime Est. Unde et Plato dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere unitatem. Et Aristoteles dicit in 2. Metaph., quod id quod est maxime ens et maxime verum, est causa omnis entis et omnis veri, sicut id quod maxime calidum est, est causa omnis caliditatis. »

2°) DEUS NON CAUSAT TANTUM ESSE OMNIUM RERUM, SED ETIAM OPERARI; nam operari sequitur esse. Dicitur in 1. q. 105, art. 5, ad 3^m: « Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, et applicat eas ad agendum, et est finis omnium actionum. » Et ibidem, in corp.: « Si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis. Nam primum agens movet secundum ad agendum. Et secundum hoc, omnia agunt in virtute ipsius Dei. Et ita ipse est Causa omnium actionum agentium. »

Ergo Deus est supremus omnium rerum Motor, non tantum objective et moraliter tanquam causa finalis, sed etiam intrinsece et physice tanquam causa efficiens, quæ operativas rerum potentias intus inclinat, et transire facit ad actum juxta formam, seu naturam suam. Movet enim necessaria necessario, et contingentia contingenter. Quomodo autem voluntatem nostram moveat ad actus liberos dicemus in Tomo III, Parte II.

3°) RATIO EFFICACITATIS, SEU ACTIVÆ POTENTIÆ FORMÆ DIVINÆ FUNDATUR IN IPSIUS SIMPLICITATE. Tanto enim aliquid melius agit, quanto est actus sine admixtione potentialitatis actum mensurantis, seu limitantis; atqui, divina Forma est Actus simplicissimus in essendo et in operando; ergo efficacitas ejus est illimitata seu infinita.

Dicit doctor angelicus in lib. 2 cont. Gent., cap. 14: « Quanto aliquid est magis simplex, tanto est majoris virtutis, et principium plurium... Sicut punctum plurium est principium, quam linea, et linea quam superficies. »

Nam, quemadmodum addit S. Thomas in q. 7 de Potent., art. 8, corp.: « Quanto aliquid est simplicius, tanto virtus est minus limitata; unde ad plura se extendit sua causalitas. Et ideo in

lib. de Causis, prop. 16, dicitur quod omnis virtus unita plus est infinita, quam virtus multiplicata. »

63. — II. Quomodo Deus existentiam et operationem omnium rerum causat.

1°) DEUS EXISTENTIAM OMNIUM RERUM CAUSAT ANALOGICE TANQUAM CAUSA ANALOGA, non autem specifice tanquam causa *univoca*, nec generice tanquam causa *æquivoca*. Etenim cum divina Forma dignitate sua sit infinite supra omne genus et omnem speciem rerum creatarum, liquet similitudinem ejus a creaturis per ipsarum formas participari non posse secundum eamdem rationem specici aut generis, sed solum secundum aliquam essendi analogiam. Nam res creatæ, cum sint entia, præseferunt quamdam similitudinem cum Deo ut prima et universali Causa totius esse. Dicitur in 1. q. 4, art. 3, corp.: « Si igitur sit aliquod agens, quod non in genere contineatur, effectus ejus adhuc magis remote accedet ad similitudinem formæ agentis, non tamen ita quod participet similitudinem formæ agentis secundum eamdem rationem speciei aut generis, sed secundum aliqualem analogiam, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo, illa quæ sunt a Deo, assimilantur ei inquantum sunt entia, ut primo et universali Principio totius esse. » Confer quoque 1. dist. 8, q. 1, art. 2.

2°) DEUS OMNIA CAUSAT PER SUAM OMNIPOTENTIAM, SAPIENTIAM ET VOLUNTATEM. Dei *omnipotentia* in agendo fundatur in simplicitate Essentiæ seu Formæ suæ, sicut proxime dictum est n.° 61, 3°); etenim cum operari sequatur esse, ex Essentia sine limite et infinita, seu ex Actu purissimo in essendo, sequitur potentia infinita in operando. Atqui, Deus omnia operatur ad extra per Intellectum et liberam Voluntatem. Ergo Intellectus ejus et Voluntas omnia efficere possunt. — *Sapientia* infinita pertinet ad divinum Intellectum, et manet speculativa nisi ei adjiciatur *Voluntas*, nam Deus est omnipotens et omnisciens, sed non omnivolens, quia non facit nisi ea quæ vult, et eo modo quo vult. Ergo Deus, Essentia sua et operatione omnipotens, efficit ea quæ scit, atque libere vult, ita ut divina Scientia sit suprema omnium rerum Causa, adjecta tamen Voluntate.

3°) DEUS CAUSAT RERUM EXISTENTIAM TRIPLICI ACTIONE, scilicet creatione materiæ et formæ omnium rerum, eductione formarum corporum terrestrium ex materia, et conservatione rerum in esse.

a) **Creatio est productio totius esse rei ex nihilo.** Soli Deo competit, quia effectus universalissimus est proprius Causæ universalissimæ (1. q. 45, art. 5), ita ut nulla creatura possit esse creationis causa principalis, juxta omnes doctores catholicos; nec etiam instrumentalis, juxta S. Thomam (ibidem) contra Durandum, Petrum Lombardum, et quosdam alios. — Creatio non fit per motum, sed in instanti. (Ibid., art. 3 et q. 46, art. 3. ad 2[m]). — Deus rerum existentiam per creationem causavit in mundi initio, ante opus sex dierum, quando ex nihilo produxit spiritus cœlestes, corpora cœlestia, materiam primam omnium corporum terrestrium informatam forma substantiali quatuor elementorum, et tempus his rebus concreatum (1. q. 46, art. 3). Nunc adhuc creat animas hominum rationales, quæ ex potentia materiæ educi nequeunt. — Proprie loquendo, res subsistentes creantur, cum creatio sit productio totius esse; partes autem, quibus res componuntur, magis dici debent concreatæ quam creatæ. (Ibid., art. 4).

b) **Eductio formarum corporum terrestrium dupliciter spectari potest,** nempe vel in prima corporum productione, vel in posteriori ipsorum reproductione.

In prima productione, solus Deus, nullo cooperante, quarta et quinta die conditionis mundi, formas substantiales plantarum et animalium eduxit ex potentia materiæ quatuor elementorum, in cujus virtute generali continebantur seminaliter. Legitur enim in 1. q. 115, art. 2, sed contra: « Augustinus dicit in lib. 3 de Trinit., cap. 8, omnium rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent. » Et in corp. artic.: « Manifestum est quod principium activum et passivum generationis rerum viventium sunt semina, ex quibus viventia generantur. Et ideo convenienter Augustinus (loco citato) omnes virtutes activas et passivas, quæ sunt principia generationum et motuum naturalium, seminales rationes vocat. Hujusmodi autem virtutes activæ et passivæ in multiplici ordine considerari possunt. Nam primo quidem, ut Augustinus dicit in lib. 6 sup. Gen. ad litt. (Cap. 10 et 18 et lib. 4, cap. 24) sunt principaliter et originaliter in Verbo Dei, secundum rationes ideales; secundo vero sunt in elementis mundi, ubi simul a principio productæ sunt, sicut in universalibus causis; tertio vero modo sunt in iis, quæ ex universalibus causis secundum successiones temporum producuntur, sicut in hac planta et in hoc animali, tanquam particularibus causis; quarto modo sunt in seminibus, quæ ex animalibus et plantis producuntur; quae iterum comparantur ad alios effectus particulares, sicut primordiales causæ universales ad primos effectus producendos. »

In corporum reproductione, eductio formæ generati ex potentia materiæ subministratæ a generantibus individuis ejusdem speciei, fit a Deo principaliter operante seu præmovente, sed tamen cooperantibus mare et fœmina. Fœmina enim ovum passive subministrat tanquam materiam, unde mater appellatur; mas, seu pater, ex activa potentia generativa animæ suæ concreata, quæ Deo præmovente in actum transit, et mediante seminis virtute, formam seu animam vegetativam ac sensitivam educit ex potentia materiæ, et sic ovum fecundat, actuat, informat vita vegetativa ac sensitiva. Spiritualis autem et intellectiva anima ab ipso Deo creatur, atque mox succedit animæ vegetativæ et sensitivæ primum productis virtute seminis, ita tamen ut anima spiritualis sit intellectiva per superiores suas potentias, et etiam sensitiva et vegetativa per inferiores potentias.

c) **Rerum creatarum conservatio est creatio continuata**, et proinde soli Deo competit. Rerum *species*, quae pertinent ad mundi pulchritudinem in præsenti ejus statu, permanenter conservantur durante hoc statu usque ad ultimum judicium, post quod mundi status per gloriam in melius mutabitur. Unde nulla fit specierum transformatio. *Individua* autem sibi succedunt, ita ut corruptio unius sit generatio alterius; materia quidem manet, sed varie transformatur, et hæc formarum successio ordinatur ad mundi perfectionem in statu illius temporali. Formæ sibi succedentes non producuntur ex nihilo, neque ad nihilum rediguntur, sed educuntur ex potentia materiæ et in materiæ potentiam reducuntur. In generatione viventium requiritur semen, quo mediante reproducuntur individua ejusdem speciei ac parentes.

64. — 4°) DEUS OPERATIONEM OMNIUM RERUM CAUSAT, NON TANQUAM SOLA CAUSA, SED TANQUAM CAUSA PRIMA, seu principalis, cujus virtute et influxu omnes creaturæ operantur, tanquam causæ secundæ, et virtute sibi propria, juxta suam formam substantialem et potentiam operativam, sive necessariam, sive liberam. Dicitur in 1. q. 105, art. 5, corp: « Finis, et agens, et forma se habent ut actionis principium, sed ordine quodam. Nam primum quidem principium actionis est finis, qui movet agentem. Secundo vero agens. Tertio autem forma ejus, quod ab agente applicatur ad agendum, quamvis et ipsum agens per formam suam agat, ut patet in artificialibus. Artifex enim movetur ad agendum a fine, qui est ipsum operatum, puta arca vel lectus, et applicat ad actionem securim, quæ incidit per suum acumen. Sic igitur secundum hæc tria Deus in quolibet operante operatur. Ibidem ad 2^m^: « Una actio non procedit a duobus agentibus ejusdem ordinis. Sed nihil prohibet quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente. »

5°) DEUS PHYSICAM OMNIUM RERUM OPERATIONEM CAUSAT UT PROXIMA ET IMMEDIATA CAUSA PRINCIPALIS, dum creatura est proxima et immediata causa secundaria operationis suæ. Etenim in omni operatione creaturæ, Deus physice ac immediate in illa efficit id quod ipsa non potest, et creatura immediate efficit id quod potest sub influxu Causæ primæ, ita ut effectus sit simul et immediate ab utraque causa productus.

Doctores catholici communiter tenent physicum Dei concursum requisitum ad omnem creaturæ operationem esse *immediatum*, non autem tantummodo remotum; sed valde disputatur inter Thomistas et Molinistas utrum immediatus ille Dei concursus sit *prævius*, seu prædeterminans secundam causam, etiam liberam, ad agendum; an *simultaneus*, seu concomitans secundam causam agentem. In utroque concursu, actio creaturæ est immediatus causæ primæ et secundæ effectus; sed in prævio concursu, prima Causa ita agit in causam secundam, ut illam intrinsece præmoveat ad agendum; dum in concursu simultaneo, Causa prima in secundam non agit nisi concomitanter. De hac celebri controversia agemus in Tomo III, Parte II.

ARTICULUS II.

DE PRIMA CAUSA EXEMPLARI.

Loquemur 1°) de causa exemplari in genere; 2°) de prima Causa exemplari, quæ Deus est.

§ I.

De causa exemplari in genere.

65. — I. **De exemplaris necessitate et notione.**

1°) EJUS NECESSITAS. Causa efficiens, si intellectu polleat, nequit effectum suum producere illum formando, nisi formam ejus exemplarem inspexerit, vel in propria mente conceptam, si agens sit perfectum; vel aspectam intra mentem, si agens sit imperfectum. Cum enim sit liberum et indifferens ad hoc vel illud opus, tali vel tali modo perficiendum, agens determinandum est perfectione alicujus formæ interne vel externe aspectæ, juxta quam operetur ac opus suum perficiat, et quam in operando in-

tendat. Vide 1. q. 44, art. 3, corp. Hæc autem forma quæ agentis operationem dirigit dicitur *exemplar*, seu *exemplaris causa* operis; quæ, si mente concepta sit ab agente, dicitur *idea*.

2°) EXEMPLAR IGITUR IN GENERE DEFINITUR: « Forma ad quam respiciens agens operatur » vel « Forma ad cujus imitationem fit aliquid ex intentione agentis. » *Idea* autem definitur: « Forma in mente existens, ad quam respiciens, seu ad cujus imitationem agens operatur. » *Operatio* vero, in qua agens ab exemplari externo vel interno dirigitur, potest esse vel *actio* immanens, et ipsum agentem perficiens; vel *factio* transiens, et opificium aliquod perficiens. In actione morali, externum exemplar potest esse vel aliquod *virtutis exemplum*, vel *lex*, quæ est norma seu regula moralitatis actionum.

66. — 3°) IDEA DUPLICI SENSU IN PHILOSOPHIA ACCIPITUR, sicut monet S. Thomas in 1. q. 15, art. 1, corp.: « *Idea* græce, latine *forma* dicitur. Unde per ideas intelliguntur formæ aliquarum rerum, præter ipsas res existentes. Forma autem alicujus rei præter ipsam existens, ad duo esse potest, vel ut sit *exemplar* ejus cujus dicitur forma, vel ut sit *principium cognitionis* ipsius, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. »

Jam vero agitur nunc de ideis in priori sensu consideratis, prout nempe sunt exemplaria, *quæ* ab artifice intelliguntur, nam forma domus in mente architecti est aliquid ab eo intellectum, seu conceptum, ad cujus similitudinem domus in materia formatur. Ergo non sumuntur hic ideæ prout significant species intelligibiles, *quibus* res intelliguntur, et quæ sunt formæ facientes intellectum in actu.

4°) IPSA AUTEM EXEMPLARIS IDEA POTEST HABERE DUPLEX OFFICIUM: primum scilicet, quod sit forma ad cujus normam fit exemplatum; secundum, quod sit ratio seu medium cognoscendi exemplatum; nam per exemplar in mente, cognoscimus exemplatum in re. Et hæc rei exemplatæ cognitio per exemplar ejus originale, est perfectissimus eam cognoscendi modus; scientia enim intendit cognoscere rei veritatem; res autem vera est inquantum conformis est suæ exemplari, quod est norma veritatis ejus; ergo cognitio rei per suum exemplar ideale est perfectissima rei cognitio.

67. — **II. De exemplaris causalitate.**

1°) IN GENERE. Dicit S. Thomas in q. 8 de Verit., art. 8, ad 1^{m}: « Exemplar proprie importat causalitatem respectu exemplatorum, sed large est omne repræsentatum ab alio. » — In 3. dist. 27, q. 2, art. 4 et q. 3, ad 2^{m}, docet quod forma exemplaris est duplex, prout significat formam ad cujus similitudinem fit aliquid, vel formam, seu causam, ad cujus similitudinem et participationem alia habent esse, quæ non semper est ejusdem speciei cum exemplato. » Legitur quoque in 1. q. 18, art. 4, ad 2^{m}: « Exemplata oportet conformari exemplari secundum rationem formæ, non autem secundum modum essendi; nam alterius modi esse habet forma quandoque in exemplari, et in exemplato. Sicut forma domus in mente artificis habet esse immateriale et intelligibile; in domo autem, quæ est extra animam, habet esse materiale et sensibile. Unde et rationes rerum quæ in seipsis non vivunt, in Mente divina sunt vita, quia in Mente divina habent esse divinum. »

Exemplar igitur proprie dictum, est vera causa, quoniam agentem determinat ad opus exsequendum ad sui similitudinem, et proinde determinat in mente agentis modum seu formam ipsius operis. Sed disputatur ad quamnam quatuor causarum referendum sit exemplar, vel utrum constituat quintum causæ genus. De hac controversia loquemur in Tomo III, Parte II. Sequentia dicere nunc sufficiat.

2°) EXEMPLAR PRINCIPALITER ET PER SE REFERTUR AD CAUSAM FORMALEM, a qua non differt, nisi quia causa exemplaris est *externa* effectui, illa vero *interna*, sicut docet S. Thomas in q. 3 de Verit., art. 3, corp. Similiter dicit in 12 Metaph., lect. 4: « Causa formalis comparatur dupliciter ad rem: uno modo, sicut forma intrinseca rei, et hæc dicitur *species*; alio modo, sicut extrinseca a re, ad cujus tamen similitudinem res fieri dicitur, et secundum hoc, *exemplar* rei dicitur forma. Hujusmodi est idea in mente artificis, ad cujus normam artifex conficit opus suum. » Et in q. 3 de Verit. q. 3, art. 3, corp., ad fin.: « *Forma* semper importat respectum causæ ejus quod secundum eam formatur, *per modum inhærentiæ*, ut in intrinsecis, vel *per modum imitationis*, ut in exemplaribus. » Exemplar enim est ipsa rei forma extra rem, ab agente aspecta in mente sua, vel extra mentem, et ad cujus similitudinem opus aliquod perficit.

Igitur causa exemplaris cum causa formali convenit *genere*, quia est vera causa formalis determinans operis formam. Sed cum sit formalis causa extrinseca, *specie* differt a formali causa intrinseca, quia extrinseca operis seu rei forma, sæpe est alio modo, et semper rem alio modo perficit, quam intrinseca rei forma. Idealis enim forma est immaterialis ac intelligibilis, dum realis forma potest esse in rebus materialibus et sensibilibus; deinde prima Forma, seu prima Causa exemplaris est increata, dum intrinsecæ omnium rerum formæ sunt rebus concreatæ; denique omnis forma exemplaris rem

perficit ab extrinseco, dum omnis forma substantialis, vel accidentalis, rem perficit ab intrinseco.

3°) CONSEQUENTER CAUSA EXEMPLARIS POTEST QUOQUE REFERRI AD CAUSAM EFFICIENTEM, ET AD CAUSAM FINALEM.

Ad causam *efficientem*, prout complet causalitatem efficientis agentis intellectualis, quod sine exemplari careret principio proximo, non quidem activo, sed directivo operationis suæ.

Ad causam *finalem*, quia scopus agentis intellectualis, est inducere in re externa similitudinem formæ exemplaris. Nam forma exemplaris, intuitione suæ perfectionis, movet agentem ad efficiendum simile.

Causa exemplaris medium tenet inter causam efficientem et finalem. Etenim causa efficiens intellectu prædita producit effectum suum juxta exemplar, propter aliquem finem. Causa efficiens refertur ad formam, vel potius ad personam operantis; causa idealis refertur ad ejus intellectum; causa finalis refertur ad ejus voluntatem.

68. — III. De variis exemplarium speciebus.

1°) PRIMO DISTINGUITUR DUPLEX EXEMPLAR, INTERNUM SCILICET, VEL EXTERNUM, prout agens in sua mente, vel extra mentem, aspicit formam quam in operando imitatur. — Hanc divisionem inter alios indicat Seneca dicens in Epist. 66: « Nihil autem refert utrum *foris* habeat exemplar ad quod referat oculos, an *intus*, quo ibi ipse concepit et posuit. » Similiter S. Thomas in 1. q. 44, art. 3, corp.: « Artifex producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, sive illud sit exemplar *ad quod extra* intuetur, sive sit exemplar *interius* mente conceptum. » Et S. Bonaventura in 3. dist. 11, art. 1, q. 2, corp.: « Duplex est exemplar: Quoddam *interius* in mente artificis, sicut ratio secundum quam artifex producit opera sua; quoddam *exterius*, ad quod aspiciens ille qui ignorat artem, aliquo modo regulatur, sicut illi artifices mechanici aliquam formam exterius habent, secundum quam dirigunt opera sua. »

2°) EXEMPLAR INTERNUM est a) **In omni agente intelligente, idealis quædam forma,** seu perfectio, quam mente concipit agens, et juxta quam perfecte operatur, ita ut hæc forma determinet perfectionem seu actum operationis ejus, sive immanentem et perficientem ipsum agens, sive transeuntem in aliquam materiam externam illamque perficientem.

In Deo, sicut infra dicetur, exemplar ideale, juxta S. Thomæ doctrinam, est propria ejus Forma infinite perfecta, et ab eo intellecta, seu concepta, tanquam diversimode imitabilis et practice imitanda in rebus aliis a se; illi autem modi imitationis suæ, a Deo intellecti atque intenti, sunt æternæ ejus ideæ, quæ determinant finitam perfectionem omnium ejus opificiorum ad extra, sed non determinant perfectionem operis ejus ad intra, cum infinita sit, nec aliud sit quam ipse Deus.

In creato autem agente, exemplar ideale non est propria ejus forma, sed est species quædam, quam agens sibi efformat, seu in sua mente componit.

b) **Homo exemplar ideale sibi comparat,** non ex immediata divini Exemplaris et divinarum idearum intuitione, sicut somniaverunt Ontologistæ, sed ex naturali aut supernaturali perfectorum Dei opificiorum juxta Eum exemplatorum cognitione, qua sibi efformat idealem perfectionem corporalem aut spiritualem, ad cujus normam opera interna et opificia externa perficit.

Idealis perfectio corporalis, seu forma artificialis opificiorum materialium, in tribus consistit, juxta Aristotelem in 1. Physic., text. 46, nempe in compositione, ordine et figura. Formatur in mente artificis humani, ope abstractionis intellectualis, ex phantasmatibus naturalium corporum, in toto vel in parte consideratorum; ita ut ratio artificis perfectiores eorum partes dividat, componat, ordinet, et sic pulchram figuram, seu pulchrum aliquod totum ideale, sibi efformat, juxta quod perficit materiale suum opificium.

Idealis perfectio spiritualis duplex est, secundum quod homo sibi efformat ideam spiritualis perfectionis creatæ, aut increatæ, ad eam imitandam in speculatione, actione et factione. Porro ideam spiritualis *perfectionis creatæ* nobis efformamus, mente dividendo, componendo atque ordinando intelligibiles species naturales aut supernaturales variarum perfectionum intellectualium, artificialium ac moralium, quas intellectu jam possidemus, ut ex iis, tanquam ex partibus, totum perfectum nobis effingamus, quod in operando imitemur. — Ideam *perfectionis increatæ*, seu divinæ, nobis efformamus dupliciter, nempe per viam affirmationis, aut per viam negationis, sicut docet S. Dionysius Areopagita. *Per viam affirmationis*, seu additionis, attribuimus eminenter supremo Artifici omnes effectuum creatorum perfectiones; tunc operamur more pictorum, qui tabulam efformant addendo lineam lineæ, et colorem colori. *Per viam negationis*, negamus omnes perfectiones, hac additione conceptas, esse in Ente infinite perfecto, modo finito quo ipsas concepimus; et tunc operamur more sculptorum, qui

statuam suam efformant demendo materiam. Hæc negativa perfectionis divinæ idea, sublimior est quam positiva. Perfectionis autem divinæ idea, quam mente nobis efformamus, est suprema forma idealis, juxta quam opera nostra perficimus.

c) **Exemplar internum, seu idea, est conceptus de se practicus,** nempe ad opus ordinatus, sed tamen manere potest sine effectu, si agens nolit operari juxta conceptum suum. Si autem velit ac possit operari, causa exemplaris effectum suum producet.

Ergo ideæ sunt vel virtualiter et *in potentia practicæ*, vel *actu practicæ*, prout determinatæ vel non determinatæ sunt ad opus ex decreto voluntatis agentis. Nihil enim impedit quominus agens possit vere formare ideam, non solum de re, quam facit aut vult facere, sed etiam de illa, quam facere potest, quamvis nolit.

3°) Exemplar externum est multiplex.

Potest enim esse vel pulchra imago, aut scriptura; vel lex, aut quælibet morum norma; vel exemplum virtutis, quæ nobis objective proponuntur intuenda et imitanda, sive in actione ad nosmetipsos perficiendos, sive in factione ad opificia nostra perficienda. Deus externum exemplar imitandum Moysi proposuit, quando illi dixit in Exod. 25, v. 40: *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

a) **In ordine perfectionis artium,** opificia eximii et præsertim divini artificis, sunt externa exemplaria respectu inferioris artificis, qui illa intuendo et imitando propria perficit opificia. Verumtamen ars humana non consistit in sola alienorum, nec quidem divinorum opificiorum imitatione, sed in imitatione rationabili, seu intelligente. Duo enim artem constituunt, juxta S. Augustinum in lib. 1 de Musica, cap. 4, scilicet imitatio et ratio. Externum enim exemplar est extra mentem artificis, sed tamen perfectio ejus debet ab ipso intelligi, ut possit artificiose in opificio repræsentari. Cæterum liquet perfectius esse propriam ac originalem ideam in opificiis repræsentare, quam aliena opificia imitari, præsertim si servilis et materialis sit imitatio.

b) **In ordine morali,** exempla virtutum, quæ in Jesu Christo et sanctis ejus admiramur, sunt externa vitæ nostræ exemplaria, quorum imitatione perficimur. Dicit enim Christus apud Joan. 13: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Et S. Paulus ad Philip. 3: *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Item 1. Cor., 11: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

Exemplar externum est causa, quæ non physice et subjective, sed moraliter tantum et objective influit in agentem. Est enim forma aliqua nobis objecta, quæ perfectione sua, et sub ratione causæ finalis, nos movet ad perfecte operandum juxta suam similitudinem. Sed est efficacissima causa moralis, quia Deus volens omnium hominum perfectionem, omnibus dedit naturalem et fortem imitandi inclinationem, ita ut multo potentius exemplis quam verbis ad bonum agendum moveamur. Nam « Verba monent, exempla trahunt » ait adagium.

4°) Exemplum internum vel externum potest esse naturale, aut supernaturale.

Nam *quoad exemplar internum*, perfectio idealis ab ingenio creato concepta, seu efformata, potest esse naturalis, aut supernaturalis, prout ideæ conceptio oritur ex principio, quod sit juxta, vel supra naturam ingenii concipientis. Si enim conceptio oriatur ex naturali principio, idea naturalis est; naturalia autem principia conceptionis idealis in angelico intellectu sunt species intelligibiles naturaliter ipsi inditæ illumque illuminantes; in humano intellectu sunt species intelligibiles ex rerum sensibilium phantasmatibus abstractae. Si vero conceptio oriatur ex supernaturalibus speciebus intelligibilibus, quibus gratia intellectum creatum illuminat, idea supernaturalis est. Si denique intellectus creatus illustretur lumine gloriæ, nullam perfectionis ideam sibi efformat, sed sine ulla specie vel idea intermedia contemplatur facie ad faciem ipsam Dei Formam infinite perfectam, quæ in visione beatifica, juxta S. Thomam, vices gerit omnis speciei intelligibilis, aut formæ idealis, cujus ipse supremum Exemplar est.

Quoad exemplar externum, perfectum objectum, imitationi nostræ propositum, ornari potest perfectione, quæ sit juxta vel supra ipsius naturam, sive in physico ordine corporali aut spirituali, sive in ordine intellectuali, artistico et morali.

§ II.

De prima Causa exemplari, quæ Deus est.

Videbimus, supremum Exemplar *omnium rerum creatarum* 1°) quoad esse, et 2°) quoad operari, esse non posse nisi Formam divinam; et inquiremus 3°) quomodo Deus est supremum omnium rerum Exemplar.

69. — I. Divina Forma est supremum Exemplar omnium rerum, quoad esse.

Audiamus doctorem angelicum sic loquentem in 1. q. 44, art. 3, corp.: « Exemplar est idem quod idea. Sed ideæ secundum Augustinum

(lib. 83 quæstionum, q. 46) sunt formæ principales, quæ divina intelligentia continentur. Ergo exemplaria rerum non sunt extra Deum; Deus enim est prima Causa exemplaris omnium rerum. »

« Ad cujus evidentiam considerandum est quod ad productionem alicujus rei, ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia, propter exemplum ad quod inspicit, sive illud sit exemplar ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. »

« Manifestum est autem quod omnia quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet quod reducatur, sicut in primum principium, in divinam Sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere, quod in divina Sapientia sunt rationes omnium rerum, quas supra diximus ideas, id est formas exemplares in Mente divina existentes. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divina Essentia, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode. »

« Sic igitur Deus est primum Exemplar omnium. Possunt etiam in rebus creatis quædam aliorum exemplaria dici, secundum quod quædam sunt ad similitudinem aliorum, vel secundum eamdem speciem, vel secundum analogiam alicujus imitationis. »

In 1. q. 15, art. 1, corp.: « Quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agentem, necesse est quod in Mente divina sit forma ad similitudinem cujus mundus factus est. »

In q. 3 de Verit., art. 2, ad 6^m: « Una prima Forma, ad quam omnia reducuntur, est ipsa divina Essentia secundum se considerata; ex cujus consideratione divinus intellectus adinvenit, ut ita dicam, diversos modos suæ imitationis, in quibus pluralitas idearum consistit. »

In 3. q. 56, art. 1, ad 3^m: « Semper id quod est perfectissimum, est exemplar ejus quod est minus perfectum, secundum suum modum. » Atqui, divina Forma est infinite perfecta. Ergo Exemplar est omnis perfectionis finitæ, secundum omnes modos possibiles perfectionis.

70. — II. Divina Forma est supremum creaturarum intelligentium Exemplar, quoad operari.

Deus est supremum Exemplar omnium rerum creatarum, etiam materialium, quæ illum in suo esse repræsentant per modum *vestigii;* sed res spirituales Deum unitrinum imitantur insuper per modum *imaginis,* inquantum analogice sunt natura spirituales, sicut ipse Deus, atque spiritualiter per intellectum et voluntatem sicut ille operantur, sive ad intra, sive ad extra. Operatio ad intra, seu immanens, terminatur ad ipsum agentem illumque perficit; operatio ad extra transit ad exteriorem materiam, ad quam terminatur, et quam perficit. Operatio ad intra est duplex: *speculatio,* quæ perficit intellectum, et *actio* moralis, quæ moraliter perficit voluntatem; operatio ad extra dicitur *factio,* et perficit opificia externa. — Atqui, Deus est necessario supremum Exemplar omnis perfectæ speculationis, actionis et factionis: nemo enim perfecte speculatur, nisi secundum speculativas Dei ideas, et imitando divinam scientiam; nemo perfecte agit moraliter, nisi secundum Dei legem, et imitando divinas virtutes; nemo perfecte aliquod opificium facit, nisi secundum practicas Dei ideas, et imitando divinam artem; Dei autem scientia, lex et virtutes non distinguuntur a divina Forma. — Ergo divina Forma est necessario primum Exemplar omnis operationis creaturarum intelligentium.

Probatur minor. 1°) Deus est necessario supremum Exemplar omnis speculationis.

Objecta cognitionis angelorum et hominum non sunt in intellectu cognoscente, nisi mediantibus intelligibilibus rerum cognitarum speciebus, quibus res intellectualiter cognoscuntur. Illæ autem species naturaliter inditæ sunt intellectui angelico, et naturaliter ab intellectu humano abstrahuntur ex rerum sensibilium phantasmatibus.

Atqui, intelligibiles illæ species, ut veram rerum notitiam intellectibus creatis ingerant, conformari debent æternis ideis, quibus Deus res cunctas creavit, et nunc cognoscit; Dei autem ideæ realiter idem sunt ac divina Forma, sicut supra dictum est.

Ergo intellectus angelicus et humanus sunt veluti specula quæ, per intelligibiles suas species, repræsentant ideas divini intellectus et res his ideis conformes. Ergo divina Forma est supremum Exemplar speculationis angelorum et hominum, quorum intellectus informat mediantibus speciebus intelligibilibus sibi conformibus, et in visione beatifica immediata informabit per seipsam, atque gloriose transformabit.

2°) Deus est supremum Exemplar omnis actionis moralis.

Exemplar, seu norma moralitatis liberarum actionum creaturæ intelligentis, est lex; ipsius autem legis cujuscumque exemplar est Lex Dei æterna, a qua derivant cæteræ leges, sicut docet S. Thomas in 1. 2. q. 93, art. 3; æterna vero Lex est ipsa Ratio divina respectu ad operationem

rerum creatarum gubernandam, sicut ideæ sunt eadem Ratio divina respectu ad existentiam et productionem rerum. — Atqui, Dei Ratio ab ipsius Forma non distinguitur realiter. — Ergo divina Forma est necessario supremum moralium actionum Exemplar.

Confirmatur major. Lex est exemplar moralitatis liberarum actionum, quia est aliquid rationis, quæ est prima harum actionum norma. Invenitur autem primario in suprema Dei Ratione omnem operationem creaturarum gubernante ad bonum universale, quod est assimilatio omnium ad summum Bonum, et secundario invenitur in ratione creata, quæ divinæ Rationis participatio est, et cui Lex divina applicatur promulgatione; unde creaturæ intelligentes participant proprie Legem divinam; in aliis vero creaturis lex non dicitur nisi per similitudinem, sicut legitur in 1. 2. q. 91, art. 2, ad 3^m. Ergo creaturæ intelligentes perfici nequeunt moraliter, nisi liberam actionem suam conformando divinæ Legi sive naturali, sive supernaturali. Cum autem divina Lex sit ipse Deus, sequitur Deum esse necessario supremum moralitatis Exemplar.

3°) Deus est supremum Exemplar omnis factionis.

Norma perfectionis omnium artificiatorum est ars; ipsius autem artis finitæ exemplar est Ars Dei infinita, juxta quam mundus universus perficitur in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ. — Atqui, Ars divina non distinguitur realiter a divina Forma, quamvis sit multiformis utpote continens omnes ideas divinorum opificiorum, diversis modis perficiendorum aut perfectorum, imo continens rationes omnium Dei opificiorum possibilium. — Ergo divina Forma est supremum Exemplar ab omni artifice in sua operatione imitandum.

Verumtamen proxima et inferiora artificis creati exemplaria, sunt formosa artificis divini opificia naturalia et supernaturalia; sed cum ipsorum Dei opificiorum Exemplar sit Forma divina, quæ est Pulchritudo per essentiam, sequitur hanc Formam esse supremum omnis perfecti artificiati Exemplar. Omnia quæ in præsenti n.° II dicta sunt confirmantur ex eo, quod spirituales creaturæ divinam Formam *physice* ac necessario, ex parte sua, imitantur per modum imaginis. — Atqui, imago perfici nequit nisi ulterius similior fiat suo exemplari. — Ergo creaturæ spirituales et liberæ ad exemplar ipsius Dei, nequeunt in libera operatione sua perfici, nisi magis ac magis Deo assimilentur. — Libera autem ipsarum operatio complectitur speculationem, actionem et factionem. — Ergo Deus, seu divina Forma, inquantum intelligit et vult, est supremum Exemplar nostræ speculationis, actionis et factionis.

III. **Quomodo Deus est supremum omnis perfectionis Exemplar internum, vel externum.**

Supremum exemplar potest aspici vel a divino Artifice sua opificia intelligente, intendente ac producente, et tunc est *Deo internum*, quia nihil est nisi ipsa ejus Forma, ab eo intellecta ut diversimode imitabilis et imitanda ab aliis a se; vel aspici potest ab intelligentibus Dei opificiis, ab illo jam realiter creatis illumque imitantibus in sua libera operatione, et tunc est *omnibus rebus creatis externum.*

71. — 1°) De supremo Exemplari interno ipsi Deo.

a) **Ipsa Dei Forma est unicum Exemplar omnium opificiorum suorum.**

Liquet suprema perfectione divini Artificis prorsus indignum esse, quod invenerit, aut creaverit extra Mentem suam, aliquod exemplar perfectionis opificiorum suorum, ad quod in operando aspexerit, sicut existimavit Plato, juxta probabiliorem sententiam de ejus doctrina; inde manifestum est unicum Exemplar omnium Dei opificiorum esse ipsam Dei Formam, seu perfectionem ab eo intellectam ut diversimode ab aliis a se imitabilem et imitandam; ergo nullum existit reale exemplar medium inter divinum Artificem et omnia ejus opificia.

Liquet præterea nos concipere non debere divinam Formam exemplarem seu Ideam ut gerentem vices speciei passive Intellectui divino impressæ, *qua* Deus seipsum imitabilem intelligeret; sed eam concipere debemus ut gerentem vices speciei active expressæ, *quæ* est divina Forma, inquantum a seipsa intelligitur ut imitabilis vel potius imitanda. Repugnat enim simplicissimo modo, quo Deus omnia intelligit, ut in eo sit aliquod medium cognitionis præter seipsum.

b) **De æternis rationibus et ideis divinis.**

Cum divina Forma sit infinite perfecta, et seipsam infinite et omnimode cognoscat, sequitur quod necessario se intelligit ut infinite imitabilem. — Atqui, seipsam intelligere nequit, ut ab alio imitabilem eodem modo infinito, quo ipsa est, quia tunc intelligeret duas perfectiones infinitas, scilicet Exemplar infinitum, et exemplatum infinitum, quod rationi repugnat. — Ergo divina Forma seipsam necessario intelligit ut infinite imitabilem diversis modis perfectione finitis, sed numero infinitis, et innumeri illi modi imitationis suæ, intellecti a Deo, sunt *speculativæ rationes* omnium exemplatorum possibilium. Sed divina Forma, ex amore propriæ perfectionis, libere et ab æterno intendit certum nu-

merum exemplatorum efficere, juxta certos modos finitæ perfectionis a se libere decretos. Illi autem modi imitationis suæ, a divina Voluntate intenti ac decreti, sunt *practicæ ideæ* exemplatorum futurorum, seu rerum, quæ in variis formis substantialibus sibi concreatis, tanquam in certa perfectionis mensura seu potentia physica, a Deo accipiunt actum essendi, seu esse finitum et analogum Esse simplicissimo et infinito divinæ Formæ.

2°) De rebus juxta divinum Exemplar exemplatis.

a) **Cunctæ res creatæ** divinum Exemplar imitantur analogice tantum, seu quoad *esse;* non autem generice aut specifice, seu quoad *infinitum modum essendi.* Itaque omnia divina exemplata alio prorsus modo sunt ac divinum Exemplar; etenim, sicut dicit doctor Angelicus 3. q. 24, art. 3, ad 3^{m}: « Non est necessarium quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum aliqualiter imitetur suum exemplar. » Unitrina enim Forma est natura spiritualis, simplicissima, infinita, numero unica, ordine æqualis; dum *multæ res* juxta illam exemplatæ, sunt natura corporales, *omnes* vero natura sunt potentialitate admixtæ et finitæ, numero plures, ordine inæquales. Pluralitas vero, varietas et inæqualitas exemplatarum rerum a divino Artifice ordinantur ad perfectius imitandum divinum Exemplar, quod melius repræsentatur pluribus ac diversis modis finitis, quam uno et eodem modo finito, sicut docet S. Thomas in 1. q. 47, art. 1 et 2.

Porro res creatæ divinum Exemplar repræsentant, ex parte sua, duplici modo generali, scilicet *per modum vestigii,* et *per modum imaginis,* qui competit solis creaturis rationalibus.

b) **Creaturæ spirituales** supremum et externum suum Exemplar analogice imitantur, non solum physice ac necessario, ex parte sua, per formam suam spiritualem, sed etiam per liberam operationem suam, scilicet per speculationem, actionem moralem et factionem. Divinum autem Exemplar seipsum illis imitandum externe proponit duplici modo, nempe *invisibiliter* in divina Forma, et *visibiliter* in humana forma, quam Dei Verbum personaliter assumpsit, et in qua habitat plena divinitatis perfectio corporaliter.

72. — 3°) Quomodo omnes creaturarum perfectiones realiter inveniuntur in divino Exemplari.

Creaturarum perfectiones in Deo inveniuntur *idealiter* vel *realiter.* Idealiter enim, seu exemplariter, inveniuntur in Mente supremi Artificis, et modo finito; scilicet modo, quo divina Voluntas determinavit speciem et mensuram perfectionis ipsarum. Realiter autem inveniuntur in Essentia seu Forma divina, et modo infinito, inquantum divina Essentia infinite in se continet omnes finitas creaturarum perfectiones, et quidem duobus modis, quos explicabimus juxta doctrinam scholasticam, quam ipsis S. Thomæ verbis confirmabimus.

a) **Doctrina scholastica.**

Perfectionum aliæ dicuntur *absolute vel simpliciter simplices,* aliæ *secundum quid.* Priores illæ sunt quæ, secundum propriam rationem consideratæ, nullam includunt imperfectionem, neque cum meliori perfectione pugnant, exempli gratia, vita, sapientia. Posteriores vero illæ sunt, quæ, licet intra genus suum perfectæ sint, tamen in ipso sui conceptu aliquem complectuntur defectum, et cum aliis excellentioribus pugnant; exempli gratia, esse corpus.

Atqui, perfectiones, quæ puræ et simplices sunt, si spectentur secundum illud, quod in sui conceptu denotant, *formaliter,* hoc est juxta S. Thomam, 1. dist. 2, q. 1, art. 2, solut., secundum verissimam sui rationem, in Deo continentur, secus Deus infinite perfectus non esset... Perfectiones autem secundum quid, cum in ipso sui conceptu defectum aliquem includant, non formaliter, sed dumtaxat *eminenter,* excellentiori nempe ratione, Deo sunt attribuendæ.

Dicimus perfectiones absolute simplices in Deo formaliter contineri, *si considerentur secundum illud, quod in sui conceptu denotant;* nam si spectentur secundum eam rationem, qua in creaturis sunt, plures complectuntur imperfectiones; exempli gratia, sunt qualitates quæ intendi et remitti possunt, limitibusque circumscribuntur, ac proinde non secundum eam formam, qua in creaturis existunt, sed modo eminentiori in Deo continentur. Quapropter statuendum est perfectiones creaturarum, cujuscumque generis sint, eminentiori ratione Deo esse attribuendas. Hinc S. Dionysius Areopagita, de div. Nom., cap. 12, docet omnia de Deo affirmari quodammodo et negari, Deumque vocat omnium *positionem* et omnium *ablationem;* quia eminenter ponit omnia, tanquam omnia continens, et formaliter omnia aufert, quia omnem rationem formalem creatam et finitam a se excludit. Et S. Augustinus, in cap. 3. Joan., tract. 13, n.° 25: « Omnia possunt dici de Deo, nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quæris congruum nomen, non invenis: quæris quoquomodo dicere, omnia invenis. »

Ex his intelligitur, quod sicut tempus additum æternitati durationem ipsius non auget, quia omnes durationes illi inferiores in ea emi-

nentissimo modo continentur, ita Deus et creaturæ non sunt aliquid perfectius quam Deus solus, quia tota creaturarum perfectio in Deo perfectissime continetur, non solum secundum communes, seu genericas ac specificas, sed etiam secundum individuales earum rationes, sicut docet S. Thomas, 1. q. 14, art. 6: « Omnia in Deo præexistunt, non solum quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quæ res distinguuntur. »

b) **Confirmatur ex S. Thoma** 1. dist. 2, q. 1, art. 2, sol.: « Quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a Creatore; imperfectio autem non est ab Ipso, sed accidit ex parte creaturarum, inquantum sunt ex nihilo. Quod autem est causa alicujus, habet illud excellentius et nobilius. Unde oportet quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo, et sine aliqua imperfectione; et ideo, quæ in creaturis sunt diversa, in Deo, propter summam simplicitatem, sunt unum. Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas et hujusmodi, quorum quodlibet est ipsa divina Essentia, et ita omnia sunt unum re. Et quia unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, et ratio sapientiæ non est ratio bonitatis inquantum hujusmodi, relinquitur quod sunt diversa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei; et inde est quod Ipse non est Causa rerum omnino æquivoca, cum secundum Formam suam producat effectus similes non univoce, sed analogice, sicut a sua Sapientia derivatur omnis sapientia, et ita de aliis attributis, secundum doctrinam Dionysii, de div. Nom., cap. 7. Unde Ipse est exemplaris Forma rerum, non tantum ad ea, quæ sunt in Sapientia sua, scilicet secundum rationes ideales, sed etiam quantum ad ea quæ sunt in natura sua, scilicet attributa. — Quidam autem dicunt quod ista attributa non differunt nisi penes connotata in creaturis. Quod non potest esse, tum quia causa non habet aliquid ab effectu, sed e converso; unde Deus non dicitur sapiens, quia ab eo est sapientia, sed potius res creata dicitur sapiens inquantum imitatur divinam Sapientiam; tum quia ab æterno creaturis non existentibus, etiamsi nunquam futuræ essent, fuit verum dicere quod est sapiens, bonus et hujusmodi. Nec idem omnino significatur per unum et per aliud, sicut idem significatur per nomina synonima. »

Quæst. disp. de Malo, q. 5, art. 1, ad 4^{m}: « Bonum creatum additum Bono increato non facit aliquid majus; quia si duo participantia conjungantur, augeri potest in eis quod participatur, sed si participans addatur ei, quod per essentiam est tale, non facit aliquid majus; sicut duo calida adjuncta ad invicem possunt facere magis calidum, sed si esset aliquid quod esset calor per essentiam subsistens, ex nullius calidi additione intenderetur. Cum ergo Deus sit ipsa essentia Bonitatis, omnia autem alia bona per participationem, ex nullius boni additione fit Deus magis bonus, quia cujuslibet rei bonitas continetur in Ipso. »

ARTICULUS III.

DE PRIMA CAUSA FINALI.

Explicabimus 1°) causam finalem in genere; 2°) primam Causam finalem, quæ Deus est.

§ I.

De finali causa in genere.

73. — I. De causæ finalis necessitate, notione, præstantia et ordine.

1°) Necessitas ac notio finis.

Necesse est aliquid esse propter quod causa efficiens, intellectu pollens, unum potius quam alium determinatum effectum producit. Atqui, illud propter quod agens aliquid operatur, *causa finalis*, seu *finis* dicitur. Unde finis ab omnibus definitur: *id cujus gratia aliquid fit.*

Hic vero finis ab agente intentus, est semper bonum ab intellectu cognitum, et a volontate appetitum; nam bonum habet rationem causæ finalis, ita ut nulla voluntas aliquid intendat, nisi sub ratione boni veri, vel apparentis. Idcirco finis recte dicitur *motivum*, quia agentem movet, seu determinat moraliter ad agendum. Dicitur quoque *objectum formale*, quod agens sibi proponit tanquam terminum operationis, ita ut finis determinet operationis modum et directionem.

74. — 2°) Præstantia causæ finalis.

Non loquimur de causa increata, seu de Forma divina, quæ est simul suprema Causa efficiens, exemplaris et finalis, sed loquimur de causis creatis, quæ realiter ab invicem distinguuntur, ac inter se inæqualiter ordinantur, et dicimus causam finalem præstare cæteris speciebus causarum secundarum, scilicet causæ efficienti, materiali, et formali rebus intrinsecæ, non vero extrinsecæ.

Nullum enim agens rationabiliter agit propter aliquid vilius consequendum, sed propter aliquid melius quam media adhibita, et ex cujus consecutione agens intendit seipsum, vel opus

suum perficere. Igitur sicut finis, *ut intentus*, tempore prior est exercitio causæ efficientis, ita est perfectione prior causa efficiente, quatenus ejus exercitium provocat.

Atqui, causa efficiens nobilior est causa materiali et causa formali, quæ sunt effectui intrinsecæ, ac proinde ab ipsa causa efficiente producuntur. Ergo sicut finis nobilior est causa efficiente, inquantum hæc agit propter finem, ita a fortiori nobilior est causa materiali et causa formali intrinseca. Unde merito S. Thomas cum Aristotele dicit finem esse quodammodo causam omnium aliarum causarum. Vide commentaria doctoris angelici in 2. Physic., lect. 5; item in 3 et 5 Metaph., lect. 3 et 4. Verumtamen si non *dignitas*, sed *actio* causæ attendatur, liquet causam efficientem esse priorem causa finali, quia causa efficiens est ipsum agens *physice* operans, in quem causa finalis influit *moraliter* tantum, licet realiter.

Causa exemplaris, seu formalis extrinseca, præstantiam causæ finalis participat, inquantum consequenter habet rationem causæ finalis, perfectione sua movendo agentem ad agendum juxta sui similitudinem, sicut supra diximus n.° 65.

75. — 3°) ORDO FINIS IN OPERATIONE.

Ordo duplex in operatione distinguitur, nempe ordo *intentionis*, et ordo *exsecutionis*.

a) **In ordine intentionis,** finis est primus, ac proinde est principium operationis, et habet rationem causæ, quatenus causam efficientem, intellectu pollentem, movet ad aliquid operandum. Nam agens intelligens non agit nisi propter finem; insuper finis determinat seu specificat operationem et media adhibenda, quia agens operando intendit finem illumque respicit tanquam scopum sibi propositum, seu præfixum.

Contra in ordine *exsecutionis*, finis est extremus, et habet rationem effectus, quatenus non obtinetur nisi postquam operatio a causa efficiente completa sit per actum, qui est operationis terminus. — In operatione *immanente*, finis obtentus perficit operantem, quia actus operationem terminans manet in ipso operante. In operatione autem *transeunte* in exteriorem materiam, finis obtentus perficit materiam ad quam terminatur operatio, ita ut ex unione materiæ, seu potentiæ, et formæ, seu actus, perficiatur aliquod opificium.

b) **En igitur ordo causalitatis utriusque ordinis** in quacumque operatione immanente, ut sunt speculatio et actio moralis, vel transeunte, ut est factio quælibet. *In ordine intentionis*, primo loco ponitur causa finalis, propter quam agens operatur; secundo exemplaris causa, interna vel externa, juxta quam primario, et propter quam secundario agens operatur; tertio causa efficiens, seu ipsum agens, inquantum operationem actu incipit, continuat et perficit.

E contrario, *in ordine exsecutionis*, primo loco ponitur causa efficiens, quæ actu operatur; secundo causa exemplaris, juxta quam operatur; tertio causa finalis, quæ operatione completa obtinetur; fine enim ipsum opus perficitur juxta exemplar, et opere perfecto attingitur scopus operi externus, quem agens in operando intenderat præter operis sui perfectionem.

Inde patet causam exemplarem tenere medium locum inter causam efficientem et causam finalem, tam in ordine intentionis, quam in ordine exsecutionis. Pertinet enim ad practicum intellectum operantis, et est formalis ac fundamentalis ratio totius perfectionis operis ejus. Ergo cognitio supremæ Causæ exemplaris, seu idearum divini Artificis, est participatio practicæ Rationis, Artis ac Sapientiæ ejus, et altissima scientia perfectionis atque ordinis omnium Dei opificiorum. Ergo doctrina divini Exemplarismi, quæ hanc cognitionem intendit, prout in præsentis vitæ caligine acquiri potest, est vere apex sapientiæ et clavis scientiæ ordinis universalis, tam increati et exemplaris, quam creati et exemplati.

76. — II. **De variis speciebus causæ finalis.** Tripliciter præsertim distinguitur finis.

1°) DISTINGUUNTUR FINIS PROXIMUS, REMOTUS ET ULTIMUS.

Finis *proximus* ille est, quem agens intendit immediate, scilicet nullo alio fine interposito.

Finis *remotus* ille est, quem agens intendit mediate, scilicet alio, vel aliis finibus interpositis. Exempli gratia, finis proximus agminis ad aciem instructi est prælium, finis autem remotus est victoria.

Si vero remotus finis sit velut ultimus terminus, in quo quiescit agentis appetitus, dicitur finis *ultimus*, qualis est, homini viatori, beatitudo. Ideo finis ultimus definitur: « Id quod appetitur propter se tantum, et propter quod cætera omnia tanquam media appetuntur. »

2°) DISTINGUUNTUR FINIS PRIMARIUS, SEU PRINCIPALIS, ET FINIS SECUNDARIUS, SEU ACCESSORIUS.

Primarius dicitur ille finis, quem agens ita intendit, ut etiamsi alius finis deesset, ab operando non desisteret. Inde liquet quod finis ultimus omnium, in ordine exsecutionis, est primarius omnium in ordine intentionis, ita ut se habeat in ordine morali, sicut prima demonstrationis principia in ordine logico, quemadmodum post Aristotelem docet S. Thomas in 1. 2. q. 8, art. 2, corp.: « Sic se habet finis in appetibilibus, sicut se habet principium in intelligibilibus, ut dicitur in 7. Ethicor. » Finem primarium omnium,

seu beatitudinem, quæ est bonum universale, appetimus necessitate naturæ; cæteros fines inferiores, seu bona particularia, appetimus libere, ac moraliter eligimus, tanquam media ad beatitudinem, et propter beatitudinem, quam physice ac necessario appetimus in omni volitione, saltem virtualiter.

Secundarius dicitur ille finis, quem agens ita intendit, ut si hic finis esset solus, opus non efficeret. Sic utilitas potest esse finis primarius, et delectatio finis secundarius, ob quem aliquis studio philosophiæ incumbit.

3°) Distinguuntur finis operis, et finis operantis.

Finis *operis* dicitur ille, ad quem opus ex natura sua spectat. Sic finis pingendi est perfectio picturæ.

Finis *operantis* est ille, quem operans sibi proponit, sive finis sit operi extrinsecus, sive intrinsecus. Sic finis pingendi potest esse lucrum, vel gloria, vel ipsa picturæ perfectio. Nihil enim prohibet quin finis operantis sit id ipsum, quod est finis operis, nempe intrinseca operis perfectio.

77. — III. De causa morali.

1°) Causa moralis refertur ad causam efficientem et finalem.

Causa efficiens proprie dicta, ipsa physice facit effectum physicum causa autem moralis agit in efficientem causam intelligentem, illam movendo ad effectum physicum libere producendum. Movet autem eam, præstando ejus intellectui aliquod objectum, sub ratione boni particularis, quod voluntatem ejus determinet ad agendum; ideo hoc objectum rectissime dicitur motivum, propter quod efficiens causa physica agit. Ad rem optime dicit Zigliara, Philos., T. 1, p. 105: « Causa moralis illa dicitur, quæ in effectum influit, causam physicam mediis moralibus ad finem inducendo. Hæc vero causa secundum diversum respectum quo consideratur, ad causam efficientem, vel finalem referri potest. Etenim ratione *effectus*, qui secundum communem æstimationem ipsi imputatur, pertinet ad causam efficientem, sed ratione *medii* adhibiti, nempe moralis, reduci debet ad causam finalem. Nam medium morale intelligi nequit absque relatione ad bonum, quo vim moraliter influendi obtinet; atqui bonum habet rationem finis; ergo ratione medii adhibiti, causa moralis ad finalem reduci debet. » Etenim ad physicum effectum producendum concurrit medio seu modo morali, per influxum intellectus in liberam voluntatem.

Sed præter effectum *physicum*, ad quem cum causa efficiente concurrit, causa moralis habet effectum sibi proprium ac *moralem*, inquantum motiva, seu judicia, ab intellectu practico præsentata voluntati, immediate ac moraliter, sed tamen realiter eam determinant ad consentiendum alicui operi seu actui physico, interno vel externo efficiendo. Nam prædicta motiva sunt ipsa *causa moralis*, quæ suum *effectum moralem*, seu voluntatis consensum immediate producit, quo mediante physicas quidam effectus libere ab agente, seu a causa efficiente producitur. — Sic concionator auditorum suorum voluntati moraliter efficacibus motivis persuadet, ut ad physicam alicujus virtutis actum, internum vel externum, ab auditoribus efficiendum libere consentiat. Ipsius autem voluntatis actus est moralis consensus moraliter obtentus, seu productus.

2°) Distinguitur duplex causa moralis, scilicet principalis et instrumentalis.

Moralis causa principalis, propria bonitate et merito, vel propria intercessione, vel alio morali motivo, efficientem causam physicam et intelligentem movet objective, ad producendum effectum, ita ut huic causæ morali attribuatur, quod causa illa effectum producat.

Moralis causa instrumentalis efficientem causam physicam, vel intelligentem movet virtute morali sibi communicata a morali causa principali et objective, ad effectum producendum.

Exempli gratia, filius regis bonus, et de patre bene meritus, veniam pro reo impetrans, est *moralis causa principalis*, propter quam rex veniam reo concedat; filii enim ejus virtus et meritum, sunt objectum bonum, libenter ab eo consideratum, atque illum moraliter movens ad concedendam gratiam a filio impetratam. Sed si filius regis ad patrem suum mittat legatum vel epistolam, legatus ille vel epistola, quæ ipse ad regem dirigit, ut suo nomine gratiam impetrent, sunt *morales causæ instrumentales*.

§ II.

De prima Causa finali, quæ Deus est.

Videbimus 1°) primam Causam finalem omnium rerum esse non posse, nisi Formam divinam; 2°) quomodo Deus est prima Causa finalis.

78. — I. Deus est necessario primus omnium finis. Scriptum est enim in Proverb. 16, v. 4.: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Hoc probat S. Thomas:

1°) Ex infinita Dei perfectione, quæ nihil acquirere potest, et quam necessario ex parte sua participant omnia entia creata, ita ut omnia assimilationem suam ad eam appetant propter proprium bonum suum.

Legitur in 1. q. 44, art. 4, corp.: « *Omne agens agit propter finem;* alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud, nisi in casu. Est autem idem finis agentis et patientis inquantum hujusmodi, sed aliter et aliter. »

« Unum enim et idem est, quod agens intendit imprimere, et quod patiens intendit recipere. Sunt autem quædam quæ simul agunt et patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta, et his convenit quod, etiam in agendo, intendant aliquid acquirere. Sed primo Agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est ejus Bonitas. Et unaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis et Bonitatis divinæ. Sic ergo divina Bonitas est finis rerum omnium. »

Ibidem ad 1^m: « Agere propter indigentiam non est nisi agentis imperfecti, quod natum est agere et pati. Sed hoc Deo non competit. Et ideo ipse solus est maxime liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam Bonitatem. »

Ibidem ad 3^m: « Omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quodcumque bonum, sive appetitu intelligibili, sive sensibili, sive naturali, qui est sine cognitione; quia nihil habet rationem boni et appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem. »

2°) Ex coordinatis creaturarum finibus.

In 1. q. 65, art. 2, corp.: « In partibus universi, unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem. Secundo autem creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturæ quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem. Singulæ autem creaturæ sunt propter perfectionem totius universi. Ulterius autem totum universum, cum singulis suis partibus, ordinatur in Deum sicut in finem, inquantum in eis per quamdam imitationem divina Bonitas repræsentatur ad gloriam Dei; quamvis creaturæ rationales, speciali quodam modo, supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione, cognoscendo et amando. Et sic patet quod divina Bonitas est finis omnium corporalium. »

3°) Ex eo, quod Deus sit primum omnium rerum Principium; inde concludit S. Thomas, Deum esse etiam ultimum omnium rerum finem.

Dicit in 1. q. 103, art. 2, corp.: « Cum finis respondeat principio, non potest fieri ut principio cognito, quid sit rerum finis ignoretur. Cum igitur Principium rerum sit aliquid extrinsecum a toto universo, scilicet Deus, ut ex supradictis patet, necesse est quod etiam finis rerum sit quoddam bonum extrinsecum, et hoc ratione apparet. Manifestum est enim quod bonum habet rationem finis; unde finis particularis alicujus rei est quoddam bonum particulare; finis autem universalis rerum omnium est quoddam bonum universale. Bonum autem universale est, quod est per se et per suam essentiam bonum, quod est ipsa essentia bonitatis; bonum autem particulare est, quod est participative bonum. Manifestum est autem, quod in tota universitate creaturarum, nullum est bonum, quod non sit participative bonum. Unde illud Bonum quod est finis totius universi, oportet quod sit extrinsecum a toto universo. »

Ibidem ad 3^m: « Finis quidem universi est aliquod bonum in ipso existens, scilicet ordo ipsius universi. Hoc autem bonum non est ultimus finis; sed ordinatur ad Bonum extrinsecum, ut ad ultimum finem; sicut etiam ordo exercitus ordinatur ad ducem, ut dicitur in lib. 12 Metaph. »

79. — II. Quomodo Deus sit primus omnium rerum finis. — Divina Forma, seu perfectio, est primus omnium finis, tam in ordine intentionis, quam in ordine exsecutionis.

1°) In ordine intentionis, Perfectio divina ab omnibus rebus diversimode repræsentanda, est finis primarius, seu primum motivum omnis operationis Dei ad extra. Divina enim Forma infinitam Perfectionem suam infinite intelligens et amans, hoc amore mota, ab æterno intendit suam Perfectionem ab aliis a se repræsentandam in ordine naturæ, gloriæ ac gratiæ, et manifestandam creaturis intelligentibus, quæ illam laudent ac glorificent in seipsa, et in omnibus operibus ejus.

2°) In ordine exsecutionis, terminus seu finis ultimus operationis Dei ad extra, est divina Perfectio actualiter ab omnibus creaturis diversimode repræsentata, seu actualis assimilatio singularum et omnium rerum ad divinam Perfectionem, in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ ad ipsius Dei gloriam.

Sic divina Forma est simul *principium* et *finis*, A et Ω omnium rerum, sicut dicitur in Apocalypsi 1, 21, 22; sic attingit fortiter et infallibiliter, a primario fine intento ad ultimum finem obtentum, et omnia media inter utrumque finem suaviter disponit, sicut scriptum est in Sap. 8. — Sed divina Forma est quoque *Medium supremum* ac universale, seu primum Exemplar juxta quod divinus Artifex omnia opificia sua perficit, operando in omni sæculorum decursu, a fine intento in æternitate ad finem obtentum in æternitate, tempore elapso. *Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Amen,* sicut scribit Apostolus ad Rom. 11.

ARTICULUS IV.

DE ORDINE CAUSARUM ET EFFECTUUM.

Agemus 1°) de primæ Causæ influxu in causas secundas; 2°) de prioritate dignitatis et temporis inter causam et effectum.

§ I.

De primæ Causæ influxu in causas secundas.

80. — I. **Divina Forma est et operatur ad extra, a seipsa, juxta seipsam et propter seipsam,** seu propter suam similitudinem communicandam.

Divina Forma operatur *ad intra*, atque *ad extra*.

1°) Ad intra, divina Forma operatur necessario tanquam *principium*, sed non tanquam *causa*, quia operatur communicando seipsam substantialiter duabus personis divinis, ad quas terminantur duæ processiones; Pater enim totam substantiam divinam communicat Filio suo, qui ab illo procedit per divinum Intellectum; Pater et Filius totam substantiam divinam communicant Spiritui sancto, qui ab utroque per divinam Voluntatem procedit, tanquam ab uno Principio.

2°) Ad extra autem divina Forma, una in se et trina personis, operatur a) **tanquam prima Causa efficiens, exemplaris et finalis,** scilicet a seipsa, juxta seipsam et propter seipsam sicut in præcedentibus Articulis probatum est.

b) **Operatur tanquam causa libera,** quia terminus operationis hujus sunt substantiæ infinite differentes a divina substantia, ita ut Deus ipsis communicet non suam substantiam, sed suæ substantiæ similitudinem, substantiis a se creatis tribuendo esse et operari, quæ divinum Esse et operari imitantur analogice, juxta modum *extra res* creatas determinatum in ideis supremi Artificis, et *intra res* per formas earum substantiales. — Atqui, creaturarum perfectio finita et similitudine participata, quæ est finis divinæ operationis ad extra, non est objectum necessarium Voluntatis Dei. — Ergo Deus hunc finem, non necessario, sed libere intendit.

c) **Deus unitrinus est causa intelligens,** quæ omnia ad extra operatur per Intellectum et liberam Voluntatem, sed supposito quod aliquid aliquo modo causare velit, effectus fit infallibiliter eo modo, quo divinus Artifex illum causare decrevit, sive necessario, sive contingenti ac libero. Deus enim non esset omnipotens, si quod facere decrevit non faceret eodem modo, quo decrevit; nec esset infinite sapiens, si opificia sua non faceret, nec ordinaret juxta seipsum; nec esset infinite bonus et perfectus, si omnia opificia sua propter seipsum non faceret, nec ad seipsum ordinaret. Itaque Deus est prima Causa efficiens, exemplaris et finalis existentiæ et operationis omnium opificiorum suorum, ut jam dictum est.

Ergo omnis creatura sicut esse non potest, ita nec operari potest, sive necessario per naturam, sive per liberam voluntatem, nisi a Deo, tanquam causa secunda, sub influxu primæ Causæ, cujus ipsa effectus est. Unde ab ea accipit non solum potentiam agendi, sed etiam ipsum actum, inquantum transire nequit a potentia ad actum physicum, nisi a Deo moveatur. Igitur in omni creaturæ actione, Deus est agens principale, et creatura est agens secundarium, quod propriam tamen actionem exercet, necessariam vel liberam, juxta formam seu naturam suam, licet sub influxu agentis principalis. Communis autem effectus utriusque causæ est totus ab utraque, sed secundum diversum modum. Etenim actio causæ secundæ subordinatur actioni Causæ primæ, ita ut sub illius influxu, propriam actionem exerceat; nam in omni et in tota creaturæ actione, Deus id efficit, quod ipsa creatura ex seipsa efficere non potest, et creatura sub hoc divino influxu efficit quod ipsa efficere potest. Itaque totus effectus ab utraque causa, suo modo proprio agente, produeitur.

c) **Deus duobus modis generalibus influit in omnem creaturarum intelligentium operationem;** nam influit secundum operationis ordinem, quem ipse instituit. Consequenter influit *physice* in ordine operationis physicæ ac necessariæ, et influit *moraliter* in ordine operationis moralis ac liberæ. — Præterea Deus est omnipotens in ordine morali sicut in ordine physico, ita ut infallibiliter effectum suum morali modo producat, si velit.

Celeberrimam quæstionem de hoc duplici Dei influxu in voluntatem creatam tractabimus in Tomo III, Parte II.

d) **Divina Causa in causarum secundarum operationem influit immediate,** sicut agnoscunt omnes catholici doctores, excepto Durando. Sed inter Thomistas et Molinistas acriter disputatur de modo, quo fit ille influxus, utrum *prævie* an *simultanee*, relate ad actionem causæ secundæ, præsertim liberæ. Hanc quoque controversiam, præcedenti quæstioni connexam, ad prædictum operis nostri Tomum remittimus.

81. — II. **Hæc doctrina confirmatur ex S. Thoma,** potissimum ex lib. 3, cont. Gent.

Probat enim: 1°) in cap. 66 « *quod nihil dat esse, nisi in quantum agit in virtute divina.* »

Sequentia tantum argumenta transcribemus: « Quod est per essentiam tale est proprie causa ejus quod est per participationem tale, sicut ignis est causa omnium ignitorum. Deus autem solus est Ens per essentiam suam, omnia autem alia sunt entia per participationem, nam in solo Deo Esse est sua Essentia. Esse igitur cujuslibet existentis est proprius effectus ejus, ita quod omne quod producit aliquid in esse, hoc facit in quantum agit in virtute Dei. » — « Item in omnibus causis ordinatis, id quod est ultimum in generatione, et primum in intentione, est proprius effectus primi Agentis, sicut forma domus, quæ est proprius effectus ædificatoris, posterius provenit quam præparatio cæmenti et lapidum et lignorum, quæ fiunt per artifices inferiores, qui subsunt ædificatori. In omni autem actione, esse in actu est principaliter intentum, et ultimum in generatione; nam eo habito, quiescit agentis actio et motus patientis. Est igitur esse proprius effectus primi Agentis, scilicet Dei; et omnia quæ dant esse, hoc habent inquantum agunt in virtute Dei. »

2°) In cap. 67, probatur « *quod Deus est Causa operandi omnibus operantibus.* » Nam « in omnibus causis agentibus ordinatis, semper oportet quod causæ sequentes agant in virtute causæ primæ; sicut in rebus naturalibus, corpora inferiora agunt in virtute corporum cœlestium, et in rebus voluntariis, omnes artifices inferiores operantur secundum imperium supremi architectonis. In ordine autem causarum agentium, Deus est prima Causa, ut ostensum est. Ergo omnes causæ inferiores agentes agunt in virtute ipsius. Causa autem actionis magis est id cujus virtute agitur, quam etiam illud quod agit, sicut principale agens magis agit quam instrumentum. Deus igitur principalius est Causa cujuslibet actionis, quam etiam secundæ causæ agentes. » — « Item omne operans, per suam operationem ordinatur ad finem ultimum. Oportet autem quod vel operatio ipsa sit finis, vel operatum, quod est operationis effectus. Ordinare autem res in finem est ipsius Dei, ut supra ostensum est. Oportet igitur dicere, quod omne agens, in virtute divina agat. Ipse igitur est qui est Causa actionis omnium rerum. » — « Ipse est qui operatur in omni operante per naturam, vel per voluntatem. »

3°) In cap. 89 probatur « *quod motus voluntatis causatur a Deo, et non solum a voluntate.* » Et in cap. 90 « *quod electiones et voluntates humanae subduntur divinæ Providentiæ.* » Verumtamen in cap. 73 ostenditur « *Quod divina Providentia non excludit arbitrii libertatem.* » Et in cap. 94, quod vicissim aliquarum causarum secundarum contingentia et libertas non impedit certitudinem divinæ Providentiæ, cum harum causarum effectus sint infallibiliter contingentes ac liberi, quia ut tales a Deo provisi sunt. « Est enim divina Providentia per se causa, quod hic effectus contingenter proveniat, et hoc cassari non potest..... Sic erit sicut Deus providit illud esse futurum; providit autem illud esse futurum contingenter; sequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter, non necessario. »

4°) In cap. 69 refutat « *opinionem eorum, qui a rebus naturalibus proprias subtrahunt actiones* » et in cap. 70 explicat « *quomodo idem effectus sit a Deo, et a naturali agente.* » Sic ipse loquitur doctor angelicus: « In quolibet enim agente est duo considerare, scilicet rem ipsam quæ agit, et virtutem in qua agit, sicut ignis calefacit per calorem. Virtus autem inferioris agentis dependet a virtute superioris agentis, inquantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti per quam agit, vel conservat eam, aut etiam applicat eum ad agendum; sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum; cui tamen interdum formam non dat per quam agit instrumentum, nec conservat, sed dat ei solum motum. Oportet igitur quod actio inferioris agentis non solum sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium; agit enim in virtute omnium; et sicut agens infimum invenitur immediatum activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum; nam virtus infimi agentis non habet quod producat hunc effectum ex se, sed ex virtute proximi superioris, et virtus illius hoc habet ex virtute superioris, et sic virtus supremi agentis invenitur ex se productiva effectus, quasi causa immediata; sicut patet in principiis demonstrationum, quorum primum est immediatum. Sicut igitur non est inconveniens quod una actio producatur ex aliquo agente et ejus virtute, ita non est inconveniens quod producatur idem effectus ab inferiori agente et a Deo, ab utroque immediate, licet alio et alio modo. » — « Patet autem quod non sic idem effectus causæ naturali et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti. » — Item cap. 66: « Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse; nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi Agentis, et omnia alia agunt ipsum, inquantum agunt in virtute primi agentis. Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particulantia et determi-

nantia actionem primi agentis, agunt, sicut proprios effectus, alias perfectiones quæ determinant esse. »

82. — 5°) In cap. 76, docet S. Thomas « *quod Providentia Dei sit singularium immediate.* » Verumtamen in cap. 77 ostendit « *quod executio divinæ Providentiæ fit mediantibus causis secundis.* » — « Ad providentiam duo requiruntur, ordinatio scilicet et ordinis exsecutio. Quorum primum fit per virtutem cognoscitivam; unde qui perfectioris cognitionis, sive cogitationis sunt, ordinatores aliorum dicuntur; sapientis enim est ordinare. Secundum vero fit per virtutem operativam. E contrario autem se habet in his duobus; nam tanto perfectior est ordinatio, quanto magis descendit ad minima; minimorum autem exsecutio condecet inferiorem virtutem effectui proportionatam. In Deo autem, quantum ad utrumque, summa perfectio invenitur; est enim in eo perfectissima Sapientia ad ordinandum, et virtus perfectissima ad operandum. Oportet ergo quod Ipse per Sapientiam suam omnium ordines disponat, etiam minimorum; exsequatur vero minima, sive infima, per alias inferiores virtutes, per quas Ipse operatur, sicut virtus universalis et altior per inferiorem et particularem virtutem. Conveniens est igitur quod sint inferiores virtutes agentes, divinæ Providentiæ exsecutrices. » — « Adhuc, nobilior est ordo causarum quam effectuum, sicut causa potior est effectu; magis igitur in eo perfectio Providentiæ demonstratur. Si autem non essent aliquæ causæ mediæ, exsequentes divinam Providentiam, non esset in rebus ordo causarum, sed effectuum tantum. Exigit igitur divinæ Providentiæ perfectio, quod sint causæ mediæ exsequentes ipsam. »

6°) In cap. 83, doctor angelicus *sic describit causarum secundarum ordinem in gubernatione mundi a Deo:* « Deus per se solum cuncta disponit, sed quantum ad exsecutionem, inferiora per superiora dispensat: corporalia quidem per spiritualia, unde Gregorius dicit: *In hoc mundo visibili nihil nisi per invisibilem creaturam disponi potest;* inferiores vero spiritus per superiores, unde dicit Dionysius (De cœl. Hierarch. cap. 4) quod *cœlestes essentiæ intellectuales primo in seipsas divinam edunt illuminationem, et in nos deferunt quæ supra nos sunt manifestationes;* inferiora etiam corpora per superiora, unde dicit Dionysius (ibid.) quod *sol ad generationem visibilium corporum confert, et ad vitam ipsa movet, et nutrit, et auget, et perficit, et mundat, et renovat.* De his autem omnibus simul dicit Augustinus: *Quemadmodum corpora grossiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem, et spiritus rationalis peccator per spiritum rationalem justum.* »

§ II.

De prioritate dignitatis et temporis, inter causam et effectum.

Causa spectari potest vel *ut relata ad effectum,* vel *ut non relata ad effectum.* — Jam vero sub priori respectu, omnis causa nobilior est suo effectu; nobilius enim est dare quam accipere, et sicut dicit S. Augustinus in qq. 83, q. 2: « Omne quod fit, ei a quo fit, par esse non potest »; insuper causa sic spectata, tempore non præcedit effectum, nam antequam aliquod efficiat, causa dici nequit. — Sub altero autem respectu, causa absolute spectata in sua realitate, non est semper effectu prior *dignitate,* sed esse potest ei æqualis, vel inferior; præterea esse potest effectu prior *tempore,* vel effectui simultanea, nunquam autem posterior.

83. — I. **De prioritate dignitatis inter causam ad effectum relatam, et effectum.**

Distinguuntur varii gradus nobilitatis, juxta varias causas rebus creatis extrinsecas, quas superius indicavimus in Articulis I, II et III, aut juxta causas rebus creatis intrinsecas, de quibus in sequenti Libro loquemur. *Extrinsecæ* causæ sunt causa efficiens, exemplaris et finalis; *intrinsecæ* autem causæ sunt causa materialis et formalis, quæ dici possunt causæ rerum constitutivæ.

Causa efficiens principalis potest esse suo effectu nobilior, vel æque nobilis. Est maxime nobilior, si sit causa *analoga,* quæ quoad esse tantum cum effectibus convenit; et talis est Deus respectu ad omnes res ab ipso creatas. Est quoque nobilior, si sit causa *æquivoca,* seu diversæ speciei ab effectu, et genere tantum cum eo conveniens; sic sol nobilior est rebus corruptibilibus, ad quarum productionem ipse concurrit. — Est æque nobilis, si sit causa *univoca,* seu ejusdem speciei cum effectu, ideoque eadem perfectione essentiali pollens; sic homo generatus æque nobilis est, quoad essentiam et in ordine physico, ac homo illum generans; verumtamen in ordine morali, pater filio dignior est ratione auctoritatis.

Causa efficiens instrumentalis in hoc differt a principali, quod principalis est agens *quod* aliquid efficit, dum instrumentum est agens *quo* aliquid efficitur sub influxu primi agentis; verbi gratia, in conficienda tabula picta, pictor est causa principalis, et penicillus est causa instrumentalis. Jam vero, causa instrumentalis non tantum vilior est causa principali, sed saepe

ignobilior est suo effectu; sic penicillus est vilior pictore et tabula picta.

Causa exemplaris semper perfectior est effectu exemplato.

Causa finalis, in agentibus bene ordinatis, est nobilior effectu. Nihil enim, in agentibus bene seu rationabiliter ordinatis, est propter vilius se, si sit principaliter intentum; nam inconveniens est aliquid esse, propter vilius se.

Causa constitutiva, qua totum aliquod componitur, vilior est toto composito, nam totum nobilius est qualibet sua parte; sic corpus vivens nobilius est materia et forma, quæ illud componunt, excepta tamen anima humana, quæ utpote spiritualis, multo dignior est corpore materiali.

84. — II. De prioritate temporis inter causam ad effectum non relatam, et effectum.

Divina Forma, una et trina, si consideretur prout in se est, *et non tanquam prima Causa efficiens* ad suos effectus relata, æterna est, et ideo existentiâ præcedit omnes res ab ea creatas cum tempore; nam fides nos docet mundum non existere ab æterno, sed cum tempore incepisse per creationem.

Quoad secundas causas efficientes, possunt effectum suum producere successive per motum, vel instantanee, sine motu successivo. Jam vero si *causa successiva est,* requiritur quod principium motus præcedat finem ejus. Si causa est *instantanea,* coexistit effectui, quem subito producit; « nec oportet omnem causam effectum duratione præcedere, sed natura tantum, sicut patet in sole et splendore. » Ita loquitur S. Thomas q. 13 de Pot., art. 13, ad 5^{m}.

Causa exemplaris, sive prima, sive secunda, præcedit, in mente artificis, opificium quod juxta illam exemplatur.

Causa finalis, prima vel secunda, est prior effectu in ordine intentionis, sed finis obtentus effectum sequitur in ordine exsecutionis.

Causa materialis non est naturaliter tempore prior omnibus formis substantialibus, quibuscum corpora omnia constituit; nequit enim materia carere omni forma, nec extra omne corpus existere.

Causa formalis et intrinseca, re ipsa non est tempore prior suo effectu, nempe composito, sed simul incipiunt.

LIBER TERTIUS.

EXPLICATUR TRINUS ORDO MUNDI EXEMPLATUS.

PROŒMIUM. — Postquam explicavimus trinum Ordinem *exemplarem,* qui est divina Forma, prima omnis ordinis Causa efficiens, exemplaris et finalis, explicandus est trinus ordo mundi *exemplatus* juxta divinæ Formæ ordinem.

Jam vero in tribus Capitibus explicabimus 1°) materiam et formam, quæ sunt intrinsecæ causæ perfectionis rerum creatarum mundum constituentium; sed sunt effectus primæ et extrinsecæ Causæ efficientis, exemplaris et finalis; 2°) necessariam omnium rerum cum divina Forma conformitatem per formas suas intrinsecas; 3°) trinum et pulcherrimum mundi ordinem resultantem ex prædicta rerum conformitate.

CAPUT I.

EXPLICANTUR CAUSÆ INTRINSECÆ OMNIUM RERUM, QUÆ MUNDUM CONSTITUUNT.

85. — Prænotanda. I. *Materia et forma,* a Deo unitrino rebus concreatæ, *constituunt substantias corporales,* quæ ita in se mutabiles, seu corruptibiles sunt, ut corruptio unius corporis sit generatio alterius; in hac autem substantiali transmutatione, *materia* est subjectum perfectibile ac permanens, *forma* vero est intrinseca causa perficiens dando esse, qua privatur corpus corruptum, ut nova forma substantialis priori formæ succedat.

Viventium autem corporum generatio non fit nisi duorum sexuum concursu, qui in anima-

libus et in plantis requiritur, cum hac differentia quod plerumque duo sexus in eadem planta individua reperiuntur, dum sexus animalium in duobus individuis existunt, scilicet in mare et femina. Porro principium materiale, in generatione viventium, est ovulum a femina seu matre subministratum; principium formale est maris seu patris semen, cujus virtute ovulum matris fecundatur, seu informatur anima vegetativa in plantis, et anima vegetativa ac sensitiva in animalibus. Sed in generatione hominis, fœtus sic virtute seminis animatus, mox substantialiter transformatur per animam spiritualem immediate a Deo creatam, succedentem animæ vegetativæ ac sensitivæ, et præditam potentiis intellectivis, sensitivis ac vegetativis. Terminus vero generationis omnium viventium est proles ejusdem speciei ac parentes.

II. *Sola forma*, exempta a materia, *constituit substantias spirituales*, et ipsarum esse a Deo acceptum specificat, seu determinat. Istæ nobiles substantiæ sunt incorruptibiles et immortales; verumtamen cum non sint sua perfectio seu esse, sed illud a Deo continuo accipiant, sequitur quod substantialiter non sunt pura et physice infinita perfectio, purum esse, purus actus, sed sunt subjecta, seu potentiæ physicæ et finitæ, a Deo continuo accipientes determinatum actum essendi, seu esse suum, et omnem perfectionem in eo fundatam. Nulla enim substantia creata potest esse actus purus, esse purum, perfectio pura; sed omnis creatura substantialiter perfectibilis est, quia non est esse suum, sicut Deus, sed esse suum a Deo accipit, non quidem illimitatum seu infinitum, sicut Esse divinum, sed habet esse limitatum, seu determinatum per aliquam formam, rei intrinsecam, quæ est in re mensura perfectionis ejus. Hæc autem mensura in re creata conformatur modo perfectionis ideali, qui in Mente divini artificis determinatur.

III. In hoc Capite explicabimus 1°) causam materialem rerum corporalium; 2°) causam formalem intrinsecam omnium rerum in genere.

ARTICULUS I.

DE CAUSA MATERIALI.

Agemus 1°) de materia in genere; 2°) de materia prima et secunda, in specie; 3°) de accidente quantitatis, quæ ex materia exsurgit.

§ I.

De materia in genere.

86. — I. Materia dicitur in sensu metaphorico, vel stricto.

In sensu metaphorico, materia sumitur pro quacumque potentia passiva, seu subjecto, quemcumque actum seu formam recipiente, sive hic actus sit realiter a potentia distinctus, sive solummodo ratione. Sic forma substantialis angelorum a quibusdam veteribus auctoribus nuncupatur materia, quia illam considerant tanquam passivam potentiam, accipientem actum essendi, a quo distinguitur reali distinctione modali. Sic etiam operativæ potentiæ animæ nostræ, sunt metaphorice materia, seu subjectum, comparate ad virtutes, quæ illas accidentaliter informant, et ab eis realiter distinguuntur. Sic denique genus dicitur materia relate ad differentiam specificam, ratione ab eo distinctam.

In sensu stricto, materia est *id ex quo aliquid fit*. Sic marmor est materialis causa statuæ, quia ex marmore per operationem artificis fit statua.

II. **Materiæ stricte dictæ vere competit, licet ignobiliore modo, ratio causæ,** quia ex materia et forma efficitur seu constituitur unum corpus, resultans ex utriusque elementi conjunctione. Unde liquet rationem causalitatis materiæ consistere in immediata conjunctione sua cum forma substantiali.

III. **Inter materiam et formam talis est relatio, ut materia comparetur ad formam sicut potentia ad actum,** vel sicut subjectum perficiendum, passivum, recipiens, determinabile, denominabile; et forma comparetur ad materiam sicut actus ad potentiam, vel sicut principium perficiens, activum, receptum, determinans et a se denominans corpus compositum, quod resultat ex unione materiæ et formæ. Ita corpus nostrum informatur ab anima, recipit animam tanquam formam substantialem, ab anima determinatur ac denominatur humanum. Ita ipse homo in suo intellectu recipit doctrinam, tanquam formam accidentalem, et denominatur doctus.

Doctor angelicus in 1. q. 7, art. 1, corp., sic explicat quomodo materia et forma ab invicem determinantur inversa ratione perfectionis, vel imperfectionis. « Infinitum dicitur aliquid ex eo quod non est finitum; finitur autem quodammodo et materia per formam, et forma per materiam. Materia quidem per formam, inquantum materia, antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas, sed cum recipit unam, terminatur per illam; forma vero finitur

per materiam, inquantum forma, in se considerata, communis est ad multa, sed per hoc quod recipitur in materia, fit forma determinatæ hujus rei. Materia autem perficitur per formam, per quam finitur; et ideo infinitum, secundum quod attribuitur materiæ, habet rationem imperfecti; est enim quasi materia non habens formam. Forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam ejus amplitudo contrahitur; unde infinitum, secundum quod se tenet ex parte formæ non determinatæ per materiam, habet rationem perfecti. »

IV. **Divinus atque omnipotens mundi Artifex materiam et formam omnium opificiorum suorum ex nihilo produxit** seu creavit; nam creatio est productio totius esse alterius, et Deus est universalis Causa totius esse. Unde antequam aliquid faceret, nihil existebat nisi ipse; ergo mundum non formavit ex materia ab æterno præexistente, sicut censuit Plato. Doctor angelicus in 1. q. 45, art. 1, ad 3^m, sic explicat verba *ex nihilo:* « Cum dicitur Deus mundum *ex nihilo* fecisse, hæc præpositio *ex* non designat causam materialem, sed ordinem tantum, sicut cum dicitur: Ex mane fit meridies... vel importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur. » Item Sanseverino, Cosmol., n.° 183, not. 4: « Illud *ex nihilo*, quod in definitione creationis ponitur, proprie et per se non denotat, rem quæ creatur, habere *esse* post *non esse*, sed habere *esse non ex aliquo.* »

Nulla autem efficiens causa creata potest aliquid ex nihilo producere; non enim potest vim suam exercere, nisi reperiatur aliquod subjectum, seu aliqua materia præexistens, ex qua effectus formetur.

§ II.

De materia prima et secunda, in specie.

Causa materialis, ex qua aliquid fit, dicitur *prima* vel *secunda*, pro diversis modis, quibus corporis alicujus perfectibilitatem constituit, sive substantialem, sive accidentalem.

87. — I. **Materia enim dicitur prima,** quando consideratur in se, prout est, in corpore, pura potentia physica et passiva, seu perfectibilitas, ita ut sit indifferens ad quamlibet formam, seu perfectionem in se recipiendam. *Materia autem dicitur secunda*, quando consideratur prout primam formam substantialem in se jam recepit, et sic informata apta est ad alias formas seu determinationes in se recipiendas, non quidem substantiales, quibus res formata mutaretur substantiali transformatione, sed accidentales, quas natura, vel ars in ipsam inducere possunt, et quæ rem compositam perficiunt juxta vel supra formam suam substantialem, seu naturam.

Igitur materia, inquantum cum prima forma ordinatur, tanquam principium substantiale, ad corpus naturale efficiendum, est materia *prima*. Nam materia, prout est *secunda*, jam quoddam corpus est, quia supponit substantialem informationem, seu perfectionem, secus non esset secunda, sed prima.

II. **Ex dictis sequitur notio materiæ primæ,** et liquet quod materia prima intelligenda est tanquam substantialis, prima et radicalis perfectibilitas corporis, seu tanquam physica potentia passiva in linea essendi, per se vacans ab omni forma substantiali, qualitate, quantitate et ordine, ac proinde apta ad recipiendam immediate omnem formam substantialem, et mediante hac forma, ad recipiendas varias qualitates seu formas accidentales, triplicem quantitatem dimensivam et ordinem.

Cum ergo materia prima sit, in corpore, pura potentia ad omnem formam, recte dicitur a S. Augustino *prope nihil* in 12 Confess., cap. 6. Etenim *nihil* est nulla potentia et nullus actus essendi; *esse* est actus essendi; materia prima est potentia essendi sine actu, ita ut medium teneat inter nihilum et esse. Nihilum est nulla rei perfectio et nulla perfectibilitas in linea essendi; esse est rei perfectio actualis; materia prima est rei perfectibilitas, sed nulla perfectio actualis.

III. **Differunt corporum potentia physica, et potentia metaphysica.**

Passiva rei corporeæ potentia *physica* seu perfectibilitas intrinseca in essendo, quæ est materia prima, valde differt a rei potentia *metaphysica*, seu a possibilitate essendi.

Nam *physica* potentia in essendo, est in ipso corpore, et nunquam actu existit, nec existere, nec intelligi potest, etiam a Deo, sine forma substantiali, quæ dat illi actum essendi seu existentiam; non est enim substantia, nec actus, nec forma, nec perfectio, nec ens completum et intelligibile, sed est subjectiva et prima rei perfectibilitas in linea essendi seu perfectionis capacitas, quæ nec existere, nec intelligi potest nisi in ipsa recipiatur et intelligatur perfectio seu forma, quæ est primus ejus actus; non est substantia complete existens, sed est pars seu principium passivum, incompletum et infimum, ex quo componitur substantia corporea. Dicit Aristoteles: « Materia non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquod eorum per quæ ens determinatur, sed est commune horum subjectum. »

Metaphysica autem potentia essendi, seu possibilitas cujuslibet integræ substantiæ, seu rei creatæ, existit in Mente et in activa potentia

divini Artificis, independenter ab actuali rerum existentia; duas enim conditiones requirit: primaria conditio est non repugnantia rei in divina Ratione, secundaria est activa Potentia, qua Deus omnem rem Rationi suæ non repugnantem facere potest, si velit.

IV. **Materia prima est una, simplex, et infinita seu indeterminata imperfectione sua,** sicut e contrario divina Forma est una, simplex et infinita Perfectione sua, et sicut mundus perfectione sua est unus unitate compositionis, seu ordinis partium suarum formatarum. Materia enim prima dicitur una per carentiam omnis formæ, seu perfectionis, quemadmodum e contrario mundus dicitur unus ex plenitudine rerum diversimode formatarum, distinctarum et reductarum ad universalem ordinem, qui mundi perfectionem constituit. Ait doctor angelicus in 2. dist. 12, q. 1, ad 2^{m}: « Sicut omnes res, ut completæ dicuntur unus mundus, vel unum universum, sic res, ut informes, dicuntur una materia informis. »

Materia prima, quæ est pura potentia, est omnimoda corporum perfectibilitas, sive actuanda imperfectio, et consequenter subjectum omnimode passivum et perfectibile. E contra *Deus, qui est Actus purus,* est omnimoda Perfectio actualis. Inter hoc utrumque extremum, in variis perfectionis gradibus ordinantur *variæ creaturæ, substantialiter compositæ potentia et actu,* quæ tanto perfectiores sunt ac Deo similiores, quanto habent de actu, et tanto imperfectiores sunt, quanto habent de materia vel potentia passiva.

§ III.

De corporum quantitate, quæ ex materia exsurgit.

88. — I. **Substantia materialis multiplicitatem partium non obtinet, nisi sub quantitate, et ratione quantitatis;** materia enim per se est indivisibilis, *quantitas vero est accidens extensivum materiæ.* Igitur quantitas continua, seu extensio, est illa corporis proprietas, per quam ipsum habet partes extra partes, atque eas communi vinculo formæ substantialis colligatas, ita ut unum per se efficiant. — Quomodo autem hæc proprietas in corpore existat, ex doctrina scholastica luculenter perspicitur. Etenim si corpus ex materia, veluti principio passivo, et ex forma, veluti principio activo exsurgit, facillime quisque videt a materia pullulare oportere partes ex quibus corpus componitur, atque per formam partes ita inter se cohærere, ut unum totum efficiant.

Duplicem vero extensionem complectitur quantitas, videlicet *internam* partium corporis extensionem extra partes, in ordine ad se, absque commensuratione ad locum; et *externam* partium extensionem in ordine ad locum, cui commensurantur, ita ut ipsum corpus mensuretur tribus dimensionibus, et sit magnum vel parvum.

Externa autem extensio est actualis, vel radicalis. Externa extensio *actualis,* seu dimensio, non pertinet ad essentiam corporis, sed sufficit dimensio *radicalis,* naturaliter exigens actualem, quæ nonnisi supernaturaliter impediri potest, unde corpus definiendum est: *substantia exigens trinam dimensionem.*

II. **Ipsa quantitas externa actualis, seu dimensiva, dupliciter rursus distinguitur in continuam et discretam.**

Est enim *continua,* quando partes materiales connectuntur aliquo communi termino, ita ut unam molem, seu unum corpus constituant; et tunc in molis unitate tres habet dimensiones, nempe longitudinem, latitudinem, et altitudinem, seu profunditatem; igitur in quantitate continua, partes materiales actu uniuntur, et totum quoddam efformant, sed tamen ab invicem dividi possunt. Liquet quantitatem continuam esse proprium substantiis corporeis, quæ partibus componuntur, sed metaphorice tribui potest etiam substantiis spiritualibus, aliisque rebus simplicibus, quæ sunt partium expertes, et prout ipsis tribuitur, non dicitur dimensiva sed *virtualis,* quia denotat magnitudinem, vel parvitatem alicujus perfectionis, quæ refertur vel ad rerum simplicium naturam et existentiam, vel ad vim operativam, vel ad durationem.

Dimensiva autem quantitas est *discreta,* quando partes materiales nullo communi termino connectuntur, sed singulæ a singulis actu dividuntur. Talis autem quantitas non trinam unitatem præ se fert, sed partium disjunctarum pluralitatem.

III. **Quantitas dimensiva est prima substantiarum corporearum proprietas,** et fundamentum omnium accidentium ens consequentium. Dicit S. Thomas in 4. dist. 12, q. 1, art. 1, solut. 3, corp.: « Omnia alia accidentia in quantitate fundantur. » Et ibid., ad 1^{m}: « Quantitas est primum accidens consequens substantiam (corpoream). » Quantitas enim est primum omnium, quæ substantiæ corporeæ advenire intelligimus; nam quidquid corpori accidere intelligimus, non intelligere possumus, nisi prout corpus per partes extenditur, seu prout est *quantum.*

Manifeste in externa partium extensione, seu dimensione, fundantur visibilis corporum figura, proportio, ordo, color, organorum constitutio ac dispositio, distantia, locatio, motus localis, divisio actualis, impenetrabilitas, et omnes cor-

porum cum sensibus nostris relationes, quæ objectum actu dimensum requirunt.

IV. **Quantitas dimensiva est concreta, vel abstracta,** secundum quod consideratur vel in singulis corporibus individuis materia conflatis, vel in mente nostra generaliter, seu abstrahendo a materia corpora individuante.

Quantitas abstracta dicitur quoque *mathematica*. Abstracta quantitas *continua* efficit aliquam summam numericam; *discreta* autem constat unitalibus ab invicem separatis, seu divisis, nam unitas discreta est principium omnis numerationis.

Præterea abstracte considerari possunt accidentia materialia, quæ in dimensiva quantitate fundantur, qualia sunt figura, proportio, ordo, distantia, situs, etc. Atque ex hac abstractione mentali a rebus materialibus, nobis comparamus scientiam, qua intellectualiter perficimur, et artem, qua opificia nostra perficimus. Ars enim constat mensuris, numeris, ordine, proportionibus ab artifice humano excogitatis ex intelligenti intuitione, admiratione et imitatione materialium ac perfectorum Dei opificiorum, quæ mundum corporalem constituunt. Supremus autem Artifex artem suam ab æterno excogitat ex intuitione propriæ perfectionis intellectæ ut imitabilis.

Abstracta proportio, ab Aristotele in 3. Metaph., cap. 2, dicitur *arithmetica*, si res intelligantur convenire quantitate, seu æquales esse. Dicitur vero *geometrica*, si res intelligantur convenire qualitate, seu similes esse.

ARTICULUS II.

DE CAUSA FORMALI INTRINSECA.

Agemus nunc 1°) de omnium rerum perfectione per suas formas in genere; 2°) de forma substantiali in genere; 3°) de formis accidentalibus, seu qualitatibus in genere.

In Tomo II, Parte II, evolvemus, in specie, variarum rerum perfectionem, per suas proprias formas substantiales et accidentales.

§ I.

De rerum perfectione per suas formas in genere.

Videbimus 1°) in quo consistat rerum perfectio; 2°) quomodo res omnes substantialiter, aut accidentaliter perficiuntur per suas formas.

89. — I. In quo consistit rerum perfectio. Rerum perfectio considerari potest relate 1°) ad earum existentiam naturalem; 2°) ad earum operationem naturalem; 3°) ad supernaturalem earum existentiam et operationem.

1°) De rerum existentia naturali.

a) **Res est ens actu existens, et opponitur enti in potentia, seu possibili.** Unde rei perfectio consistit in propria ejus actualitate, seu realitate, quæ est ipsius esse.

Probatur ex S. Thoma 1. q. 4, art. 1, corp.: « Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu, nam perfectum dicitur cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis. » Et q. 5, art. 3, corp.: « Omnis actus perfectio quædam est. » Item q. 7, art. 1, corp.: « Illud quod est maxime formale omnium est ipsum *esse*. » Et 1. q. 5, art. 1, corp.: « In tantum est perfectum unumquodque inquantum est in actu... *Esse* enim est actualitas omnis rei. » Item 1. q. 4, art. 1, ad 3^{m}: « Ipsum *esse* est perfectissimum omnium; comparatur enim ad omnia ut actus; nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum *est;* unde ipsum *esse* est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum *(creatarum)*. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens; cum enim dico *esse* hominis, vel equi, vel cujuscumque alterius, ipsum *esse* consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit esse. »

Ergo rei perfectio absoluta, infinita et omnimoda in hoc consistit, quod sit Esse purum et simplex, seu actus purissimus in existendo, seu essendo, nulli potentialitati admixtus, seu nulla modalitate restrictus. Porro hæc pura actualitas in essendo competit soli Deo, qui est suprema ac pura realitas, et omnimoda atque infinita perfectio, cum ipse sit suum Esse; nulli vero rei creatæ competit talis perfectio, cum nulla creatura sit suum esse, sed omnis creatura sit subjectum seu potentia a Deo accipiens esse suum, tali vel tali modo, per ipsius naturam definito. Omnis enim creatura est substantialiter perfectibilis in essendo, sicut jam diximus supra n.° 84, II.

b) **Ergo antequam res actu crearetur, erat ab æterno possibilis,** sive in potentia in speculativo Dei Intellectu, quia rationem essendi in eo habebat, ita ut nihil ipsius creationi seu futuræ existentiæ repugnaret; hæc autem æterna rei possibilitas dicitur *potentia metaphysica*. Sed quid sunt istæ *res possibiles* in speculativo Dei intellectu? Non sunt *ipsæ res* objective a Deo cognitæ tanquam factibiles, sicut docet Scotus, sed sunt *Dei Essentia*, seu actualitas sive realitas, ab eo cognita tanquam imitabilis tali vel

tali modo possibili, at divina Voluntate non intento ut futuro. Si autem talis modus imitationis divina Voluntate intendatur in practico Dei intellectu, res non est solum possibilis, sed *ab æterno futura* modo ac tempore a Deo volitis. Inde intelligitur *rationes rerum possibilium* esse ab æterno in speculativo Dei Intellectu, et *ideas, seu exemplaria rerum futurarum,* esse in practico Dei intellectu.

c) **Postquam vero creata est, res non est physice actus purus in essendo,** sed rei subsistenti, seu enti individuo, quod proprie a Deo creatur, juxta S. Thomam 1. q. 45, art. 4, concreatur passiva potentia, apta ad accipiendum continuo a Deo actum præsentem; quæ potentia vocatur *physica*, et est subjectum passive accipiens actum essendi. Hæc autem potentia essendi physica, quæ est intrinseca rei mensura, physice in ea definiens seu determinans actum essendi, juxta modum idealem in practico Dei intellectu intentum, variis nominibus nuncupatur forma substantialis, essentia physica, natura; *actus vero essendi* dicitur existentia sive esse rei; denique actus essendi suo jure, complete et incommunicabiliter, dicitur rei *subsistentia.* Thomistica illa doctrina a veteribus tradita, quæ physicam essentiam in ipsa re distinguit ab existentia, a multis modernis impugnatur, hanc ideo probabimus in Tomo III, Parte II.

2°) De rerum operatione naturali.

a) **Cum operari sequatur esse, perfectio consistit quoque in actualitate operationis.** Unde suprema et infinita perfectio sub hoc respectu, est Actus purus in operando. Talis autem perfectio soli Deo competit, vel potius est ipse Deus, qui est suum operari quemadmodum est suum Esse. Nulla igitur creata res est suum operari, sed actum operandi a Deo accipit sicut actum essendi. Itaque a Deo prædita est physicis potentiis operativis, quæ ex forma substantiali, seu ex natura rei emanant, tanquam ipsius proprietates, et quæ ad physicum actum transire nequeunt, nisi intrinsece, immediate ac physice moveantur a Deo, supremo omnium rerum Motore, sicut et Creatore, cum sit Actus purissimus, omni potentiæ creatæ tribuens omnem actum in ordine physico, qui est omnis perfectionis fundamentum.

b) **Hac physica motione, omnes creaturarum potentiæ operativæ a Deo moventur, per modum naturæ** et necessario, ad actum sibi naturalem et necessarium, qui omni voluntati creatæ est velle bonum universale, seu beatitudinem. At suppositis ista præmotione, et isto actu physico, qui in omni volitione includitur, voluntas creata potest moraliter ac libere moveri ab objectis creatis, quæ intellectus ipsi præsentat tanquam bona particularia, sive vere bona sint, sive apparenter tantum. Illa enim objecta, a Deo physice actuata et mota, specificant seu modificant physicum voluntatis creatæ actum, atque sic moraliter, sed tamen realiter, determinant liberum ejus actum, quo bona particularia, ut media ad beatitudinem, libere vult seu eligit eodem motu physico, quo vult necessario ultimum finem, seu beatitudinem; cum ista bona non velit nisi propter ultimum finem.

Hoc modo, cum prioribus Thomistis intelligimus doctoris angelici doctrinam, contra recentiores Thomistas, qui ad liberum voluntatis creatæ actum, in quantum physice liber est, exigunt hunc actum divina Voluntate prædeterminari, tum in æternis Dei decretis, tum speciali præmotione physica, æterna decreta exsecutioni mandante. Gravissimam et arduam istam quæstionem discutiemus in Tomo III, Parte II.

3°) De supernaturali rerum perfectione in essendo, vel in operando.

a) **Perfectio supernaturalis consistit quoque in actualitate, non jam naturali, sed supernaturali.** Atqui, manifestum est repugnare in terminis, quod creatura sit purus actus supernaturalis in essendo vel operando, quia tunc ipsa esset de se perfecta supra naturam suam.—Ergo supernaturalem perfectionem, a fortiori quam naturalem, a Deo accipere debet; et ideo ut supernaturalem actum accipiat, tam ad essendum quam ad operandum supernaturaliter, debet habere aliquam potentiam, seu aptitudinem physicam. Porro hæc potentia ad actum qui excedit naturalem rei perfectionem, a theologis nuncupatur *potentia obedientialis.*

b) **Sed inter doctores disputatur** primo utrum hæc potentia sit naturalis potentia subjectiva, seu ipsa natura, ad actum seu perfectionem supernaturalem elevanda, an alia potentia supernaturaliter ei addita; et secundo utrum in linea operandi, hæc potentia sit de se passiva, an activa.

Nos cum Thomistis putamus obedientialem potentiam non esse realiter distinctam a potentia naturali, sed esse ipsam naturam ad Deum comparatam, quatenus ipsi non repugnat aliquam perfectionem, seu actum, ab eo gratis accipere supra actum sibi proprium, et suæ exigentiæ debitum. Sane natura de se non habet actu, nisi perfectionem naturalem, sed est in potentia ad perfectionem supernaturalem, quia talis perfectio ipsi non repugnat.

Deinde cum iisdem Thomistis putamus, obedientialem potentiam non esse de se activam, sed passivam, ita ut sine additione intrinsecæ

virtutis supernaturalis passive in natura receptæ, non possit operari effectus vim naturæ excedentes; sed cum tali additione potest actus supernaturales facere; quæ additio est vel motio transiens gratiæ actualis, vel operativus habitus supernaturaliter cum gratia sanctificante infusus ac permanens.

c) **Denique celeberrima** viget inter theologos controversia *circa modum operationis, seu efficaciam gratiæ actualis.*

Has quæstiones in Tomo III, Parte II, elucidare conabimur.

90. — II. Quomodo res omnes substantialiter aut accidentaliter perficiuntur per formas suas.

1°) OMNIS RERUM PERFECTIO ET ACTUALITAS IN EARUM FORMIS FUNDATUR.

Ex dictis patet rerum perfectionem consistere in actualitate, ita ut res tanto perfecta sit, quanto est Actus purus sicut solus Deus, aut habet actum naturalem vel supernaturalem a Deo acceptum, sicut omnes creaturæ. — Atqui, omnis actus est forma, et omnis forma est actus, sive purus et infinitus, ut Forma divina, sive certa potentialitate admixtus et definitus, ut omnes formæ rerum creatarum; dicit enim S. Thomas in 1. dist. 42, q. 1. art. 1, ad 1^{m}: « Omnis forma dicitur actus, etiam ipsæ formæ separatæ *(a materia)*, et ipse Deus. » Et in 4. dist. 3, q. 1, corp.: « Omne completivum alicujus est sicut forma ejus. » — Ergo omnis perfectio omnium rerum consistit in forma ipsis intrinseca.

Confirmatur. Omnis res est vel substantia, vel accidens. Res enim est ens actu existens; jam vero, ens nequit existere nisi vel in se, vel in alio. *Substantia* autem est res cui convenit actu existere *in se*, vel *per se*, non autem *a se*, quod soli substantiæ divinæ convenit, vel est res cui esse ita convenit, ut in alia re tanquam in subjecto non inhæreat; *accidens* vero est res cui convenit actu existere in alia, ita ut substantia tanquam subjecto inhæreat, unde dicitur quoque ens entis. Ergo nulla res existit, quæ non sit substantia vel accidens. — Atqui, omnis rei perfectio, seu actualitas substantialis vel accidentalis, determinatur per aliquam formam intrinsecam. — Ergo forma intrinseca est causa perfectionis omnium rerum.

Probatur minor ex definitione formæ intrinsecæ. Forma enim intrinseca definitur: « Illud *quo* res habet determinatum esse substantiale vel accidentale; vel *quo* est aliqua substantia specifica; vel *quo* habet talem aut talem qualitatem sibi naturalem ac propriam, aut ei superadditam. » Unde effatum: « Forma dat esse rei, distingui, dat nominari. » — Naturalis forma rerum facillime intelligitur comparatione formæ artificialis, gallice dictæ *moule*, qua determinatur species externa, seu figura alicujus vasis, vel statuæ, ex gypso, aut ex alia fusili materia a figulo efformatæ. Sicut enim talis forma artificialis extrinsece determinat exteriorem statuæ figuram, ita naturalis forma, exterior vel interior, determinat finitum perfectionis rei modum, exteriorem vel interiorem.

Duplex ergo distinguitur forma rebus intrinseca, nempe substantialis et accidentalis. *Forma substantialis* dicitur illud, quo res est in se, vel quo res constituitur in propria specie, seu specifica perfectione. *Forma accidentalis* dicitur illud, quo res accipit novum esse, seu actum supervenientem suo esse substantiali. Forma substantialis dat rei subsistenti primum actum, seu primam perfectionem; forma accidentalis dat rei secundam et ulteriorem perfectionem, naturalem aut supernaturalem, in essendo vel in operando, ita ut magis ac magis conformetur analogice divinæ Formæ, seu supremæ actualitati.

2°) DE CONVENIENTIA ET DIFFERENTIA INTER FORMAM RERUM SUBSTANTIALEM, ET FORMAS ACCIDENTALES.

Dicit doctor angelicus in 1. q. 77, art. 6, corp.: « Forma substantialis et forma accidentalis partim *conveniunt* et partim *differunt*. *Conveniunt* quidem in hoc, quod utraque est actus, et secundum utramque est aliquid quodammodo in actu. *Differunt* autem in duobus. — Primo quidem, quia forma substantialis facit esse simpliciter, et ejus subjectum est ens in potentia tantum; forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale, aut tantum, aut aliquo modo se habens; subjectum enim ejus est ens in actu. Unde patet quod actualitas per prius invenitur in forma substantiali, quam in ejus subjecto; et quia primum est causa in quolibet genere, forma substantialis causat esse in actu in proprio subjecto. Sed e contra actualitas per prius invenitur in subjecto formæ accidentalis, quam in forma accidentali; unde actualitas formæ accidentalis causatur ab actualitate subjecti, ita quod subjectum, in quantum est in potentia, est susceptivum formæ accidentalis; in quantum autem est in actu, est ejus productivum. Et hoc dico de proprio et per se accidente, nam respectu accidentis extranei, subjectum est susceptivum tantum; productivum vero talis accidentis est agens extrinsecum. — Secundo autem differunt substantialis forma et accidentalis, quia cum minus principale sit propter principalius, materia est propter formam substantialem; sed e converso forma accidentalis est propter completionem subjecti. »

In qq. disput., q. unica de Sp. cr., art. 1, ad 9^{m}: « Forma accidentalis a substantiali differt, quia

forma substantialis facit *hoc aliquid*; forma autem accidentalis advenit rei jam *hoc aliquid* existenti. »

In 1. q. 76, art. 8, corp.: « Substantialis forma non solum est perfectio totius, sed cujuslibet partis. Cum enim totum constat ex partibus, forma totius, quæ non dat esse singulis partibus, est compositio et ordo, sicut forma domus, et talis forma est accidentalis. »

In 4. dist. 10, q. 3, art. 3, corp.: « Quælibet forma substantialis est tota in toto, et tota in qualibet parte, non autem formæ accidentales consequentes quantitatem, sed pars in parte. »

§ II.

De forma substantiali.

Formam substantialem considerabimus 1°) *in seipsa*; 2°) inquantum est primum principium proximum *existentiæ* rerum, quas informat; 3°) inquantum est primum principium remotum *operationis* ipsarum.

91. — I. De forma substantiali in se considerata.

1°) PRINCIPIUM QUOD PROPRIE A DEO CREATUR, ACTU EXISTIT ET OPERATUR, EST TOTA SUBSTANTIA SUBSISTENS, seu suppositum, *quod* stricte dicitur *res*, seu *hoc aliquid*, sicut ait S. Thomas; principium autem intrinsecum *quo* res est et primo operatur, est forma substantialis, rei concreata.

Forma substantialis cujuslibet rei est unica et simplex ac indivisibilis, nempe partibus materialibus expers. Est primum principium activum unitatis, perfectionis et ordinis in omni re, sicut materia est primum principium passivum pluralitatis ac perfectibilitatis in omnibus corporibus. Verumtamen ipsa substantialis forma est passiva, inquantum a Deo accipit continuo actum essendi.

2°) RATIONE SUBSISTENTIÆ; FORMA SUBSTANTIALIS DIVIDITUR in *spiritualem*, quæ subsistit in se, ut forma angelica et anima humana; et *materialem*, quæ subsistit in materia, ut anima brutorum, plantarum, ac forma corporum inorganicorum, et quæ per generationem educitur ex potentia materiæ.

Ratione subjecti, forma substantialis dividitur in physice *receptibilem in materia* ad quam informandam ordinatur, sicut sunt formæ omnium corporum, et in *non receptibilem in materia*, ut est forma angelica, quæ proinde est penitus exempta a materia, sive quoad existentiam, sive quoad operationem. Humana autem anima ad corpus suum informandum a Deo ordinata, quoad existentiam quidem a materia eximitur, quia spiritualis est; sed quoad operationem, in præsenti statu unionis cum corpore, suo corpore tanquam instrumento indiget ad operandum etiam spiritualiter, et quando per mortem a corpore separata est, potest quidem sine illo exercere actus vitæ intellectivae, sed non actus vitæ sensitivæ et vegetativæ.

Forma physice receptibilis in materia describi potest: « Id quod per substantialem sui unionem mutuo completivam cum materia prima, hanc determinat esse actu tale vel tale corpus, specie distinctum ab alio; unde dicitur actus primus materiæ. » At si forma determinat materiam ad certam speciem corpoream, materia vicissim determinat seu restringit speciem in certo individuo; nam eadem species potest esse communis pluribus individuis.

Porro compositum materia et forma dicitur *substantia corporea*, quæ si concrete seu in individuo spectetur, vocatur *suppositum*, seu *res* integra et proprie dicta.

3°) In præsenti paragrapho explicabimus formam substantialem in genere, prout est prima causa intrinseca sive *existentiæ*, sive *operationis* omnium rerum creatarum.

92. — II. De forma in quantum est primum principium quo proximum existentiæ rei.

1°) FORMA SUBSTANTIALIS EST PRINCIPIUM FORMALE ESSENTIÆ PHYSICÆ, seu *substantiæ*, in qua res continuo accipiunt a Deo actum essendi, seu esse, quia nulla creatura *est* suum esse, sed a Deo *habet* suum esse determinatum per essentiam suam physicam, in qua esse suum accipit, sicut docet S. Thomas in opusc. de Ente et pot., cap. 1: « Res per essentiam et in essentia habet esse. » Physica enim essentia est mensura rei intrinseca, quæ definit specialem ejus essendi modum, seu constituit eam in certam speciem, vel uno verbo rem specificat; nam esse seu actus essendi est de se perfectione infinitus seu illimitatus, atque extra omne genus et omnem speciem, a quibus restringatur. Et cum physica essentia definiat modum essendi rei, seu modum quo res creata participat analogice Esse divinum, determinat simul modum, quo res participat proprietates Entis divini, scilicet ejus unitatem, veritatem, bonitatem et pulchritudinem.

2°) SPECIES EST PERFECTIO TOTIUS SUBSTANTIÆ PER FORMAM DETERMINATA; est *quid* res integre est per essentiam suam, et a cæteris rebus discernitur; per speciem enim est *aliquid* id est *aliud quid* ab alio; ipsa autem res subsistens, seu suppositum, est illud *quod* est tali vel tali modo specifico. Unde in substantiis corporalibus, species plus dicit quam forma substantialis; nam forma est pars materiam substantialiter determinans ac perficiens, dum species est tota

rei substantia, seu physica essentia, constans materia determinata et forma determinante. Verbi gratia in homine, substantialis forma est anima rationalis, quæ materiam corporis ejus ita determinat, ut illum totum constituat in specie humana; species igitur humana seu humanitas est tota hominis substantia, corpore et anima rationali composita. Unde species humana non tantum comprehendit ipsam formam *qua* homo est, nempe animam rationalem, sed etiam corpus, et indicat *quid* homo est per animam, nempe animal rationale.

Species realiter existit in quovis individuo hanc participante. Quando autem mente a nobis abstrahitur ac intelligitur, aut simpliciori modo ab angelico vel divino intellectu cognoscitur, species dicitur rei *essentia metaphysica*, quidditas, ratio rei, definitio. Et si res est in aliquo genere, definitio ejus continere debet genus proximum, quo convenit cum aliis rebus ejusdem generis, et ultimam differentiam substantialem, qua ab eis distinguitur.

3°) Subsistentia est actus qui substantias corporales ultimo perficit in essendo.

Definiri solet: « Actualitas, seu perfectio, per quam substantia fit sui ipsius et non alterius ». Vel etiam: « Perfectio per quam substantia ultimo completur ac terminatur, ita ut sit et operetur, quin cum altera se communicet. » Subsistentia concrete sumpta vocatur *suppositum;* unde suppositum est substantia individua et completa, incommunicabiliter subsistens. Si vero suppositum intelligentia sit præditum, digniore nomine *personæ* vel *hypostasis* nuncupatur. Unde persona a Boetio definitur: « Naturæ rationalis individua substantia. »

Diximus subsistentiam esse actum, quo complete existunt substantiæ *corporales;* ergo realiter ab eis distinguitur tanquam modus essendi a re. Individuationis autem principium, quo substantia fit subsistens et individua, est materia signata quantitate. Ergo in substantiis mere *spiritualibus*, subsistentia seu suppositum realiter non distinguitur a substantia, quæ est forma immaterialis; dicit enim S. Thomas in 1. q. 39, art. 5, ad 2^{m}: « In simplicibus et immaterialibus, idem est forma et cujus est forma. » Ergo angelicum suppositum est sua substantia, seu sua forma; verumtamen non est suum esse, quia non est pura forma, seu purus actus, sed est forma spiritualis accipiens a Deo actum essendi, sive suum esse.

93. — III. De forma inquantum est primum principium quo remotum operationis rei.

1°) Quod forma sit primum principium quo operationis, expresse docet S. Thomas in 1. q. 76, art. 1, corp.: « Omne illud *quo* aliquid primo operatur, est forma ejus. » Operari enim sequitur esse, seu omnis res operatur secundum quod est. Ergo si substantialis forma est primum principium intrinsecum *quo* est res quælibet, est etiam primum principium intrinsecum secundum quod operatur.

Natura est proprie primum principium *quo* generationis. Probatur ex Aristotele, docente naturam esse illud, *quo* pullulans pullulat primo, et ex S. Thoma, dicente in 1. q. 42, art. 3, ad 4^{m}: « Natura quodammodo importat rationem principii, non autem essentia. Et ideo ordo originis (*divinarum personarum*) melius nominatur ordo naturæ quam ordo essentiæ. » Natura autem est ipsa rei substantia, inquantum est principium quo generationis; sed formale principium substantiæ, vel naturæ, est forma substantialis, ita ut forma substantialis sit in omni re *primum* operationis et generationis principium *quo*.

2°) Illud quod operatur est suppositum subsistens.

Unde in rebus mere spiritualibus, in quibus subsistentia realiter non differt a substantia, quæ constat sola forma immateriali, principium *quod* operatur est ipsa forma, seu natura. Sed in rebus corporalibus, in quibus subsistentia realiter differt a substantia, quæ componitur materia et forma, principium *quod* operatur est suppositum, seu tota substantia subsistens, et principium *quo* suppositum operatur est natura, secundum quam suppositum operatur mediantibus organis corporeis. Res enim corporeæ substantialiter componuntur materia et forma; itaque non operantur per solam formam, sed etiam mediantibus organis materialibus.

3°) Potentiæ sunt principia proxima operationis rei.

Quamvis natura sit principium operationis, non tamen est solum operationis principium in rebus creatis, sicut est in Deo, cujus Forma est suum Esse et operari. Sed in creaturis, natura est primum ac *remotum* operationis principium; secunda autem, seu *proxima* principia, sunt potentiæ operativæ, quæ primo ex natura pullulant, seu nascuntur. Unde dicuntur naturales rei *proprietates*, quia non superveniunt substantiæ, sicut *accidentia* stricte dicta, sed ex rei natura primo ac sponte promanant. Ergo proprietates istæ naturales medium tenent locum inter substantiam et accidentia stricte dicta; non sunt enim natura, ex qua nascuntur, nec sunt accidentia, quæ ipsi superveniunt; ergo realiter ab utrisque distinguuntur.

Dicit doctor angelicus in 1. q. 77, art. 1, ad 5^{m}: « Ad substantiam pertinet quidquid est essentiale rei. Non autem quidquid est extra essen-

tiam potest sic dici *accidens*, sed solum id, quod non causatur ex principiis essentialibus speciei. *Proprium* enim non est de essentia rei, sed ex principiis essentialibus speciei causatur. Unde medium est inter essentiam et accidens. Et hoc modo potentiæ animæ possunt dici mediæ inter substantiam et accidens, quasi proprietates naturales. »

Prima accidentia proprie dicta, quæ superveniunt potentiis operativis creaturarum spiritualium ad morales actiones concurrentibus, sunt *habitus operativi*, de quibus mox loquemur.

§. III.

De formis accidentalibus, seu qualitatibus.

Accidentales rerum formæ sunt variæ ipsarum *qualitates*, quæ in forma substantiali fundantur, sicut *quantitas* in materia fundatur, cum hac tamen differentia, quod qualitates sunt accidentia stricte dicta, dum quantitas est prima corporum proprietas, sicut supra diximus.

Qualitas enim est accidens, quod per se in substantiam, jam in sua specie constitutam, inducit, non specificum quidem, sed specialem modum *essendi*, vel *operandi*. Modificat igitur substantiam vel ejus potentias operativas, illamque qualem facit, seu qualificat, non essentialiter, ut differentia specifica, sed accidentaliter. Quatuor distinguuntur species qualitatum. In prima specie est habitus, vel dispositio; in secunda specie sunt potentia, vel impotentia naturalis; in tertia est passio; in quarta est forma exterior, seu circa aliquid constans figura (S. Thomas 1.-2. q. 110, obj. 3.^{m}; q. 49, art. 2).

94. — I. **De qualitatibus perficientibus esse omnium substantiarum creatarum.**

1°) Qualitates perficientes utrasque substantias, spirituales vel materiales, sunt boni habitus essentiales, ita dicti, non quia pertinent ad rei essentiam, sed quia modificant esse rei, sive naturaliter, sive supernaturaliter. Talis est gratia sanctificans, seu habitualis, quæ animæ essentiam elevat ad esse divinum analogice. Talis est quoque sanitas respectu viventis, aut pulchritudo respectu corporis.

Habitus in genere definitur: « Qualitas de se stabilis, qua subjectum bene vel male se habet, vel secundum esse suum, vel in ordine ad operationem. » Habitus in hoc differt a *dispositione*, quod sit qualitas de se permanens in subjecto, dum dispositio sit qualitas de se transiens.

2°) Esse substantiarum materialium modificatur aliis qualitatibus, quæ fundantur in actuali partium quantitatis dimensivæ extensione in loco.

Etenim in hac extensione partium in loco, fundatur ipsarum *situs*, quo una pars est in una parte loci, et alia pars in alia. Situs localis dicitur quoque partium dispositio, distributio, ordo, et ex illo oritur localis distinctio partium ab invicem. *Integritas* est debita partium totalitas. *Figura* est limes seu terminus quantitatis continuæ, seu molis. *Forma exterior*, seu species externa, denotat distinctionem totius corporis ab alio. *Color* est varia superficiei corporis modificatio per lumen. *Proportio* consistit in congrua partium mensura inter se. *Pulchritudo corporalis* est perfectio collectiva resultans ex præcedentibus qualitatibus; est enim corporis forma, seu species externa, cujus intuitio oculis et intellectui placet ex partium integritate, ordine ac proportione, distinctione ac colore. Nam ad pulchritudinem tria requiruntur juxta S. Thomam in 1. q. 39, art. 8, nempe integritas, proportio et claritas.

95. — II. **De qualitatibus perficientibus liberam operationem substantiarum spiritualium,** nempe angeli et hominis.

1°) Istæ qualitates sunt boni habitus operativi, qui generatim definiuntur: « Qualitates stabiles, quibus potentiæ creaturarum spiritualium disponuntur ad recte operandum in ordine intellectuali, artistico et morali. » Etenim cum hæc operatio a libera voluntate creata dependeat, potentiæ ad eam inservientes, physice indeterminatæ sunt ad operandum recte vel prave, scilicet juxta vel contra rectam rationem speculabilium, factibilium aut agibilium; ideo potentiæ quibusdam habitibus superadditis disponendæ sunt ad recte operandum. Ex his habitibus, quidam communes sunt angelo et homini, quidam autem homini et angelo proprii sunt, juxta utriusque naturam; insuper propter hanc naturæ differentiam, communes habitus non eodem modo perficiunt angelum et hominem.

Habitus operativi trifariam dividuntur: a) **Ratione finis,** habitus sunt *boni* vel *mali*, prout subjectum inclinant ad recte vel prave operandum; boni habitus sunt formæ accidentales, quæ potentias perficiunt; mali autem habitus, bonis oppositi, sunt deformitates accidentales, quæ potentias depravant. — Boni habitus sunt *naturales*, aut *supernaturales*, secundum quod potentias disponunt ad recte operandum juxta legem naturalem, aut supernaturalem. — Quidam habitus ordinantur ad perfectionem *vitæ contemplativæ*, quidam autem ad perfectionem *vitæ activæ*. Priores, exceptis fide et spe, in gloria cœlesti permanent quoad ipsorum essentiam et exercitium; alii permanent quoad es-

sentiam, sed mutatur eorum exercitium, quia perfectio subjecti non est eadem in termino quam in via.

b) **Ratione originis,** habitus sunt vel naturaliter *inditi*, vel naturaliter *acquisiti*, vel supernaturaliter *infusi*. In omni homine, duo habitus intellectuales inchoative inditi sunt, etenim in speculativo intellectu nostro inditus est habitus primorum principiorum speculativorum, qui dicitur intellectus, nec confundendus est cum potentia ejusdem nominis; in practico autem intellectu nostro indita est synderesis, seu habitus primorum principiorum moralium. In quibusdam tantum hominibus inchoative inditum est ingenium artisticum, seu habitus primorum principiorum variarum artium. Cæteri habitus naturaliter boni *acquiruntur* bonis actibus, et omnes habitus mali acquiruntur actibus malis. Omnes habitus supernaturales, qui gratiam sanctificantem comitantur, divina *infusione* dantur et augentur.

c) **Ratione modi,** quo subjectum disponunt ad recte operandum, boni habitus dividuntur in virtutes intellectuales, morales, theologicas, et in dona Spiritus sancti.

Virtutes sunt *intellectuales* aut *morales*, prout perficiunt creaturarum spiritualium intellectum aut voluntatem. Virtutes intellectuales improprie tantum vocantur virtutes; sunt naturales et intellectum creatum ad recte operandum disponunt, ei ostendendo bonum. Virtutes morales sunt naturales, vel supernaturales; spiritualem creaturam faciunt simpliciter bonam in ordine morali, illamque disponunt ad implenda omnia sua erga Deum, proximum et seipsum officia naturalia aut supernaturalia.

Virtutes *theologicæ* sunt supernaturales, et creaturam spiritualem Deo conjungunt. Hæc conjunctio, seu unio, quæ omnem naturalem creaturæ perfectionem superat, et in gratia sanctificante fundatur, fit mente per fidem, et voluntate per spem et charitatem. Fides et spes in Beatis evacuantur, quia vident Deum, quem crediderunt; possident Deum, quem speraverunt; sed charitas in æternum permanet essentialiter, atque in gaudio æterno de Deo viso ac possesso perficitur.

Dona Spiritus sancti, in statu viæ, virtutes omnes adjuvant, nos disponendo ad prompte et faciliter consentiendum motioni gratiæ actualis.

2°) Boni habitus potentias non perficiunt nisi in actu primo, eas modo permanente disponendo ad recte operandum. Ast, ut potentiæ sic dispositæ transeant *ad actum secundum*, sive ad physicum operationis exercitium, indigent *physico* et *morali* Dei concursu, sicut tenent omnes catholici. Sed magna inter doctores existit controversia circa modum, quo Deus ad liberos actus nostros sic concurrit. Hanc referemus in Tomo III, Parte II.

CAPUT II.

EXPLICATUR OMNIUM RERUM CUM DIVINA FORMA CONFORMITAS PER FORMAS SUAS INTRINSECAS.

Prænotanda. — In Capite præcedenti, explicavimus duo principia intrinseca perfectionis omnium rerum creatarum; scilicet *materiam*, quæ est principium perfectibile omnium corporum, et *formam substantialem*, quæ est principium perficiens omnium rerum. Porro ex his duobus principiis conjunctis, vel separatis, exsurgunt tria substantiarum genera, nempe substantiæ *mere spirituales*, quæ constant sola forma spirituali; substantiæ *mere materiales*, quæ constant materia et forma materiali; *substantia mixta*, scilicet humana, quæ constat materia et forma spirituali, ita ut medium harmonicum teneat inter alias substantias extreme oppositas.

Jam vero, tria hæc substantiarum genera, quæ trinum mundi ordinem physicum constituunt, non possunt per formas suas non conformari divinæ Formæ unitrinæ, sive formis idealibus, quibus divina Forma seipsam imitandam intelligit et vult, quia divina Voluntas est efficacissima.

Hæc igitur analogica omnium rerum conformitas cum Deo unitrino, in qua fundatur trinus ordo mundi exemplatus, nobis in hoc Capite explicanda est, et postea in Parte II præsentis Tomi probanda. Nunc ergo explicabimus 1°) necessarium exemplaritatis principium, cui innititur prædicta conformitas; 2°) modum generalem, quo res creatæ conformantur divinæ Formæ unitrinæ, aut ab ejus similitudine discedunt; 3°) vocabula, quibus exprimuntur hæc conformitas, vel opposita deformitas.

ARTICULUS I.

EXPLICATUR NECESSARIUM EXEMPLARITATIS PRINCIPIUM, CUI INNITITUR PRÆDICTA CONFORMITAS.

Exemplaritatis principium, quod est inconcussum fundamentum doctrinæ divini Exemplarismi, exprimitur tribus axiomatibus, ex quibus necessario concluditur analogica confor-

mitas omnium rerum cum Deo unitrino, et inter se; nam Deus mundum libere creavit, sed supposito quod libere voluerit illum creare, et quod mundus realiter existat, singulæ et omnes creaturæ, quæ sunt mundi partes, non possunt *quoad esse* non conformari Creatori suo, atque inter se.

Primum axioma est: *Omne agens agit sibi simile.* — Secundum axioma, primo correlativum, est: *Causæ efficienti assimilatur effectus*, seu aliis verbis: *Effectus causam suam efficientem repræsentat.* — Tertium axioma est: *Plura uni similia, sunt inter se similia.*

§ I.

De primo axiomate: « Omne agens agit sibi simile. »

Explicabimus 1°) hujus axiomatis sensum in sua applicatione ad nostram doctrinam; 2°) aliud axioma, in quo fundatur.

96. — I. Explicatur axioma: « Omne agens agit sibi simile » seu « Omnis causa efficiens producit effectum sibi similem. »

1°) HOC AXIOMA VERUM EST, DUMMODO NON OBSTET DISPOSITIO SUBJECTI IN QUOD AGITUR. Hinc lac album, superfusum ligno ardenti, producit nigrum carbonem, et sol lucidus producit nigredinem in corporibus Æthiopum, secundum illud effatum: *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.* — Atqui, in rerum omnium *creatione* a supremo Artifice peracta, nulla subjecti dispositio divinæ actioni obstare potest, quia Deus non agit in aliquod subjectum præexistens, sed totam rem facit ex nihilo, ita ut nihil ejus actioni opponatur. Insuper in rerum *gubernatione*, omnia a creaturis fiunt necessario, aut contingenter, per omnipotentissimam Dei voluntatem; unde effectus necessarii non possunt Deo non assimilari, et effectus contingentes ac liberi non possunt bene fieri, nisi divinæ Bonitati assimilentur; quæ autem male fiunt non sunt effectus divinæ Causæ, sed effectus secundæ causæ deficientis, qui tamen non fit sine Dei permissione. — Ergo prædictum axioma verum est in doctrina divini Exemplarismi, seu verum est Deum producere non posse nisi effectus aliquo modo sibi similes.

2°) DISTINGUENDUM EST INTER CAUSAS AGENTES PER NATURALEM GENERATIONEM, ET CAUSAS AGENTES PER INTELLECTUM ET VOLUNTATEM.

Nam, sicut docet S. Thomas q. 3 de Potent., art. 16 ad 5^{m}, et art. 17 ad 6^{m}: « Res naturalis agit per formam suam, artifex autem per intellectum et voluntatem. » Itaque « quod est a causa naturaliter agente, retinet similitudinem ejus, prout habet formam similem formæ agentis. Quod autem est ab agente voluntario, retinet similitudinem causæ, secundum quod hoc producitur in effectu, quod est in voluntatis dispositione, ut patet de artificiato respectu artificis. » Etenim « Artificiata similantur artifici, inquantum in eis exprimitur forma artis, et ostenditur voluntas artificis de eorum constitutione. »

Atqui, Deus in rerum productione et gubernatione agit quidem per Formam suam, at non per naturalem generationem; unde Formam, seu naturam suam, prout est, non communicat suis creaturis, sed agit per Intellectum et liberam Voluntatem, ita ut omnes effectus creati assimilentur quidem divinæ Formæ, sed eo modo, quo intelligit ac vult divinus Artifex. Formam autem suam Deus non communicat per generationem nisi unigenito Filio suo, qui est æqualis imago Patris, et ab eo generatur quidem, sed non causatur, quia eamdem naturam individuam cum Patre habet.

Ergo licet divina Forma non possit producere nisi effectus sibi similes, has producere non potest sibi specie similes, nec a fortiori æquales, sed analogice tantum similes, quoad esse, et eo modo essendi, quo ipsa libere vult. Unde dicit Doctor angelicus in I. q. 18, art. 4, ad 2^{m}: « Exemplata oportet conformari exemplari secundum rationem formæ, non autem secundum modum essendi. » Omnes autem divinæ Causæ effectus sunt ei necessario similes analogice, quia supremus Artifex, cum sit infinite perfectus, nullum perfectum opificium concipere nec velle potest, nisi ad sui ipsius imitationem.

3°) LICET CAUSA PRIMA MAXIME INFLUAT IN EFFECTUM, TAMEN EJUS INFLUENTIA PER CAUSAM PROXIMAM DETERMINATUR, ET IDEO EJUS SIMILITUDINEM IMITATUR EFFECTUS.

Ita doctor angelicus in q. 1. de Potent., art. 4, ad 3^{m}. In hoc loco agitur de divinæ ac primæ Causæ influxu in operationem causæ secundæ, ad producendum cum ea aliquem effectum, et distinguitur utriusque causæ in effectum influxus, ratione efficientiæ et ratione exemplaritatis. Atqui, asserit Doctor angelicus, quod ratione *efficientiæ*, Causa prima magis influit quam secunda in effectum communem, quia effectus magis fit per causam principalem, quam per causam secundariam; sed ratione *exemplaritatis*, causa secunda et proxima magis influit quam prima in effectum, quia hunc specificat, cum Deus causas secundas moveat juxta ipsarum naturam, seu formam. Sic homo producit prolem sibi specie similem et similiorem, quam Deo; sic potentia naturaliter ad unum determinata, seu necessaria, producit effectum necessarium; sic potentia naturaliter indeterminata ad unum, seu libera, producit effectum

liberum. Ergo cunctæ res creatæ non sunt tantum analogice similes Causæ primæ, sed etiam specifice similiores causæ secundæ ac proximæ.

96. — II. Axioma: « Omne agens agit sibi simile » fundatur in alio axiomate: « Nulla res dat quod non habet ».

Scilicet 1°) NULLA RES DAT QUOD NULLO MODO HABET, neque virtute propria formaliter, aut saltem eminenter, seu virtualiter; neque virtute aliena, sibi communicata; nam his pluribus modis res potest aliquid habere; sed si res nullo modo aliquid habeat, impossibile est quod illud alteri communicet.

Porro Deus nihil ab altero accipit, et omnia bona, quæ omnibus tribuit, aliquo modo in seipso habet, et quidem in virtute propria, sive formaliter, sive eminenter. Divina autem Forma in se habet *formaliter*, seu essentialiter, omnes perfectiones simpliciter simplices, quas res creatæ participant, et habet *eminenter*, seu virtualiter, perfectiones secundum quid, quæ aliquam imperfectionem involvunt, et conveniunt finitæ creaturarum perfectioni, non vero infinitæ Dei perfectioni.

Quoad varios modos, quibus res aliquid habere potest, dicit S. Bonaventura in 2. dist. 14, part. 2, art. 2, q. 2, ad arg.: « *Habere* dicitur duobus modis, vel virtualiter, vel formaliter. Et ad hoc quod impertiatur aliquid alicui, sufficit quod habeat *virtualiter;* non oportet quod habeat *formaliter*. Sicut movens immobile dat motum, quamvis ipsum non moveatur. » Item in 1. dist. 8, part. 1, art. 2, q. 1, ad arg.: « Dicendum quod triplex est *habere*, scilicet formaliter, exemplariter, causaliter; et quodlibet horum modorum quod habet, dare potest. Primo autem modo non habet Deus motum; sed secundo et tertio, sic. »

2°) AXIOMA: « NULLA RES DAT QUOD NON HABET » INTELLIGENDUM EST DE CAUSA EFFICIENTE, quia id quod non existit in causa, nequit producere existentiam in effectu; sed non est intelligendum de causa *finali*, quæ moraliter tantum et objective movet agentem ad aliquem effectum producendum, quin ipsa habeat illud quod producitur in effectu; finis enim est aliquod bonum voluntati nostræ ab intellectu præsentatum, seu objectum, quod in seipso non habet moralem determinationem, seu liberam electionem, quam in voluntate realiter causat; veruntamen, per hanc electionem, voluntas conformatur objecto seu bono a se electo, ita ut libera ejus actio fiat moraliter bona vel mala, juxta finem quem intendit.

Dicit Aristoteles, lib. 1 de Generat. et Corrupt., cap. 7: « Id cujus gratia cætera fiunt, verbi gratia sanitas, non est activum nisi per translationem, » nempe nisi metaphorice, relative ad actionem physicam, quamvis tamen realiter agat, non physice, sed moraliter.

§ II.

De secundo axiomate: « Causæ efficienti et causæ exemplari assimilatur effectus. »

97. — 1°) CORRESPONDET PRIMO AXIOMATI « OMNE AGENS AGIT SIBI SIMILE », ET INTELLIGENDUM EST DE EFFICIENTE CAUSA PRINCIPALI.

Hoc monet S. Thomas in 1. q. 4, art. 3, corp. et q. 105, art. 1, ad 2^{m}; quia causa principalis, ut *artifex*, vel causa naturalis, ut est quodvis *generans*, operantur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus. Non autem intelligendum est de causa *instrumentali*, quia hæc non agit per virtutem suæ formæ, sed per motum, quo movetur a principali agente; hinc ignis suo calore calefacit; e contrario lectus non assimilatur securi, sed arti seu formæ ideali, quæ est in mente artificis. Atqui, Deus est supremus omnium rerum Artifex. Ergo cunctæ res creatæ debent ei assimilari.

Proles *generanti* non assimilatur eodem modo, quo opificium *artifici*. Nam proles generanti assimilatur secundum naturam, seu speciem, et quidem necessarie; dum opificium artifici assimilatur secundum artem ejus, seu secundum exemplar ideale, quod artifex in sua mente concepit atque intendit, et ad cujus imitationem fit opificium.

2°) ASSIMILATIO EFFECTUS AD CAUSAM POTEST ESSE TRIPLEX EX PARTE CAUSÆ, scilicet secundum quod causa efficiens, quæ illum producit, est vel univoca, vel æquivoca, vel analoga. Inde enim effectûs assimilatio accipitur vel secundum eamdem rationem *specificam*, sicut homo generatur ab homine; vel secundum eamdem rationem *genericam*, sicut ea quæ generantur ex virtute solis; vel tantum secundum aliquam *analogiam*, seu secundum esse tantum. Jam vero cunctæ res creatæ Deo non assimilantur specifice, nec generice, sed tantum analogice, quia divina Causa in nulla specie, nec in nullo genere continetur, sed infinite et simplicissime Est supra omnem speciem et omne genus entium creatorum.

Dicit S. Thomas in 1. q. 4, art. 3, corp.: « Si sit aliquod agens, quod non in genere contineatur, effectus ejus adhuc magis accedet remote ad similitudinem formæ agentis, non tamen ita quod participet similitudinem formæ agentis secundum eamdem rationem speciei aut generis, sed secundum aliqualem analogiam,

sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo illa, quæ sunt a Deo, assimilantur ei in quantum sunt entia, ut primo et universali Principio totius esse. »

Ex eo autem, quod res creatæ supremæ Causæ suæ assimilantur tam imperfecte, sequitur illas dici posse Deo similes aliquo modo, sed Deum non posse vicissim dici creaturis similem, sicut ait idem doctor angelicus in 1. dist. 35, q. 1, art. 4, ad 4^{m}: « Inter Deum et creaturas, non est similitudo per convenientiam in aliquo communi *(specifico vel generico)*, sed per imitationem. Unde creatura similis Deo dicitur, sed non convertitur. »

3°) Ex parte effectus, assimilatio ad causam est duplex, scilicet imperfectissima *per modum vestigii*, quando effectus repræsentat solam causæ causalitatem, sed non formam, et perfectior *per modum imaginis*, quando effectus repræsentat causam, quantum ad similitudinem formæ ejus. Vide 1. q. 45, art. 7, corp.

4°) Omne opificium debet aliquo modo assimilari suæ causæ exemplari, præsertim si opifex arte sua pollet. — Atqui, Deus est summus omnium rerum creatarum Artifex, summumque Exemplar. — Ergo omnes creaturæ debent aliquo modo ei assimilari, et perfici non possunt nisi per meliorem assimilationem ad ipsum. — *Confirmatur* ex eo, quod omnis perfectio finita debet esse participatio aliqua perfectionis infinitæ, quæ Deus est.

§ III.

De tertio axiomate: « Plura uni similia sunt inter se similia. »

98. — 1°) Ex hoc axiomate necessario sequitur analogica omnium rerum creatarum similitudo inter se. Etenim cunctæ *res creatæ* necessario assimilantur analogice primæ Causæ efficienti, sicut manifestum est ex duobus primis axiomatibus. — Atqui, plura uni similia analogice, necessario sunt inter se similia analogice; nam impossibile est quod plura sint in aliquo similia alteri, quin sint in hoc similia inter se; impossibile est quod res creatæ, quæ a Deo accipiunt suum esse, quo sunt Deo similes, non sint inter se similes quoad esse. — Ergo omnes res creatæ inter se necessario similes sunt quoad esse.

Confirmatur ex eo, quod nulla res existere potest, quin vel ipsa *sit* suum esse, vel ab altero *habeat* suum esse. — Atqui, solus Deus est suum Esse, a quo omnes creaturæ habent suum esse. — Ergo omnes creaturæ necessario conveniunt in esse, seu analogice conformantur, non tantum Deo, sed etiam inter se.

2°) Omnes creaturæ inter se similes sunt quoad esse tantum, sed non quoad eamdem speciem vel idem genus essendi, et multo minus *æquales* sunt, seu quantitate virtuali conveniunt, quia diversis modis specificis ac genericis divino Esse assimilantur, per proprias formas suas substantiales.

S. Thomas in 1. q. 47, art. 1-3, docet hanc specificam rerum distinctionem et inæqualitatem esse ex intentione divini Artificis, qui unicam Formam suam perfectissimam repræsentare voluit pluribus creaturis, dispositis in variis perfectionis gradibus, ut constituerent inæqualem ordinem perfectionis totius mundi, quæ consistit in assimilatione ad Deum.

ARTICULUS II.

EXPLICATUR MODUS GENERALIS, QUO RES CREATÆ CONFORMANTUR DIVINÆ FORMÆ UNITRINÆ, AUT AB EJUS SIMILITUDINE DISCEDUNT.

99. — **Prænotanda.** I. Ex principio exemplaritatis sequitur 1°) Singulas creaturas necessario quoad esse, seu analogice, per formas suas substantiales conformari divinæ Formæ, quæ est suprema et unica earum omnium Causa efficiens atque exemplaris.

2°) Ex eodem principio sequitur singulas creaturas necessario conformari *substantialiter* divinæ Formæ unitati, veritati, bonitati et pulchritudini, quæ sunt ipsius proprietates non realiter ab ea distinctæ, ita ut omnes creaturæ, ex eo quod sunt, sint necessario unæ, veræ, bonæ et pulchræ quoad substantiam.

Sed *non sequitur* omnes creaturas necessario conformari etiam *accidentaliter* prædictis divinæ Formæ proprietatibus; nec sequitur creaturas his proprietatibus *privari* non posse; cum enim omnes sint contingenter, sequitur omnes posse privari esse suo substantiali aut accidentali. — Ergo creaturæ possunt prædictis proprietatibus entis privari accidentaliter, ita ut sint accidentaliter divisæ, falsæ, malæ et turpes; imo creaturæ corporeæ, utpote substantialiter corruptibiles, amittendo formam suam substantialem, simul privantur omni unitate, veritate, bonitate et pulchritudine; spirituales autem creaturæ sunt substantialiter, et ex divina Voluntate, incorruptibiles, sed a Deo possent annihilari si vellet. — Privationes istæ accidentales aut substantiales constituunt rerum particularium imperfectionem seu deformitatem, sed a divino Artifice ordinantur ad totius mundi per-

fectionem, atque ad propriam gloriam suam, sicut ex S. Augustino probabimus in Parte II, n.° 340. Asserit enim, has privationes prædictis proprietatibus pulcherrime opponi, sicut in tabula picta, umbra lumini opponitur, vel sicut antitheses ad concionis pulchritudinem concurrunt.

3°) Ex principio Exemplaritatis necessario sequitur, omnes creaturas analogice conformari divinæ Formæ *non tantum prout in se una, vera, bona et pulchra est*, sed etiam prout est *trina personis*. Omnis enim effectus debet aliquo modo causam suam repræsentare, seu illi conformari aliqualiter. — Atqui, tota Trinitas est Causa omnium rerum, quia duæ divinarum personarum processiones sunt rationes productionis rerum, inquantum continent divinam Scientiam et divinam Voluntatem, quæ sunt causæ omnium rerum, sicut in Parte II præsentis Tomi demonstrabimus ex S. Thoma, 1. q. 45, art. 6, corp., et art. 7 ad 3^m^. — Ergo cunctæ creaturæ debent aliquo modo repræsentare divinam Trinitatem. Porro creaturæ Trinitatem repræsentant duplici modo generali; omnes enim creaturæ Trinitati conformantur necessario *per modum vestigii*, et creaturæ spirituales, ex Dei liberalitate, Trinitati conformantur *per modum imaginis*, ita ut spiritualem ipsius naturam aliquatenus repræsentent.

II. In præsenti igitur Articulo agemus 1°) de rerum creatarum unitate et divisione; 2°) de earum veritate et falsitate; 3°) bonitate et malo; 4°) pulchritudine et turpitudine; 5°) conformitate cum divina Trinitate per modum vestigii et imaginis.

Sed antequam explicemus singillatim quatuor proprietates, quas omnia entia creata ab increato Ente participant, ipsarumque privationes, in genere dicimus has privationes per se non existere, nec intelligi posse, sed non existere nec intelligi, nisi ex præsuppositis proprietatibus oppositis, quarum privationes sunt; divisio enim et pluralitas non est, nec intelligitur nisi ex unitate; falsitas non est, nec intelligitur nisi ex veritate; malum non est, nec intelligitur nisi ex bono; turpe non est, nec intelligitur nisi ex pulchro. Præterea, non existit res *substantialiter divisa, falsa, mala, turpis*, sed tantum *accidentaliter*. Itaque a fortiori non existit *suprema substantia divisa, falsa, mala, turpis*, sicut existit suprema Substantia una, vera, bona, pulchra.

De virtuali ordine existenti inter ens, unum, verum, bonum et pulchrum jam superius egimus n.° 49.

§ I.

De rerum creatarum unitate, et divisione ipsi opposita.

100. — I. De rerum creatarum unitate.

Unum est ens, inquantum est indivisum in se, et divisum ab aliis. *Generalissime trine distinguitur*, sicut ipsum ens, in physicum, intellectuale et morale.

Unitas suprema, et per se, est divina Forma, quæ est purum Esse, purus Actus simplicissimus et infinitus, omnem prorsus compositionem ac divisionem excludens, et infinite divisus ab omnibus entibus creatis, quorum nullum est actus purus, nec est sua unitas, nec est simplicissima unitas.

Sed omnes res creatæ unitatem suam ab Unitate divina participant per formam suam substantialem, in qua unitatem cum esse accipiunt suo modo specifico. Substantialis enim forma est principium triplicis unitatis physicæ, a substantiis creatis participatæ, scilicet unitatis *simplicitatis*, unitatis *compositionis* et unitatis *ordinis*. Duæ primæ unitates constituunt substantias in seipsis, seu constituunt substantiæ identitatem, qua substantia est eadem sibi; tertia vero unitas ordinat substantias inter se.

1°) Unitas simplicitatis constituit præsertim substantias mere spirituales, quæ sunt simplices formæ non receptibiles in materia, ac penitus immateriales. Non sunt tamen actus puri, sed componuntur potentia et actu, at non partibus materialibus. Itaque spirituales substantiæ et indivisæ sunt, et indivisibiles, quia expertes sunt materiæ, quæ est principium divisionis in ordine physico. Unde singulae sunt individuæ, seu numero unicæ juxta S. Thomam.

Unitas simplicitatis competit quoque, sed in gradu inferiori, substantialibus corporum formis non spiritualibus quæ in materia immerguntur, et sunt principia intrinseca unitatis compositionis corporum.

2°) Unitas compositionis constituit omnes substantias corporales, quæ constant partibus materialibus forma simplici adunatis, actu quidem indivisis, sed tamen divisibilibus. Corporeæ substantiæ specie quidem sunt unæ, sed non numero, quia communes sunt pluribus individuis, quæ per suam materiam quantitate signatam ab invicem dividuntur. Præter hanc unitatem compositionis *substantialem*, datur *accidentalis*, quando componitur ex partibus, quæ distinctam existentiam habent, sic ut exercitus componitur multis militibus individualiter ab invicem distinctis.

3°) UNITAS ORDINIS, SIVE ORIGINIS existit inter plura, quæ ex communi principio oriuntur. Sic *in Deo* existit ordo originis inter tres personas divinas, inquantum secunda nascitur a prima et tertia a prima et secunda procedit; prima autem est utriusque Principium sine principio.

In mundo universo, unitas ordinis fundatur in relatione omnium rerum creatarum ad Deum, tanquam ad primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem, et in earum relatione ad invicem, inquantum sunt varii effectus supremæ ejusdem causæ, quam diversis gradibus perfectionis repræsentant in uno trinoque ordine naturæ, gratiæ et gloriae. — Omnis ordo in sua unitate continet principium, medium et terminum.

101. — II. De rerum creatarum divisione opposita unitati.

1°) UNITATI SUBSTANTIALI NON OPPONITUR DISTINCTIO RELATIVA, NEC MODALIS, NEC SUBSTANTIALIS IMPROPRIE DICTA, quæ in una eademque substantia inveniri possunt. Sic distinctio relativa personarum invenitur in simplicissima Formae divinæ unitate; distinctio modalis potentiæ et actus invenitur in unitate simplicis formæ substantiali omnium rerum creatarum; distinctio modalis potentiarum operativarum invenitur in unitate simplicis animæ humanæ; distinctio substantialis improprie dicta corporis et animæ, fit inter partes unius ejusdemque substantiæ corporalis.

Sed unitati substantiali opponitur distinctio substantialis proprie dicta, qua plures substantiæ individuæ ejusdem vel diversæ speciei, ab invicem separantur, seu dividuntur. Illi quoque opponitur *divisio*, seu separatio partium materialium et integrantium ejusdem substantiæ corporeæ.

Materia enim est intrinsecum principium divisionis in substantiis creatis. Unde substantiæ corporeæ ejusdem speciei individuantur, seu ab invicem dividuntur per suam materiam, nam ipsarum forma est eadem et simplex; ergo ab invicem dividi nequeunt nisi per materiam quantitate signatam, qua constituitur hoc vel illud individuum. — Substantiæ corporeæ, specie diversæ, dividuntur ab invicem per totam substantiam suam, scilicet per materiam et formam. — Substantiæ spirituales sunt individuæ, et omnes specie differunt, ita ut plura individua esse nequeant in eadem specie; sola enim forma constituuntur, quæ est intrinsecum principium unitatis speciei, et materiæ expertes sunt, quæ est principium pluralitatis ac divisionis.

2°) UNITATI ORDINIS UNIVERSALIS NON OPPONITUR DIVISIO SUBSTANTIARUM AB INVICEM; imo hæc divisio ad ordinem substantiarum requiritur, quia substantiæ nequeunt ad invicem ordinari, nisi prius distinguantur ac dividantur, seu plures sint individualiter, nam unum vel plura confusa ordinari non possunt. — *Nec ei opponitur distinctio generica aut specifica*, quia fundamentum universalis ordinis est *esse*, in quo omnia entia, seu omnia quæ sunt quolibet modo, non possunt non convenire analogice; specificæ autem vel genericæ distinctiones impedire non possunt quominus omnia entia in esse conveniant, cum esse sit supra omnem speciem et omne genus, sicut docet S. Thomas.

Sed unitati ordinis universalis opponitur rerum creatarum *separatio ab invicem*. Hæc autem separatio in hoc consistit, quod non existeret relatio omnium creaturarum inter se, quamvis omnes ad Creatorem referrentur, tanquam ad supremam Causam universalem. Sic Cartesius creaturas spirituales a creaturis materialibus omnino separavit, ita ut ordo spiritualis et ordo materialis constituant, non duos ordines particulares, in eodem ordine universali distinctos et unitos, sed duos ordines separatos.

§ II.

De rerum creatarum veritate, et falsitate ipsi opposita.

102. — I. De rerum creatarum veritate.

Verum est ens inquantum est cognoscibile; cognoscitur autem inquantum datur conformitas inter intellectum cognoscentem et rem cognitam; unde veritas definitur: *æquatio rei et intellectus*. — Veritas suprema est Forma divina, inquantum per seipsam intelligit seipsam et in seipsa omnia intelligit, ita ut in ea non sit tantum æquatio, sed identitas inter Intellectum cognoscentem et primam rem cognitam, in qua et juxta quam res cæteræ cognoscuntur, sicut exemplata in supremo Exemplari.

Verum, sicut ipsum ens, tripliciter distinguitur in physicum, intellectuale et morale, vel aliis verbis, distinguitur veritas in essendo, in cognoscendo et in significando. Res creatæ hanc triplicem veritatem participant per suam formam substantialem, per suum intellectum et per suam liberam voluntatem. Et hæc triplex participatio potest esse naturalis aut supernaturalis.

1°) RES PHYSICÆ VERÆ SUNT IN ESSENDO, naturaliter per formam suam substantialem et specificam, et supernaturaliter per formam accidentalem, seu per gratiam sanctificantem; his enim formis sibi intrinsecis, physice ac diversimode conformantur formis idealibus in Mente divini Artificis ab æterno præconceptis et in-

tentis. Gratia sanctificans competit solis creaturis spiritualibus. — Res artificiales veræ sunt in essendo, per formam suam artificialem, qua conformantur ideæ artificis.

2°) CREATURÆ SPIRITUALES VERUM INTELLIGUNT, quando intellectus ipsarum rei intellectæ conformatur, sive mediante specie intelligibili, naturaliter ab objecto subministrata, eique conformi, aut supernaturaliter per gratiam prævenientem suppeditata; sive absque specie intermedia, sicut in visione beatifica, in qua divina Forma immediate actuabit Beatorum intellectum. Hoc triplici modo res cognoscendi, mediante intelligibili specie naturali, mediante specie supernaturali, et sine ulla specie, intellectus creatus divino Intellectui conformatur in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ.

3°) CREATURÆ SPIRITUALES VERUM SIGNIFICANT, seu moraliter veraces sunt, quando verba et facta ipsarum ipsis rebus, vel saltem iis quæ cogitant conformia sunt, ita ut velint suas cogitationes, et res omnes, aliis manifestare prout revera sunt, et nolint alios decipere.

103. — II. Veritati opponitur falsitas.

1°) RES CREATÆ NEQUEUNT ESSE FALSÆ IN ESSENDO, seu in ordine physico, et comparate ad divinum Intellectum, quia non possunt ideis supremi Artificis non conformari per formas suas substantiales. Dicit doctor angelicus in 1. q. 17, art. 1, corp.: « Dicitur aliquis artifex opus falsum facere, quando deficit ab operatione artis. Sic autem in rebus dependentibus a Deo, falsitas inveniri non potest per comparationem ad Intellectum divinum, cum quidquid in rebus accidit, ex ordinatione divini Intellectus procedat. »

2°) SED HOMINES POSSUNT FALSUM INTELLIGERE, sicut ibidem docet S. Thomas: « Sed per ordinem ad intellectum nostrum, ad quem comparantur res naturales per accidens, possunt dici falsæ non simpliciter, sed secundum quid. » Hoc autem accidit quando species intelligibilis, quam de aliqua re concipimus, non conformatur rei essentiæ, sed vanam ejus apparentiam præbet; quod facillime evenire potest, quia res non intelligimus per solas ipsarum species, quemadmodum intelligunt angeli, sed mediantibus rerum sensibilium phantasmatibus, quæ facile possunt nos fallere, sicut pergit doctor angelicus: « Dicitur res esse falsa, quæ nata est facere de se opinionem falsam. Et quia innatum est nobis per ea, quæ exterius apparent, de rebus judicare, eo quod nostra cognitio a sensibus ortum habet, qui primo et per se est exteriorum accidentium, ideo ea quæ in exterioribus accidentibus habent similitudinem aliarum rerum, dicuntur esse falsa secundum illas res, sicut fel est falsum mel, et stannum est falsum argentum. »

3°) CREATURÆ SPIRITUALES POSSUNT QUOQUE FALSUM SIGNIFICARE verbis vel factis, cum ipsarum verba vel facta non sunt conformia iis quæ cogitant, vel ipsis rebus significatis, ita ut alii falsa rerum cognitione decipiantur. Et quando hæc deceptio intenditur, falsitas in significando est mendacium vel hypocrisis, seu simulatio.

§ III.

De rerum creatarum bonitate, et malo ipsi opposito.

104. — I. De rerum creatarum bonitate.

1°) BONUM EST ENS inquantum appetibile est, et in perfectione fundatur; nam juxta Aristotelem in 1. Ethic. et S. Thomam 1. q. 5, art. 1. corp.: « Bonum est quod omnia appetunt; manifestum est autem quod unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem; in tantum est autem perfectum unumquodque, inquantum est actu. » Unde Joannes a S. Thoma dicit in hunc locum: « Bonum consistit in ipsa intrinseca et entitativa rei perfectione, quatenus fundat et connotat rationem perfectivi per modum appetibilis. » Doctor angelicus ait ibid., q. 4, art. 1: « Perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis. » Nihil autem alicui deest secundum suum modum perfectionis, quando habet omnia naturæ seu formæ suæ requisita ad essendum et operandum, ut proprium finem suum assequatur.

Unde *perfectio* cujuslibet rei creatæ fundatur in ipsius forma substantiali, et consistit in modo, specie et ordine, seu in mensura, numero et pondere, quemadmodum post S. Augustinum (De nat. Boni, cap. 3) docet S. Thomas in 1. q. 5, art. 5, corp.: « Cum unumquodque sit id quod est, per suam formam: forma autem præsupponit quædam, et quædam ad ipsam ex necessitate consequuntur: ad hoc quod aliquid sit perfectum et bonum, necesse est quod formam habeat, et ea quæ præexiguntur, et ea quæ consequuntur ad ipsam. Præexigitur autem ad formam determinatio, sive commensuratio principiorum, seu materialium, seu efficientium ipsam, et hoc significatur *per modum;* unde dicitur quod *mensura* modum præfigit. Ipsa autem forma significatur *per speciem*, quia per formam unumquodque in specie constituitur; et propter hoc dicitur quod *numerus* speciem præbet, quia definitiones significantes speciem sunt sicut numeri secundum Philosophum in 8. Metaph., cap. 10; sicut enim unitas addita vel subtracta

variat speciem numeri, ita in definitionibus differentia apposita vel subtracta. Ad formam autem consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid hujusmodi, quia unumquodque inquantum est actu, agit et tendit in id quod sibi convenit secundum suam formam, et hoc pertinet ad *pondus* et *ordinem*. Unde ratio boni, secundum quod consistit in perfectione, consistit etiam in modo, specie et ordine. »

2°) Bonum multifariam dividitur a) **in absolutum et relativum.** Bonum *absolutum* consistit in perfectione intrinseca, secundum quam nihil alicui enti deest secundum modum suæ perfectionis. — Bonum *relativum* in hoc consistit quod ens, ratione propriæ perfectionis, est suæ plenitudinis diffusivum, aliorum perfectivum, ac proinde aliis conveniens, atque ab eis appetibile.

b) **Bonum est increatum vel creatum.** Bonum *increatum* est a se omnimode et infinite perfectum, omnia sibi infinite inferiora perficiens propriis ipsorum modis finitis, ac consequenter omnibus conveniens et ab omnibus appetibile, quæ suprema Bonitas soli Deo competit. — Bonum *creatum* est a summo Bono perfectum et exemplatum, juxta suum modum finitum; unde necessario illud in genere spectatum appetit. Ipsum autem nequit nisi entia sibi inferiora perficere, nec nisi illis convenit, et nisi ab eis appetitur.

c) **Bonum, secundum quod perfectionem rei includit,** trine dividitur in physicum, intellectuale et morale, prout perficit naturaliter aut supernaturaliter vel rerum esse, vel intellectum, vel voluntatem. — Bonum *physicum* fundatur in forma substantiali, et in supernaturali forma accidentali, nempe gratia, quæ speciem creaturæ determinat illamque suo modo perficit, juxta divinam Formam exemplarem. Subdividitur in bonum *spirituale* et bonum *corporale*. — Bonum *intellectuale* consistit in veritate naturali aut supernaturali, quæ creatum intellectum perficit juxta divinum Intellectum. — Bonum *morale* consistit in virtute naturali aut supernaturali, quæ creatam voluntatem liberam perficit juxta divinam Voluntatem seu Legem.

d) **Bonum, secundum quod appetibile est,** trine dividitur in honestum, utile et delectabile. — *Honestum* appetitur propter propriam suam excellentiam, et idem est ac bonum morale. — *Utile* appetitur propter aliud, tanquam medium ad illud. — *Delectabile* appetitur propter quietem, quam appetitus in eo invenit. Ergo bonum honestum et delectabile appetuntur ut fines ultimo terminantes motum appetitus, unum propter se, alterum propter gaudium quod procurat; utile autem bonum appetitur tanquam medium ad finem.

105. — II. Malum, seu imperfectio, opponitur bono et perfectioni.

Sed 1°) Quid est malum? Respondemus negative potius quam positive, et dicimus a) **Malum non est ens;** haec est doctrina S. Dionysii Areopagitæ, S. Augustini et S. Thomæ (1. q. 48, art. 1), nam juxta illos, malum non est forma seu natura, nec bonum aliquod, sed quidam defectus boni, perfectionis, formæ, actus; est quædam deformitas. Non significat *nihilum*, seu non ens absolute sumptum, sed non ens, vel potius entis ac perfectionis defectus, qui est in re sicut in subjecto suo, ita ut malum inter ens et non ens teneat aliquod medium, per quod res tendit ad nihilum, seu ad nihil fieri, sicut e contrario potentia passiva inter non ens et ens tenet aliquod medium, per quod res fit aliquid. Ergo malum non est aliqua res seu aliquid, sed tamen invenitur in rebus creatis, nam dicit doctor angelicus ibid., art. 2, corp.: « In hoc consistit ratio mali, ut scilicet aliquid deficiat a bono. »

Unde malum non invenitur nisi in rebus bonis, quas privat aliquo bono eis debito; malum enim, seu imperfectio, non est simplex *negatio* boni, sed *privatio* boni, seu perfectionis debitæ, quæ privatio dicitur vel *corruptio* vel *alteratio*, secundum quod designatur in ordine physico privatio formæ vel substantialis, vel accidentalis; et hæc vocabula metaphorice usurpantur in ordine morali et in ordine supernaturali, ad designandam privationem perfectionis vel essentialis vel accidentalis. Ait S. Thomas ibid., art. 3: « Non quælibet remotio boni malum dicitur. »

b) **Malum est remotio boni privative accepta.** Pergit doctor angelicus ibid: « Potest enim accipi remotio boni et privative et negative. Remotio igitur boni *negative* accepta, mali rationem non habet; alioquin sequeretur quod ea quæ nullo modo sunt, mala essent, et iterum quod quælibet res esset mala ex hoc quod non habet bonum alterius rei, utpote quod homo esset malus, quia non habet velocitatem capreæ, vel fortitudinem leonis. Sed remotio boni *privative* accepta malum dicitur, sicut privatio visus cæcitas dicitur. » Denique in art. 4 adjicitur malum totaliter corrumpere bonum sibi oppositum, sed nullo modo corrumpere bonum substantiale rei, quæ est ejus subjectum, et minuere tantum bonum accidentale, quod est subjecti habilitas ad actum: « Est triplex bonum: Quoddam, quod per malum totaliter tollitur, et hoc est bonum oppositum malo, sicut lumen totaliter per tenebras tollitur, et visus per cæcitatem. Quoddam vero bonum est, quod nec totaliter tollitur per malum, nec diminuitur,

scilicet bonum quod est subjectum mali; non enim per tenebras aliquid de substantia aeris diminuitur. Quoddam vero bonum est, quod diminuitur quidem per malum, sed non totaliter tollitur; et hoc bonum est habilitas subjecti ad actum; diminutio autem hujus boni non est accipienda per subtractionem, sicut est diminutio in quantitatibus, sed per remissionem, sicut est diminutio in qualitatibus et formis. »

c) **Non existit malum per se.** Cum malum non sit res aliqua, nec existere possit nisi a bono et in bono, sequitur quod non existit ullum malum per essentiam absolutum ac summum, sine aliquo bono adjuncto, et quod sit causa omnis mali, sicut existit bonum per essentiam absolutum ac summum, sine ullo malo ei adjuncto, quod est causa omnium bonorum; vide 1. q. 49, art. 3. Sequitur præterea quod malum nequeat per se agere ut causa efficiens, nec appeti ut causa finalis, sed tantum virtute boni ei adjuncti, nam omnis actio est ab aliqua forma, et omne quod desideratur ut finis, est perfectio aliqua. Vide 1. q. 48, art. 1, ad 4[m].

2°) MALUM, GENERALITER SPECTATUM, TRINE DIVIDITUR, SICUT BONUM, IN PHYSICUM, INTELLECTUALE ET MORALE, juxta variam boni, seu formæ privationem.

Malum *physicum* est privatio formæ perficientis rei naturam, sive substantialiter, sive accidentaliter, juxta vel supra modum suæ perfectionis. Privatio formæ substantialis dicitur proprie *corruptio;* privatio formæ accidentalis dicitur *alteratio*, et potest minuere aut tollere omnes rei qualitates seu formas accidentales, externas vel internas, naturales vel supernaturales.

Malum *intellectuale* est privatio formæ accidentaliter perficientis intellectum, scilicet privatio cognitionis veritatis, quæ est bonum et forma intellectus. Et hæc privatio potest esse triplex, videlicet *nescientia*, quæ est privatio scientiæ indebitæ, nec est verus defectus, puta si medicus nesciret theologiam; *ignorantia*, quæ est privatio scientiæ debitæ, et est defectus, puta si medicus ignoraret medicinam; *error*, qui est falsa scientia alicujus rei, ita ut intellectus non conformetur objecto suo cognoscendo. Ignorantia et error sunt defectus culpabiles, si sint voluntarii, et de rebus scitu necessariis, in foro conscientiæ.

Malum *morale* est privatio formæ accidentaliter, sed debite perficientis voluntatem, scilicet defectus virtutis debitæ. Si defectus ille sit habitualis, dicitur *vitium*, quod proprie opponitur virtuti, cum virtus sit bonus habitus moralis, et vitium sit malus habitus moralis; si vero defectus ille sit actualis, dicitur *peccatum*, seu culpa, quæ opponitur actui virtutis; uterque virtutis defectus hominem vitiosum vel peccantem privat bonitate morali, quæ virtutem constituit, et hæc privatio proprie dicitur *malitia*. Vide 1. 2. q. 71, art. 1.

3°) MALUM PARTICULARITER SPECTATUM IN REBUS VOLUNTARIIS, DIVIDITUR DUPLICITER IN MALUM CULPÆ ET MALUM PŒNÆ, sicut docet S. Thomas in 1. q. 48, art. 5.

Culpa est defectus debitæ operationis in rebus voluntariis; hoc enim imputatur alicui in culpam, cum ex perfecta actione deficit secundum liberam voluntatem. *Pœna* autem est justa privatio integritatis, seu formæ alicujus accidentalis propter culpam, et contra peccatoris voluntatem.

Ibidem, art. 6, asserit doctor angelicus *culpam esse majus malum, quam quælibet pœna*, seu privatio omnium bonorum, non tantum naturæ, sed etiam gratiæ et gloriæ; tum quia consistit in inordinato actu ipsius voluntatis, dum pœna consistit in privatione bonorum, quibus utitur vel fruitur voluntas; tum quia Deus, summe bonus, nequit esse auctor mali culpæ, seu iniquitatis, quæ suæ rationi, legi, æquitati, bonitati et amori contraria est, dum auctor est mali pœnæ, qua peccator juste privatur quocumque bono naturali aut supernaturali.

Inde sequitur solam culpam esse malam simpliciter, utpote oppositam increato Bono in se considerato, pœnam vero esse malam secundum quid, utpote oppositam naturali vel supernaturali participationi Boni divini a creatura juste hac participatione privata. Denique pœna, ex parte Dei et universi rerum ordinis, est vere bonum, quod in ordine morali pulchre reparat, justa et proportionata punitione, inordinationem culpæ; nam creatura peccavit aliquid libere agendo contra divinam Voluntatem; æquum igitur est ut vicissim aliquid contra propriam voluntatem patiatur ex divina Voluntate ulciscente.

4°) EFFECTUS OMNIS PECCATI EST, IN ANIMA, PRIVATIO BONI SPIRITUALIS, QUOD, SICUT OMNE BONUM, CONSISTIT IN MODO, SPECIE ET ORDINE.

Hoc docet S. Thomas in 1. 2. q. 85, art. 4, ubi distinguit in anima quadruplex bonum, scilicet *bonum substantiale*, quod nec tollitur nec minuitur per peccatum; *bonas inclinationes naturales*, quæ minuuntur; *bonum gratiæ* et habitus supernaturales, quæ tolluntur; *bonum actum moralem*, cujus privatio constituit essentialiter peccatum.

Ipsum sanctum doctorem audiamus: « Secundum diversos gradus bonorum sunt diversi gradus modi, speciei et ordinis. Est ergo quoddam bonum pertinens *ad ipsam substantiam*

naturæ, quod habet suum modum, speciem et ordinem, et illud nec privatur, nec diminuitur per peccatum. Est etiam quoddam bonum *naturalis inclinationis*, et hoc etiam habet suum modum, speciem et ordinem, et hoc diminuitur per peccatum, sed non totaliter tollitur. Est etiam quoddam bonum *virtutis et gratiæ*, quod etiam habet suum modum, speciem et ordinem, et hoc totaliter tollitur per peccatum mortale. Est etiam quoddam bonum, quod est *ipse actus ordinatus*, quod etiam habet suum modum, speciem et ordinem, et hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum. Et sic patet qualiter peccatum est privatio modi, et speciei et ordinis, et privat vel diminuit modum, speciem et ordinem. »

Ibidem in conclusione articuli: *Sed contra*, S. Thomas docet *effectum morbi corporalis esse privationem modi, speciei et ordinis in corpore.* Unde inferendum est effectum mali, tam corporalis quam spiritualis, et consequenter omnis mali, esse privationem modi, speciei et ordinis, quæ omnium rerum bonitatem constituunt.

§ IV.

De rerum creatarum pulchritudine, et turpitudine ipsi opposita.

106. — I. **De pulchritudine in rebus creatis.** *Pulchrum* est ens perfectum, scilicet unum, verum et bonum, in quantum ejus cognitio placet.

Pulchram tres requirit conditiones, juxta doctorem angelicum 1. q. 39, art. 8, corp., scilicet integritatem, claritatem et proportionem; *integritas* enim requiritur ad rei perfectionem, quia perfectio in hoc consistit, quod nihil rei desit ex omnibus quæ ipsi competunt, juxta illius modum, speciem et ordinem, determinatos divini Artificis Voluntate. *Claritas*, seu splendor, requiritur ut rei perfectio innotescat. Æqua *proportio* relationis inter partes totius rei, et proportio ipsius rei ac claritatis, seu cognitionis ejus cum intellectu cognoscente, requiruntur ut rei cognitio intellectui subjecti cognoscentis conveniat, et proinde ipsius voluntati placeat tanquam bonum intellectus. Hæc longius explicabuntur in Tomo IV, Parte I.

Pulchrum, sicut unum, verum et bonum, trine dividitur in physicum, intellectuale et morale, secundum quod integritas, claritas et proportio decorant, naturaliter aut supernaturaliter, sive rerum *esse*, sive *intellectum*, sive *liberam voluntatem*. Porro rerum *esse* potest esse *naturale*, quod a solo divino Artifice producitur, aut *artificiale* quod a creato artifice producitur cooperando operationi divini Artificis principaliter agentis, ejusque opificia imitando; potest esse *materiale* aut *spirituale*, juxta naturam opificii Dei, vel hominis, vel angeli; potest esse *naturale* aut *supernaturale*, secundum quod perfectio opificii est juxta vel supra naturam ejus.

107. — II. **Turpe, quod pulchro opponitur,** et cujus cognitio displicet secundum rectam rationem, est privatio integritatis, claritatis et proportionis in omni re naturali aut artificiali, corporali aut spirituali.

Turpis enim est 1°) omnis res cui desunt unum vel plura eorum, quæ ad perfectionis ejus modum requiruntur, ita ut res sit incompleta, manca, diminuta. « Quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt, » dicit doctor angelicus, loco proxime citato. — 2°) Turpis est omnis res, quæ est tenebrosa, confusa, indistincta, indeterminata. — 3°) Turpis est omnis res, quæ justa et debita proportione caret in relatione intrinseca suarum partium in toto.

§ V.

De rerum creatarum cum Forma unitrina conformitate per modum vestigii, et per modum imaginis.

Hucusque vidimus, omnes creaturas per formas suas substantiales et accidentales, naturales aut supernaturales analogice conformari divinæ Formæ unitati, veritati, bonitati et pulchritudini, ita ut omnes sint unæ, veræ, bonæ et pulchræ propria unitate, veritate, bonitate et pulchritudine, juxta exemplaris Formæ unitatem, veritatem, bonitatem et pulchritudinem.

Nunc explicandus est duplex modus generalis, quo creaturæ analogice conformantur divinæ Formæ, non solum inquantum in se una, vera, bona et pulchra est, sed etiam inquantum personis suis trina est. Porro cunctæ res creatæ Deo unitrino conformantur *per modum vestigii*, et res spirituales ei conformantur *per modum imaginis*. Quidam auctores addunt tertium modum scilicet *modum similitudinis* juxta textum Genes. 1, v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* sed hæc similitudo pertinet ad imaginem, cum sit perfectio ipsius imaginis, sicut probabimus n. 110, 3°.

108. — 1. **Res creatæ non sic divinæ Trinitati conformantur, ut ipsas personas repræsentent,** quia Trinitati non conformantur secundum *relationes* proprias Paternitatis, Filiationis et Spirationis, quæ divinas personas constituunt, et pertinent ad divinam operationem ad intra, sed secundum *processiones* continentes essentialia *attributa* tribus personis com-

munia, et tantum ipsis appropriata, quibus divina Forma omnia operatur sive ad intra, sive ad extra.

Hæc attributa sunt *divina Forma*, *Scientia* et *Voluntas*, seu *divinum Esse*, *Intelligere* et *Velle*, quæ tria sunt simul principia duarum processionum personarum divinarum *ad intra*, seu Ordinis increati, et causa processionis omnium creaturarum *ad extra;* seu ordinis creati, ita ut, suppositis duabus processionibus ad intra, tres personæ simul omnia ad extra operantur per eumdem Intellectum et eamdem Voluntatem, quibus ipsæ procedunt, cum hac tamen differentia, quod in operatione ad intra, dei Intellectus ac Voluntas connotantur divinis relationibus; non autem in operatione ad extra; insuper divina operatio ad intra est necessaria, dum tota operatio ad extra est libera. — Atqui, omnis effectus repræsentat aliquo modo causam suam, sicut supra ostendimus. — Ergo omnia et singula divinæ Trinitatis, seu trini Ordinis increati opificia, debent tripliciter ordinari ad exemplar divinæ Causæ suæ. — Ergo creatus ordo, tam universalis quam particularis, debet esse unitrinus sicut Ordo increatus.

Confirmatur ex S. Thoma in 1. q. 45, art. 6, corp.: « Deus est Causa rerum per suum Intellectum et Voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, et per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum, operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, et per suum Amorem, qui est Spiritus sanctus. Et secundum hoc, processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt essentialia attributa, quæ sunt Scientia et Voluntas. »

109. — II. Omnes et singulæ res creatæ divinam Causam repræsentant per modum vestigii, sicut ait doctor angelicus ibid., art. 7, corp.: « Omnis effectus aliqualiter repræsentat suam causam, sed diversimode; nam aliquis effectus repræsentat solam *causalitatem* causæ, non autem *formam* ejus, sicut fumus repræsentat ignem; et talis repræsentatio dicitur esse repræsentatio vestigii; vestigium autem demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non qualis sit..... In creaturis omnibus invenitur repræsentatio Trinitatis per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura invenitur aliqua, quæ necesse est reducere in divinas personas, sicut in Causam. »

« Quælibet enim creatura subsistit in suo *esse*, et habet *formam* per quam determinatur ad speciem, et habet *ordinem* ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quædam substantia creata, repræsentat causam et principium, et sic *demonstrat personam Patris*, qui est Principium non de principio; secundum autem quod habet quamdam formam et speciem, *repræsentat Verbum*, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis; secundum autem quod habet ordinem, *repræsentat Spiritum sanctum* in quantum est Amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis. Et ideo dicit Augustinus in lib. 6. de Trinit., cap. ult., quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundum quod unum aliquid est, et secundum quod aliqua specie formatur, et secundum quod quemdam ordinem tenet. »

« Et ad hæc etiam reducuntur illa tria: *mensura*, *numerus* et *pondus*, quæ ponuntur Sapient. 11; nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis; numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Et ad hæc tria reducuntur alia tria, quæ ponit Augustinus (in lib. de nat. boni, cap. 3): *modus*, *species* et *ordo*. Et ea, quæ ponit in lib. 83 quæst., q. 18: *quo constat, quo discernitur, quo congruit;* constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. Et in idem de facili reduci possunt quæcumque sic dicuntur. »

Manifestum est varias illas trinitates, quæ in omnibus rebus creatis inveniuntur, esse *mera divinæ Trinitatis vestigia*, cum non repræsentent nisi trinam ejus causalitatem, prout est prima omnium *Causa efficiens*, *exemplaris* et *finalis*, vel trinum ordinem divinæ causalitatis, scilicet ejus *principium*, *medium* et *finem*.

110. — III. Solæ creaturæ spirituales divinam Trinitatem repræsentant, per modum imaginis, ita ut proprie ipsi conformentur, at solummodo analogice.

1°) Explicatur haec repræsentatio.

Pergit S. Thomas loco citato: « Aliquis autem effectus repræsentat causam, *quantum ad similitudinem formæ ejus*, sicut ignis generatus ignem generantem, et statua Mercurii Mercurium, et hæc est repræsentatio imaginis. Processiones autem divinarum personarum attenduntur secundum actus Intellectus et Voluntatis, sicut supra dictum est; nam Filius procedit ut Verbum intellectus, Spiritus sanctus ut Amor voluntatis. In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis, inquantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens. » Unde liquet angelum et animam humanam, utpote natura spirituales, repræsentare spiritualem divinæ Trinitatis naturam, ita ut physice imitentur, non tantum trinum ordinem causalitatis Causæ unitrinæ, in quantum complectitur *principium*, *medium* et

terminum, sed etiam inquantum est *ordo spiritualis*, quia analogice, sicut ipse Deus, *sunt spiritus*, et spiritualiter operantur *per intellectum* et *voluntatem*.

2°) Imago est species similitudinis, et non requirit æqualitatem; Dei autem imago imperfectissime invenitur in creaturis spiritualibus.

Ita S. Thomas in 1. q. 83, art. 1, ubi legitur: « Sicut Augustinus dicit in lib. 83 quæst., q. 51, ubi est *imago*, continuo est et *similitudo*; sed ubi est similitudo, non continuo est imago. Ex quo patet quod similitudo est de ratione imaginis, et imago aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressa; imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius. Unde ovum, quantumcumque sit alteri ovo simile et æquale, quia tamen non est expressum ex illo, non dicitur ad imaginem ejus. — *Æqualitas* autem non est de ratione imaginis, quia, ut Augustinus ibidem dicit, q. 73, ubi est imago, non continuo est æqualitas, ut patet in imagine alicujus in speculo relucente. Est tamen de ratione perfectæ imaginis; nam in perfecta imagine, non deest aliquid imagini, quod insit illi de quo expressa est. Manifestum est autem quod in homine invenitur aliqua Dei similitudo, quæ deducitur a Deo sicut ab Exemplari, non tamen est similitudo secundum æqualitatem, quia in infinitum excedit Exemplar hoc tale exemplatum. Et ideo in homine dicitur esse imago Dei, non tamen perfecta, sed imperfecta; et hoc significat Scriptura, cum dicit hominem factum ad imaginem Dei; præpositio enim *ad*, accessum quemdam significat, qui competit rei distanti. »

Ibidem ad 2^m^ docet S. Thomas solum Dei Filium esse æqualem Patris sui imaginem, secundum divinæ Formæ perfectionem; et in art. 5 ait spirituales creaturas esse imperfectas imagines, non solius Patris aut Filii, sed totius Trinitatis, seu divinæ Formæ, inquantum est una in se et trina personis.

In art. 6 et 7, docet hominem esse ad Dei unitrini imaginem per solam animam spiritualem, et melius per intellectus et voluntatis actus, quam per potentias et habitus; per cætera autem esse Dei unitrini vestigium.

In art. 4, distinguit triplicem Dei unitrini imaginem, nempe per naturam, gratiam et gloriam, quarum prima est communis omnibus creaturis spiritualibus, secunda solis justis, tertia solis beatis.

In art. 3, asserit *angelum* altius Deum unitrinum imitari, ratione naturæ suæ mere spiritualis, quæ est simplicior ac nobilior Dei imago; sed *hominem* latius Deum unitrinum imitari, ratione naturæ suæ, anima et corpore compositæ, qua imperfectiorem quidem Dei imaginem, sed plura ejus vestigia præbet.

3°) Duplex distinguitur Dei unitrini similitudo: una *substantialis* et naturalis, quæ communis est omnibus rebus creatis, Deo analogice per formam suam substantialem similibus, sive per modum vestigii, sive per modum imaginis; altera *accidentalis* et supernaturalis, quæ perficit aliquas tantum substantias spirituales factas ad Dei imaginem, et quæ consistit, *quoad esse*, in physica similitudine supernaturali, per gratiam sanctificantem; et *quoad operari*, in similitudine per bonos habitus naturales aut supernaturales, ac melius per illorum habituum actus, quorum perfectissimus est actus visionis beatificæ. Jam vero, secundum utramque similitudinem, dicitur in Scriptura homo factus *ad Dei imaginem et similitudinem*; *imago* enim proprie designat substantialem naturalemque animæ humanæ assimilationem ad Deum; *similitudo* autem significat accidentalem ac supernaturalem assimilationem per gratiam sanctificantem et habitus cum ea infusos, quibus perficitur divina similitudo.

Sic loquitur doctor angelicus: « *Similitudo consideratur ut præambulum ad imaginem*, inquantum est communius quam imago, ut supra dictum est. *Consideratur etiam ut subsequens ad imaginem*, inquantum significat quamdam imaginis perfectionem; dicimus enim imaginem alicujus, esse similem vel non similem ei cujus est imago, inquantum perfecte vel imperfecte repræsentat ipsum. Sic ergo similitudo potest ab imagine distingui dupliciter: uno modo *prout est præambula ad ipsam* et in pluribus existens, et sic similitudo attenditur secundum ea, quæ sunt communiora proprietatibus naturæ intellectualis, secundum quas proprie dicitur imago...; alio modo potest considerari similitudo, *secundum quod significat imaginis expressionem et perfectionem*, et secundum hoc Damascenus (de Fide orthod. lib. 2, cap. 12) dicit quod id, quod est secundum imaginem, intellectuale significat, et arbitrio liberum per se potestativum ... Et ad idem refertur quod similitudo dicitur ad dilectionem virtutis pertinere; non enim est virtus sine dilectione virtutis. »

Substantialis similitudo non pendet a libera voluntate creaturæ, sed Creatoris, qui vult hanc similitudinem, a seipso impressam in substantiis spiritualibus ac immortalibus, esse in æternum immutabilem atque indelebilem. *Accidentalis* autem similitudo pendet primario a libera Voluntate Creatoris et secundario a libera voluntate creaturæ, ita ut ipsius culpa ac demerito deleri possit, sive ad tempus, sive

in æternum, sicut e contra, virtute ac merito creaturæ, possit in dies augeri, atque in æterna gloria immutabiliter consummari.

ARTICULUS III.

EXPLICANTUR VOCABULA, QUÆ EXPRIMUNT CREATURARUM CONFORMITATEM CUM DEO, VEL OPPOSITAM DEFORMITATEM.

Hæc vocabula exprimunt rerum creatarum juxta divinum Exemplar perfectionem, aut imperfectionem 1°) in genere; 2°) in fieri; 3°) in facto esse.

§ I.

De vocabulis exprimentibus rerum perfectionem, vel imperfectionem in genere.

Explicabimus 1°) vocabula, quæ pertinent ad rerum perfectionem vel imperfectionem, exprimendo utriusque notionem ac fundamentum, divisionem ac varios gradus; 2°) particularius vocabula *infiniti* et *finiti*.

111. — I. De vocabulis pertinentibus ad rerum perfectionem, vel imperfectionem.

1°) RES QUÆLIBET POTEST SUB DUPLICI RESPECTU SPECTARI, VIDELICET IN SEIPSA, ET RELATE AD ALIAS.

Porro excellentia rei in seipsa spectatæ, dicitur propria *perfectio*, seu *integritas*; excellentia autem rei relative ad alias, dicitur proprie *bonitas*.

Perfecta enim, sive *integra*, vocatur res, cui in essendo et in operando ad finem suum nihil deest secundum suum modum essendi et operandi; e contrario *imperfecta* vocatur res, cui in essendo vel operando, unum vel plura desunt, secundum suum modum essendi et operandi ad finem suum. *Bona* autem vocatur res, inquantum ab aliis appetibilis est, tanquam in se perfecta, et valens alias operando perficere. Ergo rei perfectio est fundamentum seu ratio ejus bonitatis. Vocabulum *perfectio*, utpote a verbo *facere* derivatum, proprie significat *totaliter factum*, seu *completum*; itaque proprie designat excellentiam creaturarum, quæ tota a Deo facta est, sed non Dei excellentiam, quæ non facta est. Verumtamen vocabulum *perfectio* metaphorice adhibetur ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu, sive esse illud sit factum, sive non. Vide 1. q. 4, art. 1, ad 1[m].

Ipsa rei perfectio fundatur in ipsius forma substantiali, quæ est primum principium intrinsecum ipsius existentiæ et operationis. Jam vero substantialis forma rei est vel res ipsa, quæ a se et per se est ac operatur, sine ullo limite in modo essendi et operandi, ita ut sit ipsa suum esse et operari, seu *purus Actus* in essendo et operando, quod soli Deo competit; vel est physica et intrinseca potentia, in qua res ab alia perfectiore accipit actum essendi et operandi, et quæ determinat proprium rei modum essendi et operandi. Porro cum hæc potentialitas limitet omnem creatam perfectionem, omnes creaturæ, si cum infinita Dei perfectione comparentur, imperfectæ dicendæ sunt, utpote finito tantum modo perfectæ.

2°) ERGO DUPLEX DISTINGUITUR PERFECTIO, scilicet *absoluta*, omnimoda, infinita, necessaria, immutabilis, propriæ soli Deo, qui cum sit ac operetur a se et per se, est ipse sua Forma substantialis, suum unicum Principium essendi ac operandi, ac consequenter Actus purus, in quo esse et operari nulla physica potentialitate admixta distinguuntur. Hæc autem divina Forma, infinite perfecta, est unica Causa efficiens, exemplaris ac finalis finitæ perfectionis, sive possibilis, sive actualis creatarum rerum; et cum sit in se infinite perfecta, et omnia a se alia perficiens, ab omnibus appetibilis est ut Bonum absolutum ac relativum, et necessario appetitur, sub ratione boni universalis, a cæteris rebus, quæ dum aliquid appetunt, non possunt appetere nisi bonum in genere.

Inde præter divinæ Formæ perfectionem absolutam, omnimodam, infinitam, necessariam, immutabilem, causantem et exemplarem, datur omnium rerum creatarum perfectio *relativa*, ad certum modum determinata, finita, contingens, mutabilis, causata et exemplata, ac proinde imperfectissima, si divinæ Perfectioni comparetur. Fundatur in rei forma substantiali, et admiscetur duplici *potentialitate*, nempe potentialitate extrinseca, sive methaphysica, et potentialitate rei intrinseca, sive physica. — *Metaphysica* potentialitas est rei possibilitas in Mente divinæ Formæ seipsam intelligentis ut imitabilem aliquo modo definito, juxta quem producere potest aliquam creaturam, si velit, quia hæc productio non repugnat divinæ Rationi, et facillima est activæ omnipotentiæ ipsius Voluntatis. — *Physica* autem potentialitas est ipsa rei forma substantialis, seu natura, quæ juxta S. Thomam, est potentia passiva rei concreata, in qua res a Deo accipit actum essendi, ab eo determinatum juxta modum imitationis divinæ Formæ ab ipsius Mente conceptum, et ab ejus Voluntate practice statutum. Et cum operari sequatur esse, ex forma substantiali, seu natura rei actuata in essendo, emanant *potentiæ operativæ*, quibus res creata, physice atque in-

trinsece a Deo mota, actu operatur. Deinde formæ substantiali et potentiis operativis rei superveniunt plures *formæ accidentales*, sive naturales, sive supernaturales, tanquam tot actus, quibus res magis ac magis in essendo et in operando actuatur, formatur, perficitur virtute atque ad exemplar puri Actus, puræ Formæ et summæ Perfectionis, quæ Deus est, usquedum actu obtineat completam perfectionem, seu finem a divina Forma artifice intentam.

3°) UNDE SEQUITUR, OMNIS REI PERFECTIONEM CONSISTERE IN EJUS ACTUALITATE SEU REALITATE IN ESSENDO, ET IN ACTUALI EJUS OPERATIONE. Nam res tanto perfecta est, quanto minus habet *de potentia*, et plus habet *de actu*, sicut loquuntur Scholastici, et contra, res tanto imperfectior est, quanto plus habet de potentia et minus habet de actu; ergo suprema perfectio est *Actus purus* in essendo et in operando, nulla potentialitate admixtus, et infima imperfectio, vel potius maxima rerum perfectibilitas intrinseca, est *pura potentia* in essendo, subjectiva et passiva, ab omni actu perfectibilis, ac proinde in rebus non existens, nisi aliquo actu seu forma perficiatur. — Atqui, unitrina *Dei Forma* sola est Actus purus, pura actualitas, pura realitas in essendo et operando, purus Ordo substantialis et *perfectio Ordinis*, quia cum sola sit ac operetur a se, juxta se et propter se, sola est suum Esse et operari; e contrario, *prima materia* sola est pura potentia passiva in essendo. — Ergo divina Forma, et materia prima, sunt *duo termini* lineæ perfectionis extreme oppositi, cum divina Forma sit sua actuali perfectione infinita, et prima materia sit sua perfectibilitate infinita.

Ergo inter duos illos terminos inveniuntur *varii gradus* constituentes inæqualem *ordinem perfectionis* omnium rerum creatarum, quæ nec sunt puri actus, nec puræ potentiæ passivæ, sed sunt *potentia et actu compositæ* in essendo et in operando, inquantum a divina Forma accipiunt finitum actum essendi et operandi in potentiis sibi concreatis, quæ hunc actum physice determinant, et quibus specifice ab invicem distinguuntur. Etenim præter suam possibilitatem metaphysicam, physice *in potentia passiva* accipiunt continuo actum essendi, seu existentiam, et *in potentiis operativis* accipiunt actum operandi, quando physica atque intrinseca Dei motione, illæ potentiæ transeunt ad actum physicum.

Cunctæ res creatæ plus minusve perfectæ sunt, secundum quod plus minusve habent de potentia, vel de actu plus minusve nobiliori, seu divino Actui similiori. — *Superius* ponuntur res mere spirituales, quæ substantialiter constant sola forma totaliter exempta a materia in essendo et in operando; verumtamen non sunt puræ formæ, sed formæ potentia et actu compositæ, sicut modo diximus. — *Inferius* ponuntur res mere materiales, quæ substantialiter componuntur materia prima et forma materiali; quæ licet sit de se simplex, dicitur tamen materialis, quia est actus in potentia materiæ seminaliter contentus, ex materiæ potentia a Deo tanquam a primo Motore eductus, in materia subsistens, et in materiæ potentiam reducendus. — *In medio* ponitur homo, substantialiter compositus corpore materiali et forma seu anima spirituali. Porro, in hac inæquali ac trina rerum creatarum dispositione, ponitur ordo perfectionis mundi universi.

112. — II. Particularius explicantur vocabula finiti et infiniti.

1°) DE NOTIONE FINITI ET INFINITI.

Ex præcedenti explicatione liquet omnia vocabula, quæ rerum perfectionem vel imperfectionem exprimunt, reduci ad *actum* et *potentiam*, cum omnis perfectio sit actus, et omnis imperfectio sit admixta aliqua potentialitate, qua limitatur actus seu perfectio omnis rei creatæ, et qua res creata potest a perfectione sua deficere; nam ista intrinseca potentialitas est radix contingentiæ perfectionis creaturæ, quæ inde potest esse vel non esse, agere vel non agere, perfici vel deficere, in essendo et in operando.

Jam vero vocabula *finiti*, vel *infiniti*, possunt rei perfectionem, vel imperfectionem exprimere, secundum quod rei potentiam, vel actum afficiunt. Præterea dividuntur et intelliguntur secundum contrarium limitis respectum. *Finitum* enim est illud, quod limitibus determinatur; *infinitum* e contrario, est illud, quod limitibus non determinatur. Finitum autem, vel infinitum, possunt esse vel potentia passiva corporum, seu materia; vel actus, seu forma singularum rerum.

Atqui, si *de materia* agatur, *finitum* designat perfectionem, quia materia est in rebus principium perfectibile ac determinabile per formam, quod, cum limitatur per formam, actuatur et completur in essendo, et terminatur ad certam corporis speciem, qua constituitur talis vel talis substantia suo modo existens et operans; *infinitum* autem designat imperfectionem, quia carentia limitationis seu determinationis materiæ, per suam formam substantialem, est privatio actualis existentiæ et specici, ita ut materia sine forma substantiali, quæ est primus ejus actus, est pura potentia passiva, mera perfectibilitas, totalis imperfectio, quæ nec concipi, nec in re existere potest sine forma substantiali illam actuante, et sic constituente aliquam substantiam materia et forma compositam. Omne enim corpus constat duobus illis principiis, quo-

rum unum est perfectibile et alterum perficiens, et quorum neutrum sine altero existere posset, cum materia prima realiter existere nequeat nisi actuetur per formam substantialem, et vicissim forma materialis existere non possit, nisi cum materia, in qua subsistit. Secus autem loquendum est de forma spirituali materiam informante, scilicet de anima humana; nam licet corpus humanum existere in sua unitate formali nequeat sine anima, tamen anima existere potest sine corpore, cum in materia non subsistat.

Si vero *de forma* agatur, *finitum* significat imperfectionem, quia omnis forma est actus, seu principium rei perficiens, ita ut formæ limitatio per aliquam potentialitatem sit diminutio perfectionis rei; *infinitum* autem designat perfectionem, quia forma tanto perfectior est, quanto eximitur a potentialitatis limitatione, ita ut totalis exemptio a potentialitate sit summa perfectio, soli Deo propria, qui solus est Actus purus, seu Forma simplicissima.

2°) De divisione infiniti.

Hinc a) **Infinitum primo dividitur in privativum vel negativum,** secundum quod potentiæ vel actui competit. Nam *privativum* infinitum est privatio cujuslibet perfectionis in potentia physice perfectibili ac perficienda in esse per primum actum, ut si supponatur materia prima, seu quælibet pura potentia passiva qua talis, seu omni actu destituta. *Negativum* infinitum est illimitata perfectio alicujus potentiæ vel actus.

b) **Ipsum negativum infinitum est relativum vel absolutum.**

Relativum infinitum est illimitatio perfectionis alicujus potentiæ in aliquo perfectionis ordine; constituit perfectionem relativam, seu secundum quid. Hoc modo infinitus est intellectus creatus, qui se extendit ad omne verum cognoscendum in ordine intellectuali; hoc modo infinita est voluntas creata, quæ se extendit ad omne bonum appetendum in ordine morali; hoc modo abstracte infinita est linea, quæ supponitur nullis terminis finita in ordine longitudinis. Infinitum relativum dicitur quoque *indefinitum*, infinitum *in potentia*, infinitum *virtute*, infinitum *syncategorematicum*.

Absolutum vero infinitum est illimitatio formæ, vel actus, in omni ordine perfectionum simpliciter simplicium; constituit perfectionem absolutam, puram, simplicem, quæ soli Formæ divinæ propria est. Infinitum absolutum dicitur quoque infinitum *in actu*, seu infinitum *categorematicum*.

3°) De cognitione infiniti.

a) **Infinitum privativum,** cum sit privatio omnis actus, seu omnis esse, nec a divino, nec ab angelico, nec ab humano intellectu intelligibile est per se, quia esse est primum objectum omnis intellectus, qui proinde intelligere nequit quod non est; itaque infinitum privativum non intelligitur nisi per actum, per formam, per esse, cujus privatio est, et sine quo nec existere, nec intelligi potest. Dicit S. Thomas in 1. q. 15, art. 3, ad 3^{m}: « Habet quidem materia *(prima)* ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi, nam materia secundum se, neque esse habet, neque cognoscibilis est. »

b) **Negativum infinitum relativum,** seu indefinitum, intelligitur ab intellectu nostro, quia ipse est potentia indefinita, et consequenter tali objecto proportionata. Ait doctor angelicus in 1. q. 86, art. 2, corp.: « In intellectu nostro invenitur infinitum in potentia in accipiendo scilicet unum post aliud, quia nunquam intellectus noster tot intelligit quin possit plura intelligere. »

c) **Negativum infinitum absolutum,** seu infinitum formale et in actu, non intelligitur *infinite*, nisi a divino Intellectu actualiter infinito, cui soli competit modus intelligendi actu infinitus. Verumtamen infinitum formale potest *finite* intelligi, secundum se et immediate, a creatis intellectibus actu finitis, per lumen gloriæ elevatis. Sed in statu viæ, intelligi immediate non potest, nec finite quidem, ab intellectu creato, qui naturaliter aut supernaturaliter non intelligit nisi mediantibus speciebus intelligibilibus. Possumus autem, intellectu per fidem illustrato, concipere speciem intelligibilem seu notionem infiniti absoluti, non positivam sed *negativam*, scilicet mente removendo omnem perfectionis intelligibilis limitem, seu negando Deum esse perfectum eo modo, quo sunt omnes creaturæ in omni ordine perfectionis, et quo ab omni intellectu creato intelliguntur, vel intelligi possunt esse perfectæ. *Positiva* vero notio, quam de infinito concipere possumus, mente addendo perfectionem perfectioni, est notio perfectionis infinitæ in potentia seu indefinitæ, sed non infinitæ in actu. Vide S. Thomam 1. q. 36, art. 2. ad 1^{m}; item q. 12, art. 12, corp., et q. 34, art. 7. ad 3^{m}.

§ II.

De vocabulis exprimentibus rerum perfectionem, vel imperfectionem in fieri.

113. — Rerum perfectio vel imperfectio considerari possunt vel *in fieri*, seu in potentia; vel *in facto esse*, seu in actu.

Res enim dicuntur perfectæ vel imperfectæ *in fieri*, inquantum subjiciuntur potentiæ activæ seu operationi causæ ipsas perficientis, vel in-

ficientis, et consequenter inquantum res ipsæ vel primo fiunt, vel postea transeunt seu moventur a potentia ad actum eas perficientem, vel inficientem. Dicuntur autem res perfectæ vel imperfectæ *in facto esse*, in quantum constitutæ sunt in suo statu perfectionis, vel imperfectionis.

Itaque vocabula exprimentia rerum perfectionem vel imperfectionem *in fieri*, designant *actionem* causæ res perficientis vel inficientis, aut *passionem* rei perfectæ vel infectæ. Insuper hæc vocabula fere omnia derivantur a voce *forma*, quia omnis forma est actus seu perfectio, ita ut omnis res substantialiter vel accidentaliter perficiatur per suam formam substantialem, vel per aliquam formam accidentalem, naturalem aut supernaturalem, et e contrario inficiatur amissione formæ.

Unde omnia prædicta vocabula significant vel 1°) formæ alicujus *receptionem*, vel 2°) formæ alicujus *amissionem*, vel 3°) formæ amissæ *recuperationem*, vel 4°) *transitum* ab aliqua forma ad aliam formam. Passim in sacra Scriptura inveniuntur, et a sanctis Patribus ac Doctoribus scholasticis adhibentur, sicut patebit in Parte III præsentis Tomi. Maxime vero congruunt universali doctrinæ divini Exemplarismi, quia mirabiliter designant analogiam perfectionis omnium rerum creatarum cum divina Forma et inter se per formas suas.

114. — I. Ad formæ receptionem referuntur vocabula formatio, informatio, conformatio, ordinatio, quæ in sensu activo sumuntur ex parte causæ formantis, informantis, conformantis, ordinantis, sed in sensu passivo sumuntur ex parte effectus formati, informati, conformati, ordinati.

1°) Formatio, si *active* accipiatur, est actio causæ effectum suum, seu rem producentis ac perficientis, ei conferendo formam substantialem vel accidentalem. Si vero *passive* sumatur, seu ex parte rei perficiendæ, est receptio formæ, quam nondum habuit.

Res, quæ substantialiter formatur, est vel substantia spiritualis, quæ sola forma constituitur, vel substantia corporea, quæ materia et forma componitur. Jam vero *formatio substantiæ seu formæ spiritualis* in hoc consistit, quod Deus ei det, et illa accipiat esse, seu actum essendi, nam spiritualis forma non est purus actus, seu purum esse creatum, quod impossibile est juxta S. Thomam, sicut videbimus in Tomo III, Parte II; sed est physica potentia simul a Deo creata cum actu suo, seu cum suo esse, quod continuo a Deo accipit et conservat per creationem continuatam. Vide 1. q. 50, art. 2, ad 3^{m}; et q. 54, art. 1, corp.

Formatio substantiæ corporalis consistit in substantiali unione materiæ et formæ quibus constat corpus, et quæ ita intime cohærent, ut materia existere nequeat sine forma substantiali, sicut forma materialis nequit existere sine materia, in qua subsistit; sed forma spiritualis, ut anima humana, existere potest sine materia, in qua non subsistit. Omnis formatio substantialis, aut accidentalis, supponit actionem divinæ Formæ, quæ in prima rerum productione, sola operata est, et in rerum reproductione substantiali atque in perfectione accidentali principaliter operatur, causis secundis ipsi cooperantibus in suo ordine, sive physico, sive intellectuali, sive morali.

2°) Informatio indicat subjecti perfectionem per causam sibi intrinsecam, nempe per formam substantialem, aut accidentalem passive receptam. Inde distinguitur duplex informatio, nempe substantialis et accidentalis. Accidentalis autem informatio iterum duplex est, videlicet naturalis aut supernaturalis.

Subjectum informatum potest esse quælibet potentia passiva vel potentia operativa. Est igitur vel materia prima, accipiens formam substantialem; vel forma substantialis accipiens actum essendi; vel potentia apprehensiva suum objectum apprehendens, et ab ipso informata mediate, accipiendo ejus similitudinem, seu speciem, sive intelligibilem, sive imaginariam, sive sensibilem; vel potentia appetitiva, quæ immediate suo objecto conjungitur, et ab eo informatur. In statu gloriæ, intellectus Beatorum, lumine gloriæ elevatus, immediate informatur a divina Forma, et hac informatione, qua immediate Deum intuentur, Beati obtinent ultimam suam perfectionem ac beatitudinem.

3°) Conformatio designat motum ad conformitatem cum forma subjecto extrinseca, sive hæc forma sit ipsa substantialis forma agentis ut fit in omni naturali generatione, sive sit forma exemplaris in intellectu vel extra intellectum agentis aspecta, ut fit in omni artificiali productione. Dicit S. Thomas in q. 23 de Verit., art. 7, ad 11^{m}: « Conformatio, cum sit motus ad conformitatem, non importat æquiparantiæ relationem, sed præsupponit aliquid ad cujus conformitatem alterum moveatur; unde posteriora *(imperfectiora)* prioribus conformantur, sed non e converso. »

4°) Ordinatio ad finem considerari potest in agentis intelligentis intentione, vel in operis exsecutione. Si in exsecutione spectetur, supponit, in causa efficiente ac ordinante, rationem et motionem, et in subjecto ordinato supponit formam et motum, quia unumquodque secundum formam suam movetur ad operandum ad

finem; unde oritur axioma: *operari sequitur esse*, seu operatio conformatur formæ operantis. Per formam substantialem ac naturalem, subjectum inclinatur ad operandum ad finem naturalem, et per formam accidentalem aut supernaturalem, qualis est gratia sanctificans, cum habitibus infusis, disponitur ad operandum ad finem supernaturalem, sed actualis operatio supernaturalis exigit auxilium gratiæ actualis.

Unde duplex distinguitur rerum creatarum ordinatio, nempe naturalis et supernaturalis, quæ iterum duplex est, cum fiat per gratiam ad gloriam. Ergo tota rerum creatarum ordinatio trina est, in quantum complectitur naturam ut fundamentum perfectionis rerum, gratiam ut medium, et gloriam ut finem. Creatura libera potest a particulari fine suo deviare, sed hoc non obstante, a Deo ordinatur ad finem seu perfectionem totius mundi atque ad Dei gloriam.

115. — II. **Amissio formæ** dicitur *deformatio*, quæ, juxta formam amissam, est substantialis vel accidentalis, interna vel externa, naturalis vel supernaturalis.

In ordine naturali, substantialis deformatio est amissio formæ substantialis, et dicitur *corruptio*, et in viventibus dicitur *mors corporis*. Accidentalis autem deformatio dicitur *alteratio*.

In ordine supernaturali, deformatio fit gratiæ sanctificantis amissione per peccatum mortale, et proprie loquendo est tantum accidentalis, quia gratia est forma accidentalis. Nihilominus, cum gratia sanctificans sit primum vitæ supernaturalis principium intrinsecum, sicut anima est primum principium naturalis vitæ corporis, gratiæ amissio dicitur metaphorice *mors* et *corruptio animæ*. Supernaturalis *alteratio* fit per peccatum veniale, quod nullo modo tollit, nec diminuit gratiam sanctificantem, et supernaturales habitus cum ea infusos, sed illorum exercitium, seu actus, impedit ac inficit, inordinando voluntatem, non quidem circa ultimum finem, sed circa media ad finem, et sic animam disponit ad gratiæ amissionem. Unde S. Thomas in 1. 2. q. 72, art. 5, corp., jure peccatum veniale comparat ægritudini corporali, et peccatum mortale comparat morti. Ex omni deformatione substantiali vel accidentali, naturali vel supernaturali, sequitur *inordinatio* ejusdem generis, seu privatio ordinis, qui ex forma amissa sequebatur eique conformabatur.

116. — III. **Recuperatio formæ amissæ** dicitur *reformatio*, quæ juxta formam recuperatam, est substantialis vel accidentalis, interna vel externa, naturalis vel supernaturalis.

Substantialis reformatio corporis, seu nova corporis mortui informatio per animam, vocatur *resurrectio*, quæ fieri nequit naturaliter, sed semper est supernaturalis simpliciter, licet dici possit naturalis secundum quid, in quantum terminatur ad vitam naturalem recuperatam. Vide S. Thomæ suppl. q. 75, art. 3.

Reformatio accidentalis est recuperatio amissæ formæ accidentalis, sive *naturalis*, puta virtutis naturalis, aut pulchritudinis corporalis morbo deturpatæ; sive *supernaturalis*, puta gratiæ sanctificantis, et habituum infusorum ei connexorum.

Igitur, proprie loquendo, recuperatio gratiæ est reformatio accidentalis, inquantum gratia est forma accidentalis, sed metaphorice loquendo, recuperatio gratiæ est *reformatio essentialis* in ordine supernaturali, cujus gratia sanctificans est primum principium intrinsecum, sicut supra diximus. Et metaphorice iterum loquendo, *reformatio accidentalis* in ordine supernaturali, est emendatio a tepore spirituali atque a defectibus, qui vitam gratiæ non tollunt, sed animæ progressum in via perfectionis impediunt. Reformationem sequitur *restitutio ordinis*, seu reordinatio conformis formæ recuperatæ; unde essentialem reformationem supernaturalem sequitur restitutio ordinis ad ultimum finem supernaturalem, et reformationem accidentalem sequitur restitutio ordinis ad media.

117. — IV. **Transitus subjecti ab aliqua forma ad aliam formam** dicitur *transformatio*, quæ est substantialis aut accidentalis, juxta formam a qua, et ad quam transit subjectum.

1°) Transformatio substantialis non fit nisi in substantiis corporeis, et tria principia requirit, videlicet: a) materiam, quæ est subjectum transiens ab aliqua forma substantiali ad aliam formam substantialem; b) privationem prioris formæ, quia materia nequit simul habere duas formas substantiales, nec proinde novam formam substantialem acquirere, nisi priorem amittat; c) acquisitionem novæ formæ, simul ac priorem amittit, quia materia existere nequit sine aliqua forma substantiali.

Unde sequitur corruptionem unius substantiæ esse generationem alterius substantiæ, ita ut generatio substantiarum corporearum fiat per ipsarum transformationem. Transformatio autem est motus, quo materia, tanquam potentia ad omnem formam seu actum indifferens, et in omni transformatione permanens, transit ab aliqua forma ad aliam formam, seu ad alium actum, qui, cessante priore, educitur e potentia materiæ, virtute alicujus exterioris causæ agentis, seu moventis. Jam vero, causa principalis ac remota generationis est Deus, primus omnium Motor; causæ secundariæ et proximæ, sunt agen-

tia creata, quæ a Deo mota, movent materiam ad formam, seu materiam informant.

In generatione viventium, materia a matre subministrata, scilicet ovulum, non informatur nec transformatur nisi virtute seminis maris, ita ut fœtus, seu proles, sit ejusdem speciei ac parentes. Unde ipsæ species in generatione permanent.

2°) Transformatio accidentalis est transitus alicujus substantiæ formatæ ad aliam formam accidentalem, sive internam vel externam, sive naturalem vel supernaturalem, ita ut alia seu melior fiat accidentaliter.

Liquet hanc transformationem accidentalem non requirere, in subjecto, privationem prioris formæ substantialis aut accidentalis, quia e contrario, receptio novæ formæ accidentalis supponit in subjecto formam substantialem, et quia idem subjectum potest simul perfici pluribus formis accidentalibus, dummodo non sint contrariæ; sufficit ei naturalis capacitas, seu potentia ad novam formam accipiendam. Et hæc potentia, qua talis, tanto nobilior est, quanto latiorem habet perfectionis capacitatem; sic essentia physica, et potentiæ intellectivæ spirituum creatorum, sunt nobilissimæ inter subjectivas potentias, quia habent infinitam perfectionis capacitatem in duplici linea essendi et operandi.

Forma accidentalis et forma supernaturalis, quibus substantiæ spirituales transformantur *supernaturaliter quoad esse*, est gratia sanctificans, quam recipiunt in physica essentia sua, et qua elevantur ad esse divinum ac prorsus supernaturale. — Formæ accidentales, quibus transformantur *quoad operari*, sunt omnes habitus et actus, naturales et supernaturales, in ordine gratiæ et gloriæ, qui operativas spirituum potentias magis ac magis perficiunt, et de quibus jam locuti sumus n.° 94.

§ III.

De vocabulis exprimentibus rerum perfectionem, vel imperfectionem in facto esse.

Hæc vocabula non amplius, sicut præcedentia, indicant *motum rerum* ad aliquam perfectionem acquirendam aut amittendam, sed *statum rerum* relate ad aliquam perfectionem acquisitam, aut amissam, aut nondum habitam.

Porro vocabula ista sunt vel substantiva vel adjectiva, quæ bonas aut malas rerum qualitates indicant. Talia sunt verba: unitas, veritas, bonitas, pulchritudo, ordo, quæ indicant transcendentales omnium entium proprietates in forma fundatas, et quas jam explicavimus; necnon plurima verba derivata a voce *forma*, scilicet informitas, deformitas, conformitas, deiformitas; vel adjectiva ex his verbis derivata, verbi gratia formosus, speciosus, gratiosus, et vocabulum collectivum *mundus*, designans totalem omnium rerum creatarum perfectionem, quorum verborum sensum breviter nunc determinabimus.

118. — I. **Informitas** significat carentiam formæ substantialis aut accidentalis, quam subjectum nondum habuisse intelligitur.

Informitas absoluta, seu carentia omnis formæ, etiam substantialis, competit materiæ primæ, et nequit actu seu realiter existere, imo nec ratione intelligi potest, nisi per generalem notionem omnis formæ cognitæ, cujus informitas carentia est, et quæ mente negatur.

Informitas accidentalis competit rei jam formatæ substantialiter; intelligitur per notionem formæ accidentalis, cujus carentia est.

Informitas opponitur rei formationi in sensu passivo intellectæ. Ab ea derivatur adjectivum *informis*, seu carens forma nondum habita. Tale est marmor a sculptore non elaboratum.

119. — II. **Deformitas** est actualis privatio sive amissio formæ, quam res jam habuit, et habere debet.

Deformitas substantialis, intellecta ut status rei privatæ forma sua substantiali, impossibilis est, quia quando aliqua substantia privatur sua forma substantiali, statim succedit alia forma substantialis, nam corruptio unius est generatio alterius, sicut aiunt scholastici. Ergo omnis res habet formam substantialem, et quoad substantiam suo modo perfecta est.

Deformitas accidentalis est status imperfectus rei substantialiter formatæ, sed privatæ aliqua forma accidentali, naturali aut supernaturali. Opponitur *formositati*, et ab ea derivatur adjectivum *deformis*, seu privatus aliqua forma seu qualitate debita. Talis est anima peccatoris privata gratia sanctificante.

120. — III. **Conformitas, sive uniformitas** 1°) est actualis plurium similitudo. *Similitudo* enim est communitas seu convenientia plurium in qualitate, quæ in forma fundatur; sic duo annuli aurei sunt qualitate similes licet dimensione differant. Communitas autem plurium in quantitate, sive dimensiva, sive virtuali, dicitur *æqualitas*; sic annulus aureus et annulus ferreus, ejusdem dimensionis, non sunt qualitate similes, sed quantitate æquales.

Similitudo differt ab assimilatione ex eo, quod assimilatio est fieri ad imitationem alterius; unde importat vel motum ad similitudinem obtinendam, vel causalitatem exemplarem, et imitationem unius ab altero; neutrum autem de se importat similitudo. — Similitudo autem et

æqualitas possunt existere inter plura, sine ulla causalitate. Sic tres personæ divinæ sunt inter se æquales, et nulla alteri assimilatur, quia ab ea non causatur. Sic quoque plures circuli possunt esse similes, vel æquales, quin unus alteri assimiletur.

Conformitas inter plura oritur vel ex naturali generatione, et tunc est specifica, aut generica, prout causa generans est univoca, vel æquivoca; vel oritur ex artificiali productione, et tunc est analogica. Dicit S. Thomas in 1. dist. 48, q. 1, art. 1, corp.: « Aliquid conformatur sive assimilatur alicui dupliciter, scilicet ex eo quod participant unam formam, vel ex eo quod unum, quod participative habet formam, imitatur illud, quod essentialiter eam habet. » Et hoc secundo modo, cunctæ res creatæ assimilantur divinæ Formæ, per suas formas intrinsecas.

2°) CONFORMITAS DIVIDITUR IN SUBSTANTIALEM AUT ACCIDENTALEM, prout res similes sunt quoad formam substantialem, aut accidentalem, quæ est naturalis vel supernaturalis.

Præterea conformitas est *physica, intellectualis* et *moralis*, prout est necessaria, vel libera. Ait S. Thomas in q. 23 de Verit., art. 2, corp.: « Aliter attenditur conformitas effectus ad causam in naturalibus, et aliter in voluntariis. » Conformitas physica potest esse spiritualis vel corporalis, substantialis vel accidentalis; conformitas intellectualis et moralis est semper spiritualis et accidentalis.

3°) CONFORMITAS OPPONITUR DISSIMILITUDINI. Ab ea derivatur adjectivum *conformis*, oppositum *dissimili*.

121. — IV. **Deiformitas** dicitur de actuali communitate ac societate cum divina Forma unitrina, et duplex est, scilicet naturalis et supernaturalis.

1°) DEIFORMITAS NATURALIS non causatur, sed est substantialis, æterna ac necessaria divinæ Formæ communicatio et ineffabilis Societas inter tres divinas personas consubstantiales, coæternas et coæquales. Conveniunt enim individualiter in divina Forma, sunt ipsa divina Forma, et ab invicem realiter non distinguuntur nisi oppositione realium suarum relationum.

2° DEIFORMITAS SUPERNATURALIS a divina Trinitate causatur ad exemplar deiformitatis increatæ, et ab ejus perfectione differt infinite. Non est enim substantialis, nec æterna, nec necessaria, sed accidentalis est, cum tempore incipit, et prorsus gratuita ex parte Dei, unde dicitur *gratia sanctificans*. Hæc gratia est qualitas seu forma accidentalis, quæ supernaturaliter additur formæ substantiali creaturarum spiritualium, et quæ illis confert esse supernaturale ac divinum; nam per hoc esse, angelus et homo fiunt divinæ Formæ consortes per sublimem similitudinem, filii Dei adoptivi et hæredes regni æterni.

Dicit doctor angelicus in 1. 2. q. 110, art. 2, ad 2^{m}: « Quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse, quod sit substantia, aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animæ. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam Bonitatem. Secundum hoc ergo, quia anima imperfecte participat divinam Bonitatem, ipsa participatio divinæ Bonitatis, quæ est gratia, imperfectiori modo habet esse in anima, quam anima in seipsa subsistat. Est tamen nobilior quam natura animæ, inquantum est expressio vel participatio divinæ Bonitatis, non autem quantum ad modum essendi. » Et ad 3^{m}: « Secundum hoc gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur, idest in novo esse constituuntur ex nihilo; idest, non ex meritis, secundum illud ad Eph. 2: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* »

Simul ac gratia sanctificans per supernaturalem infusionem additur formæ substantiali, seu physicæ essentiæ creaturæ spiritualis, ex ipsa gratia in angeli vel hominis potentias operativas emanant *habitus supernaturales*, quibus potentiæ disponuntur ad eliciendos *actus supernaturales* gratiæ vel gloriæ. Denique, ut potentiæ, habitibus supernaturalibus dispositæ, transeant ad actum supernaturalem, requiritur auxilium gratiæ actualis.

122. — V. **Adjectiva formosus, speciosus, gratiosus** derivantur a substantivis forma, specie, gratia exteriori, ad designandam actualem formam seu perfectionem subjecti, quod qualificant. Dicit S. Augustinus in lib. 4 de Musica, cap. 12: « Formas designamus, cum formosos aut deformes asserimus. »

123. — VI. **Mundus** 1°) tripliciter dicitur, ait S. Thomas in q. 13 de Malo, art. 2 ad 2^{m}, et in Joann. lect. 5, med.; nempe ratione illius *creationis, perfectionis* et *perversitatis*.

Ratione perfectionis, dicitur græce Κόσμος, idest ordo, modus, ratio, ornatus, decor, decus, et laus ex decore resultans. In hoc sensu, mundus est complexus omnium rerum a Deo creatarum, tam spiritualium quam corporalium, consideratarum in suo esse et operari, tanquam partes coordinatæ ad naturalem ac supernaturalem perfectionem totius opificii divini, juxta perfectionem Ordinis atque ad gloriam supremi Artificis unitrini. — Aliquando tamen, sicut dicit S. Thomas in 1. dist. 3, lect. 1, vox mundus accipitur *in sensu restrictiori* ad designandum complexum corporalium tantum creaturarum,

quarum homo est rex, ita ut ex mundo excludantur creaturæ mere spirituales, seu angeli. Nos in præsenti opere agentes de universo mundi ordine, vocem mundi adhibemus in tota ejus extensione, et a divino opificio non amputamus nobiliorem illius partem, sicut faciunt hodierni physici multique philosophi.

2°) Veteres Platonici, sancti Patres et doctores scholastici, quos n.° 348 præsentis Tomi citabimus, distinguunt *mundum majorem*, qui omnes creaturas complectitur in se ordinatas, et *mundum minorem*, seu *hominem*, qui est majoris mundi compendium, inquantum composita ejus substantia in se repræsentet mirum universi mundi ordinem, cum in aliquo conveniat cum cæteris substantiis creatis, mundum majorem constituentibus.

In physico enim ordine, homo habet esse cum mineralibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum angelis et cum ipso Deo, cujus in hoc imago est.

In ordine intellectuali et morali, homo potest libere cognoscere et amare omnia quæ in mundo sunt, tam invisibiles quam visibiles creaturas, ac ipsum mundi Creatorem, ita ut, mediantibus rerum speciebus intelligibilibus, homo fiat omnia cognitione et amore, seu per sui intellectus ac voluntatis conformitatem cum omnibus rebus. Denique in gloria cœlesti, intellectus Beatorum immediate informabitur per ipsam Formam divinam, quam proinde directe videbit, et in qua simul intuebitur omnia Dei opificia, sicut exemplata in supremo suo Exemplari.

CAPUT III.

EXPLICATUR TRINUS ORDO MUNDI RESULTANS EX RERUM CONFORMITATE CUM FORMA DEI UNITRINA.

Prænotanda. — In Libro præcedenti explicavimus *trinam Causam extrinsecam* perfectionis et ordinis mundi, scilicet divinam Formam unitrinam, quæ est Ordo per se, et prima Causa efficiens, exemplaris ac finalis omnium rerum. — In præsenti autem Libro jam vidimus *duplicem causam intrinsecam* perfectionis et ordinis mundi, scilicet causam materialem ac formalem, quæ sunt intrinseca omnium rerum creatarum principia, et quæ sive conjunctim, sive separatim, constituunt *tria universalia substantiarum genera*, nempe substantias mere spirituales, substantias mere materiales, et substantiam humanam, spiritu ac materia compositam. Vidimus quoque quod, supposita libera earum creatione, *cunctæ creaturæ necessario divinæ Formæ conformantur* per formas suas intrinsecas, juxta formas extrinsecas et exemplares, seu ideales, quas secundum propriam perfectionem suam cognitam ut variis modis imitabilem, in Sapientia sua concepit divina Forma omnium rerum Artifex. *Mediantibus illis formis idealibus ac realibus*, omnes et singulæ creaturæ analogice ac diversimode imitantur divinæ Formæ unitatem, veritatem, bonitatem, pulchritudinem, ordinem, et hoc duplici modo generali, scilicet per modum vestigii, et per modum imaginis, atque in trino ordine physico, intellectuali et morali, tam naturali quam supernaturali, secundum gratiam et gloriam.

Videamus trini hujus ordinis mundi 1°) evolutionem; 2°) pulchritudinem.

ARTICULUS I.

EVOLVITUR TRINUS ORDO MUNDI, JUXTA DIVINUM TRINUMQUE ORDINEM EXEMPLATUS.

124. — Explicatur hæc evolutio in genere.

1°) TRES ORDINES IN DIVINA FORMA EXEMPLARI DISTINGUIMUS, nempe trinum ordinem virtualem attributorum tribus personis communium; trinum Ordinem realem personarum, et trinum ordinem virtualem causalitatis tribus personis appropriatæ.

Etenim *ordo divinorum attributorum* constat divina Essentia, seu natura, divino Intellectu et divina Voluntate, ad quæ cætera attributa referuntur; hujus igitur ordinis principium est divina Essentia, seu natura, quæ a divina Forma non distinguitur; medium est divinus Intellectus, qui operatur necessario, inquantum est speculativus, et operatur libere, inquantum est practicus; terminus est divina Voluntas, qua Deus vult seu diligit necessario seipsum et libere alia a se. — *Ordo divinarum personarum* fundatur in duabus processionibus, et constat Patre tanquam Principio, Filio tanquam medio, et Spiritu sancto tanquam termino. — *Ordo divinæ causalitatis* est causa efficiens, quæ Patri appropriatur; causa exemplaris, quæ Verbo appropriatur; causa finalis, quæ Spiritui sancto appropriatur.

Atqui, totus ordo creaturarum est effectus trinæ hujus causalitatis, et omnis effectus causam suam repræsentat.

Ergo totus ordo creatus trinum Ordinem increatum repræsentat. Vide n.° 97. Hæc autem repræsentatio fit sive per modum vestigii, sive per modum imaginis. Vide n.° 109 et 110.

2°) ITAQUE TOTUS ORDO CREATUS, PRIMO AC GENERALISSIME DIVIDITUR in physicum, intellectualem et moralem. *Ordo physicus* analogice refertur ad Essentiam divinam, ad primam Causam efficientem, atque ad Patrem; complectitur omnium creaturarum substantias, potentias operativas, et operationem necessariam per modum naturæ. *Ordo intellectualis* refertur ad divinum Intellectum, ad primam Causam exemplarem, atque ad Verbum. *Ordo moralis*, sive *privatus*, sive *socialis*, refertur ad liberam Dei Voluntatem, ad primam Causam finalem, atque ad Spiritum sanctum.

Trinus autem ordo physicus, intellectualis ac moralis subdividitur in *ordinem naturalem*, et in *ordinem supernaturalem*, in quo creaturarum rationalium essentia, intellectus et voluntas ad perfectionem supernaturalem elevantur, per gratiam et gloriam. Unde omnis creaturarum perfectio continetur in trino ordine *naturæ*, *gratiæ* et *gloriæ*. Vide plura in hoc Tomo I, n.° 39 et 40.

§ I.

De ordine naturæ.

125. — In ordine perfectionis naturalis rerum creatarum distinguitur trinus ordo *physicus*, *intellectualis* et *moralis* ad exemplar trini Ordinis divinæ Formæ, in qua virtualiter distinguuntur *Esse*, *Intelligere* et *Velle*. Vult autem Deus omnes creaturas perfectionem suam *necessario*, seu necessitate naturæ, repræsentare in ordine physico, et intelligentes creaturas eam insuper imitari *libere* in ordine intellectuali et morali, ita ut libere cooperentur cum divino Artifice principaliter operante ipsarum perfectionem.

S. Augustinus et S. Thomas his vocibus non utuntur, sed pro *physico* dicunt *naturale*, et pro *morali*, quod supponit *intellectuale*, dicunt *voluntarium*, quod naturali opponunt tanquam liberum necessario; nam juxta modum loquendi illorum, *agere per naturam*, seu per modum naturæ, est agere secundum necessariam inclinationem naturæ, a suo Auctore determinatæ ad proprium objectum suum; *agere autem per intellectum et voluntatem*, est agere libere, seu moveri ad objectum, ad quod illæ potentiæ non determinantur physice a Deo, ut Auctore naturæ, sed tantum moraliter ab objectis, quæ per intellectum præsentantur voluntati, et modificant physicam voluntatis actionem.

Putamus igitur nos loqui juxta mentem S. Augustini et S. Thomæ, dicendo *ordinem physicum* complecti omnia, quæ per modum naturæ vel sunt substantialiter aut accidentaliter, vel necessario aguntur independenter a libera voluntate creata; *intellectualem vero et moralem ordinem* complecti actiones, quæ subsunt liberæ voluntati creatæ, supposita tamen physica ejus actione necessaria. Liberi actus seu electiones voluntatis nostræ sunt morales sed tamen reales modificationes seu specificationes rectæ vel pravæ, actus physici quo necessarie volumus bonum universale; itaque non sunt speciales actus physici, ita ut requirant specialem motionem physicam ex parte Dei, ut volunt recentiores Thomistæ, nam repugnat quod Deus creatam voluntatem physice indeterminatam ad eligenda bona particularia, physice ac specialiter moveat ad ea eligenda. Movet tamen eam, et quidem efficaciter in ordine gratiæ; sed modo *morali*, non autem *physico*, determinat votuntatis nostræ consensum.

126. — I. **Ordo physicus** complectitur ergo fundamentalem ac necessariam omnium rerum creatarum perfectionem in linea *essendi*, et in linea *operandi*, per modum naturæ, ita ut operatio sequatur necessario esse naturæ, seu illi conformetur, quia substantialis forma est unicum existentiæ et operationis principium intrinsecum in omni re creata; proximum nempe principium existentiæ, quo creatura *est*, et remotum operationis principium, secundum quod creatura *operatur*.

1°) IN LINEA ERGO ESSENDI distinguuntur *tria substantiarum creatarum genera*, quorum duo extreme opponuntur, et harmonice in tertio conveniunt. Distinguuntur enim substantiæ mere spirituales, et substantiæ mere materiales, quæ ambæ conveniunt in substantia humana, composita spiritu et materia.

Proximum principium intrinsecum existentiæ in qualibet substantia creata, est forma substantialis, qua res creata physice est, et finito suo modo, in esse suo repræsentat divinum Esse infinitum, juxta finitum modum in ideis divini Artificis conceptum et intentum; substantialis enim forma cujuslibet rei creatæ determinat ejus speciem, seu physicam perfectionem essentialem. — Creatæ substantiæ sunt vel spirituales, vel materiales, vel mixtæ, secundum quod substantialis illarum forma est vel spiritualis, seu in se subsistens; vel materialis, seu in materia subsistens, quamvis in se sit simplex; vel mixta, seu in se subsistens, sed tamen materiam informans. — Omnes substantiæ creatæ divinam Formam, mediante propria forma, repræsentant per modum vestigii, et substantiæ spirituales divinam Formam imitantur per modum imaginis.

Forma substantialis est simul proximum quo principium intrinsecum existentiæ, et remotum principium quo operationis rei; sed si spectetur

solummodo prout est principium existentiæ rei, proprie dicitur *essentia physica;* si vero spectetur prout est remotum principium operationis generativæ, proprie dicitur *natura,* ex qua pullulans pullulat primo, sicut ait Aristoteles in 5. Metaph., cap. 5.

2°) In linea operandi, proxima et intrinseca operationis principia sunt potentiæ operativæ, quæ a forma substantiali emanant, et rebus creatis tribuunt operationis speciem et ordinem substantiali formæ seu naturæ conformem.

Porro distinguuntur tres potentiarum operativarum gradus emanantium ex substantialibus creaturarum viventium formis, seu animis, videlicet *potentiæ intellectivæ*, quæ propriæ sunt creaturis spiritualibus; *potentiæ sensitivæ*, quæ propriæ sunt animalibus; *potentiæ vegetativæ*, quæ propriæ sunt plantis et animalibus. Sed hæc tria potentiarum genera emanant ex unica et spirituali animæ humanæ essentia.

Potentiæ operativæ nequeunt ad actum physicum transire, nisi a naturæ Auctore physice atque intrinsece inclinentur, moveantur et determinentur ad proprium objectum suum naturale. Unde actus physici potentiarum, inquantum fiunt per modum naturæ, necessarii sunt, quia in ordine physico potentiæ physice determinatæ sunt ad unum. — Quoad potentias intellectivas, *physicus actus intellectus* est cognoscere verum universale, seu prima, generalia et evidentia veritatis principia, quæ immediate ac necessario intellectus intuetur; *physicus voluntatis actus* est velle bonum universale, seu beatitudinem naturalem in genere cognitam, quam necessario in omni volitione appetit, sive actualiter, sive saltem virtualiter.

127. — II. **Ordo intellectualis** 1°) supponit ordinem physicum, et tanquam prima principia intrinseca cogitationis, habet species intelligibiles, quæ sunt naturaliter inditæ intellectui angelico, et naturaliter ab intellectu humano abstrahuntur ex phantasmatibus rerum sensibilium. Deus physice movet intellectum creatum, ei conferendo virtutem intelligendi naturalem vel supernaturalem, eique physice imprimendo species intelligibiles, sicut docet S. Thomas in 1. q. 105, art. 3, corp.; intellectus noster vitaliter in hanc passivam impressionem reagendo, species impressas exprimit active, seu intelligit; intellectis autem primis hisce principiis, in quibus conclusiones virtualiter continentur, intellectus humanus per rationis discursum reducit seipsum a potentia in actum, quantum ad cognitionem conclusionum ut dicitur in 1. 2. q. 9, art. 3, corp. Sed intellectus angelicus directe conclusiones in earum principiis intuetur.

Intellectualis ordo est *speculativus*, vel *practicus*, secundum quod intellectus simpliciter considerat veritatem sine relatione ad opus, vel considerat veritatem cum relatione ad opus, seu cognitam veritatem applicat ad opus.

2°) Intellectus speculativus ad speculandum disponitur tribus habitibus, qui sunt intellectus, sapientia et scientia. Intellectus est habitus primorum principiorum speculativorum, et intellectui nostro innatus est, ita ut, in omni homine, potentia intellectus prima cognitionis principia non intueatur actualiter, ast ad ea intelligenda disponatur non perfecte, sed tantum inchoative. Sapientia vero et scientia, sicut et cæteri omnes habitus, acquisiti sunt. Sapientia una est, quia speculatur Deum et omnes creaturas relate ad Deum, seu ipsas judicando per supremam earum Causam. Scientiæ plures sunt, quia varia objecta sua singillatim considerant. Ex his tribus habitibus acquiritur recta ratio speculabilium.

3°) Intellectus practicus ad actionem moralem disponitur per virtutem prudentiæ, quæ est recta ratio agibilium, atque *ad factionem disponitur* per artem, quæ est recta ratio factibilium. Unde *ordo artium* refertur ad intellectum practicum. At præter prudentiam et artem, intellectus practicus disponitur inchoative per duos habitus ei inditos, nimirum per synderesim, quæ est habitus primorum principiorum moralium, et per ingenium variarum artium.

128. — III. **Ordo moralis** supponit ordinem physicum et ordinem intellectualem.

1°) Proxima ejus principia sunt libera voluntas et duplex appetitus sensitivus; quæ potentiæ ad recte agendum disponuntur per tres cardinales virtutes naturaliter acquisitas, scilicet per justitiam, temperantiam et fortitudinem, quæ prudentiæ regimini subduntur. — *Regula, seu forma externa ac remota* moralitatis, est lex divina et humana; regula autem interna ac proxima, est conscientia, quæ est actus synderesis, et legem ad actus particulares applicat. — *Moralis actus* est libera specificatio physici actus, quo voluntas, physice a Deo mota, necessario vult bonum universale; hæc enim volitio specificatur morali influxu objectorum, seu bonorum particularium, quæ intellectus voluntati præsentat sub specie boni, tanquam media ad obtinendum bonum universale, seu finem ultimum, et quæ voluntas eligit eodem motu physico, quo vult finem ultimum, quia omnia media eligit propter finem ultimum, seu ex volitione finis ultimi, sicut probabimus in Tomo III, Parte II, ex doctrina S. Thomæ. Dicit enim doctor angelicus in 1. 2. q. 9, art. 3, corp.: « Voluntas per hoc quod vult finem, movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. »

2°) Moralis ordo est privatus, vel socialis, secundum quod terminatur ad perfectionem individuorum, vel societatum. *Socialis autem ordo est triplex*, prout in eo intenditur perfectio societatis religiosæ, vel domesticæ, vel civilis. *Externa ejus norma, seu regula*, sunt variæ leges sociales, quæ varias societates dirigunt ad propriam perfectionem suam. Unde *forma interior*, qua perficitur quælibet societas naturalis, consistit in membrorum conformitate cum lege, et in ordine qui ex hac conformitate resultat. Sed *forma exterior*, seu principium ordinis externi in omni societate, est potestas a Deo collata eis qui societati præsunt.

§ II.

De ordine gratiæ.

Ordo gratiæ est accidentalis elevatio creaturarum intelligentium ad perfectionem supernaturalem seu ad unionem cum Deo unitrino, in ordine physico, intellectuali et morali, ita ut spiritus creati essentia physica, intellectus et voluntas ad supernaturalem perfectionem eleventur.

Perfectio supernaturalis omnino prætergreditur totius naturæ creatæ proprietates, vires et exigentias; unde hæc perfectio est donum Dei mere gratuitum, atque a solo Deo produci potest.

129. — I. In genere, ordo gratiæ considerari potest sub triplici respectu, scilicet 1°) *in quolibet justo*, sive homine, sive angelo, inquantum personæ humanæ, vel angelicæ, supernaturaliter naturæ divinæ uniuntur, et sublime consortium cum ea consequuntur per gratiam sanctificantem; 2°) *in Jesu Christo*, quatenus humana ejus natura, in unitate divinæ Verbi personæ, conjungitur divinæ naturæ, virtute unionis hypostaticæ; 3°) *in Ecclesia*, cujus Christus est Caput, et quæ est supernaturalis societas religiosa hominum cum divina Trinitate, cum angelis et inter se, in qua non tantum individua supernaturaliter perficiuntur, sed etiam societas domestica et societas civilis elevantur ad supernaturalem perfectionem familiæ christianæ et civitatis christianæ, inquantum civitas subordinatur Ecclesiæ in iis rebus, quæ ad fidem et mores pertinent.

Nunc ordinem gratiæ spectabimus sub primo tantum respectu, quia de ordine unionis hypostaticæ et Ecclesiæ loquemur in Libro sequenti. Porro sub primo respectu, ordo gratiæ considerari potest dupliciter, nempe in homine justo, vel in peccatore justificando.

130. — II. In homine justo.

1°) Principium totius perfectionis, seu vitæ supernaturalis, est gratia sanctificans, quæ est forma supernaturaliter accidentalis, physice elevans animæ justæ essentiam ad esse supernaturale ac divinum.

2°) Media sunt habitus infusi, nempe virtutes theologicæ, morales virtutes supernaturales et dona Spiritus sancti, quæ ex gratia sanctificante emanant, et animæ potentias, in quibus infunduntur, elevant in actu primo, seu disponunt, ad operandum supernaturaliter in ordine intellectuali et morali. Aliud medium est actualis gratia prævéniens, quæ potentias, habitibus infusis dispositas, movendo moraliter supernaturalibus suis illuminationibus et inspirationibus, quas physice in ipsis producit, voluntatem justi consentire facit ad actum virtutis supernaturalem, quem gratia adjuvans, seu concomitans, physice producit cum voluntate moraliter consentiente.

3°) Terminus perfectionis supernaturalis sunt actus supernaturales, qui gratiæ augmentum merentur et cœlestem gloriam. Isti actus sunt vel beatitudines, vel fructus Spiritus sancti, vel alii actus minus perfecti.

131. — III. In peccatore justificando.

1°) Principium justificationis sunt infusi habitus fidei et spei, quæ, amissa per quodlibet peccatum mortale charitate, in peccatoris intellectu ac voluntate remanent. Aliud principium est gratia actualis, quæ peccatoris potentias prædictis habitibus dispositas transire facit ad actus supernaturales. Quod si peccator ipsam fidem et spem, per positivam infidelitatem vel desperationem amiserit, aut nunquam habuerit, sicut accidit in infidelibus negativis, tunc ipse Deus, ex omnipotentia suæ actionis, per elevationem transeuntem supplet huic defectui omnis dispositionis supernaturalis.

2°) *Media* justificationis sunt supernaturales actus cum gratiæ actualis auxilio eliciti, nempe fidei, timoris, spei, amoris initialis, et pœnitentiæ, qui a Concil. Trident. Sess. 6, cap. 6 describuntur, et quibus peccator ad justificationem disponitur.

3°) *Terminus* non est sola peccatorum remissio, sed gratia sanctificans et reformans interiorem hominem, ita ut homo ex injusto fiat justus, et ex inimico amicus, et hæres secundum spem vitæ æternæ, sicut loquitur Concilium Tridentinum ibid., cap. 7.

§ III.

De ordine gloriæ.

Gratia sanctificans, cum sit inchoata, imperfecta et dissolubilis unio cum Deo unitrino, recte dicitur, semen gloriæ, quæ est consummata et indissolubilis unio cum Deo.

132. — I. In genere, ordo gloriæ considerari potest sub duplici respectu vel 1°) in singulis Beatis, angelis aut hominibus; vel 2°) in tota Ecclesia triumphante, cujus Caput est Christus, et cujus membra in tres hierarchias disponuntur, sicut n.° 166 explicabimus.

Nunc ordinem gloriæ spectabimus sub priore tantum respectu, et videbimus ordinem 1°) gloriæ essentialis; 2°) gloriæ accidentalis in singulis Beatis.

133. — II. Ordo gloriæ essentialis.

1°) Principium gloriæ, quoad esse Beatorum, est gratia sanctificans, per quam justi elevantur ad esse supernaturale ac divinum, Deo intime uniuntur, sunt revera filii Dei per adoptionem, hæredes regni cœlestis, et de condigno merentur gloriam æternam. Ergo unio Beatorum cum Deo, in gloria non consummatur in linea essendi, nisi in hoc, quod sit indissolubilis, ex eo quod Beati in gratia confirmantur, sed hæc unio consummatur in linea operandi.

2°) Media igitur gloriæ essentialis sunt tres dotes, seu habitus gloriosi, quibus juxta S. Thomam Suppl. q. 95, art. 2 corp., operativæ Beatorum potentiæ disponuntur ad actus gloriosos, in quibus proprie consistit illorum gloria, seu beatitudo. Tres illæ dotes sunt juxta eumdem doctorem ibid., art. 5, *visio*, quæ fidei succedit; *comprehensio* seu possessio, quæ spei succedit; et *fruitio*, quæ accidentaliter perficit charitatem essentialiter in æternum permanentem.

3°) Terminus ordinis gloriæ essentialis sunt tres actus beatifici, quos electi per potentias tribus dotibus dispositas eliciunt, et qui ad completam beatitudinem supernaturalem requiruntur, sicut docet S. Thomas in 1. 2. q. 4, art. 3, corp.: « Necesse est ad beatitudinem tria concurrere, scilicet *visionem*, quæ est cognitio perfecta intelligibilis finis; *comprehensionem*, quæ importat præsentiam finis; delectationem vel *fruitionem*, quæ importat quietationem rei amantis in amato. »

Sed quamvis tres illi actus simul requirantur ad beatitudinem essentialem, essentia tamen seu formalis ratio beatitudinis, consistit in visione, juxta S. Thomam 1. 2. q. 3, art. 4, quia beatitudo formaliter consistit in actuali assecutione ultimi finis. — Atqui, Beati ultimum finem suum assequuntur per actum immediatæ Dei unitrini visionis, qua eorum intellectus directe informatur ab ipsa Forma divina, quæ vices gerit intelligibilis speciei impressæ et expressæ; et sic supremam perfectionem adipiscuntur assequendo immediate ipsum Deum. Voluntatis autem actus necessario consequuntur beatificam visionem. — Ergo essentia beatitudinis consistit in actu visionis beatificæ.

134. — III. Ordo gloriæ accidentalis complectitur Beatorum intellectum, voluntatem et ipsum corpus.

Nam 1°) Ad intellectum pertinet visio vespertina, qua Beati, mediantibus speciebus intelligibilibus, cognoscunt esse omnium rerum creatarum, quod ipsæ habent in propria natura; nam visio qua Beati hoc esse rerum exemplatarum cognoscunt videndo immediate divinam Formam exemplarem, non differt a visione beatifica, nisi secundum objecta cognitionis, sicut docet S. Thomas in 1. q. 58, art. 7, corp.

2°) Ad voluntatem Beatorum pertinent tres aureolæ martyrum, virginum ac doctorum, et tres fructus castitatis conjugalis, vidualis ac virginalis; nam juxta S. Thomam suppl. q. 96, art. 1 et 2, aureola et fructus sunt gaudium accidentale, superadditum gaudio, quod in Dei fruitione percipiunt.

Hoc autem accidentale gaudium est de sanctis operibus, quæ a Beatis facta sunt, et habent rationem triplicis victoriæ excellentis reportatae de mundo, carne ac dæmone, vel habent rationem triplicis gradus spiritualitatis productæ ex semine verbi Dei; in priori casu datur *aureola*, in altero autem datur *fructus* castitatis. Atqui, gaudium est affectus voluntatis. Ergo aureolæ et fructus pertinent ad Beatorum voluntatem.

3°) Ad corpus Beatorum primo pertinent quatuor dotes gloriosæ, quæ sunt subtilitas, incorruptibilitas, claritas et agilitas. — *Subtilitas pertinet ad lineam essendi*, et in hoc consistit, quod materia corporis erit perfecte subjecta voluntati animæ, quæ est corporis forma. *Tres aliæ dotes a subtilitate dependent et pertinent ad lineam operandi*, ita ut corpus Beatorum nihil patiatur contra ipsorum voluntatem, sit ad eorum nutum visibile vel invisibile ab aliis, et sit perfecte ac citissime mobilis juxta Beatorum voluntatem.

Ad corpus præterea pertinent nobiles delectationes appropriatæ statui gloriæ, quas Beati in suis sensibus percipient, præsertim in visu, quando intuebuntur miram pulchritudinem gloriosi corporis Jesu Christi, B. V. Mariæ, aliorum Sanctorum et totius mundi per gloriam transformati post ultimum judicium.

ARTICULUS II.

DE TRINI ORDINIS MUNDI PULCHRITUDINE.

Mundi pulchritudo consistit in miro trinoque ordine, quo omnes ejus partes, collective spectatæ, trinum divinæ Formæ Ordinem æqualem

et exemplarem imitantur inæqualiter, in triplici gradu perfectionis naturæ, gratiæ et gloriæ. Videbimus: 1°) duplicem similitudinis relationem, in qua fundatur universi mundi ordo et pulchritudo; 2°) ordinem omnium rerum creatarum ad invicem, quoad dignitatem et causalitatem; 3°) hujus ordinis pulchritudinem.

§ I.

De duplici similitudinis relatione, in qua fundatur universi mundi ordo et pulchritudo.

135. — I. **Ordo mundi duplicem relationem complectitur,** nempe relationem omnium effectuum creatorum ad primam suam Causam efficientem, exemplarem et finalem, quæ Deus est, et relationem eorum ad invicem, sicut docet S. Thomas in 1. q. 21, art. 1, ad 3[m]: « Est autem duplex ordo considerandus in rebus: unus, quo aliquid creatum ordinatur *ad aliud creatum*, sicut partes ordinantur ad totum, et accidentia ad substantias, et unaquæque res ad suum finem; alius ordo, quo omnia creata ordinantur *in Deum.* »

Præterea ordo rerum creatarum ad invicem, iterum duplex *est*, secundum quod spectat substantiarum *dignitatem* vel *causalitatem;* dicitur in 1. q. 103, art. 4, ad 1[m]: « Secundum hæc duo invenitur ordo in rebus, secundum scilicet quod una est melior alia, et secundum quod una ab alia movetur. » Sub priori respectu, substantiæ creatæ ita ordinantur inter se, ut substantiæ mere spirituales occupent superiorem locum; substantiæ mere materiales inferiorem; substantia humana, composita spiritu et materia, medium. Sub altero respectu, res creatæ agunt invicem tanquam secundæ causæ efficientes, exemplares ac finales, sub influxu atque ad imitationem primæ causæ efficientis, exemplaris ac finalis; nam secundæ omnes causæ sunt effectus, qui operationem primæ Causæ operando imitantur, sive necessario, sive libere.

136. — II. **Porro secundæ causæ non sunt puri actus in operando,** sed de se sunt *in potentia ad operandum*, ita ut *ad actu operandum*, physice indigeant agi seu moveri ab alio, quod actu in ea agat, illaque ad actum moveat, seu faciat transire a potentia ad actum, sicut probat S. Thomas cont. Gent., lib. 1, cap. 13; et cum in moventibus et motis dari nequeat processus in infinitum, sicut ibidem probat doctor angelicus, necessario existit primus Motor, qui sit Actus purus, a nullo altero motus, et omnia movens.

Verumtamen primæ Causæ influxus non impedit propriam causarum secundarum actionem, ut probat S. Thomas cont. Gent., lib. 3, cap. 69, sed idem effectus est simul a Deo et a naturali agente ibid., cap. 70, ubi legitur: « Neque est superfluum, si Deus per seipsum potest omnes effectus producere, quod per quasdam alias causas producantur; non enim hoc est ex insufficientia divinæ virtutis, sed ex immensitate Bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc quod *essent*, sed etiam quantum ad hoc quod aliorum *causæ essent;* his enim duobus modis creaturæ communiter omnes divinam similitudinem consequuntur, ut supra (ibidem, cap. 21) ostensum est. »

Per hoc etiam decor ordinis in rebus creatis apparet. Dicitur quoque ibid., lib. 2, cap. 39: « Bonum et optimum universi consistit in ordine partium ipsius ad invicem, qui sine distinctione esse non potest; per hunc enim ordinem, universum in sua totalitate constituitur, quæ est optimum ipsius. Ipse igitur ordo partium universi et distinctio earum est finis productionis universi. »

137. — III. **Universi mundi pulchritudo consistit in reali omnium partium ejus ordine** fundato in duplici relatione reali, scilicet in relatione ad primam Causam et ad invicem. Sequitur ex præcedentibus.

Relatio rerum ad primam Causam est *realis* in rebus creatis, cum sit principalis ratio totius ipsarum perfectionis realis; sed est *virtualis* et secundum rationem tantum in Deo, quia omnis operatio Dei ad extra est ipsa Forma divina cum relatione ad creaturam, quæ relatio nihil reale addit divinæ perfectioni, sicut dicitur in 1. q. 45, art. 3, ad 1[m], et cont. Gent., lib. 2, cap. 12.

Relationes creaturarum inter se sunt *reales*, cum sint causa secundaria perfectionis rerum creatarum, sicut ibidem dicitur. — Atqui, relatio rerum creatarum ad Deum, et ad invicem, fundatur in similitudine seu conformitate singularum rerum cum divina Forma exemplari, et inter se, per formas suas intrinsecas. Conformitas *analogica* quoad esse, in quo omnia entia conveniunt, est fundamentum *universalis* rerum omnium ordinis; et conformitas *specifica* ac *generica*, per species et genera, est fundamentum *generalis* plurium rerum ordinis inter se. — Ergo tota mundi perfectio et universi ordinis ejus pulchritudo per doctrinam divini Exemplarismi explicatur.

§ II.

De omnium creaturarum ordine ad invicem, quoad dignitatem et causalitatem.

138. — I. **Quoad substantiarum dignitatem,** S. Thomas, post S. Dionysium Areopagitam, S. Augustinum aliosque Patres, docet, diversas naturas rerum, quæ sunt mundi partes, ita a Deo in variis gradibus ordinatas esse in *superiores, medias* et *inferiores*, ut totus mundus sit velut immensa scala, per quam mens humana ad cognitionem Creatoris omnium ascendat. *Tres enim gradus inferiores* occupant substantiæ mere materiales, nempe mineralia, vegetalia et animalia; *tres gradus superiores* tenent substantiæ mere spirituales, in tres hierarchias dispositæ; *medium autem et harmonicum locum* occupat substantia humana, composita materia et spiritu.

1°) Hanc scalam substantiarum mundum universum componentium describit S. Thomas in suo Comment. in cap. 8 de Div. nominib. S. Dionysii, lect. 1, et angelicam ejus doctrinam in sequenti compendio redegit *Sanseverino*, Cosmolog. n.° 122. « Infimum locum tenent *minerália*, seu res quæ sunt expertes vitae, ideoque dumtaxat veluti substantiæ spectantur. Super mineralia excellunt *plantæ*, quæ vitam quidem habent, sed tantum vegetativam; et quoniam vita vegetativa est omnium infima, ideo nomen genericum sumunt, et substantiæ viventes, vel viventia dicuntur. Supra plantas assurgunt *belluæ*, quæ vita vegetativa simul et sensitiva gaudent, et animalia vocantur, quia animal per sensum a reliquis rebus discriminatur. Belluis succedunt *homines*, qui vitam non modo vegetativam et sensitivam, sed etiam rationalem habent, et substantiarum rationalium voce designantur, quia ratio hominem a cæteris rebus discernit. Hominibus cæterisque creaturis *Angeli* longe excellunt, qui vita intellectuali pollent, et substantiæ intellectuales nuncupantur, quia res non ratiocinatione, sed per species intelligibiles a Deo infusas cognoscunt. »

2°) Varii illi creaturarum gradus ita physice connectuntur, ut non accidentaliter tantum, sed substantialiter inter se ordinentur per *species* et *genera*, quibus inter se conveniunt, et per *differentias*, quibus ab invicem differunt. Quam connexionem sic exprimit idem auctor: « Diversæ species rerum, etsi discriminentur inter se per differentias, nempe qualitates essentiales, quæ sunt singularum propriæ, tamen secum consentiunt per *genus*, cui subjiciuntur. Enimvero, etsi *vegetabilia* differant a mineralibus, quia illa vivunt, hæc vero vita carent, tamen in eo conveniunt, quod utraque sunt substantiæ. *Animalia* a vegetabilibus dissident, quod ipsa sensum habent, quo plantæ carent; at in eo consentiunt, quod ambo vivunt. *Homines* a brutis discriminantur, quod ratione præditi sunt; sed perinde ac bruta, sentiunt. Cum sint *Angeli* substantiæ mere intellectuales, differunt ab hominibus; sed hi cum illis conveniunt, eo quod intelligunt. — *Insuper ex diversis speciebus, una est altera perfectior*; imo in eadem specie, sunt diversi essentiales gradus perfectionis, indeque diversæ, ut recentes aiunt, classes existunt. Dicit S. Thomas in 1. q. 47, art. 2, corp.: « In rebus naturalibus gradatim species ordinatæ esse videntur; sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantæ corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus. » Ex hoc fit ut nobilior natura per speciem vel classem inferiorem quam complectitur, cum ea quae ignobilioris generis est conjungatur; et vicissim ut natura inferioris conditionis per speciem sive classem perfectiorem, quæ in ea continetur, genus rerum quæ nobiliori natura pollent, quodammodo attingat, nempe ad illud magis accedat. Exempli gratia, bellua per orang-outang, nempe hominem sylvestrem, cum homine, et per polypum cum planta conjungitur. »

Confirmatur ex S. Thoma cont. Gent., lib. 2, cap. 68: « Hoc autem modo mirabilis rerum connexio considerari potest: semper enim invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris generis, sicut quædam infima, in genere animalium, parum excedunt vitam plantarum, sicut ostrea, quæ sunt immobilia, et solum tactum habent, et terræ in modum plantarum affiguntur. Unde et beatus Dionysius dicit de Div. nomin., cap. 7, quod « divina Sapientia conjungit fines inferiorum principiis superiorum. »

3°) Existit igitur realis connexio inter varias rerum species, sed nullatenus existit specierum continuatio per species æquivocas, quæ inter duas quasque sint mediæ, et participent proprietates, quæ ambarum propriæ sunt; nam rerum species ab invicem differunt proprietatibus essentialibus, quibus res sibi invicem opponuntur specifice, licet inter se conveniant generice aut analogice.

4°) In præcedenti creaturarum scala, specialis mentio non fit de corporibus cœlestibus, quæ inter corpora *inorganica* et non viventia adnumeranda sunt. Juxta Physicos veteres, substantia astrorum est incorruptibilis, quia eorum materia est homogenea, atque a forma substantiali inseparabilis; itaque ratione incorruptibilitatis, sidera sunt perfectione superiora

corporibus organicis, sed ratione privationis vitæ, sunt ipsis inferiora. Physici autem hodierni, sine ratione sufficienti negant astrorum incorruptibilitatem, quia asserunt substantiam eorum componi mineralibus in statu fusionis. Eorum opinionem refutabimus in Tomo III, Parte II.

Corpora cœlestia, si inter se comparentur, distinguuntur in tres cœlos, qui sunt cœlum *empyreum*, seu locus Beatorum; cœlum *sidereum*, in quo moventur astra; et cœlum *aereum*.

139. — II. **Rerum creatarum causalitas** sequitur trinum gradum dignitatis substantiarum, sicut post S. Dionysium, lib. 5, de eccl. hier., docet S. Thomas, suppl., q. 34, art. 1, corp.: « Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci posset. Et ideo ut in suis operibus repræsentaretur, non solum *secundum quod in se est*, sed etiam *secundum quod aliis influit*, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima, ut Dionysius dicit. » Porro res creatæ agendo in invicem, non sunt tantum secundæ causæ *exemplares* et *finales*, sed etiam *efficientes*, sicut dicit doctor angelicus in 1. q. 48, art. 1 ad 5^{m}: « Partes universi habent ordinem ad invicem secundum quod una *agit* in alteram, et est *finis* alterius, et *exemplar*. »

1°) QUOD CREATURÆ SINT SECUNDÆ CAUSÆ EFFICIENTES, seu physice agant in invicem, patet ex ipsis principiis constitutivis substantiarum, quæ constant vel *materia et forma*, vel *sola forma* composita potentia et actu.— Atqui, forma substantialis, a Deo actuata, est principium activum, quia quælibet res ex eo ipso quo constituitur, vim operandi accipit. — Hinc dicit S. Damascenus, lib. 2, de Fide orthod., cap. 23: « Actus est vis, motioque cujusque substantiæ, qua caret illud solum quod non est. »

Omnes enim substantiæ creatæ, cum materia et forma seu potentia et actu componantur, sunt intermediæ inter divinam Formam, quæ est Actus purus, et materiam primam quæ est pura potentia passiva; ideo simul sunt *activæ*, ratione actus, quem a Deo accipiunt in variis formis suis; et *passivæ*, ratione materiæ seu potentiæ. De omnibus ergo substantiis asseri potest quod S. Thomas de substantiis corporeis asserit in 1. q. 115, art. 1, corp.: « Corpus agit secundum quod est in actu, in aliud corpus secundum quod est in potentia. » Et ibid. ad 2^{m}: « Est aliquid quod est movens non motum, scilicet primus Factor rerum; ergo ex opposito est aliquid quod est motum et patiens tantum, et hoc est materia prima, quæ est potentia pura, sicut Deus est Actus purus. Corpus etiam componitur ex potentia et actu; et ideo est agens et patiens. »

Cæterum experientia certum est, res corporeas aliquid physice agere in sensoria corporis nostri organa, nam nisi quidquam in ea agerent, illarum sensationes non possent in nobis fieri. — Præterea certum est nos vicissim in res corporeas, quibus circumdamur, multa agere ut ea ad vitæ nostræ utilitatem et oblectationem accommodemus. — Denique certum est res corporeas aliquid in invicem agere, nam scientiæ physicæ omnes fundantur in corporum actione seu motu, sicut unanimiter docent physici, licet in modo istius motus explicando varie discrepent.

Veteres physici asserebant *corpora cœlestia* physice in corpora terrestria influere, sicut spiritus cœlestes, seu angeli, moraliter influunt in animas hominum terram habitantium; docebant astra influxum suum exercere in vitam vegetativam et generationem, non solum plantarum, sed etiam animalium et hominis. Physici hodierni negare saltem non possunt solis lumen et calorem in vegetationem plantarum influere.

2°) CREATURÆ SUNT, LATIORI SENSU ET IN ORDINE PHYSICO, EXEMPLARIA NECESSARIA EFFECTUUM AB EIS PRODUCTORUM PER GENERATIONEM.

Cum enim omne agens physice agat juxta formam seu naturam suam, producit effectum sibi necessario conformem specifice vel generice, secundum quod generans est causa univoca, vel æquivoca. Inde omnis causa efficiens effectibus suis aliquo modo communicat suam similitudinem, et vicissim omnis effectus aliquo modo repræsentat necessario causam suam, sicut latius ostendimus n. 97.

Præterea creaturæ possunt *in ordine intellectuali et morali* esse causæ exemplares proprie dictæ, dirigendo ac determinando liberam agentium intelligentium actionem ad intra, vel ad extra. Etenim cum creaturæ divinam perfectionem participent corporaliter aut spiritualiter, naturaliter aut supernaturaliter, possunt esse externa exemplaria secundaria, ad quorum intuitionem ac imitationem nostros mores aut nostra cujusque artis opificia perficimus.

3°) CREATURÆ SUNT QUOQUE SECUNDARIÆ CAUSÆ FINALES, tam in ordine physico quam in ordine intellectuali et morali, naturali aut supernaturali, inquantum actio illarum a divina Providentia ordinatur, non tantum ad Dei gloriam atque ad totius mundi perfectionem, sed etiam ad bonum singularum rerum, quæ sunt mundi partes, et præsertim ad bonum hominis, qui centrum mundi occupat, ita ut creaturæ illi superiores, vel inferiores, ordinentur ad ipsius utilitatem spiritualem vel corporalem. Dicit S. Thomas in lib. 1, cont. Gent., cap. 78: « Se-

cundum Philosophum 12 Metaph., duplex bonum ordinis invenitur in universo: unum quidem secundum quod totum universum ordinatur *ad id quod est extra universum*, sicut exercitus ordinatur ad ducem; aliud secundum quod partes universi ordinantur *ad invicem*, sicut et partes exercitus ad invicem; secundus autem ordo est propter primum. Deus autem, ex hoc quod vult se ut finis est, vult alia quæ ordinantur in ipsum ut in finem, sicut probatum est (cap. 75). Vult igitur bonum ordinis totius et universi *in Ipsum*, et bonum ordinis universi secundum partes suas *ad invicem*. Bonum autem ordinis consistit ex singulis bonis. Vult igitur etiam singula bona. »

Singularum creatarum connexio, *secundum fines particulares et secundarios*, oculis omnium apparet *in physico ordine corporum*. « Enimvero, ait Sanseverino, Cosmolog. n.° 133, sive in cœlum, sive in terram, sive in mare oculos conjiciamus, in phænomena incidimus, quæ rerum alias aliarum finibus commodisque inservire luculenter commonstrant. Exempli gratia, ex viventibus, plantæ ad nutrimentum belluarum et hominum adhibentur, et belluæ in usum commodumque hominum cedunt. Res vitæ expertes, puta aqua, aer, aliaque hujusmodi ad plantarum, belluarum, et hominum bonum comparatæ sunt. Atmosphaera respirationi et sustentandis vaporibus, qui ex aquis oriuntur, deservit; venti vapores in nubes cogunt, et noxias exhalationes dissipant; aquæ ex montibus decurrunt, ut plantæ, bruta et homines ad vitæ conservationem ipsis utantur... Hic vero concentus, non modo inter diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, sed etiam inter partes organicas cujuslibet viventis conspicitur. In his enim uti a Blainvillio (Dict. des scienc. natur. T. 1, suppl., art. animal) demonstratum est, singula organa ad easdem operationes in eadem specie destinantur, atque ita inter se connectuntur, ut integer perfectusque organismus inde existat. »

In ordine intellectuali et morali, res creatæ, cum sint bona particularia, atque ut talia ab intellectu nostro cognoscantur et voluntati præsententur, sunt libera voluntatis nostræ objecta, ita ut ab ea intendantur ut fines particulares ac secundarii, qui libere eligi possunt tanquam media ad ultimum finem seu beatitudinem consequendam. — Præterea *creaturæ intelligentes ac liberæ* moraliter in seipsas vel in alias agunt, intellectui et voluntati proponendo bona particularia appetenda. Agens morale non influit quidem physice in naturam alterius agentis, nec in actum ejus physicum et necessarium, sed tamen realiter influit in actum ejus intellectualem et moralem, ita ut ille actus imputetur agenti moraliter influenti. Hoc modo homines in invicem agunt moraliter, seu ratione finis, et angeli in homines influunt suis illuminationibus ac inspirationibus, nam actio illorum a divina Providentia ad homines ordinatur in ordine morali.

§ III.

De prædicti ordinis mundi integritate, claritate et proportione.

Trinus ordo mundi est pulcherrimus inquantum trinum et exemplarem divini Artificis Ordinem optime repræsentat. — Atqui, diximus in Lib. II, n.° 58, divinum Ordinem exemplarem esse pulcherrimum, quia summe et infinite complectitur tres pulchritudinis conditiones a S. Thoma assignatas in 1. q. 39, art. 8, nempe integritatem, claritatem et proportionem. — Nunc igitur videamus quomodo mundi ordo exemplatus tres illas conditiones finite in se exhibeat.

140. — I. De trini ordinis mundi integritate.

1°) TRINUS ORDO MUNDI EST RELATIVE INTEGER, COMPLETUS ET PERFECTUS.

Etenim integer est inquantum divini Ordinis exemplaris integritatem, seu perfectionem imitatur. — Atqui, hanc imitatur non *absolute* quidem, ita ut hic mundus sit actu perfectissimus omnium mundorum possibilium, vel sit indefinite perfectibilis per progressum continuum, quemadmodum volunt optimistæ, sed *relative* ad mensuram juxta quam divinus Artifex ab æterno decrevit perfectionem trini Ordinis sui repræsentare ad gloriam suam. — Mundi igitur ordo non est absoluta ordinis perfectio, quæ in sola divina Forma reperitur, nec ordo perfectionis indefinitae, sed totalis ordo perfectionis finitæ omnium creaturarum inæqualiter a Deo dispositarum, ut æqualem divini Ordinis perfectionem diversimode repræsentent in triplici gradu naturæ, gratiæ et gloriæ.

2°) TRINUS ORDO MUNDI INTEGER SEU COMPLETUS EST, QUIA NIHIL EI DEEST OMNIS PERFECTIONIS CREATÆ.

Mundus enim est totum Dei opificium, quod ab æterno *intendit*, cum tempore *incepit*, in tempore *continuat*, et in æternitate *consummabit;* ita ut trinus ordo mundi universi complectatur *principium, medium* et *finem* perfectionis mundi, ac proinde totam mundi perfectionem, sive quoad inæqualem partium ejus dignitatem, sive quoad tempus.

Etenim *quoad partium dignitatem*, ordo mundi continet omnes creaturas superiores, medias et inferiores, atque triplicem gradum perfectionis ordinis naturæ, gratiæ et gloriæ. *Quoad tempus*, continet omnia sæcula, in quorum decursu di-

vinus Artifex perfectionem totius mundi operatur ad gloriam suam, non obstantibus quibuscumque malis particularibus, quia non tantum bona, sed etiam mala a Deo ordinantur ad prædictum finem suum, ita ut universo mundi ordini nihil opponatur.

3°) De integritate ordinis mundi ait S. Thomas in 2, dist. 12, q. 1, art. 2: « Omnes res ut completæ dicuntur unus mundus. » Et 1. q. 47, art. 1: « Produxit enim *(Deus)* res in se, propter suam Bonitatem communicandam creaturis, et per eas repræsentandam. Et quia *per unam creaturam* sufficienter repræsentari non potest, *produxit multas creaturas et diversas*, ut quod deest uni ad repræsentandam divinam Bonitatem, suppleatur ex alia; nam Bonitas, quæ in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim. Unde perfectius participat divinam Bonitatem et repræsentat eam totum universum, quam alia quæcumque creatura. »

Item lib. 2, cont. Gent., cap. 42, arg. 5^{m}: « Distinctio partium universi et ordo rerum est proprius effectus Causæ primæ, quasi ultima forma et optimum in universo. » Et ibid., lib. 3, cap. 64: « Intellectus et voluntatis Ipsius (Dei) non potest esse alius finis ultimus nisi Bonitas ejus, ut scilicet eam rebus communicet, sicut ex præmissis apparet. Res autem participant divinam Bonitatem per modum similitudinis, inquantum ipsæ sunt bonæ. Id autem quod est maxime bonum in rebus creatis est bonum ordinis universi, quod est maxime perfectum, ut Philosophus dicit in 12 Metaph., cui etiam consonat divina Scriptura, cum dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (Gen. 1, v. 31), cum de singulis operibus dixisset simpliciter quod *erant bona*. Bonum igitur ordinis rerum creatarum a Deo, est id quod est præcipue volitum et intentum a Deo. »

141. — II. De trini ordinis mundi claritate.

Cum ordo consistat in distinctorum convenientia, patet ordinem clarum esse quando ordinatorum distinctio et convenientia manifeste apparent. — Atqui 1°) Ordinatæ mundi partes manifeste distinguuntur ex oppositione creaturarum superiorum, quæ mere spirituales sunt, et creaturarum inferiorum, quæ mere materiales sunt; utrarumque autem convenientia manifeste apparet in homine, qui spiritu et materia componitur. 2°) Creaturæ corporales manifeste conveniunt in esse aut in genere, et differunt in specie, seu substantialiter, proprietatibus suis essentialibus. Accidentaliter quoque differunt qualitate, quantitate et relatione. 3°) Materialis corporum distinctio et convenientia oculis corporeis apparent lumine materiali; spirituales autem singularum et omnium rerum distinctio et convenientia intellectibus creatis apparent triplici lumine naturæ, gratiæ et gloriæ. — Ergo trinus ordo mundi clarissimus est.

142. — III. De trini ordinis mundi proportione.

Hæc proportio fundatur in rerum omnium creatarum analogia cum Deo et inter se, sive *quoad esse*, sive *quoad operari*.

1°) Quoad esse, omnes substantiæ creatæ, quibus componitur mundus, ita a divino Artifice ordinantur et adunantur, ut superiores et inferiores extreme oppositæ conveniant harmonice in substantia humana, tanquam in medio proportionali, seu utrisque extremis communi. — Præterea totus ordo mundi creatus convenit harmonice cum Ordine increato in ordine unionis hypostaticæ, qui simul est creatus et increatus.

S. Augustinus in lib. 1. de Musica, cap. 12, dialogum instituit inter magistrum et discipulum, qui sic colloquuntur de mira harmonia hujusmodi proportionis: « *Mag.* Quid? illud nullane consideratione dignum putas, quod ista concordia quanto est arctior atque conjunctior, tanto magis in unitatem quamdam tendit, et unum quiddam de pluribus efficit? — *Disc.* Imo maxima, et nescio quomodo, et miror, et amo istam quam commendas unitatem. — *Mag.* Multum probo; sed certe quælibet rerum copulatio atque connexio tunc maxime unum quiddam efficit, cum et media extremis, et mediis extrema consentiunt. — *Disc.* Ita certe oportet..... — *Mag.* Jam assuesco cognoscere, quod illa unitas, quam te amare dixisti, in rebus ordinatis hac una effici potest, cujus græcum nomen ἀναλογία est, nostri quidam proportionem vocaverunt, quo nomine utamur, si placet..... — *Disc.* Mihi vero placet. Sed perge quo intenderas. — *Mag.* (doctrinam suam ternario numero applicat, et addit): Ita ergo medium extremis et medio extrema consentiunt..... quæ extremorum cum medio, et medii cum extremis, in illa quæ græce ἀναλογία dicitur, proportione consensio est. »

2°) Quoad operari, quod sequitur esse, res creatæ, quæ totam perfectionem suam accipiunt a Deo unitrino operante ad extra, ab invicem perficiuntur actione, quam superiores in inferiores exercent.

Unde resultat mira ordinis connexio secundarum *causarum efficientium, exemplarium* ac *finalium* inter se et cum prima Causa efficiente, exemplari ac finali, a qua, juxta quam et propter quam omnes operantur. Cum enim causæ secundæ operentur sub influxu atque ad imitationem Causæ primæ, communis est omnium causarum operatio, et communis eorum effectus necessario repræsentat trinum omnium causarum ordinem.

LIBER QUARTUS.

EXPLICATUR TRINUS ORDO UNIONIS HYPOSTATICÆ ET ECCLESIÆ UNIVERSÆ.

PROŒMIUM. — Hucusque explicavimus separatim *unitrinum Formæ divinæ Ordinem* increatum, infinitum, exemplarem, et *unitrinum mundi ordinem* creatum, finitum, exemplatum. Nunc explanabimus tertium ordinem intermedium, nempe *ordinem unionis hypostaticæ*, in quo duo priores ordines extreme oppositi conjunguntur in Jesu Christo, tanquam in medio harmonico ordinis universalis. Christus enim, ut Deus, est media divinæ Trinitatis persona, atque ut homo spiritu et corpore compositus, est media pars mundi, in qua conveniunt aliæ partes extreme oppositæ, videlicet puri spiritus et pura corpora.

In Tomo III, Parte II, videbimus controversiam *de ordine unionis hypostaticæ in divina intentione*, scilicet de motivis Incarnationis; nunc illum ordinem explicabimus *in sua exsecutione*, ostendendo miram ejus unitatem, trinitatem et convenientiam. — Deinde, postquam ostenderimus personalem duarum naturarum unionem in Christo Capite, explicabimus trinum ordinem Ecclesiæ universæ, quæ est mystícum corpus Christi.

CAPUT I.

OSTENDUNTUR MIRA UNITAS, TRINITAS ET CONVENIENTIA ORDINIS UNIONIS HYPOSTATICÆ.

Ordo unionis hypostaticæ est unus et trinus ad exemplar divinæ Trinitatis, sicut cæteri ordines completi. Loquemur 1°) de sublimissimi et ineffabilis hujus ordinis unitate ac trinitate; 2°) de mirabili ejus convenientia.

ARTICULUS I.

DE UNITATE ET TRINITATE ORDINIS UNIONIS HYPOSTATICÆ.

In tractatu de Incarnat., disp. 9, Suaresius optime ostendit, unionem naturæ divinæ et naturæ humanæ in divina Jesu Christi persona, ratione unitatis compositionis superare 1°) omnem unionem naturalem; 2°) omnem unionem supernaturalem.

§ I.

Unio hypostatica superat omnem unionem naturalem.

143. — In præcitata disputatione sect. 1, Suaresius hanc sententiam probat, tum *ex auctoritate* S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Scoti, Alexandri Alensis, S. Bernardi, S. Leonis et S. Cyrilli, tum *ex ratione* contra Durandum, qui asseruit substantialem materiæ et formæ unionem esse majorem unione hypostatica. — *Hoc argumentum rationis* sequentibus verbis exponit ipse Suaresius.

Ratio vero potest esse, quia illud compositum quod resultat ex hac unione (hypostatica) *est magis unum quam omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis;* ergo et unio est maxima. Consequentia patet ex dictis, et antecedens declaratur, quia imprimis illud est magis unum quam *omne compositum ex substantia* et *accidente*, quia illud tantum est unum per accidens, terminus vero resultans ex hac unione est unus per se. Deinde hic terminus est quid simplicius, seu minus compositum, quam omne aliud compositum substantiale ex rebus distinctis, cujusmodi est vel *natura constans ex materia et forma*, vel *totum compositum ex partibus integralibus*. Et de hoc posteriori non videtur posse esse dubium, quia compositio ex partibus integralibus, vel est quantitativa, vel valde similis illi; unde non fit sine aliquo medio uniente extrema, et quodammodo includit quamdam infinitam compositionem partium, quæ tantum copulantur secundum aliquem extremum terminum, et non secundum se totas.

De priori vero, scilicet *natura composita materia et forma* ita declaratur, *primo* quia, tam materia quam forma, est minus simplex quam Verbum divinum, et actus minus perfectus; at vero actus, quo perfectior et simplicior, eo potest perfectius et intimius conjungi alteri ex-

tremo, et cæteris paribus, major unitas et simplicitas componentis confert sine dubio ad majorem unitatem compositi. — *Secundo*, unitas suppositi, quæ resultat ex compositione naturæ cum subsistentia, ex suo genere major est, quam unitas, quæ resultat ex materia et forma, cujus signum est, tum quod illa unitas et compositio suppositi reperitur etiam in angelis (*iuxta Suaresii opinionem*), tum etiam quod illa compositio, in rebus creatis, tantum est ex re et modo intrinseco, quæ ex suo genere minor est, quam ex rebus distinctis. At vero hæc unio (*hypostatica*) pertinet ad compositionem ex natura et subsistentia; ergo ex hac parte etiam est major. — *Quod etiam ex eo declarari potest*, quia cum subsistentia creata tantum sit modus naturæ, divina subsistentia tam intime copulatur illi naturæ, ut impediat illum modum, et quodammodo vicem ejus suppleat... — *Et confirmari potest* ex locutionibus, quæ ex hac unione sequuntur, nam per eam factum est, ut Verbum sit homo proprie et substantialiter, quod in nulla alia unione simile reperitur; illud enim quod Averroi tribui solet, *ex intellectu et intelligibili fieri maxime unum, quia intellectus fit ipsum intelligibile*, magis per metaphoram quam ex re ipsa et veritate dictum est; hic autem verissime et propriissime Verbum factum est homo per intimam humanitatis conjunctionem.

Et ex his aperte concluditur unionem duarum naturarum in persona Verbi, *esse maximam omnium inter omnes uniones* duarum rerum in aliquo tertio. *Probatur ex dictis*, quia illud unum, in quo uniuntur istæ naturæ, est in se maxime unum et indivisibile, et alteri naturæ non solum unitur, sed est unum cum ipsa; alteri vero maxime unitur, ut ostensum est; ergo.

§ II.

Unio hypostatica superat omnem unionem supernaturalem gratiæ et gloriæ.

144. — In citato Suaresii loco, sect. 2, hæc propositio probatur ex *auctoritate*, et ex *ratione*.

I. **Dicendum est cum communi sententia**, hanc unionem esse supremum ac perfectissimum opus gratiæ, per quod Deus communicat creaturæ aliquid excellentius et melius, quam per omnem aliam actionem communicet.

Hæc est sententia *D. Thomæ* 3, q. 2, art. 10, ad 1^{m}; art. 11, corp; et q. 4, art. 1, ad 2^{m}, quam tenent Cajetanus, et alii. Idem supposuit D. Thomas supra q. 1, art. 1, ubi late explicuimus quomodo communicatio Bonitatis divinæ sit major in hoc opere quam in omni alio. Quod idem fere docet *Albertus* in 3 dist. 2; et *Bonaventura* ibi art. 1, q. 2, in prioribus argumentis, quorum conclusionem postea concedit. Idem sumitur *ex Alexandro Alensi* 3. p., q. 11 et 12, art. 1, memb. 1; et *ex Henrico*, quodlib. 6, q. 6; et quodlib. 13, q. 5; et alii auctores infra citandi, qui negant gratiam unionis posse communicari creaturæ irrationali, hanc sententiam tanquam manifestam supponunt. Denique *Scotus* hoc tandem docuit in 4, dist. 49, q. 2, § ad istam secundam quæstionem.

Et probari primo potest *ex Augustino*, lib. 13 de Trinit. cap. 9 et 13, dicente Deum factum esse participem nostræ mortalitatis, ut nobis persuaderet futuros participes immortalitatis ejus et gloriæ, et ideo Joannem Evangelistam, cap. 1, cum dixisset: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, statim addidisse: *Et Verbum caro factum est*, ut ab eo quod majus est, suaderet quod incredibile videbatur. Itaque censet multo majorem esse gratiam, Deum fieri hominem, quam homines per gratiam adoptionis, fieri Dei filios et hæredes. Quo argumento fere usus est Paulus ad Rom. 8, dicens: *Qui proprio Filio suo non pepercit... quomodo cum illo non omnia nobis donavit?* Eodem modo loquitur Augustinus, tract. 2 in Joann.; et ideo lib. de Prædest. sanct. cap. 15, hanc gratiam unionis vocat *excellentissimam, tantamque naturæ humanæ subvectionem, ut quo altius attolleretur non haberet*. Idem sumi potest ex Chrysostomo homil. 10 in Joann.

II. **Ratione breviter declaratur.**

1°) Quia, si consideremus omnia quæ in hac unione interveniunt, non tantum collatum est humanitati aliquod donum creatum, sed ipsamet persona increata Filii Dei, qua est infinitum Bonum. Nec vero cum hoc dono conferri potest, quod ipsis justis datur per gratiam ipsa persona Spiritus sancti, aut Beatis ipsa Essentia divina, quia in illis unionibus accidentalibus non datur ipse Deus, vel per seipsum quasi formaliter perficiat, vel actuet, seu terminet ipsum esse creaturæ suæ, neque ut cum illa unum ens vere componat; sed dicitur dari speciali modo, quia singulari ratione censetur esse præsens, aut per modum objecti, aut per modum principii supernaturaliter efficientis et perficientis animam, aut certe secundum quamdam præsentiam, vel unionem, ex speciali amicitia profectam. At vero per hanc unionem *(hypostaticam)* ipsamet persona Verbi per se conjungitur humanitati, illamque perficit, et terminat dependentiam ejus, ac denique cum illa unam substantiam vere et ineffabiliter componit. Quanto ergo major est persona divina, quam ejus participatio, et filiatio naturalis quam adoptiva, tanto donum collatum per hanc unionem, cuncta alia videtur superasse.

Quod argumentum totum fundamentum habet in Paulo ad Hebr. 1, dicente de Christo: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit;* et infra id confirmat ex illo Psalmi 44: *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis;* quæ de Christo Deo et homine intelliguntur, in quo humanitas divinitati unita est, ut Sancti exponunt, quos infra q. 78 et 15 referemus.

Quod a signo confirmari potest, tum quia humanæ naturæ, ratione hujus unionis, debetur major reverentia et honor, quam debeatur ulli personæ creatæ, propter quamcumque excellentiam gratiæ et gloriæ; ergo signum est hanc dignitatem esse majorem. Sic enim colligere videtur Paulus ad Hebr. 1, cum ait: *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Tum etiam quia ipsi humanitati, ratione hujus unionis, debetur omnis excellentia gratiæ et gloriæ, et ut sit prorsus impeccabilis, ut infra dicetur. Nonnullum etiam signum est, quod hoc bonum, quo est præstantius, eo est rarius; unde soli uni naturæ communicatum est.

Secundo confirmatur, seu explicatur exemplo, quia sicut corpus humanum, per substantialem conjunctionem cum anima rationali, efficitur veluti organum conjunctum illius, et participat quodammodo spiritualem et rationalem perfectionem ejus, qui status est major perfectio corporis, quam omnis alia creata; ita humanitas, per hanc unionem substantialem, fit vere et proprie natura ipsius Verbi divini, et instrumentum conjunctum illius; et ideo illi debitum est ut participet perfectiones ipsius Verbi, et ut ab illo dirigatur et gubernetur tanquam a propria hypostasi; est ergo hoc bonum, sine ulla comparatione, major perfectio illius humanitatis, quam omnis alia perfectio creata, aut creabilis Ergo.

2°) Si consideremus ipsum modum unionis, imprimis excedit in hoc omnia alia entia creata, quod est in altiori ordine rerum, quam reliqua omnia. Sicut enim gratia, quamvis comparata ad substantiam animæ, sit fortasse in esse physico et in entitate minus perfecta, quia est accidens, anima vero substantia; tamen secundum gradum vel ordinem rerum, constituitur in altiori ordine divino, quia est quædam participatio divinitatis, ejusque perfectionum seu operationum, eo modo quo sunt propriæ Deo, et non possunt esse connaturales substantiæ creatæ; ita hæc unio, licet in se tantum sit quidam modus creatus, tamen, quatenus attingit Deum ipsum in se, et illi intime et substantialiter conjungit naturam creatam, et facit ut ille, qui est verus homo, sit etiam verus Deus, non per participationem, sed personaliter et per essentiam, hac ratione pertinet ad altiorem ordinem rerum, quam sit ordo naturalis, vel gratiæ adoptionis.

Cujus signum etiam est, quia hæc unio non debetur naturæ, nec secundum se, neque etiam ut habenti gratiam creatam, quantumcumque perfectam; at vero gratia habitualis, et beatitudo ipsa, licet non debeatur naturæ secundum se, debetur tamen naturæ ut habenti hunc modum unionis ad Verbum. Et hoc optime docuit S. Thomas 3. q. 7, art. 13, ad 3^{m}, ubi dicit, gratiam unionis non esse in genere gratiæ habitualis, sed esse supra omne genus, sicut ipsa divina persona, quod satis est ut illa unio sit excellentius donum Dei, quam omne aliud creatum, quamvis fortasse in entitate sua non excedat ipsam substantiam humanitatis; sicut etiam donum sanctificationis per gratiam est majus quam ipsa creatio substantiæ, quamvis fortasse ipsa entitas gratiæ physice non sit perfectior, quia excellentia horum donorum magis pensanda est ex modo, quo per illa Deus ipse communicatur, quam ex physica tantum entitate.

Et confirmatur, quia hic modus non solum est supernaturalis, ut supra ostendimus; verum etiam est majus opus Dei, quam opus Creationis, vel Glorificationis, quia... divina omnipotentia, atque alia attributa, in illo magis ostenduntur.

§ III.

Quomodo ordo unionis hypostaticæ trinus est.

145. — Ordo unionis hypostaticæ trinus est sub triplici respectu.

I. **Juxta omnes theologos catholicos**, ordo unionis hypostaticæ trinus est ratione duarum naturarum in aliquo tertio conjunctarum, scilicet in unica Verbi persona, sicut docet ipsa fides.

Hæc tria revera constituunt aliquem ordinem; nam ad ordinem requiruntur plurium distinctio, convenientia, et relatio ad aliquod principium. — Atqui 1°) Tria prædicta ab invicem distinguuntur; nam natura divina et natura humana distinguuntur realiter ac infinite, cum prior sit increata et infinite perfecta; altera autem creata et finite perfecta; insuper Verbi persona distinguitur virtualiter a natura divina, et realiter a natura humana. 2°) Natura divina et natura humana conveniunt seu uniuntur in una divina Verbi persona, et quidem non accidentaliter, sed substantialiter; nam uniri in persona est uniri personæ, non constituendo substantialiter aliam personam ab ea cui unitur; ac proinde unionem factam esse in persona divina, est duas naturas sic fuisse unitas, ut unio seu unitio terminata

fuerit ad unam personam divinam in utraque natura, seu substantia subsistentem. 3°) Principium ordinis unionis hypostaticæ est Verbi persona, in qua conveniunt duæ Christi naturæ, ita ut hæc divina persona sit commune principium existentiæ et operationis Dei Hominis; nam ratione unionis naturæ humanæ et naturæ divinæ in persona divina, homo est Deus, et operatur ut Deus; ac vicissim Deus est homo, et operatur ut homo. — Ergo ratione trium prædictorum, existit revera ordo, et quidem trinus in unione hypostatica.

146. — II. **Juxta S. Bernardum,** ordo unionis hypostaticæ trinus est *ratione trium substantiarum in Verbi persona unitarum*, nempe substantiæ divinæ; substantiæ spiritualis incompletæ, seu animæ humanæ; et substantiæ materialis incompletæ, seu corporis humani, ita ut in hoc ordine sint tres substantiæ unitæ in una persona, dum e contra *in Ordine divinæ Trinitatis sint tres personæ unitæ in una substantia.*

Dicit enim sanctus doctor in Lib. 6 de Consideratione, cap. 9: « Dico in Christo *Verbum, animam* et *carnem*, sine confusione essentiarum, unam esse personam; et item, absque præjudicio personalis unitatis, in sua numerositate manere. Nec negaverim hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, qua anima et caro unus est homo. Decuit quippe familiarius similiusque cum hominis convenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit et cum summa, quæ in Deo est et Deus est, unitate congruere, *ut quomodo ibi tres personæ una Essentia, ita hic convenientissima quadam contrarietate, tres essentiæ sint una persona.* Videsne pulchre, inter utramque unitatem, hanc collocari, in eo utique qui constitutus est Mediator Dei hominisque, homo Christus Jesus? Pulcherrima, inquam, convenientia, ut salutare sacramentum, congrua quadam similitudine, ambobus respondeat, et salvanti scilicet et salvato. Ita hæc unitas duarum consistens media unitatum, alteri succumbere, alteri præeminere cognoscitur, quantum superiore inferior, tantum inferiore superior. »

Item Serm. 2 in Nativit. Domini: « Sane cum prima ex duobus facta sit (*scilicet ex corpore et anima, Dei imagine*), secunda jam *conjunctio fit ex tribus, ut discas ex hoc ipso ad sacramentum accedere Trinitatis.* Verbum, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat; anima, quæ de nihilo creata est, et ante non erat; caro de massa corruptionis, sine corruptione aliqua, divino segregata artificio, qualis jam nulla caro erat, vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum; quod perierat, reparatum; quod super omnia erat, paulo minus ab angelis minoratum. » Eamdem sententiam innuit S. Augustinus, quando dicit lib. 13 de Trinit., cap. 17, quod in unione hypostatica « una persona fit ex tribus, scilicet Verbo, anima et carne », quæ verba refert S. Thomas in 3. q. 1, art. 1, corp. Vide infra n.° 148.

147. — III. **Juxta piam et communem fidelium sententiam,** ordo unionis hypostaticæ etiam trinus est ratione duarum personarum, quæ præ cæteris creaturis humanis vel angelicis, intimius et altius conjunctæ sunt personæ Christi, et duabus aliis divinæ Trinitatis personis. Duæ illæ personæ sunt B. V. Maria, mater Verbi incarnati, dilectissima Patris filia et Spiritus sancti sponsa; et S. Joseph inquantum est vir Mariæ, simul sponsæ Spiritus sancti, et pater putativus Christi, cujus Deus est simul Pater naturalis. — Atqui, ratione talis conjunctionis, Maria et Joseph aliquo modo pertinent ad ordinem hypostaticæ, sed gradibus valde distantibus dignitate, ita ut primum locum occupet Jesus Christus, secundum Maria, tertium Joseph. — Unde ordo unionis hypostaticæ constituitur tribus personis, ad instar Ordinis divinæ Trinitatis, quem inæqualiter imitatur. Tres enim personæ divinæ æqualiter conveniunt in una numerice natura infinite perfecta; Jesus, Maria et Joseph æqualiter et specie conveniunt in natura humana, sed valde inæqualiter conveniunt in gratia et gloria. Maria aliquam relationem habet ad Patrem, ex eo quod secundum carnem genuit Filium, quem Pater ab æterno generat secundum divinitatem; Jesus Christus est secunda divinæ Trinitatis persona; Joseph, inquantum est vir Mariæ, habet aliquam relationem cum Spiritu sancto, cujus Maria est sponsa.

De sanctarum harum personarum trinitate in ordine unionis hypostaticæ dicit Suaresius in tract. de mysteriis vitæ Christi, disp. 8, sect. 1, n.° 10: « Alia sunt ministeria, quæ attingunt ordinem unionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est *(apostolatu)*, ut de dignitate matris Dei supra diximus; et in hoc ordine intelligo institutum esse ministerium sancti Joseph, et esse veluti in infimo gradu illius, et in hac parte excedere reliqua, tanquam in superiori ordine existens. »

ARTICULUS II.

DE CONVENIENTIA UNIONIS HYPOSTATICÆ.

Videamus: 1°) Quare conveniens fuit Deum incarnari. 2°) Quare convenientius fuit, quod Filii persona incarnaretur potius quam alia per-

sona divina. 3°) Quare humana natura fuit magis a Verbo divino assumptibilis, quam alia natura. 4°) Quomodo unio hypostatica conveniat ad complendam perfectionem ordinis universi.

§ I.

Quare conveniens fuit Deum incarnari.

Verbi Incarnatio fuit convenientissima 1°) ex parte Dei; 2°) ex parte hominis.

148. — I. **Ex parte Dei.**

Scilicet 1°) Ex ipsa Dei natura.

Dicit S. Thomas in 3. q. 1, art. 1, corp.: « Respondeo dicendum, quod unicuique rei conveniens est illud quod competit sibi secundum rationem propriæ naturæ, sicut homini conveniens est ratiocinari, quia hoc convenit sibi inquantum est rationalis secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est essentia Bonitatis, ut patet per Dionysium 1. cap. de div. Nomin. Unde quidquid pertinet ad rationem boni, conveniens est Deo; pertinet autem ad rationem boni, ut se aliis communicet, ut patet per Dionysium, 4 cap. de div. Nomin.; unde ad rationem summi Boni pertinet, quod summo modo se creaturæ communicet. Quod quidem maxime fit per hoc, quod naturam creatam sic sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, scilicet Verbo, anima et carne, sicut dicit Augustinus 13. de Trinit., cap. 17. Unde manifestum est, quod conveniens fuit Deum incarnari. »

Hoc doctoris angelici argumentum sic evolvit Billuart, T. 14, de Incarnat., dissert. 3, art. 1: Convenit summo Bono, qualis est Deus, se summo modo communicare. Atqui, Deus per Incarnationem se summo modo communicat ad extra. Ergo conveniens fuit Deo incarnari.

Major patet: quia cum bonum sit de se, seu ex natura sua, sui diffusivum et communicativum, sequitur quod summum Bonum sit summe communicativum.

Probatur minor. Nullus major nec intimior excogitari potest modus communicationis, quam quod ex tribus, verbo, anima et carne, una fiat persona, seu quo Creator et creatura una persona evadant, ut fit in Incarnatione. Quadrupliciter enim Deus se communicat ad extra: in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ et unionis hypostaticæ. In ordine naturæ, dona sua communicat, sed naturalia. In ordine gratiæ communicat quidem supernaturalia, sed creata. In ordine gloriæ seipsum communicat, sed tantum in esse intelligibili. At in unione hypostatica seipsum communicat secundum esse proprium naturale et personale, ita ut verum sit dicere *Deus est homo, homo est Deus.* In prima communicatione facit hominem rationalem, in secunda sanctum, in tertia beatum, in quarta Deum. Ergo.

2°) Ex fine intento a Deo in mundi creatione.

Dicit ibid. S. Thomas in argum.: *Sed contra.*

« Illud videtur esse convenientissimum, ut per visibilia monstrentur invisibilia Dei; ad hoc enim totus mundus est factus, ut patet per illud Apostoli ad Rom. 1: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed sicut Damascenus dicit in principio, lib. 3, de Fide orthod., cap. 1, per Incarnationis mysterium monstrantur simul Bonitas, et Sapientia, et Justitia, et Potentia Dei vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem; Justitia vero, quoniam homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem; Sapientia vero, quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem; Potentia vero sive virtus infinita, quia nihil est majus, quam Deum fieri hominem (tam distantia conjungendo). Ergo conveniens fuit Deum incarnari.

149. — II. **Verbi incarnatio fuit conveniens et aliquo modo necessaria ex parte hominis.**

Probatur ex S. Thoma, 3. q. 1, art. 2: « Dicendum quod ad finem aliquem dicitur aliquid necessarium dupliciter. Uno modo, sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conservationem humanæ vitæ. Alio modo, per quod melius et convenientius pervenitur ad finem, sicut equus est necessarius ad iter. — Primo modo, Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ. Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. — Secundo autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Unde Augustinus dicit lib. 13 de Trinit., cap. 10: « *Verum etiam ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati omnia æqualiter subjacent, sed sanandæ miseriæ nostræ convenientiorem alium modum non fuisse.* »

1°) Et hoc quidem considerari potest quantum ad promotionem hominis in bonum. »

« Primo quidem quantum ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quod ipsi Deo loquenti credit. Unde Augustinus dicit in lib. 11 de Civit. Dei, cap. 2: *Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa Veritas, Dei Filius, homine assumpto, constituit atque fundavit fidem.* »

« Secundo, quantum ad spem, quæ per hoc maxime erigitur. Unde Augustinus in lib. 13 de Trinit., cap. 10: *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid*

vero hujus rei isto indicio manifestius, quam quod Dei Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium? »

« Tertio, quantum ad charitatem, quæ maxime per hoc excitatur. Unde Augustinus in lib. de Catechiz. rudib., cap. 4: *Quæ major est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Et postea subdit: *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.* »

« Quarto, quantum ad rectam operationem, in qua nobis exemplum se præbuit. Unde Augustinus dicit in quodam sermone de Nativ. Dom.: *Homo sequendus non erat qui videri poterat; Deus sequendus erat qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, et qui videretur ab homine, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* »

« Quinto, quantum ad plenam participationem divinitatis, quæ vera est hominis beatitudo et finis humanæ vitæ. Et hoc collatum est nobis per Christi humanitatem. Dicit enim Augustinus in quodam sermone de Nativ. Dom.: *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus.* »

2°) « SIMILITER ET HOC UTILE FUIT AD REMOTIONEM MALI. »

« Primo enim per hoc homo instruitur ne sibi diabolum præferat, et eum veneretur qui est auctor peccati. Unde Augustinus dicit in lib. 13 de Trinit., cap. 17: *Quandoquidem sic potuit Deo conjungi humana natura, et fieri una persona, superbi illi maligni spiritus non ideo se audeant homini præponere quia non habent carnem.* »

« Secundo per hoc instruimur quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando. Unde Augustinus in lib. de Vera Relig., cap. 16: *Demonstravit nobis Deus quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit.* — Et Leo Papa in serm. 1 de Nativ.: *Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* »

« Tertio, quia ad præsumptionem hominis tollendam, gratia Dei in nobis, nullis meritis præcedentibus, in homine Christo commendatur, ut dicitur in lib. 13 de Trinit., cap. 17. »

« Quarto, quia superbia hominis, quæ maxime impedimento est ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest atque sanari, ut dicit Augustinus ibidem. »

« Quinto, ad liberandum hominem a servitute peccati, quod quidem, ut Augustinus dicit in lib. 13 de Trinit., cap. 13, fieri debuit sic, ut diabolus justitia hominis Jesu Christi superaretur, quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto humano genere; Deus autem satisfacere non debebat; unde oportebat Deum et hominem esse Jesum Christum. Unde et Leo Papa dicit in Serm. 1 de Nativ.: *Suscipitur a virtute infirmitas, a majestate humilitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum Mediator, et mori ex uno, et resurgere possit ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non præberet exemplum.* »

« Sunt autem et aliæ plurimæ utilitates, quæ consecutæ sunt supra apprehensionem sensus humani. »

3°) DE NECESSITATE SATISFACTIONIS PER CHRISTUM dicit doctor angelicus ibid. ad 2^m^: « Aliqua satisfactio potest dici dupliciter sufficiens: uno modo perfecte, quia est condigna per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ; et sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit pro peccato, tum quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, nec bonum alicujus personæ, vel etiam plurium poterat per æquiparantiam, totius naturæ detrimentum recompensare; tum etiam quia peccatum contra Deum commissum, quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens. »

« Alio modo potest dici satisfactio hominis esse sufficiens imperfecte, scilicet secundum acceptationem ejus qui est ea contentus, quamvis non sit condigna. Et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens. Et quia omne imperfectum supponit aliquid perfectum a quo sustentatur, inde est quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi. »

§ II.

Quare conveniens fuit, quod Filii Dei persona incarnaretur potius quam alia persona divina.

150. — Legitur ibidem q. 3, art. 8: « *Respondeo dicendum quod convenientissimum fuit, personam Filii incarnari.* »

1°) QUIDEM EX PARTE UNIONIS.

« Convenienter enim ea, quæ sunt similia, uniuntur. Ipsius autem personæ Filii, qui est Verbum Dei, attenditur uno quidem modo communis convenientia ad totam creaturam, quia verbum artificis, idest conceptus ejus, est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt. Unde Verbum Dei, quod est æternus conceptus

ejus, est similitudo exemplarium totius creaturæ. Et ideo sicut per participationem hujus similitudinis, creaturæ sunt in propriis speciebus institutæ, sed mobiliter, ita per unionem Verbi ad creaturam, non participatam sed personalem, conveniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam et immobilem perfectionem. Nam et artifex, per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit, restaurat. — Alio modo habet convenientiam specialiter cum humana natura, ex eo quod Verbum est conceptus æternæ Sapientiæ, a qua omnis sapientia hominum derivatur. Et ideo per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria ejus perfectio, prout est rationalis, quod participat Verbum Dei, sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit verbum magistri; unde Eccli. 1, dicitur: *Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis.* Et ideo ad consummatam hominis perfectionem, conveniens fuit, ut ipsum Verbum Dei humanæ naturæ personaliter uniretur. »

2°) « POTEST ACCIPI RATIO HUJUS CONGRUENTIÆ EX FINE UNIONIS, qui est impletio prædestinationis, eorum scilicet qui præordinati sunt ad hæreditatem cœlestem, quæ non debetur nisi filiis, secundum illud Rom. 8: *Si filii, et hæredes.* Et ideo congruum fuit, ut per eum qui est Filius naturalis, homines participarent similitudinem hujus filiationis secundum adoptionem, sicut Apostolus ibidem dicit: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* »

3°) « POTEST ACCIPI RATIO HUJUS CONGRUENTIÆ EX PECCATO PRIMI PARENTIS, cui per Incarnationem remedium adhibetur. Peccaverat enim primus homo appetendo scientiam, ut patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni et mali. Unde conveniens fuit, ut per Verbum veræ Sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat a Deo. »

§ III.

Quare humana natura fuit magis a Verbo divino assumptibilis, quam alia natura.

151. — I. Legitur in 3. q. 4, art. 1: « Aliquid assumptibile dicitur quasi aptum assumi a divina persona. Quæ quidem aptitudo non potest intelligi *secundum potentiam passivam naturalem*, quæ non se extendit ad id quod transcendit ordinem naturalem, quem transcendit unio personalis creaturæ ad Deum. Unde relinquitur quod assumptibile aliquid dicatur secundum congruentiam ad unionem prædictam. Quæ quidem congruentia attenditur secundum duo in humana natura, scilicet secundum ejus dignitatem et necessitatem. *Secundum dignitatem* quidem, quia humana natura, inquantum est rationalis et intellectualis, nata est attingere aliqualiter ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet et amando ipsum. *Secundum necessitatem* autem, quia indigebat reparatione, cum subjaceret originali peccato. Hæc autem duo soli humanæ naturæ conveniunt; nam creaturæ irrationali deest congruitas dignitatis; naturæ autem angelicæ deest congruitas prædictæ necessitatis. Unde relinquitur quod sola natura humana sit assumptibilis. »

II. Addi potest, quod tertio naturæ humanæ congruebat a Deo assumi *propter suam medietatem.* Congruebat enim divino totius ordinis Reformatori assumere naturam quæ medium totius ordinis physici occupat, ita ut omnia naturarum genera conveniant in hac unica natura. Cæterum decebat Mediatori universali occupare medium ordinis creati, sicut medium tenet Ordinis increati. — Atqui, natura humana medium tenet inter naturas mere spirituales ei superiores, et naturas mere corporales ei inferiores; utrasque enim in se continet, cum sit corpore et spiritu composita. Unde homo a Patribus appellatur minor mundus, seu μικροκοσμος. Et dum innumeræ distinguuntur species in naturis mere spiritualibus, et multa genera ac species in creaturis mere corporalibus, humana natura est unica in sua specie, tanquam medium punctum inter omnia divini Artificis opificia. — Ergo congruebat ut Verbum assumeret humanam naturam, et totum mundum in ea contentum ad Deum supernaturaliter elevaret, Deo reconciliaret, et per majorem gratiam melius reformaret ac ordinaret, quam primitus illum formaverat et ordinaverat.

§ IV.

Quomodo ordo unionis hypostaticæ conveniens est ad complendam perfectionem ordinis universi.

152. — Dicit Suaresius in Tract. de Incarnat., disp. 3, sect. 3, n.° 8-11: Dico etiam ad perfectionem et quasi complementum universi fuit convenientissimum Incarnationis mysterium.

I. **Probatur prædicta convenientia.**

1°) DECLARATUR PRIMO: Requirit enim completa universi perfectio, ut constet omnibus rerum ordinibus, et hoc modo sit Deo quam simillimum. Simili ratione probavit D. Thomas 1. q. 50, art. 1, inter res creatas, quasdam esse spirituales et intellectuales; similiterque ostendi potest, fuisse conveniens dari in rebus creatis ordinem *gratiæ* et *gloriæ*, præter totius *naturæ* ordinem. Eodem ergo modo concludimus, *unio-*

nem hypostaticam fuisse convenientem rerum universitati, ut esset omni ex parte perfecta.

2°) CONFIRMATUR, quia cum in omnibus substantiis creatis, una natura integra sit in una persona; et in divina substantia, una natura sit in pluribus personis; ut omnes differentiæ rerum invenirentur, conveniens fuit adinvenire modum, quo plures naturæ essent in una persona.

3°) SIMILITER COLLIGIT LEO PAPA, conveniens fuisse dari productum hominem ex muliere sine viro, quia jam alii tres modi producendi hominem inventi fuerant; nempe ex viro sine femina, (sicut producta fuit Heva) ex femina et viro, et absque viro et femina per productionem ex nihilo.

4°) ULTIMO, EX HOC MYSTERIO AD OMNES CREATURAS QUÆDAM PECULIARIS DIGNITAS REDUNDAVIT, quia in natura hominis omnes res creatæ quodammodo continentur, et ideo assumendo illam naturam, omnes creaturas quodammodo Deus sibi specialiter copulavit, ut eleganter explicavit Damascenus, orat. de Transfigur. Domini, sub finem dicens: « Benigna Patris voluntas in unigenito Filio universi orbis salutem operata est, et rerum omnium connexionem effecit; nam cum parvus mundus homo sit, ut qui essentiæ omnis, tum in aspectum cadentis, tum oculorum aciem fugientis, nodum ac vinculum in seipso ferat, atque hoc et illud sit, revera benigna omnium rerum Domini et Creatoris ac Gubernatoris voluntas hoc tulit, ut in unigenito et consubstantiali Filio suo, divinitatis et humanitatis, ac per eam conditarum omnium rerum connexio fieret ut sit Deus omnia in omnibus. »

Atque mysterium hoc multi existimant indicatum esse a Paulo, cum dicit ad Eph. 1, omnia esse in Christo instaurata; nam verbum græcum *recapitulare* significat, ut ibi Hieronymus notavit. Dicuntur autem omnia esse recapitulata in Christo, ut sentit etiam Irenæus, lib. 3, cap. 18 quia cum omnia in natura humana quasi in summa contineantur, assumptâ hac naturâ a Verbo, cæteræ res omnes, veluti in summam redactæ, illi censentur conjunctæ.

Hac etiam ratione, in Scriptura, nomine *universitatis* interdum homo significatur, ut notavit Gregorius 6. Moral. cap. 7 et 8; Damascenus, lib. 2, cap. 12; ergo eadem ratione possunt dici omnia instaurata per hoc mysterium propter novam dignitatem et excellentiam omnibus collatam. Et propterea fortasse omnes creaturæ invitantur ab Isaia, cap. 45, ad hoc mysterium perficiendum: *Rorate, cœli, desuper* etc. Et Joannes 3, v. 16, amori totius mundi idem mysterium tribuitur.

Et ad eamdem rationem accommodari potest nomen, quo solent Patres græci hoc mysterium appellare; vocant enim illud *œconomiam*, ut videre est in Nazianzeno, orat. 42, non longe a principio, et Justino in Expositione fidei. Est enim œconomia quasi universalis dispensatio; per Incarnationem autem toti universo provisum est, quia in totius cedit utilitatem; quamquam hoc etiam, ratione humanæ Redemptionis, veritatem habeat, quod dicti Patres magis videntur attendisse.

5°) TANDEM ADDENDUM EST, Deum, cum voluit hoc perficere mysterium, prædictas rationes omnes, et infinitas fortasse alias, intendisse. Omnes enim sunt ex Scriptura et Patribus desumptæ; Deusque, qui omnia perfectissima ratione vult atque decernit, eas rationes omnes habuit ante oculos.

Denique Augustinus 13 de Trinit. cap. 17, *alia multa esse dicit*, quæ in Christi Incarnatione salubriter intuenda et cogitanda sunt. Et S. Thomas, lib. 4 cont. Gent., cap. 45, dicit pie considerantem hoc mysterium, tantam invenire Sapientiæ profunditatem, ut illius semper magis ac magis admirabiles rationes manifestentur.

6°) HIS OMNIBUS RATIONIBUS A SUARESIO ALLATIS ADDI POTEST, trinum ordinem unionis hypostaticæ complere perfectionem ordinis universi, *quia est medium harmonicum, in quo conveniunt trinus Ordo increatus, et trinus ordo creatus extreme oppositi.* Est enim simul increatus, ratione divinitatis Jesu Christi, et creatus, ratione humanitatis Christi, quæ totius creaturæ compendium est. Et cum divinitas et humanitas in divina Christi persona intime conjungantur vinculo arctissimo, concludendum est incarnatum Verbum esse magnum Mediatorem inter divinam Trinitatem et trinum mundum, atque Caput totius ordinis creati, cum, ratione supremæ gratiæ unionis hypostaticæ, superet omnes perfectiones, quibus ornantur omnes creaturæ in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ. Præterea sequitur, duas personas, scilicet Mariam et Joseph, quæ cum Christi persona conjunguntur titulis ac vinculis sibi omnino propriis, et sic solæ pertinent ad ordinem unionis hypostaticæ, etiam in gloria cœlesti superare cæteros Beatos, tam angelos quam homines.

II. Unio hypostatica non est tamen necessaria ad finem creationis obtinendum.

Verum, quamquam maxime conveniebat, ut Ordo increatus ac infinitus ordini creato ac finito intime conjungeretur in persona Verbi, ad divinam omnipotentiam, sapientiam et benevolentiam manifestandas, tamen ad hunc finem creationis mundi obtinendum, prædicta conjunctio non requirebatur necessario, quemadmodum docet S. Thomas in 3. q. 1, art. 3, ubi 2° loco *Sequentem ponit objectionem:* « Ad omnipoten-

tiam divinæ virtutis pertinet, ut opera sua perficiat, et se manifestet per aliquem infinitum effectum. Sed nulla pura creatura potest dici infinitus effectus, cum sit finita per suam essentiam. In solo autem opere Incarnationis videtur præcipue manifestari infinitus effectus divinæ potentiæ, per quam in infinitum distantia conjunguntur, inquantum factum est ut homo esset Deus; in quo etiam opere maxime videtur perfici universum, per hoc quod ultima creatura *(inter spirituales et Verbo unibiles)*, scilicet homo, primo Principio conjungitur, scilicet Deo. Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. » Quia nempe Verbi incarnatio pertinet ad finem creationis rerum, qui est gloria Dei manifestanda per mundi perfectionem.

Respondet doctor angelicus: « Dicendum, quod in ipso modo productionis rerum ex nihilo, divina virtus infinita ostenditur. Ad perfectionem etiam universi sufficit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum sicut in finem; hoc autem excedit limites perfectionis naturæ ut creatura uniatur Deo in persona. »

CAPUT II.

EXPLICATUR HIERARCHICUS AC TRINUS ORDO ECCLESIÆ UNIVERSÆ, SUB CHRISTO CAPITE.

Postquam ostendimus ordinis unionis hypostaticæ unitatem, trinitatem et perfectionem, loquemur de universali Ecclesiæ hierarchia, cujus primum principium intrinsecum est unio hypostatica, cum Christus, ut homo, sit Caput, seu suprema pars corporis Ecclesiæ. Explicabimus ergo hierarchiæ universalis: 1°) notionem; 2°) Principem et Caput; 3°) alia membra præter Caput; 4°) trinitatem et pulchritudinem.

ARTICULUS I.

DE HIERARCHIÆ NOTIONE.

Nullibi trinus Ordo increatus pulchrius repræsentatur quam in trina hierarchia universali. Nemo autem de sacra hierarchia sublimius locutus est, quam S. Dionysius Arcopagita, et nemo accuratius ac clarius, quam S. Thomas. Ideo ad dandam lectoribus completam, distinctam et harmonicam hierarchiæ notitiam, referemus: 1°) luculentam doctori angelici doctrinam; 2°) profundam S. Dionysii doctrinam a S. Thoma explicatam.

§ I.

Doctrina S. Thomæ.

153. — Doctor angelicus optime tradit hierarchiæ: 1°) definitionem et elementa; 2°) divisionem; 3°) actionem; 4°) finem.

I. **Hierarchiæ definitio et elementa** paucis sed accuratissimis verbis a S. Thoma traduntur in 1. q. 108, art. 1, ubi legitur: « Hierarchia est sacer principatus. In nomine autem principatus duo intelliguntur, scilicet ipse princeps, et multitudo ordinata sub principe. »

II. **Hierarchiæ divisio.** Hierarchia una est si spectetur ex parte Principis, scilicet Dei, qui unus est; « quia igitur unus est Deus, Princeps non solum omnium angelorum, sed etiam hominum et totius creaturæ, ideo non solum omnium angelorum, sed etiam totius rationalis creaturæ, quæ sacrorum particeps esse potest, una est hierarchia. »

At si spectetur ex parte multitudinis ordinatæ sub Principe, hierarchia est una vel diversa, secundum quod multitudo eodem vel diverso modo potest recipere Principis gubernationem; unde distinguuntur hierarchia *humana*, quæ una est, et hierarchia *angelica*, quæ trina est. Sic loquitur ipse doctor angelicus: « Sed si consideretur principatus ex parte multitudinis ordinatæ sub Principe, sic *unus* principatus dicitur, secundum quod multitudo uno et eodem modo potest gubernationem Principis recipere; quæ vero non possunt secundum eumdem modum gubernari a Principe, ad *diversos* principatus pertinent, sicut sub uno rege sunt diversæ civitates, quæ diversis reguntur legibus et ministris. Manifestum est autem quod homines alio modo divinas illuminationes percipiunt, quam angeli; nam angeli percipiunt eas in intelligibili puritate, homines vero percipiunt eas sub sensibilium similitudinibus, ut Dionysius dicit in cœl. hier. cap. 1. Et ideo oportet distingui *humanam* hierarchiam ab *angelica*. Et per eumdem modum in angelis tres hierarchiæ distinguuntur. »

Objicitur: « Sacer principatus, qui dicitur hierarchia, invenitur in hominibus et angelis. Sed omnes homines sunt unius hierarchiæ. Ergo etiam omnes angeli sunt unius hierarchiæ. » *Respondet* S. Thomas ad 3^{m}: « Dicendum quod omnes homines sunt unius speciei, et unus modus intelligendi est eis connaturalis; non sic autem est in angelis; ergo non est similis ratio. »

III. **Actio hierarchica** triplex est in angelis, nempe intellectualis purgatio, illuminatio et perfectio circa cognitiones, quæ ipsis a Deo communicantur, non relate ad ipsum Deum vi-

dendum, sed ad mundi gubernationem. Vide 1. q. 106, art. 1 et 2. — In humana hierarchia, actio est quoque purgatio, illuminatio et perfectio, sed alio modo, atque ad alium finem particularem exercetur, quam in angelica hierarchia. Vide Suppl. q. 37, art. 2, corp. et ad 1[m].

IV. **De fine generali actionis, seu gubernationis hierarchicæ.**

1°) FINIS ILLIUS UNUS EST, SICUT UNUM EST EJUS PRINCIPIUM; a Deo enim procedit atque ad Deum reducitur. Finis ergo, sive effectus hierarchiæ est supernaturalis gubernatorum seu ordinatorum perfectio, quæ consistit in supernaturali assimilatione ad supremam Dei perfectionem. Legitur in 1. q. 103, art. 4: « Effectus cujuslibet actionis ex fine ejus pensari potest, nam per operationem efficitur, ut pertingatur ad finem. Finis autem gubernationis mundi est Bonum essentiale, ad cujus participationem et assimilationem omnia tendunt. Effectus igitur gubernationis potest accipi tripliciter: *Uno modo ex parte ipsius finis*; et sic est unus effectus gubernationis, scilicet assimilari summo Bono. — *Alio modo potest considerari effectus gubernationis secundum ea, quibus ad Dei assimilationem creatura perducitur;* et sic in generali sunt duo effectus gubernationis: creatura enim assimilatur Deo quantum ad duo, scilicet quantum ad id quod Deus bonus est, inquantum creatura est bona; et quantum ad hoc quod Deus est aliis Causa bonitatis, inquantum una creatura movet aliam ad bonitatem; unde duo sunt effectus gubernationis, scilicet conservatio rerum in bono, et motio earum ad bonum. — *Tertio modo potest considerari effectus gubernationis in particulari*; et sic sunt nobis innumerabiles. »

2°) *Duplex autem distinguitur assimilatio ad summum Bonum, scilicet naturalis et supernaturalis;* unde distinguitur conservatio in bono naturali aut supernaturali, et motio ad bonum naturale aut supernaturale. — Atqui naturalis assimilatio, conservatio et motio constituunt *naturalem* ordinem divinæ Providentiæ et gubernationis; supernaturalis autem assimilatio, conservatio et motio constituunt *supernaturalem* ordinem divinæ Providentiæ et gubernationis, qui est hierarchia; nam hierarchia est *sacer* principatus, ad divinorum participationem ordinatus. Supernaturalis autem perfectio potest esse inchoata per gratiam in statu viæ, sive in hac terra, aut consummata in gloria cœlesti. — Ergo distinguitur hierarchia Ecclesiæ *terrestris*, ad quam pertinent soli homines viatores, et hierarchia Ecclesiæ *cœlestis*, ad quam pertinent omnes Beati, sive homines, sive angeli, conjuncti in una societate, cujus communis finis est ultima perfectio ab omnibus membris obtenta.

3°) TRES PRÆDICTI ORDINES AD PERFECTIONEM, SCILICET ORDINES NATURÆ, GRATIÆ ET GLORIÆ A S. THOMA INDICANTUR in Suppl. q. 34, art. 1. *Sed contra*: « Status Ecclesiæ *(terrestris)* est medius inter statum naturæ et gloriæ; sed in *natura* invenitur ordo, quo quædam aliis superiora sunt; et similiter in *gloria*, ut patet in angelis; ergo in Ecclesia debet esse ordo. » Jam vero, ille ordo Ecclesiæ est hierarchia terrestris, per quam *gratia* nobis communicatur per sacramenta, verbi Dei prædicationem et orationem, quibus supernaturaliter purgamur, illuminamur et perficimur.

Dicitur ibidem ad 3[m]: « Ordo in angelis non attenditur secundum distinctionem *naturæ*, nisi per accidens, inquantum ad distinctionem naturæ sequitur in eis distinctio gratiæ; attenditur autem in eis per se secundum distinctionem in *gratia*, quia eorum ordines respiciunt participationem divinorum et communicationem in statu *gloriæ*, quæ est secundum mensuram gratiæ, quasi gratiæ finis et effectus quodammodo. Sed ordines Ecclesiæ militantis respiciunt participationem *sacramentorum* et communicationem, quæ sunt causa *gratiæ*, et quodammodo gratiam præcedunt. Et sic non est de necessitate nostrorum ordinum gratia gratum faciens, sed solum potestas dispensandi sacramenta; et propter hoc etiam ordo non attenditur per distinctionem gratiæ gratum facientis, sed per distinctionem potestatis. »

§ II.

Doctrina S. Dionysii Areopagitæ a doctore angelico explicata.

154. — Angelica S. Thomæ doctrina *de sacra hierarchia*, desumpta est ex S. Dionysio areopagita, quem in præsenti Tomo, Parte III, n.° 553, ostendemus esse verum auctorem librorum ei attributorum.

I. **Sanctus Dionysius sequentem tradit hierarchiæ notionem,** in cap. 3 de Cœl. hier., § 1: « Est hierarchia, meo quidem judicio, *ordo* sacer, et *scientia*, et *actio* ad deiformitatem pro viribus assimilata, et juxta inditas ipsi divinitus illuminationes, analogice ad Dei imitationem evecta. »

Quærit S. Thomas in 2. dist. 9, q. 4, art. 1: *Utrum hæc hierarchiæ definitio data a S. Dionysio sit conveniens*, et respondet: « Cum hierarchia significet *sacrum quemdam principatum*, in omni autem principatu requirantur gradus potestatis et finis, in sacro principatu oportet hujusmodi sacra esse et divina. Et ideo, sicut in sæculari principatu, finis est ut subjecta

multitudo pacifice disponatur ad bonum a principe intentum, sicut patet in exercitu, qui, secundum Philosophum, ordinatur ad bonum ducis, sicut ad ultimum finem, 12. Metaph., text. 2; *ita oportet in sacro principatu, finem esse assimilationem ad Deum.* — Hunc autem finem non possunt angeli consequi, *nisi per ordinatam actionem*, ad quam exigitur ordinata potestas, et scientia dirigens; et ideo in definitione hierarchiæ ponitur *ordo*, in quo exprimitur gradus potestatis; et *scientia*, sicut ad finem dirigens; et *actio*, sicut ad finem inducens, et *Dei similitudo*, sicut finis intentus. — *Cum autem finis sit causa causarum*, ideo definitio, quæ sumitur ex fine, formalior est inter omnes definitiones, et medium demonstrans eas; et ideo illa descriptio: *hierarchia est ad Deum unitas et similitudo*, est quasi definitio, quæ est medium demonstrationis. Hæc autem: *hierarchia est ordo, et scientia, et actio*, si nihil addatur, est quasi demonstrationis conclusio, quia includit principia essentialia hierarchiæ; unde Dionysius eam ex prædicta concludit. Sed illa quæ posita est hic initio Capitis, perfecta est, quia comprehendit utramque; unde est quasi demonstratio positione differens. »

II. **Finis divinæ hierarchiæ est assimilatio ad Deum, et medium ejus est triplex actio prædicta,** nempe purgatio, illuminatio et perfectio. Sic dicit in cap. 3 de Cœl. hier., § 2: « Scopus igitur hierarchiæ est assimilatio et unio cum Deo, pro cujusque captu. » Et cap. 7, § 2: « Satis superque jam a nobis dictum existimo, omnis hierarchiæ scopum ex divina deiformitatis imitatione pendere, omnemque functionem hierarchicam dividi in sacram participationem *(passivam)* et collationem *(activam)* purissimæ *purgationis*, et divini *luminis*, et *perfectivæ scientiæ.* »

Vide plura in reliquo cap. 3 præcitato, § 2 et § 3. Item de Eccl. hier., cap. 5, § 3 et 4, et Capitibus sequentibus.

Multa ex S. Dionysio retulimus in præsenti Tomo, Parte III, n.° 567 et sequentibus.

III. **Hierarchiam in nostro opere sumimus latissimo sensu** tanquam ordinem Ecclesiæ universæ, complectentem angelos et homines, gratiam et gloriam. — Ecclesia enim sic latissime accepta, est societas omnium creaturarum Deum unitrinum et Jesum Christum colentium, sive in cœlo, sive in terra; atque, per gratiæ conformitatem cum Deo et Christo, ordinatam ad consummatam gloriæ conformitatem.

ARTICULUS II.

DE UNIVERSÆ HIERARCHIÆ PRINCIPE ET CAPITE.

Hierarchia latissime sumpta pro ordine Ecclesiæ universæ, quæ est mysticum Christi corpus, non tantum habet extra se *Principem*, qui est Deus unitrinus, sed etiam intra se *Caput*, seu supremam partem, quæ est Jesus Christus spectatus ut homo, atque ut summus Mediator inter Deum et homines. Ad hæc Suaresius de Incarnat., disput. 23, sect. 1, 22: « Paulus 1 Cor. 12 et aliis locis, Ecclesiam dicit esse unum corpus habens diversa membra, quorum diversa sunt munera, seu ministeria; ergo oportet ut hoc corpus unum habeat caput, non tantum *extrinsecum*, quod est Deus, sed etiam veluti *intrinsecum*, et quasi homogeneum; hoc autem non potest esse nisi Christus, qui inter omnia hujus Ecclesiæ membra eminet, et in omnia influit. » Quædam igitur dicemus: 1°) de Deo unitrino, Principe, et 2°) de Jesu Christo, Capite totius Ecclesiæ.

§ I.

De Deo unitrino, hierarchiæ Principe.

155. — Juxta S. Dionysium et S. Thomam, *divina Trinitas*, seu Ordo increatus et exemplaris, est totius hierarchiæ *Principium, seu Princeps et Hierarcha*; sed nullatenus ipsa constituit aliquam *hierarchiam supremam.*

I. **Deus unitrinus est supremus Hierarcha.** Legitur in cap. 1 de Eccl. hier. § 3 ubi loquitur S. Dionysius de doctrina sibi a S. Paulo tradita: « Omnis hierarchia est, juxta venerandam nobis sacrosanctam traditionem, universalis rerum sacrarum ei subjectarum ratio, seu generalissima summa rerum sacrarum, quæ sub ordinem cadunt... *Principium hujus hierarchiæ est fons vitæ, Essentia bonitatis, una entium omnium Causa Trinitas*, ex cujus Bonitate entia sunt, et bene sunt. Huic autem omnibus supremæ divinissimæque beatitudini, huic trinæ unitati, quæ per essentiam Est, modo quidem nobis incomprehenso, ipsi autem notissimo, voluntas est rationalis salus substantiarum quæ juxta nos sunt *(hominum)* et supra nos sunt *(angelorum)*. Hæc vero salus non aliter obtingere potest, nisi deificentur salvati; illa autem deificatio est assimilatio et unio cum Deo, inquantum fieri potest. »

II. **In Ordine divinæ naturæ, nulla prorsus existit hierarchia,** quoniam hierarchia dicit ordinem perfectionis ac potestatis inæqualem et

exemplatum, sicut supra ostensum est, dum divina Trinitas est perfectio Ordinis trium personarum æqualiter perfectarum ac potentium in infinita Forma exemplari; inter quas existit quidem ordo naturalis originis, sed nulla est prioritas dignitatis, nec temporis; nam juxta symbolum S. Athanasii: « In hac Trinitate, nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. » Itaque S. Dionysius dicit in cap. 3 de Cœl. hier. « Deum esse extra et supra omnem hierarchiam, nam omnis hierarchia ad illius imitationem et similitudinem existit. »

III. **Improprie distinguitur hierarchia in creatam et increatam,** sicut faciunt S. Bonaventura, Gabriel et quidam alii doctores catholici. Etenim nulla est, nec esse potest hierarchia increata; sed recte distinguuntur *ordo creatus* et *Ordo increatus*.

Ad rem dicit S. Thomas in 1. q. 108, art. 1, corp.: « Distinguuntur hierarchiæ ex parte multitudinis subjectæ. Unde manifestum est eos errare, et contra intentionem Dionysii loqui, *qui ponunt in divinis personis hierarchiam, quam vocant supercœlestem*. In divinis enim personis est quidem Ordo naturæ, sed non hierarchiæ. Nam, ut Dionysius dicit in 3 cap. Cœl. hier., ordo hierarchiæ est alios quidem purgari, et illuminari, et perfici; alios autem purgare, et illuminare, et perficere; quod absit ut in divinis personis ponamus. »

§ II.

De Jesu Christo, hierarchiæ Capite.

In cap. 1. de Eccl. hier. § 2, S. Dionysius Jesum Christum nuncupat *Principium et Consummationem omnium hierarchiarum*. Videamus 1°) quam convenienter Jesus Christus metaphorice dicatur *Caput* Ecclesiæ, et Spiritus sanctus nuncupetur *Cor* Ecclesiæ; 2°) secundum quam naturam Christus sit Caput Ecclesiæ et Mediator inter Deum et homines; 3°) per quam gratiam Christus sit Ecclesiæ Caput; 4°) utrum Christus ut Caput in membra Ecclesiæ influat physice vel moraliter; 5°) quænam dona in Ecclesiæ membra influat; 6°) quomodo Christus dicatur Caput et membrum Ecclesiæ.

156. — **I. Convenienter Christus metaphorice dicitur Ecclesiæ Caput, potius quam Cor.**

Legitur in 3. q. 8, art. 1: « Sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum, per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diversa membra habet diversos actus, ut Apostolus docet Rom. 12 et 1. Cor. 12, ita Christus dicitur Caput Ecclesiæ secundum similitudinem humani capitis; in quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem et virtutem: *Ordinem* quidem, quia caput est prima pars hominis, incipiendo a superiori, et inde est quod omne principium consuevit vocari caput... *Perfectionem* autem, quia in capite vigent omnes sensus et interiores et exteriores, cum in cæteris membris sit solus tactus... *Virtutem* vero, quia virtus et motus cæterorum membrorum et gubernatio eorum in suis actibus, est a capite propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem, unde et rector dicitur caput populi... — Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter: Primo enim secundum propinquitatem ad Deum, gratia ejus *altior est et prior*, etsi non tempore, quia omnes alii receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud Rom. 8: *Quos præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Secundo vero *perfectionem* habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud Joan. 1: Vidimus eum *plenum gratiæ et veritatis*, ut etiam supra ostensum est (q. 7, art. 9). Tertio *virtutem* habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundum illud Joan. 1: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Et sic patet, quod Christus convenienter dicitur Caput Ecclesiæ. »

Objicitur ibidem tertio loco: « Caput in homine est quoddam particulare membrum, influentiam recipiens *a corde*. Sed Christus est universale Principium totius Ecclesiæ. Ergo non est Ecclesiæ Caput. »

Respondet sanctus doctor: « Dicendum quod *caput* habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum, sed *cor* habet quamdam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit; capiti autem comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfertur. »

157. — **II. Christus est Caput Ecclesiæ, et Mediator inter Deum et hominem, secundum humanam suam naturam.**

Dicendum est Christum has functiones exercere inquantum est *homo*. Quoad functionem capitis, hoc patet ex ultimo S. Thomæ loco citato. Quoad functionem *mediatoris*, probatur ex 3. q. 26, art. 2, corp., ubi dicitur: « In mediatore duo possumus considerare, primo quidem *rationem medii*, secundo *officium conjungendi*; est autem de ratione medii, quod distet ab utroque extremorum; conjungit autem mediator per hoc, quod ea quæ unius sunt, defert ad alterum. — Neutrum autem horum potest convenire Christo secundum quod Deus, sed

solum secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, non differt a Patre et Spiritu sancto in natura et potestate dominii; nec etiam Pater et Spiritus sanctus aliquid habent quod non sit Filii, ut sic possit id quod est Patris, vel Spiritus sancti, quasi quod est aliorum, ad alios deferre. Sed utrumque convenit ei inquantum est homo, quia secundum quod est homo, distat et a Deo in natura, et ab hominibus in dignitate et gratiæ et gloriæ. Inquantum etiam est homo, convenit ei conjungere homines Deo, præcepta et dona Dei hominibus exhibendo, et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando. — Et ideo verissime dicitur Mediator secundum quod homo. »

Sequentem objectionem ponit Suarcsius de Incarnat., disp. 23, sect. 1, n.° 2: « Christus, ut homo, non habuit sufficientem vim ad influendum in alios; ergo ut sic non potest esse Caput. *Antecedens* patet, tum quia alias omnes homines haberent hanc vim; tum etiam quia sola humanitas non potest esse principium tam perfecti meriti. »

Respondet: « Non esse sermonem de Christo ut homine reduplicative, sed specificative. Unde non excluditur dignitas supposito divini; sed illa est veluti radix hujus dignitatis, quæ in humanitate et per humanitatem exercetur. »

158. — III. Quæritur per quam gratiam Christus sit Caput Ecclesiæ, et Mediator Dei et hominum, ita ut supernaturalia dona in homines influat; utrum *per gratiam unionis hypostaticæ*, sicut vult Vasquez cum quibusdam recentioribus, fundatis in 3. q. 8, art. 6, corp., ubi legitur: « Interior influxus gratiæ non est ab aliquo, nisi a solo Christo, cujus humanitas, ex hoc quod est divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi »; an *per gratiam habitualem*, non tantum Christum ipsum, sed etiam alios sanctificantem, sicut docet S. Thomas 3. q. 8, art. 5.

Respondet Billuart de Incarn., diss. 9, art. 4, utramque sententiam conciliando, quod Christi gratia capitalis non est ipsa gratia unionis præcise, sed gratia habitualis ut connotans gratiam unionis. Nam Christus ut homo influit, seu constituitur potens influere in membra Ecclesiæ gratiam, per eam gratiam quæ est ipsi *principium quo* illis merendi, et condigne pro illis satisfaciendi; hoc est eliciendi actus supernaturales infinite meritorios et condigne satisfactorios. — Atqui, Christo homini *principium quo* operandi non est gratia unionis, cum illum non informet physice, nec cum eo identificetur, sed gratia habitualis, a qua intrinsece informatur, et est principium operativum quo radicaliter. Infinitatis autem in valore operum et condignitatis in satisfactione principium formale est gratiæ ipsius conjunctio ad gratiam unionis. — Ergo gratia de qua agitur non est gratia unionis præcise, sed gratia habitualis ut connotans gratiam unionis.

159. — IV. Quæritur utrum Christus, ut Caput, gratiam in homines influat physice an moraliter.

Billuart ibidem *respondet* hunc influxum, qui fit per opera infinite meritoria et satisfactoria, non esse physicum sed moralem; nam licet Christus influat etiam instrumentaliter physice, non tamen hoc influxu præcise constituitur Caput, quia Patriarcharum Caput fuit, in quos non potuit influere instrumentaliter physice, cum tunc nondum existeret.

160. — V. Quæritur quænam dona Christus, ut Caput, influat in alios, utrum bona *naturalia* an *supernaturalia*, et si influat bona supernaturalia, utrum sint bona *spiritualia* an *corporalia*.

Respondetur, quod Christi Capitis influxus est per modum meriti. Atqui, merita ordinantur ad bona *supernaturalia*, non vero ad bona *naturalia*, ut talia sunt. Ergo Christus in alios influit supernaturalia tantum bona gratiæ et gloriæ. — *Confirmatur* ex Augustino qui dicit in Epist. 105, circa medium: « Meruit nobis Christus, ut justi essemus, non ut homines, vel liberi essemus. »

Deinde inter hæc bona supernaturalia, Christus influit *principaliter bona spiritualia*, et *secundario corporalia*. Dicitur in 3. q. 3, art. 2: « Habet vim influendi humanitas Christi, inquantum est conjuncta Dei Verbo, cui corpus unitur per animam, ut supra dictum est. (Ibid., q. 6, art. 1). Unde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam et corpus, influit in homines, et quantum ad animam, et quantum ad corpus; sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus: uno modo, inquantum membra corporis exhibentur arma justitiæ in anima existenti per Christum, ut Apostolus dicit Rom. 6; alio modo, inquantum vita gloriæ ab anima derivatur ad corpus, secundum illud Rom. 8: *Qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.*

161. — VI. Quæritur quomodo Christus dicatur Caput et membrum Ecclesiæ.

Respondet doctor angelicus, Suppl. q. 95, art. 3, ad 4^{m}: « Nomen Ecclesiæ dupliciter accipitur: *quandoque enim nominat tantummodo corpus*, quod Christo conjungitur, sicut Capiti, et sic tantum Ecclesia habet rationem sponsæ; sic vero Christus non est Ecclesiæ membrum, sed est *Caput* influens omnibus Ecclesiæ membris. *Alio modo accipitur Ecclesia, secundum quod*

nominat caput et membra conjuncta, et sic Christus dicitur *membrum* Ecclesiæ, inquantum habet distinctum officium ab omnibus aliis, scilicet influere aliis vitam. Quamvis non multum proprie dicatur membrum, quia membrum importat particularitatem quamdam; in Christo autem bonum spirituale non est particulatum, sed est totaliter et integrum. Unde ipse est totum Ecclesiæ bonum, nec est aliquid majus ipse et alius, quam ipse solus. Sic autem loquendo de Ecclesia, Ecclesia non solum nominat sponsam, sed sponsum et sponsam, prout per conjunctionem spiritualem, est ex eis unum effectum. »

ARTICULUS III.

DE ALIIS UNIVERSÆ HIERARCHIÆ MEMBRIS, PRÆTER CAPUT.

Explicabimus quænam sunt membra: 1°) hierarchiæ in genere; 2°) hierarchiæ cœlestis; 3°) hierarchiæ terrestris.

§ I.

De membris hierarchiæ in genere.

Membra hierarchiæ in genere sunt omnes creaturæ *rationales*, quarum Christus Caput est, vel esse potest, in eas influendo supernaturalia gratiæ et gloriæ dona; non vero creaturæ *irrationales*, quarum Christus non est proprie Caput, cum hujusmodi influxus sint incapaces; verumtamen istæ creaturæ sunt Christo subjectæ tanquam supremo mundi Domino, et instrumentaliter ac materialiter membris hierarchiæ deserviunt, ad gratiam communicandam.

162. — I. **De hominibus.**

Inter creaturas rationales, homines sunt, modo perfectiori, Christi hominis membra, quia integre cum eo conformantur in *natura*, quantum ad animam et quantum ad corpus, et quia Christus eis meruit essentialem *gratiam* ac *gloriam* titulo Redemptionis, sicut agnoscunt omnes catholici doctores; unde scopus totius humanæ hierarchiæ est per gratiam et gloriam conformari Christo, cui jam conformamur per naturam. Porro, juxta doctorem angelicum, Christus est omnium hominum Caput, ac proinde omnes homines sunt Christi membra, quinque modis inferius indicandis.

In 3. q. 8, art. 3, S. Thomas præmittit sequens argumentum ex Scriptura desumptum: « Dicitur 1. Tim. 4: *Est Salvator omnium hominum et maxime fidelium*, et 1. Joan. 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Salvare autem homines, et propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo, secundum quod est Caput. Ergo Christus est Caput omnium hominum. »

Deinde adjicit sequentem rationem theologicam: « Hæc est differentia inter corpus hominis *naturale*, et corpus Ecclesiæ *mysticum*, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, neque quantum ad *esse naturæ*, quia corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius; neque etiam quoad *esse gratiæ*, quia eorum etiam qui sunt in uno tempore, quidam gratia carent, postmodum habituri, aliis etiam jam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici accipiuntur, non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia. Quædam tamen sunt in potentia, quæ nunquam reducuntur ad actum; quædam vero sunt quæ quandoque reducuntur ad actum, et hoc secundum triplicem gradum, quorum primus est per fidem, secundus per charitatem viæ, tertius per fruitionem patriæ. »

« Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est Caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. Primo enim et principaliter est Caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam; secundo eorum qui actu uniuntur sibi per charitatem; tertio eorum qui actu uniuntur sibi per fidem; quarto vero eorum, qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum divinam prædestinationem; quinto vero eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, quæ nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc sæculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi, quia jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur. »

Hanc doctrinam profitentur omnes orthodoxi. Sed inter Thomistas et Scotistas disputatur, utrum Christus fuerit Caput protoparentum in statu innocentiæ, quam controversiam videbimus in Tomo III, Parte II.

163. — II. **De Angelis.**

Quidam doctores, ut Gabriel, Driedo et Soto negant hominem Christum esse Caput angelorum, cui sententiæ videntur favere multi Patres, qui ubicumque Paulus dicit Christum esse Caput hominum et angelorum, explicant hominum esse Caput secundum humanitatem, angelorum vero secundum divinitatem. — Alii vero communius cum S. Thoma existimant Christum esse angelorum Caput, etiam secundum humanitatem; sed

Thomistæ et Scotistæ disputant utrum Christus in angelos influxerit *essentialem* an *accidentalem* gratiam et gloriam; negant enim Thomistæ Christum esse justificatorem et glorificatorem angelorum, quemadmodum in Tomo III, Parte II, dicetur.

Sic loquitur doctor angelicus in 3. q. 8, art. 4: « Ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum, secundum diversos actus, sive officia. Manifestum est autem, quod ad unum finem, qui est gloria divinæ fruitionis, ordinantur et homines et angeli. Unde corpus Ecclesiæ mysticum, non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis. Totius autem hujus multitudinis Christus est Caput, quia propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli; et de ejus influentia non solum homines accipiunt, sed etiam angeli. Dicitur enim Eph. 1, quod constituit eum, scilicet Christum Deus Pater ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Potestatem, et Principatum, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus. Et ideo Christus non solum est Caput hominum, sed etiam angelorum; unde et Matth. 4 legitur, quod accesserunt angeli, et ministrabant ei. »

Ad objectiones respondet S. Thomas:

1°) « Influentia Christi super homines, principaliter quidem est quantum ad animas, secundum quas homines conveniunt cum angelis in natura generis, licet non in natura speciei. Et ratione hujus conformitatis, Christus potest dici Caput angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpus. »

2°) « Ecclesia, secundum statum viæ, est congregatio fidelium; sed secundum statum patriæ, est congregatio comprehendentium. Christus autem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor. Et ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est Caput, utpote plenissime habens gratiam et gloriam. »

3°) « Humanitas Christi, ex virtute spiritualis naturæ, scilicet divinæ, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus angelorum, propter maximam conjunctionem ejus ad Deum, scilicet secundum unionem personalem. »

164. — III. **De creaturis irrationalibus,** sive in cœlo, sive in terra. Istæ creaturæ proprie non sunt membra hierarchiæ, seu mystici corporis Christi, quia Christus ut Caput principaliter in sua membra influit quantum ad animam, et secundario quantum ad corpus relatum ad animam. — Atqui, dicit S. Thomas in 3. q. 8, art. 2, ad 2^{m}: « Corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem. » — Ergo Christus in creaturas irrationales non influit tanquam Caput proprie dictum, et ideo istæ creaturæ non pertinent proprie ad mysticum Christi corpus.

Verumtamen, inquit Suaresius, de Incarnat., disp. 23, sect. 1, n.° 9 et 10: « Christus aliquo modo dici potest Caput creaturarum omnium, non vero eo modo, quo angelorum et hominum. *Prior pars* declaratur breviter in illo ad Coloss. 1, ubi Christus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ,* quia dignitate et propinquitate ad Deum antecedit omnes....., et perfectione etiam ac dignitate primus est, ut per se constat. » Deinde clarus doctor negat Deum per Christi humanitatem in creaturas irrationales exercere ullum influxum, physicum vel moralem, et concludit: « Solum ergo potest dici Christum influere in res omnes, et omnium esse Caput, vel quatenus omnibus dominatur, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus, ut Psalmo 8 dicitur, et de Christo exponitur a Paulo ad Eph. 1 et ad Hebr. 2; et hoc modo dicit Hieronymus ad Ephes., Christum esse Caput etiam dæmonum, quia est illorum Dominus et Princeps, et illis potest imperare; — vel quatenus, per Christi Incarnationem, res omnes quamdam dignitatem aut nobilitatem suscipiunt, ut supra q. 1. explicatum est; — vel certe quatenus omnibus uti potest ad bonorum salutem; — et præsertim quia, post diem judicii, per Christum omnia renovabuntur, et quemdam splendorem et incorruptionem accipient, propter quod dicitur ad Rom. 8, quod *expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, nam liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Propter quod Theodoretus et Œcumenius, exponentes illud ad Hebr. 2: *Ut pro omnibus gustaret mortem,* dicunt Christi mortem omnibus creaturis attulisse emolumentum. »

« Et ex his facilis est *secunda pars* conclusionis. Nam influxus, quem Christus habet in creaturas rationales, multo est alterius rationis et excellentior, quam sit influxus in creaturas irrationales. — Deinde Ecclesia tantum ex angelis et hominibus constans, dicitur proprie corpus mysticum Christi, ad quod non pertinent res aliæ inferiores, tanquam membra vel partes ejus, quia non vivunt spirituali vita hujus corporis, nec ad finem ultimum hujus reipublicæ ordinantur, quia revera non sunt capaces ejus, sed sunt quasi res, vel bona externa, huic corpori seu reipublicæ deservientia. — Proprie ergo Christus est *Caput* hujus Ecclesiæ; aliarum vero rerum dicitur *Dominus* aut *Princeps* magis quam Caput. Sicut rex in regno, vel paterfamilias in

domo, proprie dicitur caput hominum regni, vel familiæ; aliarum autem rerum, quibus illi homines utuntur, potius dicitur dominus, vel gubernator. »

Addi potest creaturas irrationales supernaturalem a Christo dignitatem accipere, sive in *ordine gratiæ*, prout in sacramentis pluribus a Christo assumptæ sunt, tanquam materia, ad gratiam Redemptoris hominibus conferendam; sive in *ordine gloriæ*, prout post ultimum judicium per claritatem supernaturaliter eis additam transformabuntur, ad accidentalem electorum beatitudinem, sicut dicit ipse Suaresius in loco proxime citato.

§ II.

De membris hierarchiæ cœlestis.

Quæritur 1°) Utrum B. V. Maria et S. Joseph pertineant ad ordinem unionis hypostaticæ, ita ut cum Christo constituant summam aliquam hierarchiam. 2°) Utrum omnes homines qui salvantur, assumantur inter angelorum hierarchias.

165. — **I. De personis quæ pertinent ad ordinem unionis hypostaticæ.**

Certum est hunc ordinem esse apicem totius supernaturalis ordinis gratiæ et gloriæ, sicut supra ostendimus n.° 144. Præterea certum est Christum hominem, cum sit ipse personaliter unitus divinitati, et sit Caput universæ hierarchiæ, occupare in ordine unionis hypostaticæ primum gradum, qui medium tenet inter Ordinem mere increatum, et totum ordinem mere creatum. Denique certum est B. V. Mariam, cum sit Mater Christi Dei, esse Filio suo propinquiorem per dona gratiæ et gloriæ ab eo accepta. Gratia enim Maternitatis divinæ est sublimissima omnium gratiarum post gratiam unionis hypostaticæ, et est ratio cæterorum donorum gratiæ et gloriæ, quibus Deus B. Virginem præ omnibus angelis et hominibus cumulavit. Inde Maria, intuitu meritorum Jesu Christi, fuit meliori modo quam cæteri Adæ posteri redempta, inquantum fuit non *liberata*, sed *præservata* a peccato originali et servitute diaboli. Est igitur sine ulla peccati macula, tota pulchra, tota plena gratiæ Redemptionis, ut ex gratiæ suæ plenitudine a Christo accepta, totam ditaret Ecclesiam, cujus Regina et mater est. Ergo omnes gratiæ Redemptionis a Jesu Christo fluunt sicut a Capite vel fonte, et per Mariam transeunt sicut per collum vel canalem, non quidem inquantum B. Virgo aliis communicet propriam gratiam, qua plena est, et sic minus plena ac dives fiat, sed inquantum Deus Mariam præ creaturis post Christum hominem tantopere dilexit ac gratia implevit, ut ab æterno decreverit se nullam gratiam hominibus concessurum, nisi ex Capitis Christi meritis et mediante intercessione gratissimæ Matris suæ, quemadmodum in Tomo III, Parte II, probabimus ex auctoritate traditionis a S. Alphonso de Ligorio collectæ.

Sed non ita certum est S. Josephum, virum Mariæ et putativum Christi patrem, tertium locum occupare in ordine unionis hypostaticæ, ac proinde in Ecclesia universali eminere gratia et gloria, præ omnibus angelis et hominibus. Est tamen opinio valde probabilis, fundata in communi fidelium sensu, atque in variis rationibus, quas in Tomo II, Parte II, referemus.

166. — **II. De beatorum hominum ordinatione in hierarchiis angelorum.**

Non ordinabuntur quidem quantum ad naturæ conditionem, qua in æternum angelis inferiores permanebunt, sed quantum ad supernaturalia dona gratiæ et gloriæ, sicut docet S. Thomas post S. Augustinum. Legitur in 1. q. 108, art. 8, corp.: « Ordines angelorum distinguuntur et secundum conditionem naturæ, et secundum dona gratiæ. Si ergo considerentur angelorum ordines solum quantum ad gradum naturæ, sic homines nullo modo assumi possunt ad ordines angelorum, quia semper remanebit naturarum distinctio. Quam quidam considerantes, posuerunt quod nullo modo homines transferri possunt ad æqualitatem angelorum, quod est erroneum; repugnat enim promissioni Christi dicentis Luc. 20 quod filii resurrectionis erunt æquales angelis in cœlis. Illud enim quod est ex parte naturæ, se habet ut materiale in ratione ordinis; completivum vero est quod est ex dono gratiæ, quæ dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturæ. Et ideo per donum gratiæ, homines mereri possunt tantam gloriam, ut angelis æquentur secundum singulos angelorum gradus, quod est homines ad ordines angelorum assumi. »

« Quidam tamen dicunt, quod ad ordines angelorum non assumuntur omnes qui salvantur, sed soli virgines, vel perfecti; alii vero suum ordinem constituent, quasi condivisum toti societati angelorum. Sed hoc est contra Augustinum, qui dicit 12. de Civ. Dei, cap. 1, quod non erunt duæ societates hominum et angelorum, sed una, quia omnium beatitudo est adhærere Deo. »

Objiciunt 1°) « Videtur quod homines non assumantur ad ordines angelorum. Hierarchia enim humana continetur sub infima hierarchiarum cœlestium, sicut infima sub media, et media sub prima. Sed angeli infimæ hierarchiæ nunquam transferentur in mediam, aut in primam. Ergo neque homines transferentur ad ordines angelorum. »

Respondet S. Thomas: « Dicendum quod gratia angelis datur secundum proportionem naturalium. Non autem sic est de hominibus, ut supra dictum est (1. q. 62, art. 6). Et ideo sicut inferiores angeli non possunt transferri ad naturalem gradum superiorum, ita nec ad gratuitum. Homines vero possunt ad gratuitum conscendere, sed non ad naturalem. »

Objiciunt 2°) « Ordinibus angelorum aliqua officia competunt, utpote custodire, miracula facere, dæmones arcere, et hujusmodi, quæ non videntur convenire animabus Sanctorum. Ergo non transferentur ad ordines angelorum. »

Respondit doctor angelicus: « Dicendum quod angeli, secundum naturæ ordinem, medii sunt inter nos et Deum. Et ideo secundum legem communem, per eos administrantur, non solum res humanæ, sed etiam omnia corporalia. Homines autem sancti, etiam post hanc vitam, sunt ejusdem naturæ nobiscum. Unde secundum legem communem non administrant humana, nec rebus vivorum intersunt, ut Augustinus dicit in lib. de Cura pro mort. agenda, cap. 13 et 16. Ex quadam tamen speciali dispensatione, interdum aliquibus Sanctis conceditur, vel vivis vel mortuis, hujusmodi officia exercere, vel miracula faciendo, vel dæmones arcendo, vel aliquid hujusmodi, sicut Augustinus in eodem libro dicit. »

§ III.

De membris hierarchiæ terrestris.

Quædam dicemus: 1°) de potestate a Christo Capite communicata Superioribus ecclesiasticis; 2°) de hierarchia inter Superiores ecclesiasticos a Christo instituta; 3°) de hierarchiæ Ecclesiæ christianæ analogia cum hierarchia Ecclesiæ judaicæ et cum hierarchia Ecclesiæ triumphantis.

167. — I. De potestate a Christo Capite communicata Superioribus ecclesiasticis.

De fide est ex bulla *Auctorem fidei* contra 2^um^ et 3^am^ proposit. conciliabuli Pistoriensis, potestatem ecclesiasticam ministerii et regiminis non derivari a communitate fidelium in pastores, sed *immediate* hanc a Christo profluere; et consequenter Ecclesiam non esse societatem democraticam et æqualem, sed inæqualem ac distinctam in clerum qui præest, et populum qui clero subest. S. Thomas in 3. q. 8, art. 6, duplicem distinguit Christi Capitis influxum in membra Ecclesiæ, scilicet interiorem per gratiam, et exteriorem per gubernationem; prior ipsi Christo proprium est, alter autem a Christo communicatur Ecclesiæ Superioribus qui ab ipso potestatem acceperunt regendi mysticum ejus corpus, et divinam gratiam subditis sibi membris in nomine Christi conferendi per administrationem Sacramentorum gratiam causantium ex opere operato, atque per divini verbi prædicationem.

Dicit ipse doctor angelicus ibid.: « Caput in alia membra influit dupliciter: uno modo, quodam *intrinseco influxu*, prout scilicet virtus motiva et sensitiva a capite derivatur ad cætera membra; alio modo secundum quamdam exteriorem gubernationem, prout scilicet secundum visum et alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiæ, non est ab aliquo, nisi a solo Christo, cujus humanitas, ex hoc quod est divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi. »

« Sed influxus in membra Ecclesiæ, quantum ad *exteriorem gubernationem*, potest aliis convenire. Et secundum hoc, aliqui alii possunt dari capita Ecclesiæ, secundum illud Amos 6: *Optimates, capita populorum;* differenter tamen a Christo. — Primo quidem quantum ad hoc, quod Christus est Caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum omnem locum, et tempus, et statum; alii autem homines dicuntur capita secundum quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum ecclesiarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiæ, scilicet tempore sui Pontificatus; et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. — Alio modo, quia Christus est Caput Ecclesiæ propria virtute et auctoritate; alii vero dicuntur capita, inquantum vices gerunt Christi, secundum illud 2. Cor. 2: *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi,* et secundum illud 2. Cor. 5: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* »

168. — II. De hierarchia inter Superiores ecclesiasticos a Christo instituta.

Hujus hierarchiæ considerari possunt 1°) convenientia; 2°) fundamentum; 3°) subjecta; 4°) objectum; 5°) effectus.

1°) Gloriæ Dei, et Ecclesiæ pulchritudini ac utilitati, convenit ut in ea hierarchicus ordo a Deo sit institutus, qui sit multiplex quidem, sed tamen ad unitatem redactus per primatum summi Pontificis.

Dicit S. Thomas in Suppl. q. 34, art. 1: « Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci posset. Et ideo ut in suis operibus repræsentaretur, non solum *secundum quod in se est,* sed etiam *secundum quod aliis influit,* hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima, ut Dionysius dicit. Et ideo,

ut ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis Sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes, sicut et in corpore naturali quædam membra aliis influunt. »

Item in q. 37, art. 1: « Ordinum multitudo est inducta in Ecclesia propter tria: *Primo* quidem propter Dei Sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maxime relucet, tam in naturalibus quam in spiritualibus; quod significatur in hoc, quod regina Saba videns ordinem ministrantium Salomoni, non habebat ultra spiritum, deficiens in admiratione sapientiæ illius. — *Secundo* ad subveniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quæ ad divina mysteria pertinebant, explere sine magno gravamine, et ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia. Et hoc patet per hoc, quod Dominus, Numer. 11, dedit Moysi septuaginta senes populi in adjutorium. — *Tertio*, ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit. »

2°) De convenientia Primatus supremi Pontificis S. Thomas dicit in Suppl., q. 40, art. 6: « Ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquid universale supra particularia regimina; quia in omnibus virtutibus et artibus, ut dicitur in 1. Ethic., cap. 2, est ordo secundum ordinem finium. Bonum autem commune est divinius quam bonum speciale; et ideo supra potestatem regitivam, quæ conjectat *(alias: communicat)* bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis; alias non posset esse colligatio ad unum. Et ideo, cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva, respectu totius Ecclesiæ, supra potestatem episcopalem, qua unaquæque specialis ecclesia regitur; et hæc est potestas Papæ; et ideo illi qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi divisores unitatis Ecclesiæ. Et inter Episcopum simplicem et Papam sunt alii gradus dignitatum, correspondentes gradibus unionis, secundum quos una congregatio vel communitas includit aliam, sicut communitas provinciæ includit communitatem civitatis, et communitas regni communitatem unius provinciæ, et communitas totius mundi includit communitatem unius regni ».

169. — 3°) Ordo hierarchicus fundatur in distinctione potestatis, sed non in distinctione gratiæ gratum facientis.

In Suppl., q. 34, art. 1, S. Thomas sequentem proponit *objectionem:* « Ordo invenitur in angelis propter distinctionem eorum in bonis naturalibus et gratuitis. Sed omnes homines sunt in natura unum; gratiarum etiam dona, quis eminentius habeat ignotum est. Ergo ordo in Ecclesia esse non debet. »

Respondet: « Dicendum quod ordo in angelis non attenditur secundum distinctionem naturæ, nisi per accidens, inquantum ad distinctionem naturæ sequitur in eis distinctio gratiæ. Attenditur autem in eis per se, secundum distinctionem in gratia, quia eorum ordines respiciunt participationem divinorum et communicationem in statu gloriæ, quæ est secundum mensuram gratiæ, quasi gratiæ finis et effectus quodammodo. Sed ordines Ecclesiæ militantis respiciunt participationem Sacramentorum et communicationem, quæ sunt causa gratiæ, et quodammodo gratiam præcedunt. Et sic non est de necessitate nostrorum ordinum gratia gratum faciens, sed solum potestas dispensandi Sacramenta; et propter hoc etiam ordo non attenditur per distinctionem gratiæ gratum facientis, sed per distinctionem potestatis. »

170. — 4°) De gradibus hierarchicis, seu ordinibus ab ipso Christo institutis.

Sunt Episcopatus, in quo Papa tenet primatum, Presbyteratus et Diaconatus. Cæteri ordines inferiores ab Ecclesia instituti sunt. Omnes isti ordines sacri constituunt *hierarchiam subjectivam*, quæ proinde definitur: *Ordo personarum secundum varios gradus ecclesiastica potestate pollentium.* De ea definivit Concilium Tridentinum in Sess. 23, can. 6: « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit. »

Hoc fundamento innixi, in Parte II probabimus sequentes propositiones, quæ ab inferiori gradu hierarchico incipiunt: a) Ordo *diaconorum* semper in Ecclesia exstitit, tanquam gradus sacer et hierarchicus, ab Episcoporum et Presbyterorum ordine distinctus. N.° 424. — b) Ordo *Episcoporum* semper a *Presbyterorum* ordine fuit distinctus, eique superior. N.° 423. — c) Christus Petro contulit primatum jurisdictionis, qui in Ecclesia perpetuus est, et in *Pontifice Romano* perseverat. N.° 427. — Hæc autem propositio de fide est ex Concilio Vaticano.

171. — 5°) De potestate hierarchica a Christo collata prædictis Ecclesiæ suæ ministris.

Hæc potestas, quæ a Theologis nuncupatur *hierarchia objectiva*, est vel potestas ordinis, vel potestas jurisdictionis. Potestas *ordinis* in genere definitur: Potestas conficiendi vel conferendi Sacramenta, vel sacramentalia, quam Christus, vel Ecclesia, alicui ordinum alligavit.

Potestas *jurisdictionis* ea est, qua quis ex Superiorum suorum ecclesiasticorum voluntate, jus acquirit in fideles tanquam in subditos, sive sint in sacris Ordinibus, sive non sint. Porro potestas ordinis dicitur quoque *Ministerium;* potestas autem jurisdictionis complectitur *Magisterium*, seu munus docendi, et *Imperium*, seu munus regendi, sive in foro interno conscientiæ, sive in foro externo. Igitur summatim distinguitur triplex potestas: Magisterium, Ministerium et Imperium, quæ correspondet triplici muneri Christi Capitis, nempe muneri Prophetæ seu *Doctoris*, ac muneri *Pontificis* et *Regis*.

Circa hierarchiam objectivam Theologi statuunt sequentes propositiones, quas in Parte II hujus Tomi probabimus: a) Christus Apostolis suis contulit Magisterium n.° 416, Sacerdotium n.° 418, et Imperium; quod Imperium est necessario legislativum, judiciarium et coercitivum, n.° 419.

b) Triplex hæc potestas est perpetua in Ecclesia, n.° 420.

c) Christus totam potestatem ecclesiasticam contulit Apostolorum collegio, cujus Petrus caput erat, iisque quædam privilegia personalia addidit, n.° 421.

d) Collegium Episcoporum successit Apostolorum collegio ratione Episcopatus, non vero ratione Apostolatus, n.° 422.

e) Ecclesiæ magisterium est infallibile in proponenda et conservanda Christi doctrina circa fidem ac mores, et in stabilienda universa disciplina, scilicet in condendis, legibus generalibus, quæ regunt externas fidelium actiones in ordine ad fidem et mores, n.° 417.

f) Judicium Romani Pontificis est per se infallibile, quando loquitur ex cathedra, nempe quando ut supremus Ecclesiæ Pastor et Doctor, aliquod punctum circa fidem vel mores, omnibus Ecclesiæ membris definitive proponit fide divina credendum, n.° 431.

172. — 6°) De effectibus potestatis hierarchicæ.

Docet Apostolus 2 Cor. 10, v. 5, et cap. 13, v. 10, potestatem fuisse ministris Ecclesiæ collatam ad ædificationem, et non ad destructionem. Ergo finis, seu effectus hierarchicæ potestatis est spiritualis ædificatio totius Ecclesiæ et singulorum ejus membrorum; itaque S. Paulus scribit quoque 1 Cor. 3, v. 9 et 10: *Dei enim sumus adjutores...; Dei ædificatio estis; secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat.* Atqui, hujus ædificationis exemplar nullum aliud esse potest, quam divinus Ordo unitrinus. Ergo finis, seu effectus hierarchicæ potestatis, est assimilatio ad supremum illud Exemplar. Hæc autem assimilatio habet tres gradus, scilicet purgationem, illuminationem et perfectionem, quæ correspondent tribus superioribus hierarchiæ gradibus ascendentibus, nempe Diaconis, Presbyteris et Episcopis, sicut docet S. Thomas post S. Dionysium in cap. 5 de Eccl. hier., quod postea referemus n.° 601.

Doctor angelicus dicit in Suppl., q. 37, art. 2, ad 1^{m}: « Dionysius loquitur de ordinibus secundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur; et ideo secundum actiones illas, tres ordines distinguit, quorum primus habet omnes tres (actiones hierarchicas) scilicet *Episcopus;* secundus habet duas, scilicet *Sacerdos;* sed tertius habet unam, scilicet purgare, ipse scilicet qui *Minister* dicitur, et sub hoc omnes inferiores ordines comprehenduntur. »

173. — III. **De analogia hierarchiæ christianæ in hac terra cum mosaica et cœlesti.**

A S. Dionysio describitur loco præcitato. Juxta illum, tres illæ hierarchiæ ordinantur ad repræsentandam perfectionem Dei unitrini, qui supremum est omnium Exemplar: et hæc repræsentatio fit tribus actionibus hierarchicis, nempe purgatione, illuminatione et perfectione. Jamvero perfectior divini hujus Exemplaris repræsentatio est hierarchia cœlestis; imperfectior est hierarchia legalis, seu mosaica; christiana autem, seu nostra hierarchia, medium tenet inter utramque. Igitur cœlestis hierarchia est exemplar secundarium hierarchiæ christianæ, et christiana hierarchia erat exemplar secundarium hierarchiæ judaicæ, quæ nostræ figura et umbra erat, sicut docet S. Paulus in 1 Cor. 10, v. 6: *Hæc autem in figura facta sunt nostri;* et ad Hebr. 10, v. 1: *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non imaginem* (exemplar) *rerum.* Item 8, v. 5: *Qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium, sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* (Exod. 25, v. 40 et Act. 7, v. 44).

Hæc analogia probabitur in Parte II hujus Tomi, n.° 464.

ARTICULUS IV.

DE TRINITATE ET PULCHRITUDINE HIERARCHIÆ UNIVERSALIS.

Cum universæ Ecclesiæ hierarchia sit exemplata juxta divinum Ordinem unitrinum, sicut modo dictum est, oportet ut trinitatem ubique exhibeat in sua unitate, seu universalitate, et sic repræsentet unitrinam divini Exemplaris pulchritudinem.

§ I.

De trinitate hierarchiæ universalis.

Trinitatem admirabimur in Ecclesiæ universæ 1°) partibus; 2°) statibus; 3°) qualitatibus seu notis.

174. — I. De trinitate in Ecclesiæ partibus. 1°) RECAPITULANTUR EA, QUÆ DE SACRA HIERARCHIA JAM DICTA SUNT.

Supra ostendimus universæ Ecclesiæ hierarchiam esse *supernaturalem creaturarum, sub Deo unitrino Principe et Jesu Christo Capite, ordinationem* ad divinam conformitatem, per gratiam et gloriam.

Vidimus quoque, *solas creaturas spirituales* esse hujus sublimis conformitatis formaliter capaces, ac proprie pertinere ad hierarchiam, et esse membra Ecclesiæ, seu mystici corporis Christi; *irrationales autem creaturas* materialiter tantum elevari posse ad statum supernaturalem, et tanquam media materialia in hierarchia ordinari ad supernaturale hominis bonum. Sic in ordine gratiæ, materia Sacramentorum, visiones corporales, miracula corporalia vel alii effectus supernaturales in corporibus aut per corpora producti, ordinantur ad nostram sanctificationem; et in ordine gloriæ, mundi innovatio inserviet ad accidentalem electorum beatitudinem.

Omnes igitur creaturæ in mundo universo contentæ, et divini Ordinis unitrini perfectionem repræsentantes per modum imaginis, vel per modum vestigii in ordine naturæ, possunt in universæ Ecclesiæ hierarchia elevari, secundum naturalem ipsarum capacitatem, ad supernaturalem statum gratiæ et gloriæ. Angeli, qui sunt puri spiritus, ad supernaturalem perfectionem, seu conformitatem cum Deo unitrino, elevantur mere spiritualiter; homines spiritu et corpore compositi, ad hanc elevantur principaliter quoad spiritum, et secundario quoad corpus; creaturæ mere materiales ac irrationales, materialiter tantum, et tanquam media materialiter supernaturalia, ordinari possunt ad supernaturalem hominis perfectionem ac beatitudinem.

Ergo totus mundi *ordo physicus, intellectualis* et *moralis* in universæ Ecclesiæ hierarchia elevatur, variis gradibus, ad supernaturalem cum divino Ordine unitrino conformitatem; et universæ hierarchiæ Caput, Exemplar ac finis est Jesus Christus, Verbum incarnatum, qui, ut Verbum, tenet medium Ordinis increati, atque ut homo, tenet medium totius ordinis creati seu mundi, ita ut utrumque ordinem substantialiter in sua persona conjungat in sublimissimo ordine unionis hypostaticæ, qui proinde harmonicum medium occupat inter Ordinem mere increatum, et ordinem mere creatum, extreme oppositos.

Ad ostendendum autem *quomodo supremi Hierarchæ Trinitas repræsentetur in hujus universæ hierarchiæ partibus*, sufficiet istas partes summatim enumerare.

2°) IN UNIVERSÆ ENIM HIERARCHIÆ APICE, SICUT SOL FULGET ORDO UNIONIS HYPOSTATICÆ.

Jam vero ille ordo tribus personis constat ad exemplar divinæ Trinitatis, cujus æqualem Ordinem inæqualiter imitatur. Primum hujus ordinis gradum occupat Jesus Christus, universæ hierarchiæ Rex, Caput, et fons omnem gratiam et gloriam influens in cætera membra corporis Ecclesiæ. Secundum gradum occupat B. V. Maria, Mater Christi, universæ Ecclesiæ Regina, quæ omnes gratias a Filio suo, per omnipotentem intercessionem suam nobis obtinendo, est veluti collum, seu canalis, per quem omnes gratiæ a Christo Capite profluunt, et felix cœli porta, per quam omnes electi in divinam gloriam ingrediuntur. Tertium locum occupat S. Joseph, vir Mariæ et nutritius Christi pater, qui tanquam primus Minister gratiæ ac fidelis in regno Christi dispensator, nobis liberaliter elargitur omnes gratias a Christo obtentas per B. V. Mariæ intercessionem.

3°) SUB ORDINE UNIONIS HYPOSTATICÆ, SIMUL INCREATO ET CREATO in Jesu Christo, cui conjunguntur Maria et Joseph, titulis qui ipsis solis proprii sunt, subjacet *ordo omnium rerum mere creatus*, divinam Trinitatem jam necessario repræsentans *naturaliter in ordine physico* complectente tres substantiarum gradus, nempe angelos, homines et creaturas irrationales. Sed angeli et homines possunt præterea divinam Trinitatem libere imitari naturaliter *in ordine intellectuali* et *morali*, tam privato quam sociali; ast hæc imitatio, in homine lapso, imperfectissima est sine Christi gratia naturam sanante et elevante.

Atqui, *trinus ille naturalis ordo physicus, intellectualis et moralis*, tam privatus quam socialis, in Christi Ecclesia tripliciter elevatur ad *supernaturalem* Dei unitrini assimilationem per Christi gratiam sanctificantem, habitus infusos ex gratia emanantes, et gratiam actualem, sicut superius explicatum est. Et per hanc Christi gratiam, non tantum individui homines, sed etiam familiæ et civitates, supernaturaliter in Ecclesia perficiuntur. *Ipsæ irrationales creaturæ* materialiter, ad statum supernaturalem elevantur tripliciter in sacramentis, in sacramentalibus, et in aliis symbolis sensibilibus, quæ in externo suo cultu ab Ecclesia hierar-

chice adhibentur, ad invisibilem gratiam significandam, hominesque ad Deum elevandos ac sanctificandos.

175. — II. De trinitate in Ecclesiæ statibus.

1°) ECCLESIA UNIVERSALITER SUMPTA, tanquam societas omnium colentium Deum unitrinum et Christum, *tres habet status* usque ad ultimum judicium duraturos; *militat* enim in terra, *patitur* in purgatorio, *triumphat* in cœlo; et omnia ejus membra in triplici isto statu existentia, arctissimo charitatis Spiritus sancti vinculo in communione sanctorum inter se uniuntur, sicut partes ejusdem corporis mystici, cujus Caput est Christus.

Sed post ultimum judicium, Ecclesia permanebit *in solo statu triumphante*, et gloriosam Civitatem constituet, in qua beati angeli et homines simul regnabunt, cum Deo et Christo, in æterno gloriæ ordine, qui totum divinæ Trinitatis opus ad extra immutabiliter consummabit.

2°) ECCLESIA MILITANS distinguitur iterum *in triplici statu;* nam, sub hoc respectu, est *patriarchalis, mosaïca* et *christiana* proprie dicta, quia pugnat post Christum, dum Ecclesia patriarchalis et mosaica pugnaverunt ante Christum, sed tamen ad christianam ecclesiam pertinent, cum Christum venturum ut Caput habeant, quemadmodum expresse docet S. Thomas in 3. q. 8, art. 3.

Sed ibid. *sequentem objectionem* proponit: « Sacramenta veteris Legis comparantur ad Christum, sicut umbra ad corpus, ut dicitur Coloss. 2. Sed Patres veteris Testamenti sacramentis illis suo tempore serviebant, secundum illud Hebr. 8: *qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium.* Non ergo pertinebant ad corpus Christi, et ita Christus non est Caput omnium hominum. » — *Respondet* doctor angelicus: « Dicendum quod sancti Patres non insistebant sacramentis legalibus, tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus et umbris futurorum. Idem autem est motus in imaginem, inquantum est imago, et in rem, ut patet per Philosophum in libro de Memor. et reminisc., cap. 2. Et ideo antiqui Patres, servando legalia sacramenta, ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eamdem, qua et nos in ipsum ferimur. Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus. »

Ergo omnes Sancti Ecclesiæ universæ sub veteri vel sub novo Testamento inter se conveniunt *in una forma gratiæ sanctificantis, quæ trina est fide, spe et charitate;* alii enim credebant, sperabant ac diligebant Christum venturum; alii autem credunt, sperant ac diligunt Christum adventum in humilitate, et rursus adventurum in gloria Patris, ad mundum judicandum. Communis autem effectus ejusdem gratiæ est omnium Sanctorum utriusque Testamenti unio et conformitas cum Deo ac Christo atque inter se. Verumtamen, licet gratia sit eadem specie, seu qualitate, in utroque Testamento, non est eadem quantitate, nam generatim loquendo multo abundantior est in novo Testamento quam in veteri.

176. — III. De unitate et trinitate in Ecclesiæ qualitatibus, seu notis.

Christiana Ecclesia *una* est, et in hac unitate est *catholica, apostolica* et *sancta.*

1°) ECCLESIA UNICA EST, ATQUE UNA ET TRINA IN SUA UNITATE.

Etenim una est, non tantum unitate numerica, inquantum unica est; sed etiam unitate compositionis et ordinis, inquantum tripliciter una est corpore, mente et voluntate, secundum illud ad Eph. 4, v. 4: *Unum corpus, et unus spiritus.*

Una est *corpore*, quia omnia ejus membra habent unum Caput in cœlo, scilicet Christum, et unum Caput in terra, scilicet supremum Pontificem, Christi vicarium.

Una est *mente*, quia omnia ejus membra unam eamdemque fidem profitentur, qua divinæ Menti et supremæ unique Veritati mente conformantur, sicut ibidem pergit Apostolus: *Unus Dominus, una fides, unus Deus et Pater omnium.*

Una est *voluntate*, quia omnia ejus membra animantur una eademque spe et charitate, quibus juxta Act. 4, v. 32: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*, et quibus voluntate conformantur divinæ Voluntati et supremæ unique Bonitati ac Charitati. Hanc triplicem Ecclesiæ unitatem indicat S. Thomas in 2. 2. q. 183, art. 2 ad 1^{m}.

2°) ECCLESIA CATHOLICA EST TRIPLICI CATHOLICITATE, nempe ratione membrorum, doctrinæ et extensionis.

Catholica est ratione *membrorum*, quæ sunt omnes homines, saltem potentiâ, nam omnes Ecclesiæ incorporari possunt, juxta illud Galat. 3, v. 28: *Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.*

Catholica est ratione *doctrinæ*, quæ omnes veritates complectitur, juxta illud Joan. 16, v. 13: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Catholica est ratione *extensionis* suæ ad omnia loca et omnia tempora, juxta illud Matth. ult.: *Euntes docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

3°) ECCLESIA APOSTOLICA EST TRIPLICI APOSTOLICITATE, nempe ratione originis, doctrinæ et successionis.

Apostolica est ratione *originis*, juxta Eph. 2, v. 20: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.*

Apostolica est ratione *doctrinæ*, quam ab apostolis accepit, qui hanc ipsi a Christo acceperunt; de Apostolorum prædicatione scripsit S. Paulus ad Rom. 10. v. 18: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

Apostolica est ratione *successionis* non interruptæ.

4°) ECCLESIA SANCTA EST TRIPLICI SANCTITATE, nempe ratione Capitis, mediorum et membrorum.

Ratione *Capitis* Christi, qui juxta Joan. 1, est plenus gratiæ et veritatis; de cujus plenitudine nos omnes accepimus.

Ratione *mediorum*, quorum præcipua sunt Sacramenta, abundantissimæ gratiæ canales.

Ratione *membrorum*, quæ majorem vel minorem sanctitatem a Christo accipiunt, juxta donationis ejus mensurationem et ipsorum cooperationem.

§ II.

De pulchritudine hierarchiæ universæ.

177. — Unitrina Ecclesiæ universæ hierarchia, juxta Deum unitrinum exemplata, mirabiliter repræsentat Pulchritudinem divini sui Exemplaris. *In ea enim resplendent tres pulchritudinis conditiones*, quas requirit doctor angelicus in 1. q. 39, art. 8, corp.: « Ad pulchritudinem tria requiruntur: Primo quidem integritas, sive perfectio; et debita proportio, sive consonantia; et iterum claritas. » — Atqui, perfectio appropriatur divinæ Essentiæ et Patri; claritas appropriatur Filio, qui est splendor Patris; consonantia appropriatur Spiritui sancto, qui est amor seu vinculum harmonicum Patris et Filii. — Breviter ergo videamus quomodo hierarchia Ecclesiæ universæ, per aliquam analogiam in se exhibet integritatem, claritatem et harmoniam supremi Exemplaris, atque vestigium divinæ Trinitatis.

I. **Hierarchia Ecclesiæ universæ integra est,** quia in se continet omnes creaturas sub Deo unitrino et Jesu Christo ordinatas ad trinam conformitatem analogicam cum Deo et Christo, per naturam, gratiam et gloriam. Etenim in Ecclesiæ universæ hierarchia, totus ordo mundi naturalis, scilicet ordo physicus, intellectualis et moralis, tam privatus quam socialis, qui jam naturaliter trinum Ordinem increatum repræsentat, elevatur ad supernaturalem cum eo conformitatem.

Ergo hierarchicus ac supernaturalis ordo Ecclesiæ universæ supponit totum ordinem naturalem et creatum, qui complectitur omnes creaturas cœli, terræ et purgatorii, exclusis solis reprobis in inferno, quorum tamen infelicitas ordinatur ad totius Ecclesiæ pulchritudinem, ad divinæ justitiæ manifestationem, atque ad gloriosum Christi et electorum suorum triumphum. — Complectitur ergo omnes creaturas spirituales, materiales, et mixtas materia et spiritu. Omnes autem creaturæ, quasi in compendio seu in minore mundo redactæ in sacra humanitate Jesu Christi, in ea et per eam cum supremo Ordine increato uniuntur ac conformantur, perfectissimo modo qui creaturæ possibilis est, nempe per unionem substantialem cum divina persona Verbi, per quod Deus Pater omnia rerum exemplaria intelligit atque vult in Spiritu sancto. — Unde Jesus Christus, totius hierarchiæ Ecclesiæ Caput, est simul medium harmonicum Ordinis increati, medium naturalis ordinis creati, et apex ordinis supernaturalis; est simul supremum omnium rerum Exemplar, secundum suam divinitatem, et suprema res exemplata, atque secundarium ac supernaturale omnium rerum exemplar, secundum humanitatem.

Atqui, nulla major ordinis integritas, seu perfectio excogitari potest.

Ergo hierarchia universæ Ecclesiæ supremo modo possidet primam pulchritudinis conditionem, ad quam refertur ejus *catholicitas, seu universalitas* superius explicata.

II. **Præterea hierarchia Ecclesiæ universæ summa fulget claritate;** nam integritas, seu perfectio ordinis ejus non manet ignota, sed *perfecte cognoscibilis est*, et *perfecte cognoscitur*.

1°) PERFECTIO UNIVERSÆ HIERARCHIÆ PERFECTE COGNOSCIBILIS EST, quia distinctio et convenientia ordinis ejus evidenter splendent omni intellectui illam contemplanti lumine Exemplarismi supernaturalis. — Etenim distinctio et convenientia in unitate ordinis hierarchici necessario apparent ex diversa et communi rerum conformitate cum Deo unitrino, per gratiam et gloriam; nam gradua *diversitas* hujus conformitatis est ratio necessaria distinctionis et inæqualitatis rerum in ordine supernaturali, sicut et in ordine naturali; et *communitas* hujus conformitatis analogicæ est ratio necessaria, qua res juxta unum idemque Exemplar exemplatæ, similitudine conveniunt cum Exemplari communi, et inter se.

2°) DEINDE PERFECTIO UNIVERSÆ HIERARCHIÆ PERFECTE COGNOSCITUR.

Etenim *a divino Ecclesiæ Artifice infinite cognoscitur in Verbo suo*, in quo semel et simul ab æterno concipit totum ordinem perfectionis rerum naturalem et supernaturalem, exemplatum juxta trinum Ordinem suum.

Præterea perfectio universæ hierarchiæ *finite cognoscitur ab ejus membris*, sive angelis, sive hominibus, qui supernaturaliter ab ipso Deo illuminati, hanc contemplantur imperfecte per fidem, et perfecte in beatifica ac immediata visione ipsius Ordinis exemplaris.

Solo enim *gratiæ et gloriæ lumine* conspici potest supernaturalis ordo Ecclesiæ; sed naturalis ordo mundi cognoscitur *lumine rationis naturalis*, et ex hujus mirabilis opificii cognitione, naturaliter concludi potest existentia potentissimi, sapientissimi et optimi ejus Artificis.

III. **Denique hierarchia Ecclesiæ universæ pulcherrima est, ratione mirabilis harmoniæ,** qua, ob prædictam cum Deo unitrino et Jesu Christo conformitatem, tota Ecclesia analogice convenit cum trino Ordine exemplari ac cum Christo, et qua singuli ejus status inter se conveniunt.

1°) Harmonia inter totam Ecclesiæ hierarchiam et trinum Ordinem exemplarem evidenter apparet ex trinitate, quæ in totali ejus unitate invenitur. Superius enim trinitatem conspeximus in Ecclesiæ partibus, statibus et notis præter unitatem.

2°) Harmonia inter omnia Ecclesiæ membra et Christum Caput ejus apparet in *esse* et in *operari* membrorum. Quoad *esse naturæ*, Christus ut homo naturaliter componitur spiritu et corpore; atqui, angeli cum eo conveniunt spiritu, et homines conveniunt spiritu et corpore. Quoad *esse gratiæ*, angeli et homines cum Christo conveniunt per gratiam sanctificantem. — Quoad *operationem*, omnis perfectio hominum in ordine gratiæ consistit in imitatione virtutum, quarum exemplum nobis in terra præbuit Christus; et omnis perfectio angelorum ac hominum in gloria cœlesti, consistit in participatione gloriæ Christi; omnes enim visione beatifica cum eo fruuntur, et præterea electi homines resurgent in glorioso corpore, sicut Christus. Vide 3. q. 8, art. 4, ad 1^{m} et 2^{m}.

3°) Harmonia inter varios Ecclesiæ status jam supra indicata est. S. Dionysius Areopagita aliique Patres et doctores scholastici in Parte II citandi, docent divinam Trinitatem esse Archetypum Ecclesiæ triumphantis, Ecclesiæ christianæ militantis et Ecclesiæ judaicæ, quæ, diversis gradibus perfectionis, illam imitantur, ita ut Ecclesia triumphans sit typus secundarius Ecclesiæ nostræ, et hæc judaicæ.

IV. Hierarchia igitur Ecclesiæ pulcherrima est, quia omnes pulchritudinis conditiones summe complectitur. — *Confirmatur ex* eo, quod Deus hierarchicum ordinem in Ecclesia instituit propter ejus pulchritudinem, sicut docet S. Thomas in 2. 2. q. 183, art. 2, corp., ubi de diversis statibus et officiis ecclesiasticis dicitur: « Hoc pertinet ad dignitatem et pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit. » Et ibid. art. 3, corp., ait doctor angelicus gradus hierarchicos ordinari ad Ecclesiæ pulchritudinem: « Alia *(distinctio diversitatis fidelium accipitur)* per respectum ad ordinem pulchritudinis ecclesiasticæ, et secundum hoc accipitur differentia graduum, prout scilicet in eodem statu vel officio unus est alio superior. » Confer etiam 1. 2. q. 112, art. 4, corp.

LIBER QUINTUS.

EXPLICATUR TRINA OMNIUM ORDINUM ANALOGIA.

178. — PROŒMIUM. — **Analogia ista est consequentia doctrinæ Exemplarismi.**

Hanc primam partem concludemus exponendo omnium ordinum analogiam, quæ ex divini Exemplarismi doctrina necessario resultat. Etenim si res creatæ omnes sunt analogice ac varie divinæ Formæ unitrinæ conformes per formas suas intrinsecas, et juxta illam varie ordinatæ, necessario sequitur trina variorum ordinum creatorum analogia cum divino Ordine et inter se.

Omnes ordines sibi invicem extreme opponuntur, sicut supra vidimus n.° 46. Datur enim extrema relationis oppositio inter ordinem increatum et creatum, materialem et spiritualem, substantialem et accidentalem, realem et idealem, physicum et moralem, necessarium et contingentem, naturalem et supernaturalem, particularem et universalem, privatum et socialem. Ex hac oppositione nascitur clara omnium ordinum *distinctio* ab invicem. Illorum autem omnium *analogia* inter se consistit in varia et universali ipsorum convenientia in *esse*, quod omnibus entibus competit, extra omne genus et omnem speciem. *Varietas* autem omnium entium fundatur in variis eorum formis, quæ intrinsece determinant ipsorum modum et ordinem essendi ac operandi, et quibus omnia entia creata diverse conformantur unicæ Dei Formæ trinoque ejus ordini.

Omnis enim forma substantialis tenet *medium* alicujus ordinis, cum sit media inter aliquod principium et aliquem finem. *Principium* istud est vel materia prima, quam forma actuat in essendo, vel Deus, qui materiam primam et formam substantialem omnium rerum ex nihilo produxit. *Finis* est primo substantialis unio materiæ et formæ, in aliqua re subsistente; vel finis est ulterius aliquod objectum, ad quod res, virtute formæ suæ, naturaliter inclinatur in physica operatione sua, seu in physico operandi ordine.

In hoc libro explicabimus trinam analogiam existentem 1°) inter totum ordinem exemplatum, et Ordinem exemplarem; 2°) inter omnes ordines exemplatos in majori mundo; 3°) in minori mundo, seu in homine. Breves erimus, quia universalis illa analogia latius evolvetur in Tomo II.

CAPUT I.

DE TRINA ANALOGIA INTER TOTUM ORDINEM EXEMPLATUM ET ORDINEM EXEMPLAREM.

Prænotanda. — I. Trinus ordo universalis, quem contemplatur divinus Exemplarismus, complectitur *trinum Ordinem increatum atque exemplarem divinarum personarum* et *trinum omnium rerum ordinem creatum atque exemplatum*, qui extreme sibi invicem opponuntur, et infinite distant quoad perfectionem, sed harmonice conveniunt *in trino ordine unionis hypostaticæ*, qui simul est increatus atque exemplaris, et creatus atque exemplatus; nam in Jesu Christo natura divina et natura humana, quæ est compendium totius naturæ creatæ, intime conjunguntur in una divinaque Verbi persona.

II. Tres prædicti ordines analogice trini sunt quia singuli constant *principio, medio* et *termino*, sed non eodem modo. Nam tres personæ divinæ, quæ principium, medium ac terminum trini Ordinis exemplaris constituunt, sunt æquales infinita perfectione ejusdem naturæ divinæ, ita ut *Ordo ipsarum sit omnino æqualis*, et non includat nisi originem unius personæ ab altera, sine ulla prioritate dignitatis vel temporis. Itaque nulla inter divinas personas existit *hierarchia*, cum coæternæ sint ac coæquales; sed Deus unitrinus est supremus *Hierarcha*, et prima Causa efficiens, exemplaris ac finalis trinæ hierarchiæ omnium creaturarum, *quarum ordo est inæqualis*, quia diversis perfectionis gradibus repræsentant exemplarem summæ Trinitatis Ordinem, ita ut trine disponantur in superiores, medias et inferiores, sive in cœlo, sive in terra.

III. Inter trinum Ordinem exemplarem et trinum ordinem exemplatum existit *ordo unionis hypostaticæ*, qui est supremus ordo creatus

et hierarchicus, constans tribus personis perfectione et dignitate prorsus inæqualibus, nempe *Christo homine personaliter unito Verbo Dei; B. V. Maria*, matre Christi; et *S. Josepho*, viro Mariæ, et nutritio Christi patre.

Christus homo est Caput internum omnis hierarchiæ cœlestis ac terrestris. Maria autem et Joseph, ratione propinquitatis suæ ad personam Christi, post ipsum occupant summum dignitatis ac perfectionis gradum, ita ut ordo unionis hypostaticæ trinam hierarchiam constituat omnibus hominibus atque angeli superiorem.

IV. Sub ordine unionis hypostaticæ, cæteri homines et angeli, trine et inæqualiter ordinantur in cœlesti ac terrestri hierarchia, vel potius in Christi Ecclesia, quæ complectitur totum trinum ordinem naturæ, elevatum ad trinum ordinem gratiæ et gloriæ.

Ecclesia autem usque ad ultimum judicium ordinatur in trino statu, secundum quod militat in terra, patitur in purgatorio et triumphat in cœlo.

V. Ex dictis manifestum est, realiter ac necessario existere trinam pulcherrimamque analogiam, *per modum principii, medii et termini*, inter trinum Ordinem exemplarem et trinum rerum omnium ordinem exemplatum, qui extreme oppositi sunt, sed harmonice conveniunt in trino ordine unionis hypostaticæ.

Trinam hanc analogiam breviter in tribus paragraphis explicabimus.

§ I.

De trino Ordine exemplari.

179. — Tres trinosque ordines in simplicissima et exemplari Dei Forma distinguimus.

Primo enim virtualiter in ea distinguimus trinum ordinem attributorum essentialium, quæ omnia ad hæc tria referuntur: *Esse, Intelligere ac Velle*, quæ habent rationem principii, medii et termini, quia spiritualis Essentia Dei est principium naturale spiritualis operationis ejus per Intellectum ac Voluntatem, tanquam per modum medii et termini, quia Deus non vult, nisi quod prius intelligit. — Atqui, Deus per modum naturæ suæ, seu physice ac necessario intelligit et vult *seipsum;* præterea *alia a se* necessario intelligit speculative, et vult libere seu moraliter. — Ergo trinus ordo divini Esse, Intelligere et Velle est *principium* duplicis operationis ratione objectorum quæ intelligit et vult, scilicet *operationis ad intra*, quæ ad ipsum Deum terminatur, et *operationis ad extra*, quæ ad creaturas terminatur. — Atqui, operatio ad intra a nobis concipitur tanquam *medium* operationis ad extra, quia Deus, intelligendo ac volendo seu diligendo seipsum, eodem actu intelligit et vult seu diligit alia a se. Operatio autem ad extra a nobis concipitur tanquam *terminus* operationis Dei, inquantum Deus aliud intelligere et velle non potest, nisi seipsum et alia a se. — Ergo divina Forma, seu Essentia, et duplex ejus operatio habent rationem *principii, medii* et *termini*. — Atqui, operatio Dei ad intra, connotata divinis relationibus personarum, terminatur ad productionem personarum Filii et Spiritus sancti; operatio autem ad extra, seu causalitatis, non connotata divinis personarum relationibus, complectitur causam efficientem, exemplarem ac finalem, et terminatur ad creationem trini ordinis omnium rerum præter Deum.

Ergo tres trinosque ordines in divina Forma unitrina et exemplari distinguimus, videlicet 1°) trinum ordinem virtualem divinorum *attributorum*, 2°) trinum Ordinem realem divinarum *personarum*, et 3°) trinum ordinem virtualem *causalitatis* efficientis, exemplaris et finalis, ex quo producitur trinus totusque ordo creatus atque exemplatus.

§ II.

De trino omnium rerum ordine exemplato.

180. — Ordo omnium creaturarum trinus est, inquantum trinum Ordinem repræsentat in tribus generalissimis perfectionis gradibus, qui sunt natura, gratia et gloria, tanquam fundamentum, medium ac terminus omnis perfectionis creatæ. — Natura enim est *principium* essentialiter immobile, seu immutabile, omnis perfectionis naturalis, et *fundamentum* omnis perfectionis supernaturalis et accidentalis, quæ naturam elevat ad perfectionem gratiæ, tanquam ad *medium* perveniendi ad *terminum* supernaturalem gloriæ.

I. **De trino naturæ ordine.**

Ordo naturæ trinus est, inquantum realiter distinguitur in physicum, intellectualem et moralem, per modum principii, medii ac termini, ad exemplar divini Esse, Intelligere et Velle.

Etenim 1°) ordo physicus ac naturalis est primum principium intrinsecum omnis perfectionis naturalis, quia trine in se continet *essentias, potentias* et *primigeniam operationem* omnium creaturarum.

Jam vero creaturarum *essentiæ physicæ, seu naturæ*, trine iterum ordinantur, cum omnes creaturæ sint essentialiter vel *mere spirituales*, vel *mere materiales*, vel *materia et spiritu compositæ*, sicut est sola natura humana, tanquam medium harmonicum totius naturæ creatæ. —

Creaturæ materiales divinam Trinitatem repræsentant *per modum vestigii;* creaturæ spirituales illam repræsentant *per modum imaginis*, et homo, utroque modo.

Similiter *potentiæ operativæ* omnium creaturarum sunt *vegetativæ, sensitivæ* et *intellectivæ*.

Consequenter *operatio* harum potentiarum trina est, secundum quod vegetat solum corpus, vel sentit omnia corpora, vel intelligit ac vult omnia.

2°) ORDO INTELLECTUALIS competit solis creaturis rationalibus, quæ ad imaginem Dei unitrini sunt spirituales, et spiritualiter intelligunt ac volunt.

Ordo intellectualis, seu liberæ operationis intellectus, supponit actum physicum, primigenium ac necessarium, quo intellectus directe capit, seu intuetur sine discursu, evidentia ordinis intellectualis principia, quæ sunt naturalia ejus objecta, et a quibus incipit liber discursus rationis.

Ordo intellectualis est trinus, inquantum complectitur *rationem cognoscibilium*, seu scientiarum; *rationem factibilium*, seu litterarum et artium; et *rationem agibilium*, seu virtutum. — Trina autem ratio est recta, secundum quod conformatur divinæ Rationi exemplari, et rebus divinæ Rationi conformibus.

Ordo intellectualis est medius inter ordinem physicum, a quo oritur, et ordinem moralem ad quem terminatur, nam sine medio practici intellectus judicio et morali ejus influxu, voluntas nihil moraliter eligeret.

3°) ORDO MORALIS est terminus ordinis intellectualis, tum quia practici intellectus judicia ordinantur ad determinandas liberas voluntatis electiones; tum quia scientiæ et artes ad virtutes exercendas ordinandæ sunt.

Ordo moralis trinus est, quia consistit in trini appetitus intellectivi, concupiscibilis et irascibilis subordinatione ad rectam rationem agibilium.

Supponit actum physicum, quo voluntas necessario intendit bonum universale, tanquam finem ultimum, et proprie incipit ab actu morali ac libero, quo voluntas, per intellectum practicum determinata, eligit bona particularia. Inde *principium* ordinis moralis est voluntas libera; *medium* est Lex divina, quæ est regula seu norma actuum liberorum voluntatis; *terminus* est actus divinæ Legi conformis, ac proinde rectus et honestus.

Ordo moralis est *privatus*, vel *socialis*, secundum quod intendit moralem individuorum vel societatum perfectionem, quæ consistit in observatione legum socialium divinæ Legi et rectæ rationi conformium. — *Ordo socialis* est trinus inquantum complectitur societatem *religiosam*, *domesticam* et *civilem*.

II. **De trino gratiæ ordine.**

Ordo gratiæ est divina elevatio totius ordinis naturalis, nempe physici, intellectualis, moralis et socialis, ad perfectionem supernaturalem.

In ordine physico, essentia animæ justæ elevatur per gratiam sanctificantem, quæ est physica forma accidentalis et supernaturalis, essentiæ animæ adjiciens esse divinum; *potentiæ animæ* elevantur habitibus infusis gratiam sanctificantem comitantibus; et gratia actualis potentias, habitibus infusis dispositas, adjuvat ad eliciendos supernaturales horum habituum *actus*.

In ordine intellectuali et morali, actualis gratia prævéniens, animæ proponit aliquem actum supernaturalem a Deo intentum, et illuminationibus, inspirationibus aliisque motionibus physice productis in potentiis, voluntatem moraliter determinat ad consentiendum actui virtutis, quem deinde consentiens ponit cum physico gratiæ adjuvantis auxilio.

In ordine sociali, societas religiosa, seu Ecclesia, ad perfectionem supernaturalem elevatur tanquam corpus mysticum per gratiam ei communicatam a Christo, sicut a Capite; et a Spiritu sancto, sicut a Corde. — Societas autem domestica in Ecclesia sanctificatur, et societas civilis per suam subordinationem ad Ecclesiam in rebus fidem, mores et disciplinam spectantibus, obtinet perfectionem ac prosperitatem naturalem atque supernaturalem, quæ est ipsius finis.

III. **De trino gloriæ ordine.**

Ordo gloriæ trinus est 1°) quia in eo distinguitur gloria essentialis, gloria accidentalis animæ, et gloria accidentalis corporis. 2°) Gloria essentialis est consummatio operationis supernaturalis gratiæ. *Essentia animæ Beatorum* ad hanc perfectiorem operationem supernaturalem sufficienter disponitur per gratiam sanctificantem, quæ est principium intrinsecum vitæ supernaturalis ac divinæ, sive secundum gratiam in via, sive secundum gloriam in patria æterna.

Sed *potentiæ animæ Beatorum* ad consummatos actus gloriosos disponuntur per gloriosos *habitus luminis gloriæ, comprehensionis*, ac *fruitionis*, quibus continuo æterneque eliciunt actus beatificæ visionis, comprehensionis et fruitionis, in quibus consistit gloria essentialis Beatorum. — Tres illi actus constituunt trinum ordinem gloriæ essentialis. Principium hujus ordinis est visio beatifica, ex qua necessario sequuntur actus comprehensionis et fruitionis.

Hæc omnia sunt *ordinis physici* elevatio per gloriam.

3°) Ordo intellectualis et moralis, per gloriam elevantur, inquantum permanente sua libertate, intellectus Beatorum confirmatur in vero cognoscendo, et voluntas confirmatur in bono morali semper eligendo. Itaque non amplius in Beatis requiritur auxilium transiens gratiæ actualis.

Demum *ordo socialis* per gloriam elevatur in Ecclesia triumphante.

§ III.

De trino ordine unionis hypostaticæ, et Ecclesiæ Christi.

181. — I. **Ordo unionis hypostaticæ est culmen ordinis supernaturalis,** quia unio naturæ humanæ cum natura divina in persona Verbi, incomparabiliter superat omnia gratiæ ac gloriæ dona, quæ hucusque explicavimus.

Ordo unionis hypostaticæ trinus est tribus modis, quos supra exposuimus n.° 145, scilicet ratione unionis duarum naturarum in aliquo tertio, scilicet in persona Verbi; vel ratione trium substantiarum, nimirum substantiæ materialis, substantiæ spiritualis et substantiæ divinæ in unica Verbi persona; vel ratione trium personarum, nempe Jesu, Mariæ et Josephi, quæ ordinem unionis hypostaticæ in tribus dignitatis ac perfectionis gradibus magnopere distantibus constituunt, ita ut inter divinam Trinitatem et totum ordinem creatum, efforment primam hierarchiam, qua mediante, Deus unitrinus totam Ecclesiam regit illamque omnibus gratiæ et gloriæ donis ditat atque decorat.

Christus enim ut homo est Ecclesiæ Caput et Rex, cui divina Trinitas, seu supremus Hierarcha, omnem potestatem dedit in cœlo et in terra; *B. V. Maria,* Mater Christi, est Ecclesiæ Regina; *S. Joseph,* Vir Mariæ et pater nutritius Christi, est primus Minister gratiæ in universali Ecclesia.

II. **Ordo Ecclesiæ Christi** est trinus, inquantum continet totum trinumque ordinem naturæ, ad perfectionem gratiæ et gloriæ elevatum in trino statu, usque ad ultimum Judicium, videlicet in *Ecclesia militante, patiente* ac *triumphante.*

Ordo Ecclesiæ est hierarchicus, quia sub principatu supremi Hierarchæ unitrini, constituitur tribus hierarchiis, scilicet trina hierarchia ordinis hypostatici, trina hierarchia Ecclesiæ triumphantis in cœlo, et trina hierarchia Ecclesiæ militantis in terra.

III. **Ordo ipsius inferni.**

Infernus, in toto mundo naturali, infimum occupat locum. Ab illo excluditur omnis ordo perfectionis supernaturalis, et omnis moralis ac voluntarius ordo ad Deum, quia dæmonum ac reproborum voluntas in æternum a Deo aversa est, atque in malo morali confirmata.

Dæmones conservant tamen suos ordines ac potentias naturales, et aliquam constituunt ecclesiam diabolicam ad malum ordinatam, cujus caput est Lucifer, princeps omnium superborum, qui contra Deum ab initio mundi rebellantur. Sed non obstante hac oppositione, ipse infernus a Deo ordinatur ad gloriam suam, manifestando justitiam suam, sicut electi manifestant misericordiam; ordinatur insuper ad ultimum æternumque triumphum Christi et electorum ejus, atque ad totius mundi pulchritudinem; nam sicut umbra auget lucis claritatem, ac confert ad mundi corporei decorem, ita inferni tenebræ interiores et exteriores, oppositione sua, splendidiorem faciunt internam externamque Beatorum gloriam, et sic ad spiritualem mundi pulchritudinem concurrunt.

Omnia, quæ in his tribus paragraphis explicavimus, clarius oculis patebunt in sequenti schemate.

SCHEMA PRAEDICTAE ANALOGIAE,

SEU TRINI ORDINIS HIERARCHICI OMNIUM RERUM.

182. — In hoc schemate indicatur ordo dignitatis, seu *descendens*, qui inversus est ordini perfectionis acquirendæ, seu *ascendenti*. Supremum autem omnis perfectionis et ordinis Exemplar est divina Trinitas.

I. TRINUS ORDO EXEMPLARIS ET ÆQUALIS.

1°) Pater, 2°) Verbum, 3°) Spiritus sanctus, seu *divina Trinitas, Ordo per se*, et prima omnis ordinis *Causa efficiens, exemplaris* ac *finalis*. — *Supremus Hierarcha*, extra omnem hierarchiam infinita Majestate elevatus; omnia, mediante Christo homine, regens in Ecclesia et in toto mundo. — In Deo virtualiter distinguitur trinus et *exemplaris ordo physicus, intellectualis* et *moralis*.

II. TRINUS ORDO UNIONIS HYPOSTATICÆ, IN CHRISTO EXEMPLARIS ET EXEMPLATUS.

1°) Christus homo, hypostatice Deo unitus, *Caput Ecclesiæ*, seu primum Principium intrinsecum hierarchiæ universalis, et in Dei regno Rex, cui divina Trinitas omnem potestatem dedit in cœlo et in terra. — *Solus Mediator justitiæ* inter Deum et homines, gloriam et gratiam, tanquam Deus, influit per suam humanitatem in Ecclesiam, quæ est mysticum ipsius corpus. — Est homo perfecte juxta Deum unitrinum *exemplatus*, et perfectum *Exemplar* nostrum.

2°) B. V. Maria, Mater Christi et Ecclesiæ, *Regina in regno Dei*, gratia plena et *Mediatrix gratiæ*.

3°) S. Joseph, vir Reginæ, nutritius Regis pater, et *primus Minister gratiæ* in regno Dei.

1°) Ecclesia triumphans in cœlo, quæ *constituitur trina hierarchia*,

CAPUT II.

DE TRINA ANALOGIA INTER VARIOS ORDINES EXEMPLATOS IN MAJORI MUNDO.

Totius ordinis exemplati analogia cum trino Ordine exemplari, est fundamentum trinæ analogiæ variorum ordinum exemplatorum inter se. Communis enim ipsorum *analogia* in eo fundatur, quod omnes isti ordines idem supremum Exemplar unitrinum repræsentant, et eorum *varietas* in eo fundatur, quod singuli hoc Exemplar diversis modis repræsentant, ita ut in unitate *universalis ordinis* exemplati, necessaria, trina pulcherrimaque in singulis *ordinibus particularibus* varietas resplendeat, per modum principii, medii et termini.

Breviter in præsenti Capite explicabimus trinam analogiam existentem inter ordinem 1°) materialem et spiritualem; 2°) essentialem et operativum; 3°) naturalem et supernaturalem; 4°) particularem et universalem; 5°) realem et intellectualem; 6°) physicum et moralem; 7°) privatum et socialem.

§ I.

De trina analogia inter ordinem materialem, et ordinem spiritualem.

183. — Res *materiales* vestigia sunt Trinitatis creatricis; res vero *spirituales* sunt imagines ejusdem Trinitatis divinæ, sicut infra probabitur n.° 313. Ambæ igitur eamdem Causam unitrinam repræsentant diversimode. Homo autem, qui substantialiter materia et spiritu componitur, est simul vestigium et imago Dei unitrini. Ergo omnes creaturæ debent inter se convenire in trina et varia divinæ Trinitatis repræsentatione, non quidem generice, nec specifice, sed tantum analogice. Ergo trina intercedere debet ordinis analogia inter res materiales et spirituales.

Porro hæc analogia est verum Symbolismi fundamentum in litteris, in artibus et in sacra liturgia; nam ratione prædictæ analogiæ, res materiales sunt signa sensibilia rerum spiritualium, tam in ordine naturali, quam in ordine supernaturali, ita ut per visibilia ad invisibilium amorem rapiamur, quemadmodum canit Sancta Ecclesia in Præfatione festi Nativitatis Domini. De genuino hoc Symbolismo agemus in Tomo IV.

§ II.

De trina analogia inter ordinem seu lineam essendi, et lineam operandi.

184. — I. Primum perfectionis principium intrinsecum, in utraque linea, est rei forma substantialis. Etenim *substantialis forma* est simul principium proximum quo res *existit*, et principium remotum quo *operatur;* unde necessaria datur analogia inter ordinem essendi et operandi, cum res omnis non possit de se operari, nisi juxta formam suam substantialem, seu naturam. Diximus *de se*, quia cum supernaturali auxilio gratiæ actualis, possumus supra naturam nostram operari.

Ait S. Thomas in 1. q. 5, art. 5, corp.: « Ad formam consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid hujusmodi, quia unumquodque, inquantum est actu, agit et tendit in id, quod sibi convenit secundum suam formam, et hoc pertinet ad pondus et ordinem. »

II. Porro hæc analogia trina est in utraque linea. Nam *in linea essendi*, tria in re creata et subsistente distinguimus reali distinctione modali, sicut ostendemus in Tomo III, Parte II; nempe *substantiam*, cujus forma specificat esse rei, *existentiam*, seu ipsum esse rei, et *subsistentiam*, qua res est sui juris et incommunicabilis.

Similiter *in linea operationis*, tria distinguuntur, scilicet primo *potentiæ operativæ*, quæ a forma substantiali emanant tanquam proprietates naturales, et sunt proxima operationis naturalis principia; secundo *habitus* disponentes potentias ad moraliter operandum; et tertio *actus*.

§ III.

De distinctione et trina analogia ordinis naturalis, et ordinis supernaturalis.

185. — I. **De utriusque ordinis distinctione.** Ordo perfectionis creaturarum, tam in essendo quam in operando, est *naturalis* vel *supernaturalis*, secundum quod creatura spiritualis Deo unitrino analogice conformatur *in mensura* vel *supra mensuram perfectionis naturæ suæ*, sive in essendo, sive in operando. Unde licet ordo perfectionis naturalis, et ordo perfectionis supernaturalis per gratiam et gloriam, veluti infinite differant specie, quia in utroque ordine, creatura divinum Exemplar unitrinum imitatur diversis modis seu gradibus quasi infinite distantibus, tamen ambo ordines analogice conveniunt, quia ordinantur ad re-

præsentandam perfectionem ejusdem trini Ordinis exemplaris.

r *Perfectio naturæ* est fundamentum, sive subjectum *perfectionis supernaturalis*, quæ est complementum prorsus indebitum ac gratuitum conformitatis creaturæ cum Deo. Dicit S. Thomas in 1. q. 108, art. 8, corp.: « Illud enim quod est ex parte naturæ, se habet ut materiale in ratione ordinis *(angelici)*; completivum vero est quod est ex dono gratiæ, quæ dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturæ. » Et q. 109, art. 1, corp.: « Gratia vero habet duplicem statum, scilicet imperfectum, qui est status merendi, et perfectum, qui est status gloriæ consummatæ. »

II. **De utriusque ordinis analogia cum trino Ordine exemplari, et inter se.**

Perfectio Ordinis exemplaris in hoc fundatur, quod, juxta nostrum concipiendi modum, divina Forma *est, intelligit* ac *diligit* seipsam et alia a se, juxta seipsam et propter seipsam.

Porro *naturalis conformitas creaturæ spiritualis cum Forma unitrina* in hoc consistit, quod illa creatura *est* spiritualis, juxta modum suum naturalem per formam suam substantialem, et *intelligit* ac *diligit* seipsam, alia a se, et ipsum Deum, unum Essentia et trinum attributis operativis, tanquam primam Causam ordinis naturalis, super omnia dilectum. — Creatura enim, etiam in ordine naturali, non est nec operatur a seipsa, juxta seipsam et propter seipsam, sed a Deo, juxta Deum et propter Deum.

Supernaturalis autem conformitas in hoc consistit, quod spiritualis creatura *est* supra modum suum naturalem, per formam aliquam accidentalem ac supernaturalem, formæ substantiali superadditam, quæ vocatur gratia sanctificans. Consistit præterea in eo, quod spiritualis creatura, mediantibus habitibus infusis, supra modum naturæ suæ *intelligit* ac *diligit* Deum unum Essentia et trinum personis, ut Causam ordinis supernaturalis, atque omnia alia ab eo et seipsam, intelligat ac diligat juxta Deum et propter Deum.

III. **De proportione inter utrumque ordinem.**

In angelis, perfectio supernaturalis gratiæ et gloriæ proportionatur perfectioni naturali. — *In homine* autem, perfectio gloriæ proportionatur perfectioni gratiæ, nam dicit S. Thomas in Suppl. q. 34, art. 1, ad 3^{m}: « Gloria est secundum mensuram gratiæ, quasi gratiæ finis et effectus quodammodo. »; sed perfectio gratiæ non proportionatur perfectioni naturæ. Confer. S. Thomam, 1. q. 62, art. 6, corp., et ad 3^{m}; item q. 108, art. 4, corp.

§ IV.

De trina analogia inter ordines particulares, et ordinem universalem.

186. — I. Ordo individuorum, ordo specierum, et ordo generum, analogice cum ordine universali conveniunt in esse.

Omnis ordo est relatio ad aliquod principium, quæ fundatur in aliqua convenientia ordinatorum cum suo principio. — Atqui, in ordine creato, hæc relatio complecti potest vel aliquas partes, vel omnes partes mundi. Si relatio convenientiæ complectatur aliquas tantum mundi partes, datur ordo *particularis;* si vero complectatur omnes mundi partes, et omnem earum perfectionem, datur ordo *universalis.*

Ipse ordo *particularis*, si in hoc sensu intelligatur, est trinus, inquantum est vel singularis, vel specificus, vel genericus, secundum quod complectitur varias individui partes convenientes in aliqua forma substantiali, tanquam in suo communi principio, vel plura individua convenientia in eadem specie, vel plures species convenientes in eodem genere. *Universalis* autem ordo complectitur omnia rerum genera convenientia in esse, quod est extra omnem speciem et omne genus, quia omnia entia singularia diversarum specierum et diversorum generum, in esse conveniunt. — Atqui, convenientia in esse dicitur analogia. — Ergo omnia quæ continentur in trino ordine particulari, analogice conveniunt in ordine universali. — Ergo datur analogia inter tres ordines particulares, et ordinem universalem illos continentem.

Hæc autem trinitas partium in unitate totali ac completa, est præclarum divinæ Trinitatis vestigium.

II. Tres ordines particulares trinis perfectionis gradibus constant, sicut ordo universalis.

Analogia inter ordinem perfectionis particularis et ordinem perfectionis universalis, insuper trina est, quia res omnes et singulæ trinis gradibus inæqualiter repræsentant perfectionem Ordinis unitrini, omnium ordinum exemplaris.

Jam vidimus vestigia divinæ Trinitatis in *universali* ordine essendi et operandi, quo cunctæ res creatæ repræsentant analogice supremi Exemplaris perfectionem, inquantum disponuntur in superiores, medias et inferiores.

Trina hæc perfectionis gradatio invenitur quoque in *particulari* ordine singulari, specifico et generico. *In singulis* enim, sicut et *in omnibus* rebus, reperitur initium, medium seu progressus, et terminus perfectionis. Deinde *genera* et *species* dividuntur in suprema, media et infima, secun-

dum quod res creatæ *conveniunt* inter se, vel *differunt* aliqua essentiali qualitate, quæ mutat speciem rei.

Genus supremum est illud, quod omnibus præest, et nulli alii generi subjicitur; verbi gratia, substantia. — Genera *media* sunt illa, quæ subjiciuntur superiori, et simul præsunt inferioribus; verbi gratia, corpus vivens. — Genus *infimum* est illud, quod nulli generi, sed solis speciebus præest; verbi gratia, animal. — Genera media, et genus infimum, possunt esse genus relate ad species sibi subjectas, et species relate ad genus superius. Porro genus dicitur *proximum*, si referatur ad species, quæ sub eo immediate ponuntur, et *remotum*, si referatur ad species mediate, per alias species.

Species suprema est illa, quæ supra se aliam speciem non habet, ut corpus. — *Species media* est illa, quæ tam supra se quam infra se, habet aliam speciem, ut animal. — *Species infima* est illa, quæ sub se non habet ullam speciem, sed tantummodo res singulares; ergo nunquam est genus; talis est, verbi gratia, homo vel equus.

Hos generum et specierum gradus disposuit Porphyrius in quodam schemate, quod omnes norunt sub nomine tabulæ Porphyrii.

§ V.

De distinctione ac trina analogia ordinis realis, et ordinis rationis.

187. — I. De utriusque ordinis distinctione. 1°) Ordo realis complectitur omnes effectus in esse productos, vel a prima Causa per intellectum ac liberam voluntatem, vel sub primæ Causæ influxu a causis secundis productos, sive per modum naturæ, scilicet ex physica et necessaria naturæ inclinatione, sive per liberam intellectus ac voluntatis operationem; aliis verbis, complectitur omnia quæcumque divini Artificis opificia in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ, et omnes divinorum opificiorum effectus, sive necessarios in ordine physico, sive liberos in ordine intellectuali artium, vel in ordine morali; nam quidquid a creatura fit, in quocumque ordine perfectionis, est effectus seu actus, qui produci nequit nisi ex primæ Causæ influxu.

2°) Ordo rationis complectitur omnes conceptus speculativos aut practicos, in intellectu increato vel creato dispositos.

In Deo, ordo rationis non distinguitur realiter, sed solum virtualiter, ab ordine reali; nam ordo Rationis divinæ est ipsa Dei Forma realissima seipsam intelligens, sive absolute, prout ipsa est et operatur in se; sive relative ad alia a se, prout speculative imitabilis est, vel practice imitanda variis modis in essendo aut operando, a rebus aliis a se. Unde varii modi imitationis suæ in essendo vel in operando, a Deo unitrino intellecti, si considerentur in ordine *intentionis*, realiter non distinguuntur ab ipso Deo.

Sed si considerentur in ordine *exsecutionis*, seu *in rebus a Deo creatis*, isti modi sunt *intellectuales* vel *reales*, secundum quod creatura imitatur Deum res intelligentem vel efficientem; nam inter illos, alii sunt intellectuales, speculative vel practice; alii sunt reales vel physice, vel artificialiter, vel moraliter; alii naturales, alii supernaturales, et causantur eodem modo quo Deum imitantur, nempe vel necessario per modum naturæ, vel libere per modum moralem, naturalem aut supernaturalem.

II. De trina utriusque ordinis analogia.

Magna existit convenientia inter *ordinem realem*, et *rationalem speculativum vel practicum*. Nam 1°) in Deo ambo illi ordines, quos virtualiter tantum, distinguimus, realiter sunt eadem Forma divina, intelligens vel intendens varios modos a seipsa ordinatos ad sui imitationem. Necessaria igitur existit convenientia similitudinis inter divinam Formam realissimam et modos suæ imitationis, ab ipsa speculative intellectos, vel practice intentos.

2°) In creaturis existit analogia inter ordinem *realem*, et ordinem *rationis speculativum*. Nam prima ordinis speculativi principia sunt communes notiones speciei, generis et differentiæ, quæ sunt qualitates essentiales et communes, realiter existentes in pluribus individuis. — Atqui, notiones istæ communes, vel ab ipso rerum omnium Creatore naturaliter inditæ sunt intellectui angelico, vel a rerum sensibilium phantasmatibus abstrahuntur ab intellectu humano. Ergo mediantibus his notionibus communibus, seu speciebus intelligibilibus, intellectus creatus conformatur rebus, quas speculative cognoscit. — Ergo magna existit analogia inter ordinem rerum et ordinem conceptuum creaturæ intelligentis, seu inter esse reale et esse intellectuale. In hac autem analogia, seu æquatione rei cognitæ et intellectus cognoscentis, consistit cognitionis veritas, et fundatur cognitionum certitudo.

Præterea existit analogia inter ordinem *rationis practicum*, seu exemplarem, et *realem ordinem operum moralium, aut opificiorum artificialium* juxta practicas rationes exemplatorum, sicut manifestum est. Et in hac analogia, seu æquatione, consistit veritas et perfectio prædictorum operum vel opificiorum.

3°) Insuper *trinitas*, seu principium, medium et terminus, ubique inveniuntur *in ordine ra-*

tionis, sicut *in ordine reali*. Trina enim est tota operatio nostra intellectualis, cum consistat in conceptibus, in judiciis et in ratiociniis.

a) **Conceptus** iterum trini sunt, nempe conceptus speculativi, qui sunt principia ordinis logici et scientiarum speculativarum; conceptus artistici, seu ideæ proprie dictæ, quæ sunt principia ordinis artium; conceptus morales, qui sunt principia ordinis virtutum.

b) **Judicia** quoque trina sunt, inquantum tribus constant elementis, scilicet subjecto, copula, seu verbo *est* vel *non est*, et attributo.

c) **Ratiocinia** ipsa trina sunt, quia omnia reducuntur ad syllogismum tribus partibus constantem, scilicet majore, minore et conclusione.

4°) Denique trinitas reperitur in conceptuum nostrorum origine, seu in *conceptione intellectuali*, sicut in *conceptione corporali*, juxta scholasticum effatum: « Ex objecto et potentia paritur notitia »; unde in stylo biblico, verbum *cognoscere* simul indicat actionem copulativam, qua fit utraque conceptio. Nam 1°) in conceptione intellectuali, intellectus passivus et concipiens, se habet ut matrem; 2°) objectum agens in intellectum, se habet ut patrem; species intelligibilis, ex objecti phantasmate abstracta ab intellectu agente, et recepta in intellectu possibili, quem fecundat seu actuat, se habet ut objecti semen, quo mediante, 3°) intellectus concipit notitiam, velut prolem objecto similem. Species enim primo imprimitur passive intellectui, deinde intellectus in hanc impressionem reagendo, exprimit verbum suum, seu speciem expressam, quæ est activa ipsius objecti cognitio.

§ VI.

De distinctione ac trina analogia ordini physici, et ordinis moralis.

188. — **I. De utriusque ordinis distinctione ac notione.**

1°) Ordo realis opponitur *ordini rationis* eo modo, quo diximus in paragrapho præcedenti, sed non opponitur *ordini morali*, quia moralis ordo est realis et non intellectualis imitatio divinæ perfectionis. *Morali* autem ordini opponitur *physicus ordo naturalis*, qui ex parte rei creatæ, est necessaria et inamissibilis perfectionis divinæ imitatio per modum naturæ, in essendo, vel in operando, dum moralis ordo est perfectionis divinæ imitatio libera et amissibilis, in operando per intellectum et liberam voluntatem, naturaliter aut supernaturaliter, ultra necessarium operandi modum naturæ intellectus et voluntatis.

Sed ordo moralis non complete opponitur *physico ordini supernaturali*, quia physica perfectio supernaturalis per gratiam sanctificantem, licet afficiat physicam creaturæ intelligentis essentiam, non est tamen necessaria ex parte angeli vel hominis; nam utriusque culpâ amitti potest, atque ab homine amissa potest ab eo libere recuperari.

2°) Physicus ordo naturalis complectitur rei creatæ substantiam, potentias operativas, et actus ipsarum necessario elicitos per modum naturæ. Physicus autem actus intellectus creati est necessaria intuitio primorum principiorum evidentium; physicus actus voluntatis creatæ est necessaria boni universalis seu beatitudinis appetitio, quæ physice inclinat ac movet voluntatem ad libere eligenda particularia bona, ab intellectu ei præsentata tanquam media ad beatitudinem. — *Physicus ordo supernaturalis* complectitur *gratiam sanctificantem*, quæ est intrinsecum et accidentale vitæ supernaturalis principium, seu accidentalis forma superaddita formæ substantiali creaturæ spiritualis, cui communicat esse supernaturale ac divinum. Complectitur insuper *habitus infusos*, ex gratia emanantes in operativas creaturæ potentias, et horum habituum *actus* elicitos cum gratiæ actualis auxilio.

3°) Moralis autem ordo supponit ordinem *physicum*, nempe physicum voluntatis nostræ actum, quem modificat, seu specificat recte vel prave, et ordinem *intellectualem;* quia intellectus voluntati præsentat, tanquam media ad beatitudinem, objecta seu bona particularia, quæ sub specie boni moraliter movent voluntatem ad ipsa eligenda, et sic moraliter modificant seu specificant volitionem, qua vult bonum universale.

Moralis ordo naturalis trinus est, quia: a) complectitur: *Creatam voluntatem physice liberam*, seu indeterminatam ad eligenda bona particularia, et naturalia; complectitur ista *bona tanquam* objecta moraliter moventia voluntatem; complectitur quoque *legem naturalem*, tanquam normam interiorem naturalis moralitatis actuum liberorum, seu rectae electionis bonorum particularium. — b) Complectitur *morales habitus* libere acquisitos, et potentias disponentes ad recte agendum. — c) Demum complectitur horum habituum *actus liberos* ac legi conformes, seu morales; nam moralis perfectio actus liberi consistit in hac conformitate, quæ est realis perfectio superaddita physicæ libertati voluntatis creatæ.

Moralis ordo supernaturalis trinus est, quia: a) complectitur ultimum finem, seu *beatitudinem supernaturalem* divina revelatione cognitam; complectitur *legem supernaturalem*, tanquam normam moralitatis supernaturalis, seu

sanctitatis, inquantum præcipit *supernaturalia bona particularia* eligenda, tanquam media ad hunc finem supernaturalem obtinendum. — b) Complectitur *habitus infusos*, et *actualem gratiam prævenientem*, quæ per illustrationes et inspirationes physice productas, intellectum nostrum illuminat, et voluntatem moraliter movet, in ordine ad supernaturalem finem appetendum, et ad supernaturalia media eligenda, atque adhibenda. — c) Tandem complectitur liberas moralesque voluntatis nostræ *electiones*, legi supernaturali conformes, et *actus habituum infusorum*, cum gratiæ adjuvantis auxilio physice productos, ac gloriæ æternæ meritorios.

II. **De trina analogia inter physicum ordinem naturalem aut supernaturalem, et moralem ordinem naturalem et supernaturalem.**

1°) Physicus ordo naturalis complectitur *esse, posse, agere;* nam: a) esse datur rei per formam substantialem, ex qua b) emanant potentiæ operativæ, quæ c) physice agunt sequendo necessario physicam suam inclinationem.

Similiter in *physico ordine supernaturali*, distinguuntur *esse, posse* et *agere;* nam: a) esse supernaturale datur spirituali creaturæ per gratiam sanctificantem, ex qua b) physice emanant habitus infusi, potentias disponentes ad agendum supernaturaliter; denique c) actualis gratia præveniens physice agit, sine nobis producendo in potentiis nostris suas illuminationes et inspirationes, quibus liberum voluntatis nostræ consensum morali motione obtinet; deinde gratia adjuvans, nobiscum consentientibus, physice producit actus supernaturales habituum infusorum.

2°) In morali ordine naturali, qui supponit totum physicum ordinem naturalem, et pulcherrime cum illo congruit, inveniuntur: a) voluntatis creatæ libertas, ad naturalia bona particularia eligenda, tanquam media ad beatitudinem naturalem physica necessitate volitam; b) lex rationis naturalis, tanquam norma hujus electionis; c) recta electio legi conformis, adjuvante physico Dei concursu naturali.

Similiter in *morali ordine supernaturali*, qui supponit totum physicum ordinem supernaturalem, saltem in justis, et mirabiliter cum eo congruit, inveniuntur: a) libertas eligendi media supernaturalia, quæ requiruntur ad beatitudinem supernaturalem libere quoque eligendam atque obtinendam; b) lex supernaturalis præcipiens electionem hujus finis ejusque mediorum, et gratia actualis necessaria ad legem implendam; c) electio supernaturalis huic legi conformis, et producta cum auxilio gratiæ prævenientis, quæ morali motione obtinet voluntatis nostræ consensum, per illuminationes et inspirationes physice in nostro intellectu ac voluntate causatas.

§ VII.

De trina analogia ordinis privati et ordinis socialis, atque ordinis omnium societatum inter se.

189. — I. **De trina inter utrumque ordinem analogia, relate ad finem.**

Ordo privatus, tanquam finem habet *perfectionem physicam, intellectualem* et *moralem* individuorum, tam naturalem quam supernaturalem; *ordo socialis*, tanquam finem habet societatis perfectionem, seu bonum commune sociorum, materiale vel spirituale, naturale vel supernaturale, juxta intentionem fundatoris societatis et ipsorum sociorum; nam societas est cœtus individuorum, quæ collectis viribus et certa lege ad finem communem tendunt. — Atqui, membra cujuslibet societatis sunt spirituales creaturæ individuæ, quæ tanto melius cooperantur ad bonum commune, quanto ipsæ perfectæ sunt, et eo modo, quo perfectæ sunt. — Ergo magna in genere existit analogia inter ordinem perfectionis privatæ et ordinem perfectionis socialis, cum perfectio individuorum sit conditio et norma perfectionis societatis, ita ut unicum medium procurandi bonum societatis sit bonos cives formare bonitate physica, intellectuali et morali, naturali aut supernaturali, juxta finem societatis.

II. **De trina utriusque ordinis analogia, in tota linea essendi et operandi.**

Utrimque enim, in hac duplici linea, inveniuntur principium, medium et terminus. Porro *linea essendi* est ordo perfectionis rei constituendæ, et *linea operandi* est ordo perfectionis rei jam constitutæ. Finis autem utriusque lineæ, tam in individuis quam in societatibus, est assimilatio ad trinum Ordinem increatum, seu ad perfectionem ordinis.

1°) In hominibus individuis, *linea essendi* complectitur: a) substantiam corpore et anima rationali compositam, ac suo modo proprio perficiendam in essendo; b) existentiam, seu ipse actus essendi, qui est prima perfectio substantiæ; c) subsistentiam, quæ complet perfectionem corporeæ substantiæ existentis, ita ut sit sui juris, seu constituatur in persona incommunicabili. — *Corpus* hominis per naturalem generationem producitur, *anima* ejus spiritualis a Deo creatur; ex unione corporis et animæ spiritualis, fit persona humana. Demum Deus potest hominem in linea essendi supernaturaliter perficere per gratiam sanctificantem, qua essentia animæ ejus elevatur ad esse analogice divinum.

Linea operandi complectitur: a) *personam*, quæ proxime est, et remote operatur per suam

substantiam; b) *potentias operativas*, quæ ex substantia emanant, et quibus persona proxime operatur, sive physice ac necessario per modum naturæ, sive moraliter ac libere. — Præterea intellectus, voluntas, et duo appetitus sensitivi ad moralem operationem disponuntur per *habitus naturales* et acquisitos, atque in justis per *habitus supernaturales*, cum gratia sanctificante infusos. c) Complectitur *actus physicos potentiarum* et *actus liberos habituum*, scilicet scientiarum, artium et virtutum, naturalium aut supernaturalium.

2°) In qualibet societate, humana vel angelica, *linea essendi* complectitur: a) multitudinem individuorum, quæ in societate est principium pluralitatis, seu materia ordine perficienda et adunanda. b) Complectitur potestatem naturalem aut supernaturalem, quæ est principium unitatis, seu forma multitudinem perficiens et ordinans; nam potestas est jus ordinandi per rationis imperium, ita ut sit aliqua divinæ potestatis participatio. Potestas a Deo datur rectoribus societatis ad illius bonum procurandum, et specificat multitudinem, ita ut fiat societas naturalis aut supernaturalis; monarchica, aristocratica aut democratica, secundum indolem suæ potestatis. c) Complectitur ordinem naturalem aut supernaturalem, seu multitudinis reductionem ad unitatem potestatis, per inferiorum sub superioribus ordinationem, in qua consistit perfectio societatis, et ex qua resultat bonum commune.

Linea operandi complectitur: a) ipsam societatem constitutam, seu multitudinem ordinatam sub trina potestate legislativa, judiciaria et coercitiva, sive naturali, sive supernaturali. Societas est corpus morale, quod materialiter constat capite et aliis membris, atque spiritualiter informatur seu animatur exercitio potestatis rationalis. b) Complectitur scientiam legis naturalis aut supernaturalis, a potestate latae ad bonum commune societatis procurandum. Lex est ordinatio rationis gubernantis, et derivatio Legis æternæ, seu Rationis divinæ, mundum gubernantis, et omnia in eo ordinantis. c) Complectitur actionem sociorum naturalem aut supernaturalem, legi conformem, qua actione societas et ejus membra perficiuntur, obtinendo intentum societatis finem.

III. **De trina analogia inter omnes societates.**

Tres distinguuntur societates, nempe societas *religiosa*, societas *domestica*, et societas *civilis*. — Porro societas religiosa et societas domestica non sunt tantum naturales, sed etiam supernaturales quoad finem suum et legem, quia intendunt supernaturalem perfectionem et æternam beatitudinem. Civilis autem societas est de se naturalis, quia principaliter intendit bonum temporale civium; sed cum reges et cives, inquantum christiani sunt, sint etiam membra societatis religiosæ, seu Ecclesiæ, sequitur quod civilis societas subordinata est Ecclesiæ in omnibus negotiis, quæ ad religionem pertinent, nempe ad fidem, mores, et externam Ecclesiæ disciplinam.

In qualibet autem harum societatum, invenitur trinus ordo. Etenim *societas religiosa*, seu Ecclesia, trina est secundum quod militat in hac terra, patitur in purgatorio, et triumphat in cœlo. Trina insuper est aliis modis particularioribus, sicut supra explicavimus n.[is] 174, 175 et 176. — *Domestica societas* trina est, scilicet paterna, conjugalis et herilis. — *Civilis societas* trina est secundum variam regiminis formam; est enim scilicet monarchica, aristocratica et democratica, prout potestas est penes unum regem, vel aliquos optimates, vel plurimos a populo electos.

Denique societas religiosa, societas domestica, et societas civilis, analogice inter se conveniunt in trino ordine lineæ essendi et operandi, quem proxime indicavimus.

CAPUT III.

DE TRINA ANALOGIA IN ORDINIBUS EXEMPLATIS MINORIS MUNDI, SEU HOMINIS.

Explicabimus trinam analogiam existentem: 1°) inter ordinem majoris mundi, et minoris mundi, seu hominis; 2°) inter ordinem corporis et animæ hominis; 3°) analogiam ac differentiam inter ordinem operum Dei, et hominis.

§ I.

De trina analogia inter ordinem majoris et minoris mundi.

190. — Major mundus et minor mundus sunt exemplati, seu ad perfectionem ordinati, juxta eumdem exemplarem Ordinem unitrinum, ita ut trina analogia inter utrumque existere debeat. Et revera conveniunt: 1°) partibus, quibus constituuntur; 2°) gubernatione, qua partes ad totius perfectionem diriguntur; 3°) fine gubernationis, qui est assimilatio ad Deum unitrinum.

I. **Quoad partes constitutivas,** *major mundus* constat substantiis corporalibus et spiritualibus, suo ordine ita conjunctis, ut efforment totum universale ac reale, quod tamen non est substantiale, sed morale seu sociale, inquantum

componitur partibus rationalibus divina Lege regendis, et ipsis partes materiales regentibus.

Minor mundus, seu homo, substantialiter spiritu et corpore compositus, considerari potest, vel tanquam pars majoris mundi, ad totius perfectionem ordinata, medium tenendo inter pura corpora et puros spiritus, qui harmonice in illo conveniunt; vel spectari potest tanquam totum compositum partibus analogice iisdem ac partes majoris mundi, ita ut efformet substantiale totius mundi compendium, et merito a sapientibus paganis atque christianis nuncupetur *minor mundus*, seu parvum universum. Dicit S. Thomas in 1. q. 91, art. 1, corp.: « Propter hoc homo dicitur minor mundus, quia omnes creaturæ mundi quodammodo inveniuntur in eo » et q. 96, art. 2, corp.: « Dicendum quod in homine quodammodo sunt omnia... Est autem in homine quatuor considerare, scilicet rationem, secundum quam convenit cum angelis; vires sensitivas, secundum quas convenit cum animalibus; vires naturales *(vegetativas)*, secundum quas convenit cum plantis; et ipsum corpus (*materialiter consideratum*) secundum quod convenit cum rebus inanimatis. »

In q. 91, art. 3, ad 3^{m}, doctor angelicus ait partes corporis humani analogice dispositas esse sicut corporales majoris mundi partes: « Homo habet superius sui, id est caput, versus superius mundi, et inferius sui, versus inferius mundi; et ideo est optime dispositus secundum dispositionem totius. »

II. **Quoad gubernationem,** omnis operatio omnium partium *majoris mundi* ad finem dirigitur ac ordinatur ab ipsa Ratione Dei unitrini, qui in linea essendi, omnes mundi partes creavit, distinxit ac disposuit juxta æternas ideas suas; et in linea operandi, omnes mundi partes ad finem movet juxta æternam Legem suæ Providentiæ, necessario quidem in ordine physico, et contingenter seu libere, in ordine morali. Unde omnes creaturæ a supremo mundi Gubernatore reguntur; sed creaturæ spirituales, ab eo gubernatæ, ipsas creaturas corporales et etiam spirituales, sibi per naturam aut gratiam inferiores, gubernant ex potestate a Deo accepta in determinata mensura.

Jamvero, illud quod Ratio Dei gubernantis ac moventis est in majori mundo, hoc ratio hominis est in *minori mundo*, seu in seipso, non quidem totaliter, sed ex parte, analogice, atque dependenter a supremo Motore. Solus enim naturæ Auctor creaturis suis imprimere potest internam inclinationem per modum naturæ, seu motum physicum et necessarium ad unum ac proprium ejus objectum naturale; sed supposito motu physico, homo potest ex libera voluntatis electione, et ex rationis imperio potentias suas operativas movere interne ac moraliter, exceptis potentiis vegetativis, seu naturalibus, quæ a solo naturæ Auctore et a proprio suo objecto moveri possunt, sicut docet S. Thomas in 1. 2. q. 17, art. 8. Potest quoque anima nostra libere corpori suo imprimere physicum motum externum, seu localem, qui ab internis motibus dependet.

Ad hæc S. Thomas in 1. 2. q. 17, art. 8, ad 2^{m} sequentem proponit *objectionem:* « Homo dicitur minor mundus, quia sic est anima in corpore, sicut Deus in mundo. Sed Deus sic est in mundo, quod omnia, quæ sunt in mundo, obediunt ejus imperio. Ergo et omnia, quæ sunt in homine, obediunt imperio rationis; etiam vires vegetabiles animæ. » — *Respondet:* « Dicendum, quod similitudo attenditur quantum ad aliquid; quia scilicet sicut Deus movet mundum, ita anima movet corpus, non autem quantum ad omnia. Non enim anima creavit corpus ex nihilo, sicut Deus mundum, propter quod totaliter subditur ejus imperio. »

III. **Quoad finem seu effectum gubernationis,** communis est majori et minori mundo; scilicet est assimilatio ad Deum unitrinum, physica, intellectualis, et moralis privata vel socialis, in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ, sicut supra explicavimus. Legitur in 1. q. 103, art. 4, corp.: « Effectus gubernationis potest accipi tripliciter: uno modo ex parte ipsius finis, et sic est unus effectus gubernationis, scilicet assimilari summo Bono... » — Atqui, omnia Dei opificia summo Bono assimilantur, non solum inquantum est unum, sed etiam inquantum est trinum, sicut docet S. Thomas in 1. q. 45, art. 6 et 7. — Ergo trina existit inter utrumque mundum analogia.

§ II.

De trina analogia inter ordinem corporis et ordinem animæ hominis.

191. — Quamvis corpus et anima hominis extreme sibi invicem opponantur, sicut materia et spiritus, trinam tamen habent inter se analogiam in ordine perfectionis suæ, quia corpus est vestigium, et anima est simul vestigium et imago divinæ Trinitatis; ergo in linea essendi et operandi amborum, necessario tria invenienda sunt, nempe principium, medium et finis, quæ ad Trinitatem creatricem reducenda sunt tanquam ad Causam.

I. De trina ordinis analogia inter substantiam corporis et animæ.

1°) Trina hæc analogia desumitur ex ordine partium utriusque. Nam *in ordine partium cor-*

poris inveniuntur eorum elementa, dispositio, et functiones singulis propriæ; in ordine operationis, inveniuntur vires organorum, modus operationis et finis operationis. — *In ordine partium animae,* seu potius in trino gradu potentiarum ejus, inveniuntur potentiæ vegetativæ, sensitivæ, et intellectivæ; in ordine operationis potentiarum, inveniuntur vis cujuslibet potentiæ, modus operationis, et finis operationis.

2°) Alia ratio analogiæ inter corpus et animam hominis ex eo desumitur, quod *potentiæ vegetativæ, sensitivæ, et vis locomotiva, sunt animæ ac corpori communes,* et materialibus organis utuntur, velut activis instrumentis, quæ potentiis adaptari debent.

3°) Tertia ratio ex eo deducitur, quod *anima et corpus sunt partes ejusdem substantiæ et ejusdem personæ,* quæ per eas constituitur ac operatur. — Atqui, partes illæ non possent substantialiter in eadem persona uniri, nisi inter se similitudine convenirent in aliquo. Sed convenire nequeunt in *genere,* nec in *specie,* cum extreme opponantur, et spiritus nequeat, in genere vel in specie, convenire cum corpore. — — Ergo analogice tantum conveniunt in *esse,* et quidem in trino ordine essendi ac operandi. Et hæc universalissima analogia est genuina harmonia, inter corpus et animam hominis a Deo præstabilita, quæ toto cœlo differt ab uniformi et mechanica corporis et animæ motione a Deo, quam somniavit Leibnitius, ad explicandam harmonicam operationem duarum substantiarum extreme oppositarum.

4°) Ultima ratio petitur *ex manifesta relatione inter materialem et spiritualem ordinem existente;* hæc enim relatio tam universalis est, ut homo viator non possit res spirituales intelligere, nec exprimere, nisi per metaphoras ex materialibus rebus desumptas. — Atqui, relatio adeo universalis nequit fundari nisi in universalissima analogia totius ordinis corporum ac spirituum, in essendo et in operando. — Ergo existit hæc analogia inter ordinem corporis et animæ hominis.

II. De trina ordinis analogia inter operationem corporis et animæ.

1°) HÆC ANALOGIA APPARET IN TRIBUS VITÆ VEGETATIVÆ FUNCTIONIBUS, scilicet in corporis generatione, nutritione, et augmentatione, quas metaphorice vitæ spirituali applicamus. Omnes enim intelligimus et dicimus, vitam spiritualem, ac maxime supernaturalem, generari, nutriri, crescere, ita ut existat spiritualis paternitas ac filiatio, spirituale alimentum, augmentum et decrementum.

2°) PRÆDICTA ANALOGIA APPARET IN TRIPLICI MOTU EXTERNO SEU LOCALI CORPORIS ad bona sensibilia, quem metaphorice applicamus triplici motui intellectus et voluntatis in anima ad bona spiritualia. Sanctus enim Dionysius Areopagita in Cap. 4 de div. Nomin., S. Thomas in 1. 2. q. 180, art. 6, et mystici auctores communiter comparant tres motus contemplationis triplici motui locali corporis, nempe motui recto, circulari, et obliquo seu curvo, ex utroque composito.

3°) EADEM ANALOGIA LUCULENTER APPARET IN PRINCIPIO ET FINE TRIPLICIS MOTUS CORPORIS ET ANIMÆ.

Principium enim motus utriusque est amor boni. Nam animal, vel animalis homo, interno amore sensitivo moventur localiter ad bonum aliquod externum et sensibile, quod appetunt; similiter anima contemplativa, amore spirituali movetur ad considerandum intra se discursive, intuitive aut utroque modo, bonum aliquod spirituale, et maxime supremum Bonum, quod Deus est.

Finis triplicis motus corporis et animæ est unio cum bono, quod ambo appetunt, sive sensibile, sive spirituale. Nam in conjunctione cum objecto bono, seu sibi conveniente, appetitus sensitivus vel appetitus rationalis quiescunt; potentia perficitur conformitate cum objecto suo; et corpus vel anima bene se habent ob boni sui possessionem.

§ III.

De trina analogia et differentia inter ordinem operationis Dei et hominis.

192. — **I. De trina hac analogia.**

1°) DEUS, CUM SIT PURUS SPIRITUS, OMNIA SPIRITUALITER OPERATUR PER INTELLECTUM ET VOLUNTATEM, SIVE AD INTRA, SIVE AD EXTRA, ita ut trinum essentiæ et operationis ordinem in ipso virtualiter distinguamus, scilicet Esse, Intelligere et Velle seipsum et alia a se. Seipsum, ut Bonum supremum et universale, *vult necessitate naturæ* suæ; alia autem a se, *vult libere,* ut bona particularia ipsius bonitatem participantia per aliquam similitudinem.

Ordo operationis ad intra constat duabus per Intellectum et Voluntatem processionibus, terminatis ad personas Filii et Spiritus sancti, quæ Patri conjunctæ, constituunt trinum ac realem naturæ divinæ Ordinem, primam Causam efficientem, exemplarem et finalem omnium rerum.

Ordo operationis ad extra, seu causalitatis, constat processione omnium creaturarum a divino Ordine per Dei Intellectum ac Voluntatem, et terminatur ad totum ordinem creatum, qui Ordini creatori et exemplari conformatur analogica perfectione naturæ, gratiæ et gloriæ; nam divina Forma unitrina omnia opificia sua juxta

seipsam naturaliter et supernaturaliter format, et peccato deformata reformat, ac transformat.

2°) HOMO, cum sit ad Dei unitrini imaginem factus, secundum spiritualem animam suam, per quam spiritualiter est, intelligit ac vult, magnam analogiam cum Deo unitrino præbet in operatione sua.

a) **Homo enim operatur, sicut Deus, per intellectum et voluntatem, sive necessario, sive libere.** Necessario enim operatur in ordine physico, secundum modum naturæ suæ, seu secundum physicam inclinationem, intrinsece potentiis ejus impressam ab Auctore naturæ; quæ inclinatio, in nostra voluntate, est ad bonum universale, seu ad beatitudinem. Libere autem operatur homo in ordine morali, secundum voluntatem suam physice indeterminatam, sed moraliter, per practicum intellectus judicium, determinandam ad bona particularia eligenda, tanquam media ad beatitudinem consequendam.

b) **Præterea homo, analogice sicut Deus, operatur ad intra atque ad extra.** Operatio ad intra, seu immanens, terminatur in ipsa potentia agente illamque perficit; operatio ad extra, seu transiens, terminatur ad aliquem effectum exteriorem, vel ad aliquam materiam exteriorem, quam perficit.

Porro operatio intellectus ad intra dicitur *speculatio*, ad quam referuntur habitus omnium scientiarum theoreticarum aut practicarum, naturalium aut supernaturalium. — Operatio voluntatis ad intra est *actio moralis*, ad quam referuntur habitus omnium virtutum naturalium et supernaturalium. Unde speculatio et actio moralis intellectum ac voluntatem hominis perficiunt actibus illas potentias analogice conformantibus Intellectui ac Voluntati ipsius Dei.

Operatio intellectus et simul voluntatis ad extra, dicitur *factio* seu effectio, ad quam referuntur omnes habitus artium naturalium aut supernaturalium. Factio autem non perficit ipsum agentem, quia actus ejus in agente non manet, sed transit in aliquam materiam exteriorem, quam perficit naturaliter aut supernaturaliter, ad imitationem opificiorum ipsius Dei.

c) **Supremus enim Artifex unitrinus, est Exemplar humani artificis,** nam tres qualitates in eximio artifice requiruntur, scilicet *ingenium*, ad excogitandas opificii ideas, seu formas ideales, quod refertur ad Patrem, Verbum suum concipientem, et omnes opificiorum ideas in Verbo intelligentem; *gustus* æstheticus, seu rectum de pulchro judicium, ad recte seligendas ac pulchre disponendas ideas, qui refertur ad Verbi sapientiam; *solertia*, ad opificii ideam exsecutioni mandandam, materiam transformando juxta ideam præconceptam, vel aliis verbis exprimendo ideam aliquo signo sensibili, et cuilibet arti proprio. Omnes enim pulchræ litteræ et artes conveniunt in forma spirituali, scilicet in pulchra idea sensibiliter exprimenda, sed differunt in sensibili forma, seu signo, quo artifex ideam suam exprimit. In litteratura, signa sunt verba scripta, vel prolata, et gestus; in musica sunt soni et toni; in architectura, sculptura et pictura, sunt lineæ et colores; lineæ autem figuras determinant. Porro solertia artificis refertur ad Spiritum sanctum, quia finis solertiæ est vel opificii perfectio, vel aliquod bonum opificio obtinendum; bonum autem, seu perfectio, appropriatur Spiritui sancto.

d) **Insuper divina opificia, tam naturalia quam supernaturalia, sunt exemplaria opificiorum hominis.** Humani enim, sicut et divini artificis, opificia constant tum *materia* perfectibili; tum intrinseca *forma* perficiente, sive naturali, sive supernaturali; tum materiæ ac formæ *conjunctione*, seu materiæ informatione per externam artificis operationem. Demum uterque artifex materiam intrinsece informat juxta formam opificio externam, seu exemplarem, quam in mente sua efformavit; verumtamen humani artifices operantur quoque juxta formam exemplarem, quam extra mentem suam intuentur.

193. — II. De differentia inter ordinem operationis Dei et hominis.

1°) DIVINA FORMA UNITRINA, CUM SIT A SE, AB ALIO NON HABET, SED IPSA EST SUUM ESSE ET OPERARI.

Itaque Ordo divinæ operationis *ad intra*, est ipsa Forma divina seipsam necessario intelligens ac volens, seu diligens. Similiter ordo divinæ operationis *ad extra, ac in æterna Dei intentione*, est ipsa eadem Forma in seipsa necessario intelligens, sed libere volens alia a se; *et in exsecutione*, est divina Forma omnia opificia sua efficiens a seipsa, juxta seipsam et propter seipsam.

Hic ordo exsecutionis divinorum opificiorum tria complectitur, nempe: a) *substantiæ eorum, scilicet materiæ et formæ, primam productionem* a Deo ex nihilo, ad sui Esse assimilationem, juxta æternas ideas suas; b) *substantiarum creatarum gubernationem*, quae continet illarum conservationem in esse, ab ipso Creatore causatam, et motionem ad finem, juxta æternam Legem divinæ Providentiæ. Et in hac motione, Deus adhibet cooperationem ipsarum creaturarum, tanquam causarum secundarum, primo motarum a seipso, sive physice in ordine physico, sive moraliter per gratiam prævenientem in morali ordine supernaturali. Mediantibus autem causis secundis operatur, non quod eis ad operandum indigeat, sed quia libere vult creaturas suas sibi in operando assimilari, illasque

honorare participatione causalitatis suæ efficientis, exemplaris et finalis. c) *Complectitur creaturarum consummationem*, seu effectum divinæ gubernationis, qui est completa creaturarum, per Dei et ipsarum operationem, assimilatio ad Deum unitrinum, in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ.

2°) INFINITA INTERCEDIT DIFFERENTIA INTER MODUM OPERANDI DIVINUM ET HUMANUM.

Etenim a) **Nulla creatura est suum esse et operari,** sed actum essendi a Deo accipit continuo in sua essentia physica; et actum operandi, per divinam motionem accipit transeunter in suis potentiis operativis. Cum igitur omnis creatura naturam suam a Deo acceperit, et cum natura modo invariabili operetur in qualibet rerum specie, sequitur quod creatura *necessario in ordine physico*, seu per modum naturæ, operatur a Deo, juxta Deum et propter Deum, sub physica et intrinseca Dei motione.

Sed supposita hac physica motione, creaturæ intelligentes *in ordine morali, et præsertim supernaturali, cum gratiæ auxilio libere possunt ac tenentur operari* a Deo, juxta Deum et propter Deum, atque sic Deum unitrinum libere imitari in speculatione, effectione et actione, seu per scientias, artes et virtutes.

Hæc autem imitatio infinite differt ab operatione primæ Causæ efficientis, exemplaris et finalis, sicut maxime apparet in externa effectione.

b) **Supremus enim Artifex, cum sit efficiens causa, potens omnia quæ vult,** cuncta opificia sua produxit *independenter ab omni alia causa efficiente*, et solo rationis ac voluntatis suæ imperio; sed homo non potest facere omnia quæ vult, et in operibus suis efficiendis, dependet ab actione primæ Causæ, a cooperatione aliorum hominum, et multis instrumentis ac adminiculis indiget.

Insuper Deus opificia sua *facit sustantialiter ex nihilo, seu creat;* homo autem nihil creat, seu facit ex nihilo, neque in ordine physico per naturalem generationem, neque in ordine artium, sicut docet S. Thomas in 1. q. 45, art. 8. Nam *in generatione*, homo alium hominem generat ex materia, quam mater subministrat, et quæ substantialiter vitâ vegetativâ ac sensitivâ informatur virtute seminis, et ex potentia generativa, quæ in patre præexistit a Deo; sed fœtus sic a patre animatus, seu fecundatus, mox transformatur per animam rationalem a Deo creatam, quæ succedit animæ vegetativæ et sensitivæ a patre acceptae, nam anima creata a Deo, non est solum intellectiva, sed etiam vegetativa et sensitiva. Unde proles est opus hominis, qui agit tanquam causa secunda, inquantum potest, et ipse est creatura Dei omnipotenter agentis tanquam Causa prima.

In artificialibus autem operibus, humanus artifex accidentaliter tantum transformat aliquam materiam, jam substantialiter a Creatore informatam, puta lignum, marmor; vel ideam suam exprimit aliquo signo sensibili, præsupponente materiam.

c) **Præterea divinus Artifex est suprema Causa exemplaris,** quæ propriam Perfectionem suam imitatur in omnibus opificiis suis, in se naturalibus et supernaturalibus.

Humanus vero artifex divinum Artificem ejusque opificia imitatur, non *mechanice* quidem, sicut fit per photographiam, sed *rationaliter*, nam juxta S. Augustinum lib. 1. de Musica, cap. 4, ars constat imitatione et ratione, seu divinorum opificiorum imitatione rationali et voluntatis affectu animata, quia ars est habitus perficiens intellectum practicum. *Artifex profanus* debet imitari divinorum opificiorum Perfectionem in ordine naturæ; sed *artifex christianus* debet, quantum potest, imitari illorum Perfectionem in ordine gratiæ et gloriæ.

Supremum vero Exemplar, et simul primum omnium exemplatorum, in ordine scientiarum, artium et virtutum est Jesus Christus, Deus-Homo, qui in se complectitur omnes perfectiones increatas et creatas mirabiliter ordinatas. Post Jesum Christum, pulcherrimum nostrum exemplar est B. V. Maria.

d) **Tandem divinus Artifex est suprema Causa finalis,** quia finis primarius omnium ejus operum ad extra, est propria Perfectio ab omnibus opificiis suis repraesentanda, et spiritualibus opificiis suis manifestanda ad gloriam suam.

Finis autem primarius artificis vel scriptoris christiani, non est propria gloria, sed gloria Dei unitrini, ut hac sublimi intentione, ipsum Deum operantem imitetur eique cooperetur. — *Omnes fines secundarii*, sicut sunt perfectio opificiorum, spiritualis vel materialis utilitas proximi, ex opificio perfecto percipienda; fama vel lucrum ipsius artificis vel scriptoris, ad primarium finem coordinari debent, ut transactis hujus vitæ laboribus, christianus Artifex æternam a Deo unitrino mercedem accipiat, participando divinam gloriam, quam super omnia in cunctis operibus suis quæsivit. Deus enim fidelis est, et in tali opifice, nobili ipsius imitatore, hanc promissionem suam adimplebit: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* (1 Reg. 2, v. 30).

Utinam nobis contingat gloriosum istud æternumque præmium! Utinam ex ipso Domini ore audire mereamur: *Ego sum merces tua, magna nimis!* (Gen. 15, v. 1).

INDEX PRIMÆ PARTIS

IN QUA EXPLICATUR DIVINUS EXEMPLARISMUS IN SUIS PRINCIPIIS METAPHYSICIS ET THEOLOGICIS.

Divisio hujus Partis in quinque Libros.

LIBER PRIMUS.

EXPLICATUR DIVINUS EXEMPLARISMUS ET TRINUS ORDO IN GENERE.

Libri partitio in duo Capita.

CAPUT I.

Explicatur divinus Exemplarismus.

Prænotanda. . . . . pag. 9

ARTICULUS I. - De divini Exemplarismi objecto.

§ I. *De trino ordine universali in genere* . » 10

§ II. *De trino Ordine exemplari in Deo.* » 11

I. De trino ordine divinæ Essentiæ et operationis in genere . . . . . » 11
II. De trino ordine divinæ operationis ad intra. . . . . » 11
III. De trino ordine divinæ operationis ad extra. . . . . » 12

§ III. *De trino ordine exemplato in majori mundo* . . . . . » 14

I. De trinitate in totalitate hujus ordinis . . . . . » 14
II. De trinitate in ejus partibus. . . » 14
III. De trino perfectionis ordine per naturam, gratiam et gloriam . . . » 15

§ IV. *De trino ordine exemplato in minori mundo, seu in homine* . . . . . » 16

I. Homo non est tantum pars majoris mundi, sed ipse est minor mundus. » 16
II. Homo est Dei unitrini vestigium et imago in ordine physico, intellectuali et morali, tam naturaliter quam supernaturaliter . . . . » 16
III. De triplici divinæ Trinitatis imagine in mente hominis, per naturam, gratiam et gloriam. . . . . » 17

§ V. *De trino unionis hypostaticæ ordine exemplari simul et exemplato, atque de trino ordine Ecclesiæ* . . . . » 17

I. De Christo Ordinem exemplarem et ordinem exemplatum conjungente in duplici natura sua, divina et humana . . . . . » 17
II. De medio harmonico, quod ordo unionis hypostaticæ tenet inter Ordinem mere exemplarem, et ordinem mere exemplatum . . . . . » 18
III. De trino ordine Ecclesiæ christianæ. » 18

ARTICULUS II. - De divini Exemplarismi divisione.

§ I. *De Exemplarismi divisione, ratione principii, seu originis* . . . . . pag. 18

I. De Exemplarismo philosophico, tam speculativo quam practico . . . » 18
II. De Exemplarismo dogmatico, tam speculativo quam practico . . . » 19
III. De Exemplarismo ascetico, tam speculativo quam practico . . . . » 19

§ II. *De Exemplarismi divisione, ratione medii, seu methodi* . . . . . » 19

I. De Exemplarismo analytico, ascendente a rebus exemplatis ad divinum Exemplar . . . . . » 19
II. De Exemplarismo synthetico, descendente a divino Exemplari ad res exemplatas . . . . . » 20
III. De Exemplarismo intuitivo, contemplante solum divinum Exemplar. » 20

§ III. *De Exemplarismi divisione, ratione finis, seu utilitatis* . . . . . » 20

I. De Exemplarismo scientifico, ad verum cognoscendum . . . . . » 20
II. De Exemplarismo artistico, ad pulchrum in variis opificiis exprimendum. . . . . » 21
III. De Exemplarismo morali, ad bonum agendum, tam privatim quam sociatim . . . . . » 21

ARTICULUS III. - De divini Exemplarismi excellentia.

§ I. *Divinus Exemplarismus est doctrina nobilissima* . . . . . » 21

I. De nobilitate Exemplarismi philosophici . . . . . » 21
II. De nobilitate Exemplarismi dogmatici . . . . . » 22
III. De nobilitate Exemplarismi ascetici. » 22

§ II. *Divinus Exemplarismus est doctrina utilissima* . . . . . » 24

I. Quia perficit hominis speculationem, factionem et actionem . . . . » 24
II. Quia in illo, qui vult eam acquirere, requirit:
1°) humilitatem . . . . . » 24
2°) munditiam cordis . . . . . » 25
3°) orationem. . . . . » 25

§ III. *Divinus Exemplarismus est doctrina jucundissima* . . . . . » 26

I. In speculatione . . . . . » 26
II. In factione . . . . . » 26
III. In actione . . . . . » 26

CAPUT II.

Explicatur trinus ordo universalis, quem docet divinus Exemplarismus.

Divisio Capitis in tres Articulos.

ARTICULUS I. - De definitione ordinis in genere.

§ I. *De vera ordinis definitione* . . . . pag. 27

§ II. *De aliis ordinis definitionibus* . . » 29

ARTICULUS II. - De ordinis trinitate.

§ I. *Probatur ex ratione* . . . . . » 30

§ II. *Probatur ex auctoritate* . . . . . » 31

ARTICULUS III. - De ordinis divisione.

§ I. *De Ordine increato et exemplari, atque de ordine creato et exemplato.* » 32

§ II. *De ordine physico, intellectuali, et morali* . . . . . » 32

§ III. *De ordine naturali, et supernaturali.* » 33

§ IV. *De ordine reali, et ideali* . . . . » 34

§ V. *De ordine singulari, et communi* . » 34

§ VI. *De ordine ad extra, atque ad intra.* » 35

§ VII. *De ordine æquali, et inæquali* . . » 35

§ VIII. *De ordine æterno, et temporali* . » 36

§ IX. *De mutua prædictarum ordinis divisionum oppositione, et trina harmonia.* . . . . . » 37

LIBER SECUNDUS.

EXPLICATUR IN SPECIE TRINUS ORDO EXEMPLARIS.

Procœmium . . . . . pag. 40

Divisio Libri in tria Capita.

CAPUT I.

Explicatur trinus ordo divinæ substantiæ et operationis in genere.

Divisio Capitis in duos Articulos.

ARTICULUS I. - De trino ordine virtuali inter Dei Formam, intellectum, et voluntatem.

§ I. *De divina Forma simplicissima, omnis perfectionis et ordinis principio in Deo* . . . . . pag. 41

§ II. *De duplici ordine operationis Formæ divinæ ad intra, et ad extra* . . » 41

ARTICULUS II. - De trino ordine inter Dei unitatem, veritatem et bonitatem, ex quo splendet Dei pulchritudo.

§ I. *De virtuali distinctione Unitatis, Veritatis, Bonitatis, et Pulchritudinis Formæ divinæ.* . . . . . » 42

§ II. *De virtuali ordine unitatis, veritatis, bonitatis et pulchritudinis in genere.* pag. 43

I. De ordine unitatis, veritatis, et bonitatis . . . . . » 44

II. De ordine pulchritudinis, et de pulchritudine ordinis in ente . . . » 44

CAPUT II.

Explicatur trinus ordo operationis ad intra.

Divisio Capitis in quatuor Articulos.

Prænotanda. . . . . pag. 45

ARTICULUS I. - De duabus personarum processionibus in Deo.

§ I. *De notione, ordine et divisione processionis in genere* . . . . . » 46

§ II. *De ordine et modo processionis Filii ac Spiritus sancti* . . . . . » 46

ARTICULUS II. - De quatuor relationibus personarum divinarum.

§ I. *De notione, divisione et indole relationis in genere* . . . . . » 48

§ II. *De realitate, numero et distinctione relationum personarum divinarum.* » 48

§ III. *De tribus relationibus personas realiter distinctas constituentibus* . . » 49

ARTICULUS III. - De individua trium personarum unitate in Forma divina.

§ I. *De reali et individua trium personarum divinarum consubstantialitate.* » 49

§ II. *De virtuali personarum divinarum distinctione a Forma divina* . . . . » 50

ARTICULUS IV. - De infinita perfectione Ordinis trium personarum in Forma divina.

CAPUT III.

Explicatur trinus ordo operationis ad extra, seu causalitatis.

Prænotanda. De causis, et divina causalitate in genere . . . . . pag. 51

Divisio Capitis in quatuor Articulos.

ARTICULUS I. - De prima Causa efficiente.

§ I. *De causæ efficientis notione et variis speciebus* . . . . . » 52

§ II. *De prima Causa efficiente, quæ Deus est* . . . . . » 53

I. Deus est prima Causa efficiens existentiæ et operationis omnium rerum . . . . . » 53

II. Quomodo Deus existentiam et operationem omnium rerum causat . » 54

ARTICULUS II. - De prima Causa exemplari.

§ I. *De causa exemplari in genere* . . . pag. 55

I. De exemplaris necessitate, et notione . . . . . » 55
II. De exemplaris causalitate . . . . » 56
III. De variis exemplarium speciebus . » 57

§ II. *De prima Causa exemplari, quæ Deus est* . . . . . » 58

I. Divina Forma est necessario supremum Exemplar omnium rerum, quoad esse . . . . . » 58
II. Divina Forma est necessario supremum creaturarum intelligentium Exemplar, quoad operari . » 59
1°) Deus est necessario supremum Exemplar omnis speculationis . . » 59
2°) Deus est necessario supremum Exemplar omnis actionis moralis. » 59
3°) Deus est necessario supremum Exemplar omnis factionis . . . » 60
III. Quomodo Deus est supremum omnis perfectionis Exemplar internum, vel externum . . . . . » 60
1°) De supremo Exemplari, interno ipsi Deo. . . . . » 60
2°) De supremo Exemplari, externo rebus juxta illud exemplatis . . » 61
3°) Quomodo omnes creaturarum perfectiones realiter inveniuntur in divino Exemplari . . . . . » 61

ARTICULUS III. - De prima Causa finali.

§ I. *De finali causa in genere* . . . . » 62

I. De causæ finalis necessitate, notione, præstantia, et ordine . . . . . » 62
II. De variis speciebus causæ finalis . » 63
III. De causa morali, quæ refertur ad causam finalem . . . . . » 64

§ II. *De prima Causa finali, quæ Deus est.* » 64

I. Deus est necessario primus omnium rerum finis. . . . . » 64
II. Quomodo Deus est primus omnium rerum finis. . . . . » 65

ARTICULUS IV. - De ordine causarum et effectuum.

§ I. *De primæ Causæ influxu in causas secundas*. . . . . » 66

I. Nulla creatura potest esse vel operari, nisi sub primæ Causæ influxu. » 66
II. Confirmatur ex S. Thoma . . . . » 66
III. Exsecutio divinae Providentiæ fit mediantibus causis secundis. . . » 68

§ II. *De prioritate dignitatis et temporis inter causam et effectum* . . . . » 68

I. De prioritate dignitatis inter causam ad effectum non relatam, et effectum . . . . . » 68
II. De prioritate temporis inter causam ad effectum non relatam, et effectum . . . . . » 69

LIBER TERTIUS.

EXPLICATUR TRINUS ORDO MUNDI EXEMPLATUS.

Libri partitio in tria Capita.

CAPUT I.

Explicantur causæ intrinsecæ omnium rerum, quæ mundum constituunt.

Prænotanda. - Omnes substantiæ creatæ constant vel materia et forma, vel sola forma . . . . . pag. 69

ARTICULUS I. - De causa materiali.

§ I. *De materia in genere* . . . . . » 70

§ II. *De materia prima et secunda in specie.* » 71

§ III. *De corporum quantitate, quæ ex materia exsurgit* . . . . . » 72

ARTICULUS II. - De causa formali intrinseca.

§ I. *De rerum perfectione per suas formas in genere* . . . . . » 73

I. In quo consistit rerum perfectio, in essendo vel in operando; naturaliter vel supernaturaliter . . . . » 73
II. Quomodo res omnes substantialiter, aut accidentaliter perficiuntur per formas suas . . . . . » 75

§ II. *De forma substantiali* . . . . . » 76

I. De forma substantiali, in se considerata . . . . . » 76
II. De forma substantiali, inquantum est principium existentiæ rei . . . » 76
III. De forma substantiali, inquantum est principium operationis rei . . » 77

§ III. *De formis accidentalibus, seu qualitatibus* . . . . . » 78

I. De qualitatibus perficientibus *esse* omnium substantiarum creatarum. » 78
II. De qualitatibus perficientibus liberam *operationem* substantiarum spiritualium, seu de habitibus operativis . . . . . » 78

CAPUT II.

Explicatur omnium rerum cum divina Forma conformitas per formas suas intrinsecas.

Divisio Capitis in tres Articulos.

Prænotanda . . . . . pag. 79

ARTICULUS I. - Explicatur necessarium exemplaritatis principium, cui innititur prædicta conformitas.

§ I. *De primo axiomate: « Omne agens agit sibi simile», seu: « Omnis causa efficiens producit effectum sibi similem ». Hoc axioma fundatur in*

alio: « Nulla res dat quod non habet » . . . . . pag. 80

§ II. *De secundo axiomate: « Causæ efficienti assimilatur effectus ».* . . » 81

§ III. *De tertio axiomate: « Plura uni similia, sunt inter se similia »* . . » 82

ARTICULUS II. – EXPLICATUR MODUS GENERALIS, QUO RES CREATÆ CONFORMANTUR DIVINÆ FORMÆ UNITRINÆ, AUT AB EJUS SIMILITUDINE DISCEDUNT.

Prænotanda. – Ex principio Exemplaritatis sequitur, omnes creaturas necessario conformari divinæ Formæ, non tantum prout est in se una, vera, bona et pulchra, sed etiam prout est trina personis . . . . . » 82

§ I. *De rerum creatarum unitate, et divisione ipsi opposita* . . . . . » 83

§ II. *De rerum creatarum veritate, et falsitate ipsi opposita* . . . . . » 84

§ III. *De rerum creatarum bonitate, et malo ipsi opposito* . . . . . » 85

§ IV. *De rerum creatarum pulchritudine, et turpitudine ipsi opposita* . . . » 88

§ V. *De rerum creatarum cum Forma unitrina conformitate per modum vestigii, et per modum imaginis* . » 88

ARTICULUS III. – EXPLICANTUR VOCABULA, QUÆ EXPRIMUNT CREATURARUM CONFORMITATEM CUM DEO, VEL OPPOSITAM DEFORMITATEM.

§ I. *De vocabulis exprimentibus rerum perfectionem, vel imperfectionem in genere* . . . . . » 91

I. De perfectione fundata in forma, et de imperfectione. . . . . » 91
1°) De perfectione in genere . . . » 91
2°) De perfectione absoluta et relativa » 91
3°) De potentia et actu . . . . . » 92
II. De finito et infinito, atque de infiniti notione, divisione ac cognitione. » 92

§ II. *De vocabulis exprimentibus rerum perfectionem, vel imperfectionem, in fieri* . . . . . » 93

I. Ad receptionem formæ referuntur verba formatio, informatio, conformatio, ordinatio. . . . . » 94
II. Amissio formæ dicitur deformatio. » 95
III. Recuperatio formæ amissæ dicitur reformatio . . . . . » 95
IV. Transitus ab aliqua forma ad aliam formam, dicitur transformatio. . » 95

§ III. *De vocabulis exprimentibus rerum perfectionem, vel imperfectionem, in facto esse* . . . . . » 96

I. De informitate . . . . . » 96
II. De deformitate . . . . . » 96
III. De conformitate et uniformitate; de assimilatione, similitudine, æqualitate. . . . . » 96
IV. De deiformitate . . . . . » 97
V. De adjectivis: Formosus, speciosus, gratiosus . . . . . pag. 97
VI. De vocabulo: Mundus major, vel minor . . . . . » 97

CAPUT III.

Explicatur trinus mundi ordo resultans ex rerum conformitate cum Forma Dei unitrina.

Prænotanda. – Ex præcedentibus . . . . pag. 98

ARTICULUS I. – DE TRINI ORDINIS MUNDI EVOLUTIONE.

Explicatur haec evolutio in genere . . . » 98

§ I. *De ordine naturæ in specie* . . . » 99

I. De ordine physico, in linea essendi et operandi. . . . . » 99
II. De ordine intellectuali, speculativo vel practico . . . . . » 100
III. De ordine morali, privato vel sociali. » 100

§ II. *De ordine gratiæ* . . . . . » 101

I. In genere. . . . . » 101
II. In homine justo . . . . . » 101
III. In peccatore justificando . . . . » 101

§ III. *De ordine gloriæ* . . . . . » 101

I. In genere . . . . . » 102
II. De ordine gloriæ essentialis . . . » 102
III. De ordine gloriæ accidentalis . . » 102

ARTICULUS II. – DE TRINI ORDINIS MUNDI PULCHRITUDINE.

§ I. *De duplici similitudinis relatione, in qua fundatur universi mundi ordo et pulchritudo.* . . . . . » 103

In genere de reali omnium rerum creatarum relatione ad primam Causam suam efficientem, exemplarem ac finalem, et de reali omnium rerum creatarum relatione ad invicem . . . . . » 103

§ II. *In specie, de omnium rerum creatarum ordine ad invicem* . . . . » 104

I. Quoad substantiarum creatarum dignitatem . . . . . » 104
II. Quoad rerum creatarum causalitatem, inquantum sunt secundæ causæ efficientes, exemplares et finales. » 105

§ III. *De prædicti ordinis mundi pulchritudine, inquantum trinum Ordinem divini Artificis imitatur* . . . . » 106

I. Integritate . . . . . » 106
II. Claritate . . . . . » 107
III. Proportione, seu harmonia. . . . » 107

LIBER QUARTUS.

EXPLICATUR TRINUS ORDO UNIONIS HYPOSTATICÆ ET ECCLESIÆ UNIVERSÆ.

Proœmium . . . . . pag. 108

Divisio libri in duo Capita.

CAPUT I.

De ordine unionis hypostaticæ.

Divisio Capitis in tres Articulos.

ARTICULUS I. - De unitate et trinitate ordinis unionis hypostaticæ.

§ I. *Unio hypostatica superat omnem unionem naturalem* . . . . . » 108

§ II. *Unio hypostatica superat omnem unionem supernaturalem, gratiae et gloriæ* . . . . . » 109

§ III. *Quomodo ordo unionis hypostaticæ trinus est* . . . . . » 110

ARTICULUS II. - De convenientia ordinis unionis hypostaticæ.

§ I. *Quare conveniens fuit Deum incarnari.* » 112

§ II. *Quare conveniens fuit, quod Filii Dei persona incarnaretur, potius quam alia persona divina.* . . . . . » 113

§ III. *Quare humana natura fuit magis a Verbo divino assumptibilis, quam alia natura.* . . . . . » 114

§ IV. *Quomodo ordo unionis hypostaticæ conveniens est ad complendam perfectionem ordinis universi.* . . . » 114

CAPUT II.

Explicatur hierarchicus ac trinus ordo Ecclesiæ universæ sub Christo Capite.

Divisio Capitis in quatuor Articulos.

ARTICULUS I. - De hierarchichiæ notione.

§ I. *Doctrina S. Thomæ de hierarchiæ definitione et elementis, divisione, actione ac fine, qui est assimilatio supernaturalis ad summum Bonum.* pag. 116

§ II. *Doctrina S. Dionysii Areopagitæ* . » 117

I. Hierarchiæ definitio explicata a S. Thoma . . . . . » 117

II. Finis hierarchiæ, tam cœlestis quam terrestris, est assimilatio ad Deum unitrinum, per purgationem, illuminationem et perfectionem. . . » 118

ARTICULUS II. - De universæ hierarchiæ principe et capite.

§ I. *De Deo unitrino, hierarchiæ Principe extrinseco.* . . . . . » 118

I. Deus unitrinus est supremus Hierarcha . . . . . » 118

II. Sed inter divinas personas, nulla existit hierarchia . . . . . pag. 118

§ II. *De Christo, hierarchiæ Capite intrinseco* . . . . . » 119

I. Christus multo convenientius dicitur Caput quam Cor Ecclesiæ, in sensu metaphorico . . . . . » 119

II. Christus est Ecclesiæ Caput, secundum humanam suam naturam . . » 119

III. Christus est Ecclesiæ Caput, secundum gratiam habitualem, inquantum connotat gratiam unionis. . » 120

IV. Christus, ut Caput, in membra influit moraliter, non physice. . . » 120

V. Christus, ut Caput, in membra influit bona supernaturalia, principaliter quidem spiritualia, et secundario corporalia . . . . . » 120

VI. Christus est Caput et membrum Ecclesiæ. . . . . » 120

ARTICULUS III. - De aliis universæ hierarchiæ membris, praeter caput.

§ I. *De membris hierarchiæ in genere.* . » 121

I. De hominibus . . . . . » 121

II. De angelis . . . . . » 121

III. De creaturarum irrationalium relatione ad Christum Caput. . . . » 122

§ II. *De membris hierarchiæ cœlestis* . . » 123

I. Quoad ordinem unionis hypostaticæ . . . . . » 123

II. Quoad beatorum hominum ordinationem in hierarchiis angelorum . » 123

§ III. *De membris hierarchiæ terrestris* . » 124

I. De potestate a Christo communicata Superioribus ecclesiasticis. . » 124

II. De hierarchia inter Superiores ecclesiasticos, a Christo instituta . » 124

1°) De terrestris hierarchiæ fine, qui est Ecclesiæ pulchritudo, utilitas et unitas . . . . . » 124

2°) De ejus fundamento, quod est distinctio potestatis, et non gratiæ gratum facientis. . . . . » 125

3°) De ejus gradibus, seu Ordinibus. . . . . » 125

4°) De duplici potestate hierarchica Ordinis et Jurisdictionis . . . » 125

5°) De effectu potestatis hierarchicæ, qui est supernaturalis perfectio totius Ecclesiæ, et singulorum ejus membrorum, ad assimilationem divini Exemplaris unitrini. . . . » 126

III. De analogia, hierarchiæ christianæ in hac terra, cum hierarchia mosaica, et hierarchia cœlesti. . . » 126

ARTICULUS IV. - De trinitate et pulchritudine hierarchiæ universæ.

§ I. *De trinitate hierarchiæ universæ* . » 127

I. De trinitate in Ecclesiæ partibus . » 127

II. De trinitate in Ecclesiæ statibus . » 128

III. De unitate et trinitate in Ecclesiæ qualitatibus, seu notis . . . . » 128

§ II. *De pulchritudine hierarchiæ universæ* . . . . . pag. 129
I. De hierarchiæ universae integritate . . . . . » 129
II. De ejus claritate . . . . . » 129
III. De ejus harmonia . . . . . » 130

LIBER QUINTUS.

EXPLICATUR TRINA DIVERSORUM ORDINUM ANALOGIA.

Divisio Libri in tria Capita.

CAPUT I.

De trina analogia inter totum ordinem exemplatum, et Ordinem exemplarem.

Prænotanda. – Hæc analogia est consequentia necessaria doctrinæ divini Exemplarismi . . . . . pag. 131
§ I. *De principio, medio et termino, in Ordine mere exemplari* . . . . » 132
§ II. *De principio, medio et fine perfectionis, in mundi ordine mere exemplato* . . . . . » 132
§ III. *De supremo, medio et infimo gradu perfectionis, in ordine unionis hypostaticæ, exemplari simul et exemplato* . . . . . » 134
Schema analogiæ trium prædictorum ordinum . . . . . » 135

CAPUT II.

De trina analogia inter varios ordines exemplatos in majori mundo.

§ I. *De trina analogia inter ordinem materialem, et ordine spiritualem* . . pag. 137
§ II. *De trina analogia inter ordinem seu lineam essendi, et lineam operandi.* » 137
§ III. *De trina analogia inter ordinem naturalem, et ordinem supernaturalem.* » 137
§ IV. *De trina analogia inter ordines particulares, et ordinem universalem* . » 138
§ V. *De distinctione et trina analogia ordinis realis, et ordinis rationis.* . » 139
§ VI. *De distinctione ac trina analogia ordinis physici, et ordinis moralis.* » 140
§ VII. *De trina analogia inter ordinem privatum, ac ordinem socialem, et ordinem omnium societatum inter se.* » 141

CAPUT III.

De trina analogia in ordinibus exemplatis minoris mundi, seu hominis.

§ I. *De trina analogia inter ordinem majoris et minoris mundi* . . . . pag. 142
I. Quoad partes constitutivas . . . » 142
II. Quoad gubernationem . . . . . » 143
III. Quoad finem gubernationis, qui est assimilatio ad Deum unitrinum . » 143
§ II. *De trina analogia inter ordinem corporis, et ordinem animae hominis* . » 143
§ III. *De trina analogia et differentia inter ordinem operationis Dei, et hominis.* » 144

PARS SECUNDA

PROBATUR DOCTRINA DIVINI EXEMPLARISMI EX S. SCRIPTURA, TRADITIONE ET RATIONE

SYNOPSIS LIBRORUM

QUI IN HAC SECUNDA PARTE CONTINENTUR.

In Parte I, *explicarimus* philosophica et theologica divini Exemplarismi principia.

In Parte II, *probanda* est nostra doctrina ex triplici fonte universæ sapientiæ, nimirum: 1°) Ex Scriptura sacra; 2°) ex sanctis Ecclesiæ Patribus; 3°) ex ratione theologica, et etiam philosophica, quando agetur de Exemplarismo in ordine naturali.

Materia autem hoc triplici argumento probanda, in quinque Libros sequentes dividitur:

LIBER I. Probatur trinus Ordo exemplaris.

LIBER II. Probatur trinus ordo exemplarium in Mente divini Artificis.

LIBER III. Probatur trinus ordo majoris mundi exemplatus, et peccato turbatus.

LIBER IV. Probatur trinus ordo minoris mundi, seu hominis, exemplatus.

LIBER V. Probatur trinus ordo unionis hypostaticæ in Jesu Christo, mundi Reformatore, exemplaris simul et exemplatus, et trinus ordo Ecclesiæ christianæ exemplatus.

LIBER PRIMUS.

PROBATUR TRINUS ORDO EXEMPLARIS.

PROŒMIUM. — In Partis I initio *explicavimus*, divinam Formam in se unam, simplicissimam et infinite perfectam, sed personis trinam, esse Ordinem increatum, et supremum Artificem atque Exemplar trini ordinis creati.

Nunc in tribus Capitibus *demonstrandæ sunt:* 1°) Existentia et perfectio primæ Causæ efficientis, exemplaris ac finalis omnis ordinis creati; 2°) Existentia trium personarum in suprema Causa; 3°) Causalitas trium personarum divinarum.

CAPUT I.

PROBATUR EXISTENTIA ET PERFECTIO PRIMÆ AC TRINÆ CAUSÆ OMNIS ORDINIS CREATI.

Demonstrabimus: 1°) Existere primam mundi Causam efficientem, exemplarem et finalem, quæ Deus est; 2°) primam Causam esse Formam simplicissimam; 3°) Formam perfectam infinite.

PROPOSITIO I.

EXISTIT PRIMA MUNDI CAUSA EFFICIENS, EXEMPLARIS ET FINALIS, QUÆ DEUS EST.

194. — Prænotanda. — I. Existentia Dei, Creatoris mundi, de fide est ex Concilio Vaticano, Const. de Fide cath., cap. 1: « Sancta Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ. » Et Can. 1: « Si quis unum verum Deum, visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema sit. »

Insuper *de fide est*, Deum esse non tantum *efficientem* mundi Causam seu Creatorem, sed etiam primam Causam *finalem*. Dicitur enim in eodem capite: « Hic solus verus Deus Bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad *manifestandam perfectionem suam* per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio, simul ab initio temporis, utramque *de nihilo condidit creaturam*, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. » Et Can. 5: « Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam, a Deo ex nihilo esse productas... aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit. »

II. De fide est Creatorem mundi, naturaliter ex suo opificio cum certitudine cognosci posse.

Sic enim sonat Can. 1 de Revelat.: « Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine, certo cognosci non posse, anathema sit. »

Sed tamen etiam *de fide est*, quod non obstante hac cognitione naturali, possibile est atque expedit, ut supernaturali revelatione de Deo edoceamur. Dicitur enim ibid. Can. 2: « Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit. »

III. Quod Deus sit demum prima omnium rerum Causa exemplaris, et quod in ejus Mente sint omnium creaturarum suarum ideæ, non est quidem de fide, sed certissimum apud omnes sapientes. Dicit Toletus in 1. S. Thomæ, q. 15, art. 1: « Hæc conclusio est fere de fide; et quamvis theologi discordent in eo quod est, quæ sit idea hæc, tamen quod idea sit, nullus negat. » Consonat Suaresius lib. 3 de Deo, cap. 5: « Esto

vero non habeatur hæc assertio expresse in Scriptura, tamen in his quæ docet fides de modo operationis Dei ad extra, tam evidenter colligitur, tamque communi consensu Patrum et theologorum recepta est, ut in dubium revocari non possit.»

IV. Inter doctores catholicos disputatur de modo, quo Dei unius existentia cognoscitur per viam rationis naturalis, utrum intuitive per innatam nobis Dei ideam, an discursive per demonstrationem. — Et rursus utrum per demonstrationem a simultaneo, an per demonstrationem a posteriori, scilicet ex divinis effectibus. Hanc disputationem elucidare conabimur in Tomo III, Parte II.

Sufficiat nunc dicere, nos cum S. Thoma negare, existentiam Dei naturaliter ab homine cognosci *per innatam Dei ideam*, aut demonstrari *argumento a simultaneo*. Unde utemur *solo argumento a posteriori*, quod non in ratione tantum fundatur, sed etiam in supernaturali doctrina Scripturæ ac Patrum, sicut ex argumentis sequentibus apparebit.

Argumentum I.

Ex Scriptura sacra.

Libri sancti variis in locis testantur: 1°) Divini Artificis existentiam ab omnibus hominibus cognosci posse ex mirabilis opificii sui spectaculo; 2°) Deum esse primam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem; 3°) Deum omnia fecisse ex nihilo, seu creasse.

§ I.

Dei existentia naturaliter a nobis cognoscitur ex creaturis sensibilibus.

195. — 1°) Dicit Job 12, v. 7 etc.: *Interroga jumenta, et docebunt te; et volatilia cœli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? in cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis.*

Legitur in Sap. 13, v. 1 etc.: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui Est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset Artifex.... Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.*

2°) Canit Psalmista, Ps. 18: *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

Juxta Davidem, Ps. 99, v. 3, possumus Deum cognoscere ex eo, quod sumus opificium ejus: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Et Ps. 118, v. 73: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me.*

3°) S. Paulus de omnibus hominibus ait in concione sua ad Areopagum; Act. 14, v. 16: *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit* (Deus), *benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra.*

Ad Romanos 1, v. 19, 20 et 21 scribit de Gentilibus: *Quod notum est Dei manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor illorum.*

§ II.

Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis.

196. — 1°) Dicitur ad Rom. 11, v. 36: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula. Amen.*

Hæc verba sequenti modo a S. Thoma explicantur in Epist. ad Rom., cap. 11, lect. 5: «Ad designandam Dei causalitatem, utitur tribus præpositionibus *ex, per, in*..... Quod autem dicit *omnia*, est absolute accipiendum pro omnibus quæ habent verum esse; peccata autem non habent verum esse..... Sic autem omnia sunt *ex ipso*, scilicet Deo, sicut ex prima operatrice Potentia; omnia autem sunt *per ipsum*, in quantum omnia facit per suam Sapientiam; omnia sunt *in ipso*, sicut in Bonitate conservante..... *In ipso* designat habitudinem causæ finalis, secundum quod totum bonum rei et conservatio ipsius consistit in suo optimo, et secundum hoc dicuntur omnia esse in Deo, sicut in Bonitate conservante.» Omnes norunt Potentiam divinam referri ad causam *efficientem;* Sapientiam, ad

causam *exemplarem;* et Bonitatem, ad causam *finalem.*

2°) Alii textus probant Deum esse Causam efficientem et finalem, sive principium et finem omnium rerum. Verbi gratia Isaï. 41, v. 4: *Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.* Ibid. 44, v. 6: *Ego primus et novissimus, et absque me non est Deus.* — Item 48, v. 12 et 13: *Ego ipse, ego primus et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos.* In Apoc. 1, v. 8: *Ego sum et principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est.* — Ibid. 21, v. 6: *Ego sum Alpha et Omega, initium et finis.* — Item 22, v. 13: *Ego sum primus et novissimus, principium et finis.*

3°) Suprema causa finalis clarissime exprimitur in Prov. 16, v. 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque in diem malum.*

§ III.

Deus omnia effecit ex nihilo.

197. — Legitur in Bibliorum initio: *In principio, creavit Deus cœlum et terram;* jam vero plerique sacræ Scripturæ interpretes, tam hebræi quam christiani, verbum *creavit,* hebraice *barah,* intellexerunt de effectione ex nihilo.

In 2 Machab. 7, v. 28: *Peto nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt; et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus.*

In Isaï. 41, v. 24: *Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est.*

Ad Hebr. 3, v. 4: *Qui autem omnia creavit, Deus est.*

Apoc. 4, v. 11: *Domine Deus noster... tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.*

Argumentum II.

Ex Sanctis Patribus.

Patres Ecclesiæ græcæ et latinæ de Deo disserentes, 1°) existentiam ejus communiter probant ex mirabili ipsius opificio; 2°) docent Deum esse primam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem; vel 3°) supremum mundi Artificem ac Creatorem.

§ I.

Probatur Dei existentia ex miro ejus opificio.

198. — S. Theophilus Antiochenus, ad Autolycum Lib. 1, n.° 5, Patr. g. T. 6, p. 1031: « Quemadmodum anima in homine non videtur, sed licet invisibilis, ex motu corporis intelligitur, ita et Deus humanis oculis videri non potest, sed ex Providentia et operibus videtur et cognoscitur. » Deinde alias adhibet comparationes desumptas ex navi, ex malo punico, ex rege. — In n.° 6 existentiam Dei demonstrat ex universo mundi ordine.

Tatianus in Orat. adv. Græc. n.° 4, Patr. gr. T. 6, p. 811: « Spiritus est Deus, non tamen materiam permeans spiritus, sed materialium spirituum et figurarum, quæ in materia sunt, Opifex, et visu tactuque incomprehensus, quippe cum ipse sensibilium et invisibilium pater exstiterit. Hunc ex his quæ fecit cognoscimus, et potentiam invisibilem ex opificiis apprehendimus. »

Athenagoras, in Legatione pro Christianis, n.° 8, Patr. gr. T. 6, p. 903, probat supremi Artificis unitatem ex impossibilitate plurium unius mundi opificum.

S. Cyrillus Alexandrinus, Patr. gr. T. 73, p. 78: « Ex pulchritudine creaturarum Artificem similitudine quadam cernere licet, et illum qui Est in veritate Deum agnoscere, per quem omnia facta sunt, et facta conservantur. »

S. Gregorius Nazianzenus in Orat. 28, n.° 6, Patr. gr. T. 36, p. 31: « Quonam modo universa hæc rerum moles, vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum natura protulisset atque conservaret? Quemadmodum enim quis piam citharam pulcherrime confectam et elaboratam conspiciens, ejusque concinnitatem et constitutionem, aut etiam ipsius citharæ cantum audiens, nihil aliud quam ipsum citharæ opificem et citharædum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum, eodem quoque modo nobis is, qui res effecit, effectusque movet atque conservat, manifestus est, etiamsi mente minime comprehendatur. »

S. Ambrosius sic commentatur verba Apostoli ad Rom. 1. *Quod notum est Dei manifestum est illis:* « Notitia Dei manifestata est ex mundi fabrica. Ut enim Deus, qui natura invisibilis est, etiam visibilibus possit sciri, opus factum ab eo est, quod Opificem visibilitate sua manifestaret, ut per certum incertum posset sciri, ut per hoc quod cæteris impossibile est, ille esse Deus omnium videretur, qui hoc opus fecit. »

S. Augustinus ait in verba S. Pauli ibidem: *sempiterna quoque virtus ejus et divinitas:* « Utique subaudimus: *intellecta conspiciuntur.* Cur enim attendat opera et non quærat Artificem? Attendis terram fructificantem, attendis mare plenum animalibus suis, attendis aërem plenum volatilibus, attendis cœlum fulgere stellis, et

non quæris tanti operis Artificem? Sed dicis mihi: Ista video, illum non video. Ad ista videnda corporis oculos dedit; ad se videndum, mentem. Neque enim et animam hominis vides. Sicut ergo ex moribus et administratione corporis animam quam non vides, intelligis, sic ex administratione totius mundi, et ex regimine ipsarum animarum intellige Creatorem. »

S. Hilarius in lib. 1 de Trinit., n.° 7, Patr. lat. T. 10, p. 30, Creatoris pulchritudinem ex mundi pulchritudine concludit: « Pulchrum itaque cœlum, æther, terra, maria et universitas omnis est, quæ ex ornatu suo, ut etiam Græcis placet, digne Κόσμος, id est mundus, nuncupari videtur... Nonne hujus ipsius pulchritudinis Dominum necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum intelligi, ut cum æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus non relinquat ornatus? »

S. Isidorus Hispalensis in lib. 1 Sentent., cap. 4, Patr. lat. T. 83, p. 543, cum S. Hilario docet divini Creatoris et Artificis existentiam et pulchritudinem posse ex ejus opificii pulchritudine cognosci: « Sæpe ad incorpoream Creatoris magnitudinem creaturarum corporea magnitudo componitur, ut magna considerentur ex parvis, et ex visibilibus invisibilia æstimentur, atque ex pulchritudine factorum, effector operum cognoscatur, non tamen parilitate consimili, sed ex quadam subdita et creata specie boni. Sicut Ars in artificem retorquet laudem, ita rerum Creator per creaturam suam laudatur; et quanto sit excellentior, ex ipsa operis conditione monstratur. Ex pulchritudine circumscriptæ creaturæ, pulchritudinem suam, quæ circumscribi nequit, facit Deus intelligi, ut ipsis vestigiis revertatur homo ad Deum, quibus aversus est, ut qui per amorem pulchritudinis creaturæ, a Creatoris Forma se abstulit, rursum per creaturæ decorem ad Creatoris revertatur pulchritudinem. »

§ II.

Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis.

199. — S. Dionysius Areopagita in cap. 4 de div. Nomin., § 7, Patr. gr. T. 3, docet divinam Bonitatem et Pulchritudinem esse primam Causam efficientem, exemplarem et finalem: « Pulchrum est omnium principium, ut *causa efficiens* et movens, et universa propriæ pulchritudinis amore continens; et ut finis omnium, atque id quod appetitur tanquam *causa finalis*, nam pulchri gratia cuncta fiunt; et *exemplaris*, quia secundum illud omnia definiuntur. Quamobrem idem est pulchrum atque bonum, quoniam omnia secundum eamdem causam pulchrum et bonum appetunt. » — Ibidem § 10 asserit sanctus auctor omnes causas secundas, tam efficientes, exemplares et finales, quam formales et materiales, derivari a divina Bonitate ac Pulchritudine sicut a prima Causa: « Et ipsius *(boni et pulchri)* gratia et propter ipsum et in ipso est omne principium *exemplare, finale, efficiens*, formale, materiale, et denique omne principium, omnis conservatio, omnis finis; et, ut summatim dicam, omnia quæ sunt ex pulchro et bono existunt, et omnia quæ non sunt, in pulchro et bono sunt superessentialiter, et est omnium principium superprincipale, et finis supraperfectus; quoniam *ex* ipso, et *per* ipsum et *in* ipso, et *ad* ipsum sunt omnia, sicut ait Scriptura. »

Boetius in lib. 3 de Consolat. Philos. metr. 9, Patr. lat. T. 63, p. 763, docet divinam Formam esse primam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem ac finalem, quæ omnia opera sua a seipsa, per et juxta seipsam, atque ad seipsam operatur: Est enim Deus

Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Ibidem p. 758 Deum primam Causam efficientem et exemplarem sic alloquitur:

O qui perpetua mundum ratione gubernas.....
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma Boni, livore carens; tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans,
Perfectasque jubes perfectum absolvere partes.

S. Bernardus, lib. 5 de Consider. cap. 6, n.° 14 Patr. lat. T. 182: « Quid est Deus? *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia* (Rom. 11, v. 36). Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium auctorem atque alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. — Ex quo omnia tanquam uno Principio, Auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur locus. — Ex quo omnia, non de quo, quia non est materia Deus; efficiens causa est, non materialis. Frustra philosophi materiam quærunt; non eguit materia Deus. Non enim officinam quæsivit, non artificem; ipse per se omnia fecit. Unde? De nihilo; nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Absit ut de sua incorrupta incorruptibilique substantia tam multa fecerit; etsi bona, corruptibilia tamen. »

Alii Patres singulis Trinitatis divinæ personis appropriant tres præpositiones *ex* quo, *per* quem, *in* quo, qui trinam causalitatem designant. Illorum testimonia infra referemus n.° 253.

§ III.

Deus est supremus mundi Artifex et Creator.

200. — Artifex est causa aliquod opificium efficiens per intellectum seu artem, quæ supponit aliquod exemplar, et per liberam voluntatem. Jam vero, Deus passim a sanctis Patribus vocatur mundi Artifex sive Opifex, et sæpe ab eis dicitur omnia fecisse ex nihilo, seu creasse.

Origenes Deum sæpe designat sub nomine Opificis, verbi gratia Comment. in Joan. cap. 1: « Cæterum non præsentis est temporis probare quod mundi Opifex et fabricator fecerit mundum. »

S. Irenæus lib. 2 adv. hæres., cap. 10, n.° 4: « Homines non possunt aliquid facere ex nihilo, sed ex materia subjacenti; Deus autem hominibus hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suæ, cum ante non esset, ipse adinvenit. »

S. Gregorius Nyss. Orat. 2 in verba *Faciamus hominem*, Deum comparat figulo et sculptori. Item in *Hominis opificio*, Deum, inquantum hominem moraliter per virtutes perfecit, assimilat pictori.

S. Methodius in Fragm. ex lib. de Creatis n.° 4, Patr. gr. T. 18, p. 338, dicit: « Deus omnia arte distinguendo confecit, velut eximius pictor e multis coloribus unam exprimens ideam. » Et n.° 5, p. 339: « Comparandus est Artifex Deo, et statua mundo. »

Tertullianus adv. Prax. cap. 5, Patr. lat. T. 2, p. 160, hominem sequentibus verbis alloquitur: « Recognosce, ut ex imagine et similitudine Dei, quam habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali Artifice factus. » Et in cap. 5 de Resurr. carnis, T. 2, p. 801: « Incipiat jam tibi caro placere, cujus Artifex tantus est. »

Lactantius in cap. 2 de Opificio Dei, Patr. lat. T. 6: « Dedit homini Artifex ille noster ac parens sensum atque rationem. » Ibid. cap. 15, de philosophorum opinionibus circa humanam vocem dicit: « Quod quidem an verum sit, Deus Artifex viderit. » — In lib. 2 div. Instit. cap. 9, contra Ciceronem probat divinum Artificem omnia fecisse ex nihilo.

S. Augustinus, Serm. 36 de temp., Bapt. Christi, docet Deum esse omnis boni Artificem, tam in ordine morali quam in ordine physico: « Ipse enim est Artifex, qui hujus mundi machinam non solum mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricavit. Tanquam sapiens architectus cœlum sublimitate suspendit, terram mole suspendit, maria calculis alligavit. Ipse est Artifex, qui in moribus nostris præcidit superflua opera, utilia quæque conservat. Ipse est Artifex cujus securim ad radicem nostram positam Joannes Baptista comminatur... »

S. Petrus Chrysologus in Serm. 48, Patr. lat. T. 52, p. 334: « Christus erat fabri filius, sed illius qui mundi fabricam fecit..... qui cuncta fecit ex nihilo, et fecit, o homo, tibi, ut Opificem operis æstimatione pensares..... Et quis talis faber, qualis est iste qui ex nihilo tantum et talem fabricatus est mundum? Et quis faber talis, qui totius bonæ artis solus Auctor, solus largitor existit? »

S. Anselmus in Monolog. cap. 11, Patr. lat. T. 158, ostendit quantum differunt divinus Artifex, qui totum opificium suum ex seipso excogitavit atque ex nihilo perfecit, et humanus artifex, qui opificiorum suorum ideas ex divinis opificiis abstrahit, eaque non perficit nisi ex præexistente materia.

Alii Patres, quos postea citabimus n.° 253, docent totam Trinitatem esse mundi Artificem.

Argumentum III.

Ex catholicis doctoribus.

Sufficiat rationes existentiæ Dei referre, quas tradunt doctor angelicus, doctor seraphicus, et B. Albertus Magnus.

§ I.

Probatur ex S. Thoma.

201. — I. Doctor angelicus, in 1. q. 44, demonstrat *Deum esse primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem omnium rerum.* Passim docet *Deum esse supremum mundi Artificem;* verbi gratia in 1. q. 27, art. 1, ad 3^{m}: « Deus, qui est primum Principium rerum, comparatur ad res creatas, ut artifex ad artificiata »; 1. q. 14, art. 8, corp.: « Sic enim Scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia Artificis se habet ad artificiata »; 1. q. 22, art. 2, corp.: « Deus omnia cognoscit, et universalia, et particularia. Et cum cognitio ejus comparetur ad res, sicut cognitio artis ad artificiata, necesse est quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis. »

Primæ autem Causæ, seu supremi Artificis, existentiam ex ipsius opificio probat in 1. q. 2,

art. 3, corp., ubi dicitur: **"Deum esse, quinque viis probari potest."**

1°) « PRIMA AUTEM ET MANIFESTIOR VIA EST, QUÆ SUMITUR EX PARTE MOTUS. Certum est enim et sensu constat, aliqua moveri in hoc mundo: omne autem quod movetur, ab alio movetur. Nihil enim movetur, nisi secundum quod est in potentia ad illud, ad quod movetur: movet autem aliquid secundum quod est actu; movere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliquod ens in actu; sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet et alterat ipsum. Non autem est possibile ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa; quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Impossibile est ergo, quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum. Omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri. Si ergo id a quo movetur movcatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hîc autem non est procedere in infinitum, quia sic non esset aliquod primum movens, et per consequens nec aliquod aliud movens, quia moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet nisi per hoc quod est motus a manu. Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur; et hoc omnes intelligunt Deum. »

2°) « SECUNDA VIA EST EX RATIONE CAUSÆ EFFICIENTIS. Invenimus enim in istis sensibilibus, esse ordinem causarum efficientium, nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile. Non autem est possibile, quod in causis efficientibus procedatur in infinitum, quia in omnibus causis efficientibus, primum est causa medii, et medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum tantum; remota autem causa, removetur effectus; ergo si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum, nec medium. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens; et sic non erit nec effectus ultimus, nec causæ efficientes mediæ, quod patet esse falsum. Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant. »

3°) « TERTIA VIA EST SUMPTA EX POSSIBILI ET NECESSARIO, quæ talis est: Invenimus enim in rebus quædam, quæ sunt possibilia esse et non esse, cum quædam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibilia esse et non esse. Impossibile est autem omnia quæ sunt talia, semper esse, quia quod possibile est non esse, quandoque non est. Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc verum est, etiam nunc nihil esset, quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquid, quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit quod aliquid inciperet esse, et sic modo nihil esset; quod patet esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia; sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem necessarium vel habet causam suæ necessitatis aliunde, vel non habet; non est autem possibile, quod procedatur in infinitum in necessariis, quæ habent causam suæ necessitatis, sicut nec in causis efficientibus, ut probatum est; ergo necesse est ponere aliquid quod per se sit necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis, quod omnes dicunt Deum. »

4°) « QUARTA VIA SUMITUR EX GRADIBUS qui in rebus inveniuntur. Invenitur enim in rebus aliquid magis et minus bonum, et verum, et nobile, et sic de aliis hujusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est; sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maxime calido. Est igitur aliquid, quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens maxime Ens; nam quæ sunt maxime vera sunt maxime entia, ut dicitur 2. Metaph. — Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere est causa omnium, quæ sunt illius generis; sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem libro dicitur. Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa esse, et bonitatis, et cujuslibet perfectionis, et hoc dicimus Deum. »

5°) « QUINTA VIA SUMITUR EX GUBERNATIONE RERUM. Videmus enim quod aliqua, quæ cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem, quod apparet ex hoc quod semper aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur id quod est optimum. Unde patet quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem, quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem; et hoc dicimus Deum. »

202. — II. S. Thomas ibidem refutat objectiones existentiæ Dei oppositas.

Objectio 1.ª « Si unum contrariorum fuerit infinitum, totaliter destruetur aliud. Sed hoc in-

telligitur in hoc nomine *Deus*, scilicet quod sit quoddam Bonum infinitum. Si ergo Deus esset, nullum malum inveniretur; invenitur autem malum in mundo; ergo Deus non est. »

Respondet: « Dicendum quod sicut dicit Augustinus in Enchirid. cap. 11, Deus cum sit summe bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens et bonus, ut benefaceret etiam de malo. Hoc ergo ad infinitam Dei Bonitatem pertinet, ut esse permittat mala, et ex eis eliciat bona. »

Objectio 2.ª « Quod potest compleri per pauciora, non fit per plura. Sed videtur, quod omnia quæ apparent in mundo, possunt compleri per alia principia, supposito quod Deus non sit; quia ea quæ sunt naturalia, reducuntur in principium, quod est natura; ea vero quæ sunt a proposito, reducuntur in principium, quod est ratio humana, vel voluntas. Nulla igitur necessitas est ponere Deum esse. »

Respondet: « Dicendum quod cum natura propter determinatum finem operetur ex directione alicujus superioris agentis, necesse est ea quæ a natura fiunt, etiam in Deum reducere, sicut in primam Causam. Similiter etiam quæ ex proposito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem causam, quæ non sit ratio et voluntas humana, quia hæc mutabilia sunt et defectibilia; oportet autem omnia mobilia et deficere possibilia, reduci in aliquod primum Principium immobile et per se necessarium, sicut ostensum est. »

203. — III. **Conclusio:** Manifestum est, doctorem angelicum, in loco præcitato, *existentiam primæ, necessariæ ac trinæ Causæ efficientis, exemplaris et finalis*, quæ Deus est, probare *ex universo ordine naturali*, quem in mundo conspicimus. Videmus enim in variis rebus quæ mundum constituunt, ordinem causarum efficientium; ordinem inæqualis excellentiæ; ordinem motus ad finem, etiam in iis qui ratione carent; ordinem necessarium et contingentem. — Atqui, nisi in infinitum procedatur, perveniendum est ad primam Causam efficientem omnium substantiarum creatarum ac motuum ipsarum; ad primam Causam exemplarem cujus excellentia sit typus omnium graduum excellentiæ; ad primam Causam finalem et intelligentem, quæ omnia gubernet ad bonum universale, quod est sui ipsius assimilatio; ad primam Causam per se necessariam, quæ sit principium omnis necessitatis et contingentiæ. — Ergo universus ordo naturalis exigit primam, necessariam ac trinam Causam efficientem, exemplarem et finalem, ad quam reducantur omnia in mundo ordinata.

Necessitatem primæ Causæ exemplaris in specie, ex praedicta S. Thomæ doctrina, sequenti modo concludit Billuart, De Deo, diss. 1, art. 2: « Videmus inter entia quædam esse magis vel minus entia, magis vel minus perfecta. — Atqui magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant magis vel minus ad aliquid quod est magis tale, et de illo diversimode participant; sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maxime calido, et de eo magis participat. — Ergo datur in rerum natura aliquod Ens summe perfectum, summe nobile, summe ens, et quidem quod sit Causa aliorum perfectorum vel efficiens, vel saltem exemplaris, utpote ex cujus accessu vel recessu, majori vel minori participatione, imitatione vel defectione, descendat aut mensuretur aliorum perfectio. Etenim, juxta commune axioma, primum in unoquoque genere est causa cæterorum, quæ sunt illius generis, efficiens scilicet, vel exemplaris. — Dico: *vel exemplaris*, quia si primum in unoquoque genere non sit semper causa efficiens cæterorum illius generis, sicut verbi gratia ignis est causa omnium calidorum, est saltem causa exemplaris. Perfectiora enim alicujus generis sunt ad minus exempla imperfectiorum illius generis. »

§ II.

Probatur ex S. Bonaventura.

204. — I. **Necessitas primæ Causæ efficientis, exemplaris et finalis** sic probatur a doctore seraphico in 1. dist. 3, Dub. 4: « In tota philosophia supponitur status in causis, juxta Aristotelem, Phys., lib. 7, context. 3; et ideo *omne mutabile* reducitur ad immutabile, quia in mutabili non est status in genere efficientis, nisi in movente non moto; omne enim quod movetur, ab alio movetur. Similiter *bonum et melius* reducuntur ad optimum, quia non est status in genere finis, nisi in optimo. Similiter *pulchrum et pulchrius*, ad pulcherrimum, quia non est status in genere speciei et formæ, nisi in Eo quod est ipsa species per essentiam. » Et mox de his tribus rationibus subjungit: « Considerant ordinem, et distinguuntur secundum ordinem in triplici genere causæ, ut *efficientis*, sive moventis, *finientis* et *exemplaris*. »

In Declarat. termin. theol., Tom. 7 oper., p. 235, edit. Vivès: « *Deus est Causa efficiens* mundi; ratione ejus est in creatura unitas, modus et mensura. *Deus est Causa exemplaris* mundi; ratione ejus est in creaturis veritas, species et numerus. *Deus est Causa finalis* mundi; ratione cujus est in creatura bonitas, ordo et pondus. »

In Hexæm. serm. 16, T. 9, p. 205: « Deus est rerum triplex Causa, scilicet *efficiens, exemplaris* et *finalis*, sed nullo modo materialis. »

In Reduct. artium ad Theolog., T. 7: « Metaphysica est circa cognitionem omnium entium, quæ reducit ad unum primum Principium, a quo exierunt secundum rationes ideales, sive ad Deum, inquantum *Principium, finis* et *Exemplar.* »

In 2. dist. 1, art. 1, *asserit Deum esse mundi Artificem:* « Est agens secundum naturam et secundum intellectum. Agens secundum naturam producit per formas, quæ sunt veræ naturæ, sicut homo hominem, et asinus asinum. Agens per intellectum producit per formas, quæ non sunt aliquid rei, sed ideæ in mente, sicut artifex producit arcum. Et sic productæ sunt res, et hoc modo sunt formæ rerum æternæ, quia sunt Deus. »

Ibid., dist. 37, art. 1, q. 2, ad 2^m, *indicat differentiam inter humanum artificem, et Deum mundi Creatorem:* « Artifex creatus sic facit rem, quod non facit ejus principia intrinseca; non enim potest in totam rei substantiam, et propterea res facta conservari potest in primis et propriis principiis, quæ non dependent a potestate artificis. Non sic autem est in opere Dei: omne enim opus, quod Deus facit, secundum totum sui facit, et ideo totaliter ab ipso dependet, et sine ejus adjutorio conservari non potest. »

205. — II. **Dei existentia** sic probatur in Serm. 11 in Hexæmer., T. 9 oper.: « Deum esse tripliciter probatur, secundum viam ordinis, originis, completionis.

1°) » Secundum viam ordinis, tripliciter: secundum rationem posterioris ad prius, et inferioris ad superius, et temporis ad ævum, vel ævi ad æternitatem.

» Manifestum est enim, si est posterius, est prius, ergo et primum; Ergo in isto ordine per posteriora ad priora, et ad primum pervenitur. Omnia enim vel sunt posteriora, vel media, vel prima.

» Secundo est ordo inferioris ad superius, et superioris ad summum, quæ habent essentialem ordinem et dependentiam secundum ordinem naturæ; et non dicitur hic prius et posterius secundum lineam prædicamentalem, sed secundum magis nobile et minus.

» Tertio est ordo temporis ad ævum, et ævi ad æternitatem; quia si est aliquid propter aliud creatum, et illud creatum erit propter increatum, et increatum erit propter se; ut si est res temporalis propter animam, et anima propter Deum, necessario ergo Deus propter se est.

» Secundum ordinem ergo causalitatis, dignitatis et finis, omnia declarant esse primum et ultimum in ratione producendi; sed ultimum in ratione fiendi. Hoc ergo secundum rationem ordinis. »

2°) » Alio modo creatura dicit Deum esse secundum rationem originis, ut si est ens creatum, est Ens increatum; et si est ens per participationem, est Ens per essentiam; si est ens per compositionem, est Ens per simplicitatem; et si est ens per multiformitatem, est Ens per uniformitatem, vel identitatem.

» Primo dicendum, quod omne creatum ponit causam, et universitas causatorum ponit Causam primam universalem. Tunc quæro de illa causa: aut est creata, aut non; si sic, est abire ad infinitum; si non, habes propositum.

» Item ens per participationem ab eo habet esse, quod est Ens per essentiam, quia fluit ab eo.

» Similiter omne compositum est a componentibus; similiter et partes, cum sint ab invicem, sunt ab aliquo simplicissimo absoluto.

» Similiter de multiformitate; si enim est ens per multiformitatem, est ens per uniformitatem, ut in numeris; quia necesse est devenire ad unitatem.

» Hoc ergo ratione originis. »

3°) « Tertio modo ratione completionis, si est esse potentiale, est esse actuale; si est esse mutabile, est esse immutabile; si est esse secundum quid, est esse simpliciter; si est esse dependens, est esse absolutum; si est esse in genere, est esse extra genus.

» Ens autem potentiale venit ab actuali esse, necessario in diversis; sed in eodem, esse potentiale præcedit esse actuale.

» Similiter mutabile est fluens ab immutabili fixo.

» Similiter creatura essentialiter dependens a Primo, et materia et forma, et etiam accidens magis dependet a Deo, quam a suo subjecto; quia Deus potest facere, ut sit sine subjecto, ut in Sacramento altaris; sed non quod non dependeat ab Eo.

» Similiter si est ens secundum quid, erit ens simpliciter, in his quæ nata sunt esse simpliciter; ut si est sapiens secundum quid, est sapiens simpliciter.

» Si est ens in genere, est ens extra genus. Ens enim in genere habet differentias coarctantes; et tale non habet posse, esse et agere universaliter. Unde Deus est Ens extra genus, et supra genus. »

4°) « Hæ igitur speculationes ordinis, originis et completionis, ducunt ad illud Esse primum, quod repræsentant omnes creaturæ. Hoc enim nomen scriptum est in omnibus rebus. Et sunt hæ conditiones entis, super quas fundantur certissimæ illationes. Unde dicit auctor libri de Causis, Propos. 4, in princip.: Prima rerum creatarum omnium est esse. »

III. **Dei existentia iterum probatur a posteriori** in tribus primis Capitibus Itinerarii mentis ad Deum, quæ sic inscribuntur: « 1°) De gradibus ascensionis in Deum, et de speculatione ipsius per vestigia ejus in universo. 2°) De speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo. 3°) De speculatione Dei per suam imaginem, naturalibus potentiis insignitam. »

§ III.

Probatur ex B. Alberto Magno.

206. — Necessitas primi Principii in omni ordine causarum, quorum primum Principium est Deus; probatur ex omnium sapientium judicio, sicut ipse asserit B. Albertus in Summa theolog., pars 1, tract. 13, q. 55, memb. 1, opp. T. 21: « Deus autem Causa prima est, sicut omnes testantur philosophi et sancti. » Ergo demonstrare necessitatem primi Principii est demonstrare Dei existentiam. Sequenti modo loquitur præclarus doctor in lib. De causis et processu universitatis a prima Causa, Tract. 1, cap. 7, opp. T. 7:

« Ad probandum unum primum Principium in omni genere causarum, licet multæ sunt viæ, tamen una est potissima, scilicet quod in omni genere causarum et rerum, in quibus invenitur medium compositum ex extremis, necesse est invenire extrema simplicia. *In omni autem genere causarum* invenitur quod est causa et causatum. — Similiter probat Aristoteles in 8 Physicor., quod si *in genere moventium* et motorum invenitur movens motum, necesse est invenire movens tantum et motum tantum. Et movens tantum erit primum, motum tantum erit ultimum. Si enim dicatur, quod infinita sunt media moventia et mota, sive causantia et causata, constat quod quodlibet illorum erit compositum ex virtutibus compositis moventis et moti, seu causantis et causati. Omne autem compositum resolvitur in componentia. Causans ergo causatum resolvitur in id quod est ante se ut causans, et in id quod est post se ut causatum. Infinitis ergo existentibus secundum principium et finem mediis, sequitur quod infinitum secundum principium resolvitur in id, quod est ante se secundum principium, quod est omnino impossibile; infinitum enim secundum principium non habet principium, et sic contradictoria erunt simul vera, quia habebit principium, et non habebit principium. — Et similiter sequitur *ex parte finis;* resolvitur enim causans causatum in aliud post se secundum finem; et cum infinitum secundum finem non habeat finem, sequitur quod idem secundum idem habebit finem, et non habebit finem, quod omnino impossibile est. Impossibile autem ex hoc sequitur, quod causans causatum præcedat in infinitum... »

« Hoc autem est secundum omnem ordinem causæ. Oportet ergo, quod *in genere efficientis,* aliquid sit efficiens tantum, quod est primum; aliud effectum tantum, quod est ultimum; aliud efficiens et effectum, quod est medium. — Et similiter *in genere causæ formalis,* necesse est quod aliquid sit, quod est forma tantum; et aliud formatum tantum; et aliud medium, quod sit formans et formatum. — Et similiter *in genere causæ finalis,* aliquid erit finis tantum, ad nihil aliud referibile; aliud finitum tantum, quod ad aliud refertur, et non consequitur ultimum finem; et aliquid finis et finitum: finis alicujus quod intendit ipsum, finitum autem per hoc quod refertur ad aliud, quod per ipsum intenditur. — Eodem modo est *de materia:* aliud enim est omnium materiatorum subjectum; aliud autem et subjectum, et alio determinatum. Status igitur est in omnibus causis. Oportet ergo, quod aliquid sit primum efficiens et omnium, et primum movens et omnium. »

Argumentum IV.

Ex paganis philosophis.

Primo referemus doctrinam philosophorum paganorum in genere, ac deinde duorum inter illos principum, nimirum Platonis et Aristotelis, qui *idealem* et *realem* humani ingenii indolem summo gradu possederunt.

§ I.

Generalis sapientium ethnicorum doctrina de Dei existentia et causalitate.

207. — I. Non obstantibus ineptis fabulis, quibus doctrinam suam involverunt, omnes ethnici sapientes, ex rerum mundum constituentium bonitate, motu et ordine, concluserunt *existentiam alicujus primi ac intelligentis Principii* omnis boni, vel motus, vel ordinis, eique varia nomina dederunt. Primum enim principium apud *Indos* vocatur Brahma; apud *Sinenses,* Tao; apud *Persas,* Ormuzd; apud *Ægyptios,* Piromis; tandem a *Pythagoræis* agnoscitur ut Monas, seu suprema unitas; a *Platonicis,* ut mundi Artifex ac gubernator; *ab Aristotele* ejusque discipulis, ut purus Actus primusque omnium Motor. In omnibus enim Paganorum religionibus, primum boni principium, seu supremus Deus, distinguitur a diis inferioribus, seu dæ-

monibus, qui bonitatem suam et divinitatem ab eo participant.

II. Sed licet pagani sapientes consentiant *circa existentiam primi principii*, magna apud eos animadvertitur ignorantia et discrepantia *circa modum quo omnia bona ex primo Principio exorta sunt*, et *circa mali originem*. Omnes quidem perspexerunt mundum componi substantiis spiritualibus et substantiis materialibus; atque in rebus materialibus, spiritum vel formam, utpote simplicem, esse elementum unitatis, motus, activitatis, perfectionis et ordinis; materiam autem esse elementum multiplicitatis, inertiæ, passivitatis, imperfectionis et physicæ inordinationis. Quomodo autem spiritus seu forma, et materia oriuntur ex primo boni principio?

Nullus ethnicorum sapientium docuit, primum Principium spiritum et materiam produxisse per modum creationis, seu effectionis ex nihilo. nec proinde infinitam statuit distantiam inter divinam substantiam increatam et omnes substantias creatas; *nullus docuit malum exortum fuisse ex abusu creatæ libertatis.*

Omnes enim *spirituum originem* explicant per obscuram emanationem a primo principio ducentem ad Pantheismum, vel per apertum Pantheismum.

Quoad materiam, quam plerique considerant ut mali causam, alii existimant hanc esse immediate ex primo principio exortam, et fuisse bonam, quamdiu illi conjuncta permansit, sed malam ac multiplicem devenisse ex separatione sua a suprema unitate; ita Pythagoræi. — Alii putant principium mali non immediate a Deo oriri, sed mediantibus aliis emanationibus; ita Ægyptii, qui hoc principium designant sub nomine Typhonis. — Alii materiæ originem non repetunt a primo principio, sed docent materiam esse primo principio coæternam, ita Persæ, Plato, Aristoteles et Manichaei. — Alii, ut Indi et Sinenses, videntur materiam considerare tanquam bonitate spiritui inferiorem, potius quam malam; unde ejus originem a Deo repetunt; de mali autem origine tacent.

§ II.

Platonica doctrina de Dei existentia et causalitate.

Plato evidenter agnovit *Dei existentiam* tanquam universi mundi Artificis ac Ordinatoris; sed *præter Deum* assignat duas alias mundo causas, scilicet *materiam* æternam, de qua mundum visibilem formavit; et mundum *exemplarem*, æternum atque invisibilem, juxta quem Deus formavit mundum visibilem, et qui essentialiter ab ipso Deo distinctus est, sicut probabilius docuit Academiæ fundator.

De Platonis Exemplarismo infra loquemur in Parte III hujus Tomi. Sufficiat nunc ostendere quod, secundum Platonem, Deus est optimus mundi Artifex et Ordinator, sed non Creator.

208. — I. **Deus est optimus mundi Artifex et Ordinator.**

In Timæo, T. 2, edit. Firm. Didot, p. 204, vel 28 edit. Henr. Etienne, *probat Plato hunc mundum fuisse necessario productum a divino Artifice, juxta æternum aliquod exemplar;* « Omne quod oritur, ex aliqua causa oriri necesse est; nihil enim sine causa originem habere potest. Cujus igitur operis effector, id quod eodem modo se habet intuens semper, tali quodam utens exemplari, speciem ac vim ejus exhibet, id omne pulchrum perfici necesse est; sin intuens ortum, generato utens exemplari, non pulchrum est. Jam vero omne cœlum, sive mundus, sive quo alio vocabulo maxime gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit, considerandum igitur de eo primum, quod principio in omni re considerandum posuimus, semperne fuerit, originis initium habens nullum, an ortus sit ducto aliunde initio. Ortus est; cernitur enim, et tangitur et corpus habet. Omnia autem talia sensum movent; sensum autem moventia, opinione comprehensa cum sensu, oriri generataque esse apparuit. Ortum vero necessario ex aliqua causa ortum esse diximus. Jam Effectorem quidem et patrem hujus universi, et invenire difficile est, et inventum indicare in vulgus est nefas. Rursus igitur hoc quærendum de eo, ad quodnam exemplarium a fabricatore effectum sit: utrum ad exemplar quod eodem modo et similiter se habet, an ad ortum. Jam si pulcher est hic mundus, et Artifex ejus bonus, haud dubie sempiternum intuebatur; sin, quod ne dictu quidem fas est, ortum. Non dubium igitur cuiquam quin sempiternum; nam alter pulcherrimus ortorum, alter optimus efficientium. Sic ergo ortus, ad id est factus, quod ratione et intelligentia comprehenditur, et eodem modo se habet. »

Ibidem, p. 205, vel 29 *probat Plato optimum Artificem, qui Deus est, materiam informem et inordinatam ordinasse ad perfectionem:* « Ergo dicamus quam ob causam originem et universum hocce condens condiderit. Bonus erat; in bonum autem nulla unquam ulla de re cadit invidia; hujus autem expers, omnia quam maxime similia sibi fieri voluit. Hoc igitur potissimum aliquis originis et mundi principium maxime proprium, a viris prudentibus accipiens, rectissime acceperit. Deus enim, cum bona omnia, malum autem nihil, quantum posset, esse vellet, quidquid cerni poterat omne assumptum,

non quietum, sed agitatum immoderate et sine ordine, ex inordinato in ordinem adduxit, hoc omnino melius illo esse arbitratus. Fas autem nec erat, nec est optimo facere nisi pulcherrimum. »

209. — II. Juxta Platonem Deus non est mundi Creator, seu effector ex nihilo.

1°) Nam juxta ipsum Platonem, mundus componitur materia et anima. — Atqui, ipse docet materiam esse æternam, et fuisse a divino Artifice informatam mixtione animæ spiritualis et animæ materialis, quin dicat modum, quo utraque anima causata est. — Ergo juxta Platonis doctrinam, Deus mundum non creavit.

Probatur minor ex Timæo p. 218 med. vel 50, ubi Plato sic loquitur de æternitate materiæ, quæ extensa est, semper eadem manet atque in se recipit vel amittit formas, quas divinus Artifex in eo mirabili et ineffabili modo producit, juxta formas exemplares et æternas ab eo aspectas: « Eadem illius, quæ omnia recipit corpora, naturæ ratio est; idem semper esse dicenda est, quoniam a sua nunquam discessit indole. » — Et p. 219 inf. vel 52: « Tertium autem semper esse spatii genus, interitus expers, sedem præbens omnibus ortum habentibus. » — Item p. 218: « Intrantia vero et exeuntia *(scilicet formæ rerum)* sunt simulacra eorum *(exemplarium)* quæ semper sunt, miro quodam et vix enarrabili modo formata secundum eum, quem postea persequemur. »

Hunc ineffabilem modum formationis mundi explicare conatur Plato per compositionem seu mixtionem animæ spiritualis et animæ materialis, a Deo factam; sed non dicit unde oriatur utraque pars compositi. Certe nullibi affirmat mundi animam fuisse a Deo productam ex nihilo. Locus Timæi p. 218, in quo hac de re loquitur, a Cicerone ad Attic., lib. 7, Ep. 13, citatur tanquam præclarum obscuritatis specimen. Satis erit sequentia verba transcribere: « Ille *Deus* vero et ortu et virtute priorem et antiquiorem animam corpore *(mundi)*, tanquam dominum et imperaturum obedituro condidit ex hisce et hoc modo: Individuæ semperque eodem modo se habentis essentiæ, et dividuæ animæ in corporibus orientis, mediam tertiam ex utraque miscuit essentiæ speciem... Et ex tribus *(essentiis seu animis)* cum unum fecisset, rursus hoc totum *(nempe totam mundi animam)* distribuit in tot partes, quot conveniebat. » Igitur ex ipsis Platonis verbis manifestum est illum non docuisse veram majoris mundi creationem a Deo.

Quoad productionem minoris mundi, seu hominis, Plato hanc aperte attribuit diis inferioribus supremum Artificem imitantibus; dicit enim in Timæo, p. 232 vel 69: « Mortalium vero ortum filiis suis efficiendum mandavit (Deus); atque hi imitantes, assumpto principio animi immortalis, mortale deinceps corpus circa eum tornaverunt, totumque ei pro vehiculo corpus dederunt, aliamque in eo speciem animi adstruxerunt mortalem etc. »

2°) Confirmatur *ex S. Justino*, Cohort. ad Græc., Patr. gr., T. 6, p. 282: « Illud etiam necessarium est animadvertere, non Creatorem illum *(Deum)* a Platone, sed Opificem appellari deorum *(quorum naturam participat spiritualis anima mundi)*, cum inter utrumque plurimum sit, ipsius Platonis judicio, discriminis. Creator enim nulla re alia indigens, sua virtute et potestate id quod fit, efficit; opifex vero accepta ex materia condendi potentia, opus suum fabricat. » — Ibid., p. 251: « Plato tria universorum principia esse dicit: Deum, materiam et ideam. Deum quidem omnium Opificem, materiam vero primæ rerum productioni subjectam, et Deo occasionem operationis ejus præbentem; ideam autem, quarumlibet rerum producendarum exemplar. »

Similiter dicit S. Ambrosius in Hexæmer. lib. 1, cap. 1, Patr. lat., T. 14, p. 123: « Tantumne opinionis assumpsisse homines, ut aliqui eorum tria principia constituerent omnium: Deum, et exemplar, et materiam, sicut Plato discipulique ejus; et ea incorrupta, et increata, ac sine initio esse asseverarent; Deumque non tanquam creatorem materiæ, sed tanquam Artificem ad exemplar, hoc est ideam intendentem, fecisse mundum de materia, quam vocant *hylen*, quæ gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur. »

Eodem modo loquitur B. Albertus Magnus in Summ. Theol., tract. 1, Lib. 4, Memb. 1, art. 3: « Plato posuit præjacentem ab æterno materiam, et posuit exemplar artis ab æterno in seipso consistere, et Deum dictu, jussu et verbo facere quod facit, et uti diis deorum, et stellis, et qualitatibus elementaribus in productione imaginum sensibilis mundi in materiam. Has enim formas, quæ sunt in materia, imagines esse dixit formarum separatarum. Et hoc est, non ex nihilo aliquid facere, sed ex aliquo, et per aliquid sicut ad formam, et aliquo cooperante sicut instrumento. Posuit ergo Deum non esse Creatorem, sed opificem et Artificem mundi. »

Consonat P. Lombardus in 2. Sentent. dist. 1: « Plato tria principia existimavit: Deum scilicet, exemplar et materiam, et ipsam increatam sine principio, et Deum quasi Artificem, non Creatorem. Creator enim est qui de nihilo aliquid facit, et creare proprie est de nihilo aliquid facere. Facere vero, non modo de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Unde et homo

et angelus dicitur aliqua facere, sed non creare, vocaturque factor, sive artifex, sed non creator. Hoc enim nomen soli Deo proprie congruit, qui de nihilo quædam, et de aliquo aliqua facit. Ipse est ergo Creator, et Opifex, et factor. »

III. **Conclusio.**

Ex locis præcitatis manifestum est Platonem cognovisse *existentiam divini Artificis mundi*, licet ignoraverit *modum, quo Deus mundum effecerit.* Obscurissime enim de rerum ortu disserit, tum ex scientiæ certæ defectu, tum ex proposito scientiam suam celandi profanis seu vulgo, ita ut Platoni verissime applicanda sint verba, quæ de paganis philosophis in genere protulit Apostolus in Ep. ad Rom. 1: *Qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est illis... Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

Probatur ex Timæo T. 2 oper. p. 204 med. vel 28: « Effectorem et patrem hujus universi, et invenire difficile est, et inventum indicare in vulgus est nefas. »

Insuper in Ep. 2 ad Dionys., ibid., p. 519 vel 312, de prima omnium causa locuturus, ait: « Eidem *(Archedemo)* hoc, quod illo excellentius et divinius est, valde est declarandum, de quo dubitans tu misisti. Dicis enim, ut ille refert, non tibi satis demonstratum esse de primi *(Principii)* natura. Itaque significandum tibi est per ænigmata, ut si in recessibus maris vel terræ aliquid accidat his tabellis, qui eas legat non intelligat. »

Similiter inquit in Theæteto T. 1, p. 119 med. vel 156: « Circumspice jam simul diligenter cavens, ne quis profanus hæc audiat... sunt quidem, o puer, a Musis admodum alieni. Sunt etiam his multo elegantiora quorum mysteria tibi narraturus sum. » In Parte III præsentis Tomi, referemus argumenta existentiæ Dei allata a præcipuis philosophis platonicis, qui post Christum natum floruerunt, videlicet a Philone Judæo, Plotino, Porphyrio et Proclo.

§ III.

Aristotelica doctrina de Dei existentia et causalitate.

I. **Prænotanda.** — Plato *Deum* existere agnovit ut supremum mundi Artificem et Ordinatorem, sed existimavit præter Deum esse duo æterna mundi principia, nempe *materiam* informandam ac ordinandam, et *exemplar* juxta quod Deus materiam informavit ac ordinavit. — Aristoteles tria æterna mundi principia pariter docuit, videlicet, in ipsis rebus *materiam* et *formam*, seu potentiam et actum, quæ generatione, seu mutatione et motu aliquo substantialiter conjunguntur; et extra res *Deum*, Actum purum immutabilem et intelligentem, ac primum Motorem, qui mundum perficit, omnia generabilia seu mutabilia semper actuando physice ac necessario. Omnia autem actuat seu producit, movendo rerum potentiam ad actum, seu materiam ad formam, et quidem ab æterno. Ipse vero non movetur nisi a seipso, seipsum necessario intelligendo, atque sic beatitudinem inveniendo in seipso, scilicet in quietissima æternaque vita intellectiva sibi sufficiente.

Igitur Aristoteles existentiam Dei adstruit *ex necessitate primi Motoris physici.* Sed Deum non considerat tanquam primam mundi *Causam exemplarem et finalem, nec tanquam mundi Rectorem in ordine morali.* Quod si in hoc sensu de Deo loquatur, non propriam profert doctrinam, sed refert alienam, sicut inferius ostendemus n.° 212.

210. — Aristotelem tria prædicta rerum principia agnovisse docet Petrus Lombardus in 2. Sent., lib. 2, dist. 1: « Aristoteles vero posuit principia, scilicet materiam et speciem *(formam)*, et tertium, operatorium dictum; mundum quoque semper esse et fuisse. »

S. Bonaventura hæc Magistri sententiarum verba explicans, sequens dubium proponit: « Quæritur quare distinguit illa duo a tertio. Et iterum non videtur esse verum perscrutanti verba Philosophi; quia ipse non ponit nisi illa tria: materiam, et formam, et privationem in principio 9, Metaph., et in 1, Phys.; non ergo ea quæ ponit Magister. » — Hoc vero dubium sequenti modo resolvit doctor seraphicus: « Dicendum quod ideo duo distinguit a tertio, quia duo sunt intrinseca tanquam elementa, et unum est extrinsecum. Ubi autem Philophus ista tria distinguit et ponit, si quæratur, expresse invenitur in 2. de generat., circa fin. Sed tunc est quæstio, quia non sufficienter principia in 1. Phys. assignavit; imo si ibi assignavit tria præter operatorium, tunc ergo sunt quatuor.—Et dicendum ad hoc, quod privatio non differt a forma vel materia. Sive enim privatio nominet appetitum formæ cum ejus carentia; sive nominet ipsam formæ essentiam, prout est in materia in potentia, non differt ab his duobus, scilicet materia et specie. Nam appetitus ad materiam reducitur, nec est aliud; et essentia formæ, ad speciem secundum rem. Et hæc duo principia determinat in 1. Phys. Postmodum adjungit tertium, scilicet operatorium, dum omnia reducit ad Motorem primum. Et sic patet, quod Magister vere et proprie loquitur. »

Sed ipsum Philosophum audiamus.

211. — II. Aristoteles docet Deum esse necessario primum omnium rerum Motorem physicum.

Hoc probat sequenti argumento in variis locis mox citandis: Res substantialiter componuntur principiis contrariis, scilicet materia et forma, seu potentia et actu. — Atqui, ratione contrarietatis suæ, hæc duo principia nequeunt ex seipsis uniri inter se. — Ergo unienda sunt necessario a tertio principio, ambobus extrinseco ac superiori, quod sit Actus purus, qui continuo moveat potentiam ad actum, atque hac motione res omnes actuet, seu causet.

Sic loquitur Aristoteles *in 12. Metaph., cap. 10:* « Omnes ex contrariis omnia faciunt; at non recte dicunt illud: *omnia*, neque: *ex contrariis*. Quibus enim contraria insunt, quonam modo ex contrariis erunt, non dicunt; nam contraria impossibilia sunt a se invicem. A nobis autem rationi consentaneæ hoc solvitur, cum aliquid tertium sit. » — Jam vero hoc tertium principium contraria rerum elementa conjungens, et sic res perficiens, non potest esse nisi bonum omnibus rebus superius. Sed ultra quæritur quomodo bonum sit principium rerum perfectivum. — « Quidam autem, pergit Philosophus, hoc quidem recte dicunt, quod bonum sit principium. Quo vero modo ipsum bonum principium sit, utrum ut finis, an ut movens, an ut species, non dicunt. » — At ipse Aristoteles affirmat bonum esse rerum principium *ut movens:* « Etenim quomodo numeri sunt unum, aut anima, aut corpus, et omnino species et res, nemo aliquid dicit, nec dicere potest, nisi nobiscum dicat *quod bonum ut movens faciat.* »

In 2. de Generat., cap. 9 a S. Bonaventura superius indicato legitur: « Illud enim tanquam materia est; hoc autem tanquam forma; sed oportet et tertium adhuc esse; non enim duo sufficientia sunt ad generandum... Necessarium est generationem et corruptionem esse circa possibilia esse et non esse *(scilicet circa contingentia);* ideoque materia quidem est causa generabilibus tanquam potentia, forma vero et species causa est tanquam cujus gratia *(nempe tanquam finis).* Oportet autem adesse et tertium principium, quod omnes quidem somniant, nullus vero dicit. » — « Alii enim, pergit Aristoteles, tertium hoc principium rebus extrinsecum asserunt esse *causam exemplarem*, alii *causam efficientem* quæ materiam transformat per modum artificis; sed omnes perperam tertium principium assignant ». — Ipse autem Philosophus affirmat principium generationis rebus extrinsecum, et mundum perficiens, esse primum Motorem physicum ac immutabilem, a quo cunctæ res mutabiles motum suum seu lationem accipiunt. Ait enim, ibidem, cap. 10: « Dicimus autem motum esse causam generationis. » — *In toto 8. Physic.*, omnem Physicam reducit ad motum universum, quem ipsum ordinat ad primum Motorem omnia moventem, et non motum nisi a semetipso. Omnis enim generatio est mutatio; mutatio autem est motus seu transitus a potentia in actum; ipse vero motus est actus datus vel acceptus; et tandem omnes motus seu actus accepti reducuntur, tanquam ad causam, ad unum Actum purissimum, qui omnia actu movet, ac ipse non movetur, nisi a seipso. — *In cap. 4 et 5*, sic loquitur: « Omnia utique quæ moventur, ab aliquo movebuntur. Hoc autem dupliciter: aut enim non per seipsum movetur, sed per alterum quod movet movens, aut per seipsum movetur. Et si ab altero moveatur, aut per primum post ultimum movetur, aut per plura... Si ergo necesse est, omne quod movetur, ab aliquo moveri, atque ab eo quod ab alio movetur, aut non; et si ab alio movetur quod ipsum movetur, necesse est aliquid esse primum movens, quod non ab alio movetur. Si autem hujusmodi movens est primum, non necesse est esse alterum. Impossibile enim est in infinitum abire movens, et ipsum quod movetur ab alio; infinitorum enim nihil est primum. Si ergo omne quidem quod movetur, ab alio movetur, primum autem movens movetur quidem, sed non ab alio, necesse est primum a seipso moveri. »

In 12. Metaph., cap. 7, docet Aristoteles primum Principium, seu Deum, qui omnia movet et ipse a nullo movetur nisi a semetipso, esse Actum purum, Ens et Bonum supremum ac necessarium, seipsum intelligens ac propria bonitate motum, atque in suiipsius contemplatione et amore summe vivens ac beatum. « Est etiam aliquid quod non motum movet; quod æternum, substantia et Actus est... Cum autem aliquid sit movens, ipsum immobile existens, actu Ens, hoc nullo modo contingit aliter se habere... Ex necessitate itaque est Ens, et per necessitatem bene est, et sic est Principium necessarium... A tali ergo Principio, tum cœlum, tum natura dependet... Intellectio secundum se, est ipsius quod secundum se optimum est, et quæ maxime est... et speculatio optimum et maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, ut nos aliquando nos habemus, admirabile est; quod si magis, adhuc admirabilius est. Atqui ita se habet. Cæterum vita quoque profecto Deo inexistit. Intellectualis enim operatio est vita, divinus vero intellectus est Actus; Actus vero per se, illius vita optima et perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum optimumque vivens esse: quare vita,

et ævum continuum et æternum Deo inest; hoc enim est Deus. »

In 6. Moral. Eudemior, cap. 14 in fine: « Si alicujus natura simplex sit, illi eadem actio erit jucundissima. Itaque semper uno et simplici Deus gaudio potitur. Non enim motionis tantum functio est aliqua, sed etiam vacuitatis a motione, et gaudium magis est in quiete quam in motu. Mutatio autem rerum omnium dulcissima est, ut ait Poeta, propter aliquam hominum imperfectionem. »

212. — III. Aristoteles Deum non consideravit tanquam mundi Artificem et Rectorem.

1°) Non enim propriam sententiam docet, quando Deum sub hoc aspectu exhibet. *Profecto in quibusdam locis de Deo loquitur tanquam de omnium rerum principio, medio et fine,* aut tanquam *de mundi provisore ac gubernatore.* Sed tunc alienam tantum doctrinam, vel veteres et venerandas traditiones refert, at proprium systema non exponit.

Sic in libro *de Mundo, cap. 7,* dicit: « Unus porro Deus cum sit, pluribus nominibus appellatus est, ab iis utique suis omnibus affectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet. » Et enumeratis pluribus Dei nominibus, concludit: « Proinde hæc omnia non aliud quidquam esse quam Deum, *sicut nobilis Plato censuit.* Deus enim, *quemadmodum vetusto proverbio traditum est,* principium, et finem, et media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur secundum naturam, post se comitem habens justitiam, divinæ legis vindicem, simul ac quidquam mandatorum ejus transgressum est. Hujus autem beatitudinem ut ille participet, qui felix et beatus evasurus est, rectus ab initio sit ejus particeps. »

Similiter ibidem, cap. 6, præmonet se antiquam traditionem citaturum esse: « *Vetus igitur sermo est, atque a majoribus traditus inter omnes homines,* universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse et coagmentata. » Et in fine addit, præcedentem doctrinam juxta proprium systema explicans: « Proinde hæc etiam de Deo sentienda nobis sunt: Ille quidem, si potentiam spectes, valentissimus est; si pulchritudinem, formosissimus; si vitam, immortalis; denique si virtutem, præstantissimus. Quapropter, licet sit invisibilis omni naturæ mortali, ipse nihilominus cernitur ipsis ab operibus. Etenim omnia quæ *quolibet modo passa fiunt* (ex actione primi Motoris) in aëre, et quæ in terra, et quæ in aqua, ea certe Dei opera esse merito dixerimus; Dei inquam opera, mundum summo cum imperio et pro potestate obtinentis. Ex quo Deo, ut inquit Empedocles physicus:

Omnia quotquot erunt, quot sunt præsentia, quotque
Orta fuere ante hæc, stirpes hominesque feræque,
Unde etiam volucres piscesque humoris alumni. »

2°) Propriam sententiam profert in eodem Capite, postquam veteres retulit traditiones circa mundi gubernationem a Deo, veluti a rege vel a præcentore. Tunc ipse docet Deum res omnes et singulas gubernare, illas physice ac varie movendo unico generalique motu, juxta varias earum naturas, et hanc physicam Dei motionem esse causam omnis unitatis et ordinis in singulis rebus atque in toto mundo. Sic enim concludit: « Quomodo numeri sint unum, aut anima aut corpus, et omnino species atque res nemo dicit, nec dicere potest, nisi nobiscum dicat, quod *primum Principium res causat movendo....* Nec aliquid conferunt principia multa, et entia nolunt male gubernari:

Non plures prosunt reges, rex unicus esto. »

3°) Nullibi autem, tanquam ex seipso loquens, mentionem facit Aristoteles de divina Providentia: nam Deum considerat tanquam seipsum intelligentem ac sibi ipsi sufficientem, sed non tanquam cognoscentem ac volentem alia a se, et hæc omnia idealiter disponentem et in exsecutione causantem per intellectum ac liberam voluntatem, sicut facit Artifex.

Itaque juxta doctorem seraphicum, vitia doctrinæ Aristotelis ex eo oriuntur, quod excludit divinum Exemplarismum, seu divinas ideas. Sic enim loquitur S. Bonaventura in Hexæmer., Serm. 6, T. 9, p. 61: « Aliqui negaverunt in prima causa esse exemplaria rerum, quorum princeps videtur esse Aristoteles, qui et in principio Metaphysicæ, et in fine, et in multis aliis locis exsecratur ideas Platonis. Unde dicit quod solum novit se, et non indiget notitia alicujus alterius rei, et movet ut desideratum et amatum. Ex hoc ponit quod nihil, vel nullum particulare cognoscit. Unde illas ideas principaliter præcipuus impugnat Aristoteles in Ethicis, ut dicit, quod summum Bonum non potest esse idea, et nihil valent rationes suæ, et Commentator solvit eas. Ex isto errore sequitur alius error, quod Deus non habet præscientiam, nec providentiam, ex quo non habet rationes rerum in se, per quas cognoscat.... Et ex hoc sequitur, quod omnia fiant a casu.... Ex hoc sequitur veritas occultata, scilicet dispositio mundialium secundum pœnam et gloriam.... Iste est ergo triplex error, scilicet occultatio exemplaritatis, divinæ Providentiæ, dispositionis mundanæ. Ex quo sequitur talis cæcitas vel caligo, scilicet de æternitate mundi. »

§ IV.

Ethnicorum doctrina de rerum causis, juxta Senecam.

213. — I. **Seneca sequentibus verbis refert rerum causas** secundum doctrinam Stoicorum, Peripateticorum et Academicorum. Scribit in Epist. 65 ad Lucilium:

1°) « DICUNT, UT SCIS, STOICI NOSTRI, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: *causam* et *materiam*. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo moveat. Causa autem, id est ratio, materiam format, et quocumque vult versat, ex illa varia opera producit. Esse debet ergo *unde* aliquid fiat, deinde *a quo* fiat: hoc causa est, illud materia. Omnis ars imitatio est naturæ; itaque quod de universo dicebam, ad hæc transfer, quæ ab homine facienda sunt. Statua et materiam habuit, quæ pateretur artificium; et artificem, qui materiæ daret faciem. Ergo in materia res fuit, causa artifex. Eadem conditio omnium rerum est. Ex eo constant *quod fit*, et ex eo *quod facit*. Stoicis placet unam causam esse, id *quod facit*. »

2°) « CAUSAM ARISTOTELES PUTAT TRIBUS (vel potius quatuor) MODIS DICI. Prima, inquit, causa est ipsa *materia*, sine qua nihil potest effici. Secunda, *opifex*. Tertia, *forma*, quæ unicuique operi imponitur tanquam statuæ; nam hanc Aristoteles εἶδος vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, *propositum* totius operis. »

« Quid sit hoc aperiam. Æs prima statuæ causa est; nunquam enim facta esset, nisi fuisset id ex quo funderetur, ducereturve. Secunda causa Artifex est; non potuisset enim æs illud in habitum statuæ figurari, nisi accessissent peritæ manus. Tertia causa est forma; neque enim statua ista Doryphoros (*vir lanceam gerens*) aut Diadumenos (*vir fugiens*) vocaretur, nisi hæc illi esset impressa facies. Quarta causa est faciendi propositum, nam nisi hoc fuisset, facta non esset. Quid est propositum? Quod invitavit artificem, quod ille secutus fuit. Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit; vel gloria, si laboravit in nomen; vel religio, si donum templo paravit. Ergo et hæc causa est, propter quam fit. »

3°) « HIS QUINTAM (CAUSAM) PLATO ADJICIT, quam ipse *ideam* vocat. Hoc est enim ad quod respiciens Artifex, id quod destinabat, efficit. Nihil enim ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod sibi ipse concepit, et posuit. »

« Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque universorum quæ agenda sunt, et modos Mente complexus est. Plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet; et hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nihil patitur. »

« Quinque ergo causæ sunt, ut Plato dicit: id ex quo, id a quo, id quo, id ad quod, id propter quod; novissime id quod ex his est. Tanquam in statua, quia de hac loqui cœpimus, id *ex quo*, æs est; id *a quo*, artifex est; id *quo*, forma est, quæ aptatur illi; id *ad quod*, exemplar est, quod imitatur is qui facit; id *propter quod*, facientis propositum est; *id quod* ex istis est, ipsa statua. »

« Hæc omnia mundus quoque, ut ait Plato, habet. *Faciens* hic Deus est; *ex quo* fit, hæc materia est; *forma* hæc est habitus et ordo mundi, quem vidimus; *exemplar*, scilicet ad quod Deus hanc magnitudinem pulcherrime fecit; *propositum*, propter quod fecit. Quæris quod sit propositum Deo? Bonitas, ita certe Plato ait, quæ Deo faciendi mundum causa fuit. Bonus est *(Deus)*; bono nulla cujusquam boni invidia est. Fecit itaque mundum, quem optimum fecit. »

214. — II. **De rerum omnium causis nihil certi docet ipse Seneca,** nam suo judicio « Triplex causa est, non causa rerum, sed litis. » et evidens originis rerum cognitio ei videtur rationis humanæ captum superare. Verumtamen Stoicorum sententiam ut verisimiliorem amplectitur et asserit inquisitionem primæ Causæ nullatenus esse vanam, sed nobili modo animum nostrum ad superiora attollere. Pergit igitur, Lucilium sic alloquens: « Fer ergo judex sententiam, et pronuntia, quid sibi verisimillimum videatur dicere, non quis verum dicat; id enim tam supra nos est, quam ipsa veritas. »

« Hæc quæ ab Aristotele et Platone ponitur turba causarum, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit. Nam si quocumque remoto, quid effici non potest, id causam judicant esse faciendi, pauca dixerunt. Ponant inter causas tempus; nihil sine tempore potest fieri. Ponant locum, si non fuerit ubi fiat aliquid, ne fiet quidem. Ponant motum; nil sine hoc nec fit, nec perit; nulla sine motu ars, nulla mutatio est. »

« Sed nos nunc primam et generalem causam quærimus. Hæc simplex esse debet, nam et materia simplex est. Quærimus quid sit causa? Ratio faciens, id est Deus. Ita enim quæ nunc retuli non sunt multæ et singulæ causæ, sed ex una pendent; ex ea quæ facit. Formam dicis causam esse; hanc imponit artifex operi; pars est, non causa. Exemplar quoque non est causa, sed instrumentum causæ necessarium.

Sic necessarium est exemplar artifici, quomodo scalprum, quomodo lima; sine his ars procedere non potest; non partes tamen hæc artis, aut causæ sunt. Propositum, inquis, artificis, propter quod ad faciendum aliquid accedit, causa est. Ut sit causa, non est efficiens causa, sed superveniens. Hæ autem innumerabiles sunt; nos de causa quærimus generali. Illud vero, non pro solita ipsis subtilitate dixerunt, totum mundum et consummatum opus causam esse; multum enim interest inter opus, et causam operis. »

« Aut fer sententiam, aut (quod facilius in ejusmodi rebus est), nega tibi liquere, et nos reverti jube. Quid te, inquis, delectat tempus inter ista conterere, quæ tibi nullum affectum eripiunt, nullam cupiditatem abigunt? Ego quidem priora illa ago ac tracto, quibus pacatur animus; et me prius scrutor, deinde hunc mundum. »

« Ne hoc quidem tempus, ut existimas, perdo. Ista enim omnia, si non concidantur, nec in hanc subtilitatem inutilem distrahantur, attollunt et levant animum, qui gravi sarcina pressus, explicari cupit et reverti ad illa, quorum fuit... Ego non quæram quæ sint initia universorum, quis rerum Formator, quis omnia in una massa et materia inerti convoluta discreverit? Non quæram quis sit Artifex hujus mundi? Qua ratione tanta magnitudo in ordinem et legem venerit? quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, in una deformitate *(materiæ)* latentibus faciem diviserit?... Universa ex materia et ex Deo constant: Deus ista temperat, quæ circumfusa Rectorem sequuntur et Ducem. Potentius autem est quod facit, quod est Deus, quam materia patiens Dei. Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus. Quod est illic materia, in nobis corpus est. Serviant ergo deteriora melioribus... »

PROPOSITIO II.

DEUS EST FORMA SIMPLICISSIMA.

Hac propositione intelligimus, Deum esse Formam spiritualem, non receptibilem in materia, et nulla potentialitate admixtam, ita ut sit purus Actus, seu purum Esse.

De fide est ex Concil. Vatic., Constit. Dogm. De Fide, cap. 1, quod Deus est « simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis. »

Argumentum I.

Ex Scriptura sacra.

215. — I. Natura Dei dicitur Forma in Epist. ad Philip. 2, v. 6: *Qui cum in Forma Dei esset.* In hæc verba dicit S. Thomas: « Unumquodque dicitur in natura generis vel speciei per suam formam; unde forma dicitur natura rei; et sic esse in forma Dei, est esse in natura Dei... Sed non est intelligendum, quod aliud sit forma Dei, et aliud ipse Deus, quia in simplicibus et immaterialibus idem est forma, et id cujus est, maxime in Deo. » (Lect. 2, in hoc Cap.).

II. **In multis locis, Esse absolutum Deo attribuitur, et creaturis negatur.**

Exod. 3, v. 14: Dixit Deus ad Moysen: *Ego Sum qui Sum. Ait: Sic dices filiis Israël: qui Est, misit me ad vos.*

Job. 23, v. 13: *Ipse enim solus Est.*

Jerem. 10, v. 16: *Qui enim formavit omnia ipse Est.*

Hebr. 11, v. 6: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia Est.*

Isaï. 45, v. 6: *Ut sciant hi qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non Est.*

Ibid. 40, v. 17: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.*

Textus isti luculenter exprimunt Deum solum Esse simpliciter et absolute, cum solus sit suum Esse, dum cætera entia suum esse habeant a Deo, et ideo sunt quasi non sint, quia non habent a se ut existant.

Argumentum II.

Ex Sanctis Patribus.

216. — I. Multi Patres in eodem sensu ac nos interpretantur præcitata Scripturæ loca.

S. Justinus *Martyr, cohort.* ad Gent., n.° 21: « Nemo præexistit, qui Deo nomen imponeret, nec se ipse nominandum esse duxit, cum unus et solus *Sit*... Ego enim, inquit, Sum existens ille, seipsum existentem non existentibus opponens. »

S. Hilarius in Psalmum 2, ita de Deo loquitur: « Ipse Est, qui, quod est, non aliunde est; in sese est, secum est, ad se est, suus sibi est, et ipsi soli omnia est. » — Item in lib. 1, de Trinit., n.° 5: « Non aliud proprium magis Deo, quam *Esse* intelligitur, quia id ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti. »

S. Hieronymus in Epistolam ad Ephes., cap. 3, v. 14, etc.: « Loquitur in Exodo Dominus: *Ego*

Sum qui Sum, etc. Numquid solus Deus erat, et cætera non erant? Et quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? Illa, ut diximus, causa quia cætera, ut sint, Dei sumpsere beneficio; Deus vero, qui semper Est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo... non potest intelligi aliunde habere quod subsistit. »

S. Augustinus, Enarrat. in Psalm. 134, n.° 4: « Deus ipsum Esse se vocari respondit; et tanquam hoc esset ei nomen: *Hoc dices eis*, inquit: *Qui Est misit me*. Ita enim ille *Est*, ut in ejus comparatione ea, quæ facta sunt, non sint. » Item in cap. 14 de Natura boni: « Magnifice et divine Deus noster famulo suo dixit: *Ego Sum qui Sum. Et: Dices filiis Israël: Qui Est misit me ad vos.* Vere enim ipse Est, quia incommutabilis est; omnis enim mutatio facit non esse quod erat. Vere ergo ille Est qui incommutabilis est; cætera quæ ab illo facta sunt, ab illo, pro suo modo, esse acceperunt. » Item in lib. 8 de Civit. Dei, cap. 11: « *Ego Sum qui Sum* etc., tanquam in ejus comparatione qui vere Est, quia incommutabilis est, ea quæ mutabilia facta sunt, non sint. »

217. — II. Alii Patres Deum vocant Formam simplicissimam, et consequenter immutabilem, quia mutatio est transitus a potentia ad actum, qui transitus inveniri nequit in substantia, quæ est Actus purus.

S. Dionysius Areopagita in cap. 2 De div. Nomin., § 10, dicit quod divinitas est: « Forma formæ effectrix in iis quæ carent forma, tanquam principalis causa formæ; sine forma *(quia substantialiter res non informat)* in ipsis formis *(ab illa productis)*, utpote substantia supra formam omnium substantiarum insistens impollute *(sine ulla commixtione)*, et ab omni substantia supra substantiam abstracta; tota principia et ordines definiens, supra omne principium et ordinem collata. »

S. Augustinus, lib. 2 de Lib. arb., cap. 16 et 17: « Noli dubitare esse aliquam Formam æternam et incommutabilem... Cui Formæ dictum est (Psalm. 101): *Mutabis ea et mutabuntur, tu autem idem ipse Es, et anni tui non deficient*... De hac item Forma dictum est: (Sap. 7), *quod in seipsa manens innovat omnia.* » — In cap. 11 de Vera Relig.: « Ille est corporis conditor qui Forma est infabricata. » — In cap. 30 Meditation.: « Tua divina Essentia semper caruit ac caret materia, licet non careat forma, forma scilicet informata *(non formata)*, Forma formarum, forma formosissima, quam dum imprimis quasi sigillum rebus singulis, eas sine tui augmenti, aut tui detrimenti mutabilitate, procul dubio a te facis differre. » — In lib. 15 de Trinit., cap. 15: « Verbum in Forma Dei sic est, ut non antea fuerit formabile priusquam formatum, nec aliquando esse possit informe, sed sit Forma simplex, et simpliciter æqualis ei de quo Est, et cui mirabiliter coæterna est. »

Boetius in cap. 2 de Trinit: « In divinis intellectualiter versari oportebit, neque deduci ad imaginationes, sed potius inspicere Formam, quæ vere forma est, nec imago est, et quæ Esse ipsum est, et ex qua esse est; omne namque esse ex forma est... Divina substantia sine materia Forma est, atque ideo unum est, et id quod Est. Reliqua enim non sunt id quod sunt; unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, id est ex partibus suis; et est hoc atque hoc, id est partes suæ conjunctæ, sed non hoc vel hoc singulariter; ut cum homo terrenus constat ex anima corporeque, corpus et anima est, non vero corpus vel anima; in parte igitur non est id quod est. Quod vero non est hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere est id quod est, et est pulcherrimum fortissimumque, quia nullo nititur. » — In lib. 3 de Consolat. philos., prosa 12: « Ea est enim divinæ Forma substantiæ, ut neque in externa dilabatur, nec in se externum aliquid ipsa suscipiat; sed sicut de ea Parmenides ait: Πάντοθεν εὐκυκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ *(similis moli sphæræ undique rotundæ)*, rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conservat. »

S. Bernardus, lib. 5 de Consider., cap. 7: « Magna laus videlicet Deo, ut se ab informitate vindicet, forma una esse contentum. Ipse sibi Forma, ipse sibi essentia est. Non est formatus Deus, Forma est; non est affectus Deus, affectio est; non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquido noveris quid simplex dicam, idem quod unum. » — Item Serm. 80 in Cantic., n.° 5: « Nulla forma est id cujus est forma... Sola summa et increata natura, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vindicat meram singularemque suæ Essentiæ simplicitatem, ut non aliud et aliud, non alibi quoque et alibi, sed ne modo quidem et modo inveniatur in ea. Nempe in semet manens, quod habet Est, et quod Est, semper et uno modo Est. »

Argumentum III.

Ex sanctis Ecclesiæ Doctoribus.

Scilicet ex S. Thoma et ex S. Bonaventura, qui sunt præcipua scholæ dominicanæ ac franciscanæ lumina.

§ I.

Probatur ex S. Thoma.

218. — I. **Deus non est substantialiter compositus materia et forma,** sed divina substantia est pura Forma.

Legitur in 1. q. 3, art. 2: « Impossibile est in Deo esse materiam. Primo quidem, quia materia est id quod est in potentia. Ostensum est autem, quod Deus est purus Actus, non habens aliquid de potentialitate. Unde impossibile est quod Deus sit compositus ex materia et forma.

» Secundo, quia omne compositum ex materia et forma, est perfectum et bonum per suam formam; unde oportet quod sit bonum per participationem, secundum quod materia participat formam. Primum autem quod est Bonum et Optimum, quod Deus est, non est bonum per participationem, quia bonum per essentiam prius est bono per participationem. Unde impossibile est quod Deus sit compositus ex materia et forma.

» Tertio, quia unumquodque agens agit per suam formam; unde secundum quod aliquid se habet ad suam formam, sic se habet ad hoc quod sit agens; quod igitur primum est per se agens, oportet quod sit primo et per se forma. Deus autem est primum Agens, cum sit prima Causa efficiens, ut ostensum est. Est igitur per essentiam suam Forma, et non compositus ex materia et forma. »

II. **Deus est individue sua Forma, seu Essentia physica,** quia non est compositus materia et forma, sed est pura Forma. Unde in Deo persona realiter non distinguitur a Forma, sed est ipsa Forma divina.

Ibid., ad 3^{m}: « Formæ quæ sunt receptibiles in materia, individuantur per materiam, quæ non potest esse in alio, cum sit primum subjectum substans. Forma vero, quantum est de se, nisi aliquid impediat, recipi potest a pluribus. Sed illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in alio, et ejusmodi Forma est Deus. »

Item in art. 3, corp.: « Deus est idem quod sua Essentia seu natura. Ad cujus intellectum sciendum est, quod in rebus compositis ex materia et forma, necesse est quod differant natura vel essentia et suppositum, quia essentia vel natura comprehendit in se illa tantum, quæ cadunt in definitione speciei, sicut humanitas comprehendit in se ea quæ cadunt in definitione hominis; his enim homo est homo, et hoc significat humanitas, hoc scilicet *quo* homo est homo. Sed materia individualis, cum accidentibus omnibus individuantibus ipsam, non cadit in definitione speciei; non enim cadunt in definitione hominis hæ carnes et hæc ossa, aut albedo vel nigredo, vel aliquid hujusmodi. Unde hæ carnes, et hæc ossa, et accidentia designantia hanc materiam, non concluduntur in humanitate; et tamen in eo quod est homo includuntur. Unde id *quod* est homo, habet in se aliquid, quod non habet humanitas; et propter hoc non est totaliter idem homo et humanitas; sed humanitas significatur ut pars formalis hominis, quia principia definientia habent se formaliter respectu materiæ individuantis. — In his igitur, quæ non sunt composita ex materia et forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se individuantur, oportet quod ipsæ formæ sint supposita subsistentia; unde in eis non differt suppositum et natura. Et sic, cum Deus non sit compositus ex materia et forma, ut ostensum est, oportet quod Deus sit sua deitas, sua vita, et quidquid aliud sic de Deo prædicatur. »

III. **In Deo Forma seu Essentia physica, non realiter distinguitur ab Esse,** quia Deus est prima Causa efficiens, Actus purus, et Ens simpliciter primum.

Ibid., art. 4: « Deus non solum est sua Essentia, ut ostensum est, sed etiam suum Esse; quod quidem multipliciter ostendi potest. »

« Primo quidem, quia quidquid est in aliquo, quod est præter essentiam ejus, oportet esse causatum vel a principiis essentiæ, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem, et causatur ex principiis essentialibus speciei; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum esse rei sit aliud ab ejus essentia, necesse est quod esse illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus ejusdem rei. Impossibile est autem quod esse sit causatum tantum e principiis essentialibus rei, quia nulla res sufficit, quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum. Oportet ergo quod illud, cujus esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo, quia Deum dicimus esse primam Causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud Esse, et aliud ejus Essentia. »

« Secundo, quia esse est actualitas omnis formæ vel naturæ; non enim bonitas vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam. Cum igitur in Deo nihil sit potentiale, ut ostensum est supra, se-

quitur quod non sit aliud in eo Essentia, quam suum Esse. Sua igitur Essentia est suum Esse. »

« Tertio quia sicut illud quod habet ignem et non est ignis, est ignitum per participationem; ita illud quod habet esse, et non est esse, est ens per participationem. Deus autem est sua Essentia, ut ostensum est. Si igitur non sit suum Esse, erit ens per participationem et non per essentiam; non ergo erit primum Ens, quod absurdum est dicere. Est igitur Deus suum Esse, et non solum sua Essentia. ».

IV. **Deus nullo modo est compositus,** sed est omnino simplex. Ibid., art. 7. Hoc tantum argumentum citabimus: « In ipsa forma nihil est alienum. Unde cum Deus sit ipsa Forma, vel potius ipsum Esse, nullo modo compositus esse potest. »

Objicitur 1.°: « Ea quæ sunt a Deo imitantur ipsum; unde a primo Ente sunt omnia entia, et a primo Bono sunt omnia bona. Sed in rebus quæ sunt a Deo, nihil est omnino simplex. Ergo Deus non est omnino simplex. »

Respondet doctor angelicus ad Majorem: « Ea quæ sunt a Deo, imitantur Deum, sicut causata Causam primam. Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum, quia ad minus esse ejus est aliud quam quod quid est, ut infra patebit. »

V. **Divina Forma non tantum in seipsa nullo modo composita est, sed etiam in nullius rei compositionem venit.**

Ibid., art. 8. Ergo Deus non est formalis causa seu anima *intrinsece* perficiens totum mundum, vel aliquam mundi partem, sed est formalis Causa *extrinseca*, seu exemplaris Causa perfectionis atque ordinis totius mundi et omnium partium ejus.

Respondet enim S. Thomas ad duas primas objectiones: « Dicendum quod deitas dicitur Esse omnium effective et exemplariter, non autem per Essentiam... Verbum est Forma exemplaris, non autem forma, quæ est pars compositi. »

§ II.

Probatur ex S. Bonaventura.

219. — Pauca tantum verba citabimus, quibus doctor seraphicus, sicut doctor angelicus, asserit *Deum esse Formam* et indicat *modum, quo Deus est Forma.*

In 1. dist. 34, art. 1, q. 3, ad 6^{m}; « Forma uno modo dicitur relative ad informatum, et sic non est accipere a Deo; alio modo absolute, quod caret materia, et sic est in Deo. »

In 3. dist. 5, in litt., dub. 2: « Forma dupliciter dicitur: uno modo per privationem materiæ, et sic Deus est Forma; alio modo per comparationem ad materiam quam perficit, et hoc modo Deus non ponitur esse forma. »

In 2. dist. 12, art. 1, q. 1, ad 5^{m}: « Cum enim dicitur: *Deus est pure Forma,* æquivocatur nomen formæ, quia non dicitur ibi forma prout est perfectio materiæ, sed forma nominat ibi essentiam, quæ habet esse in omnimoda actualitate et completione, et nullo modo potest pervenire ad alterius compositionem. »

In 1. dist. 19, part. 2, art. 1, q. 3: « Et quod objicitur, quod forma dicitur ad materiam, dicendum quod est forma *constitutiva* et forma *exemplaris.* Et forma constitutiva dicitur ad materiam, et hæc non cadit in Deo, sed forma exemplaris. Sicut si dicatur quod Deus est Forma in se, hoc est dictu, quod est Actus purus, non dependens a possibili. »

Argumentum IV.

Ex paganis philosophis.

Scilicet ex Platone et Aristotele, qui sunt duo philosophiæ antiquæ principes.

§ I.

Probatur ex Platone.

220. — Nobilis hic philosophus variis in locis aperte docet solum Deum esse per Essentiam seu Formam suam, et proinde esse Formam simplicissimam.

1°) Exponitur Platonis doctrina S. Thomas de Platone sic loquitur in 1. q. 6, art. 4, corp.: « Hoc autem quod est per se Ens, et per se Unum, ponebat esse summum Bonum. Et quia bonum convertitur cum ente, sicut et unum, ipsum per se bonum dicebat esse Deum, a quo omnia dicuntur bona per modum participationis... Hoc absolute verum est, quod aliquid est primum, quod per suam essentiam est Ens et Bonum, quod dicimus Deum. »

Sed ipsum potius Platonem audiamus de natura Dei disserentem. In Sophista, opp. T. 1, p. 191, n.° 39, edit. Firm. Didot, vel p. 254, n.° 25, edit. Henr. Etienne: « Philosophus autem *Entis ipsius* ideæ ratiocinatione semper inhærens, ob regionis illius splendorem haud facile cernitur; nam vulgarium animorum oculi divinitatis radios sustinere non possunt. »

In Timæo T. 2, p. 220 supra, vel p. 52, Deus dicitur *Ens essentialiter,* seu per essentiam suam: Τῷ δὲ ὄντως Ὄντι. In hoc loco, Ens supremum opponitur « imagini quæ id ipsum cujus

causa exstitit, non sui ipsius est, sed alterius cujusdam semper simulacrum fertur. »

In Theæteto, T. 1, p. 120 med., vel p. 157, legitur: « Ex his omnibus sequitur, quod ab initio diximus, nihil esse unum per se, sed ab aliquo semper fieri: ipsum autem *Esse undique* (τὸ δ'εἶναι παντα χόθεν) excipiendum esse, licet nos in superioribus, consuetudine quadam atque inscitia, illo *Esse* uti sæpius coacti fuerimus. »

In Parmenide, T. 1, p. 632, vel p. 135: « Viri admodum ingeniosi est, qui percipere possit *Ipsum per se*, cujus genus *Esse*, et *ipsam secundum se essentiam*, nec non mirabilioris viri, qui hæc invenire possit atque alios docere, postquam sufficienter omnia hæc discreverit. »

In Sophista, T. 1, p. 192 med., vel p. 255: « Arbitror concedere te, eorum quæ sunt, quædam *ipsa per se esse*, quædam ad alia referri. »

Ibid., p. 187, med., vel p. 249: « Quid vero per Jovem? Revera motum, vitam, animum, sapientiam numquid ab Eo, quod absolute Est (τῷ παντελῶς Ὄντι), abesse prorsus existimabimus, et vivere ipsum et sapere, sed venerandum sanctumque non habens mentem consistere? Absurdum nimis id concederemus. »

In Convivio, T. 1, p. 687, vel p. 211, Deus dicitur: « Hoc Illud... *quod principio quidem semper Est*, nec fit, nec interit, nec crescit unquam neque decrescit; præterea non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe... sed *id ipsum, per scipsum, cum semetipso uniforme semper Ens;* cætera vero omnia, quæ pulchra sunt, illius participatione quadam pulchra, ea scilicet conditione, ut nascentibus et intereuntibus reliquis, nihil subtrahatur Illi, aut addatur, et nihil patiatur... Quam felix illud spectaculum fore putamus, si cui contigerit, ut ipsum Pulchrum intueatur, *sincerum, integrum, purum, simplex*, non humanis carnibus, coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum, sed *ipsum uniforme pulchrum* inspiciat? »

In Timæo, T. 2, p. 209 med., vel p. 38: « Quod erat, et quod erit, temporis ortæ species sunt, quas inscii ad æternam Essentiam referimus non recte. Dicimus enim: erat, et est, et erit, cum tamen solum *Est* ex veritate ei conveniat; *erat* autem et *erit* ad ortum adhibere par sit in tempore euntem; motus enim sunt. »

In Politico, T. 1, p. 583 vel p. 269: « Idem semper Esse, et secundum eadem, et eodem modo se habere, solis omnium divinissimis convenit. »

2°) Origo præcedentis doctrinæ. Hanc sublimem de supremo Ente doctrinam Plato probabiliter hausit ex consortio cum Judæis, sicut opinantur multi Patres, quos in opere *de Fontibus Exemplarismi* citabimus, et præcipue S. Augustinus. In lib. 8 de Civit. Dei, caput 11 inscribitur: *Unde Plato cum intelligentiam potuerit acquirere, qua christianæ scientiæ propinquavit.* Ibi citat S. Augustinus quædam Platonis loca, quæ sacris libris concordant, et addit: « Et maxime illud, quod et me plurimum adducit, ut pene assentiar Platonem illorum librorum expertem non fuisse, quod cum a sancto Moyse ita verba Dei per angelum perferantur, ut quærenti quod sit nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, respondeatur: *Ego Sum qui Sum; et dices filiis Israël: qui Est misit me ad vos*, tanquam in ejus comparatione qui vere Est, quia incommutabilis est, ea quæ mutabilia facta sunt, non sint: vehementer hoc tenuit Plato, et diligentissime commendavit. Et nescio utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt, nisi ubi dictum est: *Ego Sum qui Sum.* »

§ II.

Probatur ex Aristotele.

221. — Plato divinam Formam simplicissimam contemplatur ut *Esse purum, omnis entis principium.* Aristoteles autem illam considerat ut *Actum purum, omnis motus principium*, quod non movetur nisi a semetipso. Cum enim omnis motus sit contingens transitus a potentia ad actum, ultimo deveniendum est ad aliquam substantiam quæ sit Actus purus, immobilis, necessarius, et causa omnis motus.

Legitur in 12. Metaph., cap. 6: « Si substantia sit potentia, non erit perpetuus motus; quod enim potentia est, contingit non esse. Oportet igitur esse tale principium, cujus substantia sit actus. Item oportet hanc substantiam esse sine materia; nam sempiternam esse oportet, si aliquid æternum est; actu igitur est. »

Ibid., cap. 8: « Principium et primum entium, tum per se, tum per accidens immobile est, movens autem primo, sempiterno et uno motu. »

Ibid., cap. 7: « Cum autem aliquid sit movens, ipsum immobile existens, actu Ens, hoc nullo modo contingit aliter se habere... Ex necessitate itaque est Ens, et juxta necessitatem bene est, et sic est principium necessarium... A tali ergo principio tum cœlum, tum natura dependet... Siquidem intellectûs operatio vita est, divinus vero intellectus est actus, Actus vero per se, illius vita optima et perpetua est. Dicimus itaque Deum, sempiternum optimumque vivens esse. Quare vita, et ævum continuum et æternum Deo inest. Hoc enim est Deus. »

In 8. Physic. cap. 5: « Si omne quod movetur ab aliquo movetur, primum autem Movens movetur quidem, sed non ab alio, necesse est ipsum a seipso moveri. »

PROPOSITIO III.

IN DIVINA FORMA, VIRTUALIS DISTINCTIO ADMITTI DEBET INTER IPSAM EJUSQUE ATTRIBUTA ET RELATIONES, ATQUE INTER ATTRIBUTA AD INVICEM COMPARATA.

Prænotanda. — Hoc loco non agitur de distinctione inter Personas divinas existente, nam de fide est illas realiter ab invicem distingui, sed agitur de distinctione inter divinam Formam ejusque attributa et relationes seu Personas, atque inter attributa invicem comparata. Jam vero ratione simplicitatis Formæ divinæ, distinctio ista non est *realis*, sed tantum *virtualis*.

§ I.

Inter prædicta non existit distinctio realis.

222. — *Est de fide* ex Concilio Rhemense anno 1448 contra Gilbertum Porretanum, qui contendebat divina attributa realiter distingui ab Essentia et inter se. Item ex Concilio Lateranense IV contra Joachim abbatem, qui docere videbatur realem Personarum divinarum distinctionem ab Essentia. Demum ex Concilio Florentino quod definivit « omnia in divinis esse unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio. »

Probatur I. Ex Scriptura sacra. Abstractio nihil ex se includit, quam quod significat. Ergo perfecta est identitas inter prædicatum seu attributum abstractum, et subjectum suum. — Atqui, in Scriptura, attributa de Deo prædicantur in abstracto. — Ergo Scriptura affirmat perfectam identitatem attributorum cum Deo.

Probatur Minor. *Ego Sapientia habito in consilio* (Prov. 8, v. 12). — *Ego sum via, et veritas et vita* (Joan. 14 v. 6). — *Prædicamus Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam* (1. Cor. 1, v. 24).

Probatur II. Ex Patribus, præsertim ex S. Augustino et S. Bernardo.

S. Augustinus, lib. 6 de Trinit. cap. 4: « Deo hoc est esse, quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate, et multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur. » — Ibid., lib. 7, cap. 6: « Non aliud est esse Deo, aliud personam esse, sed omninò idem. » — In Epistola 120: « Nunc vero tene inconcussa fide, Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse Trinitatem, et tamen unum Deum. Non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas; sed quod sit ipsa et inseparabilis Trinitas. »

S. Bernardus in lib. 5 de Consid. cap. 7, sequentem dialogum instituit inter se et Gilbertum Porretanum: « Bern.: Non est ergo in Deo nisi Deus. — Gilb.: Quid? negas Deum habere divinitatem? — B. Non, sed quod habet, hoc est. — G. Negas divinitate Deum esse? — B. Non, sed non aliâ quam quæ ipse est. »

Probatur III. Ex ratione. 1°) Ex summa Dei perfectione, qua nihil perfectius illo cogitari potest. — Atqui ens, cujus essentia identificatur cum omni perfectione, evidenter perfectius est quam ens in quo perfectiones sunt tanquam in subjecto receptæ. — Ergo.

2°) Ex Dei simplicitate, quæ ab illo excludit omnem realem compositionem, et consequenter omnem realem distinctionem.

Inde Doctores communiter ex Deo rejiciunt distinctionem formalem ex natura rei, quam Scotus invenit. Etenim juxta doctorem subtilem, esset in Deo vera realis formalis compositio; nam compositio est unio realiter distinctorum. — Atqui, secundum Scoti sententiam, habetur in Deo unio distinctorum distinctione reali formali. — Ergo habetur et compositio realis formalis. Hæc autem, quæcumque demum sit, summæ Dei simplicitati repugnare videtur. Ergo jure merito rejicitur.

§ II.

Inter prædicta admitti debet distinctio virtualis, seu distinctio rationis ratiocinatæ.

223. — **Prænotanda.** Duplex est distinctio rationis: una *rationis ratiocinantis*, altera *rationis ratiocinatæ*, quæ dicitur quoque *virtualis*. — Prima est ea, quæ fit a mente, sine ullo in re fundamento, sic verbi gratia, distinguitur Petrus a Cepha. Secunda est quæ fit a mente cum vero in re fundamento.

Quod autem attributa a se invicem et a divina Forma, et quod relationes a divina Forma distinguantur virtualiter, *est sententia communis Theologorum, quæ ad fidem pertinere dici potest,* cum fluat ex distinctione divinarum Personarum, sicut exponitur in Symbolo Athanas.; quare Anomæi tanquam hæretici rejecti sunt sæculo IV.

I. Probatur virtualis distinctio divinorum attributorum ab invicem et ab Essentia.

1°) Ex S. Scriptura.

Si virtualis distinctio inter divina attributa non existeret, Libri sacri nugatorie loqui censerentur dum dicunt, modo: *Iratus est Dominus:* modo: *Misertus est Dominus;* hæc enim tam diversa proferrent sine ulla significationis differentia. — Atqui, hoc affirmari nequit. — Ergo admitti debet prædicta distinctio.

2°) Ex ratione.

a) **Ex fundamento in re.** Distinctio divinorum attributorum ab invicem, et ab Essentia, fundamentum habet in re. Nam Deus revera eminenter æquivalet *primo* omnibus creaturarum attributis realiter inter se distinctis; atqui talis æquivalentia est fundamentum plura in Deo attributa virtualiter ab invicem distinguendi. *Secundo* æquivalet cuilibet perfectioni ortæ ex complexu essentiæ creatæ et attributorum realiter ab ea distinctorum. — Atqui talis æquivalentia est fundamentum virtualiter distinguendi Essentiam divinam a suis attributis. — Ergo admitti debet prædicta distinctio.

b) **Ex diversa attributorum ratione in divina omnium rerum Causa.** Dicit S. Thomas in 1. dist. 2, q. 1, art. 2: « Quod est causa alicujus, habet illud excellentius et nobilius. Unde oportet quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo, et sine ulla imperfectione; et ideo, quæ in creaturis sunt diversa, in Deo propter summam simplicitatem sint unum. Sic ergo dicendum est, quod in Deo est Sapientia, Bonitas, et hujusmodi, quorum quodlibet est divina Essentia, et ita omnia sunt unum re. Et quia unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, et ratio Sapientiæ non est ratio Bonitatis inquantum hujusmodi, relinquitur quod sint diversa ratione, non tantum ex parte ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei. »

Ibid. art. 3, corp.: « Quod Deus excedat intellectum nostrum, est ex parte ipsius Dei propter plenitudinem perfectionis ejus, et ex parte intellectus nostri, qui deficienter se habet ad eam comprehendendam. Unde patet quod pluralitas istarum rationum non tantum est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei, inquantum sua perfectio superat unamquamque conceptionem nostri intellectus; et ideo pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quæ Deus est, non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio, ex qua contingit ut omnes istæ conceptiones ei aptentur. »

c) **Ex intellectus nostri imperfectione.** Quamvis divina attributa inter se realiter non distinguantur, nihil tamen obstat, quominus ex nostro cogitandi modo distinguamus, atque ut distincta concipiamus. Imo talis distinctio rationis pro nobis necessario admittenda est. Cum enim finita mente nostra nequeamus Deum infinitum conspicere uno ac simplici intuitu, ipsum consideramus sub vario respectu et quasi per partes, ita ut varia in eo attributa distinguamus. — Atqui, hæc distinctio non est rationis ratiocinantis, sed rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re; fundatur enim in ipsa Dei Essentia, seu Forma, quæ licet una et simplicissima sit, tamen infinita quoque est. Idcirco, sicut loquuntur Theologi, ob naturæ suæ perfectionem, multis entitatibus distinctis æquivalet, varias habet operationes ac relationes, atque sub variis respectibus se nobis repræsentat et manifestat. Sic igitur in eadem simplicissima Dei Forma virtualiter distinguimus Esse, Intelligere ac Velle, quæ sunt principia Ordinis increati et etiam creati. Eodem modo ab Essentia divina distinguimus tres personas ab invicem realiter distinctas oppositione realium suarum relationum. Virtualiter quoque in divina Forma distinguimus varia attributa, quæ sive ad divinum Esse, sive ad divinam operationem referuntur. Tandem similiter distinguimus attributa tribus personis communia, propria et appropriata. — Ergo prædicta distinctio virtualis admitti debet.

Theologi divina attributa adhuc distinguunt in *absoluta* et *relativa;* relativa autem in *interna* et *externa.* — Notissima quoque est attributorum distinctio in *quiescentia* et *operativa,* atque in *positiva* et *negativa.*

II. Probatur virtualis distinctio inter Essentiam et relationes, seu personalitates divinas.

1°) Ex ratione.

Divinæ Essentiæ æquivalentia respectu plurium re distinctorum, est, sicut supra diximus in Prob. I. fundamentum sufficiens distinguendi in ea attributum quo æquivalet uni, ab attributo quo æquivalet alteri, et Essentiam ipsam ab attributis. Ergo a pari, vel potius a fortiori, divinæ Essentiæ identitas cum tribus relationibus re distinctis, sufficiens fundamentum est virtualiter distinguendi Essentiam ut identificatam cum una relatione, ab Essentia ut identificata cum altera relatione; et Essentiam ipsam secundum se spectatam, ab unaquaque relatione.

2°) Ex necessitate refutandi Anomæos.

Nisi admittatur distinctio virtualis inter Essentiam divinam et relationes, objectio Anomæorum contra Verbi divinitatem sufficienter confutari nequit. Ajunt enim: Divina substantia est ingenita; atqui Verbum non est ingenitum;

ergo Verbum non est divina substantia, nec Patri consubstantiale. — Jam vero hæc conclusio hæretica est, et tamen ex præmissis legitime flueret, si prædicta distinctio non existeret. — Ergo distinctio ista debet admitti.

PROPOSITIO IV.

DEUS EST FORMA PERFECTA INFINITE.

224. — Prænotanda. Nunc probabimus tantum *infinitam divinæ Formæ perfectionem in genere.* Singulas autem perfectiones pertinentes ad ipsius Esse, Intelligere et Velle evolvemus in Tomo II, Parte I.

Perfectum autem dicitur illud, cui nihil deest secundum modum seu mensuram suæ excellentiæ. *Infinite perfectum* dicitur illud, cui nihil omnino deest, sed quod est omnimode et absolute excellens, sine ullo limite. Quæ infinitas necessario et exclusive competit divinæ Formæ simplicissimæ, cujus Perfectio, Actus, Esse, nulla potentialitate limitatur, sicut in Propositione II probatum est.

De fide est ex Concil. Vatic. Constit. dogm. de Fide, cap. 1, Deum esse « Intellectu ac Voluntate omnique perfectione infinitum. »

Argumentum I.

Ex sacra Scriptura et Patribus.

Probatur I. Ex S. Scriptura, quæ 1°) simpliciter testatur Deum esse perfectum: Math. 5, v. 48: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Concilium Later. IV cap. Damnamus, sequenti modo hunc textum interpretatur: « Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est perfectione naturæ. »

2°) Testatur nihil Deo deesse, sed Deum esse sui plenum, et nulla re indigere.

Isaï. 1. v. 11: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum.*

Psalm. 15, v. 2: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

3°) Asserit Deum esse infinitum et consequenter nobis incomprehensibilem: Baruch 3, v. 25: *Magnus est, et non habet finem.*

Psalm. 144, v. 3: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Hæc magnitudo, quæ spiritualis est, non corporea, attenditur juxta S. Thomam lib. 1 cont. Gent., cap. 43 « quantum ad propriam naturæ Bonitatem, sive completionem. »

Job 11, v. 7-9: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari.*

Probatur II. Ex Patribus, qui Deum infinitum esse prædicant.

S. Gregorius Nyssenus, Orat. 1 in illud Genes.: *Faciamus hominem:* « Magnum cogita (Deum), et huic magno plus etiam adde quam cogitasti, atque ita exple cogitationem tuam; neque unquam quæ infinita sunt capies. Nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur. »

S. Joannes Damascenus, lib. 1 de Fide orthod., cap. 4: « Infinitus est Deus et incomprehensibilis, atque hoc unum ex eo percipi et comprehendi potest, quod nimirum ipse infinitus et incomprehensibilis sit. »

S. Dionysius Areopagita in cap. 5 de div. Nominib., § 4: « Deus non aliquomodo est Ens, sed simpliciter et infinite totum Esse in se simul complectitur ac præhabet. » Et cap. 13, § 1: « Perfectus itaque est, non tantum seipso perfectus, et per se a seipso uniformiter definitus, totusque secundum se totum perfectissimus; sed etiam ut supreme perfectus secundum omnem excessum, atque omnem infinitatem definiens, super omnem finem expansus, et a nullo comprehensus aut contentus, sed ad omnia pariter et super omnia indeficientibus largitionibus et nunquam finiendis operationibus pertingens. Perfectus item dicitur, at qui nullum accipiat incrementum, semperque perfectus sit, nec minui possit, omnia in seipso præhabens, et exuberans una et eadem incessabili et superplena et imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, et unumquodque congrua sibi perfectione adimplet. »

S. Hilarius in Psalm. 144, ad versum 3, quem supra citavimus, dicit: « Hæc Dei prima et præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suæ habeat et laudis. Virtus ejus et opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur. »

S. Augustinus, Enarrat. in eumdem Psalmum et versum: « *Laudabilis* est *valde et magnitudinis ejus non est finis.* Ideo dixit *valde,* quia *magnitudinis ejus non est finis;* ne forte incipias velle laudare, et putes te laudando posse finire, cujus magnitudo finem non potest habere. Noli ergo te putare eum, cujus magnitudinis finis non est, sufficienter posse laudare. Nonne ergo melius est ut quomodo ipse non finitur, nec laus ipsius finiatur? Illius magnitudo sine fine est, et tua laudatio sine fine sit.

De magnitudine ejus quid dictum est? *Magnitudinis ejus non est finis.* De tua laude quid? *Laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.* Ergo sicut ejus magnitudinis non est finis, sic tuæ laudis non erit finis. Non enim cum mortuus fueris in hac carne, desines laudare Dominum. — In lib. 5 de Trinit., cap. 2: « Intelligamus Deum, si possumus quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. »

Argumentum II.

Ex S. Thoma.

Sequentes referemus doctoris angelici Articulos, in quibus probat divinam Formam, quæ est prima omnium rerum Causa, esse 1°) perfectam; 2°) infinite perfectam; 3°) omnium rerum perfectiones in se continentem.

§ I.

Deus est perfectus.

225. — 1. q. 4, art. 1: « *Utrum Deus sit perfectus.* »

I. « **Videtur quod esse perfectum non conveniat Deo.** »

1°) « Perfectum enim dicitur, quasi totaliter factum. Sed Deo non convenit esse factum. Ergo nec esse perfectum. »

2°) « Præterea Deus est primum rerum principium. Sed principia rerum videntur esse imperfecta; semen enim est principium animalium et plantarum. Ergo Deus est imperfectus. »

3°) « Præterea ostensum est supra, quod Essentia Dei est ipsum Esse. Sed esse videtur esse imperfectissimum, cum sit communissimum et recipiens omnes additiones. Ergo Deus est imperfectus. »

II. « **Sed contra est,** quod dicitur Matth. 5: *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* »

« *Respondeo dicendum,* quod sicut Philosophus narrat in 12 Metaph., quidam antiqui Philosophi, scilicet Pythagorici et Leucippus, non attribuerunt optimum et perfectissimum primo Principio. Cujus ratio est, quia Philosophi antiqui consideraverunt principium materiale tantum; primum autem principium materiale imperfectissimum est; cum enim materia, inquantum hujusmodi, sit in potentia, oportet quod primum principium materiale sit maxime in potentia, et ita maxime imperfectum. Deus autem ponitur primum Principium, non materiale (*seu passivum*), sed in genere causæ efficientis, et hoc oportet esse perfectissimum. Sicut enim materia, inquantum hujusmodi, est in potentia, ita agens, inquantum hujusmodi, est in actu. Unde primum Principium activum oportet maxime esse in actu, et per consequens maxime esse perfectum. Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu; nam perfectum dicitur cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis. »

III. « **Ad 1^m^ ergo dicendum,** quod sicut dicit Gregorius: *Balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus.* Quod enim factum non est, *perfectum* proprie dici non potest. Sed quia in his quæ fiunt, tunc dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentia educitur in actum, transumitur hoc nomen *perfectum* ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu, sive habeat per modum perfectionis, sive non. »

« Ad 2^m^) dicendum, quod principium materiale, quod apud nos imperfectum invenitur, non potest esse simpliciter primum, sed præceditur ab alio perfecto. Nam semen, licet sit principium animalis generati ex semine, tamen habet ante se animal vel planta unde deciditur. Oportet enim ante id, quod est in potentia, esse aliquid actu, cum ens in potentia non reducatur in actum, nisi per aliquod ens in actu. »

« Ad 3^m^) dicendum quod ipsum *esse* est perfectissimum omnium. Comparatur enim ad omnia ut actus; nihil enim habet actualitatem, nisi inquantum est. Unde ipsum *esse* est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum; unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens. Cum enim dico *esse* hominis, vel equi, vel cujuscumque alterius, ipsum *esse* consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit esse. »

§ II.

Deus est infinite perfectus.

226. — 1. q. 7, art. 1 « *Utrum Deus sit infinitus.* »

I. « **Videtur quod Deus non sit infinitus.** »

1°) « Omne enim infinitum est imperfectum, quia habet rationem partis et materiæ, ut dicitur in 3. Physic. Sed Deus est perfectissimus. Ergo non est infinitus. »

2°) « Præterea, secundum Philosophum in 1. Phys., finitum et infinitum conveniunt quan-

titati. Sed in Deo non est quantitas, cum non sit corpus, ut supra ostensum est. Ergo non competit sibi esse infinitum. »

3°) « Præterea, quod ita est hîc, quod non alibi, est finitum secundum locum; ergo quod ita est hoc, quod non est aliud, est finitum secundum substantiam. Sed Deus est hoc, et non est aliud; non enim est lapis, nec lignum. Ergo Deus non est infinitus secundum substantiam. »

II. « **Sed contra** est quod dicit Damascenus (lib. 1 de Fide orthod., cap. 4) quod Deus est infinitus, et æternus, et incircumscriptibilis. »

« *Respondeo dicendum* quod omnes antiqui Philosophi attribuunt infinitum primo Principio, ut dicitur 3. Physic.; et hoc rationabiliter, considerantes res effluere a primo Principio in infinitum. Sed quia quidam erraverunt circa naturam primi Principii, consequens fuit ut errarent circa infinitatem ipsius. Quia enim ponebant primum Principium materiam, consequenter attribuerunt primo Principio infinitatem materialem, dicentes aliquod corpus infinitum esse principium rerum. »

» Considerandum est igitur, quod infinitum dicitur aliquid, ex eo quod non est finitum; finitur autem quodammodo et materia per formam, et forma per materiam. Materia quidem per formam, inquantum materia, antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas; sed cum recipit unam, terminatur per illam; forma vero finitur per materiam, inquantum forma, in se considerata, communis est ad multa, sed per hoc quod recipitur in materia, fit forma determinate hujus rei. Materia autem perficitur per formam, per quam finitur; et ideo infinitum, secundum quod attribuitur materiæ, habet rationem imperfecti: est enim quasi materia non habens formam; forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam ejus amplitudo contrahitur. Unde infinitum, secundum quod se tenet ex parte formæ non determinatæ per materiam, habet rationem perfecti; illud autem quod est maxime formale omnium est ipsum Esse, ut ex superioribus patet. Cum igitur Esse divinum non sit Esse receptum in aliquo, sed Ipse sit suum Esse subsistens, ut supra ostensum est, manifestum est quod ipse Deus sit infinitus et perfectus. »

Quoad doctrinam antiquorum philosophorum *de infinito*, vide n^m^ 228.

III. « **Et per hoc patet responsio ad 1^m^.** »

« Ad 2^m^) dicendum quod terminus quantitatis est sicut forma ipsius; cujus signum est, quod figura, quæ consistit in terminatione quantitatis, est quædam forma circa quantitatem. Unde infinitum quod competit quantitati, est infinitum quod se tenet ex parte materiæ. Et tale infinitum non attribuitur Deo, ut dictum est. »

« Ad 3^m^) dicendum, quod ex hoc ipso quod Esse Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo prout dicitur infinitum, distinguitur ab omnibus aliis, et alia removentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subjecto. »

§ III.

Deus in se continet omnium rerum perfectiones.

227. — 1. q, 4, art. 2: « *Utrum in Deo sint perfectiones omnium rerum.* »

I. « **Videtur quod in Deo non sint perfectiones omnium rerum.**

1°) « Deus enim simplex est, ut ostensum est. Sed perfectiones rerum sunt multæ et diversæ. Ergo in Deo non sunt omnes perfectiones rerum. »

2°) « Præterea, opposita non possunt esse in eodem. Sed perfectiones rerum sunt oppositæ; unaquæque enim species perficitur per suam differentiam specificam; differentiæ autem, quibus dividitur genus et constituitur species, sunt oppositæ. Cum ergo opposita non possint esse in eodem, videtur quod non omnes rerum perfectiones sint in Deo. »

3°) « Præterea, vivens est perfectius quam ens, et sapiens quam vivens; ergo et vivere est perfectius quam esse, et sapere quam vivere. Sed Essentia Dei est ipsum Esse. Ergo non habet in se perfectionem vitæ et sapientiæ et alias hujusmodi perfectiones. »

II. « **Sed contra est** quod dicit Dionysius, 5. cap. de Div. Nominib., quod Deus in una existentia, omnia præhabet. »

« *Respondeo dicendum*, quod in Deo sunt perfectiones omnium rerum. Unde et dicitur universaliter perfectus, quia non deest ei aliqua nobilitas, quæ inveniatur in aliquo genere, ut dicit Comment. in 5. Metaphys. Et hoc quidem ex duobus considerari potest.

» Primo quidem per hoc, quod quidquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva, vel secundum eamdem rationem, si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel eminentiori modo, si sit agens æquivocum, sicut in sole est similitudo eorum quæ generantur per virtutem solis. Manifestum est enim quod effectus præexistit virtute in causa agente; præexistere autem in virtute causæ agentis, non est præexistere imperfectiori modo, sed perfectiori, licet præexistere in potentia causæ

materialis, sit præexistere imperfectiori modo; eo quod materia, inquantum hujusmodi, est imperfecta, agens vero, inquantum hujusmodi, est perfectum. Cum ergo Deus sit prima Causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo, secundum eminentiorem modum. Et hanc rationem tangit Dionysius, 5. cap. de Div. Nominib., dicens de Deo, quod non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia Est, ut omnium Causa.

» Secundo vero ex hoc, quod supra ostensum est, quod Deus est ipsum Esse per se subsistens; ex quo oportet, quod totam essendi perfectionem in se contineat. Manifestum est enim quod si aliquod calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo est quia calor non participatur secundum perfectam rationem; sed si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris. Unde cum Deus sit ipsum Esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse; omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi: secundum hoc enim aliqua perfecta sunt, quod aliquo modo esse habent; unde sequitur quod nullius rei perfectio Deo desit. Et hanc etiam rationem tangit Dionysius, 5. cap. de Div. Nominib., dicens quod Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter et incircumscriptive totum in seipso uniformiter Esse præaccipit; et postea subdit quod ipse est Esse subsistentibus. »

III. « **Ad 1m) ergo dicendum,** quod sicut sol, ut dicit Dionysius, 5. cap. de Div. Nominib., sensibilium substantias et qualitates multas et differentes, ipse unus existens et uniformiter lucendo, in seipso uniformiter præaccipit: ita multo magis in Causa omnium necesse est præexistere omnia secundum naturalem unionem: et sic quæ sunt diversa et opposita in seipsis, in Deo præexistunt ut unum, absque detrimento simplicitatis illius. »

« Et per hoc patet solutio ad 2m). »

« Ad 3m) dicendum, quod sicut in eodem Capite idem Dionysius dicit, licet ipsum esse sit perfectius quam vita, et ipsa vita quam sapientia, si considerentur secundum quod distinguuntur ratione: tamen vivens est perfectius quam ens tantum, quia vivens etiam est ens, et sapiens est ens et vivens. Licet igitur ens non includat in se vivens et sapiens, quia non oportet quod illud quod participat esse, participet ipsum secundum omnem modum essendi, tamen ipsum Esse Dei includit in se Vitam et Sapientiam, quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei, quod est ipsum Esse subsistens. »

Argumentum III.

Ex paganis philosophis.

228. — I. Plato et Aristoteles docuerunt Deum esse Ens spirituale, simplicissimum et perfectissimum.

Prior enim, sicut supra ostendimus, n.° 220 et 221, Deum considerat ut *Esse purum*, per se subsistens, per se et absolute unum, bonum et pulchrum, omnis unitatis, bonitatis et pulchritudinis Artificem; alter Deum contemplatur ut *Actum purum*, optime ac beatissime viventem, intelligendo propriam excellentiam suam, sibi Ipsi sufficientem, in seipso immutabilem seu immobilem, et principium omnis mutationis seu motus.

Verumtamen neuter ex Dei simplicitate et absoluta perfectione *concludit veram ipsius infinitatem*, ex eo, quod incompletam de infinito notionem habuerunt. Patet ex lib. 3. Physic. Aristotelem considerasse infinitum tanquam principium quidem æternum et immutabile, sed tanquam principium materiale, imperfectum et contentum; non vero tanquam principium formale, perficiens et continens; itaque putabat infinitum existere quidem in potentia materiæ, sed non existere actu in aliqua forma; nullum igitur infinitum agnoscebat nisi infinitum potentia, seu indefinitum et imperfectum, et logice concludebat, infinitum non posse actu existere in forma materiam definiente et perficiente. Unde infinitum considerabat ut partiale rei principium, oppositum rei totalitati seu perfectioni. Ergo non perspexit, sicut sapientes christiani, infinitum actu competere tali Enti, seu Actui simplicissimo, seu perfectissimo. Tradit tamen plures philosophos tenuisse Deum esse Principium infinitum.

II. **Verba Aristotelis.**

Dicit in 3. Phys., cap. 4: « Omnes qui digne talem philosophiam *(nempe naturalem)* tetigisse putantur, de *infinito* sermonem fecerunt, et ipsum posuerunt ut principium quoddam eorum quæ sunt. Alii quidam per se ut substantiam, non ut rei cuiquam accidens, ut Pythagorici et Plato. Verum Pythagorici quidam in sensibilibus ipsum ponunt, non enim separabilem ipsum numerum faciunt, et id, quod est extra cœlum, infinitum esse dicebant. Plato autem extra cœlum, neque corpus esse, neque accidens putabat, propterea quod neque usquam sunt ideæ. Infinitum tamen et in sensibilibus, et in illis esse censebat... Quo infinita facit, magnum ac parvum...

» Omnes autem philosophi infinitum ponunt esse principium cum ratione. Impossibile est

enim aut infinitum in ratione rerum esse frustra, aut aliam ullam ipsi præter principii vim inesse. Omne enim quod est, aut est principium, aut est ex principio; aut principium infiniti non est, esset enim ipsius finis. Præterea infinitum censent esse ingenitum et corruptione vacare, cum sit principium quoddam; nam et quod nascitur, id habeat finem necesse est, et omnis corruptio habet finem. Quapropter, ut dicimus, infiniti non est principium, sed ipsum videtur esse cæterorum principium. Et *dicunt* etiam infinitum omnia continere ac gubernare, sicut ii, qui præter infinitum nullas alias causas faciunt, ut mentem aut concordiam, et infinitum esse ipsum divinum; est enim immortale, nec unquam perire potest, ut Anaximander et naturalium philosophorum plurimi *dicunt*... »

Ibid., cap. 6: « *Infinitum* est illud cujus semper aliquid extra, ratione quantitatis, accipi potest; *perfectum* vero ac *totum* illud est cujus nihil est extra, nam consuevimus definire id cujus nihil prorsus abest, ut hominem totum aut cistellam... Totum autem et perfectum, aut idem penitus sunt, aut naturam finitimam habent; perfectum vero nihil prorsus quod non habeat finem... Infinitum est materia perfectionis magnitudinis, et id quod est potentiâ totum, non actu; est autem divisibile, ad diminutionem et ad additionem contrarium, totumque atque finitum non per se, sed per aliud, et non continet, sed, ut infinitum est, continetur; quapropter et ignotum est, ea ratione qua est infinitum; materia namque formam non habet. »

CAPUT II.

PROBATUR EXISTENTIA ET MYSTERIUM TRIUM PERSONARUM IN UNITATE SUPREMÆ CAUSÆ.

229. — **Prænotanda.** Dicitur in Symbolo S. Athanasii: « Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. » Hæc verba continent summam totius dogmatis SS. Trinitatis, quod definitur: Trium personarum divinarum subsistentia in una eademque natura, seu Forma.

Sublimissimum illud mysterium, quod totius doctrinæ christianæ caput est, invictis argumentis *ex revelatione* desumptis demonstratur, sed *ex naturali ratione* nec stricte probari, nec ullo modo refutari potest, cum prorsus superet omnem creatam rationem.

In septem igitur propositionibus ostendemus: 1°) Realem in Deo distinctionem trium personarum ab invicem. 2°) Divinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti singulariter spectatorum. 3°) Individuam trium personarum consubstantialitatem. 4°) Ordinem originis inter divinas personas. 5°) Impossibilitatem ex ratione refutandi mysterium divinæ Trinitatis, aut 6°) demonstrandi. 7°) Possibilitatem illud revelatione cognitum suadendi variis convenientiæ rationibus, vel illustrandi variis analogiis.

Breves erimus, quia abundantissima harum propositionum argumenta in omnibus Theologiæ tractatibus inveniuntur.

PROPOSITIO I.

TRES SUNT IN DEO PERSONÆ REALITER DISTINCTÆ.

Est de fide definitâ 1°) ex omnibus symbolis; 2°) ex Sabellianismi damnatione a S. Damaso prolata: « Anathematizamus eos qui Sabellii sequuntur errores, eumdem dicentes esse Patrem, quam Filium »; 3°) ex Concil. Lateran. IV, cap. Firmiter: « Solus est verus Deus... Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed una Essentia, substantia, seu natura simplex omnino. »

Argumentum I.

Ex Scriptura.

Dogma divinæ Trinitatis: 1°) in veteri Testamento obscure continetur, ita ut non posset ex hoc fonte erui ab iis, qui aliunde illud nescirent, sed 2°) lucidissime in novo Testamento exprimitur.

§ I.

Dogma divinæ Trinitatis obscure in veteri Testamento indicatur.

I. **SS. Patres docent pluralitatem, et etiam Trinitatem personarum in genere, esse indigitatas in sequentibus locis.**

1°) Quoad personarum pluralitatem: Gen. 1, v. 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ibi Deus dicit plurali numero: *Faciamus,* ad designandam personarum pluralitatem; et in singulari numero: *ad imaginem,* ut designetur essentiæ unitas. Ita hæc verba interpretati sunt Tertullianus, de Carne Christi, cap. 5; S. Basilius, homil. 9 in Hexæan;

S. Cyrillus Hieros., catech. 10; S. Athanasius, orat. 4 cont. Arian.; S. Ambrosius, lib. 6 Hexæan.; cap. 7; S. Chrysostomus, homil. 8 in Genes.; S. Augustinus, lib. 1 de Trinit., cap. 7; et Theodoretus, qui ait in Interrog. 19 in Genes.: « Subjungens (Deus) illud: *Faciamus*, expressit numerum personarum. Similiter cum iterum singulari numero dixit: *Imaginem*, eamdem esse naturam ostendit. »

Genes. 3, v. 22: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* De hoc versu et praecedenti dicit Tertullianus adversus Praxeam, cap. 12: « Interrogo, quomodo unicus et singularis pluraliter loquitur: *Faciamus*, etc., cum debuerit dixisse: Faciam, etc., utpote unicus et singularis? Sed et in sequentibus: *Ecce Adam factus est tamquam unus ex nobis*, fallit, aut ludit, ut cum unus et solus et singularis esset, numerose loqueretur. »

Nec dicatur Deum plurali numero locutum fuisse honoris causa, sicut hodie mos est apud reges ac principes; nam recentior ille mos insolitus erat apud Hebræos, et nullum exemplum in Bibliis occurrit personæ singularis, quæ hoc modo de se loquatur.

2°) Quoad personarum Trinitatem, narratur in Genesi 11, v. 7, Deum superbos turris babylonicæ ædificatores punire volentem dixisse: *Venite descendamus et confundamus linguam eorum*, in qua verba S. Chrysostomus, vel alius ex veteribus, ait in homil. de Trinit.: « Vide, obsecro, quomodo Patris vox Filium et Spiritum vocet; nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere: Veni et descendamus... quia autem dixit: *Venite*, unius est vox ad duos honore aequales. »

Genes. 18, init., Deus dicitur apparuisse Abrahamo in convalle Mambre, et statim de Abrahamo adjicitur: *Cumque elevasset oculos apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum; quos cum vidisset... adoravit in terram. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis.* In hunc locum S. Ambrosius ait, lib. 1 de Cain et Abel: « Abraham tres vidit et unum adoravit. » Ibidem repetit S. Augustinus, lib. 2 de Trinit.

Psalm. 32 legitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;* quae verba exponens S. Augustinus in Enarrat. in hunc psalm., inquit: « Verbum certe Dei Filius est, et Spiritus oris ejus Spiritus sanctus est. Hoc *(scilicet firmare cœlos)* facit Filius et Spiritus sanctus. Numquid sine Patre? Quis ergo facit per Verbum suum et Spiritum suum, nisi cujus Verbum est, et cujus Spiritus est? Trinitas ergo haec unus Deus. » In eodem sensu loquitur S. Gregorius Nyssenus in orat. 4 Catech.

Psalm. 66: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; et metuant eum omnes fines terræ*, ubi verbum *Deus* ter repetitum significat Trinitatem personarum, ut fatentur veteres Rabbini apud Galatinum; sequens vero particula *eum* indicat Essentiæ unitatem.

Isai. 6, v. 3 Seraphim exhibentur exclamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, quem locum Patres fere omnes contra hæreticos proferunt; sed præcipue S. Ambrosius, lib. 2, egregie illum explanat, dicens: « Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur? nisi quia Pater et Filius et Spiritus sanctitate unum sunt. Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum praeteriret; non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse deitatem, cum tertio dixisset: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, addidit singulariter: *Dominus Deus Sabaoth.* »

Igitur Sancti Patres ad confirmandum summum religionis christianae mysterium usi sunt variis locis veteris Testamenti, ut harmoniam utriusque Fœderis ostenderent.

II. SS. Patres nos admonent istos locos obscure tantum indigitare dogma divinæ Trinitatis.

Ita Theodoretus, in lib. de Curat. græc. affect., serm. 2, ait: « Trinitatis dogmata nec tunc quidem venturis in posterum penitus occultavit (Deus) perfectioris Theologiæ quasi semina quædam dispergens. »

Hanc autem obscuritatem Sancti Patres et theologi attribuunt sapientissimæ dispositioni divinæ Providentiae, eique quatuor causas assignant. Dicunt enim Deum sic egisse: 1°) ut aperta declaratio mysterii divinæ Trinitatis reservaretur Filio, per quem et nosse Patrem atque ad Patrem pervenire debemus; 2°) ut esset major novi Testamenti præ veteri excellentia; 3°) ut apud Judæos carnales omne periculum idolatriæ amoveretur; 4°) ut homines sensim ac veluti per gradus elevarentur ad divinarum rerum cognitionem.

III. Concludendum non est omnes Judæos obscuram tantum habuisse divinæ Trinitatis notitiam.

Merito enim sub isto respectu eos in tres classes dividit Tournelius. De Trinit. q. 1, art. 2, concl. 1 et 2. Distinguuntur enim: 1°) Prophetæ et Sancti veteris Testamenti; 2°) legis periti; 3°) vulgus.

Jam vero primi apertam et explicitam Trinitatis notitiam habebant, tum ex primitiva revelatione, tum ex novis revelationibus sibi factis. — Apud secundos vigebat obscura tantum traditio

Trinitatis; sciebant nempe unicum Deum existere, et futurum Messiam esse Deum, ergo saltem pluralitatem divinarum personarum noverant. — In vulgo non erat de Trinitate nisi cognitio implicita, seu in aliis creditis contenta, et nesciebat plebs indocta futurum Messiam esse Deum.

§ II.

Dogma divinæ Trinitatis lucidissime in novo Testamento exprimitur.

Loci hoc dogma aperte probantes possunt trifariam dividi.

230. — I. **Loci qui tres in Deo personas nominatim designant.**

Matth., 28: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγιοῦ Πνεύματος. Agitur de tribus personis, et non de attributis tantum vel officiis, tum quia absonum foret homines baptizare in nomine, id est ex auctoritate ac virtute alicujus divini attributi; tum quia Scriptura de Filio et Spiritu sancto æque loquitur ac de Patre, quem Sabelliani Trinitatis adversarii agnoscunt esse personam. — Insuper personæ illæ sunt divinæ, quia ex solâ Dei auctoritate ac virtute homines a peccatis suis aquâ Baptismatis abluuntur. — Præterea personæ illæ ab invicem distinguuntur, quod clare patet tum ex diversitate nominum, tum ex articulo τοῦ, qui in græco singillatim Patri, et Filio, et Spiritui sancto præfigitur, tum ex præpositione καὶ, et, quæ bis repetitur, ac proin enumerationem indicat. — Denique tres illæ personæ sunt unus Deus, nam licet tres nominentur, baptisma tamen conferri jubetur non in nominibus, sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut trium personarum una essentia, virtus et auctoritas designetur.

1. Joan 5, v. 7: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* — Atqui persona tantum, et non personæ attributum, potest testimonium reddere. — Ergo textus ille indicat tres personas in unâ Forma divina existentes, sicut probant verba: *Et hi tres unum sunt.*

Adeo clarus est textus ut Sociniani nihil melius invenerint, quam illius authenticitatem negare. Cum autem ista negatio a pluribus catholicis interpretibus deinceps admissa esset, S. Congregatio Inquisitionis, die 13 Jan. 1897 edidit decretum a Leone XIII confirmatum, quo declaravit, authenticitatem prædicti textus non posse tuto negari, nec etiam in dubium revocari.

II. **Loci in quibus personæ Patris et Spiritus sancti conjunguntur cum Christo.**

Matth. 3: *Baptizatus Jesus confestim ascendit de aquâ; et ecce aperti sunt ei cœli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se; et ecce vox de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Loci paralleli inveniuntur in Marc. 1, Luc. 3, Joan. 1. — Tres sunt qui agunt: Pater qui loquitur, Filius qui ascendit de aquâ, et videt Spiritum sanctum, qui ipse in Filium descendit sub specie columbæ. Atqui, actiones sunt propriæ personis, non vero personarum attributis. Ergo sermo est de tribus personis. — Præterea constat illas varios actus gerere et consequenter esse ab invicem distinctos. — Quoad speciem columbæ, quam induit Spiritus sanctus, sufficit dicere proprium esse personæ, et non attributo, induere formam corporalem.

Joan. 14, v. 16: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis.* Et cap. 15, v. 26: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* — Tres iterum ibi exhibentur personæ distinctæ, cum diversas ponant actiones: Pater, qui rogatur et mittit; Filius, qui rogat et cum Patre mittit; Spiritus sanctus, qui a Patre procedit, mittitur et testimonium perhibet.

III. **Innumeri loci, qui trium personarum singulariter sumptarum divinitatem adstruunt,** et quos in sequenti propositione allegabimus, præsentem quoque propositionem probant. Nam si Pater est Deus, si Filius est Deus, si Spiritus sanctus est Deus, et si Deus unus est, sicut hanc unitatem ipsi agnoscunt adversarii, necessario sequitur tres esse personas in uno Deo distinctas.

Argumentum II.

Ex traditione.

Prænotanda. — Sociniani inaniter dicunt Trinitatis dogma originem a Platone accepisse, et in Ecclesia non viguisse ante Concilium Nicænum, sæculo IV celebratum. Nos in Parte III, n.° 498, demonstrabimus Platonem nullo modo Trinitatem personarum in Deo docuisse, et nunc ostendemus Ecclesiam expliciter Trinitatis mysterium credidisse ante Concilium Nicænum.

§ I.

Probatur ex Patribus Antenicænis.

231. — I. **Quindecim citantur Patres, qui dogma Trinitatis expresse professi sunt ante Concilium Nicænum,** videlicet *sæculo I*, S. Cle-

mens Romanus, Hermas, S. Ignatius. — *Sæculo II*, S. Polycarpus, S. Justinus, Athenagoras, S. Irenæus, S. Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus. — *Sæculo III*, Tertullianus, Origenes, S. Hippolytus, S. Gregorius Thaumaturgus, S. Dionysius Papa. Vide Knoll, Instit. theolog., pars 1, sect. 2, aliosque theologos. Unius tantum Patris verba pro quovis sæculo referre sufficiat.

S. Ignatius martyr, S. Joannis Evangelistæ auditor, dicit in Epist. ad Magnesianos, n.° 13: « Studete ut conformemini in dogmatibus Domini et apostolorum, ut omnia quæ facitis, prospere vobis succedant, carne et spiritu, fide et charitate in Filio, et Patre, et Spiritu sancto... Subjecti estote Episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et apostoli Christo, et Patri et Spiritui. » Et in Epist. ad Ephes., n.° 9: « Eratis ut lapides templi Patris, sublati in alta per machinam Jesu Christi, quæ est crux, Spiritu sancto pro fune utentes. »

S. Irenæus, lib. 1. adv. hæres., cap. 10: « Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ, seminata ab apostolis et eorum discipulis, accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem; et in unum Jesum Christum, Filium Dei, incarnatum pro salute nostra; et in Spiritum sanctum, qui per prophetas, Dei consilia et adventum prænuntiavit. »

Origenes, homil. 12. in Numer.: « Admittenda est trium distinctio personarum in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto... Sed horum unus est fons; una enim substantia est et natura Trinitatis. »

Cæterum Patres sæculi IV et V testantur non aliam de mysterio Trinitatis doctrinam a priorum sæculorum Patribus fuisse traditam, nisi eam, quæ definita est in Concilio Nicæno I et Constantinopolitano I. Sic S. Athanasius ait in Epist. ad Adelph.: « Fides nostra quæ recta est, ex Apostolorum ac Patrum doctrina confirmatur. » — S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27, commendat fidem Concilii Constant. I: « Quam, qui ab initio constituerunt, successoribus tradentes, procedente cum tempore semper usu, per diuturnam consuetudinem, altis radicibus in Ecclesia defixerunt. » — Et S. Augustinus, lib. 1. de Trinitate, cap. 4, totam traditionem complectens præcedentem ait: « Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, divinorum Librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit, qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo non sit Pater qui Filius est; Spiritusque sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, etiam ipse coæqualis, et ad Trinitatis pertinens unitatem. »

II. **Conclusio, et explicatio modi loquendi priorum Patrum.**

Falso igitur affirmant adversarii, Patres antenicænos aliam de Trinitate fidem habuisse, quam tenuit Ecclesia catholica post Nicænum et Constantinopolitanum Concilium.

Nam *quoad dogmatis substantiam* nullatenus a posteris differebant; sed verum est *eorum locutiones non fuisse tam claras et accuratas*, quam fuerunt postea, quia vox ὑπόστασις, nondum habebat determinatam significationem, quam nunc post exortas hæreses contra Trinitatem et Christi divinitatem habet in lingua theologica, ita ut adhiberetur modo ad substantiam, modo ad subsistentiam seu personam designandam.

De primis Patribus dicit S. Augustinus in lib. 16. de Civitate Dei, cap. 2: « Securi illi loquebantur, cum nullus aderat hostis. Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur. »

Similiter S. Hieronymus adversus Rufinum observat, Patres antenicænos « antequam Arius nasceretur, innocenter quædam et minus caute locutos fuisse, eorumque verba modosque loquendi ita attemperandos esse, ut a communi christianorum fide non dissidere videantur. »

In eodem sensu dicit S. Thomas in Prolog. Opusc. 1. contra errores Græcorum: « Si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ tanta cautela non dicantur, quanta a modernis servatur, non sunt contemnenda aut abjicienda, sed oportet exponere reverenter. »

Denique *hic applicanda est, illa interpretationis regula ubique recepta*, quod loca obscura et incerta, per alia clariora et certiora sunt explicanda. Atqui Patres antenicæni, in pluribus locis, mysterium Sanctæ Trinitatis expressis verbis docent. Ergo concludendum et eos substantialiter a posterioribus Patribus non discrepare.

§ II.

Probatur ex aliis monumentis ecclesiasticis.

232. — Ecclesiam catholicam, jam tribus primis sæculis, credidisse tres esse in una divina

Essentia personas, invicte probant quinque genera monumentorum, videlicet:

1°) Baptismus, qui ab Ecclesiæ initio, collatus fuit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut instituerat ipse Christus.

Hoc testantur, S. Justinus in Apol. 1, n.° 61, et Tertullianus, qui dicit adversus Praxeam, cap. 27: « Novissime mandans Christus, ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter ad singula nomina in singulas personas tingimur. » — Ibi commemoratur trina immersio, quæ olim in usu fuit ad divinam Trinitatem significandam.

2°) Symbola, seu fidei professiones, quorum antiquissimum est symbolum Apostolorum, aperte continent trium personarum distinctionem et Essentiæ divinæ unitatem.

3°) Doxologia: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto* in Ecclesia jam tempore apostolorum adhibita est, juxta Baronium, ad Ann. 325, n.° 174. At certe in usu fuit ante Concilium Nicænum, sicut omnes agnoscunt.

4°) Confessiones Martyrum coram judicibus fidem suam affirmantium, expressis verbis asserunt dogma divinæ Trinitatis, quemadmodum testantur Acta martyrum, quorum authenticitatem demonstrat doctissimus Ruinart.

Sic in Actis Martyrum Lugdunensium, qui passi sunt anno 188, legitur S. Epipodium hæc verba protulisse: « Christum cum Patre et Spiritu sancto Deum esse confiteor. » In actis S. Vincentii, anno 304, inclytus martyr dicit: « Dominum Christum confiteor, Filium Altissimi Patris, unici unicum; ipsum cum Patre et Spiritu sancto unum solum Deum esse profiteor. »

5°) Damnationes Praxeæ, Noeti, Sabellii, qui diverso modo dogma Trinitatis impugnarunt in tribus primis Christianismi sæculis, atque ut hæretici habiti sunt, manifeste ostendunt Ecclesiam hoc dogma credidisse ante Concilium Nicænum.

PROPOSITIO II.

PATER EST DEUS, FILIUS EST DEUS, SPIRITUS SANCTUS EST DEUS.

De fide est ex omnibus symbolis, et brevissime ex Symbolo S. Athanasii: « Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; et tamen non tres dii, sed unus est Deus. »

Argumentum I.

Ex Scriptura.

233. — I. Pater est Deus.

Hoc dogma a nullo hæretico unquam fuit negatum directe, sed indirecte destruitur ab omnibus qui æternam Filii generationem rejiciunt.

Manifestissime in novo Testamento exprimitur. Verbi gratia, Math. 11. v. 25, Christus dicit: « *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* » — 2 Cor. 11, v. 31: « *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior.* » — 1 Petr. 1, v. 3: « *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* »

In his et aliis multis textibus, sermo est de quadam persona speciali et distincta, quæ dicitur Pater Jesu Christi, et hæc persona vocatur supremus omnium dominus et simpliciter Deus. Ergo Pater in divinis est Deus.

II. Filius, seu Jesus Christus est Deus.

Innumeri sunt loci, qui ab Apologistis et Theologis ex utroque Testamento congesta sunt, ad hanc propositionis nostræ partem probandam; facillime apud eos inveniri possunt. Sequentia tantum citabimus.

Joan. 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Ex his verbis luce clarius apparet Verbum, seu Filium, esse personam a Patre distinctam, nam *erat apud Deum*, more personæ distinctæ ab alia persona cui assidet; et ipsum esse Deum, facientem divina opera seu creantem omnia; ac denique ipsum humanam carnem assumpsisse, et esse Christum qui habitavit in nobis.

Ad Hebr. 1, v. 1-4: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime in diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis* etc. In toto hoc Capite agitur de Jesu Christo, novi Fœderis mediatore, quem Apostolus asserit esse Filium Dei, a Patre distinctum, sicut splendor a re splendente, et sicut figura, seu sigillum repræsentans, distinguitur a re repræsentata; sed tamen Patri suo æqualem, cum sedeat non infra

ipsum, sed ad ejus dexteram, supra omnes cœlos. Insuper Christus, Dei Filius, dicitur omnia creasse, conservare et peccata remittere, quæ opera soli Deo propria sunt.

Joan. 10, v. 30, Christus affirmat se esse Patri suo consubstantialem, dicendo: *Ego et Pater unum sumus.* — Apud Math. 3, v. 17, Deus Pater de Christo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* — Denique apud Math. 14, v. 10, Petrus sic Christum alloquitur: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* quæ confessio a Jesu Christo approbatur et remuneratur.

III. **Spiritus sanctus est Deus.**

Math. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ibi Spiritus sanctus æquiparatur Patri et Filio; atqui Pater et Filius sunt veræ personæ et Deus, sicut probatum est; ergo et Spiritus sanctus est vera persona et Deus.

In Act. 5, v. 3 et 4, dicit S. Petrus ad Ananiam: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus sed Deo.*

Joann. 16, v. 13: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis,* et 1 Cor. 12, v. 11: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult,* attribuuntur Spiritui sancto opera soli Deo propria, nempe omnia docere, futura prænuntiare, gratias distribuere.

1 Cor. 2, v. 10 et 11: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* In hoc loco, inquit S. Thomas, Spiritus Dei dicitur se habere ad Deum, sicut spiritus hominis se habet ad hominem; atqui spiritus hominis est naturæ humanæ; ergo Spiritus Dei est naturæ divinæ.

Argumentum II.

Ex Traditione.

234. — I. Pater est Deus.

1°) Probatur expressis antiquiorum Patrum testimoniis.

Sic *S. Justinus,* Apol. 1, n.° 6 Patrem nuncupat: « nulla admixta vitiositate Deum. » — *S. Gregorius Thaumaturgus* ait in Exposit. fidei: « Unus Deus, Pater Verbi viventis, Pater Filii unigeniti... Unus Dominus, unus Spiritus sanctus. » — *S. Hippolytus* cont. hæres. noct., n.° 8: « Necesse est ut, quamvis nolit, confiteatur Deum Patrem omnipotentem, et Christum Jesum, Filium Dei, et Spiritum sanctum. »

2°) Probatur præterea ex Ecclesiæ precibus: « Omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi » etc., atque ex consensu omnium christianorum, sive sint orthodoxi, sive heterodoxi; nam Patris divinitas a nullo christiano unquam directe negata est, sicut jam monuimus.

II. **Filius, seu Jesus Christus est Deus.**

1°) Sancti Patres etiam antenicæni, unanimi consensu et expresse Verbum ac Christum appellant Deum.

Ita S. Ignatius, Epist. ad Magnes., n.° 8: « Unus Deus est, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum, Filium suum, qui est Verbum ipsius æternum, non post silentium progrediens. » Item, Epist. ad Rom., n.° 3: « Deus noster Jesus Christus in Patre existens magis apparet... Opto vos valere in Deo nostro Jesu Christo. »

S. Clemens Roman., Epist. 2 ad Corinth., n.° 1: « Fratres, ita oportet nos sentire de Christo, tanquam de Deo, judice vivorum et mortuorum. »

S. Justinus in Apol. 2, n.° 6, de Christo disserens, ait: « Porro Filius ejus qui solus proprie dicitur Filius, Verbum simul cum illo *(Patre)* existens et nascens, per quod cuncta creavit et ornavit. » Item, Apolog. 1, n.° 126, Judæos incredulos sic alloquitur: « Si dicta Prophetarum intellexissetis, non negassetis illum *(Christum)* esse Deum, singularis et ingeniti, ineffabilisque Dei Filium. »

Athenagoras, Legat. pro Christian., n.° 10: « Filius Dei est Verbum Patris; ab eo enim et per eum facta sunt omnia, cum Pater et Filius unum sint. »

S. Theophilus Antioch., lib. 2 ad Autolyc., n.° 10: « Habens igitur Deus suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum, genuit Illum cum sua Sapientia. »

Tertullianus, Apol. cap. 21: « Pauca de Christo ut Deo... Nunc ex Deo probatum didicimus, et probationem generatum, et idcirco Filium Dei et Deum dictum unitate substantiæ. »

S. Cyprianus, de Idolor. vanit. n.° 7: « Filius Dei mittitur... hic in Virginem illabitur... Deus cum homine miscetur; hic Deus noster, hic Christus est. »

2°) Probatur quoque ex argumento præscriptionis.

Dogma de divinitate Verbi et Christi jam universaliter in Ecclesia credebatur, quando Arius illud impugnavit, nam statim catholici omnes fidem suam strenue contra hæreticum istum defenderunt. Ex altera parte, nullo modo assignari potest tempus in quo, vel personam per quam hoc dogma fuerit in Ecclesia intro-

ductum. Merito igitur, concludendum est illud esse a Jesu Christo revelatum.

III. **Spiritus sanctus est Deus.**

1°) S. Basilius hoc dogma statuit adducendo auctoritatem plurium Patrum, quos præcuntes habuit. Etenim in lib. de Spiritu sancto, cap. 29, citat S. Irenæum, S. Dionysium Rom., S. Dionysium Alexand., S. Clementem Rom., Athenagoram, Origenem, S. Gregorium Thaumaturgum, Eusebium, Firmilianum. Eamdem traditionem attestantur S. Athanasius, S. Hilarius, S. Ambrosius et alii.

2°) Quorumdam Patrum verba, quæ expresse asserunt Spiritum sanctum esse Deum.

Tertullianus lib. de Pudicit., cap. 21: « Est Trinitas unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » — S. Dionysius Alex., resp. ad Paulum Samosat: « Non impune fertis, qui adversus benignum Spiritum sanctum blasphemus est; Spiritus autem est Deus. » — S. Basilius Epist. 8, al. 141: « Confitendum sane est, Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, quemadmodum divinæ Scripturæ, et qui sublimiora intellexere docuerunt. » — S. Hilarius, in Math. cap. 28, v. 19: « Baptizantur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus est. »

3°) Confirmatur ex argumento præscriptionis.

Tempore Macedonii, qui Spiritus sancti divinitatem directe negavit, Ecclesia catholica dogma oppositum profitebatur, et assignari nequit tempus, quo illud in Ecclesia invectum fuerit. Ergo Ecclesia divinitatem Spiritus sancti ab initio ac semper credidit, et hanc fidem ex Christi revelatione accepit.

PROPOSITIO III.

PATER, FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS SUNT UNUS AC SINGULARIS DEUS

Prænotanda. — Ex hactenus probatis constat, *tres esse personas in Deo realiter distinctas;* constat præterea Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum. Sed nullatenus exinde licet concludere tres esse Deos; nam juxta doctrinam catholicam, tres personæ illæ sunt *unus et singularis Deus*, quia habent unam eamdemque numerice, et non tantum specifice, Essentiam seu Formam divinam.

Individua enim trium personarum divinarum consubstantialitas de fide est ex Symbolo Athanasiano, cujus verba omnes norunt, et in Concilio Constantin. IV definiente: « Credimus in unum Deum, in tribus consubstantialibus et divinis ac principalibus Personis; unum quidem et singularem Deum, secundum rationem substantiæ, trinum autem... si eum secundum rationem personarum prædicamus. » — Item ex Concilio Later. IV, cap. Firmiter: « Credimus et profitemur... quod una quædam res est... ineffabilis, quæ veraciter est Pater, Filius et Spiritus sanctus, ac singulatim quælibet earum. »

Argumentum I.

Ex Scriptura et Patribus.

235. — I. **Sancti Patres, in genere,** ad nostram propositionem probandam, præcipue duobus Scripturæ textibus innituntur, quos jam citavimus, nempe Math. 28: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et 1. Joan. 5: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.*

Jam vero, in his Christi eloquiis fundati, Patres adstruunt trium personarum divinarum consubstantialitatem, et quidem numericam, nam passim divinam naturam vocant individuam, singularem, unam unitate sine numero, unam unitate ex identitate; quæ omnia, nisi consulto in alium sensum detorqueantur, unitatem numericam significant, ita ut Patres aliis verbis non utantur ad confutandam in hæresi Sabelliana singularitatem personæ in Deo, neque aliter personæ unitatem in Christo exprimant.

II. **Præter hoc argumentum generale** citare sufficiat duos utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ principes. *S. Gregorius Nyssenus*, lib. ad Ablat. ait: « Natura una est, ipsa secum unita, ac prorsus unitas individua, quæ non una cum singularibus, qui ejus participes sunt, dividitur. » — *S. Augustinus*, lib. 15 de Trinit., cap. 23: « In illa summa Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut cum trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus et dicatur et sit; nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus. »

Argumentum II.

Ex rationibus theologicis.

236. — **Ratio I.** In antiquitate disputatio inter catholicos exorta est circa hypostasim; alii enim contendebant unam hypostasim, alii tres hypostases in Deo esse. Sed lis erat de verbis tantum, et in ipsa re consentiebant. Primi

enim per hypostasim intelligebant naturam, secundi vero intelligebant personam. Ita ubi de terminis convenerunt, cessavit disputatio.

Ex hoc autem facto eruitur, quod secundum omnes catholicos, profiteri debemus divinam naturam esse tam unam in se, quam in persona, scilicet esse singularem, seu individuam.

Ratio II. Concilium Florentinum in Decreto Unionis definivit Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio, tamquam ab uno Principio. Atqui, id dici non posset, si Pater et Filius non haberent unam eamdemque numerice naturam. — Ergo stat nostra propositio.

Ratio III. Juxta Patres, catholica fides medium tenet inter duas hæreses Arii et Sabellii, ita ut unitate personæ rejecta ex doctrina Sabellii, ex ea retineat naturæ unitatem, quam negabat Arius. — Atqui, Sabellius unam numero naturam in Deo profitebatur. — Ergo Patres eamdem naturæ unitatem constituunt, non tantum specificam sed individuam.

PROPOSITIO IV.

INTER PERSONAS DIVINAS EXISTIT ÆQUALIS ORDO ORIGINIS, CUJUS PRINCIPIUM EST PATER, MEDIUM FILIUS, ET TERMINUS SPIRITUS SANCTUS.

237. — Prænotanda. In Parte I. hujus Tomi I, *sæpe asseruimus* divinum Exemplarismum esse doctrinam de trino Ordine increato atque exemplari, et de trino omnium rerum ordine creato atque exemplato. Jam vero, trinus Ordo increatus existit realiter inter tres divinas personas realiter distinctas ab invicem oppositione realium suarum relationum.

Nunc *ex S. Thoma probabimus* hunc divinum Ordinem non includere *prioritatem* dignitatis nec temporis, sed personarum *originem*, cujus Principium est Pater, medium Filius, et terminus Spiritus sanctus.

§ I.

Tres divinæ personæ sunt coæquales dignitate et coæternæ.

Est de fide ex Symbolo S. Athanasii profitentis quod « totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. »

I. **Trium personarum æqualitatem** sic ostendit S. Thomas 1. q. 42, art. 1, corp.: « Necesse est ponere æqualitatem in divinis personis; quia secundum Philosophum in 10. Metaph., text. 15-17, *æquale* dicitur quasi per negationem minoris et majoris. Non autem possumus in divinis personis ponere aliquid majus et minus; quia, ut Boetius dicit in lib. de Trinit.: *eos differentia* (scilicet deitatis) *comitatur qui vel augent, vel minuunt, ut Ariani; qui gradibus numerorum Trinitatem variantes, distrahunt atque in pluralitatem diducunt.* Cujus ratio est, quia inæqualium non potest esse una quantitas numero; quantitas autem in divinis non est aliud quam ejus Essentia; unde relinquitur, quod si esset aliqua inæqualitas in divinis personis, quod non esset in eis una Essentia, et sic non essent tres personæ unus Deus, quod est impossible. Oportet igitur æqualitatem ponere in divinis personis. »

II. **Trium personarum coæternitas** sic demonstratur ibid., art. 2, corp.: « Necesse est dicere Filium esse coæternum Patri. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod aliquid ex principio existens posterius esse suo principio, potest contingere ex duobus: uno modo ex parte agentis, alio modo ex parte actionis. Ex parte *agentis* quidem, aliter in agentibus voluntariis, aliter in agentibus naturalibus. In agentibus quidem *voluntariis*, propter electionem temporis; sicut enim in agentis voluntarii potestate est eligere formam, quam effectui conferat, ita in ejus potestate est eligere tempus, in quo effectum producat. In agentibus autem *naturalibus*, hoc contingit, quia agens aliquod non a principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum, sed ei advenit post aliquod tempus, sicut homo non a principio generare potest. — Ex parte autem *actionis* impeditur ne id quod est a principio, simul sit cum suo principio, propter quod actio est successiva; unde dato quod aliquod agens tali actione agere inciperet statim cum est, non statim eodem instanti esset effectus, sed in instanti ad quod terminatur actio.

» Manifestum est autem, secundum præmissa, quod Pater non generat Filium voluntate, sed natura. Et iterum, quod natura Patris ab æterno perfecta fuit. Et iterum, quod actio qua Pater producit Filium, non est successiva, quia sic Filius Dei successive generatus esset, et ejus generatio materialis et cum motu esset, quod est impossibile. Relinquitur ergo quod Filius fuit quandocumque fuit Pater, et sic Filius est coæternus Patri, et similiter Spiritus sanctus utrique. »

§ II.

Inter divinas personas existit Ordo naturæ seu originis, sine ulla prioritate dignitatis vel temporis.

238. — Ibidem Art. 3, Sed contra, et corp.: **Probatur I:** « Ubicumque est pluralitas sine

ordine, ibi est confusio. Sed in divinis personis non est confusio, ut Athanasius dicit *(in suo Symbolo)*. Ergo est ibi ordo. »

Probatur II: « Ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium; unde sicut dicitur principium multipliciter, scilicet secundum situm, ut punctus; secundum intellectum, ut principium demonstrationis, et secundum causas singulas; ita etiam dicitur ordo. In divinis autem dicitur principium secundum originem, absque prioritate, ut supra dictum est. Unde oportet ibi esse Ordinem secundum originem, absque prioritate; et hic vocatur Ordo naturæ, secundum Augustinum (lib. 4, sup. Genesi, cap. 34 et 35), non quo alter sit prius altèro, sed quo alter est ex altero. »

Ad 3[m]) « Ordo naturæ dicitur, non quod ipsa natura ordinetur, sed quod Ordo in divinis personis attenditur secundum naturalem originem. »

Ad 4[m]) « Natura quodammodo importat rationem principii, non autem essentia. Et ideo Ordo originis melius nominatur Ordo naturæ, quam Ordo essentiæ. »

§ III.

Pater est Principium Ordinis naturæ divinæ.

239. — **Probatur** in 1, q. 33, art. 1, corp.: « Hoc nomen *principium*, nihil aliud significat quam id a quo aliquid procedit; omne enim a quo aliquid procedit, quocumque modo, dicimus esse Principium, et e converso. Cum ergo Pater sit a quo procedit alius, sequitur quod Pater est Principium. » Cum autem Filius et Spiritus sanctus a Patre procedant, Pater dicendus est Principium totius Trinitatis.

Notat ibidem, ad 1[m]): « Græci utuntur, in divinis, indifferenter nomine *causæ*, sicut et nomine *principii*, sed latini Doctores non utuntur nomine causæ, sed solum nomine principii. Cujus ratio est, quia *principium* communius est quam *causa*, sicut causa communius est quam *elementum*. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei, dicitur principium, sed non causa. Quanto autem aliquod nomen est communius, tanto convenientius accipitur in divinis, quia nomina quanto magis specialia sunt, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ. Unde hoc nomen *causa*, videtur importare diversitatem substantiæ et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen *principii*. In omnibus enim causæ generibus, semper invenitur distantia inter causam, et id cujus est causa, secundum aliquam perfectionem aut virtutem. Sed nomine *principii* utimur etiam in his quæ nullam hujusmodi differentiam habent, sed solum secundum quemdam ordinem; sicut cum dicimus punctum esse principium lineæ, vel etiam cum dicimus lineæ frontem esse principium lineæ. »

§ IV.

Filius est medium Ordinis naturæ divinæ.

240. — In 1. q. 36, art. 3, quærit S. Thomas.: *Utrum recte dicatur Spiritus sanctus procedere a Patre per Filium.* Et respondet affirmative, suamque assertionem sic probat atque explicat.

I. Probatur Filium esse medium Trinitatis.

1°) Ex auctoritate S. Hilarii, qui lib. 12 de Trinit. in fine, Deum sic deprecatur: « Conserva hanc, oro, fidei meæ religionem, ut semper obtineam, scilicet te; et Filium tuum una tecum adorem; et Spiritum sanctum tuum, qui est *per Unigenitum tuum*, promerear. »

2°) Ex ratione theologica: « quia igitur Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus sanctus, potest dici quod Pater per Filium spirat Spiritum sanctum, vel quod Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium, quod idem est. »

II. Explicatur quomodo in processione Spiritus sancti, Filius dici potest medius inter Patrem et Spiritum sanctum.

Medius est, non quidem ratione virtutis divinæ, qua Pater et Filius simul spirant Spiritum sanctum, sed ratione ordinis quo Filius ipse a Patre procedit. — Ibidem legitur in responsione ad 1[m]: « In qualibet actione est duo considerare, scilicet *suppositum* agens et *virtutem* qua agit, sicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre et Filio consideretur *virtus*, qua spirant Spiritum sanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia hæc virtus est una et eadem. Si autem, considerentur ipsæ *personæ* spirantes, sic cum Spiritus sanctus communiter procedat a Patre et Filio, invenitur Spiritus sanctus *immediate* a Patre procedere, inquantum est ab eo, et *mediate* inquantum est a Filio; et sic dicitur procedere a Patre per Filium. Sicut etiam Abel processit immediate ab Adam, inquantum Adam fuit pater ejus, et mediate, inquantum Eva fuit mater ejus, quæ processit ab Adam. Licet hoc exemplum materialis processionis, ineptum videatur ad significandam immaterialem processionem divinarum personarum. »

Additur in responsione ad 2[m]: « Si Filius acciperet a Patre aliam virtutem numero ad spirandum Spiritum sanctum, sequeretur quod esset sicut causa secunda et instrumentalis, et

sic magis procederet a Patre, quam a Filio. Sed una et eadem numero virtus spirativa est in Patre et Filio, et ideo æqualiter procedit ab utroque; licet aliquando dicatur principaliter vel proprie procedere *de* Patre, propter hoc quod Filius habet hanc virtutem a Patre. »

§ V.

Spiritus sanctus est ultimus terminus Ordinis naturæ divinæ.

241. — **Probatur ex ratione,** scilicet ex eo, quod in natura divina duo tantum esse possunt processiones, sicut ostendit S. Thomas in 1. q. 27, art. 5, corp.: « Processiones in divinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Hujusmodi autem actiones, in natura intellectuali et divina, non sunt nisi duæ, scilicet *Intelligere* et *Velle;* nam *sentire*, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualem, neque totaliter est remotum a genere actionum quæ sunt ad extra, nam sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum. Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo, nisi Verbi et Amoris. »

Addit S. Thomas in responsione ad 2[m]): « Cum processiones divinas secundum aliquas actiones, necesse sit accipere secundum bonitatem et hujusmodi alia attributa, non accipiuntur aliæ processiones, nisi Verbi et Amoris, secundum quod Deus suam Essentiam, Veritatem et Bonitatem intelligit et amat. »

Ad 3[m]): « Deus uno simplici Actu omnia intelligit et similiter omnia vult. Unde in eo non potest esse processio verbi ex Verbo, neque amoris ex Amore, sed est in eo solum Verbum perfectum, et unus Amor perfectus. Et in hoc ejus perfecta fecunditas manifestatur. »

§ VI.

Æqualis Ordo divinæ naturæ non potest a creaturis repræsentari æqualiter, sed tantum inæqualiter.

242. — I. **Non potest repræsentari æqualiter.**

Probatur ex ratione theologica. Etenim ut aliquis ordo sit divino Ordini æqualis, requireretur ut esset ei similis quoad quantitatem virtualem, atque ut ejus principium, medium et terminus essent tres personæ coæquales perfectione et coæternæ in eadem natura individua subsistentes. — Atqui, hæc impossibilia sunt. — Ergo fieri nequit ut divinus Ordo trium personarum ab alio ordine repræsentetur æqualiter.

Probatur minor. 1°) Nullus ordo potest esse divino Ordini similis quantitate virtuali.

Nam virtualis quantitas divini Ordinis est infinita, cum realiter non distinguatur a divina natura seu Forma infinite perfecta. — Atqui, impossibile est ut existat alius ordo infinite perfectus et supremus, potissimum si creatus sit ab Ordine divino, nam creatura necessario et totaliter inferior est Creatori. — Ergo stat conclusio.

2°) Trinitas catholica inveniri nequit nisi in natura infinite simplici.

Etenim fides catholica credit Trinitatem personarum perfectione æqualium, et ab invicem procedentium æterne ex eadem natura individua, quæ sit ipsa sua subsistentia, sua actio, suæ relationes activæ et passivæ, atque suus Ordo, ita ut hæc omnia in ipsa sint unum et idem simul. — Atqui, sola Dei natura est sua subsistentia, sua actio etc. — Ergo in ea sola inveniri potest Ordo personarum coæqualium et coæternarum.

Probatur minor. a) Quidquid non est Deus, est creatura. Atqui, creatura cum a se non sit, nec a se subsistat, nec a se operetur, non est suum esse, nec sua subsistentia, nec sua actio, nec suus ordo, sed a Creatore accipit in natura sua esse et subsistentiam, accipit in potentiis suis operativis actum operandi, quem sequitur ordo. Ergo in creaturis, operatio et ordo naturam et suppositum agens sequuntur, sive virtute et ratione, si actio est instantanea; sive tempore, si actio sit successiva. — b) Præterea in omni natura creata, suppositum est unicum, et est principium unitatis in essendo et operando, dum in natura divina tres sunt personæ, quæ cum divina Essentia et operatione identificantur. — c) Denique in creaturis corporalibus, suppositum est causa alterius suppositi quod generat, ac proinde supposito generato prius est virtute et tempore. Igitur in toto ordine creato, nullum suppositum est alteri supposito generato æqualis virtute, et coexistens duratione.

3°) In ordine creato non repræsentantur ipsæ personæ divinæ, sed repræsentatur trinus ipsarum Ordo, seu ratio qua procedunt secundum principium, medium et terminum. — Atqui, trinus ordo creaturarum continet varios gradus perfectionis, sicut mox dicetur. — Ergo non est æqualis.

4°) Ordo divinæ naturæ nequit a creatura repræsentari, nisi multipliciter et finite.

Melius enim repræsentatur pluribus modis finitis, a pluribus creaturis natura, gratia et gloria diversis, quam uno modo ab una creatura, vel a pluribus creaturis ejusdem naturæ, seu spe-

ciei. — Ergo totus ordo creaturarum est inæqualis, seu constat pluribus creaturis, quæ, variis gradibus perfectione et tempore inæqualibus, repræsentant æqualem et æternum divinæ naturæ Ordinem; vide S. Thom. 1. q. 47, art. 1 et 2.

II. **Trinus Ordo divinarum personarum inæqualiter repræsentatur in trino mundi ordine.** Omnes enim mundi creaturæ sunt partes unius tantum ordinis, qui divini Ordinis unitatem repræsentat; ibid., art. 3. — At ordinis creati principium, medium et finis, quæ divinam Trinitatem repræsentant, non sunt æqualia, sed inter se habent prioritatem et posterioritatem perfectionis et temporis, complectendo perfectionem naturæ ut fundamentum, gratiæ ut medium, et gloriæ ut finem.

Hæc mundi universi trinitas infra probabitur n.° 322.

PROPOSITIO V.

RATIO HUMANA NON POTEST ALIQUAM CONTRADICTIONEM OSTENDERE IN MYSTERIO DIVINÆ TRINITATIS.

Breviter 1°) dabimus argumenta positiva; 2°) refutabimus apparentes contradictiones, quas adversarii nobis objiciunt.

§ I.

Argumenta positiva.

Hæc argumenta propositionem probant *extrinsece* et *intrinsece*.

243. — I. **Argumenta extrinseca.**

1°) AUCTORITAS REVELATIONIS DIVINÆ.

Doctrina catholica de Trinitatis mysterio a Deo revelata est, sicut constat ex præcedentibus propositionibus, quas probavimus ex Scriptura et traditione. — Atqui, ea quæ Deus revelavit, neque inter se pugnare, neque rectæ rationi contraria esse possunt, quia Deus tum rationis, tum revelationis Auctor est: unde in utroque casu, contradictio in Deum ipsum refunderetur, quam absolute impossibile est inveniri in Ente simplicissimo et perfectissimo, in summa et in infallibili Veritate. — Ergo, sicut certissime nobis constat mysterium Trinitatis divinitus revelatum esse, ita plena quoque certitudine dicere possumus, mysterium Trinitatis cum recta ratione nullatenus pugnare, innixi auctoritate Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

2°) AUCTORITAS SS. PATRUM.

Jam per octodecim sæcula, in Ecclesia catholica exstiterunt viri ingenio, scientia et sanctitate præstantissimi, qui doctrinam revelatam de Trinitate non solum firmiter crediderunt ac professi sunt, sed etiam illius veritatem solide probarunt, et contra adversarios acerrime defenderunt, quamvis optime noverint, doctrinam quæ contradictoria est, seu rectæ rationi evidenter repugnat non esse habendam ut divinitus revelatam. — Ergo certissime tanti viri nullam contradictionem aut repugnantiam invenerunt in doctrina revelata, quam ex omni parte diligentissime perscrutati sunt. — Atqui, nonnisi summa temeritate ac stultitia asseri potest, tot et tales viros aut deceptos fuisse aut decipere voluisse. — Ergo fatendum est, doctrinam revelatam de Trinitate, nullam in se contradictionem aut repugnantiam continere.

Confirmatur ex eo, quod multi doctores catholici magno ingenii acumine ostenderunt, revelatam de Trinitate doctrinam maxime congruam esse principiis rectæ rationis, sicut in Propos. VI probabimus.

3°) EXEMPLA, SEU SIMILITUDINES, ADHIBERI POSSUNT, ut rudioribus quoque et simplicioribus hominibus ostendatur, nullam contradictionem in mysterio Trinitatis inveniri. Fides enim nobis proponit in una Essentia divina, tres personas credendas, quæ per oppositas relationes ab invicem distinguuntur. — Atqui aliquid analogum invenitur etiam in rebus creatis, quemadmodum infra monstrabimus. — Ergo.

II. **Argumentum intrinsecum.**

Probatur ex ipso SS. Trinitatis mysterio. Contradictio in doctrina revelata de Trinitate demonstrari nequaquam potest. Nam ut vera contradictio seu repugnantia demonstretur, ostendi debent duæ notiones claræ, quæ evidenter se invicem excludant, prout exempli gratia se invicem excludunt notiones circuli et quadrati. — Atqui, tales duæ notiones claræ, et sibi invicem repugnantes, nequeunt in mysterio Trinitatis ostendi. Hoc enim mysterium enuntiatur sequenti propositione: Deus unus in Essentia est trinus in personis: et de his dicitur, quod secunda persona procedat a prima per generationem, et tertia a prima et secunda per spirationem. Jam vero neque de divina Essentia, quæ infinita et simplicissima est, neque de personis divinis, neque de earum processionibus claram et adæquatam cognitionem habemus, et ideo non possunt, ex doctrina revelata de Trinitate, ostendi duæ notiones claræ, quæ se invicem excludant. — Ergo frustra laborant adversarii, dum contradictiones demonstrare conantur, quia judicium ferre non possunt, nisi

de iis quæ subsunt naturali rationi; sed dogma SS. Trinitatis est supra naturalem rationem; ergo unitariis impossibile est ostendere, mysterium divinæ Trinitatis aliquo modo rectæ rationi adversari.

Confirmatur ex eo, quod contradictio seu repugnantia definitur: Affirmatio et negatio ejusdem de eodem, sub eodem respectu. — Atqui cum dicimus Deum esse unum in Essentia et trinum in personis, non affirmamus ac negamus in Deo unitatem, vel trinitatem, sub eodem respectu. — Ergo nulla contradictio in mysterio Trinitatis continetur. Cæterum, antequam asseramus duo sibi invicem repugnare, diligenter inquirendum est utrum ea, quæ de objecto eodem affirmantur et negantur, ita reapse sibi invicem opponuntur, ut sub nullo respectu conciliari possint, et ideo a nobis cognoscenda sunt sub omni respectu: atqui nobis impossibile est Deum cognoscere sub omni respectu: ergo etiam nobis impossibile est veram contradictionem in Deo demonstrare.

§ II.

Solvuntur apparentes contradictiones.

244. — **Objectio I.** Evidens est hoc axioma philosophicum: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. — Atqui dogma Trinitatis docet, tres personas esse idem cum Essentia divina, et tamen non esse idem inter se: tres enim dicuntur ab invicem distinctæ, et non unum. — Ergo hoc dogma præfato axiomati aperte contradicit.

Respondemus restringendo axioma in Majore enuntiatum, et dicendo: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, sed tantum secundum ea, in quibus cum uno tertio conveniunt, sicut monet S. Bonaventura in dist. 34, art. 1, q. 1, ad 6: Ita duo filii ejusdem patris conveniunt inter se, ratione filiationis seu consanguinitatis, sed non secundum alias rationes.

Hanc autem restrictionem divinæ Trinitati applicantes, dicimus tres personas esse idem cum Essentia et inter se, secundum Essentiam, sed non secundum mutuas relationes oppositas. Et negamus Consequentiam.

Objectio II. Tres personæ dicuntur omnino æquales, cum sint unus et idem Deus. Ergo repugnat quod in aliquo distinguantur, et idcirco repugnat personarum Trinitas in Deo.

Respondemus distinguendo Antecedens: Tres personæ sunt omnino æquales in ordine ad Essentiam divinam, sed non in ordine ad invicem, nam Pater non est Filius. Unde relationes divinæ, licet realiter ab Essentia non distinguantur, continent tamen Essentiam divinam et aliquid amplius, nempe rationem relativi, ac proinde etsi tota Essentia divina sit, verbi gratia, in Patre, non tamen omne quod est divina Essentia est Paternitas. Ergo negatur Consequens.

Objectio III. Si præter Essentiam forent in Deo relationes realiter distinctæ, compositio adesset. — Atqui omnis compositio repugnat divinæ simplicitati. — Ergo non sunt in Deo relationes realiter distinctæ, nec proinde tres personæ.

Respondemus negando Majorem. Nam licet in Deo sit aliquid personis commune, scilicet Essentia, et aliquid per quod personæ distinguantur, scilicet reales relationes oppositæ, nulla tamen est ibi compositio, quia *relatio* est secundum rem Essentiæ, sicut dicit S. Thomas q. 20 de Potent. art. 1. ad 12^{m}; *compositio* autem importat partes, ex quarum unione exsurgit totum. — Atqui in Deo, totum non exsurgit ex relationibus, sed jam existit etiam ante conceptum relationum, cum totum nihil sit nisi plenitudo divini Esse, cui relationes non adjiciunt novam perfectionem ab ipsa Essentia distinctam, sed quacum identificantur. — Ergo in distinctis personarum relationibus, nulla est compositio.

Objectio IV. Pluralitas in Deo repugnat; nam quod est unum, excludit plura. — Atqui, Deus est unus. — Ergo non est trinus.

Respondemus distinguendo Majorem.

Unitas divina excludit quidem pluralitatem in Essentia, sed non in relationibus. Etenim relationes cum non sint esse, sed esse *ad*, non important substantiam, sed solummodo respectum ad alterum, ita ut in eadem substantia plures relationes esse possint. Joannes a S. Thoma de SS. Trinit. disp. 12. art. 2, n.° 27, observat quod substantia divina, utpote infinita, in se simpliciter existens, eminenter æquivalet pluribus, et sic continet non tantum absolutum, sed etiam rationem relativi; et quia de ratione relationis est, quod sit ad alterum, necesse est quod, illa unica substantia unitatem contineat, relinquens quod inter se exerceant oppositionem correlativam, in qua fundatur distinctio trium personarum.

Objectio V. Repugnat quod aliquid producat suum esse. — Atqui, Pater producendo Filium producit Esse Filii, quod est idem cum Esse Patris, et idcirco Pater producit suum Esse. — Ergo divinæ processiones rationi repugnant.

Respondemus negando Minorem. Pater suum Esse non *producit* per modum causæ, quod est impossibile, sed solummodo illud Filio et Spiritui sancto *communicat* per modum principii. Nam illud divinum Esse tantæ est eminentiæ ut idem manens possit a pluribus possideri.

Objectio VI. Repugnat quod tres personæ, realibus relationibus distinctæ, sint unus Deus

infinite perfectus; nam hoc solum infinite perfectum est, cui nihil perfectionis deest, quod habet altera — Jam vero, cuilibet personæ aliquid perfectionis deest, quod habet altera; sic Patri deest Filiatio, Filio Paternitas, utraque Spiritui sancto. — Ergo nulla persona est Deus.

Respondemus 1°) complendo *Majorem*. Hoc solum infinite et absolute perfectum est, quod est Esse simplicissimum ac absolutum, et cui nihil deest de hoc Esse absoluto; reales autem relationes in Deo, qua tales, non pertinent ad Esse Dei absolutum, sed ad Esse Dei relativum. Atqui quælibet divina persona est divinum Esse relativum. Ergo infinite et absolute perfecta est, licet non habeat relationem sibi oppositam.

2°) *Ad Minorem* dicendum est quod nulli personæ deest Esse absolutum, quod sufficit ad infinitam perfectionem; vel alio duplici modo responderi potest, secundum quod relationes divinæ habentur tanquam simplices characteres personas distinguentes, aut tanquam veræ perfectiones, sicut volunt alii auctores catholici.

Juxta priorem opinionem, relationes reales, quibus personæ ab invicem distinguuntur, non sunt perfectiones, sed tantum characteres distinctivi: inde negatur Minor; nulla enim perfectio denegatur personæ, cui deest aliqua relatio, atque ideo illa manet infinite perfecta.

Juxta alteram opinionem, quælibet relatio est infinite perfecta, non absolute, sed relative in genere suo; sic Pater, ut Pater, habet omnem possibilem perfectionem, et idem dicendum de Filio et Spiritu sancto, ita ut non nisi unus Pater et unus Filius, et unus Spiritus sanctus esse possit. Profecto Pater non habet Filiationem, et Filius non habet Paternitatem, quia hoc impossibile est; sed licet quælibet persona, tanquam persona, non habeat perfectionem relativam alterius sibi oppositam, habet tamen perfectionem absolutam tribus personis communem, ita ut sit infinite perfecta, et relative secundum personalitatem, et absolute secundum Essentiam. Ergo in utraque opinione negatur conclusio objectionis.

PROPOSITIO VI.

RATIO HUMANA NON POTEST DEMONSTRARE MYSTERIUM SS. TRINITATIS.

Demonstratio mysterii Trinitatis concipitur vel *nulla supposita revelatione*, vel *supposita fide* hujus dogmatis. — Atqui dicimus, mysterium Trinitatis in neutro casu demonstrari posse. — Ergo omnino indemonstrabile est. — *Minor* probabitur in duobus paragraphis sequentibus.

§ I.

Ratio humana, sine divina revelatione, non potest cognoscere vel demonstrare Trinitatem personarum in Deo.

Hæc propositio de fide est tanquam aperte contenta in Scriptura et Traditione. Ita Suarez, de Trinit., lib. 1, cap. 11, et multi alii. Statuitur, juxta quosdam, contra Abælardum, Claudianum Mamertum, Raymundum Lullum; et certe, inter recentiores, contra Guntherum ejusque sequaces:

245. — Probatur I. *Ex Scriptura.*

Legitur in Matth. 11, v. 17: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* — Et cap. 16, postquam Petrus Christum alloquens emisit hanc præclaram fidei professionem: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, Dominus ei respondit: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.*

Isaï. 53, v. 8, dicit de Christo: *generationem ejus quis enarrabit?* — S. Joan. 1. v. 18, asserit divinæ naturæ mysteria esse nobis incognita, et a solo Verbo manifestanda: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Probatur II. *Ex Traditione.*

Patres unanimiter docent, cognitionem SS. Trinitatis superare omnem humanum et angelicum intellectum.

S. Athanasius ad verba Matth. 11, superius citata, sic Arianos reprehendit: « Quid igitur impii his de rebus, quas scrutari nefas est, effutire non verentur: illi inquam, qui et homines sunt, nec vel ipsam rerum terrestrium naturam possunt evolvere? Imo, quæ vel ipsos spectant, ipsi explicent nobis, num videlicet suam ipsorum naturam percipere queant? » — Et Epist. 1. ad Serapionem, eosdem hæreticos sic insequitur: « O stulti, atque ad omnia audaces et præcipites! Quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse dumtaxat creditis, magistrum Apostolorum, hac in re imitati, cujus hæc sunt verba: *Credere enim oportet primum Deo, quia Est?* »

S. Hilarius, lib. 7. de Trinit.: « Non relictus est hominum eloquiis de Dei rebus, alius quam Dei sermo; omnia reliqua, et arcta, et conclusa, et impedita sunt, et obscura. »

S. Ambrosius dicit de æterna Verbi generatione: « Impossibile est generationis scire se-

cretum; mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et Angelorum; supra Potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est. »

S. Augustinus, lib. de Symb. ad Catechum. de Trinitate, inquit: « Cæterum illud quod est ineffabile, incomprehensibile est, nec verbis angelicis explicari potest, quanto magis humanis? » — Et lib. 15. de Trinit., cap. 16, n.° 9: « Quis disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendet quomodo sit Trinitas? »

S. Fulgentius, lib. 2. ad Trasimund., cap. 1: « Sola immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo: quæ sic excedit omne quod cogitare, vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus. »

S. Bernardus, lib. 5. de Considerat., cap. 8, de Trinitate, hæc habet: « Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum, quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluritate. Scrutari hoc temeritas est, credere pietas, nosse via et vita æterna. »

Probatur III. *Ex ratione.*

1°) Omnis demonstratio vel a priori fit, vel a posteriori. — Atqui nec a priori, nec a posteriori demonstrari potest mysterium Trinitatis. — Ergo stat propositio.

Probatur Minor per partes. In demonstratione *a priori*, conclusio fit a causa ad effectum: atqui SS. Trinitatis, quæ est unus et verus Deus, nulla est causa, nam Deus est Ens undequaque primum, nihilque Deo prius cogitare licet: ergo, demonstratio a priori in Deo locum non habet. — Demonstratio autem *a posteriori* fit concludendo ab effectibus ad causam: atqui etiam hac argumentatione non potest mysterium Trinitatis demonstrari, quia ad omnium effectuum existentiam probandam, sufficit Essentia divina omnipotens, sapientissima et benignissima: hanc igitur ex consideratione creaturarum recte probamus, non autem distinctionem personarum.

2°) Confirmatur ex S. Thoma 1, q. 32, art 1, corp.: « Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire. Ostensum est enim supra, quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest, nisi ex creaturis: creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem sicut effectus in causam; hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium, et hoc fundamento usi sumus supra in consideratione Dei. Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati: unde pertinet ad unitatem Essentiæ, non ad distinctionem personarum; per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad unitatem Essentiæ non autem ea, quæ pertinent ad distinctionem personarum. »

246. — Objiciunt I. Præstantissimi quidam Gentilium philosophi, sola ratione duce, eo pervenerunt, ut in Deo Trinitatem agnoverint. Celebre est *Mercurii Trismegisti* effatum: « Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem. » — In *Zoroastris* oraculis magicis, hæc verba leguntur: « In toto mundo resplendet trinitas, cujus unitas est principium. » — *Pythagoræi* ternarium numerum, sacrosanctum et naturæ mysterium existimaverunt, atque in ternario Pythagoræ omnia contineri. — *Aristoteles* asserit, et ait lib. 1. de Cœlo, text. 1: « Per hunc numerum adhibuimus nos ipsos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum quæ facta sunt. »

Plato præsertim divinam naturam distinguit in Patrem, mentem paternam, quam et Dei germen vocat, mundi opificem, et animam qua cuncta contineantur. Sæpe quoque in scriptis suis Verbum, ideam per se subsistentem, filium Dei, filium boni, rerum productricem vocat, et ait in Epist. ad Dionys.: « Circa omnium Regem cuncta sunt; ipsius gratiâ omnia: ipse pulchrorum omnium causa; circa secundum secunda; tertia circa tertium. » — Ipse S. Augustinus, in lib. 7. Confess., cap. 9, dicit de libris Platonicorum: « Ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » — Major adhuc Trinitatis notitia invenitur in *Platonicis junioribus*, prout vocari solent, nempe in Plotino, Porphyrio, Jamblico, Proclo et Chalcidio, qui ait in Comment. in Tim. Plat.: « Summus Deus jubet, secundus ordinat, tertius intimat. »

II. **Objectio confirmatur.** Accedit quod etiam inter antiquos populos paganos, aliqua Trinitatis notitia inventa fuerint, inquantum coluerint tres Deos cæteris idolis præstantiores. Sic apud *Indos* adorabantur tanquam primarii dii Brahma, cui productio, Vischnu, cui conservatio, et Siba, cui destructio et renovatio mundi adscribebantur; colebatur quoque effigies in qua inscriptum erat: « in tribus unus, et in uno trinus. » — *Ægyptii* venerebantur Isidem, Osiridem et Orum. — *Sinenses* supremum numen vocant Tao, quod nomen significat ki-umm, docentque unum creasse mundum, alterum creaturas ex inordinato Chao ordinasse, et tertium fuisse diem ac noctem. — *Græci* et *Romani*

præcipue venerabantur Jovem, Neptunum et Plutonem. — *Thibetani* et *Tartari* unum Deum sub triplici specie repræsentabant, eumque tribus nominibus insigniebant, quæ significant creatorem omnium rerum, Deum exercituum et Amorem, qui ab utroque procedit. — *Americani* colebant solem sub triplici respectu, distinguentes solem Patris, solem Filii et solem Fratris. Inventum quoque est in America magnum idolum nomine Tangatanga, quod significat unum in tribus et tres in uno. Talia vestigia Trinitatis apud Ethnicos inveniri erudite ostenderunt Daniel Huetius, Quæst. Alnetan., lib. 2, cap. 3, et Comes de Stolberg, Geschichte 1. B. S. Beil.

Ergo non solum per revelationem, sed etiam per rationem Mysterium Trinitatis cognosci potest.

Respondemus, hanc consequentiam non legitime ex allatis monumentis erui, quod duplici argumento probari potest.

Argumentum I. *Juxta multos auctores,* hæc monumenta nequaquam sufficientia sunt, ut ostendant, philosophos et populos paganos habuisse genuinam Trinitatis personarum divinarum notitiam.

Nam 1°) QUOAD PHILOSOPHOS, S. Thomas in 1. q. 32, art. 1, ad 1^m, respondet primo in genere: « Philosophi non cognoverunt mysterium Trinitatis divinarum personarum per propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio et Processio, secundum illud Apostoli 1 ad Cor. 2: *Loquimur Dei Sapientiam, quam nemo principum hujus sæculi cognovit,* id est philosophorum secundum Glossam. Cognoverunt tamen quædam essentialia attributa, quæ *appropriantur* personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto. » — Deinde sic in specie ibidem loquitur de dicto Trismegisti allegato: « Non est referendum ad generationem Filii, vel processionem Spiritus sancti, sed ad productionem mundi; nam unus Deus produxit unum mundum, propter suiipsius amorem. » Imo scripta Trismegisti suppositia esse, cum aliis criticis contendit Huetius, loco citato.

Ternarius numerus a Zoroastre et Pythagora ut sacer et mysticus habebatur, quia insinuat initium, medium ac finem, seu totalitatem singularum et omnium rerum. Unde etiam effatum Aristotelis, juxta S. Thomam ibidem: « Non sic est intelligendum, quod ipse poneret ternarium numerum in divinis, sed vult dicere quod antiqui utebantur ternario numero in sacrificio et orationibus, propter quamdam ternarii numeri perfectionem. »

Plato obscuro dicendi genere usus est, ita ut vix certi quid inde colligi queat. Doctissimus Cardinalis Bessarion, de trinitate platonica et aristotelica disserens, monuit ea quæ in scriptis a Religione alienis de trinitate afferuntur, a dogmate catholico non parum remota esse, et longe aliorsum spectare. — Dicit S. Thomas, loco citato: « In libris Platonicorum invenitur: *In principium erat Verbum,* non secundum quod per verbum intelligitur persona genita in divinis, sed secundum quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quæ Filio appropriatur. » — Fusius infra n.° 498 et 499 probabimus Platonem non cognovisse Trinitatem personarum in Deo. — Nullatenus ergo dici potest philosophos genuinam de personarum divinarum notitiam habuisse.

2°) QUOAD TRES PRÆCIPUOS DEOS, qui apud multas gentes, etiam idolatriæ deditas, venerabantur, liquet eos longe distare a personarum Trinitate in una et singulari natura divina.

Argumentum II. *Juxta alios apologistas respondendum est,* monumenta allata tot et talia esse, ut negari non possit vestigia de fide in Deum unum ac trinum inveniri, tum apud philosophos, tum apud paganas gentes. Hæc autem Trinitatis notitia repetenda est non ex ratione, sed ex divina revelatione sive scripta, sive oretenus tradita. Mysterium enim Trinitatis, sicut supra probavimus, jam fuit in sacra veteris Testamenti Scriptura indigitatum, et clarius manifestatum Patriarchis, qui acceptam divinitus notitiam ad posteros propagarunt, apud quos equidem pedetentim corrupta, sed non penitus extincta fuit. Sine hac communi traditione, vix explicari potest tanta populorum consensio in ponenda aliqua in Deo trinitate.

Cæterum *Plato et Aristoteles* cum magna reverentia de veteribus traditionibus loquuntur. Præterea ex Patribus constat, Platonem magna itinera instituisse ad sapientiam comparandam, et etiam cum Hebræis, conversatum fuisse; unde rationabiliter conjici potest, illum multa ex Sacris litteris hausisse, sive eas legerit, sive probabilius, cum doctissimis Judæis colloquendo, addiscerit quid continerent, quemadmodum docent *S. Justinus Martyr.* in apol. 2; *Eusebius* in lib. 11 de Praepar. evang., caput. 10; *S. Cyrillus Alexandrinus* lib. 1 et 2 cont. Julianum; *S. Augustinus* lib. 18 de Civitate Dei, cap. 17. — Infra n.° 500 et seqq., et n.° 621 referemus alia Philonis et Eusebii Cæsariensis testimonia.

Platonici juniores, cum scripserint postquam lux Evangelii toti orbi illuxerat, ex libris sacris utriusque Testamenti, vel ex suo commercio cum Judæis et Christianis, qui scholam Alexandrinam frequentabant atque ibi docebant, ea hauserant, quæ rectius et apertius de divinitate disseruerunt. — Non ergo solius rationis saga-

citati, sed potius lumini revelationis adscribenda sunt vestigia divinæ Trinitatis, quæ in philosophorum ethnicorum libris reperiuntur.

§ II.

Etiam supposita revelatione, mysterium Trinitatis stricte demonstrari nequit.

Statuitur, juxta quosdam, contra Richardum Victorinum, Henricum Gandavemem; et certe contra aliquos recentiores.

247. — **Probatur 1.** *Ex argumentis propositionis præcedentis.* Textus enim Scripturæ et Patrum, quos ad probandam præcedentem propositionem attulimus, sunt generales; et supposita revelatione, impossibilitas Trinitatem personarum in Deo demonstrandi eadem manet, sive a priori, sive a posteriori.

A priori quidem, quia revelatio nos docet divinæ Trinitatis existentiam, sed non docet nos quidditatem naturæ divinæ, quæ utpote infinita, post revelationem remanet incomprehensibilis, ita ut personarum Trinitas in ea nequeat demonstrari ex intrinsecis divinitatis principiis, nec a fortiori ex ejus causa, cum Deus unitrinus nullam causam habeat.

A posteriori autem, quia revelatio non facit, quod creati effectus naturales aut supernaturales causentur a divinis personis in quantum sunt personæ, nec ponit in illis effectibus aliquod vestigium ipsarum. Igitur, etiam post revelationem, divina Trinitas ex nullis effectibus creatis demonstrari potest.

Probatur II. *Ex auctoritate.*

1°) Ex S. Bernardo qui Epist. 130 ad Innoc. Pap. scripsit de Abælardo: « Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem; et contra rationem præsumit, et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle quidquid non possit ratione attingere? »

2°) Ex S. Thoma, scilicet ex 1, q. 32, art. 1, corp.: « Qui probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. — Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est ut sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt. Unde Apostolus dicit ad Hebr. 12, quod fides est de non apparentibus, et Apostolus dicit 1 Cor. 2: *Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* — Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem, inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt non sunt tentanda probare, nisi per auctoritates, his qui auctoritates suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere, non esse impossibile quod prædicat fides. Unde Dionysius dicit 2 cap. de Div. Nomin.: Si aliquis est, qui totaliter eloquiis resistat, longe erit a nostra philosophia; si autem ad veritatem eloquiorum, scilicet sacrorum, respicit, hoc et nos canone utimur. »

248. — **Objiciunt** apud S. Thomam, ibid., ad 2^{m}: « Richardus de S. Victore dicit in lib. 1 de Trinit. (cap. 4): *Credo sine dubio, quod ad quamcumque explanationem veritatis, non modo probabilia, imo etiam necessaria argumenta non desint.* Unde etiam ad probandam Trinitatem personarum, aliqui induxerunt rationem ex infinitate Bonitatis divinæ, quæ seipsam infinite communicat in processione divinarum personarum. — Quidam vero per hoc, quod nullius boni sine consortio potest esse jucunda possessio. — Augustinus vero procedit, ad manifestam Trinitatem personarum ex processione verbi et amoris in mente nostra... Ergo per rationem naturalem potest cognosci Trinitas personarum. »

Respondet S. Doctor: « Dicendum quod ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio: Uno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem... Alio modo inducitur ratio, non quæ sufficienter probat radicem, sed quæ radici jam suppositæ ostendat congruere consequentes effectus... Primo ergo modo potest induci ratio, ad probandum Deum esse unum, et similia; sed secundo modo se habet ratio, quae inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet Trinitate posita, congruunt hujusmodi rationes, non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum. »

« Et hoc patet per singula. Bonitas enim infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturæ, quia infinitæ virtutis est ex nihilo producere; non enim oportet si infinita Bonitate se communicat, quod aliquid infinitum a Deo procedat, sed secundum modum suum recipiat divinam Bonitatem. — Similiter etiam quod dicitur, quod sine consortio non potest esse jucunda possessio alicujus boni, locum habet quando in una persona non invenitur perfecta bonitas; unde indiget ad plenam jucunditatis bonitatem, bono alicujus alterius consociati sibi. — Similitudo autem intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc quod intellectus non univoce invenitur in Deo et in nobis: et inde est quod Augustinus super Joann.

(tract. 27) dicit, quod per fidem venitur ad cognitionem, sed non e converso. »

In 1 dist. 3, q. 1, art. 4, ad 3^m, S. Thomas sequenti modo ad eamdem objectionem respondet: « Si dictum Richardi intelligatur universaliter, quod omne verum possit probari per rationem, est expresse falsum, quia prima principia per se nota, non probantur. Si autem aliqua sunt in se nota, quæ nobis occulta sunt, illa probantur per notiora quoad nos. Notiora autem quoad nos, sunt effectus principiorum; ex effectibus autem creaturarum, Trinitas personarum probari non potest, ut dictum est. Et ideo relinquitur, quod nullo modo possit probari; et omnes rationes inductæ sunt magis adaptationes quædam, quam necessario concludentes. Remoto enim per impossibile intellectu distinctionis personarum, adhuc remanebit in Deo summa Bonitas, et Beatitudo et Charitas. »

PROPOSITIO VII.

SUPPOSITA REVELATIONE, MYSTERIUM SS. TRINITATIS POTEST CONGRUENTER SUADERI ET ILLUSTRARI.

Suaderi enim potest multis rationibus convenientiæ, et illustrari multis analogiis.

§ I.

Mysterium Trinitatis suadetur multis rationibus convenientiæ.

Has rationes sumemus: 1°) ex S. Bonaventura; 2°) ex Alexandro Alensi; 3°) ex Richardo Victorino.

249. — I. **S. Bonaventura** in 3 dist. pars 1, art. 1, q. 4, probat, mysterium Trinitatis non posse per solam rationem cognosci; certissime ergo non voluit in sequenti ratiocinio divinam Trinitatem demonstrare seclusa revelatione, sed revelationem supponit. Suppositis enim in Deo processionibus per fidem cognitis, aliquo modo per rationem ostendere conatur quomodo in summo Bono talis diffusio seu processio esse debeat.

Præterea nullatenus putavit doctor seraphicus, Trinitatem perfecte comprehendi posse; nam propositæ suæ demonstrationi statim hoc monitum addidit: « Cum haec contemplaris, vide ne te existimes comprehendere incomprehensibilem. »

Dicit igitur in cap. 6. Itinerarii mentis ad Deum: « Post considerationem essentialium, elevandus est oculus intelligentiæ ad contuitionem beatissimæ Trinitatis, ut alter Cherub juxta alterum statuatur. Sicut autem visionis essentialium, ipsum Esse est principium radicale, et nomen per quod cætera innotescunt, sic contemplationis emanationum, ipsum *Bonum* est principalissimum fundamentum..... Nam bonum dicitur diffusivum sui: summum igitur Bonum est summe diffusivum sui. Summa autem diffusio non potest esse nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et hypostatica, liberalis et necessaria, indeficiens et perfecta. Nisi igitur in summo Bono aeternaliter esset productio actualis, et consubstantialis et hypostaticalis, æque nobilis sicut est producens, per modum generationis et spirationis, ita quod esset dilectus et condilectus, genitus scilicet et spiratus, hoc est Pater, et Filius et Spiritus sanctus, nequaquam esset summum Bonum, quia non summe se diffunderet. »

« Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem Bonitatis, quæ est Actus purus Principii charitative diligentis amore gratuito, et debito, et ex utroque permixto: quæ est diffusio plenissima per modum naturæ et voluntatis: quæ est diffusio per modum Verbi, in quo omnia dicuntur, et per modum Doni, in quo cætera dona donantur, potes videre, propter summam Boni communicabilitatem, necesse esse Trinitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti. »

250. — II. **Alexander Alensis** in Tract. de Process. Spir. s. clarius exponit, cur duæ sint in Deo processiones et tres personæ: « Duo sunt principia diffusionis in rebus, natura et voluntas. Perfectissima autem diffusio voluntatis est illa quæ est per amorem, sive per dilectionem, et hæc est laus bonitatis in rebus. Magis autem laudabile est bonum, quod diffundit se in utrumque modum, quam quod diffundit se in alterum tantum. Si ergo, quod est laudabile et perfectum non potest deesse in summo Bono, est igitur in summo Bono, quod est Deus, atque ideo erit in Ipso diffusio generationis, quam consequitur differentia gignentis et geniti, Patris et Filii, et erit ibi diffusio per modum dilectionis, quam dicimus processionem Spiritus sancti. »

251. — III. **Richardus Victorinus** sicut S. Bonaventura de divina Trinitate non ratiocinatur, nisi supposita hujus mysterii fide; ait enim in lib. 1 de Trinit., cap. 4: « Erit itaque intentionis nostræ in hoc opere ad ea quæ credimus, in quantum Dominus dederit, non modo probabiles, verum etiam necessarias rationes adducere, et fidei nostræ documenta, veritatis enodatione et explanatione condire. » Deinde: 1°) ex ratione summæ charitatis et summæ felicitatis,

quæ ex summo Bono emanant, concludit personarum divinarum pluralitatem; 2°) ex ratione summæ harmoniæ concludit personarum divinarum Trinitatem.

1°) Dicit in lib. 3 de Trinit., cap. 3: « Ubi totius Bonitatis plenitudo est, vera et summa Charitas decsse non potest; nihil enim charitate melius, nihil charitate perfectius. Nullus autem pro privato et proprio sui ipsius amore dicitur proprie charitatem habere; oportet itaque ut amor in alterum tendat, ut charitas esse queat. Ubi ergo pluralitas personarum deest, charitas omnino esse non potest. Sed dices fortassis: Si sola una persona in vera illa divinitate esset, nihilominus tamen erga creaturam charitatem quidem et habere posset, imo et haberet. — Sed summam certe Charitatem erga creatam personam habere non posset; inordinata enim charitas esset; est autem impossibile in illa summæ Sapientiæ plenitudine charitatem inordinatam esse..... Ut ergo in illa vera divinitate plenitudo Charitatis possit locum habere, oportuit aliquam divinam personam personæ condignæ, et eo ipso divino consortio non carere. Vide ergo, quam de facili ratio convincit, quod in vera divinitate pluritas personarum deesse non possit. »

De summa felicitate mutuum amorem requirente ait ibid. cap. 3: « Non potest esse amor jucundus, si non sit et mutuus. In illa ergo vera et summa felicitate, sicut nec amor jucundus, sic nec amor mutuus potest deesse. In amore autem mutuo, oportet omnino ut sit, et qui amorem impendat, et qui amorem rependat. »

2°) In lib. 5 de Trinit., cap. 14. Richardus ex ratione supremæ harmoniæ et pulchritudinis congruenter ostendit, quod supposita divinarum processionum cognitione per fidem, non potest esse nisi una persona, quæ et ab alia procedat, et aliam de se procedentem habeat, ita ut tres tantum personæ in Deo numerentur. Ad perfectam harmoniam, inquit, requiruntur duo extrema contraria quæ in medio utrique proportionato conveniant, sicut ipsi ostendimus in Parte I, n.° 35, III. Ergo inter duas personas, quarum una principiat tantum et altera e contrario principiatur tantum, existere debet media persona, quæ simul principiet et principietur. Ipsum loquentem audiamus:

« In primis notandum diligenterque considerandum quomodo genuina duarum personarum proprietas, una alteram quasi ex opposito respiciat, et una veluti per contrarium respondeat. Nam unius est plenitudinem non accipere, sed dare: alterius contra, non dare sed accipere. Ubi autem est summa Pulchritudo, ubi nulla potest deesse perfectio, constat quod consequens est, et unde mens sana nullatenus dubitare potest, quod divinarum personarum pluralitas omnino sit congruentissima venustate conjuncta et ordinatissima alteritute distincta. Oportet itaque ut in divina illa personarum pluralitate summe pulchra et omnino ordinatissima, sit mutuo hinc inde in alterutrum differens concordia et concors differentia. »

« Videtur itaque necesse esse, ut inter illam, cujus est plenitudinem dare nec accipere, et eam, cujus est accipere nec dare, sit sola una media, cujus sit proprie proprium tam dare quam accipere, ut constituta in medio uni altrinsecarum cohæreat ex uno, et alteri earum connectatur ex altero. Sicque fiet, ut ex datione concordet cum dante, et ex acceptione concordet cum accipiente; et e converso, ex datione differat a non dante, et ex acceptione differat a non accipiente, ut sit in alterutrum, sicut superius jam diximus, et differens concordia et concors differentia. »

« Si autem duæ mediæ inter altrinsecas personas esse dicuntur, videamus quid inconvenientis hanc assertionem sequatur. Certe prima ex eis erit a nulla, altera ab una sola, tertia a duabus, quarta ex tribus. Et hæc quidem dispositio, juxta hanc considerationem, videtur habere aliquid cum arithmetica medietate. Sed modo videamus quomodo geometricæ medietatis speciem, quam personarum Trinitas prætendit, quaternitatis ista dispositio, juxta aliam considerationem, confundit. Certe primæ personæ causaliter proprie proprium erit plenitudinem solummodo dare; duarum mediarum, tam dare quam accipere, non etiam dare. Ecce ex his prima in solo uno concordat cum altera; altera vero illarum, non in uno tantum, sed in duobus concordat cum tertia; tertia autem in duobus quidem, sed in uno solum concordat cum quarta. »

« Vides certe quomodo unius proprietatis geminatio atque communio, proportionabilitatis rationem non tam prætendit quam confundit; ordinis pulchritudinem non tam auget quam minuit. Quis autem dicat in illa summa Pulchritudine aliquid esse, vel esse potuisse, quod pulchritudinem minuat ordinemque confundat? In illa autem superiori proprietatum dispositione, juxta unam considerationem medietas arithmetica, juxta aliam considerationem medietas geometrica, juxta Trinitatis et unitatis collectionem medietas harmonica, specieten us occurrunt, et miranda ratione invicem sibi alludunt. Constat itaque ex his unius personæ proprie proprium esse, plenitudinem tam dare quam accipere, et hanc proprietatem, sicut et cæteras duas, incommunicabilem esse. »

§ II.

Mysterium Trinitatis aliquatenus illustratur multis analogiis.

252. — I. **Sancti Patres et Doctores Ecclesiæ** varias comparationes adhibent, ut simplicioribus etiam hominibus ostendant, nullam contradictionem in mysterio Trinitatis inveniri. Sed cum S. Thoma observandum est talia exempla fundari in mera analogia, et plus dissimilitudinis quam similitudinis habere, nam si generatim omnis comparatio claudicat, quanto magis id dicendum est, si Ens infinitum cum finitis entibus comparetur.

Verumtamen similitudines recte adhibentur ad doctrinam de Deo tantisper illustrandam, dummodo clare exponantur ac discrimina inter Ens infinitum et entia finita attendantur, et demum comparatio, non ex omni parte urgeatur, sed solum ad consentaneum finem dirigatur.

S. Dionysius Areopagita in cap. 5 de Div. Nominib. § 5, ut ostendat quomodo tres personæ divinæ inter se sine confusione unitæ sint, utitur comparatione luminis trium lampadum in eodem conclavi lucentium; illarum enim lumen est unum et trinum, nam lampades simul lucent; et tamen quælibet earum lucet proprio lumine suo.

S. Augustinus divinæ Trinitatis similitudinem invenit in aqua, quæ quoad substantiam una est, et tamen relative trino modo distinguitur; ait enim in serm. 38 de verb. Apost. cap. 7: « Fons, fluvius et potio sunt aqua, et tamen nihil horum est alterum. » — Item in sole, dicens in serm. 1. de verb. Apost. cap. 3: « In sole tria sunt, et sicut videmus, separari non possunt cursus, splendor et calor. » — Item in igne « in quo sunt simul splendor, motus et calor » sicut inquit in lib. de fide et operib., cap. 9. — Item in anima, una enim et eadem est, ac tamen in ea distinguuntur actus memoriæ, intellectus et voluntatis; legitur in lib. 14 de Trinit., cap. 8: « Mens meminit sui, intelligit se, diligit se; hoc si cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. »

Hanc animæ rationalis similitudinem cum Deo, quantum ad operationem ejus ad intra, sic evolvit *S. Thomas* in 1. q. 27, art. 1, corp.: « Cum omnis processio sit secundum aliquam actionem, sicut secundum actionem quæ tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio *ad extra*, ita secundum actionem quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam *ad intra*. Et hoc maxime patet in intellectu, cujus actio, scilicet intelligere, manet in intelligente. Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens; quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis. Cum autem Deus sit super omnia, ea quæ in Deo dicuntur non sunt intelligenda secundum modum infimarum creaturarum, quæ sunt corpora, sed secundum similitudinem supremarum creaturarum, quæ sunt intellectuales substantiæ, a quibus etiam similitudo accepta deficit a repræsentatione divinorum. »

S. Basilius in lib. 1, cont. Eunomium, aliam comparationem sumit ex grano frumenti, in quo, licet unum sit, tria tamen juxta diversas relationes recte distinguuntur: « Idem frumentum, inquit sanctus doctor, modo fructum vocamus, modo semen, ac rursus alimentum: fructum quidem, tanquam finem antecedentis agriculturæ; semen vero, tanquam futuræ initium; alimentum autem, tanquam aptum ad incrementum comedentis corpori præstandum. »

II. **Nonnulli auctores** aliam similitudinem desumunt ex puncto mathematico, quod simplicissimum est, et in quo tamen distinguuntur variæ relationes. Sic verbi gratia in figura



idem punctum C potest considerari, ut initium lineæ CD, ut medium lineæ AB, et ut finis lineæ AC; et tamen manet unum idemque punctum simplicissimum, quamvis tres in ipso relationes distinguantur.

III. **Denique passim in opere nostro,** ubique inveniuntur analogicæ repræsentationes SS. Trinitatis; nam docemus, omnes creaturas esse trina ejus vestigia, et spirituales creaturas esse ipsius imagines; ita ut trinitatem in unitate omnium et singularum rerum ostendamus.

Sed sicut præmonuimus in Parte I n.° 1, hæc trinitas in unitate omnium rerum creatarum non demonstrat ipsarum *personarum* Trinitatem in divina Causa, sed tantum trinitatem *attributorum* essentialium, scilicet divinum Esse, Intelligere et Velle, quæ sunt simul Principia divinarum personarum et Causa omnium rerum. Unde trinitas in omnibus Dei opificiis, quæ sunt effectus divinæ operationis *ad extra*, confirmat doctrinam catholicam circa rationem divinarum processionum *ad intra*, repræsentando trinum *Ordinem*, quo divinæ personæ procedunt per Intellectum et Voluntatem, ast ipsas *personas* non repræsentat.

CAPUT III.

PROBATUR CAUSALITAS DIVINÆ TRINITATIS.

Prænotanda. — In Capite I. demonstravimus existere primam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem, quæ est Deus unus. Nunc 1°) ostendemus hanc supremam Causam esse Deum unum et trinum; 2°) ostendemus modum, quo SS. Trinitas omnia causat ad extra, scilicet per divinum Intellectum et Voluntatem, quæ in personarum processionibus includuntur; 3°) ostendemus nomen Verbi importare respectum ad creaturas.

PROPOSITIO I.

TOTA TRINITAS EST SUPREMA OMNIUM RERUM CAUSA EFFICIENS, EXEMPLARIS ET FINALIS.

De fide est, totam Trinitatem esse omnium rerum creatricem. Dicit enim Concil. I. Later., I. Can. I: «Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et veraciter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate... creatricem omnium et protectricem, anathema sit.» — Item Conc. Lat. IV, cap. 1: «Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus... Pater et Filius et Spiritus sanctus... unum universorum Principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium.»

Unde oritur hoc theologicum axioma, omnibus notum: «Omnia Dei opera ad extra, sunt toti Trinitati communia.» Quod insuper hac ratione fundatur: Supremus Artifex qui est divinum Esse, seu divina Forma, omnia opificia sua operatur per suum Intellectum et suam Voluntatem; atqui Dei Esse, Intellectus et Voluntas sunt tribus personis communia; ergo tres personæ omnia divina opificia simul operantur, inquantum sunt eadem Essentia, et in quantum a se intelligunt ac volunt eodem Intellectu ac eadem Voluntate, quæ in suis processionibus includuntur. — Sed præfatum axioma probatur quoque ex sacra auctoritate.

Argumentum.

Ex Scriptura et Patribus.

253. — Probatur I. *Ex S. Scriptura.*

Præcipui textus, quibus Patres demonstrant Deum Patrem omnia ad extra facere per Verbum suum, vel per Verbum et Spiritum sanctum, vel divinam Trinitatem esse primam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem, sunt sequentes: Gen. 1. *In Principio creavit Deus cœlum et terram... et Spiritus Dei ferebatur super aquas. — Dixitque Deus, Fiat lux; et facta est lux; et vidit Deus lucem, quod esset bona. — Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

Psalm. 32, v. 6: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Joan. 1: *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt; et sine ipso factum est nihil.* — Item 5, v. 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.*

Rom. 11, v. 36: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula.* — Item 1 Cor. 8, v. 6: *Vobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Juxta communem interpretationem, trina hæc particula indicat trinam Causam efficientem, exemplarem et finalem, quæ toti Trinitati propria est, et singulis personis appropriatur, juxta ordinem processionis ipsarum.

Probatur II. *Ex Patribus.*

In his textibus fundati, Patres græci et latini sequenti modo ostendunt divinæ Trinitatis causalitatem.

1°) S. Dionysius Areopagita asserit, sacram Scripturam toti Trinitati (toti thearchicæ Essentiæ) seu toti divinitati, attribuere omnes primæ Causæ qualitates, nempe bonitatem, pulchritudinem, veritatem seu sapientiam, et ipsam causalitatem. Dicit enim in cap. 2. de Div. Nomin., § I: «Bonitas per se a sacris Eloquiis celebratur definivisse et explanavisse totam thearchicam Essentiam... Pulchrum quoque et sapiens de tota divinitate prædicatur, uti et lux, et id quod divina efficit, et causa, et quæcumque tandem sunt totius divinitatis, ad omnem divinam laudem transferunt sacræ litteræ, summatim quidem, cum dicunt: *Omnia ex Deo* (1 Cor. 11, v. 12): fusius vero, ut cum quidam ait: *Omnia per ipsum, et in ipso facta sunt* (Joan. 1, v. 13), et: *In ipso cuncta consistunt* (Rom. 11, v. 36).»

3°) S. Irenæus, lib. 4, contra hæres., cap. 20, n.° 1: «Adest ei *(Deo)* semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus

omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplar factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens. »

3°) S. Basilius in Orat. 1. de hominis formatione, explicans verba Geneseos: *Faciamus hominem* etc., ait: « Sapiens consilium init, Artifex secum cogitat. Faciamus enim inquit. Nosti itaque duas esse personas in Deo, alteram quæ loquitur, alteram ad quam est sermo. Cur non dixit: *Facito*, sed *Faciamus hominem*... Ut scires Patrem fecisse per Filium, et Filium paterna creasse Voluntate, laudaresque Patrem in Filio, et Filium in Spiritu sancto. In hunc modum commune est opus, ut et communis trium cultor sis et adorator, non adorationem scindens, sed copulans deitatem... Et *fecit Deus* hominem, et non dixit: Et *fecerunt* ne plurium deorum erroris ansam inde arriperes: *faciamus* autem dixit, ut Patrem nosceres, et Filium et Spiritum sanctum. »

In lib. 5 cont. Eunomium: « Spiritus viventi Verbo ad creandum conjunctus est, viva potentia et viva natura, quæ ineffabilis et ineffabili ore effulsit... Sic creat Deus, non manuum corporalium motu, sed vivi Verbi operatione, ac vivifici Spiritus communicatione. Itaque si etiam ab initio in Spiritu facta sunt omnia, et rursus renovantur in Spiritu, una et eadem operatio Dei per Filium in Spiritu apparet, nec Trinitas separationem accipit, sed secundum veram Pauli doctrinam: *Divisiones donorum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministeriorum sunt, et idem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

4°) S. Ephræm, serm. 6: « Clare Pater Unigenitum suum designavit, quando cum ipso de Adami creatione sic deliberabat: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Profecto delirat, qui hæc homini, qui necdum erat, dicta putet; non ergo hunc Pater alloquitur, sed illum qui per lignum hominem mortuum suscitavit sexto post millenario... Ergo per Filium exædificatus est mundus... Pater jussit, Filius peregit opus. »

5°) S. Cyrillus Alexandrinus in Joann. Patrol., gr. T. 73, p. 78: « Theologus *(nempe S. Joannes)* Factorem rerum et Opificem, secundum naturam suam, esse persuadet Unigenitum, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt*... Omnia quippe facta sunt per ipsum *(Verbum)* tanquam per Virtutem et Sapientiam Dei ac Patris... Atqui, cum sit ipse solus Virtus Dei ac Patris, qua Filius et Unigenitus omnia operatur, cooperante nimirum et coexistente ipsi Patre et Spiritu sancto, omnia igitur ex Patre, per Filium, in sancto Spiritu. »

Ibidem, p. 82: « Non enim seorsim et solum aliquid operari circa res existentes, Deum ac Patrem dicit Filius (in Joan. 5, v. 17): *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, et seipsum vicissim operari sine Patre, et ea quodammodo cessante substantia, ex qua procedit. Si enim duo essent, non unus Opifex, si vicissim ac seorsim, operatur uterque. »

T. 74, p. 819: « Cuncta enim divina opera a Patre fiunt, per Filium, in Spiritu sancto. » Et p. 499: « Creavit enim et ad esse cuncta vocavit Pater, per Filium, in Spiritu sancto. »

6°) S. Maximus in quæstionib. ad Thalassium, q. 2: « Ipse ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, Pater quidem opus approbando, Filius autem opus ipse exsequendo, et Spiritu sancto substantialiter complente tum Patris in omnibus approbationem, tum propriam Filii operationem, ut fiat per omnia et in omnibus unus in Trinitate Deus. ».

7°) S. Joannes Damascenus, Patr. græc. T. 94, p. 798, asserit se imitari « Gregorium theologum *(nempe Nazianzenum)* ad hunc modum loquentem: *Vobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia; et unus Spiritus sanctus, in quo omnia; his vocabulis ex quo, per quem et in quo*, non scindentibus naturam, nam alioqui præpositiones illæ aut nominum ordines unquam mutarentur, sed unius et inconfusæ naturæ proprietates exprimentibus. Idque liquet ex eo, quod rursus in unum colliguntur, si modo quispiam illud apud Apostolum haud negligenter legat: *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula. Amen.* »

8°) Tertullianus, adv. Praxeam, cap. 7: « Alibi autem *per sermonem (scilicet Verbum divinum)* ostenditur *omnia facta esse, et sine illo nihil factum* (Joan., 1.). Sicut et rursum: *Sermone ejus cœli confirmati sunt; et Spiritu ejus omnes vires eorum* (Psal. 33); utique eo Spiritu qui sermoni inerat. »

9°) S. Ambrosius, in lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 9, dicit de verbis Apostoli ad Rom., 11. v. 36: « *Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia:* « Cum hæc vel Patri probaverimus, vel Filio, vel Spiritui sancto convenire, nec ullam ex hujusmodi syllabis nasci posse divinæ distantiam potestatis, non est dubium, quin *per quem* omnia, ex eo omnia: et *ex quo* omnia, per eum omnia; et *in quo* omnia, per eum vel ex eo omnia esse intelligere debeamus. Omnis enim creatura est ex voluntate, et per operationem, et in virtute est Trinitatis, sicut scriptum est: *Faciamus hominem ad ima-*

ginem et similitudinem nostram, et alibi: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* »

Item cap. 3. de Trinit.: « Hoc autem quod dicimus: *ex quo*, et *per quem*, et *in quo omnia*, non naturam secamus, sed unitatem et naturæ, et voluntatis, et operationis confitemur. Unus ergo Deus in his tribus, et hæc tria unus est Deus. Quod ita esse idem comprobat Apostolus dicens: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia; ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* »

In lib. 1. Hexæm., cap. 8: « *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (Gen. 1.): quem etsi aliqui pro aëre accipiant, aliqui pro spiritu quem spiramus, et carpimus auræ hujus vitalis spiritum: nos tamen cum Sanctorum et fidelium sententia congruentes, Spiritum sanctum accipimus, ut in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. Præmisso enim quia: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est in Christo fecit Deus, vel Filius Dei Deus fecit, vel per Filium Deus fecit, quia *omnia per ipsum facta, et sine ipso factum est nihil*, supererat plenitudo operationis in Spiritu, sicut scriptum est: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. 32.). Itaque quemadmodum in Psalmo docemur operationem Verbi, quod est Verbum Dei, et virtutem quam dedit Spiritus sanctus, ita hic propheticum resultavit oraculum, quia Deus dixit et Deus fecit; Spiritus quoque Dei superferebatur super aquas. »

De Incarn. Dom. Sacram., cap. 10: « Quis vero dubitare potest quia vivificet omnia Spiritus sanctus, quando et ipse, sicut Pater et Filius, Creator est omnium, nec quidquam nisi cum Spiritu sancto omnipotens Pater intelligatur operatus quandoquidem et in principio creaturæ *Spiritus superferebatur super aquas.* »

10°) S. Augustinus, lib. 9. de Gen. ad litt., cap. 15: « Creator est Deus, id est ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. »

In lib. 11. de Civit. Dei, cap. 32: « Hoc me delectat plurimum, quod etiam in summo exordio sancti libri Geneseos Trinitas commendatur. Cum enim ita dicit: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, ut Pater fecisse intelligatur in Filio, sicut attestatur Psalmus, ubi legitur: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in Sapientia fecisti* (Psal. 103.), convenientissime paulo post commemoratur etiam Spiritus sanctus. Cum enim dictum esset, qualem terram Deus primitus fecerit... mox, ut Trinitatis commemoratio compleretur: *Et Spiritus*, inquit, *Dei superferebatur super aquaas.* »

In Epist. 11. Patr. lat. T. 33, p. 75: « Nec quidquam Patrem facere *(existimandum est)*, quod non et Filius et Spiritus sanctus; nec quidquam Spiritum sanctum, quod non et Pater et Filius; nec quidquam Filium, quod non et Pater et Spiritus sanctus faciat. »

In lib. 6. de Trinit., cap. 10: « Unus est Deus, sed tamen Trinitas. Nec confuse accipiendum est: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; nec dicit* multis, sed *Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* »

In lib. 1. de Doct. christ., cap. 5: « Non facile nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, potest inveniri, nisi quod melius ita dicitur Trinitas hæc, unus Deus, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* »

In cap. 13. de Agone christiano, n.° 15: « Credamus ergo in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum: hæc æterna sunt et incommutabilia, id est, unus Deus, unicus substantiæ Trinitas æterna: Deus *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* »

In lib. 11. de Civ. Dei, cap. 24: « In operibus Dei, secreto quodam loquendi modo, quo nostra exercetur intentio, eadem nobis insinuata intelligitur Trinitas, unamquamque creaturam quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit. Pater quippe intelligitur Verbi, qui dixit: *Fiat.* Quod autem illo dicente factum est, procul dubio per Verbum factum est. In eo vero quod dicitur: *Vidit Deus quia bonum est*, satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla suæ cujusquam utilitatis indigentia, sed sola Bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est: quod ideo posteaquam factum est, dicitur, ut res quæ facta est, congruere Bonitati propter quam facta est, indicetur. Quæ Bonitas si Spiritus sanctus recte intelligatur, universa nobis Trinitas in suis operibus intimatur. »

Enarrat. in Psalm. 32, v. 6: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quæ verba sic interpretatur S. Augustinus: « Verbum certe Dei Filius est, et Spiritus oris ejus, Spiritus sanctus est. Hoc *(scilicet firmare cœlos)* facit Filius et Spiritus sanctus. Numquid sine Patre? Quis ergo facit per Verbum suum, nisi cujus Verbum est, et cujus Spiritus est? Trinitas ergo hæc, unus Deus. »

11°) S. Fulgentius, lib. 3. ad Trasimund., cap. 35: « Cœlum fecisse dicitur Deus, sed operante Patre, simul et Filius invenitur cooperator et Spiritus sanctus. *Verbo enim Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* »

In Fragm. 34: « Unus est Deus, Creator omnium rerum, Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui ab omnibus quæ fecit, ideo digne laudatur, et ab omnibus operibus suis nihilominus benedicitur, quia ipse Creator atque Operator rerum omnium Deus Dominus invenitur. »

12°) S. Isidorus Hispalensis, lib. 1. de Fide cath. contr. Jud., cap. 4: « Quæramus ergo in Scripturis veteris Testamenti eamdem Trinitatem... *Verbo*, inquit, *Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In persona enim Domini Patrem accipimus: in Verbo, Filium credimus; in Spiritu oris ejus, Spiritum sanctum intelligimus. Quo testimonio, et Trinitatis numerus, et communio cooperationis ostenditur. — Sic et in consequentibus idem Propheta ait: *Mittet Verbum suum, et liquefaciet ea: flabit Spiritus ejus, et fluent aquæ* (Psal. 147). Ecce tria: Pater qui mittit, et Verbum quod mittitur, et Spiritus ejus qui flat. » Nam et cum dicitur in Genesi: *In principio fecit Deus cœlum et terram... et Spiritus Dei ferebatur super aquas*, ibi in Dei vocabulo, Pater intelligitur; in principio, Filius agnoscitur, qui dicit: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam Voluntatem tuam* (Psal. 39), quia dixit Deus, et fecit Deus; in eo vero qui superferebatur aquis, Spiritus sanctus significatur. »

« Nam cum ibi dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, per pluralitatem personarum, patens significatio Trinitatis est. Ubi tamen, ut unitatem deitatis ostenderet, confestim admonet dicens: *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.* Et cum dicit idem Deus: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*, ipsa pluralitas personarum Trinitatis demonstrat mysterium... »

« Isaias totam Trinitatem in digitorum numero comprehendens, sic prædicat dicens: *Qui mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo quis ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* (cap. 40, v. 2). In tribus quippe digitis, Propheta trinam divinæ Omnipotentiæ æquitatem, sub quadam mysterii lance libravit; et ex parilitate virtutis, cooperationem potentiæ et unitatem substantiæ, quæ una eademque in Trinitate est, in tribus digitis declaravit. »

PROPOSITIO II.

TOTA TRINITAS OMNIA CAUSAT AD EXTRA, PER DIVINUM INTELLECTUM ET VOLUNTATEM, QUÆ IN PERSONARUM PROCESSIONIBUS INCLUDUNTUR.

Argumentum.

Ex S. Thoma.

254. — In 1. q. 45, art. 6, S. Thomas quærit. *Utrum creare sit proprium alicujus personæ.* Respondet rerum causalitatem esse propriam toti Trinitati, sed addit quod ratione divinarum processionum per Intellectum et Voluntatem, causa efficiens *appropriatur* Patri, causa exemplaris Filio, et causa finalis Spiritui sancto. Sed primo proponit contrarias objectiones.

I. « **Videtur quod creare sit proprium alicujus personæ.** »

1°) « Quod enim est prius, est causa ejus quod est post, et perfectum imperfecti. Sed processio divinæ personæ est prior quam processio creaturæ, et magis perfecta, quia divina persona procedit in perfecta similitudine sui Principii, creatura vero in imperfecta. Ergo processiones divinarum personarum sunt Causa processionis rerum; et sic creare est proprium personæ. »

2°) « Præterea, personæ divinæ non distinguuntur ab invicem, nisi per suas processiones et relationes; quidquid igitur differenter attribuitur divinis personis, hoc convenit eis secundum processiones personarum et relationes. Sed causalitas creaturarum diversimode attribuitur divinis personis; nam in symbolo fidei, Patri attribuitur, quod sit Creator omnium invisibilium et visibilium; Filio autem attribuitur, quod per eum omnia facta sunt: sed Spiritui sancto, quod sit Dominus et Vivificator. Causalitas ergo creaturarum convenit personis secundum processiones et relationes. »

3°) « Præterea, si dicatur quod causalitas creaturæ attendatur secundum aliquod attributum essentiale, quod attribuitur alicui personæ, hoc non videtur sufficiens, quia quilibet effectus divinus causatur a quolibet attributo essentiali, scilicet Potentia, Bonitate et Sapientia, et sic non magis pertinet ad unum, quam ad aliud. Non debet ergo aliquis determinatus modus causalitatis attribui uni personæ magis quam alii, nisi distinguerentur in creando, secundum relationes et processiones. »

II. « **Sed contra est,** quod dicit Dionysius, 2 Cap. de Div. Nominib., quod communia totius divinitatis sunt omnia creabilia. »

« *Respondeo dicendum*, quod creare est proprie causare, seu producere esse rerum. Cum autem omne agens agat sibi simile, principium actionis considerari potest ex actionis effectu; ignis enim est qui generat ignem. Et ideo creare convenit Deo secundum suum Esse, quod est ejus Essentia, quæ est communis tribus personis. Unde creare non est proprium alicui personæ, sed commune toti Trinitati. Sed tamen divinæ personæ, secundum rationem suæ processionis, habent causalitatem respectu creationis rerum. Ut enim supra ostensum est, cum de Dei Scientia et Voluntate ageretur, Deus est Causa rerum per suum Intellectum et Voluntatem, sicut artifex, rerum artificiatarum. Artifex autem

per verbum in intellectu conceptum, et per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum, operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, et per suum Amorem, qui est Spiritus sanctus. Et secundum hoc, processiones personarum sunt ratione productionis creaturarum, inquantum includunt essentialia attributa, quæ sunt Scientia et Voluntas. »

III. « **Ad 1m) ergo dicendum,** quod processiones divinarum personarum sunt Causa creationis, sicut dictum est. »

« Ad 2m) dicendum, quod sicut natura divina, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit, inquantum Filius accipit naturam divinam a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque, ita etiam et virtus creandi, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit, nam Filius habet eam a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque. Unde Creatorem esse attribuitur Patri, ut ei qui non habet virtutem creandi ab alio. De Filio autem dicitur: *Per quem omnia facta sunt,* inquantum habet eamdem virtutem, sed ab alio; nam hæc propositio *per,* solet designare causam mediam, sive principium de principio. Sed Spiritui sancto, qui habet eamdem virtutem ab utroque, attribuitur quod dominando gubernet, et vivificet quæ sunt creata a Patre per Filium. »

« Potest etiam hujus attributionis communis ratio accipi ex appropriatione essentialium attributorum; nam sicut supra dictum est, Patri attribuitur et appropriatur Potentia, quæ maxime manifestatur in creatione; et ideo attribuitur Patri Creatorem esse, Filio autem attribuitur Sapientia, per quam agens per intellectum, operatur: et ideo dicitur de Filio: *Per quem omnia facta sunt;* Spiritui sancto autem attribuitur Bonitas, ad quam pertinet gubernatio deducens res in debitos fines, et vivificatio, nam vita in interiori quodam motu consistit; primum autem movens est finis et bonitas. »

« Ad 3m) dicendum, quod licet effectus Dei procedat ex quolibet attributorum, tamen reducitur quisque effectus ad illud attributum cum quo habet convenientiam secundum propriam rationem; sicut ordinatio rerum ad Sapientiam et justificatio impii ad Misericordiam et Bonitatem, se superabundanter diffundentem; creatio vero, quæ est productio ipsius substantiæ rei, reducitur ad Potentiam. »

PROPOSITIO III.

NOMEN VERBI IMPORTAT RELATIONEM AD CREATURAS.

255. — Probatur ex S. Thoma qui in 1. q. 34, art. 3, quærit: *Utrum in nomine Verbi, importetur respectus ad creaturas,* et sic procedit.

I. « **Videtur quod in nomine Verbi non importetur respectus ad creaturam.**

1°) « Omne enim nomen connotans effectum in creatura, essentialiter in divinis dicitur. Sed Verbum non dicitur essentialiter, sed personaliter, ut dictum est. Ergo Verbum non importat respectum ad creaturam. »

2°) « Præterea, quæ important respectum ad creaturas dicuntur de Deo ex tempore, ut Dominus et Creator. Sed Verbum dicitur de Deo ab æterno. Ergo non importat respectum ad creaturam. »

3°) « Præterea, Verbum importat respectum ad id a quo procedit. Si ergo importat respectum ad creaturam, sequitur quod procedat a creatura. »

4°) « Præterea, ideæ sunt plures, secundum diversos respectus ad creaturas. Si igitur Verbum importat respectum ad creaturas, sequitur quod in Deo non sit unum Verbum tantum, sed plura. »

5°) « Præterea, si Verbum importat respectum ad creaturam, hoc non est nisi inquantum creaturæ cognoscuntur a Deo. Sed Deus non solum cognoscit entia, sed etiam non entia. Ergo in Verbo importabitur respectus ad non entia, quod videtur falsum. »

II. « **Sed contra est,** quod dicit Augustinus in lib. 83. Quæst. q. 83, quod in nomine Verbi significatur non solum respectus ad Patrem, sed etiam ad illa, quæ per Verbum facta sunt operativa Potentia. »

« *Respondeo dicendum,* quod in Verbo importatur respectus ad creaturam. Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum, est repræsentativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba, secundum diversa quæ intelligimus. Sed quia Deus uno Actu et se et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei Scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva, ita Verbum Dei, ejus quod in Deo Patre est, est expressivum tantum; creaturarum vero est expressivum et operativum. Et propter hoc dicitur in Psalm. 32: *Dixit et*

facta sunt, quia importatur in Verbo ratio eorum quæ Deus facit. »

III. « **Ad 1m) ergo dicendum**, quod in nomine personæ, includitur etiam natura oblique; nam persona est rationalis naturæ individua substantia. In nomine igitur personæ, quantum ad relationem personalem, non importatur respectus ad creaturam, sed importatur in eo, quod pertinet ad naturam. Nihil tamen prohibet, inquantum includitur in significatione ejus Essentia, quod importetur respectus ad creaturam. Sicut enim proprium est Filio quod sit Filius, ita proprium est ei, quod sit genitus Deus, vel genitus Creator. Et per hunc modum importatur relatio ad creaturam in nomine Verbi. »

« Ad 2m) dicendum, quod cum relationes sequantur actiones, quædam nomina important relationem Dei ad creaturam, quæ consequitur actionem Dei in exteriorem effectum transeuntem, sicut creare et gubernare, et talia dicuntur de Deo ex tempore. Quædam vero relatio est, quæ consequitur actionem non transeuntem in exteriorem effectum, sed manentem in agente, ut scire et velle, et talia non dicuntur de Deo ex tempore. Et hujusmodi relatio ad creaturam importatur in nomine Verbi. Nec est verum, quod nomina importantia relationem Dei ad creaturas, omnia dicantur ex tempore, sed sola illa nomina, quæ important relationem consequentem actionem Dei in exteriorem effectum transeuntem, ex tempore dicuntur. »

« Ad 3m) dicendum, quod creaturæ non cognoscuntur a Deo per scientiam a creaturis acceptam, sed per Essentiam suam. Unde non oportet quod a creaturis procedat Verbum, licet Verbum sit expressivum creaturarum. »

« Ad 4m) dicendum, quod nomen *ideæ* principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam. Et ideo pluraliter dicuntur in divinis, neque est personale. Sed nomen Verbi principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicentem, et ex consequenti ad creaturas, inquantum Deus intelligendo se, intelligit omnem creaturam. Et propter hoc in divinis, est unicum tantum Verbum, et personaliter dictum. »

« Ad 5m) dicendum, quod eo modo quo Scientia Dei est non entium, et Verbum Dei est non entium, quia non est aliquid minus in Verbo Dei, quam in Scientia Dei, ut Augustinus dicit (in 15 de Trinit., cap. 14). Sed tamen Verbum est entium, ut expressivum et factivum; non entium autem, ut expressivum et manifestativum. »

LIBER SECUNDUS.

PROBATUR TRINUS ORDO EXEMPLARIUM IN MENTE DIVINI ARTIFICIS.

256. — PROŒMIUM. — **De notione et trino ordine divinorum Exemplarium.**

In Libro I demonstravimus *existentiam Dei unitrini* infinite perfecti, Artificis et Exemplaris trini ordinis universi. In Libro II nobis probandus est *trinus ordo idealis*, in quo divinus Artifex æterna omnium singulorumque opificiorum suorum exemplaria in Mente sua concepit.

Ista *exemplaria* sunt varii modi imitationis perfectionis suæ, quos ab æterno intelligit ac intendit; nam juxta doctorem angelicum, supremum omnis creatæ perfectionis Exemplar est Dei Forma unitrina, non prout est in se infinite perfecta, sed prout ab ipso Deo intelligitur imitabilis, vel potius tanquam realiter imitanda variis modis finitis, qui ab æterno, in divini Artificis intentione, determinant varios perfectionis gradus, quibus singulæ et omnes res creatæ imitantur, in suo inæquali ordine, perfectionem et æqualem Ordinem supremi ejusdem Exemplaris.

Atqui, in hac gradua supremi Exemplaris imitatione, et proinde in rerum juxta illud exemplatarum perfectione, generalissime a Deo intelliguntur initium, medium et finis, secundum quod creaturæ concipiuntur trinum Ordinem inæqualiter imitari, inquantum sunt, et inquantum operantur ad finem, et inquantum ultimo perficiuntur in fine obtento.

Ergo in divinis exemplaribus distinguendus est trinus ordo, juxta quem rerum exemplaria,

seu divinæ rationes, dicuntur *Ideæ æternæ*, inquantum sunt norma perfectionis creaturarum quoad esse naturæ vel gratiæ; aut dicuntur *Lex æterna*, inquantum sunt norma perfectionis creaturarum, quoad operationem naturæ vel gratiæ; aut dicuntur *æterna Prædestinatio*, inquantum sunt norma ultimæ perfectionis rationalium creaturarum in ordine supernaturali.

Quæstiones controversas circa *divinas Ideas*, *Legem æternam*, et *Prædestinationem*, elucidare conabimur in Tomo III, Parte II. Nunc solummodo nobis incumbit probare illorum *existentiam* in Mente Dei omnium creatoris, gubernatoris et consummatoris.

CAPUT I.

PROBANTUR ÆTERNÆ DEI IDEÆ.

Duas propositiones sequentes demonstrabimus: 1°) Sunt in Mente divini Artificis unitrini æternæ ideæ, juxta quas omnia opificia sua producit. 2°) Divinæ ideæ sunt plures, et tripliciter ordinatæ.

PROPOSITIO I.

SUNT IN MENTE DIVINI ARTIFICIS ÆTERNÆ IDEÆ, JUXTA QUAS OMNIA OPIFICIA SUA PRODUCIT.

257. — De hac propositione dicit Suaresius, de Deo, lib. 3, cap. 3, n.° 2: « Esto vero non habeatur hæc assertio expresse in Scriptura, tamen ex his quæ docet fides de modo operationis Dei ad extra, tam evidenter colligitur, tamque communi consensu Patrum et theologorum recepta est, ut in dubium revocari non possit. »

In Disput. metaph. 25, initio, ait: « Quod ad nomen attinet, suppono *exemplar* idem hoc loco significare, quod apud theologos *idea*, quod nomen, licet græcum sit, a Latinis etiam usurpatur; primumque illius auctorem Platonem fuisse, testes sunt Cicero, lib. 1 Tuscul. quæst., Seneca, Epist. 66, et Augustinus, lib. 83 quæstionum, q. 46, ubi ait ideas posse latine dici formas vel species; imo et principales seu originales formas appellat. Agit enim præcipue de ideis divinis, quibus per antonomasiam ideæ nomen applicatum est, ut ex eodem sumere licet lib. 12 de Civ. Dei, cap. 25. »

Argumentum I.

Ex Scriptura.

Libri sacri expressis verbis *de ideis divinis* non loquuntur, sicut Suaresius ait in loco proxime citato, nam vox *idea* a Platone inventa est. Verumtamen doctrinam divini Exemplarismi clare profitentur, quoties agunt de Dei Sapientia, seu Verbo, supremus in quo Artifex omnia opificia sua ab æterno intendit ac præordinavit; et isti textus in hoc sensu confirmantur ex sanctorum Ecclesiæ Patrum ac Doctorum interpretatione inferius relata in Argumento II.

§ I.

Probatur ex veteri Testamento.

258. — Multa et magna in libris sacris dicuntur *de Sapientia divina*, quæ intelligi possunt sive de Sapientia *increata*, sive de Sapientia *incarnata*, sive de sapientia *creata ac participata*. Sapientia enim est vel mere increata in divino Intelleetu, seu potius est ipse divinus Intellectus; vel mere creata in angelico et humano intellectu; vel increata simul et creata in Christi intellectu.

Nunc agitur tantum de Sapienta *increata*, quæ spectari potest sive ut *essentialis* et communis toti Trinitati, sive ut *notionalis* seu personalis, prout est Verbum Dei.

Jam vero, per Sapientiam suam *essentialem*, Deus « velut per Ideam perfectissimam architectatus est cœlum, terram, totumque universum » ait Cornelius a Lapide in Proverb., 8, v. 22. Divina Sapientia est actus substantialis, sed illam concipimus ut actum elicitum, qui manat ab ipsa deitatis substantia perfectissima, sicut lux manat a sole, et rivus a fonte. Ideo sacra Scriptura, se nostro intelligendi modo accomodans, dicit divinam Sapientiam esse ab æterno *conceptam*. In aliis locis dicit illam esse *creatam*, quod non proprio sensu accipiendum, ut animadvertit Cornelius a Lapide, sed latiori sensu, more Hebræorum, apud quos vox *creare* aliquando significat *facere*, *elicere*, *concipere*.

Sapientia autem *notionalis*, seu personalis, est Verbum divinum, quod ab æterno concipitur per divinum Intellectum Paternitate connotatum, ita ut Pater omnia intelligat, dicat et faciat per Verbum suum in Spiritu sancto. Hoc sensu Sapientiam increatam intelligunt S. Augustinus, lib. 7 de Trinit.; Magister sentent., in 1 dist. 28, litt. F, et ibidem S. Bonaventura; item S. Thomas, in 1 dist. 32, art. 2.

Præcipuos locos citabimus, in quibus agitur de divina Sapientia, *inquantum est Ars omni-*

potentis Dei, continens omnia rerum exemplaria, atque mundum præordinans ab æterno, et in tempore formans juxta ideas suas, in ordine naturali et supernaturali. Ipsa Scriptura de divina Sapientia in hoc sensu intellecta dicit: *Omnium enim Artifex docuit me Sapientia.* (Sap. 7, v. 21). Et: *Quis horum quæ sunt magis quam illa, est Artifex?* (Sap. 8, v. 6).

I. **Proverb. 8, v. 22-31:** *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.*

Ab æterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret.

Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant.

Necdum montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar.

Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ.

Quando præparabat cœlos aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos;

Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum;

Quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ.

Cum eo eram cuncta componens; et dilectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore;

Ludens in orbe terrarum; et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

II. **Eccli. 1, v. 1-10:** *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et eos ante ævum.*

Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est?

Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?

Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo.

Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna.

Radix sapientiæ cui revelata est, et astutias illius quis agnovit?

Disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? Et multiplicationem ingressus illius quis intellexit?

Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus.

Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit et mensus est.

Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit illam diligentibus se.

III. **Eccli. 24, v. 1-11:** *Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur.*

Et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur.

Et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur,

Et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens:

Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.

Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram:

Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.

Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi,

Et in omni terra steti, et in omni populo.

Et in omni gente primatum habui.

Et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi, et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.

IV. **Job 28, v. 12-27:** *Sapientia ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ?*

Abscondita est ab oculis omnium viventium.

Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius.

Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cœlo sunt respicit.

Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura.

Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus;

Tunc vidit illam et enarravit, et præparavit, et investigavit.

Carrière sequentem facit paraphrasim ultimi versus juxta S. Augustinum: « *vidit* tanquam Exemplar, juxta quod omnia facere intendebat. *Enarravit*, id est tanquam Exemplar omnis perfectionis ostendit Angelis, antequam mundum cum illis creatum distingueret. *Praeparavit*, ut sit principium seu forma omnis pulchritudinis creatæ. *Investigavit* seu consuluit, tanquam Artem divinam, juxta quam omnia operaturus erat. »

§ II.

Probatur ex novo Testamento.

259. — I. **Joan. 1, v. 1-4:** *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

Hoc erat in principio apud Deum:

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.

Quod factum est, in ipso vita erat.

Sic legunt *plures latini Patres*, ut S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Ambrosius, Tertullianus etc. Quos sequuntur Rupertus, Hugo Victorinus, S. Thomas et plerique scholastici. — Item *apud Græcos*, Origenes et S. Cyrillus Alexandrinus. Sed S. Chrysostomus et plerique Patres græci legunt: *Sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat.*

Prima lectio confirmatur ex alio textu S. Joan., scilicet ex Apoc. 4, v. 11: *Omnia in ipso erant* (id est exemplariter) *et creata sunt* (realiter).

S. Augustinus in lib. 6. de Trinit. et alibi docet, verba S. Joannis « *In Principio erat Verbum*, significare: In Patre erat Verbum, quia Principium Filii Pater est, et Principium creaturarum et omnium rerum. » — In Serm. 38 de Verb. Dom. ait: « *Verbum* autem Dei est Forma quædam non formata, sed forma *(exemplaris)* omnium formarum, forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, existens in omnibus fundamentum quoddam in quo sunt, et fastigium sub quo sunt. » — In tract. 1. sup. Joannem, sic interpretatur verba: *Quod factum est, in ipso vita erat:* « Est autem in ipsa Dei Sapientia spiritualiter ratio quædam, qua terra facta est; hæc vita est. Sicut arca, in omni opere, non est vita; arca in arte, vita est, quia vivit anima artificis. Sic ergo, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia quæ fiunt per ipsam Artem, non hæc continuo sunt vita; sed quidquid factum est, vita est in illo. »

S. Thomas, Comment. in Joan., cap. 1, lect. 2, similiter dicit: « Augustinus legit sic punctando: *Quod factum est*, distingue, *in ipso vita erat.* Res enim dupliciter considerari possunt: secundum scilicet quod sunt in seipsis, et secundum quod sunt in Verbo. — Si considerentur secundum quod sunt in seipsis, sic non omnes res sunt vita, nec etiam viventes; sed aliquæ carent vita, aliquæ vivunt; sicut facta est terra, facta sunt etiam metalla, quæ nec vita sunt, nec vivunt; facta sunt animalia, facti sunt homines, quæ, secundum quod sunt in seipsis, non sunt vita, sed vivunt solum. — Si autem considerentur secundum quod sunt in Verbo, non solum sunt viventes, sed etiam vita; nam rationes in Sapientia Dei spiritualiter existentes, quibus res factæ sunt ab ipso Verbo, sunt vita; sicut arca facta per artificem, in se quidem nec vivit, nec vita est; ratio vero arcæ, quæ præcessit in mente artificis, vivit quodammodo, inquantum habet esse intelligibile in mente artificis; non tamen est vita, quia per seipsum intelligere artificis non est in sua essentia, neque suum esse. In Deo autem suum Intelligere est sua Vita et sua Essentia; et ideo quidquid est in Deo, non solum vivit, sed est ipsa Vita, quia quidquid est in Deo est sua Essentia; unde creatura in Deo est creatrix Essentia. Si ergo considerentur res secundum quod in Verbo sunt, Vita sunt. »

II. **Ad Hebr. 11, v. 3:** *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

Juxta S. Thomam in hoc Caput ad Hebr., lect. 2, vox *Verbo Dei* accipi potest sive in ablativo, sive in dativo casu: In priori acceptione sensus est: Fide cognoscimus, mundum cum tempore factum fuisse de materia prima, quæ invisibilis est, utpote privata omni forma, omni specie et ordine: « Sed hoc est satis ruditer dictum, addit doctor angelicus, licet sit verum. » — In altera acceptione sensus est: Intelligimus per fidem, ut prius, sæcula esse aptata, id est convenientia et correspondentia Verbo, ut ex invisibilibus visibilia fierent.

Et pergit D. Thomas: « Propter quod sciendum est, quod Verbum Dei est ipse conceptus Dei, quo seipsum et alia intelligit. Deus autem comparatur ad creaturam, sicut opifex ad opus suum. Hoc autem videmus, quod artifex, illud quod producit extra, producit in similitudinem conceptus sui; unde facit domum in materia, ad similitudinem domus, quam in mente sua formavit. Quod si domus extra conveniat domui præconceptæ, est opus debito modo ordinatum; si non, non. Quia vero tota creatura optime disposita est, utpote producta ab Artifice, in quo non potest cadere error vel aliquis defectus, ideo plenissime secundum modum suum convenit divino conceptui. Unde Boetius de Consolatione:

Pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum mente gerens similique ab imagine formans. »

« Ideo dicit: *Intelligimus fide sæcula*, id est totam universitatem creaturæ; *aptata*, id est convenienter respondentia; *Verbo*, id est conceptui Dei, sicut artificiatum arti suæ. Eccli. 1, v. 10: *Effudit illam*, scilicet Sapientiam suam, *super omnia opera sua.* »

« Sequitur: *Ut ex invisibilibus visibilia fierent*.... dicimus secundum modum prædictum, quod ex invisibilibus rationibus idealibus in Verbo Dei, per quod omnia facta sunt, res visibiles sunt productæ. Quæ rationes, etsi realiter idem sunt, tamen per diversos respectus connotatos respectu creaturæ, differunt secundum rationem. Unde alia ratione conditus est homo, et alia equus, ut dicit Augustinus in lib. 83 Quæst. — Sic ergo sæcula aptata sunt Verbo Dei, ut *ex invisibilibus* rationibus idea-

libus in Verbo Dei, *visibilia*, id est, omnis creatura, *fierent.*»

III. **Ad Rom. 1, v. 20:** *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.*

S. Thomas hunc textum sequenti modo interpretatur: 1°) «Considerandum est, quæ sunt ista quæ de Deo cognoverunt. *Invisibilia ipsius*, per quæ intelligitur Dei Essentia, quæ a nobis videri non potest, Joan. 1, v. 18: *Deum nemo vidit unquam.* Dicit pluraliter *invisibilia*, quia Dei Essentia non est nobis cognita secundum illud quod est, scilicet prout in se est una; sic erit nobis in patria cognita; et tunc *erit Dominus unus, et nomen ejus unum*, ut dicitur Zachar., ultimo. — Est autem manifesta nobis per quasdam similitudines in creaturis repertas, quæ id quod in Deo unum est, multipliciter participant, et secundum hoc intellectus noster considerat unitatem divinæ Essentiæ sub ratione Bonitatis, Sapientiæ, Virtutis et hujusmodi, quæ in Deo non sunt. Hæc ergo visibilia Dei dixit, quia illud unum quod his nominibus, seu rationibus in Deo respondet, non videtur a nobis. Hebr. 11: *ut ex invisibilibus visibilia fierent.* — Aliud autem quod de Deo cognoscitur, est *Virtus* ipsius, secundum quam res ab eo procedunt, sicut a Principio.»

2°) «Considerandum est per quod medium illa cognoverunt; quod designatur cum dicitur: *Per ea quæ facta sunt.* Sicut enim ars manifestatur per artificis opera, ita et Dei Sapientia manifestatur per creaturas.» Hunc textum in eodem sensu explicat Origenes, cujus verba infra referemus.

IV. **Ad Coloss. 1, v. 15 et 16,** S. Paulus dicit de Christo: *Qui est Imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. — Quoniam in ipso condita sunt universa, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia.... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt.*

Ad hæc S. Thomas, lect. 4: «Videndum est quomodo dicatur *primogenitus.* Deus enim non alio modo se cognoscit et creaturam, sed omnia in sua Essentia, sicut in prima Causa effectiva. Filius autem est conceptio intellectualis Dei, secundum quod cognoscit se, et per consequens omnem creaturam. Inquantum ergo gignitur, videtur quoddam Verbum repræsentans omnem creaturam, et ipsum est Principium omnis creaturæ. Si enim non sic gigneretur, solum Verbum Patris esset primogenitus Patris, sed non creaturæ. Eccli. 24, v. 5: *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam.....*»

«Dicit ergo: *Est primogenitus creaturæ*, quia est genitus ut Principium omnis creaturæ, et ideo dicit: *Quia in ipso condita sunt universa.* Circa hoc sciendum est, quod Platonici ponebant ideas, dicentes quod quælibet res fiebat ex eo quod participabat ideam, puta hominis vel alicujus alterius speciei. Loco omnium harum idearum, nos habemus unum, scilicet Filium, Verbum Dei. Artifex enim facit artificium ex hoc, quod facit illud participare formam apud se conceptam, quasi involvens eam exteriori materia; sicut si dicatur quod artifex facit domum per formam rei, quam habet apud se conceptam. Et sic Deus omnia in sua Sapientia dicitur facere, quia Sapientia Dei se habet ad res creatas, sicut ars ædificatoris ad domum factam. Hæc autem Forma et Sapientia est Verbum et ideo, omnia in ipso condita sunt sicut in quodam exemplari.... et sic concludendo dicit: Omnia *per ipsum* creata sunt, sicut per causam effectivam, et *in ipso*, sicut per causam exemplarem.»

Argumentum II.

Ex Patribus.

Plures Ecclesiæ Patres *rejecerunt ideas, quas Plato extra divinam Mentem ponebat:* ita S. Justinus Cohort. ad Græcos, n.° 29 et 30; S. Irenæus, lib. 2 cont. hæres. cap. 14, n.° 3; S. Gregorius Nazianz., orat. 27, n.° 10; S. Cyrillus Alexandrin., lib. 2 cont. Julian., n.° 48; Tertullianus, cap. 18 de Anima; S. Ambrosius, lib. 1 Hexæm., cap. 1. — Sed nullus Patrum *abjecit genuinam idearum doctrinam, quam profitemur;* imo multi eorum, tam græci quam latini, *hanc expresse docuerunt*, quemadmodum in præsenti argumento ostendemus.

§ I.

Probatur ex Patribus græcis.

260. — I. **S. Dionysius Areopagita,** cap. 5 de div. Nomin., § 8 et 9: «Si sol ille noster rerum sensilium substantias ac qualitates, quantumvis multæ sint ac diversæ, simul ille, cum sit unicus et uniformiter diffundat lumen suum, omnes renovat, et nutrit, et servat, et perficit, et distinguit, et unit, et refovet, et fecundat, et auget, et immutat, et firmat, et producit, et suscitat, et vegetat; et quodlibet ex iis, modo cuique proprio, unius ejusdemque solis particeps existit; et plurimorum se participantium causas sol unicus in ipso uniformiter anticipavit; potiori utique ratione concedendum est, in ipsius solis ac rerum omnium Causa, secundum unicam supersubstantialem unionem, rerum om-

nium *exemplaria* præextitisse, quandoquidem hæc Causa ipsas substantias producat secundum excessum substantiæ. — *Exemplaria* vero dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum et unite præexistentes, quas divinus sermo vocat prædefinitiones, et divinas atque bonas voluntates, rerum definitrices et effectrices, secundum quas qui Est supra substantiam, omnia quæ sunt prædefinivit et produxit... Quamobrem universa ipsi *(supremo Enti ac primæ Causæ)* entia, secundum unam omnibus eminentem copulationem, sunt attribuenda; quandoquidem, dum ab ipsamet Essentia substantificæ promanationis ac bonitatis exordiens, per omnia dimanat *(per similitudinis participationem)*, et universa per seipsum implet, ac in rebus omnibus delectatur, omnia quidem in se præhabet excellentiâ simplicitatis, quæ omnem refugit duplicitatem; cuncta vero similiter continet secundum supersimplicem infinitatem suam, et ab omnibus singulariter participatur, quemadmodum et vox, cum una sit ac eadem, a multis quoque auribus ut una percipitur. » S. Dionysio adjungendus est *S. Maximus* martyr, qui illum commentatus est.

II. **Clemens Alexandrinus** in lib. 5 Stromat., cap. 14, asserit christianam philosophiam, quam Græci barbaram vocabant, agnovisse divinum Exemplarismum, seu mundum intelligibilem et exemplarem in Mente divina. « Similiter mundum barbara philosophia duplicem, alterum intelligentia, alterum sensu perceptum; e quibus archetypus ille sit, hic vero pulchri exemplaris imago; ac priorem quidem illum, qui mente percipitur, unitati, hunc vero, qui sensus movet, senario attribuit *(nempe sex diebus creationis)*. Nam et apud Pythagoræos senarius tanquam genitalis numerus, conjugium vocatur. »

III. **Origenes.** 1°) In lib. 1 Periarchon, cap. 2, sic loquitur de Sapientia seu de Verbo Dei in se continente intellectualiter omnium rerum exemplaria: « Igitur extra omne, quod vel dici vel intelligi potest, initium, generatam esse credendum est *Sapientiam*. Quia ergo in hac Sapientiæ substantia inerat omnis virtus et formatio futuræ creaturæ, vel eorum quæ principaliter existunt *(scilicet substantiarum)*, vel eorum quæ accidunt, consequenter virtute præscientiæ præformata atque disposita, pro his ipsis creaturis, quæ in ipsa Sapientia velut descriptæ ac præfiguratæ fuerant, Sapientia seipsam per Salomonem dicit creatam esse initium viarum Domini, continens scilicet in semetipsa universæ creaturæ vel initia, vel formas, vel species. — Quali autem modo intelleximus Sapientiam initium viarum Dei esse, et quomodo creata esse dicitur, species scilicet in se, et initia totius creaturæ præformans et continens, hoc etiam modo *Verbum Dei* eam esse intelligendum est, per hoc quod ipsa cæteris omnibus, id est universæ creaturæ mysteriorum et arcanorum rationem, quæ utique intra Dei Sapientiam continentur, aperiat, et per hoc, Verbum dicitur, quia est tanquam arcanorum mentis interpres. »

2°) Sequenti modo legit et explicat verba S. Joannis, 1: *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat.* « Potest autem et sic distingui sine errore: *Quod factum est in ipso*, et postea dicatur: *Vita erat*, ut sit sensus: Omnia quæ per ipsum et in ipso facta sunt, in ipso vita sunt, et unum sunt. Erant enim, hoc est, in ipso subsistunt *causaliter*, priusquam sint in ipso *effective*. Sed si quæris quomodo et qua ratione omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter et uniformiter et causaliter subsistunt, accipe exemplum ex creaturarum natura. Conspice quomodo omnium rerum quas mundi hujus orbis comprehendit, causæ simul et uniformiter in isto sole, qui est maximum mundi luminare subsistunt; quomodo numerositas herbarum et fructuum in singulis seminibus simul continentur; quomodo multiplices regulæ in arte artificis unum sunt, et in animo disponentis vivunt; quomodo infinitus linearum numerus in uno puncto unum subsistit; et hujusmodi varia accipe exempla, ex quibus velut physicæ theoriæ pennis, poteris arcana Verbi, mentis acie perspicere, et quantum datur humanis rationibus videre quomodo omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vivunt et facta sunt. »

Legitur in eodem Commentario: « Quid vero opus est verba facere de *Sapientia*, quam condidit Deus initio viarum suarum in opera sua? (Prov. 8, v. 22). Qua congaudebat Pater ipsius, oblectatur in multiformi ejus Pulchritudine intelligibili, quæ solis oculis intellectualibus cernitur, quæque considerantem divinam Pulchritudinem, ad amorem cœlestem invitat. » — Ibidem in verba: *In principio erat Verbum*, Origenes Λόγον interpretatur *rationem* seu *ideam*, cujusmodi est in mente artificis « ut secundum sapientiam et secundum figuras collectionis intelligentiarum, quæ sunt in ipsa, fiant omnia. Opinor enim, sicut domus et navis fabricatur vel ædificatur, juxta figuras et formas mentibus eorum, qui structuræ præsident, conceptas, domo navique principium sumentibus ab his figuris et rationibus quæ sunt in artifice; sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes jam antea a Deo manifestatas in Sapientia. Omnia enim in Sapientia fecit. »

3°) Lib. 3 in Cantic., ad cap. 2: « Paulus apostolus (Rom. 1, v. 20) nos docet, quod *invisibilia* Dei *ex visibilibus* intelligantur; et ea quæ non videntur, ex eorum quæ videntur, ratione et similitudine contemplentur, ostendens per hoc quod visibilis hic mundus de invisibili doceat, et exemplata quædam cœlestium contineat positio ista terrena, ut ab his quæ deorsum, ad ea quæ sursum sunt, possimus ascendere, atque ex his quæ videmus in terris, sentire et intelligere ea quæ habentur in cœlis. Ad quorum similitudinem quandam, quo facilius colligi per hæc ac sentiri possent diversitates, creaturarum quæ in terris sunt similitudinem Conditor dedit. Et fortassis, sicut hominem Deus ad imaginem et similitudinem suam fecit, ita etiam cæteras creaturas ad alias quasdam cœlestes imagines per similitudinem condidit, et fortasse in tantum singula quæque quæ in terris sunt, habent aliquid imaginis et similitudinis in cœlis. »

IV. **S. Basilius,** lib. 4 adv. Eunom.: « Nec creatura tam indigens est, nec Deus sic impotens, ut sanctam participationem *(similitudinis suæ)* non transmittat in sua opificia. Ad suiipsius igitur imaginem statim facere hominem voluit. Omnino autem imago quæ ab artifice efficitur, dum ab exemplari transfertur, similitudinem ejus in materiam accipit, et participat illius characterem, per artificis mentem et manum ei impressum. Sic pictor, sic lapidum sculptor, sic aurearum vel ænearum statuarum fictor, sumit materiam, aspicit in exemplar, assumit speculati exemplaris similitudinem illamque velut sigillo imprimit materiæ. — Atqui, si hominibus non possibile est ad cujusdam exemplaris similitudinem informare materias, nisi formas earum mente accipiant ab exemplari, quomodo ad Dei similitudinem ascendisset creatura, nisi accepisset characterem? Divinus vero character non talis est qualis humanus, sed vivens et essentialiter est imago, imaginum effectrix, quam participando omnia constituuntur Dei imagines. Imago quidem Dei est Christus, qui est, inquit, *Imago Dei invisibilis* (Coloss. 1, v. 15). »

V. **S. Joannes Damascenus,** in Orat 3. de Imaginibus, de variis imaginum generibus disserens, ait: « Secundus modus imaginis est illa, quæ in Deo est notio rerum ab ipso futurarum, hoc est Consilium ejus æternum, quod eodem semper modo se habet. Deus enim immutabilis est, et ejus Consilium omni initio caret; per quod scilicet ea, quæ ab ipso determinata sunt, præfinito tempore fiunt, quemadmodum ipse in æternitate constituit. Imagines enim et exemplaria futurarum rerum, quas ipse facturus est, nihil sunt aliud, quam cujusque earum notio, atque a S. Dionysio prædefinitiones nominantur. In ejus namque Consilio expressæ erant formæ et imagines eorum quæ, priusquam fierent, ab ipso prædefinita erant, et immutabiliter futura. »

Notandum est, æterna rerum exemplaria seu ideas in Mente divina, nonnisi lato sensu nuncupari posse imagines; imago enim non est proprie exemplaris, sed exemplata. Divinæ autem Ideæ sunt ipsa Dei Essentia, inquantum ab ipso cognoscitur tanquam varie imitabilis, imitanda, vel imitata a rebus creandis, vel creatis. Ergo proprie sunt exemplaria, et res juxta illas exemplatæ sunt.

§ II.

Probatur ex Patribus latinis.

261. — I. **Tertullianus,** cap. 18 de Anima: « Si veritates per imagines apprehenduntur, id est invisibilia per visibilia noscuntur..... necesse est omnino hunc mumdum imaginem esse alterius alicujus. »

Adv. Prax., cap. 6: « Hæc divini sensus dispositio, apud Scripturas etiam in Sophiæ *(Sapientiæ)* nomine ostenditur. Quid enim sapientius Ratione Dei, sive Sermone? Itaque ipsam Sophiam exaudi..... Primo: *Dominus creavit me initio viarum in opera sua, priusquam terram faceret, priusquam montes collocarentur; ante omnes colles generavit me* (Prov. 8, v. 22); in sensu suo scilicet condens et generans. Dehinc assistentem eam ipsa separatione cognosce: *Cum pararet,* inquit, *cœlum aderam illi simul; et cum fortia faciebat super ventos, seu sursum nubila; et cum tutos ponebat fontes ejus quæ sub cœlo, ego eram cum illo compingens; ego eram ad quam gaudebat; quotidie autem oblectabar in persona ipsius.* Nam ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem, habentem in se individuas suas Rationem et Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imo et facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim eis deerat, ut coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur et tenerentur. »

II. **S. Augustinus,** in lib. 83 quæst., q. 46, dicit: « Tanta vis in ideis constituitur, ut nisi iis intellectis, sapiens nemo esse possit. »

Ibidem: 1°) EXPLICAT QUID SINT DIVINÆ IDEÆ: « *Ideas* igitur latine possumus vel formas, vel species dicere, ut verbum e verbo transferre videamur. Si autem *rationes* eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus; rationes enim græce λόγοι appellantur, non

ideæ; sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, a re ipsa non errabit. Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina Intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. »

2°) DEINDE SUBJICIT ARGUMENTUM, QUO IDEAS IN DEO ESSE DEMONSTRAT, scilicet quod nemo sit, quin « profiteatur, omnia quæ sunt, id est quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo Auctore esse procreata, eoque Auctore omnia quæ vivunt vivere, atque universalem rerum incolumitatem ordinemque ipsum, quo ea quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri et gubernari. Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo qua equus; hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa Mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum creandarum creatarumve rationes in divina Mente continentur, neque in divina Mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse; atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato: non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut sit quidquid est, quo modo est. »

Hanc rationem, qua ideas in divina Mente esse probat, attingit alibi sæpius S. Augustinus, verbi gratia in lib. 5 de Genesi ad litter., cap. 13-15; item in tract. 1 in Joann.: et in lib. 1, de Civit. Dei, cap. 20, ubi dicit: « In una Dei Sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per istam factae sunt, quoniam Deus non aliquid nesciens fecit; quod nec de quolibet homine artifice dici potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. »

3°) IN TRACT. 1 IN JOANN., PER COMPARATIONEM ARTIFICIS EXPLICAT QUOMODO RES SUNT IDEALITER VITA IN MENTE DIVINA:

« Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam; si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret. Sed arca sic est in arte, ut non arca ipsa sit, quæ videtur oculis; in arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit... Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. — Sic ergo, fratres charissimi, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia, hinc quæ fiunt per ipsam artem non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra. Cœlum vides; est in arte cœlum. Solem et lunam vides; sunt ut ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. »

III. **Boetius.** 1°) in lib. 3 de Consolat Philos., metr. 9, docet Deum esse pulcherrimum Exemplar mundi, quem ad perfectionem gubernat juxta æternam Providentiæ suæ legem. Hæc carmina jam retulimus supra n.° 199.

2°) In lib. 1. de Arithmet., cap. 2, docet, supremum Artificem omnia opificia sua fabricasse juxta æternos exemplaresque numeros in Mente sua prædeterminatos: « Omnia quæcumque a primæva rerum natura constructa sunt, numerorum videntur ratione formata. Hoc enim fuit principale in animo Conditoris Exemplar. »

Dicit de Arithmetica ibid., cap. 1: « Hæc enim cunctis prior est... quam ille hujus mundi Conditor Deus primam suæ habuit ratiocinationis exemplar, et ad hanc cuncta constituit, quæcumque fabricante ratione, per numeros assignati ordinis invenere concordiam. »

Boetius innititur hic verbis Sap. 11, v. 21: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti;* et Eccli. 1, v. 9: *Ipse creavit illam* (sapientiam) *in Spiritu sancto, et vidit et dinumeravit et mensus est.*

Argumentum III.

EX DOCTORIBUS CATHOLICIS.

262. — **I. S. Anselmus.** 1°) DE ÆTERNIS DIVINI ARTIFICIS IDEIS SIC LOQUITUR.

Dicit sanctus doctor in cap. 9. Monolog.: « Nullo pacto fieri potest aliquid rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione præcedat aliquid rei faciendæ quasi exemplum, sive ut aptius dicitur, forma, vel similitudo, aut regula. Patet itaque quoniam priusquam fierent universa, erat in Ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent. »

Ibidem, cap. 10: « Illa autem forma rerum, quæ in ejus *(Dei)* Ratione res creandas præcedebat, quid aliud est quam rerum quædam in

ipsa Ratione locutio; veluti cum faber facturus aliquod suæ artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione? Mentis autem sive rationalis locutionem hic intelligo, non cum voces rerum significativæ cogitantur, sed cum res ipsæ, vel futuræ, vel jam existentes, acie cogitationis in mente conspiciuntur. »

Cap. 12: « Sed cum pariter ratione docente, sit certum quia quidquid summa substantia fecit, non fecit per aliud quam per semetipsam; et quidquid fecit, per suam intimam locutionem fecit, sive singula singulis verbis, sive potius uno Verbo simul omnia dicendo, quid magis necessarium videri potest, quam hanc summæ Essentiæ locutionem non esse aliud quam summam Essentiam? Non igitur negligenter prætereundam hujus locutionis considerationem puto.»

Cap. 30: « Cur igitur dubitem quod supra dubium dimiseram, scilicet utrum hæc locutio in pluribus verbis an in uno Verbo consistat? Nam sic est summæ naturæ consubstantialis, ut non sint duo, sed unus spiritus, utique sicut illa summe simplex est, ita et ista. Non igitur constat pluribus verbis, sed est unum Verbum, per quod facta sunt omnia. »

Cap. 35: « Verum, cum constet quia Verbum ejus consubstantiale est illi et perfecte simile, necessario consequitur ut omnia quæ sunt in illo, eadem et eodem modo sint in Verbo ejus. Quidquid igitur factum est, sive vivat, sive non vivat, aut quomodocumque sit in se, in illo est ipsa vita et veritas. Quoniam autem idem est summo Spiritui scire quod intelligere, sive dicere, necesse est ut eodem modo sciat omnia quæ scit, quod ea dicit aut intelligit. Quemadmodum igitur omnia sunt in Verbo ejus vita et veritas, ita sunt in Scientia ejus. »

2°) Ostendit sanctus doctor quantum divinus Artifex ab humano artifice differat.

Legitur ibid., cap. 11: « Sed quamvis summam substantiam constet, prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam secundum eamdem et per eamdem suam intimam locutionem conderet, quemadmodum faber prius mente concipit, quod postea secundum mentis conceptionem, opere perficit; multam tamen in hac similitudine intueor dissimilitudinem. Illa namque nihil omnino aliunde assumpsit, unde vel eorum quæ factura erat, formam in seipsa compingeret, vel ea ipsa id quod sunt perficeret. Faber vero penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi aut quod totum simul, aut per partes ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit; nec opus mente conceptum perficere, si desit materia, aut aliquid sine quo opus præcogitatum fieri non possit. Quamquam enim homo tale aliquid animal possit vel cogitando, vel pingendo, quale nusquam sit confingere, nequaquam tamen hoc facere valet, nisi componendo in eo partes, quas ex rebus alias cognitis in memoriam attraxit. »

« Quare in hoc differunt ab invicem illæ in creatrice substantia, et in fabro suorum operum faciendorum intimæ locutiones, quod illæ nec assumpta, nec adjuta aliunde, sed prima et sola causa sufficere potuit suo artifici, ad suum opus perficiendum. Ista vero nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum incipiendum. Quapropter ea, quæ per illam creata sunt omnia, non sunt, quod non sunt per illam; quæ vero per istam fiunt, penitus non essent, nisi essent aliquid, quod non sunt per ipsam. »

263. — II. **Rupertus,** Comment. in Joann., lib. 1, sequenti modo interpretatur verba S. Joannis 1: *Quod factum est, in ipso vita erat.* « Sensus iste est. Quidquid factum est, antequam fieret, in ipsius erat præscientia, quæ videlicet præscientia non est aliud quam vita. Divinitati namque non est aliud vivere, aliud scire; nec est aliud in Deo vivens Sapientia, quam sapiens Vita. Aliter autem est in anima; nam vivit quidem substantialiter, sapit autem accidentaliter; Deus vero tam vivit quam sapit substantialiter; nihil enim accidentium in divinitate cadere potest. Igitur vita, id est vitalis omnium quæ facturus erat, jam in ipso erat a principio Scientia. Verum est, probabile est, necessarium est. »

« Nam unde hoc habet anima rationalis, ut cum fabrili vel architectonica quidpiam componendum est structura, prius totum illud apud se intus videat in arte, quam foris exhibeat in opere? Si enim arcam vel amplæ domus fabricam struere velit, ejus apud se prius versat imaginem; jamque mens et cogitatio talis est, qualis postmodum materialis situs operis visendus est. Recte ergo dicas, quia quod faciendum est, jam in mente artificis vita est. Unde, quæso, hoc habet anima rationalis, nisi quia creavit Deus hominem ad imaginem suam; *ad imaginem Dei creavit illum?* Imago autem Dei splendorque, ut ait Apostolus, et figura substantiæ ejus, est hoc Verbum, hic Filius de Deo Deus, figura videlicet per similitudinem dictus... »

« Si ergo tam pulchra sunt rationis lineamenta, in ea quæ formata est anima, quam clara, quam certa est ipsa Ratio divina, quæ non est formata, sed ipsa Forma? Si ideo vivaciter artis suæ compos est umbra, nonne multo magis in proposito vel opere suo, provida et constans est ipsa Veritas? Plane incomparabiliter constantius atque perfectius omnium quæ facienda erant, in hoc Verbo vivebat ordo vel natura. Nec solum noverat ab initio, quæ vel qualiter omnia conderet suoque statu singula disponeret, sed

etiam quænam perdita, qualiter gloriam suam recuperaret. Inde est quod suum certum servat omnis natura cursum, nihilque sit sub sole novum. (Eccle. 1). »

264. — III. **Hugo Victorinus.** 1°) Lib. 5 Alleg. in Nov. Test., cap. 2: Dicit Evangelista: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Id est Deus, a quo omnia, quod ab æterno prævidit, immutabiliter tempore complevit. Deus enim per Sapientiam, quæ Ipse est, omnia ab æterno disposuit, et disposita tempore complevit. Unde et a Sapientia Dei, omnia et vitam et esse habent. Unde et bene ibi vita esse dicuntur, quia inde vitam contrahunt. — Vel ibi vita fuit, quia juxta Sapientiam Dei, quæ vita omnium est, factum est omne quod factum est. Hoc enim Exemplar Dei fuit, ad cujus Exemplaris similitudinem totus mundus factus est, et hic est ille archetypus mundus, ad cujus similitudinem mundus iste sensibilis factus est. Neque enim dicendum est, quasdam rationes in Mente divina esse infra Creatorem et supra creaturas consistentes; nihil enim in Deo est, quod Deus non sit. Neque varietas proprietatum ibi potest esse, ubi nihil nisi Esse est; est enim Deo idem esse et vivere. Unde et simplex Essentia est carens partibus et proprietatibus.

2°) In lib. 1. de Sacram. christ. fid., pars 3, cap. 20, *De Verbo extrinseco et intrinseco.* « Sicut sapientia hominis non videtur, nisi ab ipso homine, donec exeat et manifestetur per verbum, ita sapientia Dei invisibilis fuit, donec manifestata est per opus suum. Et erat ipsa Sapientia Verbum; sed quasi Verbum intrinsecum et absconditum, quod omnino sciri non posset, nisi per verbum extrinsecum manifestaretur, quemadmodum cogitatio hominis quasi intrinsecum verbum illius est, quod latet et absconditum est, donec reveletur per prolationem oris; et est ipsa prolatio vocis verbum, similiter ut verbum est cogitatio cordis. Sed verbum quod manifestum est, prodit et revelat verbum quod occultum est. Sic et in Deo, Verbum intrinsecum et occultum et invisibile, verbum fuit cordis ejus; et Sapientia erat hoc Verbum et invisibile, donec manifestatum est per verbum extrinsecum, quod visibile factum est, quod erat opus ejus. Sicut per verbum oris manifestatum est verbum cordis, sic loquitur omnis natura ad Auctorem suum, et indicat quod factum est opificem intelligendi sensum habentibus. »

265. — IV. **Petrus Lombardus,** Comment. in Epist. ad Rom., cap. 11, v. 36: « Imago, si perfecte implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ, ubi jam est summa congruentia, et prima æqualitas, et prima similitudo, nulla in re dissidens, et nullo modo inæqualis, et nulla ex parte dissimilis; sed ad identidem respondet ei, cujus imago est; ubi est summa et prima vita, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed id quod est ei intelligere, hoc est vivere et hoc esse est. »

« Unum est hoc tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, et Ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium; et omnes unum in ea, sicut ipsa unum denuo, cum quo unum, ubi omnia novit Deus quæ fecit per ipsam; et ideo cum discedant et succedant tempora, non discedit vel succedit aliquid Scientiæ Dei. Non enim quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt. An non potius ideo facta sunt, quia immutabiliter a Deo sciuntur? »

266. — V. **B. Albertus Magnus** in Summa theol., tract. 13, q. 55, membr. 2, quærit: An Deus sit Causa rerum formalis extrinseca, seu exemplaris? Respondet affirmative, et sequentia suæ sententiæ enumerat argumenta, tam *ex auctoritate*, quam *ex ratione* desumpta.

1°) « *Dionysius*, de Div. Nomin., cap. 5, dicit sic: *Et principia sunt, et primum sunt, et postea principia sunt.* Principia ergo formabilia rerum primum sunt, et postea principium sunt. Sed si sunt primum, non possunt esse nisi in arte Mentis divinæ idealiter, quia illa est Causa prima rerum. Ergo exemplaria omnium rerum principium sunt in Mente divina. Et sic Mens divina, secundum quod Ars est, sive factivum Principium rerum cum ratione (sic enim Aristoteles diffinit artem in 6. Ethic.), est Causa formalis et exemplaris rerum. »

2°) « Super idem verbum Dionysii, *Maximus* in Commentario dicit sic: Causæ primordiales sunt principia, quas Græci *ideas* vocant, hoc est species vel formas æternas, et incommutabiles rationes, secundum quas, et in quibus visibilis mundus formatur et regitur. Ideoque a Græcorum sapientibus *Archetypa* appellari meruerunt, hoc est exempla principalia, quæ Pater in Filio fecit et per Spiritum sanctum in effectus suos dividit atque multiplicat. *Porismata* quoque vocantur, id est prædestinationes. In his enim quæcumque Providentia divina et fiunt et facta sunt, simul et semel et incommutabiliter prædestinata sunt. Nihil enim naturaliter visibile vel invisibile oritur, præter quod in eis, ante omnia tempora et loca, prædefinitum et ordinatum est. Ex hoc accipitur, quod ideæ omnium rerum in Mente divina sunt, et sunt principalia exempla omnium quæ in rebus oriuntur. »

3°) « Adhuc ibi MAXIMUS post pauca: Ideæ a philosophis *divinæ voluntates* appellari solent, et præcipue a Platone; quoniam quæcumque voluit Deus facere, in ipsis primordialiter et

causaliter fecit. Ex hoc arguitur ut prius, quod Deus et Mens divina primordialis et exemplaris Causa est rerum.»

4°) «Adhuc MAXIMUS ibidem: Has formas, sive ideas, Dionysius cæterique Sancti appellant: per seipsam bonitatem, per seipsam essentiam, per seipsam vitam, per seipsam virtutem, per seipsam sapientiam. Quæcumque enim bona sunt, participatione per se boni bona sunt; et quæcumque sunt, participatione per se essentiæ sunt; et quæcumque vivunt, participatione per se vitæ vivunt, et sic de aliis participationibus et participantibus. Nulla siquidem virtus, sive generalis sive specialis, in natura rerum invenitur, quæ a primordialibus causis inæstimabili participatione non procedat. Ex hoc accipitur idem quod prius.»

5°) «Adhuc Hebr. 11: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Ibi GLOSSA AUGUSTINI: Ex invisibilibus significatur invisibilis mundus qui erat in Dei Sapientia, ad cujus similitudinem factus est hic visibilis mundus; hoc est, dispositio qua disposuit omnia ista visibilia, ut fierent juxta invisibile Exemplar quod erat in Mente Dei. — Ex hoc iterum relinquitur, quod exemplaria rerum in Mente divina sunt; et sic Deus est Causa exemplaris rerum et formalis (*extrinseca*).»

6°) «Adhuc *idem per rationem arguitur:* Omnis enim artifex sapiens, apud se habet et formas et rationes operum; quas si non haberet, nec sciret opus suum, nec rationes operis dirigeret in opere, sed operaretur fortuna et casu. Dicit enim Aristoteles in libello de Fortuna et Eupraxia, quod fortuna est natura præter rationem et intellectum, impetum faciens. Cum ergo Deus sit artifex sapientissimus, omnium operum suorum formas et rationes habet apud seipsum; et sic est Causa formalis et exemplaris omnium suorum operum, sicut artifex artificiatorum.»

7°) «Adhuc hoc est, quod dicit AUGUSTINUS in lib. 1, Retract., cap. 3, sic: Mundum intelligibilem nuncupavit Plato ipsam Rationem sempiternam, qua fecit Deus mundum, quam qui esse negat, sequitur ut dicat Deum irrationabiliter fecisse quod fecit; aut cum faceret, aut antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat.»

8°) «Adhuc ARISTOTELES, in 2. Physicor. dicit quod *Polycletus causa statuæ est per accidens, statuarius autem causa statuæ per se.* Ex hoc accipitur, quod causa per se non est, nisi quæ præhabet causam formati. Deus autem Causa per se est omnis rei quam facit. Ergo causaliter præhabet et idealiter formas omnium eorum quæ facit. Quod autem præhabet formas causatorum, formalis et exemplaris est causa eorum. Deus ergo formalis et exemplaris est Causa omnium creatorum.»

9°) «Adhuc ARISTOTELES, loquens de causa universi, dicit quod in omnibus est actus ante potentiam, et ratione et substantia et tempore; ita quod, in talibus, est domus ex domo, homo ex homine, sanitas ex sanitate. Et hoc esse non potest, nisi artifex ipse idealiter et exemplariter sit actus omnium, ad quem formatur et efficitur omne quod est in actu, hoc vel illud. Artifex ergo exemplaris causa est omnium rerum.»

Denique concludit B. Albertus: «Dicendum quod ideæ sunt in Mente divina, secundum quod Ars est omnium creatorum. Sic enim præhabet et simpliciter habet species et rationes omnium creatorum, quæ, sicut dicit Augustinus, sunt idem quod ipsa Mens divina. Non enim cognoscit Deus, nisi seipso et uno et eodem, et non sicut intellectus creatus, qui medium cognitionis suæ speciem accipit a cognoscibili; sed seipso cognoscit, inquantum scilicet ipse species est et ratio omnis cognitionis, et omnium cognoscibilium. Rationes autem ad hoc inductæ, quod in Mente divina sunt exemplaria rerum, concedendæ sunt hoc modo, quo dictum est, quod scilicet sunt primordiales et fontales causæ creatorum.»

267. — VI. **S. Thomas.**

Sufficiat nunc referre sequentes locos in quibus tradit notionem ideæ, et probat necessitatem idearum in Mente divini Artificis.

A. NOTIO IDEÆ. Legitur in q. 3 de Verit., art. 1: «Sicut dicit Augustinus in lib. 83 Quæst., q. 46, *ideas* latine dicere possumus *species*, vel *formas*, ut verbum ex verbo transferre videamur. Forma autem alicujus rei potest dici tripliciter: Uno modo a qua formatur res, sicut a forma agentis procedit effectus formatio.... Alio modo dicitur forma alicujus, secundum quam aliquid formatur, sicut anima est forma hominis, et figura statuæ est forma cupri.... Tertio modo dicitur forma alicujus, illud ad quod aliquid formatur, et hæc est forma exemplaris, ad cujus similitudinem aliquid constituitur; et in hac significatione consuetum est nomen *ideæ* accipi, ut idem sit idea quod forma, quam aliquid imitatur.»

«Sed notandum quod aliquid potest imitari formam alicujus dupliciter: Uno modo ex intentione agentis, sicut pictura ad hoc fit a pictore, ut imitetur aliquem cujus figura depingitur; aliquando autem est prædicta imitatio per accidens, præter intentionem et a casu, sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicujus, de quo non intendunt.... Si ergo aliquid

fiat ad imitationem alterius, per agens quod non determinat sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris, vel ideæ; non enim dicimus, quod forma hominis generantis sit idea vel exemplar hominis generati: sed solum hoc dicimus, quando agens propter finem, determinat sibi finem, sive illa forma sit in agente, sive extra agentem; dicimus enim formam artis in artifice, esse exemplar artificiati; et similiter etiam formam, quæ est extra artificem, ad cujus imitationem artifex aliquid facit. Hæc ergo videtur esse ratio ideæ, quod idea sit forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem....»

« Quia forma exemplaris, vel idea, habet quodammodo rationem finis, et ab ea accipit artifex formam qua agit, si sit extra ipsum; non est autem conveniens ponere Deum agere propter finem alium a se, et accipere aliunde, unde sit sufficiens ad agendum; ideo non possumus ponere ideas esse extra Deum, sed in Mente divina tantum. »

B. Probantur divinæ ideæ.

Argumenta S. Thomæ desumuntur *ex ratione* et *ex auctoritate.*

1°) « Sicut dicitur in 2. Physicor., tres causæ incidunt in unam, scilicet efficiens, finalis et formalis. — Sed Deus est Causa efficiens et finalis rerum. — Ergo et est formalis exemplaris; non enim (Deus) potest esse forma, quæ sit pars rei. Ergo. »

2°) « Effectus particularis non producitur a causa universali, nisi causa universalis sit propria, vel appropriata. — Sed omnes particulares effectus sunt a Deo, qui est Causa universalis omnium. — Ergo oportet quod sint ab eodem, secundum quod est causa propria uniuscujusque, vel appropriata. Sed hoc non potest esse, nisi per rationes rerum proprias in ipso existentes. Ergo oportet in eo rationes rerum, id est ideas, existere. »

3°) « Nunc agens per intellectum, habet rationem sui operis apud se, nisi ignoret quid agat. — Sed Deus est agens per Intellectum, et non ignorans quid agit. — Ergo apud ipsum sunt rationes rerum, quæ ideæ dicuntur. »

4°) « Joan. 1. dicit: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Hoc est, quia ut Augustinus dicit. (Tract. 1. in Joan. a medio), omnes creaturæ sunt in Mente divina, sicut arca in mente artificis. — Sed arca in mente artificis est per suam similitudinem et ideam. — Ergo omnium rerum ideæ in Deo sunt. »

5°) « Speculum non ducit in cognitionem aliquorum, nisi eorum similitudines in eo resplendeant. — Sed Verbum increatum est speculum ducens in cognitionem omnium creaturarum, quia eo, Pater se et omnia alia dicit. — Ergo in eo sunt similitudines rerum omnium. »

6°) « Præterea Augustinus dicit in lib. 6. de Trinitate (cap. 10), quod Filius est Ars Patris, plena omnium rationum viventium. Sed rationes illæ nihil aliud sunt quam ideæ. Ergo. »

7°) « Augustinus dicit in lib. de Civit. Dei: *Qui negat ideas esse, infidelis est, quia negat Filium esse.* Ergo. »

8°) « Secundum Augustinum, duplex est modus cognoscendi res, scilicet per essentiam et per similitudinem. Sed Deus non cognoscit res per earum essentiam, quia sic cognoscuntur solum illa quæ sunt in cognoscente per sui essentiam. Ergo cum scientiam de rebus habeat, relinquitur quod sciat res per earum similitudinem; et sic idem quod prius. »

9°) « Augustinus dicit in lib. 1. Retract., cap. 3: *Piget me dixisse duos esse mundos, sensibilem et intelligibilem, non quin hoc verum sit, sed quia hoc dixi tanquam ex me, cum tamen a philosophis dictum sit, et quia modus iste loquendi non est consuetus in sacra Scriptura.* Sed mundus intelligibilis nihil aliud est, quam idea mundi. Ergo verum est ponere ideas. »

10°) « Boetius dicit in lib. 3. de Consolat. (metr. 9) loquens ad Deum:

Tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo pulchrum pulcherrimas Ipse
Mundum mente gerens.

» Ergo et mundi, et omnium quæ in mundo sunt, exemplum est in Deo; et sic idem quod prius. »

VII. **Alexander Alensis** in Summa theolog., q. 23, memb. 3, art. 4: « Idea idearum est Ars viva, secundum quam res omnes conditæ et condendæ, sunt in Intellectu divino; nempe ipsa Essentia et Scientia Dei, ex qua, per quam, et ad cujus exemplar omnes res æternum producuntur. »

Ibid., memb. 4, art. 3: « Quando itaque dicuntur omnia in Deo esse vita et lux, juxta illud Joan.: *Quodcumque factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux*, ratio est, quia, quoad ipsum Deum, omnia quæ in ipso sunt, habent esse indeficiens, et in ipsius cognitione ex omni parte manifesta perlucent. Nota tamen, quia aliud est dicere: Omnia in ipsis esse Essentiam divinam, et aliud in Deo omnia esse Essentiam divinam; illud *(nempe primum assertum)* hæreticum est. »

Ibid., q. 14, memb. 3, art. 4: « Unitas itaque divinæ Essentiæ non excludit neque pluralitatem, sive infinitatem idearum in Deo, quod scilicet in Dei Essentia, omnes rationes naturæ singulorum entium conditorum, vel condendorum, in una inconfusa unitate sint convolutæ. »

268. — VIII. **S. Bonaventura.**

1°) In Illuminationib. Ecclesiæ, Serm. 12, cui titulus est: *Quomodo Deus Exemplar est omnium rerum*, sequenti modo demonstrat, omnium rerum ideas existere in Mente Dei. « Supponendum est per fidem, quod *(Deus)* sit Conditor omnium rerum, gubernator actuum, doctor intellectuum, judex meritorum. Et ex hoc intelligitur quod sit Causa causarum, et Ars præstantissima originans, lux manifestissime declarans vel repræsentans, jus rectissime præmians et judicans. ».

Sic autem probat, Deum esse supremum omnium rerum Exemplar, inquantum est omnium Conditor et Ars.

Probatur a) *Ex ratione:* « Et primum ostenditur sic: Creatura egreditur a Creatore, sed non per naturam, quia alterius naturæ est; ergo per artem, cum non sit modus emanandi nobilis, quam per naturam, vel per artem, sive ex voluntate. Et Ars illa non est extra ipsum; ergo est agens per artem et voluntatem; ergo necesse est ut habeat rationes expressivas. Si enim dat formam huic rei, per quam distinguitur ab alia re, vel proprietatem per quam distinguitur, necesse est ut habeat formam idealem, imo formas ideales. Sic enim in plurali vocantur a Sanctis. »

Probatur b) *Ex Scriptura, seu fide:* « Loquitur Scriptura de Ipso *(Deo)*, ut est Exemplar, ut omnis creatura vivit in formis æternis. Unde Joannes: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Scivit autem per cognitionem et amorem; et qui hoc negat, negat prædestinationem æternam. Nam ab æterno novit Deus creaturam, et amat eam, quia præparavit eam gratiæ et gloriæ. »

2°) Ibidem ita loquitur de divina Arte: « Deus ergo est Exemplar æternum... Et super hoc fertur speculatio, ut sit Ars præstantissime repræsentans. Hæc autem Ars, et est una et multiplex... Est multiformis, et tamen summe una. Ad hoc notandum quod Causa prima est prima et immediata: Quia prima, ideo nihil habet ab alio, sed omnia ab ea, et est immediata, quia causa immediata nobilior est mediata. Quia ergo prima, ergo potentissima; item quia immediata, ideo est actualissima, quia causa immediata in actu est, et quia actus immediatior est quam potentia... Quia ergo illa Ars est causa, sequitur quod in illa Arte est repræsentatio causabilium causaliter. Quia rationes illæ causæ sunt, ideo sunt in causante; et hinc est, quod causæ sunt contingentium infallibiliter. Quod enim contingens est, infallibiliter repræsentatur, exprimit enim modum qui accidit infallibiliter in re, quia secundum quod in se et apud se est, exprimit. Vera enim est contingentia a parte rei, ita et infallibilitas ex parte Dei. Item mutabilium immutabiliter, materialium immaterialiter, quia illæ rationes non sunt materiales. Possibilium actualiter, partibilium impartite, quia non est major ratio montis quam milii, nec etiam in anima nostra. Accidentium substantialiter, quia illæ rationes sunt in Deo substantia, quæ Deus est. Corporalium spiritualiter, temporalium sempiterne, distantium indistanter, etiam in anima; dissonantium indissonanter, ut ratio albi et nigri; deficientium indeficienter, quia quidquid est ibi, vita vivit. »

269. — IX. **Scotus** cum cæteris doctoribus præcitatis consentit, inquantum agnoscit *existentiam idearum in Mente divini Artificis*, sed ab eis dissentit, inquantum aliter intelligit *quid sint ideæ*. — Juxta illum, ideæ non sunt *Dei Essentia* ab ipso cognita, ut imitabilis a rebus creatis, sed sunt *ipsæ res*, a Deo quidditative et objective cognitæ ut factibiles. Controversiam de natura divinarum idearum videbimus in Tomo III, Parte II; sufficiat nunc sequentia doctoris subtilis verba transcribere ex Quæstionib. reportatis in 1. dist. 36, q. 2, n.° 4: « Idea de qua loquitur *Augustinus*, est ratio æterna in Mente divina, secundum quam aliquid est formabile secundum propriam rationem sibi. Est enim *ratio*, quia Deus quidquid fecit, rationabiliter fecit; et *æterna*, quia nihil novum in Mente divina, quia nihil extra Deum est æternum; et *propria ratio;* cum cognoscat omnia quæ facit sub propria ratione. Isto modo idea dicit quidditatem cognitam, et non rationem cognoscendi solum. »

« Idem patet per *Philosophum* 7. Metaph.: *Omnia fiunt quodammodo ab unico, ut domus extra, a domo in anima; arca extra, ab arca in mente.* Unde artifex, per arcam in mente, facit arcam extra. Sic Deus, per quidditatem cognitam in mente, facit quidditatem extra. Sed quantum ad hoc est differentia, quod artifex accipit illam arcam in anima ab arca extra, nec sic Deus artem suam in anima a rebus extra. Unde si sola species arcæ esset, ex qua facit arcam extra, non fieret arca quodammodo ab unico. Ergo forma formale est ipsum in mente objective. »

« Item *Plato* male posuit ideas; et *Aristoteles* male tamen recitat. Unde *Augustinus* accipit dicta Platonis secundum meliorem intellectum, quem possint habere; et dicit quod Plato posuit ideas in Mente divina, et ponit consequenter ille, et manifestum est, quod Plato posuit ideam esse quidditatem cognitam. Ergo sic intelligit Augustinus ideas. »

270. — Plures alii auctores, quos citamus in Parte III, hujus Tomi I, divinarum idearum existentiam probant, earumque notionem docent. Sufficiet lectores ad illas citationes remittere:

Hugo Victorinus, n.° 684.
Joannes Gerson, n.° 874 et 875.
Dionysius Carthusianus, n.° 909 et 910.
Ludovicus Blosius, n.° 1089.
Suaresius, n.° 965 et seqq.
Contenson, n.° 993 et seqq.
Gonetus, n.° 1004 et seqq.
Thomassinus, n.° 939 et 940.
Bossuetus, n.° 946.
Fenelonius, n.° 955.
Leibnitius, n.° 961.
Balmesius, n.° 1043.
Liberatore, n.° 1071.
Mazzella, n.° 1074.
Van den Berg, n.° 1064.
Ludovicus Granatensis, n.° 1106.
Alvarez de Paz, n.° 1117.
Vondel, n.° 1029.

Argumentum IV.

Ex paganis philosophis.

271. — I. Plato. 1°) De mundo exemplari et invisibili loquitur in Timæo, T. 2 oper., p. 210 edit. Firm. Didot, vel 39 edit. Henr. Etienne. In his locis agitur de toto hoc mundo visibili, et producto a divino Artifice, ad exemplar mundi alicujus invisibilis, intelligibilis et sempiterni. Ipsum Platonem audiamus: « Considerandum de mundo primum... utrum sempiterne fuerit, originis initium habens nullum, an ortus sit, ducto alicunde initio. — Ortus est; cernitur enim, et tangitur, et corpus habet... Ortum vero necessario ex aliqua causa ortum esse diximus. Jam effectorem quidem, et patrem hujus universi, et invenire difficile est, et inventum indicare in vulgus nefas. — Rursus hoc quærendum est de mundo, ad quodnam exemplarium a fabricatore effectus est: utrum ad exemplar, quod eodem modo et similiter se habet, an ad ortum exemplar. Jam si pulcher est hic mundus, et artifex ejus bonus, haud dubie sempiternum exemplar intuebatur; sin vero, quod ne dictu quidem fas est, ortum aspiciebat. Non dubium igitur cuiquam, quin sempiternum intuebatur; nam alter pulcherrimus ortorum, alter optimus efficientium. Sic igitur, ortus mundus ad illius exemplar est factus, quod ratione et intelligentia comprehenditur, et eodem modo se habet. Quæ cum ita sint, omnino necesse est hunc mundum imaginem alicujus esse. »

2°) De singularum rerum ideis sermo est in Republica, lib. 10, T. 2 oper., p. 177 vel 595; ita disserit Plato: « Speciem (εἶδος) unam, ni fallor, singulatim ponere solemus circa quælibet multa, quibus idem nomen imponimus. An non intelligis? — Intelligo. — Ponemus igitur, et nunc, quodlibet ex multis. Velut, si vis, multi, opinor, lecti sunt atque mensæ. — Quidni? — Ideæ vero, ut opinor, circa hæc utensilia duæ sunt, una lecti et una mensæ. — Ita est. — Nonne item solemus dicere opificem utriusque utensilium ideam respicientem facere unum lectos, alterum mensas, quibus nos utimur, cæteraque similiter? Nam ideam quidem ipsam nullus, opinor, opifex facit. — Quo enim modo faceret? — Nullo. — Jam vide, quæso, et hunc quemnam esse dicas opificem? — Qualem? — Qui facit omnia quæcumque facit unusquisque eorum qui manibus operantur. — Excellentem quemdam narras virum atque mirabilem. — Nondum, sed statim magis dices. Nam idem hic Artifex non solum omnia potest utensilia facere, sed etiam quæcumque ex terra nascuntur facit, et animalia omnia fabricat, terram quoque, et cœlum, et deos, et quæcumque in cœlo sunt, et sub terris apud inferos, omnia fabricat. — Valde mirandæ peritiæ Artificem dicis. »

3°) Necessitatem alicujus prototypi specifici probat Plato in Parmenide, T. 1, cap. 6, p. 631 vel 132. Hanc autem eruit ex eo, quod secus similitudo rerum ad invicem, quam ubique aspicimus, in infinitum progrederetur.

272. — II. Cicero in Oratore n.° 2 « Statuo, nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum et mente complectimur. Itaque et Phidiæ simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec vero ille artifex, cum faceret Jovis formam, aut Minervæ, contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. »

« Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa cadunt; sic perfectæ eloquentiæ speciem animo videmus, effigiem auribus quærimus. Has rerum formas appellat *ideas* ille, non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato; easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia

contineri; cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu. Quidquid est igitur, de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum. »

273. — III. **Seneca.** 1°) In Epist. 65 ad Lucilium: « His *(quatuor causis ab Aristotele indicatis)* quintam Plato adjicit, exemplar, quam ipse ideam vocat. Hoc est enim ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit. Nihil enim ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod sibi ipse concepit, et posuit. »

« Hæc exemplaria rerum omnium, Deus intra se habet, numerosque universorum, quæ agenda sunt, et modos Mente complexus est. Plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt; ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet; et hominibus laborantibus, intereuntibus; illa nil patitur. »

2°) In Epist. 58, ad Lucilium: « Tertium genus *(entium)* est eorum, quæ proprie sunt; innumerabilia hæc sunt, sed extra nostrum posita conspectum. Quæ sunt? interrogas. Propria Platonis suppellex est; ideas *(seu formas rebus extrinsecas)* vocat, ex quibus omnia, quæcumque videmus, fiunt, et ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idea, id est quid Platoni esse videatur, audi. Idea est eorum, quæ natura fiunt, exemplar æternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere; exemplar picturæ te habeo, ex quo capit habitum aliquem mens, quem operi suo imponat. Ita illa, quæ me docet et instruit facies, a qua petitur imitatio, idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piscium, arborum, ad quæ, quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur. »

« Quartum locum habet εἶδος *(species seu forma rebus intrinseca)*. Quid sit hoc εἶδος attendas oportet; et Platoni imputes, non mihi hanc rerum difficultatem; nulla est autem sine difficultate subtilitas. Paulo ante pictoris imagine utebar; ille cum Virgilium reddere coloribus vellet, ipsum intuebatur. Idea erat Virgilii facies, futuri operis exemplar. Ex hac, quod artifex trahit, et operi suo imponit, εἶδος est. — Quid intersit? quæris. Alterum exemplar est, alterum forma ab exemplari sumpta et operi imposita; alterum artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem statua: hæc est εἶδος; habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex statuam figuravit: hæc idea est. — Etiamnum aliam desideras distinctionem? Εἶδος in opere est; idea, extra opus; nec tantum extra opus, sed ante opus. »

274. — IV. **Philo,** qui inter paganos philosophos citandus non esset, cum fuerit Judæus, in lib. de Mundi opificio, p. 3, edit. Turnebi: « Deus, cum pro sua deitate prævidit, exemplatum pulchrum non posse absque pulchro exemplari existere, nec quidquam sensibile reprehensionis expers fore, quod non archetypo ac intelligibili ideæ respondeat: postquam decrevit visibilem hunc mundum condere, prius formavit simulacrum ejus intelligibile, ut ad exemplar incorporei Deoque simillimi, corporeum huncce mundum recentiorem perficeret, antiquioris effigies, totidem complexorum sensibilia genera, quot in illo sunt intelligibilia. Mundum autem illum, qui ex ideis constat, loco ullo circumscribere dicendo vel cogitando nefas est. Sciemus tamen quomodo consistat, si consideraverimus aliquam rerum nostrarum similitudinem. Etenim quoties condenda est urbs, præsto est quispiam peritus architectonicæ artis..... qui impressis, velut in ceram, in suum animum rerum singularum imaginibus, effingit urbem intelligibilem *(idealem)*..... Quemadmodum igitur illa in architecto præsignata urbs, nullum locum extra habuit, sed tantum artificis animo impressa est, eodem modo ne ille quidem mundus ex ideis constans, alibi locum habere poterat, quam in Dei Verbo, quod adornavit hæc omnia. Quis enim alius possit esse locus virtutum Dei idoneus ad concipiendas, non dico omnes ideas, sed vel unam quampiam earum simplicissimam. »

275. — V. **Plotinus.** 1°) In Ennead. 3, lib. 8, cap. 10: « Divinus intellectus sane pulcher est, omniumque pulcherrimus, in lumine puro splendoreque simili constitutus, entiumque naturam in se comprehendens; cujus quidem noster hic mundus pulcher umbra est et imago; ille vero superior mundus *(idealis)* in omni claritate positus est, ubi nihil intellectu vacans, nihil tenebrosum, nihil immoderatum, sed in seipso beatam agit vitam. Quem si quis aspexerit, protinus obstupescet; præsertim si quatenus oportet, ille seipsum insinuet, jurisque illius evadat. Nempe qui cœlum diligentius suspicit, stellarumque splendorem impensius intuetur, protinus Auctorem mundi cogitat, atque perquirit: sic oportet et eum, qui mundum idealem contemplatur, cernit, admiratur, Effectorem ejus diligenter inquirere quisnam ille sit, qui talem mundum idealem genuit, vel ubi, vel quomodo talem genuit filium, Intellectum, puerum purum atque formosum, filium, inquam, a patre plenum. »

2°) In Ennead. 5, lib. 8, cap. 5: « Quæcumque vel arte vel natura fiunt, sapientia quædam facit, et ubique factorem dirigit. Si vero aliquis sapientiam facit, oportet ut arte hoc faciat. At artifex ipse rursus in naturalem sapientiam revocatur, secundum quam ars et quodlibet opus efficitur; secundum quam, inquam, non amplius ex speculationibus congregatam, sed totam unum quiddam; neque compositam ex multis in unum, sed ab uno potius in multa se resolventem. »

« Si quis igitur Sapientiam hanc primam esse posuerit, jam sufficiet; cum enim non sit ex alio, neque etiam erit in alio. Sin autem rationem *(seu sapientiam)* quidem in natura esse, ita ut hujus principium naturam esse dicat, interrogabimus undenam ipsa natura habeat rationem. Quod si habere dicatur ab alio, de alio rursus illo quæremus; sed si ex seipso habeat, jam ibi conquiescimus. »

« Proinde si in mentem ipsam confugiant, ibi rursus investigandum erit, numquid mens genuerit sapientiam. Quod si fateantur, quæremus undenam. Si autem ex seipsa conceperit, non potuit hoc fecisse, nisi mens ipsa sapientia sit. Vera igitur sapientia est essentia; ac vera vicissim essentia sapientia est, ipsaque essentiæ dignitas sapientia vindicatur. »

PROPOSITIO II.

DIVINÆ IDEÆ SUNT PLURES, ET SUNT SUPREMA RATIO TRINI ORDINIS UNIVERSI MUNDI.

§ I.

Divinæ ideæ sunt plures.

Probatur I. *Ex S. Thoma.*

Scilicet ex duobus locis præcipuis.

276. — Locus I. In q. 3. de Verit., art. 2, doctor angelicus 1°) probat plures esse divinas ideas; 2°) ostendit quomodo plures sunt ideæ divinæ.

1°) PLURES SUNT IN MENTE DIVINA IDEÆ.

Probatur sequentibus rationibus.

a) « Idem secundum idem, non est natum facere nisi idem. Sed Deus facit multa diversa. Ergo non secundum eamdem rationem, sed secundum plures causat res. Sed rationes, quibus res producuntur a Deo, sunt ideæ. Ergo. »

b) Augustinus dicit in lib. 83. Quæst. (q. 46 in med.): *Restat ut omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo qua equus; hoc est absurdum existimari.* Singula igitur propriis sunt creata rationibus; ergo sunt plures ideæ. »

c) « Augustinus dicit in Epist. ad Nebridium (Epist. 9, olim 115), quod sicut inconveniens est dicere, quod eadem sit ratio anguli et quadrati, ita inconveniens est dicere, quod eadem sit ratio in Deo hominis, et hujus hominis. Ergo plures rationes ideales sunt in Deo. »

d) « Hebr. 11, v. 3: *Fide credimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Invisibilia autem pluraliter appellat species ideales. Ergo sunt plures ».

e) « Ideæ a Sanctis significantur nomine artis et mundi, ut patet ex auctoritatibus inductis. Sed ars pluralitatem quamdam importat. Est enim collectio præceptorum ad unum finem tendentium; et similiter est mundus, cum importet collectionem omnium creaturarum. Ergo oportet ponere plures ideas. »

2°) DE MODO, QUO PLURES IDEÆ SUNT IN MENTE DIVINI ARTIFICIS.

« Modus autem pluralitatis sic accipi potest. Forma enim in intellectu potest esse dupliciter: Uno modo ita quod sit *principium actus intelligendi*, sicut forma quæ est intelligentis, inquantum est intelligens; et hæc est similitudo intellecti in ipso. Alio modo ita quod sit *terminus actus intelligendi*, sicut artifex intelligendo excogitat formam domus, et cum illa forma sit excogitata per actum intelligendi, et quasi per actum effecta, non potest esse principium actus intelligendi, ut sit *primum quo intelligatur;* sed magis se habet *ut intellectum, quo intelligens aliquid operatur.* Nihilominus tamen forma prædicta est *secundum quo intelligitur*, quia per formam excogitatam artifex intelligit quid operandum sit; sicut in intellectu speculativo videmus quod species, qua intellectus informatur ut intelligat actu, est *primum quo intelligitur.* Ex hoc autem quod est effectus in actu, per talem formam operari jam potest, formando quidditates rerum, et componendo et dividendo; unde ipsa quidditas formata in intellectu, vel etiam compositio et divisio, est quoddam operatum ipsius; per quod tamen intellectus venit in cognitionem rei exterioris, et sic est quasi *secundum quo intelligitur.* »

« Si autem intellectus artificis aliquod artificiatum produceret ad similitudinem sui ipsius, tunc quidem ipse intellectus artificis esset idea, non quidem ut est intellectus, sed inquantum intellectum. In his autem quæ ad imitationem alterius producuntur, quandoque id quod alterum imitatur, *perfecte imitatur ipsum;* et tunc intellectus operantis præconcipiens formam operati, habet ut ideam ipsam formam rei imitatæ, prout est illius rei imitatæ. Quandoque vero

quod est ad imitationem alterius, *non perfecte imitatur illud;* et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatæ absolute ut ideam vel exemplar rei operandæ, sed cum proportione determinata, secundum quam exemplatum a principali exemplari deficeret, vel imitaretur. »

« Dico ergo, quod Deus per intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem Essentiæ suæ producit; unde Essentia sua est Idea rerum, non quidem ut Essentia, sed ut est intellecta. Res autem creatæ *non perfecte imitantur divinam Essentiam;* unde Essentia non accipitur absolute ab Intellectu divino ut Idea rerum, sed cum proportione creaturæ fiendæ ad ipsam divinam Essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam. Diversæ autem res diversimode eam imitantur, et unaquæque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera; et ideo ipsa divina Essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est Idea uniuscujusque rei. Unde cum sint diversæ rerum proportiones, necesse est esse plures ideas; et est quidem una omnium ex parte Essentiæ, sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam. »

Ibidem, ad 6[m]): « Una prima Forma, ad quam omnia reducuntur, est ipsa Essentia divina secundum se considerata, ex cujus consideratione divinus Intellectus adinvenit, ut ita dicam, diversos modos imitationis ipsius, in quibus pluralitas idearum consistit. »

277. — Locus II. In 1 q. 15, art. 2, quærit S. Thomas: *Utrum sint plures ideæ.* Et sic procedit.

A. « **Videtur quod non sint plures ideæ.** »

1°) « Idea enim in Deo est ejus Essentia. Sed Essentia Dei est una tantum. Ergo et idea est una. »

2°) « Præterea, sicut idea est principium cognoscendi et operandi, ita ars et sapientia. Sed in Deo non sunt plures artes et sapientiæ. Ergo nec plures ideæ. »

3°) « Si dicatur quod ideæ multiplicantur secundum respectus ad diversas creaturas, contra: Pluralitas idearum est ab æterno; si ergo ideæ sunt plures, creaturæ autem temporales; ergo temporale erit causa æterni. »

4°) « Præterea, respectus isti, aut sunt secundum rem in creaturis tantum, aut etiam in Deo. Si in creaturis tantum, cum creaturæ non sint ab æterno, pluralitas idearum non erit ab æterno, si multiplicentur solum, secundum hujusmodi respectus. Si autem realiter sunt in Deo, sequitur quod alia pluralitas realis sit in Deo, quam pluralitas personarum, quod est contra Damascenum dicentem, quod in divinis, omnia unum sunt, præter ingenerationem (*Patris*) generationem et processionem. Sic igitur non sunt plures ideæ. »

B. « **Sed contra est** quod dicit Augustinus in lib. 83 Quæst., 9, 46: Ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quia ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ divina Intelligentia continentur. Sed cum ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. »

« *Respondeo dicendum* quod necesse est ponere plures ideas. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod in quolibet effectu, illud quod est ultimus finis, proprie est intentum a principali agente, sicut ordo exercitus a duce. Illud autem, quod est optimum in rebus existens, est bonum ordinis universi, ut patet per Philosophum in 12. Metaphys., text. 52. Ordo igitur universi est proprie a Deo intentus, et non per accidens proveniens secundum successionem agentium; sicut quidam dixerunt, quod Deus creavit primum creatum tantum; quod creatum creavit secundum creatum, et sic inde, quousque producta est tanta rerum multitudo; secundum quam opinionem Deus non haberet nisi ideam primi creati. Sed si ipse ordo universi est per se creatus ab eo, et intentus ab ipso, necesse est quod habeat ideam ordinis universi. Ratio autem alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur propriæ rationes eorum ex quibus totum constituitur, sicut ædificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cujuslibet partium ejus. Sic igitur oportet quod in Mente divina sint propriæ rationes omnium rerum. Unde dicit Augustinus in lib. 83 Quæst., quod singula propriis rationibus a Deo creata sunt; unde sequitur quod in Mente divina sunt plures ideæ. »

« Hoc autem quomodo divinæ simplicitati non repugnet, facile est videre, si quis consideret ideam operati esse in mente operantis sicut *quod* intelligitur, non autem sicut species *qua* intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum in materia format. Non est autem contra simplicitatem divini intellectus, quod *multa* intelligat; sed contra simplicitatem ejus esset, si *per plures species* intellectus ejus formaretur. Unde plures ideæ sunt in Mente divina ut intellectæ ab ipso. Quod hoc modo potest videri: Ipse enim Essentiam

suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci, non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis, secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat divinæ Essentiæ similitudinem. Sic igitur inquantum Deus cognoscit suam Essentiam, ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ; et similiter de aliis. Et sic patet, quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quæ sunt plures ideæ. »

C. « **Ad 1^{m}) ergo dicendum,** quod idea non nominat divinam Essentiam inquantum est essentia, sed inquantum est similitudo, vel ratio hujus vel illius rei. Unde secundum quod sunt plures rationes intellectæ ex una Essentia, secundum hoc dicuntur plures ideæ. »

« Ad 2^{m}) dicendum, quod Sapientia et Ars significantur, ut *quo* Deus intelligit. Deus autem uno Intellectu intelligit multa, et non solum secundum quod in seipsis sunt, sed etiam secundum quod intellecta sunt; quod est intelligere plures rationes rerum. Sicut artifex, dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum; dum autem intelligit formam domus, ut a se speculatam, ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam vel rationem domus. Deus autem non solum intelligit multas res per Essentiam suam, sed etiam intelligit se intelligere multa per Essentiam suam. Sed hoc est intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas esse in Intellectu ejus ut intellectas. »

« Ad 3^{m}) dicendum, quod hujusmodi respectus, quibus multiplicantur ideæ, non causantur a rebus, sed ab Intellectu divino comparante Essentiam suam ad res. »

« Ad 4^{m}) dicendum, quod respectus multiplicantes ideas, non sunt in rebus creatis, sed in Deo. Non tamen sunt reales respectus sicut illi quibus distinguuntur personæ, sed respectus intellecti a Deo. »

Probatur II. *Ex S. Bonaventura.*

278. — In Compendio theologicæ veritatis, doctor seraphicus eodem modo pluralitatem idearum probat et explicat, quo S. Thomas. Hoc opus a quibusdam ut suppositititium habetur, sed doctrina ejus, divisio septenaria, methodus et stylus S. Bonaventuram clare denotant. Romanos auditores audiamus: « Divisus est iste tractatus juxta divisionem Breviloquii in septem libros, et doctrina ejus conformis est valde doctrinæ S. Bonaventuræ, tum in *Breviloquio* et *Centiloquio*, tum etiam in libris *Sententiarum*, imo sæpius verba sunt eadem. »

In lib. 1, cap. 25, legitur: « Deus omnium rerum est *principium*, a quo sunt; *forma et exemplar*, ad cujus imitationem sunt, et *finis* ad quem sunt. Exemplar unum est, quia exemplar connotat causalitatem; causata vero in causa sunt unum; sed rationes et ideæ sunt plures, quia istæ respectu rerum dicuntur. Sunt itaque plures ideæ, quæ connotant cognitionem; cognoscibilia enim distinguuntur in cognoscente. Similiter et rationes in Deo plures sunt, quia singula causata sunt suis rationibus. Absurdum enim est dicere, ut ait Augustinus in lib. 83 Quæst., equum creatum esse ea ratione qua hominem. »

« Sciendum autem est quod duplex est pluralitas: una quidem est rerum, et secundum hoc non sunt plures ideæ, sive exemplaria in Deo, quia una Res est, quæ omnium est Exemplar, scilicet Essentia divina, quam omnia imitantur, inquantum bona sunt; alia vero est secundum intelligentiæ rationem, et secundum hoc plures ideæ in Deo sunt, quia omnes res, inquantum sunt, divinam imitantur Essentiam, prout est imitabilis, non tantum uno modo, sed diversimode et secundum diversos gradus. Sic igitur divina Essentia, secundum quod est imitabilis hoc modo ab hac creatura, est propria ratio hujus creaturæ; et similiter de aliis. »

« Unde secundum hoc, plures ideæ in Deo sunt, quia intelligitur divina Essentia secundum diversos respectus, quos res habent ad ipsam, eam imitantes diversimode. Hujusmodi autem non solum intelliguntur ab intellectu creato, sed etiam ab increato ipsius Dei. Sic enim Deus et ab æterno scivit, quod diversæ creaturæ diversimode ipsius Essentiam essent imitaturæ; et secundum hoc, ab æterno fuerunt in Mente divina plures ideæ, secundum quod intelliguntur sicut rationes propriæ rerum, intellectæ in Deo. Hoc enim importat nomen ideæ, ut sit scilicet quædam forma intellecta ab agente, ad cujus exemplum exterius opus producere intendit. »

« Dicendum est ergo, quod licet rationes in Deo et ideæ, sint una veritas, una lux et una Essentia, dicuntur tamen plures rationes et ideæ, propter pluralitatem ideatorum; cujus exemplum habemus in naturis. Videmus enim quod omnes lineæ circuli uniuntur in centro; remotæ autem a centro, differunt ab invicem. Item ideæ sunt, ut dicit Augustinus, *formæ principales rerum, quæ divina Intelligentia continentur.* Dicendum est igitur quod, sicut in mente artificis, prius est forma rei, quam opus exeat, sic ideæ rerum ante mundi constitutionem in Mente crea-

toris erant. Non enim aliquid extra se aspiciebat, secundum quod mundum faceret.»

Probatur III. *Ex Suaresio.*

279. — In tract. de Deo uno, lib. 3, cap. 5, n.° 14-18, sic loquitur inclytus doctor *de pluralitate idearum in Deo:* « Res videtur clara, licet auctores etiam dissentiant in loquendi modo. Certum ergo est, in re non esse plures ideas actu distinctas, quia in Deo non habet locum talis distinctio in absolutis... Idea vero, licet concipiatur a nobis cum respectu rationis ad objectum creatum, in se concipitur ut forma absoluta, sicut revera est. Non sunt ergo in Deo plures ideæ in se distinctæ actu, aliquo modo. Sed sicut Deus unico conceptu omnia intelligit, ita unam habet realem ideam suæ insitæ arti adæquatam. Nihilominus vero certum est, posse a nobis ratione distingui ideas per ordinem ad diversa objecta, sicut revera illas distinguimus, et hoc modo dicuntur esse in Deo plures ideæ. Quæ, ut sunt *rationes rerum possibilium*, infinitæ sunt, vel distingui possunt in infinitum; ut vero sunt *exemplaria rerum faciendarum*, tot sunt, quot sunt vel erunt res singulares habentes in Deo proprias ideas.— Atque hæc est doctrina communis theologorum, D. Thomæ, 1. q. 15, art. 2; Alensis, 1 pars, q. 23, memb. 4; Bonaventuræ, Hervæi et Alberti in 1. dist. 35; et item habet Scotus, dist. 36, q. 1; et ibi Durandus q. 4; Richardus, art. 2, q. 3; Capreolus, q. 1, art. 1, et cæteri omnes. »

« Cum ergo hæc certa sint, solum de nomine est quæstio, an dicendæ sint simpliciter plures ideæ, vel una. In quo jam usus obtinuit, ut plures simpliciter dicantur, nam ita loquitur Augustinus, q. 46 in lib. 83 Quæst.; et sumitur ex Dionysio, cap. 1 et 5 de Div. Nomin., et docent D. Thomas et fere alii theologi, uno vel alio excepto; ad modum autem loquendi sufficit communis usus. Nam ex eodem etiam habetur, per illam numerationem vel pluralitatem non significari pluralitatem rerum vel rationum objectivarum, quæ correspondet nostris conceptibus inadæquatis, quos de illa idea divina formamus.»

§ II.

Divinæ ideæ sunt suprema Ratio trini ordinis universi mundi.

Probatur I. *Ex S. Scriptura, S. Augustino et S. Thoma.*

280. — I. **Probatur ex Sap. 11, v. 21:** *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti...* Quæ verba sic interpretatur Cornelius a Lapide: « Loquitur proprie de pœnis Ægyptiis a Deo inflictis earumque congrua moderatione... Verum hæc sententia generalis, non solum in pœnis et præmiis, sed in omni omnino re locum habet, ac verissime est; at *quo modo*, et *quo sensu?* »

1°) « S. Augustinus, lib. 4 de Gen. ad litt. Cap. 3, 4 et 5, hæc tria applicat ipsi Deo, per eaque accipit ideas divinas, juxta quas omnia juste apteque fecit et disposuit. Deus enim est prima et increata Mensura omnia mensurans, et Numerus omnia numerans, et Pondus omnia ponderans; unde ab eo omnes creaturæ suam mensuram, numerum et pondus mutuantur et hauriunt. Hæc enim est cujuscumque rei mensura, numerus et pondus, quæ ideæ suæ in Mente Dei respondet, quamque illi Deus sua Sapientia et Providentia admetiri decrevit. Audi S. Augustinum, Dialogo quæst. ad Orosium, q. 39: *Numerus, et mensura, et pondus, ipse Deus est; ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus; ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura; ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus. Omnia ergo in numero et mensura et pondere disposuit, tanquam si diceret: Omnia in se disposuit.* »

« .....Idem S. Augustinus, lib. 4 de Gen. ad litt., cap. 3: *Mensura*, ait, *omni rei modum præfigit, et numerus omni rei speciem præbet, et pondus omnem rem ad quietem et stabilitatem trahit.* Igitur Deus disposuit omnia in mensura, numero et pondere, id est in modo, specie et ordine. Idem S. Augustinus, lib. de Natura boni, cap. 3: *Hæc tria*, ait, *modus, species et ordo, tanquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis; et ita hæc tria ubi magna sunt, magna bona sunt; ubi parva, parva bona sunt; ubi nulla, nullum bonum est.* »

2°) « S. Augustinum sequitur S. Thomas 1 q. 5, art. 5, ubi docet omnem rem, sive omne bonum habere mensuram, quæ cuilibet rei certum modum ex determinatione suorum principiorum sive causarum, tam efficientium quam materialium, præscribit et præstat; habere numerum, qui cuique rei suam formam et speciem præbeat; habere pondus, id est inclinationem ad suos actus suumque finem, ac proinde hoc pondus rem ipsam ad suam quietem et stabilitatem trahere. — Idem, q. 45, art. 7: *Mensura*, ait, *refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, et pondus ad ordinem*, indeque evincit in qualibet re esse vestigium, sive repræsentationem SS. Trinitatis. Nam *secundum quod res est quædam substantia creata*, inquit, *repræsentat Causam et Principium, et sic demonstrat personam Patris, qui est Principium, non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam et speciem, repræsentat Verbum, secundum quod forma ar-*

tificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repræsentat Spiritum sanctum, in quantum est Amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex Voluntate creantis. »

II. **Citantur alii loci S. Augustini:** In prædicto lib. 4 de Gen. ad litt., caput 3, inscribitur: *De eo quod scriptum est Sap. 11, v. 21: Omnia in mensura, etc.* Ibi legitur: « Veniat illud in mentem, quod alio loco Scripturarum ei dicitur: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti;* atque ita cogitet anima, quæ potest, invocato in auxilium Deo, et impertiente atque inspirante vires, utrum hæc tria mensura, numerus, pondus erant alicubi antequam crearetur universa creatura, an etiam ipsa creata sunt, et si erant antea, ubi erant. Neque enim ante creaturam erat aliquid nisi Creator. In ipso ergo erant. — Sed quomodo? nam et ista, quæ creata sunt, in ipso esse legimus (Rom. 11, v. 36). An illa sicut ipse, ista vero sicut in illo a quo reguntur et gubernantur? Et quomodo illa ipse? Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut ista omnia. An secundum id quod novimus, mensuram in eis quæ metimur, et numerum in eis quæ numeramus, et pondus in eis quæ appendimus? Non est Deus ista. — Secundum id vero quod mensura omni rei modum præfigit, et numerus omni rei speciem præbet, et pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus et veraciter et singulariter ista est, qui terminat omnia, et format omnia, et ordinat omnia; nihilque aliud dictum intelligitur, quomodo per cor et linguam humanam potuit: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti,* nisi: *Omnia in te disposuisti.* Magnum est paucisque concessum, excedere omnia quæ metiri possunt, ut videatur mensura sine mensura; excedere omnia quæ numerari possunt, ut videatur numerus sine numero; excedere omnia quæ appendi possunt, ut videatur pondus sine pondere. »

Caput 4 inscribitur: *In Deo esse mensuram sine mensura, numerum sine numero, et pondus sine pondere.* Ibi inter alia dicit sanctus doctor: « Mensura sine mensura est, cui æquatur quod de illa est, nec aliunde ipsa est; numerus sine numero est, quo formantur omnia, nec formatur ipse; pondus sine pondere est, quo referuntur ut quiescant, quorum purum gaudium est, nec illud jam refertur ad aliud... »

« Jam vero, si quisquam dicit creatam esse mensuram et numerum et pondus, in quibus Deum omnia disposuisse testatur, si in illis omnia disposuit, eadem ipsa ubi disposuit? Si in aliis, quomodo ergo in ipsis omnia, quando ipsa in aliis? Non itaque dubitandum est illa esse extra ea quæ disposita sunt, in quibus omnia disposita sunt. »

Caput 5 inscribitur: *In Deo ipso exstat ratio mensuræ, numeri et ponderis, ad quam disposita sunt omnia.* Concluditur sequentibus verbis: « Faciamus *(aliàs fateamur)* ergo ita dictum esse: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti,* tanquam dictum esset, ita disposita, ut haberent proprias mensuras suas, et proprios numeros, et proprium pondus, quæ in eis, pro sui cujusque generis mutabilitate, mutarentur augmentis et diminutionibus, multitudine et paucitate, levitate et gravitate, secundum dispositionem Dei. Numquid sicut ista mutantur, ita ipsum Dei Consilium, in quo ea disposuit, mutabile dicimus? Averterit ipse tantam dementiam. »

Probatur II. *Ex præcedentibus.*

281. — I. Divinæ ideæ sunt ipsa Dei Essentia, inquantum ab ipso cognoscitur ut diversimode imitabilis, sicut docet S. Thomas in 1. q. 15, art. 2. — Atqui, divina Essentia non tantum est *una in se,* sed etiam *trina personis,* quemadmodum superius probatum est, n.° 229, etc. — Ergo cognoscitur a Deo ut imitabilis, et libera ipsius Voluntate imitanda, etiam in quantum est trina personis, nam, sicut dicit S. Thomas in 1. q. 93, art. 5, corp.: « Manifestum est, quod distinctio divinarum personarum est secundum quod divinæ naturæ convenit... Et in ipso Deo in tribus personis, una existit natura. »

Verumtamen, cum imitabilitas pertineat ad operationem ad extra, seu ad causalitatem, Deus se ut trinum imitabilem et imitandum cognoscit, non secundum *mutuas personarum relationes,* quæ pertinent ad operationem ad intra, sed secundum *rationem processionum includentium divinum Intellectum et Voluntatem,* quæ sunt Causa omnium rerum, seu secundum trinum personarum Ordinem, qui ex processionibus sequitur. — Ergo divinæ ideæ sunt trinus ille ordo a Deo cognitus ut imitabilis atque imitandus, et sic omnium rerum ordinatio trina est in Mente divina.

II. Dei imitabilitas et ideæ pertinent ad divinam causalitatem, scilicet ad primam Causam exemplarem, sicut modo dictum est. — Atqui, causalitas et Consilium de rebus creandis *communia sunt toti Trinitati,* sicut supra demonstratum est n.° 253, etc., et patet ex verbis Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* — Ergo tota Trinitas est omnium rerum creandarum et creatarum Exemplar, secundum modum suæ operationis ad extra seu causalitatis, scilicet secundum ordinem divini Intellectus et Voluntatis, quæ in personarum processionibus includuntur. Ergo se-

cundum hunc ordinem, imitatio sui ipsius ab unitrino Artifice intenditur.

III. Juxta doctrinam S. Thomæ 1. q. 15, art. 2, superius relatam, *id quod primo ac proprie a divino Artifice intenditur est ordo mundi universi.* — Atqui, omnis ordo completus continet necessario principium, medium et finem, ac proinde trinus est, sicut ostensum est n.° 35 et 36. — Igitur ordo universus ac completus a Deo intentus, necessario trinus est, inquantum supremus Artifex trinum et æqualem divinarum personarum Ordinem intendit imitari inæqualiter et diversimode in toto suo opificio, sicut explicabimus n.° 319. Unde ab æterno existit trina et inæqualis omnium rerum præordinatio seu prædispositio in Mente Dei.

Probatur III. *Ex toto Dei opificio.*

282. — I. In ordine exsecutionis divinorum operum, ternarius numerus ubique invenitur, tam in mundo universo quam in singulis ejus partibus, sicut de facto patet, atque ostendetur in Tomo II, ubi evolvemus trinum mundi ordinem. — Atqui, *ordo exsecutionis necessario correspondet ordini intentionis,* seu divinis ideis. — Ergo et in ordine intentionis invenitur ternarius, seu divinæ ideæ tripliciter ordinantur.

II. In toto Dei opificio, et in singulis ejus partibus, tria inveniuntur, quæ analogice referuntur ad Dei Essentiam, Intellectum et Voluntatem, seu quæ divinum Ordinem imitantur secundum rationem processionum, sed non secundum mutuas personarum relationes. — Atqui, *divinum opificium est exsecutio divinæ intentionis,* seu divinarum idearum. — Ergo supremus Artifex unitrinus imitationem suam ab æterno in suis ideis intendit, non secundum mutuas relationes, sed secundum processiones divinarum personarum.

CAPUT II.

PROBATUR LEX DEI ÆTERNA.

283. — Prænotanda *de notione Legis æternæ.*

I. Juxta S. Thomam 1. 2. q. 93, art. 1, æterna Lex est summa Dei Ratio, inquantum operationem omnium creaturarum suarum dirigit ad finem a seipso intentum, scilicet ad suipsius imitationem. Sic loquitur ipse doctor angelicus: « Sicut in quolibet *artifice* præexistit ratio eorum quæ constituuntur per artem, ita etiam in quolibet *gubernante,* oportet quod præexistat ratio ordinis eorum quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subduntur; et sicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur *ars* vel *exemplar* rerum artificiatarum, ita etiam ratio gubernantis actus subditorum rationem *legis* obtinet, servatis aliis quæ supra (1. 2. q. 90) esse diximus de legis ratione. — Deus autem per suam Sapientiam *Conditor* est universarum rerum, ad quas comparatur sicut artifex ad artificiata, ut in primo (1. q. 14, art. 8) habitum est; est etiam *gubernator* omnium actuum et motionum, quæ inveniuntur in singulis creaturis, ut etiam in primo (1. q. 103, art. 5.) habitum est. »

« Unde sicut ratio divinæ Sapientiæ, inquantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet *artis,* vel *exemplaris,* vel *ideæ,* ita ratio divinæ Sapientiæ moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem *legis;* et secundum hoc, Lex æterna nihil aliud est, quam ratio divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum. » Uno verbo *divina Idea* est exemplar rerum creandarum seu constituendarum, quoad esse; dum *Lex æterna* est ordo rerum gubernandarum, quoad operationem.

II. Ibidem, q. 91, art. 1, corp., *Lex æterna* a S. Thoma definitur: « Ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in Principe universitatis, existens. » Et in q. 93, art. 5, ad 3^{m}, dicitur: « ratio divinæ Providentiæ. » *Providentia* autem definitur in 1 q. 22, art. 1, corp.: « Ratio ordinis rerum in finem. »

In 1 q. 22, art. 2, ad 2^{m}, dicitur: « Ad curam duo pertinent, scilicet ratio ordinis, quæ dicitur *providentia,* et dispositio *(in ipsis rebus)* ac exsecutio ordinis, quæ dicitur *gubernatio;* quorum primum est æternum, secundum temporale. »

Denique ibid., in corp., dicitur de *dispositione* spectata non in rebus dispositis, sed in mente disponentis: « Dispositio potest dici tam ratio ordinis rerum in finem, quam ratio ordinis partium in toto. »

III. Ex his definitionibus patet quod *Lex æterna, Providentia, dispositio* æque a doctore angelico definiantur: « Ratio ordinis rerum in finem. » Verumtamen conceptus *Legis* notioni *Providentiæ* addit vim obligandi creaturas, sive omnibus necessitatem inferat in ordine physico, sive creaturis intellectualibus moralem insuper obligationem inducat.

IV. Probabimus in duobus propositionibus 1°) existere in Mente divina Legem æternam, juxta quam omnes creaturæ gubernantur; 2°) omnem legem ab æterna Lege derivari.

PROPOSITIO I.

IN DIVINA MENTE EXISTIT LEX ÆTERNA, JUXTA QUAM OMNES CREATURÆ GUBERNANTUR.

De fide est, Deum omnibus creaturis suis providere, illasque gubernare. Concilium enim Vaticanum in Constit. dogm. de Fide cathol., cap. 1, definivit: « Universa vero quæ condidit, Deus Providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. » Providentia autem in divina Mente convenit in genere cum divina Lege, sicut præmonuimus; unde utramque communibus argumentis probabimus.

Argumentum I.

Ex Scriptura.

284. — I. **De Sapientia divina dicitur** in Sap. 8, v. 1: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Ad hæc S. Bernardus in lib. de Grat. et lib. arb.: « Sapientia *attingit a fine ad finem*, hoc est ab ortu creaturæ ad finem, quem ei destinavit ipse, sive in quem urget natura, vel accelerat gratia, vel concedit causa. » — Addit Cornelius a Lapide; « Attingit a principio operis sui et cujusque rei, usque ad finem, scilicet nihil inchoatum a se relinquit imperfectum, sed quæcumque inchoat perficit, et constanter ad finem a se intentum perducit. Duo enim sunt extrema operis, scilicet principium et finis. »

Potest quoque sensus esse: Attingit infallibiliter a fine in æternitate intento, usque ad finem opificii obtentum in tempore, et sic omne opificium suum perficit. Atque, ut a fine intento ad finem obtentum perveniat, omnia media per suam providentiam *disponit suaviter*, omnes creaturas movendo secundum ipsarum naturam, et sine violentia aut coactione, sive in ordine physico, sive in ordine morali, sicut docet S. Dionysius in cap. 4 de div. Nomin: « Non est Providentiæ divinæ violare naturam, sed ea est naturæ cujusque conservatrix; eis quæ per se moventur et libero aguntur arbitrio convenienter providens, omnibusque et singulis proprie, ut omnium singularumque natura capit, pro modo cujusque providentissimam Bonitatem impertiens. »

Confirmatur ex Sap. 12, v. 18: *Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos.*

II. **Providentia divina in ordine physico** luculenter exprimitur in Prov. 8, v. 29 et 30, ubi æterna Sapientia sic de seipsa loquitur: *Quando circumdabat mari terminos suos et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos,... cum eo eram cuncta componens.* — Item in Psal. 118, v. 91: *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.*

In Job 28, v. 26 et 27: *Quando ponebat pluviis legem et viam procellis sonantibus, tunc vidit illam* (Sapientiam) *et enarravit et præparavit, et investigavit.*

III. **Lex æterna,** seu Providentia, qua Deus homines gubernat in ordine morali, specialiter in textibus sequentibus probatur.

Prov. 16, v. 9: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.*

Eccli. 1, v. 5: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna.*

In Psalm. 118 divina Lex passim nuncupatur Dei testimonia, judicia, justitia, verbum, quæ asseruntur esse æterna. Sic v. 152: *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.*

V. 16: *Principium verborum tuorum veritas; in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.*

V. 142: *Justitia tua, justitia in æternum, et Lex tua veritas.*

V. 89: *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.*

V. 144: *Æquitas testimonia tua in æternum; intellectum da mihi et vivam.*

In Baruch 4, v. 1: *Hic liber mandatorum Dei, et Lex quæ est in æternum.*

Argumentum II.

Ex Patribus.

285. — Omnes fere Patres de divina Providentia disseruerunt. Sufficiat citare S. Augustinum, Boetium et S. Joannem Damascenum, qui de Lege æterna expressius locuti sunt.

I. **S. Augustinus.** 1°) Æternam Dei legem sic definit in lib. 22 cont. Faust., cap. 27: « Lex æterna est Ratio divina vel Voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. » — In lib. 1 de Liber. Arbit. cap. 6: « Ut igitur breviter æternæ Legis notionem, quæ impressa nobis est, quantum valeo verbis explicem, ea est, qua justum est ut omnia sint ordinatissima. » — In lib. 2. Quæst. in Heptateuch., n.° 67: « Lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate præ-

ceperit. » — In lib. 2. de Ordine, cap. 10, divinæ Providentiæ ordinem sic definit: « Ordo est per quem aguntur omnia quæ Deus constituit. »

2°) Docet quod in ordine divinæ Providentiæ, omnia et omnes secundum æternam legem ad bonum universale infallibiliter aguntur, sive Legem sciant aut nesciant; sive velint, aut nolint. Si Legem nesciant vel violent, secundum ipsam *aguntur;* si Legem sciant et libere servent, secundum ipsam recte agunt. Sic ipse loquitur in lib. Quæst. 83, q. 27: « Summo enim Deo cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo nihilque injustum est, sive scientibus, sive nescientibus nobis. Sed in parte offenditur anima peccatrix; tamen quia pro meritis ibi est, ubi talem esse decet, et ea patitur quæ talem pati æquum est, universum regnum Dei nulla sua fœditate deformat. Quamobrem, quoniam non omnia novimus quæ de nobis bene *agit* Ordo divinus, in sola bona voluntate secundum Legem *agimus*, in cæteris autem secundum Legem *agimur;* cum Lex ipsa incommutabilis maneat, et omnia mutabilia, pulcherrima gubernatione moderetur. »

Ibidem, q. 24: « Nihil casu fit in mundo. Hoc constituto, consequens videtur, ut quidquid in mundo geritur, partim divinitus geratur, partim nostra voluntate. »

In Enarrat. in Psalm. 70, n.° 6, docet S. Augustinus Deum per suam Providentiam noscere et ordinare quæcumque fiunt ex bona sua Voluntate, vel per liberam creaturarum voluntatem. « Novit ergo Deus quod creat, et quale sit per ejus Bonitatem, et quale futurum sit per propriam voluntatem. »

3°) Multa scripsit S. Augustinus de divinæ Providentiæ ordinatione, potissimum in duobus libris de Ordine et in Civitate Dei.

In libris de Ordine, loquitur in genere de divinæ Providentiæ ordinatione, quæ bona et mala complectitur, et totius mundi perfectionem infallibiliter procurat.

In Parte II Civitatis Dei, agit de utriusque Civitatis, bonorum scilicet ac malorum, gubernatione juxta æternas Providentiæ divinæ leges, duas Civitates considerando in suo *initio, progressu* et *termino.*

II. **Boetius** in lib. 3, de Consolat. Philos., metr. 9, Deum sic alloquitur:

O qui perpetua mundum Ratione gubernas,
Terrarum cœlique Sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

Ibidem, lib. 4, pros. 6, divinam Providentiam et fatum sic describit: « Omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, et quidquid aliquo movetur modo, causas, ordinem, formas ex divinæ Mentis stabilitate sortitur. Hæc in suæ simplicitatis arce composita, multiplicem rebus gerendis modum statuit. Qui modus, cum in ipsa divinæ Intelligentiæ puritate conspicitur, *Providentia* nominatur; cum vero ad ea quæ movet atque disponit refertur, *fatum* a veteribus appellatum est. Quæ diversa esse facile liquebit, si quis utriusque vim mente conspexerit. Nam *Providentia* est illa ipsa divina Ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit; *fatum* vero inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus. *Providentia* namque cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur; *fatum* vero singula digerit in motum locis, formis ac temporibus distributa; ut hæc temporalis ordinis explicatio, in divinæ Mentis ordinata prospectu, *Providentia* sit; eadem vero adunatio digesta atque explicata temporibus *fatum* vocetur. Quæ licet diversa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo namque fatalis ex Providentiæ simplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente percipiens, movet operis effectum, et quod simpliciter præsentorieque prospexerat, per temporales ordines ducit, ita Deus *Providentia* quidem singulariter stabiliterque facienda disponit; *fato* vero hæc ipsa, quæ disposuit, multipliciter ac temporaliter administrat... Igitur, uti est ad intellectum ratiocinatio; ad id quod est, id quod gignitur; ad æternitatem tempus; ad puncti medium circulus; ita est *fati* series mobilis ad *Providentiæ* stabilem simplicitatem. »

III. **S. Joannes Damascenus** in Exposit. fid. orthod., Patrol. gr. T. 94, p. 963, sequenti modo loquitur de Providentia divina: « Providentia est cura, ex parte Dei, de rebus quæ factæ sunt. Ac rursus: Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes convenientem directionem accipiunt. Si autem Dei voluntas Providentia est, prorsus necesse est, omnia quæ Providentia fiunt, juxta rectam rationem modo pulcherrimo ac Deo convenientissimo fieri, et quo melius fieri nequeant. Necesse enim est eumdem esse factorem et provisorem, quia non convenit nec consentaneum est alterum factorem esse rerum, et alterum provisorem; sic quippe in impotentia versarentur ambo, ille quidem efficiendi, hic vero providendi. Itaque ipse Deus est omnium Factor ac Provisor, ejusque efficiendi et conservandi et providendi potentia, est bona illius Voluntas. »

Argumentum III.

Ex S. Thoma.

§ I.

Probatur existentia æternæ Legis, in genere.

286. Hanc probat doctor angelicus in 1. 2. q. 91, et primo objectiones suo more proponit.

I. « **Videtur quod non sit aliqua Lex æterna.**

1°) « Omnis enim lex aliquibus imponitur. Sed non fuit ab æterno, cui aliqua lex posset imponi; solum enim Deus fuit ab æterno. Ergo nulla lex est æterna. »

2°) « Præterea, promulgatio est de ratione legis. Sed promulgatio non potuit esse ab æterno, quia non erat ab æterno cui promulgaretur. Ergo nulla lex potest esse æterna. »

3°) « Præterea lex importat ordinem ad finem. Sed nihil est æternum quod ordinetur ad finem; solus enim ultimus finis est æternus. Ergo nulla lex est æterna. »

II. « **Sed contra est** quod Augustinus dicit in 1. de lib. arbit., cap. 6: Lex quæ summa Ratio nominatur, non potest cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri. »

« *Respondeo dicendum* quod, sicut supra dictum est (1. q. 90) nihil est aliud lex, quam dictamen practicæ rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Manifestum est autem, supposito quod mundus divina Providentia regatur, ut in primo (1. q. 22) habitum est, quod tota communitas universi gubernatur Ratione divina; et ideo ipsa Ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in principe universitatis, existens, legis habet rationem. Et quia divina Ratio nihil concipit ex tempore, sed habet æternum conceptum, ut dicitur Proverb. 8, inde est quod hujusmodi Legem oportet dicere æternam. »

III. « **Ad 1^{m}) ergo dicendum,** quod ea quæ in seipsis non sunt, apud Deum existunt, inquantum sunt ab ipso cognita et præordinata, secundum illud Rom. 4: *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Sic igitur æternus divinæ Legis conceptus habet rationem Legis æternæ, secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum. »

« Ad 2^{m}) dicendum, quod promulgatio fit et verbo et scripto; et utroque modo Lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis: quia et Verbum divinum est æternum, et scriptura Libri vitæ est æterna. Sed ex parte creaturæ audientis aut inspicientis, non potest esse promulgatio æterna. »

« Ad 3^{m}) dicendum quod lex importat ordinem ad finem active, inquantum scilicet per eam ordinantur aliqua in finem; non autem passive, id est quod ipsa lex ordinetur ad finem, nisi per accidens in gubernante cujus finis est extra ipsum, ad quem etiam necesse est ut lex ejus ordinetur. Sed finis divinæ gubernationis est ipse Deus, nec ejus Lex est aliud ab ipso; unde Lex æterna non ordinatur in alium finem. »

§ II.

Creaturæ mere materiales subsunt ordinationi Legis æternæ.

287. — Hoc probat S. Thomas in 1. 2. q. 93, art. 5, ubi quærit: « *Utrum naturalia contingentia subsint legi æternæ* » et sic procedit.

I. « **Videtur quod naturalia contingentia non subsunt Legi æternæ.**

1°) « Promulgatio enim est de ratione legis, ut supra dictum est. Sed promulgatio non potest fieri, nisi ad creaturas rationales, quibus potest aliquid denuntiari. Ergo solæ creaturæ rationales subsunt Legi æternæ; non ergo naturalia contingentia. »

2°) « Præterea, ea quæ obediunt rationi, participant aliqualiter rationem, ut dicitur in 1. Ethic. Lex autem æterna est Ratio summa, ut supra dictum est. Cum igitur naturalia contingentia non participent aliqualiter rationem, sed penitus sint irrationabilia, videtur quod non subsint Legi æternæ. »

3°) « Præterea Lex æterna est efficacissima. Sed in naturalibus contingentibus accidit defectus. Non ergo subsunt Legi æternæ. »

II. « **Sed contra est,** quod dicitur Prov. 8: *Quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* »

« *Respondeo dicendum,* quod aliter est de lege hominis dicendum, et aliter de Lege æterna, quæ est Lex Dei. Lex enim hominis non se extendit, nisi ad creaturas rationales, quæ homini subjiciuntur. Cujus ratio est, quia lex est directiva actuum, qui conveniunt subjectis gubernationi alicujus; unde nullus, proprie loquendo, suis actibus legem imponit. Quæcumque autem aguntur circa usum rerum irrationalium homini subditarum, aguntur per actum ipsius hominis moventis hujusmodi res; nam hujusmodi irrationales creaturæ non agunt seipsas, sed ab aliis aguntur, ut supra habitum est; et ideo rebus irrationalibus homo legem imponere non potest, quantumcumque ei subjiciantur. Rebus autem rationalibus sibi subjectis potest imponere legem, inquantum suo præcepto vel denuntiatione quacumque, imprimit menti earum quamdam

regulam, quæ est principium agendi. Sicut autem homo imprimit denuntiando, quoddam interius principium actuum homini sibi subjecto, ita etiam Deus imprimit toti naturæ principia propriorum actuum. Et ideo per hunc modum Deus dicitur præcipere toti naturæ, secundum illud Psal. 148: *Præceptum posuit et non præteribit.* Et per hanc etiam rationem, omnes motus et actiones totius naturæ, Legi æternæ subduntur. Unde alio modo creaturæ irrationales subduntur Legi æternæ, inquantum moventur a divina Providentia, non autem per intellectum divini præcepti, sicut creaturæ rationales. »

III. « **Ad 1^{m}) ergo dicendum,** quod hoc modo se habet impressio activi principii intrinseci, quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines; quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum, ut dictum est. »

« Ad 2^{m}) dicendum, quod creaturæ irrationales non participant ratione humana, nec ei obediunt; participant tamen, per modum obedientiæ, Ratione divina. Ad plura enim se extendit virtus Rationis divinæ, quam virtus rationis humanæ. Et sicut membra corporis humani moventur ad imperium rationis, non tamen participant ratione, quia non habent aliquam apprehensionem ordinatam ad rationem, ita etiam creaturæ irrationales moventur a Deo, nec tamen propter hoc sunt rationales. »

« Ad 3^{m}) dicendum, quod defectus qui accidunt in rebus naturalibus, quamvis sint præter ordinem causarum particularium, non tamen sunt præter ordinem causarum universalium, et præcipue Causæ primæ, quæ Deus est, cujus Providentiam nihil subterfugere potest, ut in primo (1. q. 22, art. 5) dictum est. Et quia Lex æterna est ratio divinæ Providentiæ, ut dictum est, ideo defectus rerum naturalium Legi æternæ subduntur. »

§ III.

Cunctæ res humanæ subjiciuntur Legi æternæ.

288. — Hoc demonstrat doctor angelicus ibid., art. 6, corp.: « Duplex est modus, quo aliquid subditur Legi æternæ, ut ex supradictis patet: Uno modo inquantum participatur Lex æterna *per modum cognitionis.* Alio modo, *per modum actionis et passionis,* inquantum participatur per modum interioris principii motivi; et hoc secundo modo subduntur Legi æternæ irrationales creaturæ, ut dictum est. Sed quia rationalis natura cum eo, quod est commune omnibus creaturis, habet aliquid sibi proprium inquantum est rationalis, ideo secundum utrumque modum Legi æternæ subditur, quia et notionem Legis æternæ aliquo modo habet, ut supra dictum est; et iterum unicuique rationali creaturæ inest naturalis inclinatio ad id quod est consonum Legi æternæ; sumus enim innati ad habendum virtutes, ut dicitur in 2. Ethic. »

« Uterque tamen modus imperfectus quidem est, et quodammodo corruptus *in malis,* in quibus et naturalis inclinatio ad virtutem depravatur per habitum vitiosum; et iterum ipsa naturalis cognitio boni in eis obtenebratur per passiones et habitus peccatorum. *In bonis* autem uterque modus invenitur perfectior, quia et supra cognitionem naturalem boni superadditur eis cognitio fidei et sapientiæ; et supra naturalem inclinationem ad bonum, superaddituir eis interius motivum gratiæ et virtutis. Sic igitur boni perfecte subsunt Legi æternæ, tanquam semper secundum eam agentes; mali quidem subsunt Legi æternæ, imperfecte quidem quantum ad actiones ipsorum, prout imperfecte cognoscunt, et imperfecte inclinantur ad bonum, sed quantum deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis, prout scilicet intantum patiuntur quod Lex æterna dictat de eis, inquantum deficiunt facere quod Legi æternæ convenit. Unde Augustinus dicit in 1. de Lib. arbit., cap. 6: *Justos sub æterna Lege agere existimo.* Et in lib. de Catechiz. rudib., cap. 18, dicit quod *Deus ex justa miseria animarum se deserentium, convenientissimis legibus, inferiores partes creaturæ suæ novit ordinare.* »

Argumentum IV.

Ex paganis philosophis.

289. — I. **Plato** in Epist. 2. ad Dionys. Syracus., T. 2, p. 519 vel 312, sic ex proposito obscure loquitur de supremo Rege omnia, quasi triplici circulo, circa seipsum ordinante: « Dicis non satis tibi demonstratum esse de primi *(Principii)* natura. Itaque significandum tibi est per ænigmata, ut si maris vel terræ in recessibus aliquid accidat his tabellis, qui eas legat, non intelligat. Sic enim habet: Circa omnium Regem omnia sunt, et illius causa omnia sunt, et illud Causa est omnium pulchrorum. Secundum autem circa secunda, et tertium circa tertia. »

Item in Politico, T. 1, pag. 583 vel 269: « Cuncta hæc ex eadem causa proficiscuntur, et alia præter hæc permulta, his longe mirabiliora.... Quod vero horum omnium causa est, nemo dixit; nunc autem dicendum est, nam ad Regem ostendendum conferet.... Universum hoc alias Deus

ipse regit, agitat et rotat, alias vero dimittit, cum mundi cursus competentia sibi curricula temporis expleverunt. »

II. **Aristoteles.** 1°) In cap. 6 de Mundo, circa finem, sic *refert non suam, sed veterem doctrinam* de Deo mundi Creatore et mundum gubernante per æternam Providentiæ suæ legem. Patet ex primis verbis hujus Capitis: « Vetus igitur sermo est atque a majoribus traditus inter omnes homines, universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisset coagmentata. » Præterea in reliquo Capite, necnon in sequenti, pluries antiquorum poetarum carmina citat. Demum ibid., cap. 7, de divina Providentia in ordine morali locuturus, sic incipit: « Deus, quemadmodum vetusto proverbio traditum est, principium et finem et media omnium rerum tenens, rectaque linea incedens, post se comitem habet justitiam, divinæ Legis vindicem, simul ac quidquam mandatorum ejus transgressum est. » Veteribus ergo traditionibus innixus, sic pergit in cap. 6 de Mundo: « Ut vero summatim jam loquamur, quod in navi gubernator est, quod in curru auriga, quod in choro præcentor, quod denique lex in civitate, et dux in exercitu, hoc Deus est in mundo. Hæc tamen est differentia, quod illi labore ac motu multiplici exerceantur, variisque angantur curis, dum huic illaborata succedant omnia, omnis molestiæ expertia et citra corporis infirmitatem; cum ipsi in loco stabili immotoque elevato, omnia movere et circumagere pro arbitratu liceat, quocumque ei libitum est, et quomodo libitum est, idque diversis formis simul atque naturis. Id autem ratione simili facit Deus, ac lex civilis, quæ licet immobilis ipsa maneat, in animis tamen ea utentibus regit omnia ad rempublicam pertinentia.... Hoc idem de civitate quoque majore, scilicet in mundo existimare debemus. Deus enim nobis Lex est, quæ in omnem partem ad æquilibrium vergit, nullam correctionem, nec ullam varietatem admittit, cum potior sit ac stabilior illis legibus, quæ in tabulis præscriptæ sunt. Divinæ enim Legis imperio perenniter et composite præcuntis, regitur ac administratur universi cœli terræque ordo, qui numeros omnes concinnitatis habens, pro specierum universitate partitur in omnes naturas.... legibus divinis obtemperantes atque cedentes. »

2°) Ibidem *propriam doctrinam suam tradit* de universo mundi ordine seu perfectione. Juxta ipsum, Deus mundum ordinat et perficit, non eum gubernando moraliter per suam Legem, sed eum physice movendo. Docet enim Philosophus omnia rerum principia sibi invicem contraria esse scilicet materia et forma, seu potentia et actus, atque a potentia ad actum esse reducenda ut perficiantur. — Atqui, nequeunt a potentia ad actum physice reduci, nisi a supremo quodam Principio, quod nullum habeat in se contrarium, sed sit Actus purus ac simplicissimus, qui omnia physice movendo a potentia ad actum, ea ad se unum mirabili harmonia coordinet atque perficiat. — Ergo existit supremum illud Principium.

Hanc doctrinam exponit in lib. 12. Metaph., cap. 10, ubi præterea docet primum Principium, quod omnia physice movet ad actum, non esse *Bonum*, inquantum est *finis*, nec inquantum est Species, sive *Exemplar* (sicut asserit Plato); nam Bonum sub utroque aspectu isto consideratum, non tenet medium inter contraria, nec illa physice movet. Inde patet Aristotelem agnovisse *physicam* tantum, sed non *moralem* divinæ Causæ actionem. Ipsum loquentem audiamus: « Perscrutandum est etiam hoc, ait, quomodo natura mundi habeat ipsum bonum, et ipsum optimum: utrum tanquam separatum quoddam, et utrum bonum habeat per se, an ipso ordine, an utroque modo, sicut exercitus, cujus bene esse ac ordo est, et dux ordinans, et magis ipse exercitus; non enim exercitus propter ordinem, sed ordo est propter exercitum. »

« Cuncta autem in mundo coordinata quodammodo sunt, sed non similiter et natantia, et volatilia, et plantæ; nec ita se habent, ut unum ad alterum tantum referatur, sed etiam ad aliud; ad unum enim principium extrinsecum coordinata sunt omnia..... Omnes namque philosophi dicunt omnia ex contrariis fieri; at non recte dicunt illud *omnia*, et illud *ex contrariis*. Res enim quibus contraria insunt, quonammodo ex contrariis sunt, non dicunt; quandoquidem contraria sunt impossibilia ad se invicem. A nobis autem hoc rationabiliter solvitur, cum tertium aliquod principium ponamus.... Maxime autem principium est ipsum bonum. *Et quidem recte dicunt, quod Bonum sit principium*, sed quomodo principium sit, utrum *ut finis*, an *ut movens*, an *ut species*, non dicunt..... Omnia namque entia ex iisdem principiis contrariis facta esse dicunt..... Sed cur generatio semper erit, et quod sit generationis causa, nemo dicit. »

« Verum tum illis philosophis, qui duo principia ponunt, aliud tertium ac principalius principium ponere necesse est; tum *illis qui species docent*, quia aliud principium speciebus principalius est. Cur enim quælibet res speciem participavit, aut participat? Et aliis quoque necesse est ponere aliquid contrarium in divina Sapientia, quæ scientia nobilissima est, nobis vero minime. Nihil enim est in primo Principio *(seu in Actu puro)* contrarium, quandoquidem

cuncta contraria materiam habent, et potentiâ sunt contraria, hoc quoque modo ignorantia contraria est sapientiæ; in primo autem Principio, nihil contrarium est. »

« Præterea, si non sunt alia præter res sensibiles *(quæ materia et forma omnes componuntur)*, non erit simplex et primum Principium, ut theologis physicisque cunctis? Si autem species aut numeri esse principia dicantur, nihil causabunt; et si aliquid causent, non saltem motum causabunt... Item quomodo numeri sunt unum, aut anima, aut corpus, et omnino species atque res, nemo dicit, nec dicere potest, *nisi nobiscum dicat, quod primum Principium res causat movendo...* Nec aliquid conferunt principia multa, et entia nolunt male gubernari:

Non multi proderunt reges, rex unicus esto. »

3°) Diversa Platonis et Aristotelis doctrina circa supremam omnium rerum Causam, diversum magnique momenti influxum in notitiam totius moralis ordinis exercet.

Plato enim Deum considerans tanquam mundi Artificem et Rectorem, docet consequenter Deum regere mundum *modo morali*, id est per suam Rationem ac Voluntatem, seu juxta æternam Legem suam, quæ in hominibus sibi subditis supponit liberam voluntatem.

Aristoteles autem Deum unice considerans tanquam physicum mundi Motorem, sive inquantum est Actus-purus, qui necessario movet omnem potentiam ad suum actum, sive inquantum est supremum Bonum universale, quod omnis potentia appetitiva physice ac necessario appetit tanquam objectum, docet consequenter Deum physicam necessitatem omnibus rebus imponere.

Utriusque doctrina conjungenda est, ut libertas voluntatis humanæ servetur sub influxu Dei omnia gubernantis. Deus igitur est agnoscendus simul ut creaturas suas movens *physice ac necessario in ordine physico*, et moraliter *ac libere in ordine morali*. Nam si Deus consideretur tanquam humanam voluntatem movens physico et intrinseco tantum modo, ad determinandas ejus electiones, non intelligitur vere salvari physicam ipsius libertatem electivam.

Plura dicemus in Tomo III, Parte II, quando celebrem de divino influxu quæstionem solvere conabimur. Nunc ostendisse sufficiat, contrarias doctorum catholicorum opiniones in principiis philosophiæ Platonis et Aristotelis radicari. Etenim Plato totum ordinem moralem optime agnoscit atque evolvit, quia Deum contemplatur tanquam trinam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem. Aristoteles autem Deum unice considerans tanquam physicum omnium rerum Motorem, consequenter in rebus non agnoscit alium ordinem, nec alium influxum, nisi ordinem et influxum physicum, in præjudicium ordinis et influxus moralis, qui tamen in suo genere tam reales sunt, quam ordo et influxus physicus.

III. **Cicero** præclare loquitur in locis citandis in Parte III, n.° 474, *de æterna Dei Lege*, cujus participatio ab humana ratione est *lex naturalis*.

IV. **Plotinus** Ennead. 3, lib. 3, cap. 2: « Casus atque fortunæ non habent auctoritatem bonæ vitæ; consequuntur autem hæ quoque, quatenus præcedentibus consentaneum est; tum vero consequentiæ rerum annexæ procedunt ordinate. Connectit vero cuncta Ipsum principale, quod omnia ducit, conferentibus ad hæc quæ utrimque vergunt secundum naturam, quemadmodum in exercitu fit ducente quidem imperatore, conspirantibus autem qui ordine certo commilitant. Totus namque mundus Providentia quadam imperatoria est institutus, cernente actiones et passiones, et quæ adesse oporteat alimenta, arma, machinas; et profecto quotcumque ex his inter se connexis conspirantibusve consequuntur, sunt prævisa, ut quodcumque ex his evenit locum nanciscatur, ubi bene situm sit. Procedunt quidem omnia ab exercitus duce, sagaci quadam solertique ratione, quamvis etiam externa sint ab eoque aliena, quæ hostes sunt illaturi. Quod si tam illi quam huic exercitui similiter imperare valeret, imo vero si maximus imperator esset, cui subjecta sint omnia, quidnam ulterius ordine carere posset? Quidne connexione vacaret? »

PROPOSITIO II.

OMNIS LEX AB ÆTERNA DEI LEGE DERIVATUR.

Argumentum.

Ex S. Thoma.

290. — Scilicet ex 1. 2. q. 93, art. 3, ubi primo sequentes ponit objectiones.

I. « **Videtur quod non omnis lex a Lege æterna derivetur.** 1°) Est enim quædam lex fomitis ut supra (1. q. 91, art. 6) dictum est. Ipsa autem non derivatur a Lege divina, quæ est Lex æterna; ad ipsam enim pertinet prudentia carnis, de qua Apostolus dicit ad Rom. 8,

quod Legi Dei non potest esse subjecta. Ergo non omnis lex procedit a Lege æterna. »

2°) Præterea, a Lege æterna nihil iniquum procedere potest; quia, sicut dictum est, Lex æterna est secundum quam justum est, ut omnia sint ordinatissima. Sed quædam leges sunt iniquæ, secundum illud Isaiæ 10: *Væ qui condunt leges iniquas*. Ergo non omnis lex procedit a Lege æterna. »

3°) Præterea, Augustinus dicit in 1. de Lib. arbitr., cap. 5, quod lex quæ populo regendo scribitur, recte multa permittit, quæ per divinam Providentiam vindicantur. Sed ratio divinæ Providentiæ est Lex æterna, ut dictum est. Ergo nec etiam omnis lex recta procedit a Lege æterna. »

II. « **Sed contra est,** quod Proverb. 8, divina Sapientia dicit: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt*. Ratio autem divinæ Sapientiæ est Lex æterna, ut dictum est. Ergo omnes leges a Lege æterna procedunt. »

« *Respondeo dicendum*, quod sicut supra dictum est, lex importat rationem quamdam directivam actuum ad finem. In omnibus autem moventibus ordinatis, oportet quod virtus secundi moventis derivetur a virtute moventis primi, quia movens secundum non movet nisi inquantum movetur a primo. Unde in omnibus gubernantibus idem videmus, quod ratio gubernationis a primo gubernante ad secundos derivatur; sicut ratio eorum, quæ sunt agenda in civitate, derivatur a rege per præceptum in inferiores administratores. Et in artificialibus etiam, ratio artificialium actuum derivatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur. Cum ergo Lex æterna sit Ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est quod omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, a Lege æterna deriventur. Hujusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quæcumque aliæ leges præter æternam. Unde omnes leges, inquantum participant de ratione recta, intantum derivantur a Lege æterna. Et propter hoc Augustinus dicit in 1. de Lib. arbitr., cap. 5 et 6, in temporali lege, nihil est justum ac legitimum, quod non ex Lege æterna homines sibi derivaverunt. »

III. « **Ad 1^m^) ergo dicendum,** quod fomes habet rationem legis in homine, inquantum est pœna consequens divinam justitiam, et secundum hoc manifestum est quod derivatur a Lege æterna. Inquantum vero inclinat ad peccatum, sic contrariatur Legi Dei, et non habet rationem legis, sicut ex supradictis (1. q. 91, art. 6) patet. »

« Ad 2^m^) dicendum, quod lex humana intantum habet rationem legis, inquantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est, quod a Lege æterna derivatur. Inquantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua; et sic non habet rationem legis, sed magis violentiæ cujusdam. Et tamen in ipsa lege iniqua, inquantum servatur aliquid de similitudine legis, propter ordinem potestatis ejus qui legem fecerit, secundum hoc etiam derivatur a Lege æterna. Omnis enim potestas a Domino Deo est, ut dicitur Rom. 13. »

« Ad 3^m^) dicendum, quod lex humana dicitur aliqua permittere, non quasi approbans, sed quasi ea dirigere non potens. Multa autem diriguntur Lege divina, quæ dirigi non possunt humana; plura enim subduntur causæ superiori quam inferiori. Unde hoc ipsum, quod lex humana non se intromittit de his quæ dirigere non potest, ex ordine Legis æternæ provenit. Secus autem esset si approbaret ea quæ Lex æterna reprobat. Unde ex hoc non habetur quod lex humana non derivetur a Lege æterna, sed quod non perfecte eam assequi possit. »

CAPUT III.

PROBANTUR ÆTERNA DEI PRÆDESTINATIO ET REPROBATIO.

291. — **Prænotanda** *de notione prædestinationis et reprobationis.*

I. **Prædestinatio,** juxta S. Thomam in Epist. ad Rom., lect. 3, non pertinet ad naturalem rerum creatarum *constitutionem*, sed ad ipsarum ordinationem seu *gubernationem* ad finem, non quidem naturalem, sed supernaturalem. Ait enim: « Prædestinare nihil aliud est, quam ante in corde disponere quid sit de re aliqua faciendum. Potest autem aliquis de futura re seu operatione disponere, uno modo quantum ad ipsius rei *constitutionem*, sicut artifex disponit qualiter debeat facere domum; secundo modo quantum ad ipsum usum vel *gubernationem* rei, sicut aliquis disponit qualiter debeat uti suo equo; et ad hanc secundam prædispositionem pertinet prædestinatio, non ad primam. Id enim, quo aliquis utitur, refert in finem... sed cum res in seipsa constituitur, non dirigitur ex hoc ipso in aliud; unde prædispositio constitutionis rei, proprie prædestinatio dici non potest... Sed quia omnia naturalia pertinent ad constitutionem rei ipsius, quia vel sunt principia ex quibus res constituitur, vel ex hujusmodi principiis consequuntur; conse-

quens est quod naturalia proprie sub prædestinatione non cadant; sicut non dicitur proprie, quod homo est prædestinatus habere manus. Relinquitur ergo quod prædestinatio dicatur proprie eorum solum quæ sunt supra naturam, in quæ rationalis creatura ordinatur. »

Unde prædestinatio a S. Thoma 1. q. 23, art. 2, corp., definitur: « Ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in Mente divina existens. »

Et 3. q. 24, art. 1, corp.: « Prædestinatio proprie accepta, est quædam divina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore. »

Aliam prædestinationis definitionem, a S. Augustino datam, refert doctor angelicus ibidem object. 4, scilicet: « Prædestinatio dicitur esse præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. » Igitur prædestinatio adæquate sumpta complectitur simul gratiam et gloriam. — In ordine *intentionis* gloria præcedit gratiam, sicut finis medium præcedit; sed in ordine *executionis*, gratia præcedit gloriam, sicut medium ad finem præcedit finem.

Adæquatæ prædestinationis effectus in ordine exsecutionis est triplex; complectitur enim electorum vocationem, justificationem et glorificationem. Justificatio et glorificatio creaturæ rationalis uno verbo exprimuntur a S. Ambrosio et S. Thoma 1. q. 23, art. 2; ab eis enim dicuntur *magnificatio*, quia sunt supernaturalis elevatio creaturæ rationalis.

II. **Reprobatio** divina definitur a Magistro sententiarum, in 1. dist. 4: « Præscientia impietatis quorumdam, et præparatio damnationis eorumdem. » *Dicitur præscientia impietatis*, ut detur intelligi, quod reprobatio fit ex prævisis demeritis. Dicitur *impietatis*, per quod intelligitur vel peccatum originale solum, vel actuale solum, vel utrumque simul conjunctum in adultis peccatoribus non baptizatis. Dicitur *præparatio damnationis eorumdem*, per quod intelligitur efficax et absolutum Dei decretum aliquos a gloria excludendi, et ad supplicium æternum deputandi.

Duplex enim a theologis distinguitur reprobatio, scilicet reprobatio *positiva* seu adæquata, per quam intelligunt decretum divinum, quo aliqui excluduntur a vita æterna, et deputantur ad pœnas æternas. Reprobatio *negativa*, seu inadæquata, est privatio prædestinationis ad gloriam, nempe exclusio ab æterna beatitudine, sive illa fiat per actum Voluntatis divinæ positivum, sive non.

III. **In præsenti Capite probabimus** 1°) æternam prædestinationem aliquorum in genere, et quidem 2°) tam Deo infallibiliter certam, quam nobis incertam; 3°) prædestinationem Jesu Christi; 4°) prædestinationem B. V. Mariæ; 5°) æternam et positivam aliquorum reprobationem.

Controversas autem *quæstiones* circa prædestinationem et negativam reprobationem remittimus ad Tomum III, Part. II.

PROPOSITIO I.

DIVINUM EXISTIT DECRETUM, JUXTA QUOD AB ÆTERNO OMNES ILLI AD GRATIAM ET GLORIAM PRÆDESTINANTUR, QUI HANC ALIQUANDO CONSECUTURI SUNT.

De fide est ex Concil. Valentino, cap. 3: « Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam... Præscientia et prædestinatio Dei certa omnino et immutabilis. » Prædestinationem vero supponit Concilium Trident., dum Sess. 6, cap. 12 et can. 16 statuit neminem posse certum esse de sua prædestinatione.

Argumentum I.

Ex Scriptura.

292. — I. **Matth. 25, v. 34,** Christus electos sic alloquitur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

His verbis *regnum* æternæ beatitudinis, ad quod possidendum electi vocantur, ipsis dicitur *paratum*, scilicet in Mente divina, et quidem *a constitutione mundi*, id est antequam nascerentur, et per æternum decretum.

II. **Luc. 10, v. 20,** Christus docet gaudendum esse, non de donis gratis datis, sed de nominum inscriptione in cœlis: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis;* et Apoc. 20, v. 15 dicitur: *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

Ex quibus verbis patet, omnes qui a damnatione liberantur et æternam beatitudinem consequuntur, *in libro vitæ scriptos esse.* — Atqui, per nominum inscriptionem in cœlis et per librum vitæ non intelligitur nisi prædestinationis decretum in divina Mente ab æterno existens. — Ergo stat propositio.

III. **Rom. 8, v. 28:** *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit illos et glorificavit.*

His verbis Apostolus manifeste testatur, Deum eos præscire et prædestinare, qui Filio Dei conformes fiunt in præsentis vitæ sanctitate et in futuræ felicitate. Imo expresse dicit, omnes qui a Deo vocantur, et justificantur, et glorificantur, jam ab æterno fuisse a Deo prædestinatos.

Alii tamen volunt, in textu citato sermonem esse non de prædestinatione ad gloriam, sed solum de prædestinatione ad gratiam, de qua etiam loquitur S. Paulus ad Ephes. 1: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.* Sed etiam in hac sententia, argumentum potest ex citatis Pauli verbis inferri. Nam si nemo venit in tempore ad fidem, gratiam et conformitatem cum Christo patiente, nisi qui ab æterno ad hanc prædestinatus est a Deo, a fortiori nemo venit ad gloriam, quæ est fructus gratiæ, et ad conformitatem cum Christo glorioso, nisi ab æterno ad hanc et illam prædestinatus sit a Deo. Act. 13, v. 48 dicitur de S. Pauli prædicantis auditoribus: *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Argumentum II.

Ex Patribus.

293. — S. Augustinus traditionem, seu perpetuam Ecclesiæ fidem de prædestinationis existentia testatur in suo opere *de Prædestinatione Sanctorum* exarato contra Semipelagianos. — Addidit alium librum *de Dono perseverantiæ*, in quo iterum multa de prædestinatione ad gratiam et ad gloriam disseruit; nam cap. 19 scribit: « Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sacras defendimus, nisi errando disputare potuisse. » In eodem Capite doctrinam suam confirmat auctoritate S. Ambrosii, S. Cypriani et S. Gregorii Nazianzeni. — Ibidem, cap. 21, dicit: « Nimiæ contentionis est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare. » — Denique, cap. 23, inquit: « Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. »

S. Prosper in Resp. I ad object. Gallorum ait: « Prædestinationem Dei nullus catholicus negat. » — Et in Epist. ad Rufin.: « Prædestinationem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire. »

S. Fulgentius, lib. de Incarnat. et grat. Christi, cap. ult. hæc habet: « Deus, qui hominem condidit, ipse, prædestinatione sua, et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiæ ad proficiendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit; quippe non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum Voluntate. Cujus prædestinationis veritatem... si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obstitit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et prædestinavit ad regnum. »

S. Gregorio Magnus lib. 1 dialogor., cap. 8, ait: « Ipsa perennis regni prædestinatio ita ab omnipotenti Deo disposita est, ut ad hoc electi ex labore perveniant; quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. »

Argumentum III.

Ex S. Thoma.

294. — Legitur in 1. q. 23, art. 1: « *Deo conveniens est homines prædestinare.* Omnia enim divinæ Providentiæ subjacent, ut supra ostensum est (1. q. 22, art. 1 et 2). Ad Providentiam autem pertinet res in finem ordinare ut dictum est (ibid., art. 4). Finis autem ad quem res creatæ ordinantur a Deo, est duplex. Unus, qui excedit proportionem naturæ creatæ et facultatem, et hic finis est vita æterna, quæ in divina visione consistit, quæ est supra naturam cujuslibet creaturæ, ut supra habitum est (q. 12, art. 4). Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ. Ad illud autem, ad quod non potest aliquid virtute suæ naturæ pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta a sagittante mittitur ad signum. Unde proprie loquendo rationalis creatura, quæ est capax vitæ æternæ, perducetur in ipsam quasi a Deo transmissa. Cujus quidem transmissionis ratio in Deo præexistit, sicut et in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam diximus esse Providentiam. Ratio autem alicujus fiendi in mente actoris existens, est quædam præexistentia rei fiendæ in eo. Unde ratio prædictæ transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, prædestinatio nominatur; nam destinare est mittere. Et sic patet quod prædestinatio, quantum ad objecta, est quædam pars Providentiæ. »

Ibidem, art. 2: « Prædestinatio non est aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum. Dictum est enim, quod prædestinatio est quædam pars Providentiæ. *Providentia* autem non est in rebus provisis, sed est quædam ratio in intellectu provisoris, ut supra dictum est. Sed exsecutio Providentiæ, quæ *gubernatio* dicitur, passive quidem est in gubernatis, active autem est in gubernante. Unde manifestum est, quod prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in Mente divina existens; exsecutio autem hujus ordinis est passive quidem in prædestinatis, active autem est in Deo. Est autem exsecutio prædestinationis vocatio et magnificatio, secundum illud ad Rom. 8: *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et magnificavit.* »

PROPOSITIO II.

DECRETUM PRÆDESTINATIONIS NOSTRÆ INFALLIBILITER DEO CERTUM EST, NOBIS AUTEM INFALLIBILITER INCERTUM.

Hæc infallibilis incertitudo, ex parte nostra, excludit tantum certitudinem *absolutam*, sed non certitudinem *moralem*, quæ fundatur in pluribus signis prædestinationis a sanctis doctoribus assignatis, qualia sunt pietas erga B. V. Mariam, vocatio ad vitam religiosam, et præsertim ad vitam apostolicam, misericordia erga pauperes, studium audiendi verbum Dei prædicatum.

§ I.

Prædestinatio infallibiliter certa est ex parte Dei.

295. — Deus certo cognoscit numerum prædestinatorum omnesque electos singillatim, ita ut ejus præscientia falli, et decretum mutari nequeat, atque ideo numerus prædestinatorum nec minui, nec augeri possit.

Probatur I. *Ex Scriptura.* Apud Joannem 6, v. 39, Christus ait: *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Id est, ut *omne quod* per æternæ prædestinationis decretum Pater *dedit mihi*, cujuscumque sit gentis, gradus, conditionis, ætatis vel sexus, *non perdam ex eo*, seu non sinam ullum perire, sed ei opituler, eum foveam et conservem, donec in portum salutis æternæ deduxerim, et *resuscitem illud in novissimo die*, scilicet in fine mundi. Ex quibus verbis patet, nullum ex electis, quos dedit Pater Filio, esse periturum, sed infallibiliter salvatum iri, et æterna gloria in cœlo donandum.

Hoc idem confirmat Christus dicens Joan. 10, v. 27, etc.: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Unde significatur summa certitudo rationis, qua prædestinati diriguntur in æternam salutem.

In 2. Timot., 2, v. 18, cum Apostolus de aliquibus dixisset quod a veritate exciderint, mox in v. 19 addit: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; cognovit Dominus, qui sunt ejus*, id est, qui discedunt ab iniquitate, qui invocant nomen Domini, et in æternum cum ipso conjuncti manent.

Probatur II. *Ex Patribus.* S. Augustinus ad Paulinum scribit Epist. 186, n.° 25: « Certus est Dei præscientiæ definitus numerus, et multitudo sanctorum, quibus *diligentibus Deum*, quod eis donavit per diffusum in cordibus eorum Spiritum sanctum, *omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* (Rom. 8, v. 28). » — Et lib. de Corrept. et grat., cap. 7: « Horum *(prædestinatorum)* si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. »

S. Fulgentius lib. de Fide, cap. 25, ait: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita Bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo. Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum, nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla ratione posse salvari. »

Probatur III. *Ex ratione theologica.* Prædestinatio est actus Intellectus et Voluntatis divinæ, quia Deus omnes salvandos cognoscit, iisdemque voluntate consequente et efficaci æternam gloriam tribuere vult. — Atqui, sicut Intellectus divinus in sua præscientia falli nequit, sic divina Voluntas consequens et efficax nec impediri, nec superari potest; de hac enim dicitur in Isai. 56, v. 10: *Omnis Voluntas mea fiet.* — Ergo Dei prædestinatio est omnino certa et immutabilis et infallibilis quoad consecutionem sui effectus.

§ II.

Prædestinatio infallibiliter incerta est ex parte nostra.

296. — De fide est, quod nemo, absque speciali revelatione, infallibiliter certus esse potest

se esse a Deo prædestinatum. Concilium Tridentinum, Sess. 6, cap. 12, definivit: « Nemo quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quod justificatus, aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat; nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus elegerit. »

Probatur I. *Ex Scriptura.* In Eccl. 9, v. 1, dicitur: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.*

Rom. 11, v. 20: *In fide stas, noli altum sapere, sed time.* — 1. Cor. 10, v. 12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* — Philip. 2, v. 12: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* Atqui timori locus non daretur, si homo de prædestinatione sua infallibiliter certus esset. Ergo stat propositio.

Probatur II. *Ex Patribus.* S. Hieronymus lib. 2, adv. Pelag.: « Ne beatum dixeris quempiam ante mortem; quamdiu enim vivimus, in certamine sumus; quamdiu in certamine, nulla est certa victoria. »

S. Augustinus lib. de Corrept. et grat., cap. 13: « Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse confidat? » — Item de dono Persever., cap. 13: « Ad quam vocationem *(nempe secundum propositum)* pertinere, nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cum de hoc sæculo exierit. In hac autem vita humana, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. »

S. Bernardus Serm. 1 de Septuag.: « Quis potest dicere: Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero electorum? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos. »

Probatur III. *Ex ratione theologica.* Nemo sine speciali revelatione potest infallibiliter certus esse de sua prædestinatione, nisi etiam infallibiliter certus sit de sua justificatione, de sua perseverantia in gratia et potissimum de perseverantia sua finali. — Atqui, de fide est quod hæc tria omnibus infallibiliter incerta sunt. — Ergo et prædestinatio omnibus infallibiliter incerta est.

Major patet. *Minor* probatur ex Concil. Trident., Sess. 6, cap. 9: « Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. » — Ibidem, can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, anathema sit. » — Et can. 16: « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. »

PROPOSITIO III.

CHRISTUS PRÆDESTINATUS EST FILIUS DEI PERSONALITER UT HOMO, AC GRATUITO; ET EJUS PRÆDESTINATIO EST QUODAM MODO CAUSA PRÆDESTINATIONIS NOSTRÆ.

297. — Prænotanda. Homo Christus Jesus est Filius Dei per unionem hypostaticam, quæ est in ipso summa gratia, et causa connaturalis omnium donorum *gratiæ* habitualis et *gloriæ.*

Dicit S. Thomas in 3. q. 6, art. 6, corp.: « Ex hoc ipso, quod ille homo est Unigenitus a Patre, quod habet per unionem, habet plenitudinem gratiæ et veritatis. » — Ibid., q. 7, art. 13, ad 3^{m}: « Gratia unionis non est in genere gratiæ habitualis, sed est supra omne genus, sicut et ipsa divina persona. » — Item ad 2^{m}: « Unde gratia habitualis non intelligitur ut præcedens unionem, sed ut consequens eam, sicut quædam proprietas naturalis. Unde et Augustinus dicit in Enchirid., cap. 40, quod gratia est quodam modo Christo homini naturalis. »

Gloria autem, seu hæreditas, æterno jure debetur ei, qui per gratiam unionis hypostaticæ est Filius Dei. Igitur ex eo, quod Christus est prædestinatus filius Dei per gratiam unionis hypostaticæ, simul prædestinatus est ad supremum gradum, seu ad plenitudinem gratiæ habitualis et gloriæ creatæ, quæ est actus beatitudinis creatus.

Integram propositionem demonstrabimus ex doctore angelico. — Utrum autem Christi prædestinatio in Mente divina præcesserit peccati originalis prævisionem, videbimus inter quæstiones controversas Tomo III, Parte II.

Propositio probatur per partes ex S. Thoma.

I. Christus prædestinatus est Filius Dei personaliter.

298. — Doctor angelicus doctrinam suam fundat in textu S. Pauli ad Rom. 1: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Deinde sic argumentatur in 3. q. 24, art. 1: « Sicut patet ex his, quæ in prima Parte (q. 23, art. 1 et 4) dicta sunt, prædestinatio proprie accepta, est quædam divina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus, et Deus

esset homo. Nec potest dici, quod Deus ab æterno non præordinaverit, hoc se facturum in tempore, quia sequeretur quod divinæ Menti aliquid de novo accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub æterna Dei prædestinatione, et ratione hujus, Christus dicitur esse prædestinatus. »

Ibid., ad 2^m: « Sicut dicitur in Gloss. Rom. 1, quidam dixerunt, prædestinationem intelligendam esse *de natura*, non *de persona*, quia scilicet humanæ naturæ facta est hæc gratia, ut uniretur Filio Dei in unitate personæ. — Sed secundum hoc, locutio Apostoli est impropria propter duo. Primo quidem *ratione communi;* non enim dicimus naturam alicujus prædestinari, sed ejus suppositum, quia prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. Secundo, *ratione speciali*, quia esse Filium Dei non convenit humanæ naturæ; est enim hæc *(propositio)* falsa: Humana natura est Filius Dei, nisi forte quis velit sic exponere extorta expositione: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, id est, prædestinatum est, ut humana natura uniretur Filio Dei in persona. — Relinquitur ergo, quod prædestinatio attribuatur personæ Christi; non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Unde cum dixisset Apostolus: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, subjunxit: *Qui prædestinatus est Filius Dei ex virtute*, ut daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute. Quamvis enim sit naturale illi personæ, secundum se consideratæ, quod sit Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis. »

II. Christus prædestinatus est Filius Dei, secundum quod homo.

299. — S. Thomas dicit ibidem, art. 2: « In prædestinatione duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius prædestinationis æternæ, et secundum hoc importat antecessionem quamdam, respectu ejus quod sub prædestinatione cadit. Alio modo, potest considerari secundum effectum temporalem, qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. — Dicendum est ergo quod secundum utrumque istorum, attribuitur prædestinatio Christo ratione solius humanæ naturæ; nam humana natura non semper fuit Verbo unita; et ei etiam hoc per gratiam est collatum, ut Filio Dei in persona uniretur. Et ideo solum ratione humanæ naturæ, prædestinatio competit Christo; unde Augustinus dicit in lib. de Prædestin. Sanctor., cap. 15: *Prædestinata est ista humanæ naturæ tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet.* Hoc autem dicimus convenire alicui secundum quod homo, quod ei convenit ratione humanæ naturæ. Et ideo dicendum est, quod Christus secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei. »

III. Christi prædestinatio est gratuita.

300. — Hæc gratuitas in hoc consistit, quod nulla, sive ipsius Christi, sive aliorum merita prædestinationem istam præcesserint. Probatur ex 3. q. 2, art. 11, corp.

1°) « Quantum ad ipsum Christum, manifestum est, quod nulla ejus merita potuerunt præcedere unionem *(hypostaticam)*. Non enim ponimus, quod ante fuerit purus homo, et postea per meritum bonæ vitæ obtinuerit esse Filius Dei, sicut posuit Photinus; sed ponimus quod a principio suæ conceptionis, ille homo vere fuerit Filius Dei, utpote non habens aliam hypostasim quam Filii Dei, secundum illud Luc. 1: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ideo omnis operatio illius hominis subsecuta est unionem. Ergo nulla ejus operatio potuit esse meritum unionis. »

2°) « Sed neque etiam opera alterius cujuscumque hominis potuerunt esse meritoria hujus unionis *ex condigno*. 1°) Quidem quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quæ est virtutis præmium, et consistit in plena Dei fruitione. Unio autem Incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis. Et ideo non potest cadere sub merito. — 2°) Quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ, secundum illud Joan. 1: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* — 3°) Quia Incarnatio Christi est reformativa totius humanæ naturæ, et ideo non cadit sub merito alicujus hominis singularis, quia bonum alicujus puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ. »

« *Ex congruo* tamen meruerunt sancti Patres Incarnationem, desiderando et petendo. Congruum enim erat ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant. »

IV. Christi prædestinatio est aliquo modo causa nostræ prædestinationis.

301. — 1°) Est aliquo modo causa exemplaris, sicut docetur in 3. q. 24, art. 3: « Prædestinatio dupliciter potest considerari: Uno modo secundum ipsum actum prædestinantis; et sic prædestinatio Christi non potest dici exemplar nostræ prædestinationis: uno enim modo et eodem

actu æterno prædestinavit Deus nos et Christum.

Alio modo potest prædestinatio considerari secundum illud, ad quod aliquis prædestinatur, quod est prædestinationis terminus et effectus; et secundum hoc prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, et hoc dupliciter: Primo quidem quantum ad bonum ad quod prædestinamur; ipse enim est prædestinatus ad hoc, quod esset Dei Filius naturalis; nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis; unde dicitur Rom. 8: *Quod præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* — Alio modo quantum ad modum consequendi istud bonum, quod est per gratiam, quod quidem in Christo est manifestissimum, quia natura humana in Christo nullis suis præcedentibus meritis est unita Filio Dei. Et de plenitudine gratiæ ejus nos omnes accepimus, ut dicitur Joann., 1. »

Objiciunt: « Exemplar est conforme exemplato. Sed alterius rationis videtur esse prædestinatio Christi, quam prædestinatio nostra; quia nos prædestinamur in filios adoptionis, Christus autem est prædestinatus Filius Dei in virtute, ut dicitur Rom., 1. Ergo ejus prædestinatio non est exemplar nostræ prædestinationis. »

Respondet S. Thomas: « Dicendum, quod non est necessarium quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum aliqualiter imitetur suum exemplar. »

2°) Est aliquo modo causa efficiens. Hoc probat S. Thomas idib., art. 4, innixus hoc textu ad Eph. 1: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.* « Dicendum, inquit, quod si considerctur prædestinatio secundum ipsum prædestinationis actum, prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis, cum uno et eodem actu Deus prædestinaverit ipsum et nos. Si autem consideretur prædestinatio secundum terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Sic enim Deus præordinavit nostram salutem, ab æterno prædestinando ut per Jesum Christum compleretur. Sub prædestinatione enim æterna non solum cadit id, quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est complendum in tempore. »

PROPOSITIO IV.

B. V. MARIA FUIT PRÆDESTINATA AD MATERNITATEM DIVINAM ATQUE AD OMNIA DONA HUIC DIGNITATI CONSENTANEA.

302. — De fide est ex bulla *Ineffabilis* in qua Pius IX docet: « Deum ab initio et ante sæcula, unigenito Filio suo matrem elegisse atque ordinasse, tantoque præ cæteris creaturis amore prosecutum fuisse, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit: quapropter illam, longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos, cœlestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper esset libera. »

Probatur I. *Ex Scriptura.* Prov. 8: *Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret... Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram... Ante colles ego parturiebar.* — Eccli. 24: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam,* etc.

Atqui, juxta communem Patrum ac theologorum interpretationem, quorum testimonia congessit Passaglia in suo opere de Immaculata B. V. Conceptione, hæc verba de B. V. Mariæ sunt in sensu mystico intelligenda. — Præterea S. Ecclesia hos textus B. Mariæ in sua liturgia applicat, sicut dicitur in præcitata bulla *Ineffabilis:* « Ipsissima verba, quibus divinæ Scripturæ de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repræsentant, consuevit Ecclesia tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quæ uno eodemque decreto cum divinæ Sapientiæ incarnatione fuerant præstituta. »

Ergo B. V. Maria eodem decreto prædestinata est mater Christi, quo Christus prædestinatus est Filius Dei secundum suam humanitatem.

Probatur II. *Ex Patribus.*

S. Joannes Damascenus, orat. in Annunt. Deiparæ: « Ave, gratia plena, quæ ex omnibus generationibus, tribubus, populis, gentibus et linguis electa es. Ave, gratia plena, quæ ante sæcula Creatori ac Regi sæculorum fuisti destinata. »

S. Petrus Damianus, serm. 44: « Hæc est Beatissima Virgo ante constitutionem mundi, in consilio æternæ Sapientiæ electa et præelecta. »

S. Bernardus, sup. Missus homil. 3, n° 4, laudat « B. Mariam nec noviter, nec fortuito inventam, sed a sæculo electam, ab Altissimo præcognitam et sibi præparatam, ab Angelis

servatam, a Patriarchis præsignatam, a Prophetis promissam. »

Probatur III. *Ex catholicis doctoribus.*

S. Bernardinus Senensis, serm. 51 de B. V. cap. 4, matrem Dei sic alloquitur: « Tu ante omnem creaturam in Mente Dei præordinata fuisti, ut omnium feminarum castissima, Deum ipsum hominem verum ex tua carne procreares; ut perdito mundo recuperares aditum, et vitæ perennis emolumentum præparares; ut præ omnibus, post Filium, Regina cœlorum effecta, gloriosa regnares. »

Suaresius, de Mysteriis vitæ Christi, disp. 1, sect. 3, n.° 4, T. 19, oper.: « Ecclesia sancta ad Virginem accommodat testimonium illud, quod de Christo exposuimus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, et illud: *Ab initio et ante sæcula creata sum* etc. quia, videlicet, Mater non fuit a Filio disjuncta, etiam in electione divina. »

Cornelius a Lapide in Eccli. 24, v. 1 et 2: « Sicut Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, sic et B. Virgo dicitur *primogenita omnis creaturæ*, quia prædestinata fuit a Deo ante cæteras omnes creaturas. Sicut enim Christus prædestinatorum est primus, ut docent Scriptura et Theologi, sic et B. Virgo; cum enim prædestinatus est Christus Christique incarnatio, simul prædestinata est ejus conceptio et nativitas ex B. Virgine; non enim decebat, nisi ex illa, illum carnem assumere. »

Probatur IV. *Ex ratione theologica.* Omnia quæcumque facit Deus in tempore, ab æterno præscit ac præordinat, secus ad extra operaretur sine scientia, ratione et providentia, quod asserere foret blasphemum. — Atqui de fide est, quod B. V. Maria in tempore vere a Deo facta est Mater Dei, et præstantissimis donis cumulata. — Ergo ab æterno fuit a Deo prædestinata ad maternitatem divinam, atque ad omnia dona huic dignitati consentanea.

Consectaria. I. B. V. Maria fuit prius prædestinata ad divinam maternitatem, quam ad cætera dona gratiæ et gloriæ, nam juxta verba bullæ *Ineffabilis* superius citata, et juxta communem Patrum ac theologorum sententiam, divina maternitas est ratio omnium donorum, quibus B. Virgo fuit præ cæteris creaturis cumulata.

Dicit enim Suaresius, de Myst. vitæ Christi, disp. 1, sect. 2, n.° 7: « Sicut ratione unionis *(hypostaticæ)* debetur humanitati Christi summa gratia et gloria, ita ratione divinæ maternitatis debetur Virgini, suo modo, magna quædam plenitudo gratiarum, ut exposuit S. Thomas 3. q. 7, art. 10, dicens *in Virgine fuisse plenitudinem gratiæ tali dignitati proportionatam.* — Quomodo etiam dixit Augustinus, lib. de Nat. et grat., cap. 37: *Inde novimus tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit, ac parere.* — Et Sophronius, Serm. de Assumpt.: *Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum.* — Et ad eumdem modum loquitur Anselmus, lib. de Conceptu Virg., cap. 18; Ildephonsus, lib. de Virg. Mar., cap. 2; Richardus de S. Vict., lib. 2. de Emmanuel, cap. 26. »

His locis a Suaresio citatis addi possunt S. Joannes Damascenus, Serm. de Dormit B. V.; S. Bonaventura, Specul. B. Virg., lect. 5; S. Thomas in Rom. 8, lect. 5: « Unicuique dat *(Deus)* gratiam proportionatam ei ad quod eligitur... Post Christum habuit maximam plenitudinem gratiæ B. Maria, quæ ad hoc est electa ut esset mater Christi. »

II. B. V. Maria fuit ad maternitatem divinam prædestinata ante ullam meritorum ejus prævisionem; nam si divina maternitas fuit ratio plenitudinis gratiæ a B. Maria acceptæ, utique fuit a Deo intenta ante gratiam Mariæ conferendam, ac proinde ante prævisa ejus merita, quorum gratia est fundamentum. Ergo Maria non potuit de condigno mereri maternitatem divinam, nec a fortiori Incarnationem Verbi, quæ divinam maternitatem præcessit in Mente Dei; sed mereri potuit ut congrue esset mater Dei, quia gratia ipsi præparata a Deo, erat dignitati Matris Dei proportionata.

Ad hæc S. Thomas 3. q. 2, art. 11, ad 3^{m}: « B. Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari; sed quia meruit, ex gratia sibi data, illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei. »

Denique si *quæratur* utrum B. Maria fuerit ad maternitatem divinam prædestinata ante vel post prævisionem peccati originalis, *respondebimus* hanc quæstionem pendere a quæstione de prædestinatione ipsius Christi ad unionem hypostaticam, ante vel post peccatum Adæ, quam quæstionem solvemus in Tomo III, Parte II.

PROPOSITIO V.

DIVINUM EXISTIT REPROBATIONIS POSITIVÆ DECRETUM, QUOD EST HYPOTHETICUM, SEU EX PRÆVISIONE PECCATI CONCEPTUM.

303. De fide est, Deum neminem positive reprobare, ac pœnis addicere, ante prævisionem peccati. Etenim Concilium Valentinum III, can. 3,

dicit: « Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum, misericordiam præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium. » — Similiter Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 17, definivit: « Si quis justificationis gratiam, nonnisi prædestinatis ad vitam, contingere dixerit; reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit. »

Argumentum I.

Ex Scriptura.

Primo afferemus Scripturæ testimonia, et deinde refellemus objectiones ex Scriptura desumptas.

§ I.

Afferuntur Scripturæ testimonia.

304. — I. S. Scriptura apertissime docet Deum velle æternam omnium hominum salutem.

Legitur in 1 Tim. 2, v. 4: *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* — Atqui, hæc Dei Voluntas non est absoluta, quia ex ipsa Scriptura patet non omnes homines de facto salvari, sed multos reprobari. — Ergo est hypothetica, nempe nisi homines peccato se indignos reddant æterna salute.

Deus igitur, Voluntate *antecedente* meritorum prævisionem, vult omnes homines salvare, et *consequente* tantum Voluntate vult reprobare ac supplíciis æternis deputare eos, qui peccando facti sunt salute indigni. Si autem Deus absoluto decreto et ante peccati prævisionem aliquos positive reprobaret, tunc nec antecedente nec consequente Voluntate illos salvare vellet, et ideo doctrina S. Pauli falsa esset, cum absolutum reprobationis decretum excludat omnem salvandi Volontatem.

II. **Scriptura manifeste negat Deum absolute velle quorumdam damnationem,** quemadmodum blasphemavit Calvinus.

Exech. 18, v. 23, 31 et 32: *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?... Et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini et vivite.* — Ibid. 33, v. 11: *Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem impii sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

Sap. 1 v. 13: *Deus mortem non fecit nec lætatur in perditione vivorum.* — Ibid. 11, v. 35: *Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti.* — Item 12 v. 15: *Cum ergo sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tuâ virtute.*

2. Petr. 3, v. 9: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

III. **Scriptura non aliam damnationis causam indicat nisi voluntarium divinæ gratiæ neglectum.**

Apud Matth. 25, Christus sic reprobos alloquitur in ultimo judicio: *Discedite a me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, etc.*

Rom. 2: *Reddet unicuique secundum opera ejus... Iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.*

Proverb. 1: *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Osee 13: *Perditio tua ex te, Israel!*

§ II.

Refelluntur objectiones ex Scriptura desumptæ.

305. — **Objectio I.** Allatum Apostoli testimonium: *Omnes homines vult salvos fieri,* propositionem non probat, quia S. Augustinus, cujus auctoritas tanta est in præsenti materia, non universaliter, sed cum limitatione intelligit *omnes homines* de quibus loquitur S. Paulus.

Etenim in lib. de Prædest. Sanctor., cap. 8, intelligit omnes electos; in Enchirid., cap. 103, intelligit omnia hominum genera; et in lib. de Corrept. et grat., cap. 15, intelligit voluntatem salutis omnium hominum in nobis excitatam.

Respondetur triplicem S. Augustini interpretationem non esse litteralem, nec propriam, sed impropriam ac directam contra errores Pelagianorum et Semipelagianorum, qui creatæ voluntatis vires in opere salutis exaggerabant. Sed hoc non obstante, nunquam negavit generalem et antecedentem Dei Voluntatem salvandi omnes homines, imo hanc perpetuo supponit in variis locis in Argum. II citandis, ubi loquitur de Christi morte pro omnibus, et de gratia sufficienti omnibus collata. — Estius in suo S. Pauli commentario, ex contextu probat, prædicta Apo-

stoli verba litteraliter intelligenda esse in sensu penitus universali, et tres interpretationes restrictas S. Augustini non esse scopo S. Pauli congruas « quia, inquit, sensum faciunt haud procul universalem, ut manifestum est; multos enim homines exceptos relinquunt, et proinde non conveniunt instituto Apostoli, qui docere vult, orandum esse pro omnibus hominibus sine exceptione. Adde, quod ita dicitur Deus omnes velle salvos fieri, ut etiam addi possit, quod neminem velit perire; nam utrumque conjunxit Petrus apostolus dicens, Deum nolle aliquos perire, sed *omnes ad pœnitentiam reverti* (2 Petr. 3). Atqui, hæc negatio non recipit dictas tres interpretationes. Ergo nec illa affirmatio. »

Objectio II. Scriptura solam Dei Voluntatem potius quam hominum peccata, assignat ut reprobationis causam. Dicitur enim Rom. 9: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui... Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam... Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat... An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Respondetur hunc textum duplici modo a catholicis theologis explicari. Alii enim existimant Apostolum hîc loqui *de prædestinatione ad gloriam*, ac de reprobatione ad pœnam æternam; et isti hæreticis respondent, ex doctrina S. Pauli non posse concludi absolutum reprobationis decretum; nam si Apostolus negat in Esau peccata actualia ac propria, non negat peccatum originale, propter quod reprobari meruit. Pro se citant S. Augustinum, Epist. 186 ad Paulin., n.° 21 et Epist. 194, cap. 5 ad Sixt., ubi comparatio figuli sic explicatur: « Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa, utique merito recteque damnata, facere aliud vas in honorem indebitum, propter misericordiæ gratiam; aliud in contumeliam debitam, propter iræ justitiam? »

Alii vero theologi putant S. Paulum solummodo loqui *de prædestinatione ad gratiam*, ut ostendat Deum non injuste erga Judæos agere, si etiam gentilibus gratiam fidei largiatur, cum liberrimus sit in supernaturalibus, sicut in naturalibus donis impertiendis, quod exemplo Esau et Jacobi illustratur, quibus ad suum nutum concessit vel negavit temporalem benedictionem. Adjiciunt neminem indurari nisi in punitionem peccatorum actualium, et neminem fieri vas contumeliæ aptum in interitum, nisi in pœnam peccati originalis vel actualis. — Ergo ex neutra theologorum catholicorum explicatione erui potest absolutum reprobationis decretum.

Objectio III. Scriptura testatur Deum aliquos absolute reprobare ad gloriam suam manifestandam. Dicitur enim in Prov. 16, v. 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.*

Respondetur, his verbis non asseri, Deum aliquos absolute reprobare, sed impios tantum peccatis inquinatos, ad æternam damnationem destinare ad manifestandam justitiam suam vindicativam. — Atqui, hoc decretum est hypotheticum, seu concipitur a Deo ex impietatis prævisione. — Ergo non est absolutum, sicut affirmant hæretici.

Argumentum II.

Ex Ecclesiæ Patribus et Doctoribus.

Hoc argumento patebit præcipuos Ecclesiæ magistros semper et ubique docuisse, quod Deus Voluntate generali, seu antecedente, vult omnes homines salvare, ac consequenter neminem reprobat, nisi ob prævisum ejus peccatum.

§ I.

Probatur ex Patribus.

306. — Testimonia afferemus 1°) Patrum Ecclesiæ græcæ et latinæ, S. Augustino priores ac coævos; 2°) ipsius S. Augustini ejusque discipulorum.

I. **S. Irenæus** lib. 4 adv. hæres., cap. 28: « Quotquot non sunt credituri, Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, et avertit faciem ab ipsis, relinquens eos in tenebris, quas sibi elegerunt. »

S. Methodius in lib. de Resurrect. apud Œcumenium in cap. 9 Epist. ad Rom.: « *Aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam;* non quod alios bonos, alios non bonos faciat, absit. Dei enim Bonitas ad omnes communiter pertinet, et quantum in ipso situm est, nempe secundum ipsius Consilium et Voluntatem, vellet omnes probos ac fideles esse, atque virtute præditos; sed ut jus potestatemque divinam exprimeret *(Apostolus)*, qua quæcumque vult, facere potest *(Deus)*, istud posuit. »

S. Cyrillus Hieros. in Catech. 18: « Cum benignus sit Dominus, non unum vel alterum tantum, sed multos ad æternæ vitæ januam aditus

aperuit, ut omnes ea, quantum in ipso est, nullo impediente potiantur. »

S. Basilius, Homil. in Psalm. 29; v. 6: *Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus:* « Quid ergo dicit? Nimirum hoc ipsum esse, quod Deus vult, omnes vitæ participes fieri; quæ autem calamitates accidunt, eas non de ipsius Voluntate *(absoluta et antecedente)* fieri, sed pro eorum qui peccaverunt, merito decerni. »

S. Gregorius Nyssen. in Orat. catech. cap. 30: « Ad omnes pariter procedit vocatio, nec auctoritatem, nec ætatem, nec gentium discernens differentiam... Itaque in eos, qui ad fidem adducti non sunt, criminatio multo justius transferri potest, non in eum qui vocavit ad consensionem. »

S. Chrysostomus in Epist. ad Rom. homil. 16, n.° 5: « Si omnes peccaverunt, cur alii salutem adepti sunt, alii perierunt? Quia non omnes accedere voluerunt; alioquin, quantum in ipso est, omnes salvati essent, nam omnes sunt vocati. » — Et in 2. Tim., homil. 7, n.° 1: « Numquid etiam pro gentilibus mortuus est Christus? Etiam pro gentilibus mortuus est. Quomodo igitur non crediderunt? Quia noluerunt; suas tamen partes ille explevit. » — Item lib. 1. ad Stagirit. seu de Provid., n.° 6: « Si ex dilectione correptio, ex odio derelictio est; neque ejusdem est quempiam simul et amare et odisse, neque corripere simul et derelinquere. Quomodo igitur, inquies, multi corruerunt? Seipsos illi Deo privaverunt, non autem a Deo derelicti sunt. »

S. Joannis Damasceni doctrina inferius a S. Bonaventura et S. Thoma referetur.

S. Isidorus Pelusiota lib. 2, epist. 270: « Modis omnibus salvari vult *(Deus)* eos, qui in vitio volutantur, et ad eos ablegat qui remedium adhibeant, non ignorans quidem fore ut illi morbo intereant; sed ut omnem eis excusationem eripiat: nam etsi ab insania non resipiscant isti, hunc tamen inde fructum consequitur, quod suas ipse partes sit exsecutus. »

Tertullianus lib. de Præscript., cap. 8, sic loquitur de Judæorum reprobatione: « Judæi retro penes Deum fuerunt; dehinc rejecti ob delicta, extra Deum esse cœperunt. »

S. Cyprianus, Epist. 52, n° 15: « Scriptum est: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*, qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere et per pœnitentiam denuo ad vitam æternam redire. »

S. Hilarius in Psalm. 118, v. 105 *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* « Stat ad ostium Verbum Dei, et pulsat ostium animæ nostræ, et dicit: *Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum.* Vult ergo semper introire, sed a nobis, ne introeat, excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. Qui si cœperit, emundatis omnibus, patere, illico introit, modo solis, qui clausis fenestræ valvis prohibetur, patentibus vero totus immittitur. Ipse quidem semper, ut illuminet, promptum est; sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim Verbum Dei sol justitiæ, assistens unicuique ut introeat, nec moratur lucem suam apertis aditibus infundere. »

S. Ambrosius, lib. 2 de Cain et Abel, cap. 3, n.° 11: « Ideo omnibus opem sanitatis detulit *(Christus)*, ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere; Christi autem manifesta in omnes misericordia, eo quod ii qui pereunt, sua pereunt negligentia; qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberantur, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. »

S. Hieronymus ad Hedibium quæst. 11, sic explicat Apostoli verba: *Aliis odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam* (2. Cor. 2, v. 16): « Homines suo arbitrio relicti sunt; neque enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli suppliciis mancipentur. Ideo odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum et vitio, qui suscipiunt, sive non suscipiunt, in vitam transit aut in mortem, ut qui crediderint, salvi fiant, qui vero non crediderint, pereant. »

II. **S. Augustinus** ipse eamdem tradidit doctrinam. Dicit enim in tract. 12 in Joan., n°. 12: « Misit Deus in mundum unigenitum Filium suum, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Quantum in medico est, paratus est ad ægrum sanandum; ipse se interimit, qui præcepta medici non vult servare. Venit Salvator in mundum; quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso? Ex te judicaberis. » — In lib. 3 cont. Julian., cap. 18: « Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est. » — In lib. de Perfect. justit. cont. Cœlest., cap. 13: « Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum; sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Super hos enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam. » — In lib. 1. operis imperf., n.° 130: « Non abstinet Deus bonum formationis suæ, etiam a stirpe damnata. Sed si tibi displicet, Deum creare quos damnet, contradic ei, si potes, ne creet eos, quos malos futuros, et

in malignitate usque ad finem perseveraturos, et ob hoc, sine dubitatione damnandos esse præscivit. »

S. PROSPER in Resp. ab Object. 12 Vincentii, cum magistro suo Augustino consentit, dicens: « Hi de quibus dicitur: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum:* voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati , si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi. » — Item in Resp. ad Object. 2[m]): « Sincerissime credendum atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. » — In Resp., ad object. 3[m] Gallorum: « Quod hujusmodi in hæc prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. »

S. FULGENTIUS, alius S. Augustini discipulus, ait in lib. 1. ad Monimum, cap. 24: « Prædestinavit (Deus) illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros. »

§ II.

Probatur ex catholicis doctoribus.

307. — Scholæ principes aperte profitentur Deum, Voluntate antecedente, velle omnes homines salvos fieri, et ideo neminem reprobari, nisi propter prævisa peccata.

I. S. BONAVENTURA in I, dist. 46, art. 1, q. 1, declarat diversas esse doctorum catholicorum sententias ad explicandum quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri, et tamen non omnes salventur. Deinde adjicit: « Sed *Damascenus* facit vim in modo volendi. Distinguit enim in Deo Voluntatem *antecedentem*, et Voluntatem *consequentem*.... Prima, scilicet, antecedens dicitur a magistris voluntas *conditionalis*, sive voluntas qua Deus vult, quantum in se est; secunda autem, scilicet consequens, dicitur *absoluta*. — Differentia autem inter hanc voluntatem et illam, non est secundum diversitatem affectionis, sive modi volendi, qui sit in Deo, sed secundum rationem connotandi et intelligendi, Prout enim dicitur Deus velle omnium salutem, quantum in se est et *antecedenter*, connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim eis Deus naturam, secundum quam possent eum cognoscere, et cognitum quærere, et invento inhærere, ac per hoc salutem obtinere. Gratiam similiter obtulit, dum Filium misit et obtulit, cujus pretium omnium saluti sufficit. Leges etiam et mandata tribuit salutis, et ostendit. Ipse enim præsto est omnibus inquirentibus, et prope est omnibus invocantibus eum. Velle ergo hominem antecedenter salvare, est ordinatum ad salutem facere, et volenti pervenire non deesse. Unde velle *antecedenter* salvare, non connotat salutem, sed ordinabilitatem ad salutem. Velle autem *consequenter* sive absolute salvare, est velle dare salutem ei quem præscit ad salutem perventurum per suum auxilium et gratiam, et connotat salutis effectum; et sic non est dicere, quod Deus velit omnes homines salvos fieri. — Huic responsioni magis consonant magistri, quamvis utraque bona sit. Secundum hanc ergo respondendum, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, quantum in se est Voluntate *antecedente*, non autem Voluntate absoluta, sive *consequente;* et quia illa non connotat effectus eventum, ideo non impeditur in hoc, quod non omnes salventur... » — « Ad illud quod objicitur, quod voluntas conditionata non cadit in Deum, dicendum quod non ponitur in Deo velleitas quantum ad defectum plenitudinis voluntatis, nec propter diversos modos volendi, sed propter aliam comparationem in connotando. »

II. S. THOMAS in 1 q. 19, art. 6, ad 1[m]) indicatis tribus S. Augustini interpretationibus de Voluntate Dei salvandi omnes homines, quas supra retulimus, mox adjicit: « Tertio loco secundum Damascenum intelligitur *(textus Apostoli 1 Tim. 2, v. 4)* de Voluntate antecedente, non de Voluntate consequente; quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius Voluntatis divinæ, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. — Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum; quod tamen, prout cum aliquo adjuncto consideratur, quod est consequens, consideratio ejus e contrario se habet, sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere. Unde potest dici, quod justus judex an-

tecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ. »

Lib. 3. cont. Gent., cap. 159: « Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit, potest tamen scipsum impedire, ne eam recipiat. Cum hoc sit in potestati liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; *vult* enim *omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,* ut dicitur 1 Tim. 2, v. 4. Sed illi soli gratia privantur, qui in scipsis gratiæ impedimentum præstant; sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur. »

III. **Scotus** in 1 dist. 46, quæst. unica, ad 1[m] argum., Apostoli verba: *Deus vult omnes homines salvos fieri,* sequenti modo explicat: « Dico quod licet illud dictum Apostoli posset exponi de distributione accommodata pro omnibus qui salvi fient, tamen multo melius potest exponi *de Voluntate antecedente* sic: Id est, vult omnes homines salvare et salvos fieri, quantum scilicet est ex parte sui, et Voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, et leges rectas, et adjutoria communia sufficientia ad salutem etc.... Ita dico in proposito, quod etsi Deus non habeat Voluntatem beneplaciti, id est absolutam et consequentem, ad istum salvandum, tamen vult isti illa adjutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene vivere, et salvari; propter quæ dici potest, quod quantum est ex parte sui, vult omnes salvos fieri. »

§ III.

Refutantur objectiones ex S. Augustino et S. Thoma desumptæ.

308. — **Objectio I.** Voluntas antecedens ac conditionata non semper impletur. — Atqui S. Augustinus nullam in Deo agnovit veram voluntatem, quæ non impleatur, nam in Enchirid. cap. 95, ait: « In clarissima luce videbitur, quam *certa, immutabilis, efficacissima sit Voluntas Dei;* quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit; quamquam sit verum quod in Psalmo canitur: *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Quod utique non est verum, si aliqua voluit et non fecit, et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit. » Et cap. 96 addit: « Quod nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. » Similia habet lib. de Corrept., et grat., cap. 14. — Ergo cum certum sit reprobos non fore salvandos, legitime infertur, juxta S. Augustinum, Deum non velle ut reprobi salvi fiant.

Respondetur distinguendo Minorem. S. Augustinus in locis allegatis loquitur *de Voluntate Dei absoluta et consequente,* quæ semper impletur; sed non ideo negat omnem veram *Dei Voluntatem, quæ ex parte Dei sit efficax, et conditionata ex parte creaturæ.* Id patet ex eo, quod in his locis S. Augustinus sibi proponit refellere Pelagianos, qui nullam admittebant Voluntatem absolutam, efficacem et consequentem salvandi electos, sed asserebant omnem Dei Voluntatem esse conditionatam ex parte creaturæ, et quidem ex solis liberi arbitrii viribus, addentes Deum non posse hominem salvare sine his naturalibus conditionibus. Ad hunc errorem impugnandum, sanctus doctor omnibus viribus contendit ut probet, Deum per gratiam prævenire, excitare et adjuvare liberum arbitrium in quolibet actu bono; imo per gratiam efficacem, sine libertatis læsione, ita in nobis operari velle et perficere, ut actus bonus infallibiliter ponatur; atque ad hoc confirmandum extollit Voluntatis divinæ omnipotentiam.

Verumtamen S. Augustinus *non negavit generalem Voluntatem antecedentem salvandi omnes,* veram ac seriam ex parte Dei, sed conditionatam ex parte hominis. Nam in lib. de Spir. et litt., cap. 33, ait: « *Vult* autem *Deus omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,* non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen vincunt, sed seipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. »

Præterea in Enchirid., cap. 102, sanctus doctor eodem modo loquitur de Dei Voluntate salvandi homines et omnes angelos. — Atqui fatente ipso Jansenio, lib. 10 de Grat. chr., cap. 1, Deus habuit « generalem Voluntatem benevolentiæ erga omnes angelos, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est. »

Sed nihilominus certum est, non omnes angelos esse salvatos, neque in omnibus hanc Dei Voluntatem fuisse impletam. — Ergo S. Augustinus aperte profitetur divinam Voluntatem, quæ ex parte Dei efficax est, et ex parte creaturarum conditionata.

Objectio II. S. Augustinus in lib. de Grat. et lib. arb. cap. 21 citat plurima Scripturæ loca in quibus Deus dicitur *obscurare, indurare,* et sic prosequitur: « His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum esset, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum. » — Ergo reprobi, Deo operante, in malum pertrahuntur.

Respondetur. Hæc S. Augustini verba S. Thomas ita explicat, lect. 3 in cap. 9 ad Rom.: « Quod Deus dicatur operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates sive ad bona, sive ad mala; aliter tamen ad bona, aliter ad mala; nam ad bona inclinat hominum voluntates *directe et per se,* tanquam Auctor bonorum; ad malum autem dicitur inclinare vel suscitare homines *occasionaliter,* inquantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum. »

Ipse S. Augustinus, loco nobis objecto, postquam iterum dixisset: « Deum operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum », subdit: « Quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem »; quibus verbis non obscure innuit, Deum hominibus propter præcedentem culpam gratias efficaces subtrahere, unde fit, ut in peccata labantur.

Objectio III. S. Thomas 1. q. 19, art. 6, admittit quidem cum Damasceno Voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes, sed ibid., ad 1[m]) docet quod Voluntas antecedens *magis velleitas, seu voluntas secundum quid dicenda sit,* quam vera et actualis voluntas.

Respondetur. S. Thomas seipsum explicat loco citato dicens: « Simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. » Atqui, Voluntas antecedens abstrahit ab illis circumstantiis particularibus, seu personalibus. Ergo mirum non est, quod non dicatur simpliciter voluntas, sed secundum quid, seu velleitas; non quod sit in Deo actus suspensio vel imperfectio quædam, aut non sit vera et actualis Voluntas, absit; hanc enim antecedentem Voluntatem *beneplaciti* esse, docet S. Thomas, et eam vocat velleitatem aut voluntatem secundum quid, comparate ad Voluntatem absolutam et consequentem, quæ semper impletur ac finem obtinet, non ita vero Voluntas antecedens. — Ideo Gonetus, de Volunt. Dei, disput. 4, art. 3, § 2, propositam objectionem sic solvit: « Per hoc non intendit docere illam non esse Voluntatem de facto, aut non esse formaliter in Deo, sed solum illam non esse Voluntatem simpliciter, sed secundum quid, quatenus attingit objectum secundum se, et præcisum a circumstantiis. »

Confirmatur ex eo, quod doctor angelicus comparat illam Voluntatem antecedentem voluntati mercatoris, qui imminente tempestate, vere et serio vult salvare merces, quas tamen Voluntate consequente projicit in mare, ut vita salvetur. Manifeste ergo per Voluntatem Dei antecedentem intelligit veram, sinceram et actualem Voluntatem.

Argumentum III.

EX RATIONIBUS THEOLOGICIS.

§ I.

Probatur propositio.

309. — I. Ex fine totius operationis Dei ad extra.

Deus omnia operatur ad gloriam suam, seu ad infinitas perfectiones suas manifestandas. Ergo eumdem habet finem in destinanda hominum sorte, nam Bonitatem suam manifestat volendo omnium hominum felicitatem; ostendit Misericordiam suam peccatores sufferendo atque ad pœnitentiam provocando; Sanctitatem vero et Justitiam peccatores impœnitentes puniendo. — Atqui, si aliquem absolute reprobaret sine prævisо peccato, tali actu Bonitatem non manifestaret, sed potius crudelem se exhiberet, nec Justitiam, cum non videret peccatum quod pœnam mereretur. — Ergo admitti nequit actus oppositus fini, quem juxta rationem ac revelationem Deus omni operationi suæ ad extra præfigit. Ergo Deus neminem reprobat nisi ex peccati prævisione.

II. Ex notione divinæ Justitiæ.

In sacra Scriptura Deus frequentissime dicitur justus, et Justitia ejus prædicatur. — Atqui per divinam Justitiam nihil aliud intelligi potest, quam æterna Dei Voluntas bonos remunerandi et malos puniendi. — Ergo quanto certum est Deum esse justum, tanto certum est Deum punire non velle nisi malos seu pecca-

tum. In sententia autem Calvini de absoluto reprobationis decreto, totus Justitiæ divinæ ordo subvertitur, et ipsa Justitia divina negatur.

III. **Ex morali Providentiæ divinæ ordine.** Deus omnes homines creavit, ut veritatem cognoscentes, moralitatem perfectam libere sectentur, et ita æternam felicitatem consequantur. — Atqui, si talis est omnium hominum destinatio, manifeste sequitur neminem a Deo absolute destinatum esse ad æternam infelicitatem. — Ergo divina reprobatio non est nisi ex prævisione immoralitatis seu peccati.

Præterea certum est Deum esse sapientissimum gubernatorem totius universi, non tantum in ordine physico, sed etiam in ordine morali. — Atqui, ut homines moraliter perficiantur malum fugiendo et bonum faciendo, Deus ipsis proponit pœnas et præmia, quibus lex moralis sancitur. — Ergo si Deus pro aliquibus pœnas absolute destinaret, sine prævisis eorum demeritis, moralis ordo divinæ Providentiæ totus turbaretur, et validissima moralitatis motiva e medio ejus tollerentur. Ergo Deus neminem reprobat nisi ex demeritorum ejus prævisione.

IV. **Ex Christi satisfactione.** De fide est Christum, ut Mediatorem, homines redemisse ac Deo reconciliasse, iisque meruisse gratiam et gloriam. — Atqui, Redemptio hæc est universalis, nam de fide est Christum non solum pro prædestinatis mortuum esse, sed est veritas certa, catholica et proxima fidei, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus saltem adultis; et est sententia certa ac communis apud theologos, Christum etiam pro infantibus sine Baptismo decedentibus mortuum esse. — Ergo Christus vult omnes homines salvare, cum gratiam et gloriam omnibus meruerit. Ergo si aliqui non salvantur, id ex alia causa fieri nequit, nisi quia in ipsis non adimplentur conditiones ad actualem Redemptionis participationem requisitæ, ex eo quod vel a peccato originali per Baptismum non liberantur, vel per peccatum actuale gratiam amittunt. Ergo ob solum peccatum reprobantur.

§ II.

Refutantur objectiones ex ratione desumptæ.

310. — **Objectio I.** Ille censendus non est velle omnium salutem, voluntate etiam conditionata, qui cum possit ponere salutis conditionem conferendo gratiam efficacem, eam non ponit. — Atqui Deus plurimis hominibus non tribuit gratiam efficacem, sive ad fidem recipiendam, sive ad agendam pœnitentiam. — Ergo censendus non est velle istorum salutem.

Respondetur. Major esset vera, si conditio salutis ponenda penderet a solo Deo, nempe si gratia concedenda non exigeret liberam hominis cooperationem, sed esset efficax in sensu Jansenii ac necessitaret voluntatem. Falsa autem est Major, quia ponenda conditio etiam ab homine pendet, cujus liberum arbitrium per gratiam motum et excitatum vel dissentire potest, vel consentire. Ergo ut Deus dici possit habere Voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, ex ipsius parte satis est si omnibus hominibus largiatur gratias vere sufficientes, quibus si homines non restiterint, vel consenserint, de facto gratiam efficacem et salutem consequantur. — Atqui Deus gratias vere peccatoribus et infidelibus, sicut docent omnes theologi, quemadmodum videbimus in Tomo II, n.° 1143 et 1149, licet inter se disputent circa notionem gratiæ efficacis et gratiæ sufficientis.

Generatim loquendo, argumenta quæ ex gratiæ defectu petuntur suspecta sunt, quia distributio gratiarum est operatio divina, et proinde nobis inscrutabilis. Quis enim cognoscere potest internas illuminationes et inspirationes, quibus Deus infinite misericors satagit tum peccatores, tum infideles ad se trahere? Et utinam iis consentirent! Tunc facile per orationem aliosque actus bonos reciperent gratias uberiores et efficaciores, quibus ad salutem pervenirent. Ergo non licet ex gratiæ defectu corollaria deducere contraria tum infinitæ Dei Bonitati, tum divinæ ac certæ revelationi, quæ testatur, Deum velle omnes homines salvos fieri, et Christum pro omnibus mortuum esse.

Objectio II. Si Deus vere ac sincere vellet omnes homines salvare, certe etiam efficeret ut omnes infantes, qui ante usum rationis decedunt, baptismum recipiant. — Atqui contrarium passim observatur, nam plurimi infantes sine baptismo moriuntur. — Ergo de ipsis dici nequit quod Deus serio velit eos salvare.

Respondetur negando Majorem. Nam sicut Christus pro omnibus mortuus est, ita etiam Baptismum pro omnibus instituit, imo etiam apud Matth., 28, v. 19, præceptum dedit ut omnes baptizarentur. Ergo Dei Voluntas omnes homines salvandi elucet ex ipsa Baptismi institutione, quod potest a quovis homine et per materiam ubique obviam conferri. Quod si non omnes infantes baptizentur, nullatenus Deum culpare licet, sed hoc ex hominum malitia repetendum est, vel ex aliis circumstantiis, quæ per Omnipotentiam mutare repugnaret sapientissimis Providentiæ divinæ consiliis.

Hinc *Tricassinus*, de Prædest., Pars 2, Sect. 3, § 3 eamdem objectionem solvens dicit: « Si Deus

denegat illam primam gratiam efficacem parvulis, quia nempe non efficit ut perveniant ad gratiam Baptismi, tunc communiter hoc accidit vel propter negligentiam aut malitiam parentum, vel propter rerum ordinem ita se habentem ut naturaliter non possit parvulus pervenire ad gratiam Baptismi, seu ad recipiendum Baptismum; et tunc se habet permissive ad hanc privationem, quia non tenetur invertere communem rerum ordinem impedientem hanc Baptismi receptionem, nec vim inferre voluntati parentum, qui noluerunt Baptismum parvulo conferri; cum maxime pertineat ad sapientem Dei Providentiam sinere res agere secundum suam naturam, liberas libere, contingentes contingenter, et non passim miracula facere, susdeque omnia vertere propter bonum aliquorum particularium. Sufficit quod parvulus non damnetur ob hoc, quod non potuit habere Baptismum, sed quia est in peccato originali, per quod fit reus damnationis æternæ, id est privationis *(gloriæ cælestis)*. Unde privatio ista Baptismi in parvulo se habet in ordine supernaturali, quomodo monstra in ordine naturali, et quomodo mors illius adulti, qui incidit in amentiam, apoplexiam, lethargum post peccatum mortale. Ista enim omnia permittit Deus, quia ista omnia sinere pertinet ad summum omnium Provisorem, qui passim non debet immutare rerum ordinem propter bonum aliquod particulare; et sic bene satisfit huic difficultati pro parvulis. »

LIBER TERTIUS.

PROBATUR TRINUS MAJORIS MUNDI ORDO EXEMPLATUS ET PECCATO TURBATUS.

PROŒMIUM. — In tota Dei operatione ad extra, distinguendus est duplex ordo, scilicet *ordo intentionis* et *ordo exsecutionis*, qui sibi invicem opponuntur, ita ut finis, qui est primus in ordine intentionis, sit ultimus in ordine exsecutionis. *Finis* autem utriusque ordinis in operatione divini Artificis, est intenta vel obtenta assimilatio ad propriam ipsius Perfectionem, quæ est supremum omnis creatæ perfectionis Exemplar; *medium* autem seu norma divinæ imitationis in utroque ordine, sunt Ideæ divinæ, Lex æterna et divina Prædestinatio.

In Libro præcedenti probavimus hunc trinum *ordinem exemplarium*, seu modorum, quibus unitrinus omnium rerum Artifex et Exemplar intendit suam imitationem ad extra. Nunc in duobus Capitibus demonstrabimus, trinum mundi *ordinem exemplatum*, in divinæ operationis exsecutione obtentum, ejusque partialem per peccatum *turbationem*, quæ fuit, ex parte Dei, ratio melioris rerum ordinis.

CAPUT I.

PROBATUR TRINUS ORDO MAJORIS MUNDI JUXTA TRINUM DEI ORDINEM EXEMPLATUS.

Prænotanda. — Sequentes demonstrabimus Propositiones: 1°) Creaturæ possunt et debent esse Deo similes analogice. 2°) Omnes creaturæ debent esse Deo unitrino similes analogice per modum vestigii; spirituales autem creaturæ sunt ei similes per modum imaginis. 3°) Omnium creaturarum pluralitas et gradatio ordinantur ad divinam Bonitatem imitandam. 4°) Omnes creaturæ unitrino ordine in mundo disponuntur. 5°) Principalis et infallibilis effectus gubernationis mundi est illius assimilatio ad Deum, juxta variam creaturarum naturam, gratiam et gloriam.

Ex istis Propositionibus patet, creaturas posse ac debere Deum unitrinum imitari, non solum in suo *esse*, inquantum a Deo producuntur, sed etiam in suo *operari*, inquantum a Deo gubernantur.

PROPOSITIO I.

CREATURÆ POSSUNT ET DEBENT ESSE DEO SIMILES ANALOGICE.

Prænotanda. — *Similitudo*, seu *conformitas*, est plurium convenientia in forma, seu qualitate; *æqualitas* autem est plurium convenientia in quantitate dimensiva, vel virtuali. — Similitudo est vel *specifica*, vel *generica*, vel *analogica*, secundum quod similia inter se conformantur vel quoad speciem, vel quoad genus, vel quoad esse, quod est extra omnem speciem omneque genus. — *Assimilatio* fit ab ente imperfectiore ad perfectius, atque ab effectu ad causam suam, sed non viceversa. — Vide plura superius n° 97 et 120.

Inde liquet creaturas non posse esse Deo æquales, nec similes specifice vel generice, sed esse tantum ei *similes analogice;* liquet præterea Deum nullo modo esse similem suis creaturis. Hæc principia evolvit doctor angelicus in Argumento sequenti.

Argumentum.

Ex S. Thoma.

Doctor angelicus probat: 1°) creaturas non posse Deo similes esse specifice, nec generice, sed posse ac debere Deo similes esse analogice; 2°) omnes creaturas esse bonas Bonitate divina, eam imitando per formam sibi intrinsecam, ita ut ipsæ propria bonitate bonæ sint realiter.

§ I.

Creaturæ sunt Deo similes non specifice, nec generice, sed analogice.

311. — In 1. q. 4, art. 3, quærit S. Thomas *Utrum aliqua creatura possit esse similis Deo*, et sequenti modo procedit more suo.

I. « **Videtur quod nulla creatura possit esse similis Deo.**

1°) « Dicitur enim in Psal. 85: *Non est similis tui in diis, Domine.* Sed inter omnes creaturas excellentiores sunt qui dicuntur dii participative. Multo ergo minus aliæ creaturæ possunt dici Deo similes. »

2°) « Præterea, similitudo est comparatio quædam; non est autem comparatio eorum quæ sunt diversorum generum; ergo nec similitudo; non enim dicimus quod dulcedo sit similis albedini. Sed nulla creatura est ejusdem generis cum Deo, cum Deus non sit in genere, ut supra ostensum est (1. q. 3, art. 3). Ergo nulla creatura est similis Deo. »

3°) « Præterea, similia dicuntur quæ conveniunt in forma. Sed nihil convenit cum Deo in forma; nullius enim essentia rei est ipsum esse, nisi solius Dei. Ergo nulla creatura potest esse similis Deo. »

4°) « Præterea, in similibus est mutua similitudo, nam simile est simili simile. Si igitur aliqua creatura est similis Deo, et Deus erit similis alicui creaturæ; quod est contra id quod dicitur Isai. 40: *Cui similem fecistis Deum?* »

II. « **Sed contra est** quod dicitur Genes. 1: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et 1. Joan. 3: *Cum apparuerit, similes ei erimus.* »

« *Respondeo dicendum* quod cum similitudo attendatur secundum convenientiam vel communicationem in forma, multiplex est similitudo, secundum multos modos communicandi in forma. — Quædam enim dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma secundum eamdem rationem et secundum eumdem modum; et hæc non solum dicuntur similia, sed æqualia in sua similitudine, sicut duo æqualiter alba, dicuntur similia in albedine, et hæc est perfectissima similitudo. — Alio modo dicuntur similia, quæ communicant in forma secundum eamdem rationem, et non secundum eumdem modum, sed secundum magis et minus, ut minus album dicitur simile magis albo; et hæc est similitudo imperfecta. — Tertio modo dicuntur aliqua similia, quæ communicant in eadem forma, sed non secundum eamdem rationem, ut patet in agentibus non univocis. »

« Cum enim omne agens agat sibi simile, inquantum est agens, agit autem unumquodque secundum suam formam, necesse est quod in effectu sit similitudo formæ agentis. Si ergo agens sit contentum in eadem specie cum suo effectu, erit similitudo inter faciens et factum in forma secundum eamdem rationem *speciei*, sicut homo generat hominem. Si autem agens non sit contentum in eadem specie, erit similitudo, sed non secundum eamdem rationem speciei; sicut ea, quæ generantur ex virtute solis, accedunt quidem ad aliquam similitudinem solis, non tamen ut recipiant formam solis secundum similitudinem speciei, sed secundum similitudinem *generis.* »

« Si igitur sit aliquod agens, quod non in genere contineatur, effectus ejus adhuc magis accedent remote ad similitudinem formæ agentis, non tamen quod participent similitudinem formæ agentis secundum eamdem rationem speciei aut generis, sed secundum aliqualem *ana-*

logiam, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo illa, quæ sunt a Deo, assimilantur ei, inquantum sunt entia, ut primo et universali Principio totius esse. »

III. « **Ad 1m) ergo dicendum,** quod sicut dicit Dionysius, cap. 9 de div. Nomin., cum sacra Scriptura dicit aliquid non esse simile Deo, non est contrarium assimilationi ad ipsum. Eadem enim sunt similia Deo et dissimilia: *similia* quidem secundum quod imitantur ipsum prout contigit eum imitari, qui non perfecte imitabilis est; dissimilia vero secundum quod deficiunt a sua causa, non solum secundum suam intensionem et remissionem, sicut minus album deficit a magis albo, sed quia non est convenientia nec secundum speciem, nec secundum genus. »

« Ad 2m) dicendum, quod Deus non se habet ad creaturas sicut res diversorum generum, sed sicut id quod est extra omne genus et Principium omnium generum. »

« Ad 3m) dicendum, quod non dicitur esse similitudo creaturæ ad Deum propter communicantiam in forma, secundum eamdem rationem generis et speciei, sed secundum analogiam tantum, prout scilicet Deus est Ens per essentiam, et alia per participationem. »

« Ad 4m) dicendum, quod licet aliquo modo concedatur quod creatura sit similis Deo, nullo tamen modo concedendum est, quod Deus sit similis creaturæ, quia ut dicit Dionysius, cap. 9 de div. Nomin.: In his, quæ unius ordinis sunt, recipitur mutua similitudo, non autem in causa et causato. Dicimus enim quod imago sit similis homini, et non e converso. Et similiter dici potest aliquo modo, quod creatura sit similis Deo; non tamen quod Deus sit similis creaturæ. »

§ II.

Creaturæ sunt similes divinæ bonitati exemplari per propriam formam sibi intrinsecam.

In 1. q. 6, art. 4, doctor angelicus quærit: *Utrum omnia bona sint Bonitate divina*, et sic procedit.

312. — I. « **Videtur quod omnia sint bona Bonitate divina.**

1°) « Dicit enim Augustinus, 8. de Trinit., cap. 3. *Bonum hoc, et bonum illud; tolle hoc, et tolle illud, et vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed Bonum omnis boni.* Sed unumquodque est bonum suo bono. Ergo unumquodque est bonum ipso Bono quod est Deus. »

II. « **Sed contra est,** quod omnia sunt bona inquantum sunt. Sed non dicuntur omnia, entia per Esse divinum, sed per esse proprium. Ergo non omnia sunt bona Bonitate divina, sed bonitate propria. »

« *Respondeo dicendum*, quod nihil prohibet in his, quæ *relationem* important, aliquid ab extrinseco denominari, sicut aliquid denominatur locatum a loco, et mensuratum a mensura. — Circa vero ea quæ *absolute* dicuntur, diversa fuit opinio. Plato enim posuit omnium rerum species separatas, et quod ab eis individua denominantur, quasi species separatas participando, ut puta quod Socrates dicitur homo secundum ideam hominis separatam. Et sicut ponebat ideam hominis et equi separatam, quam vocabat per se hominem et per se equum, ita ponebat ideam entis, et ideam unius separatam, quam dicebat per se ens et per se unum; et ejus participatione unumquodque dicitur ens vel unum; hoc autem quod est per se ens et per se unum, ponebat esse summum Bonum, et quia bonum convertitur cum ente, sicut et unum, ipsum per se Bonum dicebat esse Deum, a quo omnia dicuntur bona per modum participationis. Et quamvis hæc opinio irrationabilis videatur, quantum ad hoc quod ponebat species rerum naturalium separatas per se subsistentes, ut Aristoteles multipliciter improbat, tamen hoc absolute verum est, quod aliquid est Primum, quod per suam Essentiam est ens et bonum, quod dicimus Deum, ut ex superioribus patet. Huic etiam sententiæ concordat Aristoteles. »

« A primo igitur per suam essentiam Ente et Bono unumquodque potest dici bonum et ens, inquantum participat ipsum per modum cujusdam assimilationis, licet remote et deficienter, ut ex superioribus patet. Sic ergo unumquodque dicitur bonum Bonitate divina, sicut Principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum similitudine divinæ Bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium, et etiam multæ bonitates. »

« *Et per hoc patet responsio ad objecta.* »

PROPOSITIO II.

OMNES CREATURÆ DEBENT ESSE DEO UNITRINO SIMILES ANALOGICE PER MODUM VESTIGII; SPIRITUALES AUTEM CREATURÆ SUNT EI SIMILES PER MODUM IMAGINIS.

313. — Omnes scholastici docent omnes creaturas divinum Exemplar unitrinum repræsentare per modum *vestigii*, et creaturas rationales

hoc repræsentare per modum *imaginis*. Duplex ille modus repræsentandi jam indicatur a S. Augustino, lib. 6. de Trinit., cap. 6, et lib. 14, cap. 8; sicut refert Petrus Lombardus in 1. dist. 3, n.° 6 et 7; sed clarius distinguitur et explicatur ab omnibus doctoribus medii ævi, qui S. Augustinum secuti sunt, præcipue ab Alberto Magno, Summa theol., Part. I, tract. 3, q. 15, memb. 2, art. 1; a S. Thoma in locis proxime citandis; item a S. Bonaventura in 1. dist. 3, Pars I, q. 2. ad 4^{m}; a Scoto, Quæst. report. in 1. dist. 3. — Sed non omnes eodem modo explicant rationem vestigii et imaginis.

In Parte I, n.° 108 et seq., jam explicavimus juxta doctorem angelicum, quid est similitudo per modum vestigii et per modum imaginis. Nunc 1°) integram propositionem probabimus ex S. Thoma; et 2°) referemus varia Trinitatis vestigia, quæ doctores in omnibus creaturis invenerunt.

§ I.

Integra propositio demonstratur ex S. Thoma.

In 1. q. 45, art. 7, doctor angelicus quærit: *Utrum in creaturis sit necesse inveniri vestigium Trinitatis.* Et primo sequentes ponit objectiones.

I. « **Videtur quod in creaturis non sit necesse inveniri vestigium Trinitatis.** »

1°) « Per sua enim vestigia unumquodque investigari potest. Sed Trinitas personarum non potest investigari ex creaturis, ut supra dictum est. Ergo vestigia Trinitatis non sunt in creatura. »

2°) « Præterea, quidquid in creatura est, creatum est. Si igitur vestigium Trinitatis invenitur in creatura secundum aliquas proprietates suas, et omne creatum habet vestigium Trinitatis, oportet in unaquaque illarum inveniri etiam vestigium Trinitatis. Et sic in infinitum. »

3°) « Præterea effectus non repræsentat nisi suam causam. Sed causalitas creaturarum pertinet ad naturam communem, non autem ad relationes quibus personæ et distinguuntur et numerantur. Ergo in creatura non invenitur vestigium Trinitatis, sed solum unitatis Essentiæ. »

II. « **Sed contra est,** quod Augustinus dicit, 6. de Trinit., quod Trinitatis vestigium in creaturis apparet. »

« *Respondeo dicendum,* quod omnis effectus aliqualiter repræsentat causam suam, sed diversimode; nam aliquis effectus repræsentat solam *causalitatem* causæ, non autem *formam* causæ, sicut fumus repræsentat ignem; et talis repræsentatio dicitur esse repræsentatio *vestigii;* vestigium autem demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non qualis sit. — Aliquis autem effectus repræsentat causam, quantum ad similitudinem formæ ejus, sicut ignis generatus ignem generantem, et statua Mercurii Mercurium; et hæc est repræsentatio *imaginis.* »

« Processiones autem divinarum personarum attenduntur secundum actus Intellectus et Voluntatis, sicut supra dictum est (Ibid., art. 6.); nam Filius procedit ut Verbum intellectus, Spiritus sanctus ut Amor voluntatis. In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum *imaginis*, inquantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens. »

« Sed in creaturis omnibus invenitur repræsentatio Trinitatis per modum *vestigii*, inquantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in divinas personas, sicut in Causam. Quælibet enim creatura subsistit in suo esse, et habet formam per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quædam *substantia* creata, repræsentat causam et principium, et sic demonstrat personam Patris, qui est Principium non de principio; secundum autem quod habet quandam *formam* et speciem, repræsentat Verbum, secundum quod forma artificiati est in conceptione artificis; secundum autem quod habet *ordinem*, repræsentat Spiritum sanctum, inquantum est Amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex Voluntate creantis. — Et ideo dicit Augustinus in lib. 6. de Trinit., cap. ult., quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundum quod unum aliquid est, et secundum quod aliqua specie formatur, et secundum quod quemdam ordinem tenet. — Et ad hæc etiam reducuntur illa tria: numerus, pondus et mensura, quæ ponuntur Sap. 11; nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem. — Et ad hæc tria reducuntur alia tria, quæ ponit Augustinus (lib. de Nat. boni, cap. 3): modus, species, et ordo. — Et ea quæ ponit in lib. 83 Quæst., q. 18: quo constat, quo discernitur, quo congruit. Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. — Et in idem de facili reduci possunt quæcumque sic dicuntur.

III. « **Ad 1^{m}) ergo dicendum,** quod repræsentatio vestigii attenditur secundum appropriata, per quem modum ex creaturis in Trinitatem personarum veniri potest, ut dictum est (q. 32, art. 1 ad 1^{m}). »

« Ad 2^{m}) dicendum, quod creatura est res proprie subsistens, in qua est prædicta tria in-

venire. Neque oportet quod in quolibet eorum quæ ei insunt, hæc tria inveniantur, sed secundum ea vestigium rei subsistenti attribuitur. »

« Ad 3[m]) dicendum quod, etiam processiones personarum sunt Causa et Ratio creationis aliquo modo, ut dictum est (in corp. et in artic. præced.). »

IV. **Doctor angelicus alias objectiones sequentes proponit** in 1 dist. 3, q. 2, art. 2.

Objicitur I. « Videtur quod debeant esse tantum *duæ* partes vestigii. Vestigium enim est proprietas quædam creaturæ. Sed creatura habet tantum duas partes essentiales, scilicet materiam et formam. Ergo videtur quod secundum has partes, duæ tantum sunt partes vestigii. »

Respondetur negando Consequentiam. « Nam quamvis sint duæ partes essentiales creaturæ, nihilominus tamen est accipere habitudinem unius ad alteram, et multas alias perfectiones consequentes, secundum quas partes vestigii assignari possunt. »

Objicitur II. « Videtur quod *quatuor* esse debent partes vestigii. Per vestigium enim non tantum repræsentatur personarum Trinitas, sed etiam unitas Essentiæ. Ergo oportet esse tria respondentia tribus personis, et quartum respondens unitati Essentiæ. »

Respondetur negando Antecedens. « Nam sicut in Deo Essentia non facit numerum cum personis, ita et in creatura est, quod tribus partibus vestigii subsistat ipsum esse creatum repræsentans Essentiam, non connumeratum tribus partibus vestigii. »

Objicitur III. « Vestigium dicitur in creatura secundum quod repræsentat Creatorem. Cum igitur in creaturis repræsentantur plurima attributa ipsius Dei, quæ participantur a creaturis secundum Dionysium, videtur quod sint *plurimæ* partes. »

Respondetur negando Consequentiam. « Nam proprietates creaturarum, ex quibus ducimur in divina attributa, quamvis sint plura, habent tamen ordinem ad invicem principii, medii et finis, sub quorum rationibus in tres personas ducunt qualitercumque diversificentur. »

§ II.

Referuntur varia Trinitatis vestigia a Patribus et doctoribus tradita.

314. — I. **Sanctus Augustinus** est præcipuus inventor horum Trinitatis vestigiorum, quæ post eum communiter nobis tradiderunt doctores medii ævi. Hæc vestigia a S. Thoma indicantur in loco proxime citato, sed juvat ipsius Augustini verba nunc colligere.

1°) Verba sapient. 11, v. 21: Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti, sequenti modo explicat in lib. 4. de Gen. ad litt., cap. 4, docendo hunc ternarium invenire *realiter* in creaturis corporalibus, et *exemplariter* in mente divini Artificis. « Neque enim mensura, et numerus, et pondus in lapidibus tantummodo et lignis atque hujusmodi molibus, et quantiscumque corporalibus, vel terrestribus, vel cœlestibus, animadverti et cogitari potest. Est etiam mensura aliquid agendi, ne sit irrevocabilis et immoderata progressio, et est numerus et affectionum animi et virtutum, quo ab stultitiæ deformitate ad sapientiæ formam decusque colligitur; et est pondus voluntatis et amoris, ubi apparet quanti quidque in appetendo, fugiendo, præponendo postponendoque pendatur. Sed hæc animorum atque mentium et mensura alia cohibetur, et numerus alio numero formatur, et pondus alio pondere rapitur. Mensura autem sine mensura est, cui æquatur quod de illa est, nec aliunde ipsa est; numerus sine numero est, quo formantur omnia, nec formatur ipse; pondus sine pondere est, quo referentur et quiescant, quorum quies purum gaudium est, nec illud jam refertur ad aliud. »

Ibidem, cap. 3: « Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut ista omnia. An secundum id quod novimus mensuram in eis quæ metimur, et numerum in eis quæ numeramus, et pondus in eis quæ appendimus, non est Deus ista; secundum id vero quod mensura omni rei modum præfigit, et numerus omni rei speciem præbet, et pondus omnem rem ad quietem et stabilitatem trahit, ille primitus et veraciter, et singulariter ista est qui terminat omnia, et format omnia, et ordinat omnia; nihilque aliud dictum intelligitur, quomodo per cor et linguam humanam potuit: *omnia in mensura et numero et pondere disposuisti*, nisi: omnia in te disposuisti?

2°) De modo, specie et ordine, quæ in omnibus rebus a divina Trinitate creatis invenienda sunt, sic loquitur S. Augustinus in cap. 7 de Vera Religione: « Trinitate, quantum in hac vita datum est, cognita, omnis intellectualis et animalis et corporalis creatura, ab eadem Trinitate Creatrice esse inquantum est, et speciem suam habere, et ordinatissime administrari, sine ulla dubitatione perspicitur: non ut aliam partem totius creaturæ fecisse intelligatur Pater, et aliam Filius, et aliam Spiritus sanctus, sed et simul omnia et unamquamque naturam Patrem fecisse per Filium in dono Spiritus sancti. Omnis enim res, vel substantia, vel essentia, vel natura, vel si quo alio verbo melius enunciatur, simul hæc tria habet, ut et unum ali-

quid sit, et specie propria discernatur a cæteris, et rerum ordinem non excedat. »

Item de Natura boni, cap. 3: « Nos catholici christiani Deum colimus, a quo omnia bona sunt, seu magna, seu parva; a quo est omnis modus, seu magnus, seu parvus; a quo omnis species, seu magna, seu parva; a quo omnis ordo, seu magnus, seu parvus. Omnia enim quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis utique bona sunt; quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, minus bona sunt. — Hæc itaque tria: modus, species, ordo tamquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis, sive in spiritu, sive in corpore. Deus itaque supra omnem creaturæ modum est, supra omnem speciem, supra omnem ordinem; nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili et singulari potentia, a quo omnis modus, omnis species, omnis ordo. — Hæc tria ubi magna sunt, magna bona sunt; ubi parva, parva bona sunt; ubi nulla sunt, nullum bonum est. Et rursus ubi hæc tria magna sunt, magnæ naturæ sunt; ubi parva sunt, parvæ naturæ sunt; ubi nulla sunt, nulla natura est. Omnis ergo natura bona est. »

Item lib. 7 de Trinit., cap. 10, n.° 12: « Hæc igitur omnia, quæ Arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem et ordinem. Quidquid enim horum est, et unum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum et ingenia animarum; et aliqua specie formatur, sicut sunt figuræ vel qualitates corporum, ac doctrinæ vel artes animarum; et ordinem aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, et amores vel delectationes animarum. Oportet igitur ut Creatorem, per ea quæ facta sunt intellectum conspicientes (Rom. 1, v. 20), Trinitatem intelligamus, cujus in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium. In illa enim Trinitate summa origo est rerum omnium, et perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio. »

3°) De ternario: Quo constat, quo discernitur, quo congruit.

Legitur in lib. 83 quæst., q. 18: « Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Universa igitur creatura si et est quoquo modo, et ab eo quod omnino nihil est plurimum distat, et suis partibus sibimet congruit, causam quoque ejus trinam esse oportet, qua sit, quia hoc sit, quæ sibi unica sit. Creaturæ autem Causam, id est Auctorem Deum dicimus. Oportet ergo esse Trinitatem qua nihil præstantius, intelligentius et beatius invenire perfecta ratio potest. — Ideoque, etiam cum veritas quæritur, plus quam tria genera quæstionum esse non possunt: Utrum omnino sit, utrum hoc an aliud sit, utrum approbandum improbandumve sit. »

4°) De principio, medio et fine, quæ in omni toto invenire necesse est. In lib. 1. de Musica, sanctus doctor sequentem dialogum instituit inter Magistrum et Discipulum.

« M. Abs te quæro, utrum quod vocamus principium possit omnino nisi alicujus esse principium. — D. Nullo modo potest. — M. Item quod dicimus finem, potestne nisi alicujus finis esse? — D. Etiam non potest. — M. Quid? A principio ad finem num putas perveniri posse nisi per medium? — D. Non puto. — M. Ergo ut totum aliquid sit, principio et medio et fine constat. — D. Ita videtur. — M. Dic itaque nunc: Principium, medium et finis, quo numero tibi constare videantur? — D. Arbitror ternarium numerum te velle ut respondeam: tria enim sunt de quibus quæris. — M. Recte arbitraris. Quare in ternario numero quamdam esse perfectionem vides, quia totus est: habet enim principium, medium et finem. — D. Video plane. »

315. — II. **Petrus Lombardus** in 1, dist. 3, n.° 6, citat aliqua S. Augustini loca et concludit: « Ecce ostensum est qualiter in creaturis aliquatenus imago Trinitatis indicatur. Non enim per creaturarum contemplationem, sufficiens notitia Trinitatis potest haberi, vel potuit, sine doctrinæ vel interioris inspirationis revelatione. Unde illi antiqui philosophi quasi per umbram et de longinquo viderunt veritatem; deficientes in contuitu Trinitatis, ut Magi Pharaonis in tertio signo (Exod. 8). Adjuvamur tamen in fide invisibilium, per ea quæ facta sunt. »

Omnes doctores medii ævi hanc S. Augustini et P. Lombardi doctrinam secuti sunt, nam quatuor libri Sententiarum fuerunt Manuale theologicum in tota Schola.

316. — III. **B. Albertus Magnus** in Summa theol., pars 1, tract. 3, q. 15, memb. 1, art. 1.

1°) Probat in genere vestigia Creatoris inveniri in creaturis: « Augustinus, lib. 11 de Civit. Dei, cap. 24: *Per omnia opera sua significationis suæ sparsit indicia.* Indicium autem significationis signum est. Ergo vestigium Dei in creaturis. — Adhunc Job 11: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies.* Hoc incassum diceretur, nisi vestigium esset in creaturis. — Adhuc Job 23: *Vestigia ejus secutus est pes meus.* Quod non diceret, nisi vestigium in creaturis cognovisset. »

Deinde sequentem proponit objectionem: « Vestigium, cum in tribus distinctis sit, quæ sunt in substantia unum relatione differentia, similitudinem videtur ponere ad distinctionem personarum. Trinitas ergo in creaturis per vesti-

gium investigabilis est. Philosophi ergo per creaturas potuerunt cognoscere Trinitatem, quod improbatum est. »

Ad hanc objectionem respondet: « Dicendum quod licet vestigium in tribus sit, quæ substantiâ sint unum differentia relatione, tamen quia nec per substantiam unam, nec per tria differentia refertur ad propria et intrinseca Essentiæ divinæ, nec ad propria personarum, sed confuse ad appropriata et attributa, quæ per habitudines quasi exteriores attribuuntur Essentiæ et personis divinis; ideo per ea quæ sunt vestigii, Trinitas sub propriis personarum non potest cognosci. »

2°) Ibidem indicat B. Albertus varia Trinitatis vestigia in creaturis.

« Videtur quod *(sint)* numerus, pondus et mensura uniuscujusque rei, propter illud Sap. 11: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* »

« Adhuc Augustinus in lib. de Nat. boni, cap. 3, distinguens vestigium, dicit, quod *modus, species et ordo* in omnibus rebus creatis inventa, vestigium sunt; et sic videtur quod triplex sit vestigium. »

« Adhuc Augustinus in lib. 83 quæst., tertio modo inducit vestigium dicens, quod in omni re invenitur *quod est, quod discernitur, quod congruit;* et sic videtur quod multa sint vestigia. »

« Adhuc in Comment. libri causarum, ponuntur ista tria: *Ens, verum, bonum.* Et dicitur ibidem, quod in omnibus inveniuntur ut causæ formales primæ. »

« Adhuc Dionysius in Cœl. hier., cap. 11, videtur ista ponere: *Substantia, virtus et operatio.* Unaquæque enim res est id quod est, et subsistens; et sic substantia est, sive quid. Dicit etiam quod nihil destituitur propria operatione; non autem aliquid habet operationem, nisi habeat ad operationem virtutem; et sic propria virtute non destituitur. In omni ergo est substantia, virtus et operatio. »

3°) Explicat quinque prædictas vestigii assignationes: « Dicendum quod in tribus quæ sunt partes vestigii, assignatur perfectio boni naturæ omnis creati... et quod assignationes vestigii diversæ sunt, propter diversam creaturæ, in qua sunt, considerationem. Creatum enim potest considerari in fieri, et in esse, et in perfecto esse; potest etiam considerari prout cognoscibile est, et prout disponitur ad operationem. Et penes ista quinque, quinque assignationes accipiuntur quæ inductæ sunt. »

« *Si enim consideretur in fieri,* sic ponitur illa de libro Sapientiæ: Numerus, pondus et mensura... »

« *Si autem consideretur creatum in esse constituto,* iterum tria sunt in ipso... et sic omne quod est modum habet, speciem et ordinem... »

« *Si vero in perfecto esse consideretur...* omne quod est perfectum est ens, verum et bonum. Licet ens, verum et bonum convertantur secundum supposita, tamen non convertuntur secundum esse et rationem. Ens enim dicitur per comparationem ad causam efficientem, verum ad causam formalem, et bonum ad causam finalem; et per talem diversitatem, sunt de vestigio non synonima... »

« *Si autem consideretur res ut cognoscibilis est,* tunc aliquid in ea est cognitum, aliquid cognitionis principium, et illud idem, ut determinate cognoscatur secundum convenientiam et differentiam, refertur ad alia. Per primum ergo est, per secundum habet quo discernitur, per tertium quo congruit vel opponitur; per unum enim oppositorum intelligitur reliquum. »

« *Si autem consideretur in perfectione ad opus,* tunc necesse est in eo aliquid esse, quod est operans, ut potentia opus faciens; in hoc dicitur substantia. Et necesse est in ipso aliud esse, quod potens in ultimo suæ potentiæ constituat ut operari possit, et hoc vocatur virtus. Et necesse est operationem essentialem egredi inseparabiliter, ut dicit Damascenus, ut ab intellectu intelligere, secundum quod intelligere intelligentis est esse, a sensu sentire, a vegetabili vegetare, a luce lucere, ab homine hominare, ab asino asinare, secundum quod asinare est asini esse, et sic est in omnibus aliis. Et sic in omni creato est substantia, virtus et operatio. »

4°) De modo, specie et ordine sic particulariter disserit ibidem B. Albertus: « *Dicendum,* quod hæc *(modus, species et ordo)* in omni creato inveniuntur, quod creatum est terminus actus creantis, vel secundum fieri vel secundum esse. »

« *Quæritur de eorum ordine:* Utrum scilicet secundum sit ex primo, et tertium ex secundo et primo, sicut videtur Filius ex Patre, Spiritus sanctus ex utroque? — Dicendum, quod hæc procul dubio ordinata sunt, ut dicit objectio. Bonum enim quod constituitur ex his, constituitur ut totum potestativum, quod in parte habet similitudinem cum toto universali, et in parte cum toto integrali. Cum toto universali convenit, in quantum per essentiam est in qualibet parte: bonum enim est modus, et bonum species, et bonum est ordo. Cum toto autem integrali convenit, inquantum per partem suæ potestatis est in uno, et per aliam partem est in alio, et per tertiam in tertio, et per totum suæ potestatis non est nisi in omnibus simul,

et in nullo singillatim. Et hoc modo, secundum procedit de primo ut actus de potentia, et tertium procedit de duobus simul, et in tertio supponitur secundum et primum, quia non est ordo nisi habentis speciem et modum; et in secundo supponitur primum, quia non est species, nisi ejus quod habet modum. Et sic *modus attribuitur Patri*, in quo est Principium totius processionis personarum; *species Filio*, in quo est processus Spiritus sancti; *ordo Spiritui sancto*, in quo stat processio. Unitas autem substantiæ, in qua sunt hæc tria, respondet unitati Essentiæ divinæ in tribus personis. »

317. — IV. S. Thomas.

1°) Ostendit rationem boni creati consistere in modo, specie ac ordine et profundam indicat relationem, quæ intercedit inter modum et mensuram, speciem et numerum, pondus et ordinem. Legitur in 1. q. 5, art. 5, corp.: « Dicendum, quod unumquodque dicitur bonum inquantum est perfectum; sic enim est appetibile ut supra dictum est (ibid., art. 1 et 3); perfectum autem dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis. Cum autem unumquodque sit id quod est per suam formam, forma autem præsupponit quædam, et quædam ad ipsam ex necessitate consequuntur, ad hoc quod aliquid sit perfectum et bonum, necesse est quod formam habeat, et ea quæ consequuntur ad ipsam. — *Præexigitur autem ad formam* determinatio sive commensuratio principiorum, seu materialium, seu efficientium ipsam, et hoc significatur per modum; unde dicitur quod mensura modum præfigit. — *Ipsa autem forma* significatur per speciem, quia per formam unumquodque in specie constituitur, et propter hoc dicitur quod numerus speciem præbet, quia definitiones significantes speciem sunt sicut numeri, secundum Philosophum in 8. Metaph. sicut enim unitas addita vel subtracta variat speciem numeri, ita in definitionibus differentia apposita vel subtracta. — *Ad formam autem subsequitur* inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid hujusmodi, quia unumquodque inquantum est actu, agit et tendit in id quod sibi convenit secundum suam formam; et hoc pertinet ad pondus et ordinem. Unde ratio boni secundum quod consistit in perfectione, consistit etiam in modo specie et ordine. »

« Modus, species et ordo eo modo dicuntur bona, sicut et entia, non quia ipsa sint quasi subsistentia, *sed quia iis alia sunt et entia et bona*. Unde non oportet quod ipsa habeant aliqua alia, quibus sint bona; non enim sic dicuntur bona, quasi formaliter aliis sint bona, sed quia ipsis formaliter aliqua sunt bona; sicut albedo non dicitur ens, quia ipsa aliquo alio sit, sed quia ipsa aliquid est secundum quid, scilicet album. »

2°) Explicat mensuram, numerum et pondus, quæ in omnibus creaturis inveniuntur.

Ait in lib. 3 cont. Gent., cap. 97: « Dicitur: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti, Domine.* (Sap. 11, v. 21), ut per *mensuram*, quantitatem sive modum aut gradum perfectionis uniuscujusque rei intelligamus; per *numerum* vero, diversitatem et pulchritudinem specierum consequentem ex diversis perfectionis gradibus; per *pondus* vero inclinationes diversas ad proprios fines et operationes, et ad propria agentia et patientia et accidentia, quæ sequuntur distinctionem specierum. »

3°) Doctor angelicus alia divinæ Trinitatis vestigia indicat in 1. dist. 3, q. 2, art. 2, scilicet *unitatem*, *veritatem* et *bonitatem*, quæ fundantur in forma substantiali, per quam res singulæ, diversis modis participant, seu imitantur supremam divinæ Formæ Unitatem, Veritatem et Bonitatem. — Indicat præterea rerum *essentiam*, *virtutem* et *operationem*, quas assignat S. Dionysius Areopagita.

Sic loquitur S. Thomas: « Quasi similiter accipiuntur ista: unum, verum et bonum, ut unitas rei pertineat ad suam determinationem, prout ex principiis constituta est (in una substantia); et veritas, secundum quod habet formam; et bonum, secundum quod ordinatur ad finem. »

« Item etiam potest sumi pro principio tota res, secundum quod est etiam perfecta per formam, et pro medio virtus, et pro fine operatio, et sic sumitur illa Dionysii: essentia, virtus et operatio. »

« Et sic patet quod secundum quod perfectio rei potest intelligi terminari ad diversa, et secundum quod unum membrum potest multa vel pauca includere, invenitur diversitas partium vestigii in omnibus, secundum unam communem rationem principii, medii et finis assignatam. »

De necessitate autem principii, medii et termini in omni ordine completo, tam exemplari quam exemplato, vide supra n.° 35 et 36.

318. — V. S. Bonaventura multa loquitur de Trinitatis divinæ vestigiis in omnibus rebus; sequentia tantum referemus primo de ipsis istis vestigiis, et secundo de illorum causalitate.

1°) De ipsis vestigiis dicit in Declarat. terminor. theologiæ, Edit. Vivès, T. 7, p. 236: « Vestigium Dei est creatura repræsentans Deum in rationibus omni creaturæ communibus, ut est *unitas, veritas et bonitas.* » Et in 1. dist. 2, q. 4, T. 1, p. 59: « Trinitatem vestigii contingit reperire in qualibet creatura, quantumcumque parva, quantumcumque minima. »

Illuminat. Eccl. in Hexæmer., sermo 2, T. 9, p. 38: « Dicitur opus Dei tripliciter: Primo modo dicitur *essentia (seu forma rebus concreata)*, quæcumque sit illa, sive in genere substantiæ, sive accidentis. Secundo modo dicitur res ex suis completa principiis, *sicut substantia*. Tertio modo dicitur opus Dei *creatura ad imaginem Dei facta*. Super hoc triplex opus effudit Altissimus Sapientiam suam. »

« Deus enim creat omnem *essentiam* in *mensura, numero et pondere*. (Sap. 11, v. 21). Et dando ei hæc, dat modum speciem et ordinem; modum quo constat, speciem qua discernitur, ordinem quo congruit. Non enim est aliqua essentia quæ non habeat mensuram, numerum et inclinationem; et in his attenditur vestigium. Hoc vestigium ducit ad illam sapientiam, in qua est modus sine modo, numerus sine numero, ordo sine ordine. »

« In *substantia* est altius vestigium Sapientiæ et divinæ Essentiæ: habet enim omnis substantia *materiam, formam, compositionem*. Habet substantia originale principium, formale complementum, glutinum *(seu unio utriusque)*. Habet res omnis completa *substantiam, virtutem et operationem;* et in his repræsentatur mysterium Trinitatis: Pater origo, Filius virtus et forma, Spiritus sanctus unio et compago. — Vere autem originale principium a formali complemento distinguitur, non quidem distinctione hypostatica, qualis est in divinis, nec accidentali, sed reali distinctione principiorum, quorum unum activum, alterum passivum. Et hoc tollere a creaturis, est tollere ab eis repræsentationem Trinitatis. Nec valet quod dicunt falso philosophantes, quod angelus et anima ideo composita dicuntur, quia sunt ab alio; nam esse ab alio non facit compositionem. Tunc enim Filius, cum sit a Patre, esset compositus, et Spiritus sanctus qui est ab utroque. Igitur solum Esse divinum est simplex *(Actus purus)*, in quo non differt esse, bene esse, et sic esse. — Vestigium hujus sapientiæ est *substantia, virtus et operatio*. Nam virtus est a substantia, operatio vero a substantia, mediante virtute; sicut Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre, mediante Filio. Res substantifica a substantia habet esse, a virtute habet vigere, ab operatione habet efficere. »

De creatura rationali ad imaginem Dei facta infra loquemur n.° 356.

2°) De trina vestigiorum divinorum causalitate disserit doctor seraphicus ostendendo profundam eorum relationem cum divina Causa efficiente, exemplari ac finali, et cum ipsius potentia, sapientia ac benevolentia. Dicit enim *in Psalmum 142*, 5, T. 9, p. 590: « Vestigium Trinitatis relucet in creaturis. Nam *potentiam* Dei manifestat creaturarum immensitas, ecce Pater; *scientiam*, earum decor, ecce Filius; *benignitatem*, utilitas, ecce Spiritus sanctus. »

In Hexæm. Serm. 16, T. 9, p. 105: « Deus enim habet rationem triformis causæ: originantis, exemplantis, finientis; nec potest esse pluribus modis. Unde Apostolus (Rom. 11, v. 36): *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* »

In Declarat. terminor. theol., T. 7, p. 236: « Creatura comparatur ad Deum in ratione effectus causæ efficientis, formalis *(extrinsecæ, sive exemplaris)*, et finalis. Et ratione primi, habet rationem modi; ratione secundi habet rationem speciei; ratione tertii habet rationem ordinis. »

In Centiloq., Part. 3, sect. 8, T. 8, p. 383: « Creatura est effectus Trinitatis creantis sub triplici genere causalitatis, scilicet *efficientis*, ratione cujus est in creatura unitas, modus et mensura; *exemplaris*, ratione cujus est in creatura veritas, species et numerus; *finalis*, ratione cujus in creatura est bonitas, ordo et pondus. Omnis quippe creatura constituitur in esse ab *efficiente*, formatur ad *exemplar*, ordinatur ad *finem;* ac per hoc est una, vera et bona; modificata, speciosa et ordinata; mensurata, discreta et ponderata. — Aliis etiam vocabulis prædictus ternarius nominatur: ab Augustino, in lib. de Anima et Spir., dicitur essentia, species et usus; a Dionysio: harmonia, species et commensuratio; item ab eodem: substantia, virtus et operatio. — Ex una ergo parte *(scilicet ex parte causæ efficientis)* cadunt unitas, modus, essentia, substantia, mensura et commensuratio. Ex una *(ex parte causæ exemplaris cadunt)* veritas, numerus, species, virtus et harmonia. Ex una *(ex parte causæ finalis cadunt)* bonitas, ordo, usus, pondus et operatio. »

In Breviloquio, Part. 2, cap. 1: « Quoniam principium perfectissimum, a quo manat perfectio universorum, necesse agit *a se*, et *secundum se*, et *propter se*, et quia nullo in agendo indiget extra se, necesse est quod habeat intentionem triplicis causæ, respectu cujuslibet creaturæ, scilicet *efficientis, exemplaris* et *finalis*. Necesse est etiam omnem creaturam secundum hanc triplicem habitudinem comparari ad Causam primam. Omnis enim creatura constituitur in esse ab *efficiente*, et conformatur ad *exemplar*, et ordinatur ad *finem;* ac per hoc est una, vera, bona; modificata, speciosa, ordinata; mensurata, discreta et ponderata; est enim pondus inclinatio ordinativa. Et hæc quidem dicta sunt de omni creatura, sive corporea, sive incorporea, sive ex utriusque constituta, sicut creatura humana. »

PROPOSITIO III.

OMNIUM CREATURARUM PLURALITAS ET INÆQUALITAS, SEU GRADATIO, ORDINANTUR AD DIVINAM BONITATEM IMITANDAM.

Ex probatione hujus Propositionis apparebit divinum Exemplarismum reducere omnium creaturarum varietatem ad unitatem, atque sic explicare universi ordinis creati pulchritudinem.

Argumenta desumuntur

Ex S. Thoma.

§ I.

Probatur ex Summa theologica.

319. — I. **Creaturarum pluralitas a Deo ordinatur ad sui imitationem.**

In 1. q. 47, art. 1, quærit doctor angelicus: *Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo.* Et primo ponit objectiones desumptas ex divina Causa efficiente, exemplari et finali.

A. « Videtur quod rerum multitudo et distinctio non sit a Deo.

1°) Unum enim semper natum est unum facere. Sed Deus est maxime unus, ut ex præmissis patet. Ergo non producit nisi unum effectum. »

2°) Præterea, exemplar assimilatur suo exemplari. Sed Deus est causa exemplaris sui effectus, ut supra dictum est. Ergo cum Deus sit unus, effectus ejus est unus tantum, et non distinctus. »

3°) Ea quæ sunt ad finem, proportionantur fini. Sed finis creaturæ est unus, scilicet divina Bonitas, ut supra dictum est. Ergo effectus Dei non est nisi unus. »

B. « Sed contra est quod dicitur Gen. 1, quod *Deus distinxit lucem a tenebris, et divisit aquas ab aquis.* Ergo multitudo et distinctio rerum est a Deo. »

Tunc rejicit S. Thomas opiniones Democriti. Anaxagoræ et Avicennæ circa causam pluralitatis ac distinctionis rerum, et concludit: « *Unde dicendum,* quod distinctio rerum et multitudo est ex intentione primi Agentis, quod est Deus. Produxit enim res in esse propter suam Bonitatem communicandam creaturis et per eas repræsentandam. Et quia per unam creaturam sufficienter repræsentari non potest, produxit multas creaturas et diversas, ut quod deest uni ad repræsentandam divinam Bonitatem, supppleatur ex alia. Nam Bonitas, quæ in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim. Unde perfectius participat divinam Bonitatem et repræsentat eam totum universum, quam alia quæcumque creatura. Et quia ex divina Sapientia est causa distinctionis rerum, ideo Moyses dicit res esse distinctas Verbo Dei, quod est conceptio Sapientiæ. Et hoc est quod dicitur Gen. 1: *Dixit Deus: Fiat lux... Et divisit lucem a tenebris.* »

C. « Ad 1[m]) ergo dicendum, quod agens *per naturam* agit per formam per quam est, quæ unius tantum est una, et ideo non agit nisi unum. Agens autem *voluntarium,* quale est Deus, ut supra ostensum est, agit per formam intellectam. Cum igitur Deum multa intelligere non repugnet unitati et simplicitati ipsius, ut supra ostensum est (1. q. 15, art. 2), relinquitur quod licet sit unus, possit multa facere. »

« Ad 2[m]) dicendum, quod ratio illa teneret de exemplato quod perfecte repræsentat exemplar, quod non multiplicatur nisi materialiter; unde Imago increata, quæ est perfecta, est una tantum. Sed nulla creatura repræsentat perfecte Exemplar primum, quod est divina Essentia; et ideo potest per multa repræsentari. Et tamen secundum quod ideæ dicuntur exemplaria, pluralitati rerum correspondet in Mente divina pluralitas idearum. »

« Ad 3[m]) dicendum, quod in *speculativis,* medium demonstrationis, quod perfecte demonstrat conclusionem, est unum tantum, sed media probabilia sunt multa. Et similiter in *operativis,* quando id quod est ad finem, adæquat (ut ita dixerim) finem, non requiritur quod sit nisi unum tantum. Sed creatura non sic se habet ad finem, qui est Deus. Unde oportuit creaturas multiplicari. »

II. **Creaturarum inæqualitas a Deo ordinata est ad sui imitationem.**

Ibidem, art. 2, S. Thomas quærit: *Utrum rerum inæqualitas sit a Deo.* Et sic procedit.

A. « Videtur quod rerum inæqualitas non sit a Deo.

1°) Optimi enim est optima adducere. Sed inter optima, unum non est majus altero. Ergo Dei, qui est optimus, est omnia æqualia facere. »

2°) « Præterea, æqualitas est effectus unitatis, ut dicitur in 5. Metaph. (text. 20). Sed Deus est unus. Ergo fecit omnia æqualia. »

3°) « Præterea, justitiæ est inæqualia inæqualibus dare. Sed Deus est justus in omnibus operibus suis. Cum ergo operationi ejus, qua esse rebus communicat, non præsupponatur alia inæqualitas rerum, videtur quod fecerit omnia æqualia. »

B. « Sed contra est quod dicitur Eccli. 33: *Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum, sol solem a Domini Scientia separata sunt.* »

Tunc rejicit doctor angelicus opinionem Origenis, qui docuit creaturarum inæqualitatem non esse a Deo Creatore, sed esse pœnam peccati creaturæ rationalis ac liberæ, et concludit: « *Et ideo dicendum est,* quod sicut Sapientia Dei est Causa distinctionis rerum, ita et inæqualitatis. Quod sic patet. Duplex enim distinctio invenitur in rebus: *una formalis,* in his quæ differunt specie, alia vero *materialis,* in his quæ differunt numero tantum. Cum autem materia sit propter formam, distinctio materialis est propter formalem. Unde vidimus, quod in rebus incorruptibilibus, non est nisi unum individuum unius speciei, quia species sufficienter conservatur in uno; in generabilibus autem et corruptibilibus sunt multa individua unius speciei, ad conservationem speciei. Ex quo patet, quod principalior est distinctio formalis quam materialis. Distinctio autem formalis semper requirit inæqualitatem, quia, ut dicitur in 8. Metaphys. (text. 10), formæ rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis. Unde in rebus naturalibus, gradatim species ordinatæ esse videntur; sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantæ corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus, et in singulis horum una species perfectior aliis invenitur. — Sicut ergo divina Sapientia causa est distinctionis rerum propter perfectionem universi, ita et inæqualitatis; non enim esset perfectum universum, si tantum unus gradus bonitatis inveniretur in rebus. »

C. « Ad 1^{m}) ergo dicendum, quod optimi agentis est producere totum effectum suum optimum; non tamen quamlibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam secundum proportionem ad totum; tolleretur enim bonitas animalis, si quælibet pars ejus, oculi haberet dignitatem. Sic igitur et Deus totum universum constituit optimum secundum modum creaturæ, non autem singulas creaturas, sed unam alia meliorem. Et ideo de singulis creaturis dicitur Gen. 1: *Vidit Deus lucem quod esset bona,* et similiter de singulis; sed de omnibus dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* »

« Ad 2^{m}) dicendum, quod primum quod procedit ab unitate est æqualitas, et deinde procedit multiplicitas. Et ideo a Patre, cui secundum Augustinum (lib. 1. de doctr. christ., cap. 5) appropriatur unitas, processit Filius, cui appropriatur æqualitas, et deinde creatura, cui competit inæqualitas. Sed tamen etiam a creaturis participatur quædam æqualitas, scilicet proportionis. »

« Ad 3^{m}) dicendum, quod ratio illa est quæ movit Origenes (lib. 1. Periarch., cap. 7), sed non habet locum, nisi in retributione præmiorum, quorum inæqualitas debetur inæqualibus meritis. Sed in constitutione rerum, non est inæqualitas partium per quamcumque inæqualitatem præcedentem, vel meritorum, vel etiam dispositionis materiæ, sed propter perfectionem totius; ut patet etiam in operibus artis. Non enim propter hoc differt tectum a fundamento, quia habet diversam materiam; sed ut sit domus perfecta ex diversis partibus, quærit artifex diversam materiam; et faceret eam, si posset. »

§ II.

Probatur ex Summa contra Gentiles.

320. — I. Varia assimilatio ad divinam Bonitatem est finalis causa omnis diversitatis et unitatis in creaturis.

Est enim in divini Artificis intentione, finis diversitatis formarum, seu specierum, ex qua sequitur graduus sive inæqualis rerum creatarum ordo, atque diversitas ipsarum operationis, materialitatis, actionis et passionis, proprietatum et accidentium. Sic ipse loquitur doctor angelicus in lib. 3, cap. 17.

1°) « Deus per suam providentiam omnia ordinat in divinam Bonitatem sicut in finem; non autem hoc modo, quod aliquid divinæ Bonitati per ea quæ fiunt accrescat, sed ut similitudo suæ Bonitatis, inquantum possibile est, imprimatur in rebus. Quia vero omnem creatam substantiam a perfectione divinæ bonitatis deficere necesse est, ad hoc ut perfectius divinæ Bonitatis similitudo rebus communicaretur, oportuit esse diversitatem in rebus, ut quod perfecte ab uno aliquo repræsentari non potest, per diversa diversimode perfectiori modo repræsentaretur. Nam et homo, cum mentis conceptum uno vocali verbo videt sufficienter exprimi non posse, verba diversimode multiplicat ad exprimendam per diversa, suæ mentis conceptionem. Et in hoc etiam divinæ perfectionis eminentia considerari potest, quod perfecta Bonitas, quæ in Deo est unite et simpliciter, in creaturis esse non potest nisi secundum modum diversum et per plura. Res autem per hoc diversæ sunt, quod formas habent diversas, a quibus speciem sortiuntur. Sic igitur ex fine sumitur ratio diversitatis formarum in rebus. »

2°) « Ex diversitate autem formarum sumitur ratio ordinis in rebus.

Cum enim forma sit secundum quam res habet esse, res autem secundum quod habet esse, accedat ad similitudinem Dei, qui est ipsum suum Esse simplex, necesse est quod forma nihil sit aliud, quam divina similitudo participata in rebus; inde convenienter Aristoteles 1. Physic. (text. 81), de forma loquens dicit quod est *divinum quoddam et appetibile*. Similitudo autem, ad unum simplex considerata, diversificari non potest, nisi secundum quod magis et minus similitudo est propinqua vel remota. Quanto autem aliquid propinquius ad divinam similitudinem accedit, tanto perfectius est; unde in formis differentia esse non potest, nisi per hoc quod una perfectior existit quam alia; propter quod Aristotel. 8. Metaph. (text. 10) definitiones, per quas naturæ rerum et formæ signantur, assimilat numeris, in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis, ut ex hoc detur intelligi, quod formarum diversitas diversum gradum perfectionis requirit. — Et hoc evidenter apparet naturas rerum speculanti. Invenit enim, si quis diligenter consideret, gradatim rerum diversitatem compleri; nam supra inanimata corpora inveniet plantas, et super has irrationalia animalia, et super hæc intellectuales substantias; et in singulis horum inveniet diversitatem, secundum quod quædam sunt aliis perfectiora, in tantum quod ea quæ sunt suprema inferioris generis videntur propinqua superiori generi, et e converso, sicut animalia immobilia sunt similia plantis; unde et Dionysius cap. 7 de div. Nominib. ait quod *divina Sapientia conjungit fines primorum principiis secundorum*. Unde patet quod rerum diversitas exigit quod non sint omnia æqualia, sed sit ordo in rebus et gradus. »

3°) « Ex diversitate autem formarum, secundum quas rerum species diversificantur, sequitur et operationum differentia.

Cum enim unumquodque agat secundum quod est actu (quæ enim sunt in potentia, secundum quod hujusmodi inveniuntur actionis expertia), est autem unumquodque ens actu per formam, oportet quod opera rei sequantur formam ipsius. Oportet ergo quod, si sint diversæ formæ, habeant diversas operationes. Quia vero per propriam actionem res quælibet ad proprium finem pertingit, necesse est et proprios fines diversificari in rebus, quamvis sit finis ultimus omnibus communis. ».

4°) « Sequitur etiam ex diversitate formarum diversa habitudo materiæ ad res.

Cum enim formæ diversæ sint secundum quod quædam sunt aliis perfectiores, sunt inter eas aliquæ in tantum perfectæ, quod sunt per se subsistentes et perfectæ, ad nihil indigentes materiæ fulcimento; quædam vero per se perfecte subsistere non possunt, sed materiam pro fundamento requirunt, ut sic illud quod subsistit non sit forma tantum, nec materia tantum, quæ per se non est ens acta, sed compositum ex utroque. Non autem possent materia et forma ad aliquid unum constituendum convenire, nisi esset aliqua proportio inter ea. Si autem proportionata oportet ea esse, necesse est quod diversis formis diversæ materiæ respondeant. Unde fit ut quædam formæ requirunt materiam simplicem, quædam vero materiam compositam; et secundum diversas formas, diversam partium compositionem oportet esse, congruentem ad speciem formæ et ad operationem ipsius. »

5°) « Ex diversa autem habitudine ad materiam sequitur diversitas agentium et patientium.

Cum enim *agat* unumquodque ratione formæ, *patiatur* vero et moveatur ratione materiæ, oportet quod illa, quorum formæ sunt perfectiores et minus materiales, agant in illa, quæ sunt magis materialia, et quorum formæ sunt imperfectiores. »

6°) « Ex diversitate autem formarum et materiarum et agentium sequitur diversitas proprietatum et accidentium.

Cum enim substantia sit causa accidentis, sicut perfectum imperfecti, oportet quod ex diversis principiis substantialibus diversa accidentia propria consequantur. — Rursus, cum ex diversis agentibus sint diversæ impressiones in patientibus, oportet quod secundum diversa agentia, diversa sint accidentia quæ ab agentibus imprimuntur. — Patet ergo ex dictis quod, cum per divinam Essentiam rebus creatis diversa accidentia et passiones et collocationes distribuantur, non hoc absque ratione accidit. »

7°) « Denique concludit doctor angelicus: « In prædicto ordine, secundum quem ratio divinæ Providentiæ attenditur, primum esse diximus divinam Bonitatem, quasi ultimum finem, qui est primum principium in agendis; dehinc vero rerum numerositatem, ad quam constituendam necesse est gradus diversos in formis et materiis, et agentibus et patientibus, et actionibus et accidentibus esse. Sicut enim prima ratio divinæ Providentiæ simpliciter est divina Bonitas, ita prima ratio in creaturis est earum numerositas, ad cujus conservationem et constitutionem omnia alia ordinari videntur. Et secundum hoc videtur esse rationabiliter a Boetio dictum, in principio suæ Arithmeticæ, quod *omnia quæcumque a primæva rerum natura con-*

structa sunt, numerorum videntur ratione esse formata. »

II. **Quæ sit prima causa distinctionis rerum secundum veritatem.**

Ex variis rationibus probat doctor angelicus causam finalem pluralitatis et inæqualitatis seu diversitatis rerum creatarum, esse perfectiorem Dei similitudinem. Dicit in lib. 2, cap. 46:

1°) « Cum enim omne agens intendat suam similitudinem in effectum inducere, secundum quod effectus capere potest, tanto hoc agit perfectius, quanto agens perfectius est; patet enim quod quanto aliquid est calidius, tanto facit calidum, et quanto est aliquis melior artifex, tanto formam artis perfectius inducit in materiam. Deus autem est perfectissimum Agens. Suam igitur similitudinem in rebus creatis ad eum pertinebat inducere perfectissime, quantum naturæ creatæ convenit. — Sed *perfectam Dei similitudinem non possunt consequi res creatæ secundum unam solam speciem creaturæ,* quia, cum causa excedat effectum, quod est in causa simpliciter et unite, in effectu invenitur composite et multipliciter, nisi effectus pertingat ad speciem causæ, quod in proposito dici non potest; non enim creatura potest esse Deo æqualis. — Oportuit igitur esse multiplicitatem et varietatem in rebus creatis, ad hoc, quod inveniretur in eis Dei similitudo perfecta secundum modum suum. »

2°) « Amplius, sicut ea quæ fiunt ex materia, sunt in potentia materiæ passiva, ita quæ fiunt ab agente oportet esse in potentia activa agentis. *Non autem potentia passiva materiæ perfecte reduceretur in actum, si ex materia fieret unum tantum eorum ad quæ materia est in potentia.* Ergo si aliquis agens cujus potentia est ad plures effectus, faceret unum illorum tantum, potentia ejus non ita complete reduceretur in actum, sicut cum facit plura. — Per hoc autem quod potentia activa reducitur in actum, effectus consequitur similitudinem agentis. — Ergo non esset perfecta Dei similitudo in universo, si esset unus tantum gradus omnium entium. Propter hoc igitur est distinctio in rebus creatis, ut perfectius Dei similitudinem consequantur per multa quam per unum. »

3°) « Adhuc, quanto aliquid in pluribus est Deo simile, tanto perfectius ad ejus similitudinem accedit. In Deo autem est Bonitas et diffusio Bonitatis in alia. Perfectius igitur accedit res creata ad Dei similitudinem, si non solum bona est sed etiam ad bonitatem aliorum agere potest, quam si solum in se bona esset, sicut similius est soli quod lucet et illuminat, quam quod lucet tantum. — *Non autem posset creatura ad bonitatem alterius creaturæ agere, nisi esset in rebus creatis pluralitas et inæqualitas;* quia agens est aliud a patiente, et honorabilius eo. — Oportet igitur, ad hoc quod in creaturis esset perfecta Dei imitatio, quod diversi gradus in rebus invenirentur. »

4°) « Item, *plura bona uno bono finito sunt meliora;* habent enim hoc et ad hæc amplius. Omnis autem creaturæ bonitas finita est; est enim deficiens ab infinita Dei Bonitate. Perfectius est igitur universum creaturarum, si sunt plures, quam si esset unus tantum gradus rerum. — Summo autem Bono competit facere quod melius est. — Ergo conveniens ei fuit, ut plures faceret creaturarum gradus. »

5°) « Adhuc, bonitas speciei excedit bonitatem individui, sicut formale id quod est materiale. *Magis igitur addit ad bonitatem universi multitudo specierum, quam multitudo individuorum in una specie.* — Est igitur ad perfectionem universi pertinens, non solum quod multa sint individua, sed quod sint etiam diversæ rerum species, et per consequens diversi gradus in rebus. »

6°) « Item, omne quod agit per intellectum, repræsentat speciem sui intellectus in re facta; sic enim agens sibi per artem facit simile. Deus autem fecit creaturam ut agens per intellectum, et non per necessitatem naturæ, ut supra (cap. 23) ostensum est. Species igitur Intellectus divini repræsentatur in creatura per ipsum facta. — *Intellectus autem multa intelligens, non sufficienter repræsentatur in uno tantum.* — Cum igitur Intellectus divinus multa intelligat, ut probatum est (lib. 1, cap. 55), perfectius seipsum repræsentat, si plures universorum graduum creaturas producat, quam si unum tantum produxisset. »

7°) « Amplius, operi a summo Bono Artifice facto non debuit deesse summa perfectio. Sed bonum ordinis diversorum est melius quolibet illorum ordinatorum per se sumpto; est enim formale respectu singularium, sicut perfectio totius respectu partium. Non debuit ergo bonum ordinis operi Dei deesse. — *Hoc autem bonum esse non potest, si diversitas et inæqualitas creaturarum non fecisset.* — Est igitur diversitas et inæqualitas in rebus creatis, non a casu, non propter materiæ diversitatem, non propter interventum aliquarum causarum vel meritorum, sed ex propria Dei intentione, perfectionem creaturæ dare volentis, qualem possibile erat eam habere. »

« Hinc est quod dicitur Gen. 1: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona,* cum de singulis dixisset quod sunt *bona;* quia singula quidem sunt in suis naturis bona, simul autem omnia valde bona, propter ordinem universi, qui est ultima et nobilissima perfectio in rebus. »

PROPOSITIO IV.

OMNES SIMUL CREATURÆ UNO AC TRINO ORDINE IN MUNDO DISPONUNTUR.

Creaturarum pluralitas et inæqualitas reducendæ sunt ad unitatem et trinitatem totius mundi, qui divinam Causam unitrinam multo melius suo ordine repræsentet, quam quælibet creatura singulariter sumpta.

§ I.

Probatur mundi unitas.

321. — De mundi unitate latius disseremus in Tomo III. Sufficiat nunc referre sequentem locum ex S. Thoma 1. q. 47, art. 3: *Utrum sit unus mundus tantum.*

I. « **Videtur, quod non sit unus mundus tantum, sed plures.**

1°) Quia, ut Augustinus dicit in lib. 83 Quæst., q. 46, inconveniens est dicere, quod Deus sine ratione res creavit. Sed ea ratione, qua creavit unum, potuit creare multos, cum ejus potentia non sit limitata ad unius mundi creationem, sed est infinita. Ergo Deus plures mundos produxit. »

2°) « Præterea natura facit quod melius est. Sed melius esset plures mundos quam unum, quia plura bona paucioribus meliora sunt. Ergo plures mundi facti sunt a Deo. »

3°) « Omne quod habet formam in materia, potest multiplicari secundum numerum, manente eadem specie, quia multiplicatio secundum numerum est ex materia. Sed mundus habet formam in materia; sicut enim cum dico: *homo*, significo formam, cum autem dico: *hic homo*, significo formam in materia; ita cum dicitur *mundus*, significatur forma, cum autem dicitur *hic mundus* significatur forma in materia. Ergo nihil prohibet plures esse mundos. »

II. **Sed contra est,** quod dicitur Joan. 1: *Mundus per ipsum factus est.* Ubi singulariter mundum nominavit, quasi uno solo mundo existente. »

« *Respondeo dicendum*, quod ipse ordo in rebus sic a Deo creatis existens, unitatem mundi manifestat. Mundus enim iste, unus dicitur unitate ordinis, secundum quod quædam ad alia ordinantur. Quæcumque autem sunt a Deo, ordinem habent ad invicem et ad ipsum Deum, ut supra ostensum est. Unde necesse est quod omnia ad unum mundum pertineant. Et ideo illi potuerunt ponere plures mundos, qui causam mundi non posuerunt aliquam sapientiam ordinantem, sed casum, ut Democritus qui dixit ex concursu atomorum factum esse hunc mundum, et alios infinitos. »

III. « **Ad 1^{m}) ergo dicendum,** quod hæc ratio est, quare mundus est unus, quia debent omnia esse ordinata uno ordine et ad unum. Propter quod Aristoteles in 12. Metaph., text. 52, ex unitate ordinis in rebus existentis concludit unitatem Dei gubernantis, et Plato ex unitate exemplaris, probat unitatem mundi, quasi exemplati. »

« Ad 2^{m}) dicendum, quod nullum agens intendit pluralitatem materialem ut finem, quia materialis multitudo non habet certum terminum, sed de se tendit in infinitum. Infinitum autem repugnat rationi finis. »

Cum autem dicitur plures mundos esse meliores quam unum, hoc dicitur secundum multitudinem materialem. Tale autem melius non est de intentione Dei agentis, quia eadem ratione dici posset, quod si fecisset duos, melius essent quod essent tres; et sic in infinitum. »

« Ad 3^{m}) dicendum, quod mundus constat ex sua tota materia. Non enim est possibile esse aliam terram, quam istam; quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium ubicumque esset. Et eadem est ratio de aliis corporibus, quæ sunt partes mundi. »

§ II.

Probatur mundi trinitas.

322. — **Prænotanda.** 1°) *Physicus ordo mundi in hoc substantialiter trinus est, quod tribus constat creaturarum generibus*, quorum duo extreme opponuntur, et tertium tenet medium inter utrumque. Constat enim creaturis mere spiritualibus supremam dignitatem occupantibus in ordine naturæ; constat præterea creaturis mere materialibus ac dignitate infimis; et inter utrasque extremas, medium harmonicum tenet homo spiritu et materia compositus. — Trinum hunc creaturarum gradum docet nos ipsa fides, sicut patet ex concil. Lateranensi IV, cap. *Firmiter:* « Unum est universorum Principium, Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotente virtute, simul initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. » Item ex concilio Vaticano, qui in Constitut. de Fide cathol. cap. 1, iisdem verbis utitur.

Physicum Trinitatis divinæ vestigium iterum invenitur in tribus singulis creaturarum generibus prædictis, tum scilicet in creaturis mere

spiritualibus, seu angelis, qui dividuntur in tres hierarchias, subdivisas in tres ordines; tum in creaturis mere corporalibus, quarum aliæ habent esse tantum, aliæ habent vitam vegetativam, aliæ sensitivam; tum in homine, qui in suo esse triplicem habet vitam, scilicet vegetativam, sensitivam et intellectivam.

Physico isti ordini additur ordo *intellectualis* et *moralis.*

2°) Hæc est generalis ac trina dispositio *ordinis naturalis.* Sed ordini naturali accedit *ordo supernaturalis gratiæ et gloriæ,* ita ut tota mundi perfectio contineatur in trino ordine physico, intellectuali et morali, secundum naturam, gratiam et gloriam: Vide supra n.ⁱˢ 39 et 40.

3°) Trinæ istæ distinctiones ab omnibus catholicis admittuntur. Sufficiat nunc nobis ostendere *mundum physicum esse universalissime tripartitum* in creaturas spirituales, in creaturas materiales, et in creaturam humanam, spiritu et materia compositam.

I. Trina mundi physici partitio probatur ex rationibus convenientiæ.

323. — A. Has rationes indicat S. Bonaventura 2. dist. 1, pars 2, art. 1, q. 2: *An rerum universitas triplici distinctione distinguatur, creatura spirituali, corporali, et ex utraque media.*

« Quæritur de differentiis secundum quas res multiplicatæ sunt, quas Magister ponit in littera scilicet *substantiam corporalem* et *spiritualem,* et *ex utraque compositam.* Quæritur utrum hæc distinctio debeat esse in universo. »

Tunc proponit quinque objectiones et addit: Sed contra:

a) « **Decuit Deum ita res facere, ut essent in manifestationem suæ Potentiæ;** sed potentia manifestatur in productione rerum multum distantium, et in earum conjunctione, nam potentia tanto virtuosior ostenditur, quanto potest super magis distantia. Sed prima et summa distantia substantiarum est inter corpoream et inter incorpoream, quia primæ differentiæ generis sunt. Ergo ad hoc, quod divina Potentia manifestetur plene, necesse fuit substantiam spiritualem et corporalem producere, et rursus productas unire.»

b) « **Item decuit Deum ita res producere, ut manifestaretur ejus Sapientia.** Sed sapientia artificis manifestatur in ordinis perfectione; omnis autem ordo *(inæqualis)* habet de necessitate et summum, et medium, et infimum. Si ergo infimum est natura pure corporalis, summum natura spiritualis, medium composita ex utraque, nisi hæc omnia fecisset, non ostenderetur perfecte Dei Sapientia; oportuit igitur hæc omnia fieri. Unde Augustinus 12 Confess., cap. 7: *Duo fecisti, Domine, unum prope te, aliud prope nihil.* »

c) « **Item Deum decuit sic res producere ut manifestaretur ejus Bonitas.** Sed bonitas consistit in diffusione sui, et communicatione sui ad alterum. Si ergo sua Bonitas consistit in communicatione actus sui nobilissimi, qui est vivere et intelligere, decuit ut non tantum daret alii potentiam vivendi et intelligendi, sed etiam potentiam alii communicandi. Si ergo vivens et intelligens est substantia spiritualis, quod autem vivificatur et per intellectum perficitur est corpus, ergo ad perfectam bonitatis manifestationem necesse fuit fieri substantiam spiritualem et corporalem. Sed hæc non perfecte manifestarent, nisi una alteri communicaret; et hoc non potest esse nisi per unionem. Ergo necesse fuit facere compositum ex utraque. »

d) « **Item hoc non solum videtur ratione theologica, sed etiam philosophica.** Quia si est ponere unam differentiam contrarietatis, et alteram. Si ergo corporale et spirituale. Et si ponere est extrema componibilia, ergo et medium, ergo etc. »

Denique concludit doctor seraphicus: « Dicendum, quod ad perfectionem universi hoc triplex genus substantiæ requiritur, et hoc propter triplicem perfectionem universi, quæ attenditur in amplitudine ambitus, sufficientia ordinis, influentia bonitatis, in quibus tribus exprimit in causa triplicem perfectionem, videlicet Sapientiæ, Potentiæ et Bonitatis. Unde concedendæ sunt rationes ad hoc inductæ. »

B. His rationibus a S. Bonaventura allegatis, duæ adjici possunt: una philosophica, et altera theologica. Divini enim Artificis Sapientiam decet.

a) **Ut ipsius opificium, quod est mundus, sit harmonicus.** — Atqui, harmonia a Boetio, de Arithmet., cap. 2, definitur: *Plurimorum adunatio et dissentientium consensio.* Quæ dissentientium seu contrariorum consensio fieri nequit, nisi in aliquo medio communi utrique contrario. — Ergo divinam Sapientiam decuit, ut mundus universus componatur duabus substantiarum generibus extreme contrariis, ut sunt substantiæ spirituales et corporales, atque substantia media, quæ utraque extrema componatur, ut est substantia humana. Talis autem dispositio tam complete harmonica est, ut ipsi nihil demi possit, quin aliquid ei desit, et nihil addi, quin inutilis fiat redundantia.

b) **Decet ut naturalis ordo mundi perfecte congruat ordini supernaturali,** cujus culmen est unio hypostatica Verbi creatoris et naturæ creatæ; unde decuit, ut mundus ad sublimem illam unionem supernaturalem naturaliter disponeretur. — Atqui, nulla intelligi potest melior dispositio ad unionem hypostaticam, quam trina prædicta. — Ergo hæc dispositio maxime convenit integræ

ordinationi divinæ Sapientiæ et toti perfectioni divini opificii.

Probatur minor. In prædicta dispositione, unica natura humana medium harmonicum tenet inter plures naturas spirituales et plures naturas corporales, ita ut utræque in ea conveniant. — Atqui, ex tali dispositione oriuntur duæ qualitates, quæ ad unionis perfectionem requiruntur, scilicet unitas et universalitas. *Unitas* quidem requiritur, quia ratione ipsius unionis, perfectior est unio quæ fit inter unum et unum, quam ea quæ fit inter unum et plura, vel inter plura et plura; ideo Verbum Dei naturam humanam assumpsit inquantum est una species, et non in multis ejus individuis, quia, sicut dicit S. Thomas in 3. q. 4, art. 5, cap.: « Conveniens est, quod sicut unum suppositum divinum et incarnatum, ita unam solam naturam humanam assumeret, ut ex utraque parte unitas inveniatur. » *Universalitas* vero ad unionis perfectionem requiritur, quia ratione effectuum unionis, major est totius mundi quam alicujus partis ejus perfectio ex unione hypostatica resultans. Jamvero, in humana natura continentur non tantum specifice omnes individui homines, sed etiam generice omnes naturæ spirituales et omnes naturæ corporales, ita ut hæc omnia in natura humana aliquo modo eleventur ad unionem hypostaticam. — Si autem mundus solis spiritualibus creaturis constaret, quibus hypostatice uniretur divinum Verbum, hæc unio non esset *una* ex parte assumptarum naturarum seu specierum angelicarum, quæ tot sunt quot angeli individui, sicut docet S. Thomas. Et si mundus solis corporalibus creaturis componeretur, tales creaturæ non essent aptæ ad unionem hypostaticam, quia irrationales sunt, et consequenter non sunt natæ attingere aliqualiter ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet et amando ipsum, quemadmodum habetur in 1. q. 4, art. 1, ad 3^{m}. Denique si mundus solis hominibus constaret, hypostatica unio foret minus universalis, quia natura humana non continet nisi homines ejusdem speciei. — Ergo nulla intelligi potest melior dispositio ad unionem hypostaticam quam trina dispositio prædicta.

II. **Trina mundi partitio probatur ex auctoritate.**

324. — 1°) Ex Hugone Victorino, lib. 1 de Sacram. christ. fid., Part. V, cap. 16: « Sic igitur constat rerum ordo, ut post prima posteriora sequantur. Prima omnium rerum est Voluntas Creatoris, quoniam ex ipsa sunt omnia... Quæ in Voluntate Dei æterna et invisibilia sunt, prima omnium sunt. Quæ ex Voluntate Dei temporalia et invisibilia sunt, secunda sunt post prima. Quæ temporalia et visibilia, tertia post secunda. — Ponuntur ergo *primo loco* causæ primordiales et invisibiles et increatæ creandorum omnium, in Mente divina. *Secundo loco* angelica natura, invisibilis quidem, sed creata. *Tertio loco* humana visibilis et creata, secundum aliquid invisibilis, et secundum aliquid visibilis. *Quarto loco* creatura corporea, in toto visibilis, et in toto temporalis. »

In hac enumeratione, primum locum tenent divinæ ideæ, quæ sunt æterna et increata exemplaria trium graduum creaturarum.

2°) Ex Petro Lombardo, 2. dist. 1, n° 11: « Ex præmissis apparet rationalem creaturam in angelicam et humanam fuisse distinctam, quarum altera est tota spiritualis, id est angelica; altera ex parte spiritualis et ex parte corporalis, id est humana. Cum itaque de his tractandum sit, scilicet de spirituali et corporali creatura, rationali et de non rationali, *primo de rationali et spirituali*, id est de angelis agendum videtur, ut a contuitu Creatoris ad cognitionem creaturæ dignioris ratio nostra intendat, *deinde ad considerationem corporeæ, tum illius quæ est rationalis*, quum illius *quæ non est rationalis descendat*, ut Trinitatis increatæ sacramentum tripartitæ creaturæ, eique concretorum atque contingentium sequatur documentum. »

3°) Post Petrum Lombardum citari possent omnes ejus commentatores; nam, sicut omnes norunt, textus quatuor librorum Sententiarum illius auctoris fuit quasi Manuale theologicum in tota Schola receptum medio ævo, ita ut fere omnes hujus temporis doctores Magistrum sententiarum secuti et interpretati sint.

4°) Ex omnibus auctoribus infra citandis, n.° 348 et seqq., qui docent hominem esse minorem mundum, ex eo quod medium tenet locum inter naturas spirituales et naturas corporales in ipso convenientes.

PROPOSITIO V.

PRINCIPALIS ET INFALLIBILIS EFFECTUS GUBERNATIONIS MUNDI EST OMNIUM RERUM ASSIMILATIO AD DEUM JUXTA IPSARUM NATURAM.

Argumentum.

Ex S. Thoma.

Doctor angelicus passim asserit finem productionis et gubernationis mundi esse divinum et supremum Bonum ab omnibus et singulis creaturis imitandum, ita ut ad ipsius Dei exemplar,

creaturæ et ipsæ bonæ sint, et alias faciant bonas, seu sint secundæ causæ bonitatis. — Atqui, ut creaturæ ipsæ bonæ sint, non tantum indigent produci in esse per creationem, sed etiam conservari in esse per divinam gubernationem; præterea ut creaturæ operentur et alias faciant bonas, indigent a Deo gubernante moveri. — Ergo principalis effectus gubernationis mundi est divina assimilatio, ad quam creaturæ perducuntur, inquantum a Deo gubernante conservantur in suo bono et moventur ad bonum aliis faciendum. Præterea docet S. Thomas, gubernationem mundi ad bonum, esse infallibilem et proportionatam naturæ rerum gubernatarum.

Singula ex ipsius verbis probanda sunt:

§ I.

Principalis effectus gubernationis mundi est creaturarum assimilatio ad Deum.

325. — Dicitur in 1. q. 103, art. 4 cap.: « Effectus cujuslibet actionis ex fine ejus pensari potest, nam per operationem efficitur, ut pertingatur ad finem. Finis autem gubernationis mundi est Bonum essentiale, ad cujus participationem et assimilationem omnia tendunt. Effectus igitur gubernationis potest accipi tripliciter: uno modo ex parte ipsius finis, et sic est unus effectus gubernationis, scilicet assimilari summo Bono. Alio modo potest considerari effectus gubernationis secundum ea, quibus ad Dei assimilationem creatura perducitur; et sic in generali sunt duo effectus gubernationis; creatura enim assimilatur Deo quantum ad duo, scilicet quantum ad id quod Deus bonus est, inquantum creatura est bona; et quantum ad hoc quod Deus est aliis causa bonitatis, inquantum una creatura movet aliam ad bonitatem; unde duo sunt effectus gubernationis, scilicet conservatio rerum in bono, et motio earum ad bonum. — Tertio modo potest considerari effectus gubernationis in particulari; et sic sunt nobis innumerabiles. »

In resp. ad 1[m]: « Ordo universi includit in se et conservationem rerum diversarum a Deo institutarum, et motionem earum; quia secundum hæc duo invenitur ordo in rebus, secundum scilicet quod una est melior alia, et secundum quod una ab alia movetur. »

§ II.

Omnes penitus creaturæ gubernantur ad divinam assimilationem.

326. — 1°) Dicitur ibid., art. 5 cap.: « Secundum eamdem rationem competit Deo esse Gubernatorem rerum et Causam rerum, quia ejusdem est res producere et ei perfectionem dare, quod ad gubernantem pertinet. Deus autem est Causa, non quidem particularis unius generis rerum, sed universalis totius entis, sicut supra ostensum est. Unde sicut nihil potest esse, quod non sit a Deo creatum, ita nihil potest esse quod ejus gubernationi non subdatur. — Patet etiam hoc idem ex ratione finis. Intantum enim alicujus gubernatio se extendit, inquantum se extendere potest finis gubernationis. Finis autem divinæ gubernationis est ipsa sua Bonitas, ut supra ostensum est. Unde cum nihil esse possit, quod non ordinetur in divinam Bonitatem, sicut in finem, ut ex supradictis patet, impossibile est quod aliquod entium subtrahatur gubernationi divinæ. »

2°) In lib. 3. cont. Gent., caput 19 inscribitur: *Quod omnia intendunt assimilari Deo.* Et sic probatur: « Ex hoc autem quod acquirunt divinam Bonitatem res creatæ, similes Deo constituuntur. Si igitur res omnes in Deum sicut in ultimum finem tendunt ut ipsius Bonitatem consequantur, sequitur quod ultimus rerum finis sit Deo assimilari. »

« Amplius, agens dicitur esse finis effectus, inquantum effectus tendit in similitudinem agentis; unde forma generati est finis generantis. Sed Deus ita est finis rerum, quod est etiam primum Agens earum. Omnia igitur tendunt, sicut ad ultimum finem, Deo assimilari. »

« Item, in omnibus rebus evidenter apparet quod esse appetunt naturaliter; unde et si quæ corrumpi possunt, naturaliter corrumpentibus resistunt, et tendunt illæ ubi conserventur, sicut ignis sursum et terra deorsum. Secundum hoc autem esse habent omnia, quod Deo assimilantur, qui est ipsum esse subsistens, cum omnia sint solum quasi esse participantia. Omnia igitur appetunt, quasi ultimum finem, Deo assimilari. »

« Præterea, res omnes creatæ sunt quædam imagines primi Agentis, scilicet Dei; agens enim agit sibi simile; perfectio enim imaginis est ut repræsentet suum exemplar per similitudinem ad ipsum; ad hoc enim imago constituitur. Sunt igitur res omnes propter similitudinem consequendam, sicut propter ultimum finem. »

« Adhuc, omnis res per suum motum vel actionem tendit in aliquod bonum, sicut in finem, ut supra ostensum est (cap. 16). In tantum autem aliquid de bono participat, inquantum assimilatur primæ Bonitati, quæ Deus est. Omnia igitur per motus suos et actiones tendunt in divinam similitudinem, sicut in finem ultimum. »

§ III.

Creaturæ ad divinam assimilationem gubernantur in ordine physico, et in ordine morali.

327. — Dicitur in 1. q. 103, art. 5, ad 2[m]: « Gubernatio est quædam mutatio gubernatorum a gubernante. Omnis autem motus est actus mobilis a movente, ut dicitur in 3. Physic. (text. 18). Omnis autem actus proportionatur ei cujus est actus. Et sic oportet quod diversa mobilia diversimode moveantur, etiam secundum motionem unius motoris. Sic igitur secundum unam Artem Dei gubernantis, res diversimode gubernantur secundum earum diversitatem. Quædam enim, secundum suam naturam, sunt per se agentia tanquam habentia dominium sui actus; et ista gubernantur a Deo, non solum per hoc, quod moventur ab ipso Deo in eis interius operante *(in ordine physico)*, sed etiam per hoc, quod ab eo inducuntur ad bonum et retrahuntur a malo, per præcepta et prohibitiones, præmia et pœnas *(in ordine morali)*. Hoc autem modo non gubernantur a Deo creaturæ irrationales, quæ tantum aguntur *(physice)*, sed non agunt *(ex libero arbitrio)*. »

Ibid., ad 3[m]: « Creatura rationalis gubernat seipsam per intellectum et voluntatem, quorum utrumque indiget regi et perfici ab Intellectu et Voluntate Dei. Et ideo supra gubernationem, qua creatura rationalis gubernat seipsam, tanquam domina sui actus, indiget gubernari a Deo. »

§ IV.

Creaturæ, inquantum sunt causæ secundæ, Deo gubernanti assimilantur.

328. — 1°) S. Thomas ibid., art. 6, docet Deum immediate omnibus *providere* in ordine intentionis; non autem immediate, sed mediantibus causis secundis, omnia *gubernare* in ordine executionis.

« In gubernatione duo sunt consideranda, scilicet ratio gubernationis, quæ est ipsa Providentia, et executio. Quantum igitur ad *rationem* gubernationis pertinet, Deus immediate omnia gubernat; quantum autem pertinet ad *executionem* gubernationis, Deus gubernat quædam mediantibus aliis. Cujus ratio est, quia cum Deus sit ipsa essentia Bonitatis, unumquodque attribuendum est Deo, secundum sui optimum. Optimum autem in omni genere vel ratione vel cognitione practica, qualis est ratio gubernationis, in hoc consistit, quod particularia cognoscantur in quibus est actus; sicut optimus medicus est, qui non considerat sola universalia, sed qui potest etiam considerare minima particularium; et idem patet in cæteris. Unde oportet dicere, quod Deus omnium, etiam minimorum particularium, rationem gubernationis habeat. Sed cum per gubernationem, res quæ gubernantur sint ad perfectionem perducendæ, tanto erit melior gubernatio, quanto major perfectio a gubernante rebus gubernatis communicatur. Major autem perfectio est, quod aliquid in se sit bonum, et etiam sit alii causa bonitatis, quam si esset solummodo in se bonum. Et ideo sic Deus gubernat res, ut quasdam aliarum in gubernando causas instituat; sicut si aliquis magister discipulos suos, non solum scientes faceret, sed etiam aliorum doctores. »

Ibid., ad 2[m]): « Si solus Deus gubernaret, subtraheretur perfectio causalis a rebus. Unde non totum melius fieret per unum, quod fit per multa. »

Ad 3[m]): « Non solum pertinet ad *perfectionem* regis terreni, quod executorem habeat suæ gubernationis, sed etiam ad regis *dignitatem*, quia ordine ministrorum potestas regia præclarior redditur. » — Divini autem Regis perfectio non augetur per causas secundas, cum solus possit facere quod omnes possunt et amplius infinite, sed ejus dignitas, seu potestas, ex multitudine et ordine ministrorum clarior nobis apparet.

2°) In 3. cont. Gent., cap. 31, probat variis rationibus « *quod res intendunt assimilari Deo in hoc quod sunt causæ.* »

« Tendit enim in divinam similitudinem res creata, per suam operationem. Per suam autem operationem una res fit causa alterius. Ergo in hoc etiam res intendunt divinam similitudinem, ut sunt aliis causæ. »

« Adhuc, res intendunt in divinam similitudinem inquantum *(Deus)* est bonus, ut supra dictum est (cap. 20). Ex Bonitate autem Dei est quod aliis esse largitur; unumquodque enim agit inquantum est actu perfectum. Desiderant igitur generaliter res in hoc Deo assimilari, ut sint aliorum causæ. »

« Amplius, ordo ad bonum, boni rationem habet ut ex dictis (cap. 2°) est manifestum. Unumquodque autem per hoc quod est causa alterius ordinatur ad bonum; bonum autem solum per se cognoscitur et causatur; malum autem, per accidens tantum, ut ostensum est (cap. 14). Esse igitur aliorum causa, est bonum. Secundum autem quodlibet bonum ad quod tendit, aliquid intendit divinam similitudinem, cum quodlibet bonum creatum sit ex participatione divinæ Bonitatis. Intendunt igitur res divinam similitudinem in hoc quod sint aliorum causæ. »

« Item, ejusdem rationis est quod effectus tendant in similitudinem agentis, et quod agens assimilet sibi effectum. Tendit igitur effectus in finem, in quem dirigitur ab agente. Agens autem intendit sibi assimilare patiens, non solum quantum ad esse ipsius, sed etiam quantum ad causalitatem ; sicut enim ab agente conferuntur effectui naturali principia per quæ subsistit, ita principia per quæ aliorum sit causa; sicut enim animal, cum generatur, accipit a generante virtutem nutritivam, ita etiam virtutem generativam. Effectus igitur tendit in similitudinem agentis, ut ostensum est, non solum quantum ad speciem ipsius, sed etiam quantum ad hoc, quod sit aliorum causa. Sic autem tendunt res in similitudinem Dei sicut effectus in similitudinem agentis. Intendunt igitur res naturaliter assimilari Deo in hoc quod sunt causæ aliorum. »

« Præterea, tunc maxime perfectum est unumquodque, quando potest alterum sibi simile facere; illud enim perfecte lucet, quod alia illuminare potest. Unumquodque autem tendens in suam perfectionem tendit in divinam similitudinem. Per hoc igitur unumquodque tendit in divinam similitudinem quod intendit aliorum causa esse. Quia vero causa, inquantum hujusmodi, superior est causato, manifestum est quod tendere in divinam similitudinem per hunc modum ut sit aliorum causa, est superior perfectio in entibus. »

« Item, prius est unumquodque in se perfectum, quam possit alterum causare, ut dictum est. Hæc igitur perfectio ultimo accidit rei, ut aliorum causa existat. Cum igitur per multa tendat res creata in divinam similitudinem, quærit per hoc, quod sit aliorum causa. Unde Dionysius dicit cap. 3 Cœl. hier. quod *omnium divinius est Deo cooperatorem fieri*, secundum quod Apostolus dicit in 1 Cor. 3: *Dei sumus adjutores.* »

§ V.

Creaturæ infallibiliter gubernantur ad bonum universale, non autem semper ad bonum particulare.

329. — Dicitur in 1. q. 103, art. 8, corp.: « Ordo divinæ Sapientiæ dupliciter potest considerari: Uno modo in generali, secundum scilicet quod progreditur *a causa gubernativa totius;* alio modo in speciali, secundum quod progreditur *a causa particulari*, quæ est exsecutiva divinæ gubernationis. Primo igitur modo nihil contranititur ordini divinæ gubernationis: quod ex duobus patet. »

« Primo quidem ex hoc, quod ordo divinæ » gubernationis totaliter in bonum tendit, et unaquæque res in sua operatione et conatu non tendit nisi ad bonum; nullus enim respiciens ad malum operatur, ut Dionysius dicit. — Alio modo apparet idem ex hoc, quod sicut supra dictum est, omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis vel voluntaria, nihil est aliud quam quædam impressio a primo movente, sicut inclinatio sagittæ ad signum determinatum, nihil aliud est quam quædam impressio a sagittante. Unde omnia quæ aguntur vel naturaliter, vel voluntarie, quasi propria sponte proveniunt in id ad quod divinitus ordinantur. Et ideo dicitur Deus omnia disponere suaviter. »

Ibidem, ad 1[m]): « Dicuntur aliqui vel cogitare, vel loqui, vel agere contra Deum, non quia *totaliter renitantur ordini divinæ gubernationis*, quia etiam peccantes intendunt aliquod bonum, sed quia contranituntur *cuidam determinato bono;* quod est eis conveniens secundum suam naturam aut statum. Et ideo puniuntur juste a Deo. »

1. 2. q. 9, art. 6, corp.: « Voluntas habet ordinem ad universale bonum. Unde nihil aliud potest esse voluntatis causa *(infallibiliter determinans)* nisi ipse Deus, qui est *universale Bonum.* Omne autem aliud bonum per participationem dicitur, et est *quoddam particulare bonum.* Particularis autem causa non dat inclinationem universalem. »

Ibidem, ad 3[m]): Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis Motor *ad universale objectum voluntatis*, quod est bonum; et sine hac universali motione, homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se *ad volendum hoc vel illud*, quod est vere bonum aut apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam. »

§ VI.

Nihil evenire potest contra generalem gubernationis divinæ ordinem.

330. — 1°) « Præter ordinem alicujus particularis causæ, nihil provenit nisi ex aliqua causa impediente, quam quidem causam necesse est reducere in primam causam universalem; sicut indigestio contingit præter ordinem virtutis nutritivæ ex aliquo impedimento, puta ex grossitie cibi, quam necesse est reducere in aliam causam, et sic usque ad causam primam universalem. Cum igitur Deus sit prima Causa universalis non unius generis tantum, sed universaliter totius entis, impossibile est quod aliquid contingat præter ordinem divinæ guber-

nationis. Sed ex hoc ipso, quod aliquid ex una parte videtur exire ab ordine divinæ Providentiæ, qui consideratur secundum aliquam particularem causam, necesse est quod in eumdem ordinem relabatur secundum aliam causam. » (1. q. 103, art. 7, corp.).

2°) PROVIDENTIÆ ORDINI NON OFFICIUNT MALUM, NEC RES QUÆ CASU VEL CONTINGENTER EVENIUNT. Sic enim ibidem diluit S. Thomas objectiones ex hoc triplice capite petitas: « Ad 1^m) ergo dicendum, quod nihil invenitur in mundo quod sit totaliter malum, quia malum semper fundatur in bono ut supra ostensum est (1. q. 44, art. 3, et q. 49, art. 3). Et ideo res dicitur mala per hoc, quod exit ab ordine alicujus particularis boni. Si autem totaliter exiret ab ordine gubernationis divinæ, totaliter nihil esset. »

« Ad 2^m) dicendum quod aliqua dicuntur esse casualia in rebus per ordinem ad causas particulares extra quarum ordinem fiunt. Sed quantum ad divinam Providentiam pertinet, nihil fit casu in mundo, ut Augustinus dicit in lib. 83 quæst., q. 34. »

« Ad 3^m) dicendum quod dicuntur aliqui effectus contingentes per comparationem ad proximas causas, quæ in suis effectibus deficere possunt, non propter hoc quod aliquid fieri possit extra totum ordinem gubernationis divinæ, quia hoc ipsum quod aliquid contingit præter ordinem causæ proximæ, est ex aliqua causa subjecta gubernationi divinæ. »

3°) DE REBUS CONTINGENTER EVENIENTIBUS IN SPECIE loquitur doctor angelicus in 1. q. 22, art. 4: « Providentia divina quibusdam rebus necessitatem imponit, non autem omnibus, ut quidam crediderunt. Ad Providentiam enim pertinet ordinare res in finem. Post Bonitatem autem divinam, quæ est finis a rebus separatus, principale bonum in ipsis rebus existens est perfectio universi. Quæ quidem non esset, si non omnes gradus essendi invenirentur in rebus. Unde ad divinam Providentiam pertinet omnes gradus entium producere. Et ideo quibusdam effectibus præparavit causas necessarias, ut necessario evenirent, quibusdam vero causas contingentes, ut evenirent contingenter, secundum conditionem causarum proximarum. »

4°) OBJECTIONIBUS SIC RESPONDET S. THOMAS. Objectiones istæ desumuntur ex divinæ Providentiæ efficacitate, firmitate et immutabilitate.

« Ad 1^m) ergo dicendum, quod effectus divinæ Providentiæ non solum est aliquid evenire quocumque modo, sed aliquid evenire vel contingenter, vel necessario. Et ideo evenit infallibiliter, quod divina Providentia disponit evenire infallibiliter et necessario; et evenit contingenter, quod divinæ Providentiæ ratio habet ut contingenter eveniat. »

« Ad 2^m) dicendum, quod in hoc est immobilis et certus divinæ Providentiæ ordo, quod ea quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessario, sive contingenter. »

« Ad 3^m) dicendum quod indissolubilitas illa et immutabilitas quam Boetius tangit (in 4 de Consol., prosa 6) pertinet ad certitudinem Providentiæ, quæ non deficit a suo effectu, neque a modo eveniendi, quem providit, non autem pertinet ad necessitatem effectuum. Et considerandum est, quod necessarium et contingens proprie consequuntur ens inquantum hujusmodi. Unde modus contingentiæ et necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis Provisor totius entis; non autem sub provisione aliquorum particularium provisorum. »

CAPUT II.

PROBATUR PRIMUM PECCATUM, ORDINIS TURBATIO AB EO SECUTA, ET IPSIUS MALI AD BONUM ORDINATIO A DEO.

In quatuor Propositionibus demonstrabimus: 1°) multos angelos peccasse obstinate; 2°) primum hominem peccasse, ejusque peccatum fuisse ad posteros transmissum; 3°) peccatum ex parte turbasse ordinem a Creatore institutum; 4°) ipsum malum ad bonum ordinari a Deo.

PROPOSITIO I.

MULTI ANGELI PECCAVERUNT OBSTINATE.

331. — *De fide est* ex Concil. Later. IV, quod definivit: « Diabolus et alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. » Ergo peccaverunt. Concilium adjicit: « Illi recipient cum diabolo pœnam perpetuam. » Ergo peccaverunt sine ulla spe veniæ, et ideo obstinate.

I. **Multi angeli peccaverunt.** Probatur ex Scriptura. Job. 4, v. 18: *In angelis suis reperit pravitatem.* — 1. Joan. 3, v. 8: *Ab initio diabolus peccat.*

II. **Peccaverunt obstinate,** scilicet ita sunt in malo firmati, ut a malitia sua converti nequeant.

Probatur I. *Ex Scriptura,* quæ testatur æternitatem pœnæ rebellium angelorum. Matth. 25,

v. 41: *Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Judæ, v. 6: *Angelos qui non servaverunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* — Atqui pœna æterna non infligitur nisi peccatoribus in malo obstinatis. — Ergo mali angeli peccaverunt obstinate.

Probatur II. *Ex S. Thoma,* qui in 1 q. 64, art. 2, quærit: *Utrum voluntas dæmonum sit obstinata in malo* et respondet: « Ad inquirendum causam hujusmodi obstinationis, considerandum est, quod vis appetitiva in omnibus proportionatur apprehensivæ, a qua movetur sicut mobile a motore. Appetitus enim sensitivus est boni particularis, voluntas vero universalis, ut supra dictum est (1. q. 59, art. 4), sicut et sensus apprehensivus est singularium, intellectus vero universalium. Differt autem apprehensio angeli ab apprehensione hominis in hoc, *quod angelus apprehendit immobiliter per intellectum,* sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus; homo vero per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde et voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere et contrario adhærere; *voluntas autem angeli adhæret fixe et immobiliter.* Et ideo, si consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere et huic et opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter *(physice)* vult, sed postquam adhæsit, immobiliter adhæret. Et ideo consuevit dici quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum, et ante electionem et post; liberum autem arbitrium angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem sed non post. Sic igitur et boni angeli semper adhærentes justitiæ, sunt in illa confirmati; mali vero peccantes, sunt in peccato obstinati. »

Ibidem, ad 3^{m}: « *Adhuc manet in diabolo peccatum, quo primo peccavit, quantum ad appetitum,* licet non quantum ad hoc, quod credat se posse obtinere. Sicut si aliquis credat se posse facere homicidium, et velit facere, et postea adimatur ei potestas, nihilominus voluntas homicidii in eo manere potest, ut velit fecisse, vel velit facere si possit. »

Ad 5^{m}: « Actus dæmonis est duplex: quidam scilicet *ex voluntate deliberata procedens,* et is proprie potest dici actus ejus; et talis actus dæmonis semper est malus, quia etsi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit; sicut dum veritatem dicit ut decipiat, et dum non voluntarie credit et confitetur, sed rerum evidentia coactus. Alius autem actus dæmonis est *naturalis (nempe physice liber),* qui bonus esse potest, et attestatur bonitati naturæ; et tamen tali bono actu abutuntur ad malum. »

PROPOSITIO II.

PRIMUS HOMO GRAVITER PECCAVIT, ET PECCATUM EJUS AD POSTEROS TRANSMITTITUR.

332. — *De fide est* ex Concil. Trid., Sess. 5, cap. 1, can. 1: « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei... anathema sit. »

Ibid., can. 2: « Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod est mors animæ, anathema sit. »

Ibid., Can. 3, peccatum Adæ his verbis explicatur: « ...hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium. »

Ibid., Can. 5, dicitur quod peccatum originale « veram et propriam peccati rationem habet » et quod ideo potest imputari.

§ I.

Protoparentes peccaverunt graviter.

333. — I. **Quod peccaverunt,** probatur ex Scriptura. Nam Genes., cap. 2, dicitur Deum illis præcepisse ne comederent de fructu arboris scientiæ boni et mali. Atqui, ex cap. 3 constat eos de hoc fructu vetito comedisse. Ergo Dei præceptum transgressi sunt, seu peccaverunt.

II. **Quod autem graviter peccaverunt,** probatur ex variis peccati ipsorum circumstantiis, scilicet 1°) Ex FINE PRÆCEPTI, qui gravissimus erat, nempe ut homo per obedientiam Deo ostenderet suam subjectionem et gratitudinem.

2°) Ex FACILITATE PRÆCEPTI, sive illius materia spectetur, sive status sanctitatis et justitiæ in quo erant protoparentes. Ipsis enim concupiscentia carentibus, pars inferior animæ et corpus superiori perfecte subdebatur, ita ut nihil intrinsecus eos ad malum impelleret.

3°) Ex gravitate pœnæ, scilicet mortis, quam Deus illis ante peccatum comminatus est, et post peccatum revera inflixit. Etenim cum Deus sit justissimus, gravem pœnam non infligit nisi gravi culpæ.

4°) Ex multis peccatis in hac culpa contentis. a) Ex parte Hevæ, datur infidelitas, qua de verbo Dei dubitavit, et verbis serpentis fidem dedit. Datur blasphemia, inquantum credidit Deum ipsis præcepisse ex invidia, scilicet ne comedendo de fructu arboris scientiæ, scirent bonum et malum, sicut ipse Deus. Datur scandalum, quo virum suum ad peccatum induxit. b) Ex parte Adæ datur inordinatus amor uxoris. c) In utroque dantur superbia, qua voluerunt esse sicut dii, gula et specialis inobedientia, seu actualis manducatio fructus vetiti.

§ II.

Adæ peccatum in posteros ejus transmittitur.

334. — Probandum est, quod in Adæ posteris datur commune peccatum originis, quo revera peccatores constituuntur.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Job 14, v. 4: *Quis potest facere immundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* vel ut vertunt septuaginta interpretes: *Nemo mundus a sorde, ne infans quidem, cujus est unius dici super terram;* quæ ultima verba habentur etiam in antiqua Vulgata, et Calmet hunc locum commentans, testatur eadem veteres legisse atque adhibuisse ad probandum peccati originalis transmissionem. Certum enim est Jobum loqui de immunditia omnibus hominibus communi, quæ non est corporalis sed spiritualis, cum solus Deus possit eam delere, et quæ cuilibet homini, etiam infanti actualium peccatorum incapaci, ab ipsa origine inhæret.

2°) Psalm. 50, v. 7: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Singularis autem numerus adhibetur in textu hebraico, quem S. Hieronymus sic vertit: *In iniquitate conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea;* item in versione chaldaica, syriaca et arabica. Jam vero manifestum est hic agi de peccato originali, non vero de actuali ipsius Davidis in utero matris suæ, nec de peccato matris Davidis, qui de legitimo matrimonio conceptus et natus est. Propositio etiam probatur ex plurali numero, qui in textu Vulgatæ reperitur; etenim hic numerus designat multiplicitatem peccatorum in uno originali peccato contentorum, sicut supra ostendimus. — Præterea sancti Patres aliique interpretes hunc textum communiter intelligunt de peccato originali.

3°) Rom. 5, v. 12: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* — Et v. 14: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* In his verbis manifeste probatur transmissio peccati originalis in omnes homines. Non agitur enim de actualibus hominum peccatis, sed de aliquo peccato, quod per unum hominem scilicet per Adamum, invasit totum genus humanum, nam sæpe sacrorum Librorum scriptores vocem *mundum* adhibent in hoc sensu restricto, verbi gratia Joan. 1, v. 29 et cap. 3, v. 16; Matth. 5, v. 14; Rom. 11, v. 15, etc.

Hujus autem communis peccati pœna communis est mors, cui obnoxii sunt omnes homines, qui in Adamo peccaverunt; nam sicut optime animadvertit S. Augustinus in lib. 4 ad Bonifac., n.° 7, illud pronomen relativum *in quo*, referri nequit ad peccatum Adami, quia etiam in græco ἐφ' ᾧ, est masculini generis, dum peccatum ἡ ἁμαρτία est feminei generis; nec magis referri potest ad mortem, quia, licet θάνατος sit masculini generis, insulsum tamen foret dicere omnes in morte peccasse. Tandem asserit Apostolus ipsos mortem in pœnam peccati subire parvulos, qui nondum capaces sunt actualia ac personalia peccata ad instar Adami committere.

Ergo omnes homines morte puniuntur in pœnam peccati originalis.

4°) Ephes. 2, v. 3: *Nos omnes.... eramus natura filii iræ, sicut et cæteri;* scilicet omnes ex ipsa progenie, et non solum propter gravissima peccata actualia, eramus peccatores, filii iræ, damnationis rei.

Ad hæc S. Augustinus, tract. 44, in Joann.: « Quomodo natura? nisi quia primo homine peccante vitium pro natura inolevit. » — Et serm. 294 dicit in eumdem Apostoli locum: « Non accusamus naturam: naturæ Auctor Deus est; a Deo bona instituta est natura, sed per malam voluntatem vitiata est. Ideo quod fuit in Adam culpæ, non naturæ, nobis propagatis, factum jam est naturæ. »

Probatur II. *Ex Patribus.*

A primis Ecclesiæ sæculis Patres græci et latini communi consensu agnoscunt peccatum originale, quod sedulo distinguunt a peccatis actualibus. Sequentia testimonia citare sufficiat.

I. **Ex Patribus græcis:** S. Justinus in dialog. cum Tryph., n.° 88, dicit Christum voluisse baptizari et crucifigi « non quod ipse his rebus

indigeret, sed pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem inciderat, ut interim propriam pro se maligne agentis cujusque culpam taceam. »

TATIANUS in oratione cont. Græcos inquit: « Non facti sumus ut moreremur; sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas; servi facti sumus qui liberi eramus; per peccatum venditi sumus. »

Ibi clare agitur de peccato aliquo communi, in cujus pœnam facti sunt mortales et servi.

S. IRENÆUS, lib. 3 Adv. hæres., cap. 20, docet Christum nobis salutem præstitisse « ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem et similitudinem Esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus... quia sine Christo impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub Adæ peccato ceciderat. »

ORIGENES, homil. 8, in Levit., n.° 3, postquam dixisset, sanctum Job non sine causa diem nativitatis suæ maledixisse, ait: « Quod si placet audire quid etiam alii sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem: *In iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, ostendens quod quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur, et propterea dictum esse illud, quia *nemo mundus a sorde, nec si unius diei sit vita ejus.* »

S. ATHANASIUS in Psal. 50, n° 7: « Omnes, qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi. » — Et, Orat. 2, cont. Arium., n.° 65: « Perierat prima per Adam vita, nec amplius in Paradisum tendebamus, sed ad mortem deflexeramus; idcirco Dei Verbum carnem induit, ut quam primus homo, violata lege, morte affecerat, eidem sui corporis sanguine vitam redderet. »

S. BASILIUS, homil. de Fame et siccit., n.° 7: « Adam improbo esu peccatum transmisit. » Homil. de Renunt. sæc., n.° 7: « Ingluvies morti tradidit Adamum, atque per ventris voluptatem mundi exitium intulit. »

S. GREGORIUS NAZ., Orat. 25 in Arianos: « Omnes qui Adamo participavimus, atque a serpente in fraudem inducti sumus per peccatum mortui, per cœlestem Adamum saluti restituti, atque a ligno vitæ unde exciderамus, per ignominiæ lignum reducti sumus. »

S. CHRYSOSTOMUS, Epist. ad Olymp.: « Quando Adam peccavit illud grande peccatum, et omne genus hominum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat. » — Et, Homil. ad Neophytos: « Venit Christus, invenit nostrum chirographum paternum quod scripsit Adam; iste initium induxit debiti; nos fœnus auximus posterioribus peccatis. »

II. **Ex Patribus latinis:** TERTULLIANUS in lib. De testimon. animæ, lib. 3: « Per quem *(diabolum)* homo a primordio circumventus ut præceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit. » — Et, adversus Marcion., lib. 1: « Homo damnatur in mortem ob unius arbusculæ delibationem, et exinde prosiliunt delicta cum pœnis, et pereunt jam omnes qui paradisi nullum cespitem viderunt. »

S. CYPRIANUS, epist. 59 ad Fidum: « Prohiberi *(a baptismo)* non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi non remittuntur propria *(nempe personalia)*, sed aliena peccata. »

S. HILARIUS in Psalm. 59, n.° 4: « Ex uno in omnes sententia mortis, et vitæ labor exiit. » — Item, Comment. in Math., cap. 10.: « Ex peccato et infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater peccatum, mater animæ infidelitas. » — Et in Matth., cap. 18, n.° 6: » In unius Adæ errore omne hominum genus aberravit. »

S. OPTATUS MILEVIT., lib. 4 cont. Parmen: « Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus christianis nascatur, sine immundo spiritu esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi et separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur. »

S. AMBROSIUS in 1 Apolog. David.: « Antequam nascamur, maculamur contagio, et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur. » — Item in Lucam lib. 4, n.° 67: « Adæ culpa mors omnium est. » — Et lib. 7, n.° 234: « Fuit Adam, et in illo fuimus omnes, periit Adam, et omnes in illo perierunt. »

S. HIERONYMUS in cap. 2 Mich.: « Unusquisque nostrum cum Adam de paradiso cecidit, et in mundi hujus captivitate versatur. » — Item in cap. 4 Jonæ: « Major ætas incipit, et usque ad minorem pervenit; nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus, et innumerabiles anni vitæ illius. Si enim stellæ mundæ non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis et putredo, et ii, qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii. »

S. AUGUSTINUS, in Epist. 190 ad Optatum, asserit quod juxta catholicam doctrinam credendum est: « Neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti et damnationis obstrictum. » — In lib. 7 cont. Julian., cap. 7, Sanctus doctor hoc dogma probat ex Scriptura et Traditione, cujus multos

textes citat, et sic concludit: « Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. » — Et, lib. 2 de Nupt. et concupisc, cap. 12: « Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; sed tu qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus. »

Cum ipsi adversarii fateantur, Patres S. Augustino posteriores credidisse ac docuisse dogma peccati originalis, superfluum est illorum testimonia afferre.

Probatur III. *Ex rationibus theologicis.*

1°) Ex necessitate baptismi parvulorum.

De fide est baptismum esse ad salutem necessarium omnibus hominibus, etiam parvulis, qui juxta Concil. Trid., sess. 5, cap. 1, can. 4, baptizandi sunt « ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (Joan. 3, v. 5). » — Atqui parvuli usu rationis destituti, incapaces sunt peccata actualia ac personalia committendi. — Ergo non ab his peccatis, sed a peccato originali per baptismum mundandi sunt, sicut cæterum testatur ipsum Tridentinum, docendo parvulos esse mundandos a peccato quod generatione contraxerunt.

2°) Ex antiquissima exorcismi cæremonia, quæ baptismum præcedit, et de qua dicit S. Augustinus: « Quid de parvulo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? » — Atqui nemo tenetur in familia diaboli, nisi per peccatum; parvuli autem nequeunt habere peccata personalia. — Ergo habent peccatum originale.

3°) Ex Redemptione omnium hominum per Jesum Christum.

Christus est Redemptor, non tantum quia gratiam præstat, sed etiam quia a peccato liberat. Ergo, cum Redemptio sit universalis, ipsi parvuli a peccato per Christum liberantur. — Atqui non possunt a peccatis personalibus liberari. — Ergo a peccato originali liberantur.

4°) Ex præsenti hominis statu.

Nisi existat peccatum originale, nulla potest dari ratio cur in eodem homine tanta dignitas conjungatur tantæ abjectioni. Omnibus notum est illa Pascalis sententia: « Sans ce mystère le plus incompréhensible de tous, nous sommes incompréhensibles à nous-mêmes, de sorte que l'homme est plus inconcevable sans ce mystère, que ce mystère n'est inconcevable à l'homme. » Vide Dechamps: Le Christ et les Antechrists, Part. 3, § 1.

PROPOSITIO III.

PECCATUM EX PARTE TURBAVIT PRIMITIVUM ORDINEM A CREATORE INSTITUTUM.

Exponitur Propositio.

335. — *Deus omnia in mundo creaverat bona,* scilicet cum modo, specie et ordine physico et morali, tam naturali quam supernaturali. Moralis autem ordo requirit ut creaturæ rationales libere rationem suam subjiciant divinæ Rationi, seu æternæ Legi, quæ est suprema hujus ordinis norma. Præterea supernaturalis ordo fundabatur in gratia sanctificante; hæc autem erat radix justitiæ originalis ac præternaturalis, per quam non solum inferiores animæ vires ordinatissime subjiciebantur rationi, sed totum corpus ordinatissime subdebatur animæ, sine ullo defectu; imo cuncta animalia miro cum ordine subjiciebantur homini tamquam domino suo.

Atqui, peccatum hunc divinum ordinem ex parte turbavit; physicum enim ordinem in peccante nullatenus turbavit, sed moralem ordinem naturalem diminuit, et ordinis supernaturalis fundamentum, nempe gratiam sanctificantem et justitiam originalem, prorsus sustulit, ac consequenter in homine abstulit dominium rationis in vires animæ inferiores et in corpus, atque ipsius hominis dominium in omnes creaturas materiales, quemadmodum probabimus in sequentibus paragraphis. — Ergo stat propositio.

Probatur Minor, seu Propositio, in sequentibus paragraphis.

§ I.

Omne peccatum in parte privat peccantem modo, specie et ordine.

336. — In 1. 2. q. 85, art. 4, doctor angelicus quærit: *Utrum privatio modi, speciei et ordinis sit effectus peccati.* Et sic procedit:

I. « **Videtur quod privatio modi, speciei et ordinis non sit effectus peccati.** »

1°) « Dicit enim Augustinus in lib. de Nat. boni, cap. 3, quod ubi hæc tria magna sunt, magnum bonum est; ubi parva, parvum; ubi nulla, nullum. Sed peccatum non annullat bonum naturæ. Ergo non privat modum speciem et ordinem. »

2°) « Præterea, nihil est causa sui ipsius. Sed peccatum est privatio modi, speciei et ordinis,

ut Augustinus dicit in lib. de Nat. boni, cap. 36 et 37. Ergo privatio modi, speciei et ordinis non est effectus peccati. »

3°) « Præterea, diversa peccata diversos habent effectus. Sed modus, species et ordo, cum sint quædam diversa, diversas privationes habere videntur. Ergo per diversa peccata privantur; non ergo est effectus cujuslibet peccati privatio modi, speciei et ordinis. »

II. « **Sed contra est,** quod peccatum est in anima sicut infirmitas in corpore, secundum illud Psalm. 6: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.* Sed infirmitas privat modum, speciem et ordinem ipsius corporis. Ergo peccatum privat modum, speciem et ordinem animæ. »

« *Respondeo dicendum* quod sicut in 1. q. 5, art. 5 dictum est, modus, species et ordo consequuntur unumquodque bonum creatum inquantum hujusmodi, et etiam unumquodque ens. Omne enim esse et bonum consideratur per aliquam formam, secundum quam sumitur species; forma autem uniuscujusque rei, qualiscumque sit, sive substantialis sive accidentalis, est secundum aliquam mensuram, unde et in 8. Metaph., text. 10, dicitur, quod formæ rerum sunt sicut numeri; et ex hoc habet modum quemdam, qui mensuram respicit; ex forma vero sua unumquodque ordinatur ad aliud. Sic igitur secundum diversos gradus bonorum sunt diversus gradus modi, speciei et ordinis. — Est ergo quoddam bonum *(nempe physicum)* pertinens ad ipsam substantiam naturæ, quod habet suum modum, speciem et ordinem, et illud nec privatur, nec diminuitur per peccatum. — Est etiam quoddam bonum naturalis inclinationis *(in morali ordine naturali);* et hoc etiam habet suum modum, speciem et ordinem; et hoc diminuitur per peccatum, ut dictum est (art. 2 hujus quæst.), sed non totaliter tollitur. — Est etiam quoddam bonum virtutis et gratiæ *(nempe supernaturale),* quod etiam habet suum modum, speciem et ordinem; et hoc totaliter tollitur per peccatum mortale. — Est etiam quoddam bonum quod est ipse actus ordinatus, quod etiam habet suum modum, speciem et ordinem; et hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum. — Et sic patet qualiter peccatum est privatio modi, speciei et ordinis *(in ipso actu),* et privat vel diminuit modum, speciem et ordinem *(in habitu).* »

III. « **Unde patet responsio ad duo prima** ».

« Ad 3^{m}) dicendum, quod modus, species et ordo se consequuntur, sicut ex dictis patet. Unde simul privantur et diminuuntur. »

§ II.

Omne peccatum est moralis inordinatio inquantum est actus Legi æternæ contrarius.

337. — In 1. 2. q. 71, art. 6, quæritur: *Utrum convenienter definiatur peccatum, esse dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam.*

« *Respondeo dicendum,* quod sicut ex dictis (art. 1 huj. quæst.) patet, peccatum nihil aliud est quam actus humanus malus. *Quod autem aliquis actus sit humanus,* habet ex hoc, quod est voluntarius, sicut ex supradictis (q. 1, art. 1) patet, sive sit voluntarius quasi a voluntate elicitus, ut ipsum velle vel eligere; sive quasi a voluntate imperatus, ut exteriores actus vel locutionis, vel operationis. — *Habet autem actus humanus quod sit malus,* ex eo, quod caret debita commensuratione; omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex: una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet Lex æterna, quæ est Ratio Dei. Et ideo Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet *ad substantiam actus humani,* quod est quasi materiale in peccato, cum dixit: *dictum, vel factum, vel concupitum;* aliud autem quod pertinet *ad rationem mali,* quod est quasi formale in peccato, cum dixit: *contra Legem æternam.* »

Ibidem, ad 3^{m}: « Lex æterna primo et principaliter ordinat hominem ad finem; consequenter autem facit hominem bene se habere circa ea quæ sunt ad finem; et ideo in hoc quod dicit: *contra Legem æternam,* tangit aversionem a fine, et omnes alias inordinationes. »

Ibidem, ad 5^{m}: « A theologis consideratur peccatum præcipue *secundum quod est offensa contra Deum;* a philosopho autem morali, *secundum quod contrariatur rationi.* Et ideo Augustinus convenientius definit peccatum ex hoc quod est contra Legem æternam, quam ex hoc quod est contra rationem; præcipue cum per Legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem humanam, sicut in his quæ sunt fidei. »

§ III.

Mors aliique corporis defectus et inordinationes, sunt effectus peccati originalis.

338. — **Probatur I.** *Ex Scriptura.*

I. Mors corporis est effectus peccati.

Patet primo ex Genesi, scilicet ex divina comminatione Adamo facta. Dixerat enim illi Deus,

Gen. 2, v. 17: *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Patet quoque ex divina condemnatione Adami ad mortem, Gen. 3, v. 19: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.*

Aliud argumentum desumitur ex libro Sapientiæ, et primo ex cap. 2, v. 23 et 24: *Deus creavit hominem inexterminabilem* (nempe immortalem)... *invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

Item ex cap. 1, v. 13, 14 et 16: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia... Impii autem manibus et verbis accersierunt illam* (scilicet mortem).

Probatur quoque ex Epist. ad Rom. 5, v. 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit.*

II. **Aliæ corporis ærumnæ sunt pœnæ peccati.**

Hoc manifestum est ex ipsis Dei ad protoparentes verbis, postquam peccaverunt; scilicet ex Genesi 3, v. 16, etc.: *Mulieri dixit: Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ; in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es.*

III. **Pugna inferiorum animæ virium cum superioribus, oritur ex peccato originali.**

Patet ex sequenti loco S. Pauli, qui deordinatam concupiscientiam nuncupat peccatum, non quod sit de se peccatum, sed quia ex peccato est, et ad peccatum tendit, quemadmodum docuit Tridentinum. Dicit igitur Apostolus ad Roman. 7, v. 14, etc.: *Scimus enim quia Lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio Legi quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum, nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago; si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet; condelector enim Legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum. Igitur ego ipse mente servio Legi Dei; carne autem, legi peccati.*

Probatur II *ex S. Thoma,* qui in 1. 2. q. 85, art. 5, quærit: *Utrum mors et alii corporales defectus sint effectus peccati* et respondet:

« Dicendum, quod aliquid est causa alterius dupliciter: uno modo quidem per se, alio modo per accidens. *Per se* quidem est causa alterius, quod secundum virtutem suæ naturæ, vel formæ, producit effectum; unde sequitur quod effectus sit per se intentus a causa. Unde cum mors et hujusmodi defectus sint præter intentionem peccantis, manifestum est quod peccatum non est per se causa istorum defectuum. — *Per accidens* autem aliquid est causa alterius, si sit causa removens prohibens; sicut dicitur in 8, Metaph., text. 32, quod divellens columnam, per accidens movet lapidem columnæ superpositum. »

« Et hoc modo, peccatum primi parentis est causa mortis, et omnium hujusmodi defectuum in natura humana, inquantum per peccatum primi parentis sublata est originalis justitia, per quam non solum inferiores animæ vires continebantur sub ratione, absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima, absque omni defectu, ut in 1 q. 97 habitum est: Et ideo substracta hac originali justitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura *quantum ad animam* per deordinationem potentiarum, ut supra dictum est (art. præc. et q. 83, art. 3), ita etiam est corruptibilis effecta *per deordinationem ipsius corporis.* — Subtractio autem originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ. — Unde etiam mors, et omnes defectus corporales subsequentes, sunt quædam pœnæ originalis peccati. Et quamvis hujusmodi defectus non sint intenti a peccante, sunt tamen ordinati secundum Justitiam Dei punientis. »

§ IV.

Homo per peccatum amisit dominium, quod in omnes creaturas materiales exercebat.

339. — Dicit S. Thomas in 1. q. 91, art. 1, corp.: « Inobedientia ad hominem eorum, quæ ei debent esse subjecta, subsecuta est in pœnam

ejus, eo quod ipse fuit inobediens Deo. Et ideo in statu innocentiæ, ante inobedientiam prædictam, nihil ei repugnabat, quod naturaliter ei deberet esse subjectum. Omnia autem animalia sunt homini naturaliter subjecta. »

Ibid., art. 2, corp.: « In statu innocentiæ, homo animalibus aliis per imperium dominabatur; viribus autem naturalibus et ipsi corpori dominabatur, non quidem imperando, sed utendo; et sic etiam homo. in statu innocentiæ, dominabatur plantis et rebus inanimatis, non per imperium vel immutationem, sed absque impedimento utendo eorum auxilio. »

Atqui, per tristem experientiam cognovimus hominem lapsum privari magna ex parte dominio, quod in statu innocentiæ naturaliter exercebat in omnes creaturas materiales; hæc autem privatio est pœna peccati, sicut docet S. Thomas in art. 1 præcitato.

Ergo stat propositio.

PROPOSITIO IV.

IPSUM MALUM CULPÆ ET PŒNÆ ORDINATUR AD TOTIUS MUNDI PERFECTIONEM, ATQUE AD DEI GLORIAM.

Mali notionem, et *triplicem ejus divisionem* in malum physicum, malum morale seu culpæ, et malum pœnæ, jam dedimus in Parte I, n.° 105.

Sufficiet nunc Propositionem nostram probare 1°) Ex S. Augustino; 2°) ex S. Thoma, qui S. Augustini doctrinam secutus est, ipsamque in formam syllogisticam redegit.

Argumentum I.

Ex S. Augustino.

340. — Citabimus locos in quibus loquitur de mali ordinatione ad bonum, docendo Deum non velle, sed solummodo permittere peccatum, ad perfectionem suam manifestandam in pulchritudine totius operis sui, atque ad electorum suorum salutem.

Quædam tantum verba transcribemus, sed plurium Capitum titulos notabimus; et brevitatis causa, plerumque non indicabimus ipsa sancti doctoris opera, sed Tomum et paginam Patrologiæ edit. Migne, quæ passim reperitur.

§ I.

Deus peccatum non vult, sed permittit, et ordinat ad bonum.

Liquet enim Deum peccatum diligere seu velle non posse, sed tamen potuisse morale voluntatis creaturæ peccatum seu culpam impedire, illam movendo infallibiliter, etsi non necessario, ad bonum particulare recte volendum, Juxta Rationem suam et Legem divinam; aut illam stabiliendo in bono, sicut Beatorum voluntates stabilit. Peccatum autem non impedivit, ut ex ipso peccato majus bonum procuraret.

Sequentibus verbis loquitur ipse S. Augustinus: Enchirid., cap. 23, T. 40, p. 244: « Nequaquam dubitare debemus, rerum, quæ ad nos pertinent, bonarum causam non esse nisi Bonitatem Dei; malarum vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem. » — Item T. 44, p. 418: « Voluntas mala est potius defectus ab opere Dei, quam ullum opus. » — T. 32, p. 1293: « Deus non diliget mala, licet ad ordinem pertineant. »

De Gen. ad litt., lib. imperf., cap. 5, n.° 25, T. 34, p. 229: « Quædam facit Deus et ordinat, quædam vero tantum ordinat. Justos et facit et ordinat; peccatores autem, inquantum peccatores sunt, non facit sed ordinat tantum.... Non enim Deus fecisse tenebras dictum est, quoniam species ipsas Deus fecit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent, unde ab Artifice Deo facta sunt omnia; quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cum dicitur: *Et divisit Deus inter lucem et tenebras*, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente et administrante. Sicut umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. Nam et vitiorum nostrorum non est auctor Deus; sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit, quæ merentur.... Ita et ipso *faciente* pulchra sunt singula, et ipso *ordinante* pulchra sunt omnia. »

De Continent., cap. 6, n.° 16, T. 40, p. 359: « Non autem potestas Deo defuit talem facere hominem, qui peccare non posset; sed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare si vellet, non peccare si nollet: hoc prohibens, illud præcipiens, ut prius illi esset bonum meritum non peccare, et postea justum præmium non posse peccare. Nam etiam tales Sanctos suos in fine facturus est, qui omnino peccare non possint. Tales habet quippe etiam nunc Angelos suos, quos in illo sic amamus, ut de nullo eorum ne peccando fiat diabolus formidemus, quod de nemine homine justo in hujus vitæ mortalitate præsumimus. »

T. 40, p. 245: « Potentius et melius esse judicavit Deus, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere. »

§ II.

Peccatum et ejus pœna ordinantur ad manifestandas Dei perfectiones in perfectione totius mundi.

341. — Sequentium Capitum titulos indicare sufficiat.

T. 33, p. 824 et 860: Quare Deus creat quos præscivit peccatores et damnandos. — T. 32, p. 1287: Creatura sive in justitia permansura, sive lapsura, ad ornamentum universi confert. — T. 34, p. 155: De peccantium pœna ordinata ad mundi pulchritudinem. — T. 32, p. 1282: Peccantium animarum miseria confert ad perfectionem universi. — Sed contingenter, non necessario. Ibid., p. 1284. — Et p. 1180: Peccantem hominem ordinavit Deus turpem, non turpiter.

T. 35, p. 1924: Deus de malis bona facit, vel ea sanando per misericordiam, vel ordinando per judicium. — T. 33, p. 822, 860, 867, 876: Dei Justitia vindicativa, Potentia et Misericordia elucent in creatione reproborum. — Ibid., p. 824: Per reprobos et electos divitiæ Dei manifestantur.

T. 42, p. 329: Deus pro sui regiminis æquitate et bene utitur malis, et recte perversis. — Ibid., p. 563: Malis peccantium bene utitur Deus. — T. 37, p. 1178: Mala Deus tolerat a malis fieri, quia æternus est, et videt quid illis servet.

§ III.

Peccata propria et aliena, necnon pœnæ temporales, ordinantur ad electorum perfectionem et salutem.

342. — I. **Propriorum peccatorum utilitas.** *Peccatum originale*, sive generis humani deformatio in capite suo Adamo, ordinatur ad ejus reformationem in Christo, electorum omnium Capite. T. 34, p. 132, De vera Religione, cap. 12, describitur lapsus et reparatio totius hominis. — De Gen. ad litt., lib. 6, cap. 27: Quomodo mente et corpore ad id renovamur, quod Adam perdidit. Item, cap. 24, p. 353. — In Epist. 157, cap. 3, n.° 20, T. 33, p. 684, ostenditur juxta S. Pauli doctrinam, quod gratia reformationis per Christum præstat gratiæ formationis in Adamo.

T. 44, p. 930, probatur *actualia electorum peccata* ad eorum sanctificationem ordinari. — Et p. 792, ostenditur hoc fieri mediante pœnitentia.

T. 41, p. 422: Peccatum manifestum utile est ad sanandum vitium occultum superbiæ.

343. — II. **Reprobi eorumque peccata electis proficiunt.**

T. 44, p. 611: Reprobi cum electis miscentur in Ecclesia. — T. 36, p. 735, et T. 37, p. 1604, 1605 et 1693: Mali mixti sunt inter bonos. — T. 33, p. 329: Mali propter bonos tolerandi sunt, non boni propter malos deserendi. — T. 40, p. 123: Ad usum correctionis electorum sunt. Ibid., p. 72: Reprobi supplicio suo erudiunt electos.

Sequentes locos transcribere sufficiat: De Continentia, cap. 6, n.° 15, T. 40, p. 359: « Tanta est omnipotens ejus Bonitas, ut etiam de malis possit facere bona, sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitatem piorum coaptando atque vertendo, sive etiam justissime vindicando. Omnia namque ista bona sunt, et Deo bono atque omnipotente dignissima; nec tamen fiunt nisi de malis. Quid igitur melius, quid omnipotentius eo, qui cum mali nihil faciat, bene etiam de malis facit? Clamant ad eum, qui mala fecerunt: *Dimitte nobis debita nostra;* exaudit, ignoscit. Nocuerunt sua mala peccantibus: subvenit eorum medeturque languoribus. Sæviunt suorum hostes: de illorum sævitia facit martyres. Postremo etiam condemnat eos, quos damnatione judicat dignos; sua licet mala patiantur, facit tamen ille quod bonum est. »

Epist. 264, n.° 1, T. 33, p. 1084: « Sicut ipsi *(mali)* bonis Dei male utuntur, dum non corriguntur; sic contra Deus, etiam malis eorum bene utitur, non solum ad Justitiam suam, qua eis digna in fine retribuet, sed etiam ad exercitationem et provectum Sanctorum suorum, ut ex ipsa etiam malorum perversitate boni proficiant, et probentur, et manifestentur sicut Apostolus ait: *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos.* (1. Cor. 11, v. 19). »

344. — III. **Pœnarum temporalium utilitas.** In lib. 1. de Civit. Dei, cap. 8, T. 40, p. 20, S. Augustinus loquitur de commodis atque incommodis, quæ bonis ac malis plerumque communia sunt. — Ibid., cap. 9, agit de causis corruptionum, propter quas et boni et mali pariter flagellantur.

Ibid., cap. 10, probat quod Sanctis in amissione rerum temporalium nihil pereat.

T. 41, p. 42: Mala permittuntur ad probationem et emendationem nostram. T. 35, p. 1441, vel ad eruditionem.

T. 41, p. 74: Malis transitoriis justi seu vivunt, seu moriuntur; perire non possunt.

§ IV.

Divinæ Providentiæ ordo complectitur bona et mala, ita ut nihil ei opponatur.

345. — S. Augustinus sequentem instituit dialogum inter seipsum et duos discipulos suos,

Licentium videlicet ac Trygetium, in lib. 1. de Ordine, T. 32, p. 979.

In cap. 6, *Augustinus* sic *Licentium* interrogat: « Quid, censes, inquam, ordini esse contrarium? — Nihil, ait ille, nam quomodo esse contrarium quidquam potest ei rei, quæ totum occupavit, totum obtinuit? Quid enim erit ordini contrarium, necesse erit esse præter ordinem; nihil autem esse præter ordinem video; nihil igitur ordini oportet putare esse contrarium. — Ergone, ait *Trygetius,* contrarius ordini error non est. — Nullo modo, inquit; nam neminem video errare sine causa; causarum autem series ordine includitur; et error ipse non solum gignitur causâ, sed etiam gignit aliquid cujus causa sit. Quamobrem quo extra ordinem non est, eo non potest ordini esse contrarium... Et bona et mala in ordine sunt. »

In cap. 7, *Trygetius* objicit: « Certe enim et mala dixisti ordine contineri, et ipsum ordinem manare a summo Deo, atque ab eo diligi. Ex quo sequitur ut et mala sint a summo Deo, et mala Deus diligat. » — *Licentius* respondet: « Non diligit Deus mala, nec ob aliud, nisi quia ordinis non est ut Deus mala diligat; et ordinem ideo multum diligit, quia per eum non diligit mala. At vero ipsa mala quî possunt non esse in ordine; cum Deus illa non diligat? Nam iste ipse est malorum ordo, ut non diligantur a Deo. An parvus rerum ordo tibi videtur, ut et bona Deus diligat, et non diligat mala? Ita nec præter ordinem sunt mala, quæ non diligit Deus; et ipsum tamen ordinem diligit; hoc ipsum enim diligit, et non diligere mala, quod est magni ordinis et divinæ dispositionis. Qui ordo atque dispositio, quia universitatis congruentiam ipsa distinctione custodit, fit ut mala etiam esse necesse sit. Ita quasi ex antithesis quodammodo, quod nobis etiam in oratione jucundum est, id est ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur... Quæro ex te justusne sit Deus? Tacebat ille *(Trygetius)*... quo tacente, ille ita secutus est: Si enim Deum justum non esse responderis, tu videris quid agas, qui me dudum impietatis arguebas. Si autem, ut nobis traditur, nosque ipsius ordinis necessitate sensimus, justus est Deus, sua cuique tribuendo utique justus est. Quæ autem distributio dici potest, ubi distinctio nulla est? Aut quæ distinctio, si bona sint omnia? Quidne præter ordinem reperiri potest, si Dei Justitia bonorum malorumque meritis sua cuique redduntur? Justum autem Deum omnes fatemur. Totum igitur ordine includitur... »

Augustinus: « Semper erat ordo apud Deum; et aut semper fuit nihil, quod dicitur malum, aut si aliquando invenitur cœpisse, quia ordo ipse aut bonum est, aut ex bono est, nunquam aliquid sine ordine fuit, nec erit aliquando. »

Argumentum II.

Ex S. Thoma.

Doctor angelicus, sicut S. Augustinus, docet, Deum qui summe bonus est, mali causa esse non posse, nisi per accidens, inquantum malum, ratione boni adjuncti, ad perfectionem totius mundi pertinet, et in ordine universi includitur sub variis respectibus.

§ I.

Probatur ex Summa theologica.

346. — I. Locus primus.

I. Legitur in 1. q. 49, art. 2, corp.: « Malum, quod *in defectu actionis* consistit, semper causatur ex defectu agentis. In Deo autem nullus defectus est, sed summa Perfectio, ut supra ostensum est. Unde malum, quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum sicut in causam. — Sed malum, quod *in corruptione rerum* aliquarum consistit, reducitur in Deum sicut in Causam. Et hoc patet tam in naturalibus, quam voluntariis. Dictum est enim quod aliquod agens, inquantum sua virtute producit aliquam formam, ad quam sequitur corruptio et defectus, causat sua virtute illam corruptionem et defectum. Manifestum est autem quod forma, quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, est bonum ordinis universi. Ordo autem universi requirit, ut supra dictum est (q. 48, art. 2 et q. 22, art. 2) quod quædam sint, quæ deficere possint, et interdum deficiant. Et sic Deus, in rebus causando bonum ordinis universi, ex consequenti, et quasi per accidens, causat corruptiones rerum, secundum illud quod dicitur 1. Reg. 2: *Dominus mortificat et vivificat.* Sed quod dicitur Sap. 1, quod *Deus mortem non fecit,* intelligitur quasi per se intentam. Ad ordinem autem universi pertinet ordo Justitiæ, qui requirit ut peccatoribus pœna inferatur. Et secundum hoc Deus est Auctor mali, quod est pæna, non autem mali quod est culpa, ratione supra dicta. »

Ibidem, ad 2^{m}: « Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in Causam primam non deficientem, quantum ad id quod habet entitatis et perfectionis; non autem quantum ad id quod habet de defectu. Sicut quidquid est motus in claudicatione, causatur a virtute motiva; sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris. Et similiter quidquid est entitatis et actionis in actione mala,

reducitur ad Deum sicut in Causam; sed quod est ibi defectus non causatur a Deo, sed ex causa secunda deficiente. »

II. **Locus secundus.**

Legitur in 1. q. 48, art. 1, ad 5^{m}: « Partes universi habent ordinem ad invicem, secundum quod una agit in alteram *(ut causa efficiens)*, et est finis alterius, et exemplar. Hæc autem non possunt convenire malo, nisi ratione boni adjuncti. »

Et art. 2, cap.: « Sicut supra dictum est (q. 47, art. 1 et 2) perfectio universi requirit inæqualitatem esse in rebus, ut omnes *bonitatis* gradus impleantur. Est autem unus gradus bonitatis, ut aliquid ita bonum sit, quod numquam deficere possit. Alius autem gradus bonitatis est, ut sic aliquid bonum sit, quod a bono deficere possit. Qui etiam gradus in ipso *esse* inveniuntur: Quænam enim sunt, quæ suum esse amittere non possunt, ut incorruptibilia; quædam vero sunt quæ amittere possunt, ut corruptibilia. — Sicut igitur perfectio universitatis rerum requirit, ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia, ita perfectio universi requirit ut sint quædam, quæ a bonitate deficere possint, ad quod sequitur ea interdum deficere. In hoc autem consistit ratio mali, ut scilicet aliquod deficiat a bono. Unde manifestum est, quod in rebus malum invenitur, sicut et corruptio; nam et ipsa corruptio malum quoddam est. »

Ibid., ad 3^{m}: « Deus, et natura, et quodcumque agens facit quod melius est in toto; sed non quod melius est in unaquaque parte, nisi per ordinem ad totum, ut supra dictum est. Ipsum autem totum, quod est universitas creaturarum, melius et perfectius est, si in eo sint quædam, quæ a bono deficere possunt, quæ interdum deficiunt, Deo hoc non impediente. Tum quia Providentiæ non est naturam destruere, sed salvare, ut Dionysius dicit 4 cap. de Div. Nom.; ipsa autem natura rerum hoc habet, ut quæ deficere possunt, quandoque deficiant. Tum quia, ut dicit Augustinus in Enchirid., cap. 11, Deus est adeo potens, quod etiam bona potest facere de malis. Unde multa bona tollerentur, si Deus nullum malum permitteret esse; non enim generaretur ignis, nisi corrumperetur aer; neque conservaretur vita leonis, nisi occideretur asinus; neque etiam laudaretur justitia vindicans et patientia sufferens, si non esset iniquitas. »

§ II.

Probatur ex Summa contra Gentiles.

347. — In lib. 3, cap. 71, indicantur variæ rationes, propter quas Deus malum in mundo non impedit, sicut posset, sed permittit.

Ex his etiam apparet, quod divina Providentia, quæ res gubernat, non impedit quin corruptio et defectus et malum in rebus inveniatur.

1°) « Divina gubernatio, qua Deus in rebus operatur, non excludit operationem causarum secundarum, sicut jam ostensum est (cap. 70). Contingit autem provenire defectum in effectu, propter defectum causæ secundæ agentis, absque eo quod sit defectus in primo agente; sicut cum in effectu artificis habentis perfecte artem, contingit aliquis defectus propter instrumenti defectum; et sicut hominem, cujus vis motiva est fortis, contingit claudicare, non propter defectum virtutis motivæ, sed propter tibiæ curvitatem. Contingit igitur, in his quæ aguntur et gubernantur a Deo, aliquem defectum et aliquod malum inveniri, propter defectum secundorum agentium, licet in ipso Deo nullus sit defectus. »

2°) « Perfecta bonitas in rebus creatis non inveniretur, nisi esset ordo bonitatis in eis, ut scilicet quædam sint aliis meliora; non enim implerentur omnes gradus possibiles bonitatis, neque etiam aliqua creatura Deo assimilaretur, quantum ad hoc quod alteri emineret; tolleretur etiam summus decor a rebus, si ab eis ordo distinctorum et disparium tolleretur; et quod est amplius, tolleretur multitudo a rebus, inæqualitate bonitatis sublata, cum per differentias quibus res ab invicem differunt, unum altero melius, sicut animatum inanimato, et rationale irrationali; et sic, si æqualitas omnimoda esset in rebus, non esset nisi unum bonum creatum, quod manifeste perfectioni derogat creaturæ. Gradus autem bonitatis superior est, ut aliquid sit bonum, quod non possit deficere a bonitate; inferior autem eo est, quod potest a bonitate deficere. Utrumque igitur gradum bonitatis perfectio universi requirit. — Ad Providentiam autem gubernantis pertinet perfectionem in rebus gubernatis conservare, non autem eam minuere. Igitur non pertinet ad divinam Providentiam ut omnino excludat a rebus potentiam deficiendi a bono. Hanc autem potentiam sequitur malum, quia quod potest deficere, quandoque deficit; et ipse defectus boni malum est, ut supra ostensum est (cap. 7). — Non est igitur ad divinam Providentiam pertinens, ut omnino malum a rebus gubernatis prohibeat. »

3°) « Optimum in gubernatione qualibet est, ut rebus gubernatis secundum modum suum provideatur; in hoc enim, regiminis justitia consistit. Sicut igitur esset contra rationem humani regiminis, si impedirentur a gubernatore civitatis homines agere secundum sua officia, nisi forte quandoque ad horam propter aliquam necessitatem, ita esset contra rationem divini Regiminis, si non sineret res creatas agere secun-

dum modum propriæ naturæ. Ex hoc autem quod creaturæ sic agunt, sequitur corruptio et malum in rebus, cum propter contrarietatem et repugnantiam, quæ est in rebus, una res sit alterius corruptio. Non est igitur ad divinam Providentiam pertinens, malum omnino a rebus gubernatis excludere. »

4°) « IMPOSSIBILE EST QUOD AGENS OPERETUR ALIQUOD MALUM, NISI PROPTER HOC QUOD INTENDIT ALIQUOD BONUM, sicut ex superioribus (cap. 4) apparet. Prohibere autem cujuscumque boni intentionem universaliter a rebus creatis, non pertinet ad Providentiam ejus, qui est omnis boni Causa. Sic enim multa bona subtraherentur ab universitate rerum; sicut si subtraheretur igni intentio generandi sibi simile, ad quam sequitur hoc malum quod est corruptio rerum combustibilium, tolleretur hoc bonum quod est generatio ignis, et conservatio ipsius secundum suam speciem. Non est igitur divinæ Providentiæ, malum totaliter a rebus excludere. »

5°) « MULTA BONA SUNT IN REBUS, QUÆ, NISI MALA ESSENT, LOCUM NON HABERENT, sicut non esset patientia justorum, si non esset malignitas persequentium; nec esset locus justitiæ vindicativæ, si delicta non essent; in rebus etiam naturalibus non esset unius generatio, nisi esset alterius corruptio. Si ergo malum totaliter ab universitate rerum per divinam Providentiam excluderetur, oporteret etiam bonorum multitudinem diminui; quod esse non debet, quia virtuosius est bonum in bonitate, quam in malitia malum, sicut ex superioribus (cap. 12) patet. Igitur non debet per divinam Providentiam totaliter malum excludi a rebus. »

6°) « BONUM TOTIUS PRÆEMINET BONO PARTIS. »

« Ad prudentem igitur gubernatorem pertinet negligere aliquem defectum bonitatis in parte, ut fiat augmentum bonitatis in toto; sicut artifex abscondit fundamentum sub terra, ut tota domus habeat firmitatem. Sed, si malum a quibusdam partibus universi subtraheretur, multum deperiret perfectionis universi, cujus pulchritudo ex ordinata bonorum et malorum adunatione consurgit, dum mala ex bonis deficientibus proveniunt, et tamen ex eis quædam bona consequuntur ex providentia gubernantis, sicut et silentii interpositio facit cantilenam esse suavem. Non igitur per divinam Providentiam debuit malum a rebus excludi. »

7°) « RES ALIÆ, ET PRÆCIPUE INFERIORES, AD BONUM HOMINIS ORDINANTUR, SICUT AD FINEM. »

« Si autem nulla mala essent in rebus, multum de bono hominis diminueretur, et quantum ad cognitionem, et quantum ad boni desiderium et amorem; nam bonum ex comparatione mali magis cognoscitur, et dum aliqua mala perpetrantur, ardentius bona optamus; sicut quantum bonum sit sanitas infirmi maxime cognoscunt, qui etiam ad eam magis ardent quam sani. Non igitur pertinet ad divinam Providentiam mala rebus totaliter excludere. »

His omnibus rationibus, ab angelico doctore allatis, addi potest, 1°) QUOD DEUS, IN TOTO PROVIDENTIÆ SUÆ ORDINE, INTENDIT PERFECTIONUM SUARUM MANIFESTATIONEM. — Atqui, si peccatum non permisisset, non solum locus non fuisset Justitiæ Dei vindicativæ exercendæ, sicut animadvertit S. Thomas, sed etiam nullus esset locus divinæ Clementiæ et Misericordiæ, quæ est Dei Benignitas exhibita reis et miseris. — Ergo Deus convenientissime peccatum permisit.

2°) SI ADAM NON PECCASSET, VERBUM DEI NON FUISSET INCARNATUM, sicut communiter docent SS. Patres, quibus consentit Ecclesia cantando: « O necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! ». — Ergo Deus Adæ peccatum supernaturalemque generis humani deformationem non permisit, nisi ut illud, per multo majorem gratiam, in Christo reformaret. Ergo Deus ipsum peccatum ordinavit ad majorem generis humani perfectionem supernaturalem.

LIBER QUARTUS.

PROBATUR TRINUS MINORIS MUNDI, SEU HOMINIS, ORDO EXEMPLATUS.

PROŒMIUM. — Postquam demonstravimus trinum *majoris mundi* ordinem ad exemplar divinæ Trinitatis productum, nobis probandus est trinus ordo *minoris mundi* ad pulcherrimum idem Exemplar mire dispositus physice, intellectualiter et moraliter.

In tribus igitur Capitibus ostendemus: 1°) hominem esse minorem mundum, exemplatum juxta Deum unitrinum; 2°) hominem, secundum mentem, esse imaginem divinæ Trinitatis; 3° Deum esse supremum hominis Exemplar in ordine intellectuali et morali.

CAPUT I.

PROBATUR QUOD HOMO EST MINOR MUNDUS, JUXTA DEUM UNITRINUM EXEMPLATUS.

In duabus Propositionibus demonstrabimus: 1°) hominem esse minorem mundum; 2°) hominem esse simul vestigium et imaginem divinæ Trinitatis.

PROPOSITIO I.

HOMO EST MINOR MUNDUS, SEU MAJORIS MUNDI COMPENDIUM.

Hanc propositionem probabimus triplici argumento: 1°) ex sanctis Patribus; 2°) ex Ecclesiæ Doctoribus; 3°) ex philosophis,

Probatur I. *Ex sanctis Patribus.*

348. — **I. Ex Patribus græcis.** 1°) S. Methodius, Patrol. gr. edit. Migne, inter opera S. Epiphanii, T. 41, p. 1099, hominem dicit: « effigiem, quam *(Deus)* manibus suis efficere singulari quadam cura dignatus est, atque ad imaginem suam et similitudinem efformare, velut mundi alterum mundum, cujus causa mundus factus est. »

2°) S. Gregorius Naz., orat. 58, n.° 11, sic loquitur de primi hominis creatione: « Mens jam *(in Angelis)* et sensus *(in brutis)* sic inter se discreta, finibus suis se continebant, Opificisque Verbi magnificentiam in seipsis ferebant, taciti laudatores magni opificii et celebres præcones. Nondum autem utriusque temperatio ulla erat, aut contrariorum mixtura, quæ majoris Sapientiæ et variæ naturarum perfectionis manifestatio esset; nec omnes divitiæ Bonitatis manifestæ erant. »

« Tale igitur opus volens Artifex Verbum ostendere, etiam animal unum fabricat ex utraque natura, invisibili et visibili natura compositum, nempe hominem; atque a materia, quæ jam formata erat, corpus accipiendo, a seipso autem spiramentum inserendo, quod intelligentem animam Deique imaginem Scriptura vocat, in terra instituit *velut alterum quemdam mundum, in magno parvum (Sic legendum esse patet ex commentario S. Maximi, Patrol. gr. T. 91, p. 686, nota 35, et ex lectione S. Joannis Damasceni, T. 94, p. 922 textus);* angelum alium *(spiritu)*, mixtum adoratorem, visibilis creationis spectatorem, mysticum rerum intellectualium cognitorem; terrestrium regem, superioribus *(cœlestibus)* autem subditum; terrenum et cœlestem, caducum et immortalem, visibilem et intelligentem, medium inter altitudinem et humilitatem; eumdem spiritum et carnem, spiritum propter gratiam, carnem propter superbiam; illud *(spiritum)* ut maneat, et benefactoris gloriam prædicet, hoc *(carnem)* ut patiatur, et patiendo admoneatur; animal hîc *(in terra)* gubernatum, et alio *(in cœlum)* migrans, et quod mysterii extremum est, per mentis ad Deum inclinationem deificatum. Ad hoc enim me elevat præsens splendoris veritatis mensura, ut Dei claritatem videam et sentiam, dignam Eo *(divino Artifice)* qui conjunxit *(corpus et animam hominis)*, et dissolvit morte, et iterum sublimius conjunget *(in resurrectione)*. »

Item, Orat. 28, n.° 22: « Multa adhuc philosophari potes... de reliquis, ut omnia uno verbo complectar, quibus parvus hic mundus, id est homo, gubernatur. »

3°) S. Maximus, in cap. 7 Mystagogiæ, docet, majorem mundum esse minori, seu homini, similem, quia spiritibus et corporibus constat; et hominem vicissim esse mundo majori similem, quia spiritu et corpore componitur.

Minor mundus est pars media mundi majoris, et in eo continetur; sed simul mundum majorem quodam modo in se continet, quia duas extremas illius partes, nempe spiritum et corpus, in se ipso conjungit.

Materialis pars mundi, tam minoris quam majoris, deformabitur, sive per mortem, sive in ultima universi perturbatione et conflagratione; sed uterque mundus reformabitur, seu transformabitur, sive in resurrectione generali, sive in cœli et terræ innovatione.

4°) S. Joannes Damascenus, de Fide orth., Patr. gr., T. 94, p. 918-922: « Sic igitur Deus intelligentem substantiam, nempe Angelos cœlestesque omnes ordines constituit... Sic quoque substantiam sensilem condidit, nimirum cœlum et terram, quæ medium obtinet locum. Atque illam quidem familiarem sibi; familiaris enim et affinis Deo est rationalis et solo intellectu percipienda natura; alteram quidem longissimo prorsus intervallo jacentem, utpote sub sensibus cadentem. »

« Verum, ad melius manifestandam divinam Sapientiam et munificentiam circa rerum naturas, quemadmodum dicit divina loquens Gregorius, decebat ut fieret ex utraque substantia mixtio, quæ vinculum quoddam esset visibilis et invisibilis naturæ (orat. 38 et 40). Hoc autem verbo *decebat*, nihil aliud indicatur, nisi voluntas Opificis. Hæc quippe constitutio est atque lex congruentissima, nec quisquam Fictori dicturus est: Cur me fecisti sic? Potestatem enim habet figulus, ex suo luto varia vasa conficere, ad manifestandam Sapientiam suam (Rom. 9, v. 91). »

« Hæc ergo cum ita se haberent, ex visibili et invisibili natura efformavit hominem Deus propriis manibus, ad propriam imaginem et similitudinem. Ex terra quidem corpus plasmavit, animam vero rationalem et intelligentem per propriam insufflationem dedit ei, id quod divinam imaginem dicimus. »

. . . . . .

« Creavit igitur Deus hominem innocentem rectum, probum, tristitiæ et sollicitudinis expertem, omni virtutum genere splendentem, omnibus florentem bonis, *velut alterum quemdam mundum, in magno parvum.* »

349. — II. **Ex Patribus latinis.**

1°) S. Ambrosius, Hexæm. lib. 6, cap. 10: « Quoniam completus est dies sextus, et mundani operis summa conclusio est, perfecto videlicet homine, in quo principatus est animantium universorum, et *summa quædam universitatis*, et omnis mundanæ gratia creaturæ. »

Ibid., lib. 6, cap. 9: « Primum omnium cognoscamus *humani corporis fabricam instar esse mundi*, siquidem ut cœlum eminet aeri, terris, mari, quæ velut quædam membra sunt mundi; ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tanquam arcem inter cætera urbis mœnia. »

2°) S. Petrus Chrysologus, serm. 148: « Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo?... Fecit te esse de terra, ut esses tu dominus terrenorum, et esses ipsis in ipsius substantiæ communione communis; nec tamen te terrenum terrenis sic æquavit, ut non etiam cœlitus animatum te cœlestibus exæquaret; et ut esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum jumentis, dedit tibi animam de cœlo, dedit tibi corpus de terra, *ut in te nexu cœli terræque concordia servaretur.* »

3°) S. Augustinus, Ad Oros., cap. 8, n.° 11: « *In unoquoque homine est omnis creatura*, non universaliter, sicut est cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, sed generatim quodam modo; quia et *rationalis* in illo est, quam vel probantur habere Angeli, vel creduntur, et ut ita dicam, *sensualis*, qua et bestiæ non carent: utuntur enim et sensibus et sensualibus motibus ad appetenda utilia, et vitanda contraria; et *vitalis privato sensu*, qualis adverti in arboribus potest, nam et in nobis sine sensu nostro fiunt corporum incrementa; et capilli nec cum præciduntur sentiunt, et tamen crescunt. Ipsa vero *corporalis* creatura evidentius appareret in nobis, quæ licet ex terra facta atque formata sit, insunt tamen illi ex omnibus hujus corporei mundi elementis quædam particulæ ad temperiem valetudinis. Nam et calore membra vegetantur, qui est ab igne, cujus etiam lux per oculos emicat; et aere venarum discursus, quas arterias vocant, atque spiramenta pulmonis implentur; et humor nisi esset, nulla sputamenta confluerent, vitamque absumeret siccitas. Nam et ipse sanguinis humido lapsu alias venas replens, quasi rivis et fluminibus per cuncta diffunditur. *Ita nullum est creaturæ genus, quod non in homine possit agnosci.* »

Item in lib. 83. Quæstionum, q. 67, n.° 5: « *Omnis creatura in homine numeratur*, non quod in eo sunt omnes Angeli, et supereminentes Virtutes et Potestates, aut cœlum et terra et mare, et omnia quæ in eis sunt; sed quia omnis creatura partim spiritualis est, partim animalis, partim corporalis. Quod ut ab inferioribus consideremus, corporalis creatura per loca tendi-

tur, animalis autem vivificat corporalem, spiritualis animalem regit, et tunc bene regit, cum ipsa regendam se subjicit Deo: cum autem transgredimur præcepta ejus, laboribus et ærumnis per eadem ipsa, quæ regere poterat, implicatur... *Ita in homine omnis creatura est*, quia intelligit, et vivit, et corpus habet, sed non tota creatura in ipso est, quia sunt præter ipsum Angeli, qui intelligant, et vivant et sint, et pecora quæ vivant et sint, et corpora quæ tantummodo sint; cum ipsum vivere magis sit quam non vivere, et ipsum intelligere magis sit quam sine intellectu vivere. »

4°) S. Gregorius Magnus, lib. 6, Mor., cap. 16: « *Universitatis nomine homo signatur*, quia in ipso vera species et magna communio universitatis ostenditur. Omne namque quod est et non vivit; aut est et vivit, sed nequaquam sentit; aut est, et vivit et sentit, sed non intelligit, nec discernit; aut est, et vivit, et sentit, et intelligit, et discernit. — Sunt namque lapides, nec tamen vivunt. Sunt arbusta; vivunt quidem, nec tamen sentiunt; herbarum namque atque arborum vita viriditas vocatur, sicut per Paulum de seminibus dicitur: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.* (1. Cor. 15, v. 36). Sunt bruta animalia; vivunt et sentiunt nec tamen intelligunt. Sunt Angeli; et vivunt, et sentiunt, et intelligendo discernunt. — Homo itaque, quia habet commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibas, discernere cum angelis, recte nomine universitatis exprimitur, in quo juxta aliquid ipsa universitas tenetur. Unde et discipulis Veritas dicit: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Marc. 16, v. 15). Omnem videlicet creaturam solum intelligi hominem voluit, cui commune cum omnibus creavit. »

Item, Homil. 29 in Evang.: « *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Marc. 16, v. 15). Numquid, fratres mei, sanctum Evangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerit prædicatum, ut de eo discipulis dicatur: Prædicate omni creaturæ? — *Sed omnis creaturæ nomine signatur homo.* Sunt namque lapides, sed nec vivunt, nec sentiunt. Sunt herbæ et arbusta; vivunt quidem, sed non sentiunt... Bruta vero animalia sunt, vivunt, sentiunt, sed non discernunt. Angeli iterum sunt, vivunt, sentiunt, discernunt. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo; habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. — Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo: juxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur, quia ille videlicet docetur, propter quem in terra cuncta creata sunt, et a quo omnia, per quamdam similitudinem, aliena non sunt. »

5°) S. Isidorus Hispalensis, de Nat. rer., cap. 9: « Mundus est universitas omnis, quæ constat e cœlo et terra; de quo Apostolus Paulus ait: *Præterit enim figura hujus mundi.* Secundum mysticum autem sensum, mundus competenter homo significatur, quia sicut ille ex quatuor concretus est elementis, ita et iste constat quatuor humoribus, uno temperamento commixtis. — Unde et veteres hominem in communionem fabricæ mundi constituerunt. Siquidem græce mundus Κόσμος, homo autem Μικρόκοσμος, id est minor mundus est appellatus; licet et per mundum nonnunquam Scriptura peccatores insinuet, de quibus dictum est: *Et mundus eum non cognovit.* »

Item, lib. 1, Sentent., cap. 8: « Mundus ex rebus visibilibus, sed tamen investigabilibus, constat. *Homo autem ex rerum universitate compositus*, alter in brevi quodam modo creatus est mundus. — Ratio mundi de uno consideranda est homine; nam sicut per dimensiones ætatum ad finem homo vergit, ita et mundus per hoc, quod distenditur tempore, deficit; quia unde homo atque mundus crescere videtur, inde uterque minuitur. »

Ibid., cap. 11: « Omnia sub cœlo propter hominem facta sunt; homo autem propter seipsum *(ita ut ad nullam aliam creaturam, sed ad Deum sicut ad finem ordinetur)*; inde et omnia, per figuram, ad ejus similitudinem referuntur. Communia homini omnia naturalia esse, cum omnibus quæ constant, *et in homine omnia contineri*, atque in eo omnium rerum naturam consistere patet. Universitatis naturæ homo magna quædam portio est, tantoque gradu est cæteris excellentior, quanto imagini divinæ vicinior. »

6°) S. Petrus Damianus, Serm. 71: « Sicut Deus in hoc mundo, duo magna luminaria fecit, ita etiam in homine, duo magna luminaria ordinavit. Ne tibi videatur durum quod dicimus; homo enim alter est mundus, unde ipsa græca lingua vocatur Μικρόκοσμος, id est minor mundus, quia ad similitudinem majoris est factus. Nam sicut Deus majori mundo præsidet, ita quod ubique est totus; sic anima corpori dominatur, ita quod ubique est tota in corpore. Homo itaque habet diem, habet et noctem; habet solem in die, habet lunam in nocte. Dies hominis est vita justitiæ; nox hominis est vita nequitiæ. Sol autem in vita justitiæ est charitas, quæ præest vitæ justitiæ; luna vero in vita peccatoris est pœnitentia. »

Probatur II. *Ex catholicis Doctoribus.*

350. — I. **Hugo Victorinus** docet hominem esse minorem mundum in triplici ordine physico, intellectuali et morali, inquantum aliquo modo *est* omnia, et *intelligere* potest omnia, et *appetere* potest omnia.

1°) Homo est minor mundus in ordine physico, quia est quodam modo omnia, scilicet per analogiam corporis et animæ ejus cum mundo universo.

In Opusc. de Medicina animæ, cap. 1, cui titulus est: « De homine qui Μικρόκοσμος, id est minor mundus, appellatur, » legimus: « Homo Μικρόκοσμος, id est minor mundus, appellari ab antiquis solet, quia per similitudinem, majoris mundi figuram tenet. Potest enim assignari magna convenientia in compositione corporis humani et constitutione mundi. Unde cœlum capiti, aër pectori, mare ventri, terra extremæ corporis parti assimilatur.... » — Ibid., cap. 2: « De quatuor humoribus corporis humani, et de quatuor anni temporibus ad animum vel animam applicatis. »

Erudit. didascal., lib. 7, cap. 2: « Probata apud philosophos sententia, *animam ex cunctis naturæ partibus asserit esse compactam.* » Et Timæus Platonicus: « Ex dividua et individua mixtaque substantia, itemque eadem et diversa, et ex utroque commixta natura, quo universitas designatur, ἐντελέχειαν (totum perfectum) formavit (Deus). »

2°) Homo est minor mundus in ordine intellectuali, inquantum intellectu cognoscere potest omnia, nempe visibilia et invisibilia, quibus aliquo modo similis est. — Erudit. didascal., lib. 1, cap. 2: « Ipsa *(anima)* namque et initia (principia) capit, quia et invisibiles per intelligentiam, rerum causas comprehendit, et visibiles actualium formas, per sensuum passiones *(impressiones)* colligit; sectaque in orbes geminos motum glomerat, quia sive per sensus ad sensibilia exeat, sive per intelligentiam ad invisibilia ascendat, ad seipsam rerum similitudines trahens regyrat *(circulariter redit)*; et hoc est quod eadem mens, quia universorum capax est, ex omni substantia atque natura, quo similitudinis repræsentat figuram coaptatur. Pythagoricum namque dogma erat *similia similibus comprehendi*, ut scilicet anima rationalis, nisi ex omnibus composita foret, nullatenus omnia comprehendere possit.... Neque enim hæc rerum omnium similitudo aliunde aut extrinsecus animæ advenire credenda est, sed ipsa potius eam in se et ex se, nativa quadam potentia et propria virtute, capit. Sic nimirum mens rerum omnium similitudine insignita, omnia esse dicitur, atque ex omnibus compositionem suscipere, et omnia non integraliter, sed virtualiter atque potentialiter continere. »

S. Thomas, hac in re, non Pythagoram, nec Platonem, sed Aristotelem secutus, clarius docet animam humanam, *quæ simul est vegetativa, sensitiva et intellectiva*, et sic essentiâ ac potentiâ omnibus rebus similis est, actu fieri omnia, seu fieri similis omnibus, per rerum species sensibiles et intelligibiles, quibus ipsis rebus conformatur, atque ipsas res apprehendit primo sensibiliter, et deinde intelligibiliter.

3°) Homo est minor mundus in ordine morali, inquantum duplici appetitu, sensitivo scilicet ac rationali, sua voluntate, potest omnia bona visibilia et invisibilia appetere, atque sic moraliter conformari rebus, seu bonis, quæ voluntarie appetit. Unde non efficimur sensuales ex eo quod naturalem bonorum sensibilium concupiscentiam in nobis sentimus, sed ex eo quod huic concupiscentiæ voluntarie consentimus contra divinæ Legis ordinationem.

Sic ipse loquitur Hugo Victorinus in lib. 4 de Arca Noe morali, cap. 7: « Duos mundos esse intelligamus, visibilem et invisibilem. Visibilem quidem hanc machinam universitatis, quam corporeis oculis cernimus; *invisibilem vero cor hominis*, quod videre non possumus. Et sicut in diebus Noe, aquæ diluvii universam terram operuerunt, sola autem arca aquis superferebatur, et non solum mergi non poterat, verum etiam quanto amplius aquæ intumescebant, tanto altius in sublime elevabatur, ita et nunc intelligamus in corde hominis concupiscentiam hujus mundi esse, quasi quasdam aquas diluvii; arcam vero quæ desuper ferebatur, fidem Christi, quæ transitoriam delectationem calcat, et ad ea quæ sursum sunt æterna bona anhelat. Impossibile est ut illud *(concupiscentiam)* non sentiatis, sed non necesse est ut illi consentiatis. Igitur omnis homo quoddam intus in corde suo diluvium concupiscentiæ patitur, a quo nullus nisi per arcam fidei liberatur.

351. — II. **S. Thomas**, 1. q. 96, art. 2, corp: « *In homine quodammodo sunt omnia....* Est in homine quatuor considerare, scilicet rationem, secundum quam convenit cum angelis; vires sensitivas, secundum quas convenit cum animalibus; vires naturales, secundum quas convenit cum plantis; et ipsum corpus, secundum quod convenit cum rebus inanimatis. »

Ibidem, q. 91, art. 1, corp.: « *Homo est ex omnibus rebus quodammodo compositus*, dum de genere spiritualium substantiarum habet in se animam rationalem. De similitudine vero cœlestium corporum habet elongationem a contra-

riis, per maximam æqualitatem complexionis. Elementa vero secundum substantiam, ita tamen quod superiora elementa prædominantur in eo *secundum virtutem*, scilicet ignis et aer, quia vita præcipue consistit in calido, quod est ignis, et humido, quod est aeris. Inferiora vero elementa abundant in eo *secundum substantiam*. Aliter enim non posset esse mixtionis æqualitas, nisi inferiora elementa, quæ sunt minoris virtutis, secundum quantitatem in homine abundarent. Et ideo dicitur corpus hominis de limo terræ formatum, quia limus dicitur terra aquæ permixta. *Et propter hoc homo dicitur minor mundus*, quia omnes creaturæ mundi quodammodo inveniuntur in eo. » — Et in eodem art., ad 1^m^: « Virtus Dei creantis manifestata est in corpore hominis, dum ejus materia est per creationem producta. Oportuit autem ut ex materia quatuor elementorum fieret corpus humanum, ut homo haberet convenientiam cum inferioribus corporibus, quasi medium quoddam existens inter spirituales et corporales substantias. »

In 1. 2. q. 17, art. 8, *objicitur 2°:* « Homo dicitur minor mundus, quia sic est anima in corpore, sicut Deus in mundo. Sed Deus sic est in mundo, quod omnia quæ sunt in mundo, obediunt ejus imperio. Ergo et omnia, quæ sunt in homine, obediunt imperio rationis, etiam vires vegetabilis animæ. » — *Respondet* sanctus doctor: « Dicendum quod similitudo attenditur quantum ad aliquid, quia scilicet *sicut Deus movet mundum, ita anima movet corpus*, non autem quantum ad omnia. Non enim anima creavit corpus ex nihilo, sicut Deus mundum, propter quod totaliter subditur ejus imperio. »

352. — III. **S. Bonaventura,** Compend. theol. verit., lib. 2, cap. 2: « Distinguitur triplex mundus, scilicet Archetypus, id est Deus, et dicitur archetypus ab archos (ἀρχός), quod est princeps; et typus (τύπος), quod est figura, quia ipse est Exemplar mundi sensibilis *(et a fortiori mundi spiritualis, qui Deo similior est)*. Item est mundus qui dicitur Macrocosmus (Μακροκόσμος), ut est iste mundus sensibilis. Item est mundus qui dicitur Microcosmus (Μικροκόσμος), id est minor mundus, ut est homo. De his tribus Joannes: *In mundo erat*, ecce primum. *Et mundus per ipsum factus est*, ecce secundum. *Et mundus eum non cognovit*, ecce tertium. »

Centiloq., part. 3, sect. 9: « Circa productionem mundi, habemus attendere creaturæ triformitatem. Produxit enim Deus trinus et unus differentiam triplicem creaturæ. Nam produxit creaturam pure corporalem, ut est mundialis machina; creaturam pure spiritualem, ut est natura angelica; *creaturam ex utroque compositam, ut est humana natura.* »

Itinerar. mentis ad Deum, cap. 2: « Iste mundus sensibilis, qui dicitur *Macrocosmus*, id est longus mundus, intrat ad animam nostram, quæ dicitur *Microcosmus*, id est minor mundus, per portas quinque sensuum, secundum ipsorum sensibilium apprehensionem, oblectationem et dijudicationem. »

Exposit. in Psalm. 80, v. 7: « Sicut mundus major constat ex quinque, scilicet terra, aere, firmamento, cœlo, empyreo, quasi semper ascendendo; sic *Microcosmus, id est minor mundus*, id est homo, constat ex quinque, quibus est progressus ad sapientiam: sensu, imaginatione, ratione, intellectu, intelligentia. »

IV. **Gerson.** Tract. 9 sup. Magnificat., litt. Z: « Tradit philosophia, quod anima, præsertim rationalis, tota est in toto composito, et tota in qualibet ejus parte; tanquam in homine sit *Microcosmus, id est minor mundus* majori similis, ubi Deus totus est in toto, et totus in qualibet parte, per Essentiam, præsentiam et potentiam. »

Item Serm. de Spir. S., litt. J: « Sicut homo dicitur omnis creatura, dicitur creatura mundi, dicitur *Microcosmus*, sic eum nominare orbem terrarum fas putamus. » — Et ibid., litt. Y: « Ad morum mutationem notabilem in *Microcosmo*, scilicet in hominibus, consequens est mutationes in *Macrocosmo*, hoc est in majori mundo, notabilis fieri, sicut in diluvio, sicut in fulminatione Pentopolis peccatricis, sicut in horrendo scelere Judæorum per necem Christi, quando sol obscuratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt. »

Item in Recommendat. litt. X: « Philosophi naturas aliarum rerum dixerunt regia ratione separata *(divina scilicet et angelica)*, velut ab intelligentia non errante; homini vero rationem propriam conjunxerunt, quam reginam dixerunt in suo *Microcosmo*, quemadmodum suo modo longe tamen excellentiori, Dominus in Macrocosmo principatur. »

V. **S. Laurentius Justinianus,** de Casto connub., cap. 16: « Ipse homo ab hujus mundi sapientibus *minor appellatur mundus*, tanquam in ipso universa visibilis mundi complectatur mirabilia. Est nempe divinæ speculum Sapientiæ, sicut Propheta dicit: « *Mirabilis facta est Scientia tua ex me* (Psalm. 138). Merito igitur quemadmodum in hoc visibili mundo præsidet ut Rex, Verbum; ita et in homine, tanquam præcipuus doctor, in propria sede residet sapientia, quæ est imitatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera; verumtamen non in qualicumque homine, sed in homine per gratiam justificato. »

VI. **S. Franciscus Salesius,** Entretien 3: « L'homme est un abrégé du monde, ou pour

mieux dire, un petit monde, auquel se rencontre tout ce que l'on voit au grand monde universel. »

VII. **Dionysius Carthusianus** in Element. phil., Prop. 102, optime ostendit hominem esse minorem mundum in ordine morali: « Anima sapiens, prudens, virtuosa, est sicut regnum bene dispositum, regio pulchra, et quoddam universum, *propter quod homo minor mundus ponatur.* Quod est, quoniam sicut in toto mundo est unus Rector supremus, cæteris omnibus præsidens, ita et in anima rationali est ratio vis suprema, cæteris viribus dominans, cui dum cæteræ vires recte obediunt, ipsa anima est totum potestativum laudabiliter ordinatum, in quo diversæ sunt vires et actiones, tanquam gentes rite dispositæ. Hinc, sicut in regno et civitate est pax, dum cuncti inferiores superioribus congrue parent, ita in anima, dum vires vegetativæ ac sensitivæ per rationem vere prudentem ac sapientem quantum possibile est, efficaciter gubernantur. »

Probatur III. *Ex philosophis.*

353. — I. **Plato** existimavit Deum juxta æternum exemplar formasse majorem mundum ex æterna materia; deos autem inferiores formasse hominem ad exemplar majoris mundi, sive quoad substantiam, sive quoad motum, ita ut homo juxta majorem mundum exemplatus, minor mundus dici queat. Forma autem, qua major mundus a Deo informatur, est anima mixta ex anima spirituali deorum immortalium, et ex anima materiali brutorum et plantarum quæ moriuntur; utramque enim animam participat anima humana. Corpus vero hominis imitatur dispositionem extensarum mundi partium.

Legitur in Timæo, p. 214, edit. Firm. Didot: « Omnia hæc *(elementa)* ordinavit *(Deus)*; deinde ex eis universum hoc composuit, animal unum, animalia cuncta in se, mortalia et immortalia continens. Et divinorum *(nempe substantiarum spiritualium et immortalium)* quidem ipse est Opifex; mortalium vero ortum natis suis *(diis inferioribus)* efficiendum mandavit. »

« Atque hi imitantes *(divini Artificis opificium)* assumpto principio animi immortali, mortale deinceps corpus circa eum formaverunt, totumque ei pro vehiculo corpus dederunt, aliamque in eo speciem animi adstruxerunt mortalem, graves et necessarias in se affectiones habentem, primum voluptatem, maximam mali escam; deinde ægritudines, bonorum expultrices; præterea confidentiam et metum, amentes consultores; tum autem iracundiam implacabilem; tum spem deceptu facilem; et his, admixto sensu rationis experte, et tentatore omnium amore, necessario mortale genus composuerunt.... »

« Divinos circuitus, qui duo sunt, et universi formam, quæ rotunda est, imitati, globosum in corpus alligaverunt illud, quod nunc caput nuncupamus, quod maxime divinum est, et omnium in nobis dominatum habet. Cui etiam totum corpus tanquam famulitium collectum tradiderunt dii, quippe quod omnium qui futuri essent, motuum particeps, fore intellexerunt.... »

II. **Cicero** in Somnio Scipionis, docet animam humanam corpus suum movere, quemadmodum Deus universum movet mundum.

« Tu vero innitere, et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma ista declarat; sed mens cujusque, is est quisque; non ea figura quæ digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse, siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, et moderatur, et movet ad corpus cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus; et ut mundum ex quadam parte mortalem, ipse Deus æternus, *sic fragile corpus, animus sempiternus movet.* Nam quod semper movetur, æternum est; quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. »

PROPOSITIO II.

HOMO, IN QUANTUM EST MINOR MUNDUS, EST SIMUL VESTIGIUM ET IMAGO SS. TRINITATIS.

Homo enim est substantialiter minor mundus, inquantum constat corpore et trina anima vegetativa, sensitiva et intellectiva. — Atqui, in homine sic consideratus in toto suo et in omnibus suis partibus, invenitur *vestigium* SS. Trinitatis; in sola autem intellectiva ipsius anima, seu mente ac voluntate invenitur *imago* divinæ Trinitatis. — Ergo homo est divinæ Trinitatis vestigium secundum suum totum, et simul imago secundum solam suam mentem ac voluntatem. Propositionem probabimus ex S. Thoma et S. Bonaventura, qui in locis citatis, docent totius hominis assimilationem ad Deum unitrinum.

354. — **Probatur I.** *Ex S. Thoma.*

I. Ex ratione vestigii et imaginis.

Legitur in 1. q. 93, art. 6, corp.: « Cum in omnibus creaturis sit aliqualis Dei similitudo, in sola creatura rationali invenitur similitudo Dei *per modum imaginis*, in aliis autem creaturis *per modum vestigii*. Id autem in quo creatara rationalis excedit alias creaturas, est in-

tellectus sive mens. Unde relinquitur quod nec in ipsa rationali creatura, invenitur Dei imago, nisi secundum mentem; in aliis vero partibus, si quas habet rationalis creatura, invenitur similitudo vestigii, sicut et in cæteris rebus, quibus secundum partes hujusmodi assimilatur. »

« Cujus ratio manifeste cognosci potest, si attendatur modus, quo repræsentat vestigium et quo repræsentat imago. *Imago* enim repræsentat secundum similitudinem speciei, vestigium autem repræsentat per modum effectus, qui sic repræsentat suam causam, quod tamen ad speciei similitudinem non pertingit. Impressiones enim, quæ ex motu animalium relinquuntur, dicuntur *vestigia*; et similiter cinis dicitur vestigium ignis, et desolatio terræ, vestigium hostilis exercitus. »

« Potest ergo hujusmodi differentia attendi inter creaturas rationales et alias creaturas, et quantum ad hoc, quod in creaturis rationalibus repræsentatur similitudo divinæ naturæ, et quantum ad hoc, quod in eis repræsentatur similitudo Trinitatis increatæ. Nam quantum ad similitudinem divinæ naturæ pertinet, creaturæ rationales videntur quodammodo ad *repræsentationem speciei* pertingere, inquantum imitantur Deum, non solum in hoc quod est et vivit, sed etiam in hoc quod intelligit et vivit; aliæ vero creaturæ non intelligunt, sed *apparet in iis quoddam vestigium* intellectus producentis, si earum dispositio consideretur. »

« Similiter cum increata Trinitas distinguatur secundum processionem Verbi a dicente et amoris ab utroque: in creatura rationali, in qua invenitur processio Verbi secundum intellectum, et processio amoris secundum voluntatem, *potest dici imago Trinitatis increatæ per quamdam repræsentationem speciei;* in aliis autem creaturis non invenitur principium Verbi, et Verbum et Amor, *sed apparet in eis vestigium,* quod hæc inveniantur in causa producente; nam hoc ipsum quod creatura habet *substantiam* modificatam et finitam, demonstrat quod sit a quodam principio; *species* vero ejus demonstrat verbum facientis, sicut forma domus demonstrat conceptionem artificis; *ordo* vero demonstrat amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum, sicut usus ædificii demonstrat artificis voluntatem. *Sic igitur in homine* invenitur Dei similitudo per modum *imaginis* secundum mentem, sed secundum alias partes ejus, per modum *vestigii.* »

II. **Ex responsione ad sequentes objectiones** a S. Thoma ibidem propositas, patebit hominem esse Dei imaginem tantummodo secundum mentem, seu secundum solam animam intellectivam.

Objectio I. « Dicit Apostolus 1. Cor., 11, quod *vir est imago Dei.* Sed vir non est solum mens. Ergo imago Dei non attenditur solum secundum mentem.

Responsio: « Ad 1^m^ dicendum, quod homo dicitur imago Dei, non quia ipse essentialiter sit imago, sed quia in eo est Dei imago impressa secundum mentem; sicut denarius dicitur imago Cæsaris, inquantum habet Cæsaris imaginem. Unde non oportet, quod secundum quamlibet partem hominis, accipiatur Dei imago. »

Objectio II. « Præterea, Genes. 1, dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.* Sed distinctio masculi et feminæ est secundum corpus. Ergo secundum corpus attenditur Dei imago in homine, et non secundum mentem tantum. »

Responsio: « Ad 2^m^ dicendum, quod sicut August. dicit lib. 12, de Trinit., cap. 5, quidam imaginem Trinitatis in homine posuerunt, non secundum unum individuum, sed secundum plura, dicentes quod vir Patris personam intimat; Filii vero personam, qui de viro ita processit, ut de illo nasceretur; atque ita tertiam personam, velut Spiritum sanctum, dicunt esse mulierem, quæ ita de viro processit, ut non ipsa esset filius, aut filia. — Quod prima facie absurdum videtur: Primo quidem quia sequeretur, quod Spiritus sanctus esset principium Filii, sicut mulier est principium prolis, quæ nascitur de viro. Secundo, quia unus homo non esset nisi ad imaginem unius personæ. Tertio, quia secundum hoc, Scriptura de imagine Dei in homine mentionem facere non debuisset, nisi producta jam prole. Et ideo dicendum est, quod Scriptura postquam dixerat: *Ad imaginem Dei creavit illum,* addidit: *Masculum et feminam creavit eos;* non ut imago Dei secundum distinctiones sexuum attendatur, sed quia imago Dei utrique sexui est communis, cum sit secundum mentem, in qua non est distinctio sexuum. Unde Apostolus ad Coloss. 3, postquam dixerat: *Secundum imaginem Ejus, qui creavit illum,* subdit: *Ubi non est masculus et femina.* »

Objectio III, quæ est 4^a^ in Summa: « Præterea, secundum Augustinum, lib. 12, Sup. Gen. ad litt., cap. 7 et 24, triplex visio invenitur in nobis, scilicet corporalis, spiritualis sive imaginaria, et intellectualis. Si ergo secundum visionem intellectualem, quæ ad mentem pertinet, est aliqua trinitas in nobis, secundum quam sumus ad imaginem Dei, pari ratione et in aliis visionibus.

Responsio: « Dicendum, quod tam in visione corporali quam imaginaria, invenitur quædam trinitas, ut Augustinus dicit in lib. 9 de Trinit.,

cap. 6, et lib. 11, cap. 2: In visione enim *corporali* est quidem primo species exterioris corporis; secundo vero ipsa visio quæ fit per impressionem cujusdam similitudinis prædictæ speciei in visum; tertio est ibi intentio voluntatis applicans visum ad videndum, et eum in re visa detinens. Similiter etiam in visione *imaginaria* invenitur primo species in memoria reservata; secundo ipsa imaginaria visio, quæ provenit ex hoc, quod acies animæ, id est ipsa vis imaginaria, informatur secundum prædictam speciem; tertio vero invenitur intentio voluntatis conjungens utrumque. » « Sed utraque trinitas deficit a ratione divinæ imaginis. Nam ipsa *species exterioris corporis* est extra naturam animæ; species autem quæ est in memoria, et si non sit extra animam, est tamen adventitia animæ; et ita utrobique deficit repræsentatio connaturalitatis et coæternitatis divinarum personarum. *Visio vero corporalis* non procedit tantum a specie exterioris corporis, sed simul cum hoc a visu videntis; et similiter *visio imaginaria* non solum procedit a specie quæ in memoria conservatur, sed etiam a virtute imaginativa; et ita per hoc non repræsentatur convenienter processio Filii a solo Patre. *Intentio vero voluntatis,* quæ conjungit duo prædicta non ex eis procedit, neque in visione corporea, neque spirituali; unde non convenienter repræsentatur processio Spiritus sancti a Patre et Filio. » .

III. **Ex minoris mundi analogia cum majori mundo.**

Cum homo sit minor mundus, inquantum reperiuntur in eo omnia quæ in majori mundo inveniuntur, sequitur quod toti homini ejusque partibus applicanda sunt, quæ docet S. Thomas de mundo universo ejusque partibus. — Atqui, doctor angelicus affirmat mundum universum divinam Trinitatem per modum vestigii repræsentare secundum suum totum omnesque ejus partes, et simul per modum imaginis repræsentare secundum solam mentem et voluntatem creaturarum rationalium. — Ergo idem de toto homine dicendum est.

Porro hæc de majori mundo leguntur in 1. q. 93, art. 2, ad 3^{m}: « Pars non dividitur contra totum, sed contra aliam partem. Unde cum dicitur quod sola natura intellectualis est ad imaginem Dei, non excluditur quod universum secundum aliquam sui partem, sit ad imaginem Dei, sed excluduntur aliæ partes universi. »

Et ibid., corp.: « Hilarius dicit quod imago est species indifferens. Manifestum est autem quod similitudo speciei attenditur secundum ultimam differentiam. Assimilantur autem aliqua Deo: primo quidem et maxime communiter inquantum sunt; secundo vero inquantum vivunt; tertio vero inquantum sapiunt vel intelligunt, quæ, ut Augustinus dicit in lib. 83, Quæst., q. 51, ita sunt Deo similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. Sic ergo patet quod solæ intellectuales creaturæ proprie loquendo, sunt ad imaginem Dei. »

Ibid., ad 4^{m}: « Primo Enti assimilantur omnia inquantum sunt entia; et primæ Vitæ inquantum sunt viventia; et summæ Sapientiæ inquantum sunt intelligentia. »

355. Probatur II. *Ex S. Bonaventura.*

Dicit in 1. dist. 19, Part. II, art. 1, q. 2, corp.: « Sicut totum universum repræsentat Deum in quadam totalitate sensibili, sic creatura rationalis eum repræsentat in quadam totalitate spirituali... quia rationalis creatura et intellectus quodammodo est omnia, et omnia nata sunt ibi scribi et imprimi, omniumque similitudines depingi. » — Atqui, homo secundum corpus suum, est compendium mundi sensibilis, nam sicut ait doctor seraphicus in 2. dist. 14, Part. I, art. 1, q. 1: « Ordo partium in Microcosmo, sive in minori mundo, *respondet ordini partium in majori mundo.* » Insuper homo, secundum animam suam, est rationalis. — Ergo homo, seu minor mundus, Deum repræsentat in quadam totalitate sensibili, et simul in quadam totalitate spirituali. — Atqui sensibilis repræsentatio fit per modum vestigii, et spiritualis repræsentatio fit per modum imaginis. — Ergo totus homo Deum repræsentat in quadam totalitate, per modum vestigii et simul per modum imaginis.

In 3. dist. 2, art. 1, q. 2, ad 4^{m}, doctor seraphicus asserit minorem mundum melius quam repræsentat major mundus, divinum Archetypum repræsentare *intensive*, sed non *extensive:* « Assimilari dicitur dupliciter: intensive, vel extensive. Et extensive, verum est quod magis assimilatur mundo archetypo, sive Deo, major mundus quam minor, sive universitas tota quam rationalis creatura. Qualitative, sive intensive, est e converso, propter magnam distantiam aliquarum partium ejus, in quibus relucet divina Bonitas de longinquo, sicut in vestigio. »

In his textibus S. Bonaventura non dicit supremum hominis Exemplar esse *Deum unum et trinum,* sed hoc passim docet in aliis locis in Parte III citandis.

CAPUT II.

PROBATUR MODUS QUO HOMO EST SECUNDUM MENTEM IMAGO DIVINÆ TRINITATIS.

356. — Prænotanda. Sacra Scriptura expressis verbis asserit primum hominem fuisse creatum ad Dei imaginem. In Genesi enim cap. 1, v. 26 et 27, dicit tota Trinitas: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.*

Item Eccli. 17, v. 1: *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* — Unde Ecclesiæ Patres ac Doctores, quos in Parte III præsentis Tomi citabimus, communiter docent hominem esse analogice divinæ Trinitatis imaginem, et quidem secundum mentem.

S. Augustinus potissimum copiose hac de re disserit in pluribus locis de Trinitate, quos doctor angelicus mirabili compendio in Summa theologiæ redegit.

Sufficiet igitur nunc probare ex S. Thoma 1. q. 93, modum, quo homo secundum mentem est imago divinæ Trinitatis.

Ostendemus: 1°) imaginem Dei inveniri imperfecte in omni homine, etiam secundum Trinitatem personarum; 2°) imaginem Dei esse simpliciter perfectionem in angelo, quam in homine; sed secundum quid esse perfectiorem in homine, quam in angelo; 3°) imaginem Dei in rationali creatura attendi præsertim secundum actus intellectus ac voluntatis ad Deum relatos; 4°) hominem esse factum, non tantum ad imaginem Dei, sed etiam ad similitudinem Dei.

PROPOSITIO I.

IMAGO DEI INVENITUR IMPERFECTE IN HOMINE, ET QUIDEM IN OMNI HOMINE, ETIAM SECUNDUM TRINITATEM PERSONARUM.

§ I.

Imago Dei in homine invenitur imperfecte.

357. — Probatur ex 1 q. 93, art. 1, corp.: « Sicut Augustinus dicit in lib. 83 Quæst., q. 51: *Ubi est imago, continuo est similitudo; sed ubi est similitudo, non continuo est imago.* Ex quo patet, quod *similitudo* est de ratione *imaginis*, et imago aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressum: imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad similitudinem alterius; unde ovum quantumcumque sit alteri ovo simile et æquale, quia tamen non est expressum ex eo, non dicitur ad imaginem ejus. — *Æqualitas* autem non est de ratione imaginis, quia, ut Augustinus ibidem dicit, q. 73: *Ubi est imago, non continuo est æqualitas,* ut patet in imagine alicujus in speculo relucente; est tamen de ratione perfectæ imaginis, nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini quod insit illi de quo expressa est. — Manifestum est autem quod in homine invenitur aliqua Dei similitudo, quæ deducitur a Deo sicut ab Exemplari; non tamen est similitudo secundum æqualitatem, quia infinitum excedit Exemplar hoc tale exemplatum. Et ideo in homine dicitur esso imago Dei, non tamen perfecta, sed imperfecta. Et hoc significat Scriptura, cum dicit hominem factum *ad imaginem Dei.* Præpositio enim *ad* accessum quemdam significat, qui competit rei distanti.

Objectio (2ª in Summa): « Esse Dei imaginem est proprium Primogeniti, de quo dicit Apostolus ad Coloss. 1: *Qui est Imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Non ergo in homine invenitur Dei imago. »

Respondet doctor angelicus: « Dicendum, quod primogenitus omnis creaturæ est Imago Dei perfecta, perfecte implens illud cujus Imago est. Et ideo dicitur *Imago,* et nunquam *ad imaginem.* Homo vero et propter similitudinem dicitur *imago,* et propter imperfectionem similitudinis dicitur *ad imaginem.* Et qui perfecta similitudo Dei non potest esse, nisi in identitate naturæ, imago Dei est in Filio suo primogenito, sicut imago regis in filio sibi connaturali; in homine autem sicut in aliena natura, sicut imago regis in nummo argenteo, sicut patet per Augustinum in lib. de Decem chordis, cap. 8. »

§ II.

Imago Dei aliquo modo invenitur in omni homine.

358. — Distinguit enim S. Thomas triplicem Dei imaginem, nempe secundum naturam, gratiam et gloriam. — Atqui, divina imago in omnibus hominibus invenitur secundum conformitatem naturæ; sed in solis justis secundum conformitatem gratiæ; et in solis beatis secundum conformitatem gloriæ. — Ergo Dei imago in omnibus hominibus invenitur, sed non eodem modo.

Dicit enim doctor angelicus in 1, q. 93, art. 4: « Cum homo secundum intellectualem naturam

ad imaginem Dei esse dicatur, secundum hoc est maxime ad imaginem Dei, secundum quod intellectualis natura Deum maxime imitari potest. Imitatur autem intellectualis natura maxime Deum, quantum ad hoc, quod Deus se ipsum intelligit et amat. — Unde imago Dei tripliciter potest considerari in homine: Uno quidem modo secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum et amandum Deum; et hæc aptitudo consistit in ipsa natura mentis, quæ est communis omnibus hominibus. Alio modo secundum quod homo actu vel habitu Deum cognoscit et amat, sed tamen imperfecte; et hæc est imago per conformitatem gratiæ. Tertio modo secundum quod homo Deum actu cognoscit et amat perfecte; et sic attenditur imago secundum similitudinem gloriæ. Unde super illud Psalmi 4: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Glossa distinguit triplicem imaginem, scilicet creationis, recreationis et similitudinis. — Prima ergo imago invenitur in omnibus hominibus; secunda in justis tantum; tertia vero solum in beatis. »

Objectio I. « Dicit Apostolus 1. Cor. 11, quod *vir est imago Dei, mulier autem est imago viri.* Cum ergo mulier sit individuum humanæ speciei, non cuilibet individuo convenit esse imaginem Dei. »

Respondet doctor angelicus: « Dicendum, quod tam in viro quam in muliere, invenitur Dei imago, quantum ad id in quo principaliter ratio imaginis consistit, scilicet quantum ad intellectualem naturam. Unde Gen. 1, cum dixisset: *Ad imaginem Dei creavit illum*, scilicet hominem, subdidit: *Masculum et feminam creavit eos.* Et dixit pluraliter *eos*, ut Augustinus dicit (lib. 1, Sup. Gen., cap. 22) ne intelligatur in uno individuo uterque sexus fuisse conjunctus. — Sed quantum ad aliquid secundarium, imago Dei invenitur in viro secundum quod non invenitur in muliere; nam vir est principium mulieris et finis, sicut Deus est principium et finis totius creaturæ. Unde quum Apostolus dixisset quod vir imago et gloria est Dei, mulier autem est gloria viri, ostendit quare hoc dixerit, subdens: *Non enim vir est ex muliere, sed mulier ex viro; et vir non est creatus propter mulierem, sed mulier propter virum.* »

Objectio II, quæ est 3ª in Summa: « Apostolus dicit Rom. 8, quod illos, *quos Deus præscivit conformes fieri imaginis Filii sui, hos prædestinavit.* Sed non omnes homines prædestinati sunt. Ergo non omnes homines habent conformitatem imaginis. » — « Præterea, similitudo est de ratione imaginis, ut supra dictum est. Sed per peccatum fit homo Dei dissimilis. Ergo amittit Dei imaginem. »

Respondet S. Thomas: « Ad 2ᵐ et 3ᵐ dicendum, quod illæ rationes procedunt de imagine, quæ est secundum conformitatem gratiæ et gloriæ. »

§ III.

In omni homine invenitur Dei imago, etiam secundum Trinitatem personarum.

359. — 1 q. 93, art. 5: « Sicut supra habitum est, distinctio divinarum personarum non est nisi secundum originem, vel potius secundum relationes originis. Non autem est idem modus originis in omnibus, sed modus originis uniuscujusque est secundum convenientiam suæ naturæ; aliter enim producuntur animata, aliter inanimata; aliter animalia, atque aliter plantæ. Unde manifestum est, quod distinctio divinarum personarum est secundum quod naturæ divinæ convenit. Unde esse ad imaginem Dei secundum imitationem divinæ naturæ, non excludit hoc, quod est esse ad imaginem Dei secundum repræsentationem trium personarum, sed magis unum ad alterum sequitur. Sic igitur dicendum est, in homine esse imaginem Dei, et quantum ad naturam divinam, et quantum ad Trinitatem personarum; nam et in ipso Deo, in tribus personis una existit natura. »

Objectio (3ª in Summa): « Imago Dei est in cognitionem ejus, cujus est imago. Si igitur in homine est imago Dei secundum Trinitatem personarum, cum homo per naturalem rationem seipsum cognoscere possit, sequeretur quod per naturalem cognitionem posset homo cognoscere Trinitatem divinarum personarum; quod est falsum ut supra dictum est. »

Respondet S. Thomas: « Ad 3ᵐ dicendum, quod ratio illa procederet, si imago Dei esset in homine, perfecte repræsentans Deum. Sed sicut Augustinus dicit in lib. 15 de Trinitate, cap. 6, maxima est differentia hujus trinitatis, quæ est in nobis, ad Trinitatem divinam. Et ideo, ut ipse ibidem dicit, trinitatem quæ in nobis est, videmus potius quam credimus; Deum vero esse Trinitatem, credimus potius quam videmus. »

Objectio (4ª in Summa): « Præterea nomen Imaginis non cuilibet trium personarum convenit, sed soli Filio. Dicit enim Augustinus in lib. 6 de Trinit., cap. 2, quod *solus Filius est Imago Patris.* Si igitur in homine attenderetur imago secundum personam, non esset in homine imago totius Trinitatis, sed Filii tantum. »

Respondet sanctus doctor: « Ad 4ᵐ dicendum, quod quidam dixerunt in homine esse solam imaginem Filii; sed hoc improbat Augustinus

in lib. 12 de Trinit., cap. 5 et 6. Primo quidem per hoc, quod secundum æqualitatem Essentiæ Filius sit Patri similis, necesse est, si homo sit factus ad similitudinem Filii, quod sit factus ad similitudinem Patris. — Secundo, quia si homo esset factus solum ad similitudinem Filii, non diceret Pater: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, sed *tuam*. Cum ergo dicitur: *Ad imaginem Dei fecit illum*, non est intelligendum quod Pater fecit hominem solum ad imaginem Filii, qui est Deus, ut quidam exposuerunt, sed intelligendum est quod Trinitas Deus fecit hominem ad imaginem suam, id est totius Trinitatis. — Cum autem dicitur quod *Deus fecit hominem ad imaginem suam*, dupliciter potest intelligi: Uno modo quod hæc præpositio *ad* potest designare causam exemplarem, sicut cum dicitur: Iste liber est factus ad illum. Et sic imago Dei est ipsa Essentia divina, quæ abusive imago dicitur, secundum quod imago ponitur pro exemplari; vel secundum quod quidam dicunt, divina Essentia dicitur imago, quia secundum eam una persona aliam imitatur.»

PROPOSITIO II.

IMAGO DEI EST SIMPLICITER PERFECTIOR IN ANGELO QUAM IN HOMINE, SED SECUNDUM QUID EST PERFECTIOR IN HOMINE QUAM IN ANGELO.

360. — I. **Probatur ex 1. q. 93, art. 3,** corp., ubi dicit S. Thomas: «De imagine Dei loqui dupliciter possumus: Uno modo, quantum ad id in quo *primo* consideratur ratio imaginis, quod est intellectualis natura; et sic imago Dei est magis in angelis quam sit in hominibus, quia intellectualis natura perfectior est in eis. Secundo potest considerari imago Dei in homine quantum ad id, in quo *secundario* consideratur, prout scilicet in homine invenitur quædam Dei imitatio, inquantum scilicet homo est de homine, sicut Deus de Deo; et inquantum anima hominis tota est in toto corpore ejus, et iterum tota in qualibet parte ipsius, sicut Deus se habet ad mundum; et secundum hæc et similia magis invenitur Dei imago in homine quam in angelo. — Sed quantum ad hoc non attenditur per se ratio divinæ imaginis in homine, nisi præsupposita prima imitatione, quæ est secundum intellectualem naturam; alioquin etiam animalia bruta essent ad imaginem Dei. — Et ideo cum quantum ad intellectualem naturam, angelus sit magis ad imaginem Dei, quam homo, simpliciter concedendum est angelum magis esse ad imaginem Dei, hominem vero secundum quid.»

II. **Objectio I.** «Dicit Augustinus in Serm. de Imagine (nempe in Serm. 27 de verbis Apost.) *quod Deus nulli alii creaturæ dedit quod sit ad imaginem suam, nisi homini*. Non ergo verum est, quod Angelus magis dicitur ad imaginem Dei, quam homo.»

Responsio. «Ad 1^m^ dicendum, quod Augustinus excludit a Dei imagine alias inferiores creaturas intellectu carentes, non autem Angelos.»

Objectio II. «Præterea, secundum August. in lib. 83, Quæst. q. 51, homo ita est ad imaginem Dei, ut nulla interposita creatura formetur a Deo, et ideo nihil est ei conjunctius. Sed imago Dei dicitur aliqua creatura in quantum Deo conjungitur. Ergo Angelus non est magis ad Dei imaginem quam homo.»

Responsio. «Ad 2^m^ dicendum, quod sicut ignis dicitur esse subtilissimum corporum secundum suam speciem, cum tamen unus ignis sit alio subtilior; ita dicitur quod nihil est conjunctius Deo quam mens humana, secundum genus intellectualis naturæ; quia sicut ipse supra præmiserat quæ sapiunt, ita sunt illi similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. Unde per hoc non excluditur, quin Angelus sit magis ad Dei imaginem.»

Objectio III. «Creatura dicitur ad imaginem Dei, inquantum est intellectualis naturæ. Sed intellectualis natura non intenditur, nec remittitur; non enim est de genere accidentis, cum sit in genere substantiæ. Ergo Angelus non est magis ad imaginem Dei quam homo.»

Responsio. «Ad 3^m^ dicendum, quod cum dicitur quod substantia non recipit magis et minus, non intelligitur quod una species substantiæ non sit perfectior quam alia; sed quod unum et idem individuum non participet suam speciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam a diversis individuis participatur species substantiæ secundum magis et minus.»

PROPOSITIO III.

IMAGO DEI, IN RATIONALI CREATURA, ATTENDITUR PRÆSERTIM SECUNDUM ACTUS INTELLECTUS ET VOLUNTATIS AD DEUM RELATOS.

Prænotanda. — In loco sequenti, S. Thomas post S. Augustinum distinguit duplicem modum, quo homo secundum mentem est Dei imago.

Primus modus complectitur spiritualem animæ humanæ essentiam et operationem, secundum ipsius esse, intelligere et velle. Alter modus est secundum processiones spiritualium animæ nostræ actuum, secundum quod verbum mentis gignitur ex actuali memoria, et amor voluntatis procedit simul ex actuali memoria et ex verbo mentis. — Jam vero, primus modus est imago Dei unius et trini *attributis*, inquantum est, intelligit et vult; secundus autem modus est imago Dei unius et trini *personis*, inquantum Verbum gignitur a Patre, et Spiritus sanctus a Patre et Verbo simul procedit.

§ I.

Imago Dei, in rationali creatura, attenditur primario secundum actus verbi et amoris; secundario autem secundum potentias, et præcipue habitus.

361. — **Probatur ex 1. q. 93, art. 7.** *Sed contra:* « Augustinus in lib. 9 de Trin., cap. 6, assignat trinitatem in inferioribus animæ partibus, secundum actualem visionem sensibilem et imaginariam. Ergo et trinitas quæ est in mente, secundum quam homo est ad imaginem Dei, debet attendi secundum actualem visionem. »

Ibid., corp.: « Sicut supra dictum est, ad rationem imaginis pertinet aliqualis repræsentatio speciei. Si ergo imago divina debet accipi in anima, oportet quod secundum illud principaliter attendatur quod maxime accedit, prout possibile est, ad repræsentandam speciem divinarum personarum. Divinæ autem personæ distinguuntur secundum processionem Verbi a dicente, et Amoris connectentis utrumque. — Verbum autem in anima nostra sine actuali cogitatione esse non potest, ut Augustinus dicit in lib. 14 de Trin., cap. 7. Et ideo prius et principaliter attenditur imago Trinitatis in mente secundum actus, prout scilicet ex notitia quam habemus, cogitando interius verbum formamus, et ex hoc in amorem prorumpimus. — Sed quia principia actuum sunt habitus et potentiæ, unumquodque autem virtualiter est in suo principio: secundario et quasi ex consequenti, imago Trinitatis potest attendi in anima secundum potentias, et præcipue secundum habitus, prout in eis scilicet, actus virtualiter existunt. »

Objectio I. Dicit Augustinus lib. 11 de Civ. Dei, cap. 26, *quod homo factus est ad imaginem Dei, secundum quod sumus, et nos esse novimus, et nostrum esse ac nosse diligimus.* Sed esse non significat actum. Ergo imago Dei non attenditur in anima secundum actus.

Responsio. « Ad primum ergo dicendum, quod esse nostrum ad imaginem Dei pertinet, quod est nobis proprium supra alia animalia. Quod quidem esse competit nobis, inquantum mentem habemus. Et ideo eadem est hæc trinitas cum illa quam ponit August., lib. 9. de Trinit., cap. 6, quæ consistit in mente, notitia et amore. »

Objectio II. Mens (quam Augustinus loco citato assignat) non significat actum, sed magis potentiam, vel etiam essentiam intellectivæ animæ. Ergo imago Dei non attenditur secundum actus.

Responsio. « Ad 2^m^ dicendum, quod Augustinus hanc trinitatem primo adinvenit in mente. Sed quia mens, etsi se totam quodammodo cognoscat, etiam quodammodo se ignorat, prout scilicet est ab aliis distincta, et sic etiam se quærit, ut Augustinus consequenter probat in lib. 10 de Trinit., cap. 3 et 4, ideo quia notitia non totaliter menti coæquatur, accipit in anima tria quædam propria mentis, scilicet memoriam, intelligentiam et voluntatem, quæ nullus ignorat se habere; et in istis tribus potius imaginem Trinitatis assignat, quasi prima assignatio sit quodammodo deficiens. »

Objectio III. Ipsa memoria, intelligentia et voluntas « sunt vires naturales animæ », ut Magister dicit in 3. dist. 1, libr. Sent. Ergo imago attenditur secundum potentias, et non secundum actus.

Responsio. « Ad 3^m^ dicendum, quod sicut Augustinus probat in lib. 14 de Trinit., cap. 7, intelligere dicimur et velle, seu amare aliqua, et quando de his cogitamus, et quando de his non cogitamus. Sed quando sine cogitatione sunt, ad solam memoriam pertinent, quæ nihil est aliud, secundum ipsum, quam habitualis retentio notitiæ et amoris; sed quia, ut ipse dicit: « Verbum ibi esse sine cogitatione non potest (cogitamus enim omne quod dicimus) etiam illo interiori Verbo, quod ad nullius gentis pertinet linguam, in tribus potius illis imago ista cognoscitur: memoria scilicet, intelligentia et voluntate. Hanc autem nunc dico intelligentiam, qua intelligimus cogitantes, et eam voluntatem sive amorem vel dilectionem, quæ ipsam prolem parentemque conjungit. » — Ex quo patet, quod imaginem divinæ Trinitatis potius ponit in intelligentia et voluntate actuali, quam secundum quod sunt in habituali retentione memoriæ; licet etiam, quantum ad hoc, aliquo modo sit imago Trinitatis in anima, ut ibidem dicitur. Et sic patet quod memoria, intelligentia et voluntas non sunt tres vires ut in Sententiis dicitur. »

Objectio IV. « Imago Trinitatis semper manet in anima. Sed actus non semper manet. Ergo imago Dei non attenditur in anima secundum actus. »

Responsio. « Ad 4^m^ dicendum, quod aliquis respondere posset per hoc, quod August. dicit in lib. 14 de Trinit., cap. 6 et 7, *quod mens semper sui meminit, semper se intelligit et amat;* quod quidam sic intelligunt, quasi animæ adsit actualis intelligentia et amor sui ipsius. Sed hunc intellectum excludit per hoc quod subdit, quod *non semper se cogitat discretam ab his quæ non sunt quod ipsa.* Et sic patet, quod anima semper intelligit et amat se, non actualiter, sed habitualiter. Quamvis dici possit, quod percipiendo actum suum, seipsam intelligit quandocumque aliquid intelligit. Sed quia non semper est actu intelligens, ut patet in dormiente, ideo oportet dicere quod actus, etsi non semper maneant in seipsis, manent tamen semper in suis principiis, scilicet potentiis et habitibus. Unde August. dicit in lib. 14 de Trinit., cap. 4: « Si secundum hoc facta est ad imaginem Dei anima rationalis, quod uti ratione atque intellectu ad intelligendum et conspiciendum Deum potest, ab initio quo esse cœpit, fuit in ea Dei imago. »

§ II.

Imago Dei, in rationali natura, attenditur præsertim secundum actus intellectus et voluntatis ad Deum relatos.

362.— Probatur ex 1. q. 93, art. 8. *Sed contra:* « Augustinus dicit, lib. 14 de Trinit., cap. 11, *quod non propterea est Dei imago in mente, quia sui meminit, et diligit et intelligit se; sed quia potest etiam meminisse, intelligere et amare Deum a quo facta est.* Multo igitur minus secundum alia objecta attenditur Dei imago in mente. »

Et ibid., corp.: « Sicut supra dictum est, imago importat similitudinem utcumque pertingentem ad speciei repræsentationem. Unde oportet quod imago divinæ Trinitatis attendatur in anima secundum aliquid, quod repræsentat divinas personas, repræsentatione speciei, sicut est possibile creaturæ. Distinguuntur autem divinæ personæ, ut dictum est, secundum processionem Verbi a dicente, et Amoris ab utroque. — Verbum autem Dei nascitur de Deo secundum notitiam sui ipsius, et Amor procedit a Deo secundum quod seipsum amat. Manifestum est autem quod diversitas objectorum diversificat speciem verbi et amoris; non enim idem est specie in corde hominis, verbum conceptum de lapide et de equo, nec idem specie amor. — Attenditur igitur divina imago in homine secundum verbum conceptum de Dei notitia et amorem exinde derivatum. Et sic imago Dei attenditur in anima secundum quod fertur vel nata est ferri in Deum. — Fertur autem in aliquid mens dupliciter: Uno modo directe et immediate; alio modo indirecte et mediate; sicut cum aliquis, videndo imaginem hominis in speculo, dicitur ferri in ipsum hominem. Et ideo Augustinus dicit in lib. 14 de Trinit., cap. 8, *quod mens meminit sui, intelligit se, et diligit se. Hoc si cernimus, cernimus trinitatem; nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.* Sed hoc est, non quia mens fertur in seipsam absolute, sed prout per hoc ulterius potest ferri in Deum, ut patet per auctoritatem supra inductam. »

Objectio I. « Imago divinæ Trinitatis invenitur in anima, sicut dictum est, secundum quod verbum in nobis procedit a dicente, et amor ab utroque. Sed hoc invenitur in nobis secundum quodcumque objectum. Ergo secundum quodcumque objectum invenitur, in mente nostra, imago divinæ Trinitatis. »

Responsio. « Ad 1^m^ ergo dicendum quod ad rationem imaginis non solum oportet attendere quod aliquid procedat ab aliquo, sed etiam quid a quo procedat, scilicet quod Verbum Dei procedit a notitia de Deo. »

Objectio II. « Præterea Augustinus dicit in lib. 12 de Trinit., cap. 4, quod cum quærimus in anima trinitatem, in tota quærimus, et non separantes actionem rationalem in temporalibus a contemplatione æternorum. Ergo secundum temporalia objecta invenitur imago Trinitatis in anima. »

Responsio. « Ad 2^m^ dicendum, quod in tota quidem anima invenitur aliqua trinitas; non quidem ita quod, præter actionem temporalium et contemplationem æternorum, quæratur aliquod tertium quo trinitas impleatur, prout ibidem subditur. Sed in illa parte rationis, quæ derivatur a parte temporalium, etsi trinitas inveniri possit, non tamen imago Dei potest inveniri ut postea dicitur; quia hujusmodi temporalium notitia adventitia est animæ; et habitus etiam ipsi, quibus temporalia cognoscuntur, non semper adsunt, sed quandoque quidem præsentialiter adsunt, quandoque autem secundum memoriam tantum, etiam postquam adesse incipiunt; sicut patet de fide, quæ temporaliter nobis advenit in præsenti, in statu autem futuræ beatitudinis, jam non erit fides sed memoria fidei. »

Objectio III. « Præterea, quod Deum intelligamus et amemus, convenit nobis secundum gratiæ donum. Si igitur secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem seu dilectionem Dei attendatur imago Trinitatis in anima, non erit imago Dei secundum naturam, sed secundum gratiam. Et sic non erit omnibus communis. »

Responsio. « Ad 3[m] dicendum, quod memoria, Dei cognitio et dilectio non est nisi per gratiam; est tamen aliqua cognitio et dilectio naturalis, ut supra habitum est. Et hoc etiam ipsum naturale est, quod mens ad intelligendum Deum ratione uti potest, secundum quod imaginem Dei semper diximus permanere in mente; sive hæc imago Dei ita sit abolita quasi obumbrata, ut pene nulla sit, ut in his qui non habent usum rationis; sive sit obscura atque deformis, ut in peccatoribus; sive sit clara et pulchra, ut in justis, sicut Augustinus dicit lib. 14 de Trinit., cap. 4. »

Objectio IV. « Præterea, Sancti qui sunt in patria, maxime conformantur imagini Dei secundum gloriæ visionem; inde dicitur 2. Cor. 3: *In eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem.* Sed secundum visionem gloriæ, temporalia cognoscuntur. Ergo etiam per comparationem ad temporalia, Dei imago attenditur in nobis. »

Responsio. « Ad 1[m] dicendum, quod secundum visionem gloriæ, temporalia videbuntur in ipso Deo. Et ideo hujusmodi temporalium visio ad Dei imaginem pertinebit. Et hoc est, quod Augustinus dicit in lib. 14 de Trinit., cap. 14, *quod in illa natura, cui mens feliciter adhærebit, immutabile videbit omne quod videbit;* nam in ipso Verbo increato sunt rationes omnium creaturarum. »

PROPOSITIO IV.

CONVENIENTER IN HOMINE DISTINGUUNTUR DEI IMAGO ET SIMILITUDO.

363. — I. Probatur ex 1. q. 93, art. 9. *Sed contra:* « Augustinus dicit in lib. 83 Quæst., 19, 51: *Sunt qui non frustra intelligunt, duo dicta esse ad imaginem et similitudinem, cum si una res esset, unum nomen sufficere potuisset.* »

Ibid., corp.: « Similitudo quædam unitas est; unum enim in qualitate, similitudinem causat, ut dicitur in 5. Metaph., text. 20. Unum autem, cum sit de transcendentibus, et commune est omnibus, et ad singula potest aptari, sicut et bonum et verum. Unde sicut bonum alicui rei particulari potest comparare sicut præambulum ad ipsam, et ut subsequens prout designat aliquam perfectionem ipsius, ita etiam est de comparatione similitudinis ad imaginem. Est enim bonum præambulum ad hominem, secundum quod homo est quoddam particulare bonum; et rursus bonum subsequitur ad hominem, inquantum aliquem hominem specialiter dicimus esse bonum propter perfectionem virtutis. Et similiter *similitudo consideratur ut præambulum ad imaginem,* inquantum est communius quam imago ut supra dictum est; consideratur etiam *ut subsequens ad imaginem,* inquantum significat quamdam imaginis perfectionem; dicimus enim imaginem alicujus esse similem vel non similem ei cujus est imago, inquantum perfecte vel imperfecte repræsentat ipsum. »

« Sic ergo similitudo potest ab imagine distingui dupliciter: Uno modo *prout est præambula ad ipsam* et in pluribus existens; et sic similitudo attenditur secundum ea quæ sunt communiora proprietatibus naturæ intellectualis, secundum quas proprie attenditur imago; et secundum hoc dicitur in lib. 83 Quæst., q. 51, quod spiritus, id est mens, *ad imaginem Dei* nullo dubitante factus est. Cætera autem hominis, scilicet quæ pertinent ad inferiores partes animæ, vel etiam corpus, *ad similitudinem* facta esse aliqui volunt. Secundum hoc etiam in lib. de Quantit. animæ, cap. 2, dicitur quod similitudo Dei attenditur in anima, inquantum est incorruptibilis; nam corruptibile et incorruptibile sunt differentiæ entis communis. — Alio modo potest considerari similitudo *secundum quod significat imaginis expressionem et perfectionem;* et secundum hoc Damascenus dicit (lib. 2 de Fide orth., cap. 12), quod id quod est *secundum imaginem,* intellectuale significat, et arbitrio liberum per se potestativum; quod autem *secundum similitudinem virtutis,* secundum quod homini possibile est habere similitudinem. Et ad idem refertur, quod similitudo dicitur ad dilectionem virtutis pertinere; non enim est virtus sine dilectione virtutis. »

II. **Objectio I.** « Genus non convenienter distinguitur a specie. Sed similitudo comparatur ad imaginem ut genus ad speciem, quia ubi est imago, ibi est continuo similitudo, sed non convertitur, ut dicitur in lib. 83 Quæst., q. 51. Ergo inconvenienter similitudo ab imagine distinguitur. »

Responsio. « Ad 1[m] dicendum, quod similitudo non distinguitur ab imagine secundum communem rationem similitudinis; sic enim includitur in ratione ipsius imaginis; sed secundum quod aliqua similitudo deficit a ratione imaginis, vel etiam est imaginis perfectiva. »

Objectio II. « Ratio imaginis attenditur, non solum per repræsentationem divinarum personarum, sed etiam secundum repræsentationem divinæ Essentiæ, ad quam repræsentationem pertinet immortalitas et indivisibilitas. Non ergo convenienter dicitur, quod similitudo est in essentia, quia est immortalis et indivisibilis; imago autem in aliis. »

Responsio. « Ad 2^m^ dicendum, quod essentia animæ pertinet ad imaginem, prout repræsentat divinam Essentiam secundum ea quæ sunt propria intellectuali naturæ, non autem secundum conditiones consequentes ens in communi, ut est esse simplicem et indissolubilem. »

Objectio III. « Præterea, imago Dei in homine est triplex, scilicet naturæ, gratiæ et gloriæ, ut supra habitum est. Sed innocentia et justitia ad gratiam pertinent. Inconvenienter ergo dicitur, quod imago accipitur secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem; similitudo autem secundum innocentiam et justitiam. »

Responsio. « Ad 3^m^ dicendum, quod etiam virtutes quædam naturaliter insunt animæ, ad minus secundum quædam earum semina. Et secundum has posset attendi similitudo naturalis; quamvis non sit inconveniens, ut id quod secundum assignationem unam dicitur imago, secundum aliam dicitur similitudo. »

Objectio IV. « Præterea, cognitio veritatis ad intelligentiam pertinet, amor vero virtutis ad voluntatem, quæ sunt duæ partes imaginis. Non ergo convenienter dicitur, quod imago sit in cognitione veritatis, similitudo in dilectione virtutis. »

Responsio. « Ad 4^m^ dicendum, quod dilectio verbi, quod est amata notitia, pertinet ad rationem imaginis; sed dilectio virtutis pertinet ad similitudinem, sicut et virtus. »

CAPUT III.

PROBATUR DEUM ESSE SUPREMUM HOMINIS EXEMPLAR, IN ORDINE INTELLECTUALI ET MORALI.

364. — Prænotanda. Divina Trinitas est supremum hominis Exemplar, non tantum in ordine physico, sed etiam in ordine intellectuali et morali. Etenim in ordine *physico*, homo est Dei unitrini imago, inquantum ex necessitate consequente liberam Creatoris Voluntatem, est creatura spiritualis, intelligens et volens; sed Deo operanti cooperando libere, potest divinæ Trinitati similior fieri in ordine *intellectuali* per scientias et artes, ac præcipue in ordine *morali* per virtutes.

Diximus divinam Trinitatem esse *supremum* Exemplar nostrum in ordine intellectuali et morali, seu in ordine scientiarum, artium atque virtutum. Sed non est *unicum* nostrum Exemplar. Possumus enim immediate imitari alia exemplaria, et præsertim Christum hominem, qui est perfectissima imago creata Trinitatis. Possumus præterea imitari viros doctos ac sapientes, præclaros artifices, Ecclesiæ Sanctos, quorum omnium perfectio intellectualis et moralis ipsa imitatur supremam Dei unitrini Perfectionem.

Insuper hæc hominis assimilatio physica, intellectualis et moralis ad divinam Trinitatem potest esse non tantum *naturalis*, sed etiam supernaturalis per gratiam et gloriam. — In *physico* enim ordine, homo supernaturaliter Deo assimilatur per gratiam sanctificantem, qua participat divinum Esse, seu divinam naturam, inquantum fit Dei filius adoptivus ac hæres gloriæ æternæ; et hæc gratia est fundamentum totius ordinis supernaturalis. In ordine *intellectuali*, supernaturaliter Deo similiores efficimur per scientias et artes supernaturales. In ordine *morali*, hæc divina assimilatio fit per virtutes supernaturales. — Denique nostra ad Deum assimilatio per gratiam, in *gloria* æterna consummabitur *intellectualiter* per visionem beatificam, et in *voluntate* per Dei comprehensionem, seu possessionem, et per gaudium.

Trinus igitur est totus ordo assimilationis nostræ ad Deum, cum sit physicus, intellectualis et moralis, per naturam, gratiam et gloriam. Insuper assimilatio per *naturam* complectitur 1°) naturam spiritualem cum suis potentiis operativis, 2°) habitus intellectuales ac morales, et 3°) actus horum habituum. — Assimilatio *per gratiam* complectitur 1°) gratiam sanctificantem, 2°) habitus infusos ipsam comitantes, 3°) gratiam actualem, et actus ab ea derivatos. — Assimilatio per *gloriam*, fundata in esse divino gratiæ sanctificantis, complectitur gloriosos habitus, et actus visionis, comprehensionis et gaudii.

In Capite præcedenti probavimus ex S. Thoma *modum*, quo sumus divinæ Trinitatis imagines; nunc demonstrabimus, nos *posse* ac *debere* Deum libere imitari, seu illi similiores fieri in ordine intellectuali et morali, tam naturaliter quam supernaturaliter.

PROPOSITIO I.

HOMO DEBET LIBERE DEUM IMITARI IN NATURALI ORDINE INTELLECTUALI ET MORALI.

365. — Probatur ex testimonio philosophorum platonicorum, quorum primum practicum principium erat: *Sequere seu imitare Deum.* Sed naturalis ista imitatio Dei nonnisi imperfectissima in homine lapso esse potest sine di-

vinæ gratiæ auxilio. Itaque mores paganorum philosophorum non fuerunt conformes pulchræ ipsorum doctrinæ circa virtutes.

I. **De ipso Platone** dicit S. Augustinus, lib. 8 de Civit. Dei, cap. 8: « Nunc satis sit commemorare, Platonem determinasse finem boni esse secundum virtutem vivere, et ei soli evenire posse qui notitiam Dei habet et imitationem; nec esse aliam ob causam beatum. »

Ibid., cap. 5: « Si ergo Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione sit beatus, quid opus est excutere cæteros? Nulli nobis *(christianis)* quam isti propius accesserunt. »

Item, cap. 4, asserit Platonicos sensisse Deum esse centrum philosophiæ, quam partiuntur in naturalem, rationalem et moralem: « Fortassis qui Platonem, cæteris philosophis gentium longe lateque prælatum acutius atque veracius intellexisse atque secuti esse, fama celebriore laudantur, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in illo invenietur et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi; quorum unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere... »

Et ibidem, superius: « Plato philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit: unam moralem, quæ maxime in actione versatur; alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est; tertiam rationalem, qua verum discriminatur a falso. »

II. **Plotinus** inter Platonicos nobilissimus, et paganæ scholæ Alexandrinæ fundator, passim in suis Enneadibus docet divinum atque archetymum Pulchrum, esse unicum centrum contemplationis nostræ in ordine scientiarum, et imitationis nostræ in ordine artium ac virtutum.

1°) De Pulchro divino, contemplationis nostræ centro, sic loquitur Plotinus in Enn. 5, lib. 1, cap. 11: « Cum animus de justis pulchrisque consultet, inquiratque num hoc sit justum, numquid hoc sit pulchrum, necesse est stabile quiddam justum esse, similiterque pulchrum, unde ratiocinatio in animo ducat exordium; alioquin discurrere numquam posset. Ac si animus interdum circa hæc discurrit, interdum vero minime, oportet in nobis esse non naturam quidem hanc discurrentem, sed mentem, quæ justum pulchrumque semper habeat. Opertet præterea adesse mentis principium et causam atque Deum, qui nullo modo partiatur, sed penitus consistat non in loco manens, sed in seipso. Atque interim hoc Principium multifarium quoque considerandum est in singulis eorum, quæ ipsum participant velut quiddam præter illa. Simili modo centrum cujusvis circuli est in seipso; singula autem quæ sunt in circulo, signum suum habent in centro, et lineæ punctum proprium centro afferunt. Sic enim in nobis fit: nos quoque Pulchrum divinum tanquam Centrum tangimus, ad illud congredimur, cum illo unimur, tantumque ipsum innitimur ac figimur, quantum intentione ad illud conferimus. »

In Enn. 3, lib. 8, cap. 8, auctor ostendit hanc Pulchri divini contemplationem esse principium et finis omnis speculationis, affectionis, actionis et factionis, inquantum Pulchrum divinum intuemur ut supremum Exemplar, quod in omni operatione nostra intellectuali ac morali imitari studemus.

2°) De divina Sapientia seu Arte, quam participant seu imitantur omnes humanæ artes agitur in Enn. 5, lib. 8, cap. 5, ubi loquitur Plotinus de sapientia et arte in genere: « Quæcumque vel arte vel natura fiunt, sapientia quædam facit, et ubique sapientia opus dirigit; et si sapientia aliqua facta est, arte quadam facta est. At ipse artifex humanus rursus revocatur ad naturalem (divinam) Sapientiam, secundum quam ars et quodlibet opus fiunt, cum prima hæc Sapientia non amplius ex speculationibus congregatur, sed tota sit quoddam unum; neque componatur ex multis in unum, sed ab uno potius in multa se resolvat. Si quis igitur Sapientiam hanc posuerit, jam sufficiet; cum enim non sit ex alio, neque enim erit in alio. »

De variis artibus in specie ibidem agitur cap. 9, cap. 11: « Verum, ut veniamus ad artes et artificia, artes imitatoriæ, ut *Pictura, Statuaria, Tripudium, Gestaculatio manuum*, cum formis idealibus quodammodo consistant, et sensibili exemplari utantur, speciesque ac motus imitentur, et proportiones, quas aspiciunt, ad propria artificia transferant, non videtur ad divini Artificis mentem reduci posse, nisi ipsa hominis ratione. Etenim si quis, ex ipsa proportione quæ singulis animalibus inest, generatim considerare assuescat pulchritudinem in cunctis animalibus, ufique participat divinam Intelligentiam, quæ eamdem pulchritudinem intuetur in mundo exemplari, omniumque ordinem contemplatur. — Similiter omnis *Musica*, quæ circa harmoniam et rhytmum occupatur, quatenus ipsas harmoniæ et rhytmi rationes contemplatur, participat Rationem illam, quæ circa idealem rhytmum non versatur. — Quæcumque vero artes visibilia opificia fabricant, at *architectus* et *faber*, inquantum proportionatis utuntur mensuris, videntur principia artis suæ inde sumere, et nonnihil divinæ Sapientiæ habere. Etenim cum mensurarum regulas sensibili materia applicant, non totam artem suam a seipsis, sed potius in seipsis possident. — Quin etiam neque

Agricultura plantis corporeis auxilium afferens, tota ab homine est; neque *Medicina* sanitatem curans humanam, vel firmum corporis habitum præstans hominibus; illic enim viget potestas et sanitas, per quas omnia animalia firmitatem habent sufficientem. — Proinde *Rhetorica*, et *Strategia*, et *Ars regendi domum vel civitatem*, dum ipsam honestatem in agendi ratione observant, supernamque considerant honestatem, profecto moralem scientiam suam sortiuntur ex divina Scientia, quæ superne viget. — Tum vero *Geometria*, cum ad intelligibilia pertineat, in divina Intelligentia collocanda est; et similiter *Sapientia*, quæ circa Ens ipsum sublimiter versatur. Ac de artibus quidem artiumque muneribus hactenus dictum est. »

3°) De divinis virtutibus exemplaribus ab homine imitandis loquitur Plotinus in Enn. 1, lib. 2 de Virtutib., cap. 7: « Ad deos enim, non ad homines, nobis est similitudo proposita. Similitudo quidem nostra ad homines bonos, est veluti si imago assimiletur imagini, cum utraque sit exemplata; sed similitudo nostra ad Deum, perficitur per aliud, velut ad Exemplar. »

Ibid., cap. 6: « Cum mala in terra sint, et circa hunc locum necessario revolvantur, atque velit anima fugere mala, hinc est procul dubio fugiendum. Sed quænam est hæc fuga? Deo, inquit Plato, similem fieri. Hoc autem fiet, si justi et sancti cum prudentia efficimur, et omnino cum virtute vivamus. Si itaque virtuti assimilamur, nonne ergo virtutem habemus? at cuinam? Deo. »

Ibid., cap. 2: « Quod apud nos quidem exemplatum virtus est, in divina Mente velut Exemplar exstat, neque est virtus sicut in nobis. »

Ibid., cap. 6: « Virtutes in anima imitantur virtutes exemplares, quæ sunt in divino Intellectu ante virtutes exemplatas. »

Ibid., cap. 3-5: Virtutes exemplatæ dividuntur in virtutes purgativas, quibus inchoatur moralis imitatio Dei; et in virtutes *purgati animi*, quibus hæc imitatio consummatur.

III. **Porphyrius,** Plotini discipulus, virtutes similiter distinguit in exemplares et exemplatas, atque iterum virtutes exemplatas dividit in activas, purgativas et intellectuales, quæ sunt principium, medium et finis imitationis virtutum exemplarium.

Sic ipse loquitur in suis Sententiis, cap. 34: « Quatuor ergo virtutum genera ostendimus, quarum aliæ quidem erunt Mentis *(divinæ)* exemplaris scilicet, quæ cum ipsa Essentia ejus concurrunt; aliæ vero *(scilicet intellectuales)* animæ, prout jam ad Mentem respicit, et ab ea repletur; aliæ autem *(scilicet purgativæ)* hominis in purgando occupatæ, aut jam a corpore brutisque passionibus purgatæ; aliæ vero *(scilicet activæ)*, animæ exornantis hominem, eo quod irrationali facultati terminos modumque præstat, et passionum moderationem inducit... Qui secundum practicas *(seu activas)* virtutes operatur, vir probus est; qui secundum purgativas homo dæmonius, sive divinus, seu genius bonus; qui vero secundum solas intellectuales, Deus; at qui secundum exemplares, deorum Pater. »

IV. **Proclus,** in Instit. theol., docet mentis humanæ cum divina Mente conformitatem fieri per idearum ejus participationem, sed falso docet ideas nostras esse innatas.

Caput 93 prædicti operis sequentem titulum habet: « Omnis cognitio a Mente *(divina)* manat in omnibus qui cognoscunt. »

Et in cap. 194 legitur: « Omnis anima habet omnes ideas, quas ipsa Mens primo habet. Nam si a Mente progreditur anima, et si Mens fundatrix est animæ, et si omnia Mens producit per ipsum suum esse, cum immobilis sit, dabit etiam animæ per ipsum subsistenti essentialia principia omnium quæ in ipsa *(Mente)* insunt. Omne enim quod Mens per suum Esse producit, et primo hoc *(scilicet ideas suas)* animæ quæ fit, secundo impertit. Anima igitur secundo habet species expressas divinæ Mentis. »

V. **Seneca,** etsi Stoicorum doctrinam profiteatur, Platonicis tamen consentit asserendo hominem per virtutem imitari ipsum Deum.

Dicit enim in lib. de Providentia: « Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? Imo etiam necessitudo et similitudo. »

Item in Epist. 96: « Vis Deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit quisquis imitatus est. »

PROPOSITIO II.

HOMO DEBET DEUM IMITARI, ETIAM IN SUPERNATURALI ORDINE INTELLECTUALI ET MORALI.

Hanc Propositionem demonstrabimus ex Scriptura, Patribus et Doctoribus.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

366. — Libri sacri manifeste loquuntur de supernaturali ac libera hominis cum Deo conformitate per gratiam sanctificantem, quæ elevat ipsam animæ nostræ essentiam; per fidem, quæ elevat nostrum intellectum; et per alias virtutes infusas, quæ elevant voluntatem nostram et mores nostros. Docet hanc supernaturalem conformitatem fuisse primo homini a Deo collatam,

peccato ejus perditam, ac nobis per Christum redditam; et nos exhortatur ut peccatum exuentes, illam acquirere nitamur.

1°) Coloss. 3, v. 9 et 10: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, cum qui renovatur in agnitionem* (fidei) *secundum imaginem ejus qui creavit eum.*

Eph. 4, v. 22-24: *Deponere vos, secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

2°) Rom. 12, v. 2: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit Voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Quæ verba sic explicat S. Thomas: « Monet Apostolus ut reformemur, id est iterato formam et decorem mentis assumamus, quem nostra mens habuit. Quod quidem fit per gratiam Spiritus sancti, ad quam participandam homo studium habere debet, ita scilicet, ut qui eam nondum perceperunt, eam percipiant, et qui illam perceperunt, in ea proficiant. — Vel aliter: *Reformamini*, scilicet in exterioribus actibus; *in novitate sensus vestri*, id est secundum novitatem gratiæ, quam mente percepistis. »

3°) 2. Cor. 3, v. 18: *Nos vero omnes, revelata facie, gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* Hæc supernaturalis transformatio intellectus nostri fit imperfecte per cognitionem fidei, et perfecte per visionem gloriæ, sicut docet S. Thomas in Comment. huj. loci, lect. 3: « Cum omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, oportet quod qui vident, aliquo modo transformentur in Deum. Et si quidem *perfecte* vident, perfecte transformantur, sicut Beati in patria per fruitionis unionem, sicut in 1. Joan. 3, v. 2: *Cum autem apparuerit, similes ei erimus;* si vero imperfecte *(vident)*, imperfecte *(transformantur)*, sicut hic per fidem. Et ideo dicit: *In eamdem imaginem*, id est, sicut videmus. — *Transformamur*, inquam, *a claritate in claritatem*, in quo distinguit triplicem gradum cognitionis in discipulis Christi. Primus est a claritate cognitionis naturalis in claritatem cognitionis fidei; secundus est a claritate cognitionis veteris Testamenti in claritatem cognitionis gratiæ novi Testamenti; tertius est a claritate cognitionis naturalis, et veteris et novi Testamenti, in claritatem visionis æternæ. Eph. 5, v. 1: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi.* — Matth. 5, v. 48: *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* »

Probatur II. *Ex Patribus.*

367. — I. **Ex eorum explicatione Gen. 1, v. 28:** *Faciamus hominem ad imaginem et ad similitudinem nostram.* In hunc locum dicit Bellarminus, de Grat. primi hom., cap. 2, quod juxta communem Patrum sententiam, imago pertinet ad naturam, similitudo autem ad gratiam sanctificantem et virtutes cum ipsa infusas. Aliquos Patres citare sufficiat.

S. Basilius, Homil. 10 in Hexam.: « *Per imaginem* animæ impressam in me, obtinui rationis usum; verum Christianus effectus, utique *similis* efficior Deo. »

S. Joannes Chrys., Homil. 9 in Genes.: « *Imaginem* dixit ob principatum rationis; *similitudinem*, ut, pro viribus humanis, similes fiamus Deo mansuetudine, lenitate... quod et Christus dixit: *Similes estote Patri vestro, qui in cœlis est.* »

S. Joannes Damascenus, lib. 2 de Fide orthod., cap. 12: « Illud quidem *ad imaginem*, intelligendi vim designat et liberum arbitrium; illud vero: *ad similitudinem*, indicat virtutis, quantum fieri potest, similitudinem. »

S. Ephræm, de Virtutib. et Pass., vers. græco. lat. T. 3, p. 432: « Quid est illud *secundum imaginem?* Invisibile, immortale et liberum; quin etiam secundum imperandi virtutem et generandi atque ædificandi. Quid est illud *secundum similitudinem?* Secundum similitudinem vero est secundum virtutis regulam, et ex Dei nomine dictas, et ex Dei imitatione operationes; id est secundum benignam erga genus sui simile affectionem, miserationem, misericordiam et dilectionem conservi, nec non ostensionem omnis commotionis ac compassionis. Nam *estote*, inquit Christus, *misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est.* »

S. Ambrosius, de Dignit. conditionis hum., cap. 3: « Quisquis diligentius attendit primæ conditionis suæ excellentiam, et venerandam in seipso divinæ Trinitatis *imaginem* cognoscat, honoremque *similitudinis* divinæ ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum contendat. »

S. Leo, serm. 24, cap. 2: « Si fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniamus hominem ideo *ad imaginem* Dei conditum, ut *imitator* sui esset Auctoris. » — Item, serm. 92: « Quid tam æquum quidque tam dignum est, quam ut creatura ad imaginem et similitudinem Dei condita, suum *imitetur* Auctorem. » — Et, serm. 21: « Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, nihil habet in naturæ suæ honore tam proprium, quam ut bonitatem sui *imitetur* Auctoris. »

S. Hieronymus in illud Ezech. 28: *Tu signaculum similitudinis*, ait: « Et notandum est quod

imago tunc (in creatione) facta sit tantum, *similitudo* in baptismate compleatur. »

S. Augustinus, cont. Adimant., cap. 5, explicans verba Apostoli ad Coloss. 3, v. 9 et 10: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem Ejus qui creavit illum*, sic concludit: « Filii ergo Dei sunt homines renovati ad ejus *imaginem*, et ei *similes* facti usque ad dilectionem inimici, sicut Dominus dicit diligere nos debere inimicos nostros, ut similes simus Patri nostri qui in cœlis est. (Matth. 5, v. 44 et 45). Quod in potestate nostra ab ipso Deo esse positum docet Scriptura, cum dicit: *dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. 1, v. 12). Filii autem diaboli dicuntur homines, cum imitantur ejus impiam superbiam, et a luce atque celsitudine sapientiæ decidunt, et non credunt veritati. »

S. Bernardus, Serm. 1, de Annunt.: « Ad imaginem nempe et similitudinem Dei factus est homo, in *imagine* arbitrii libertatem, virtutes habens in *similitudine*. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit, non exuri; ardere sed non deleri. Hæc ergo non scinditur, sed sorte provenit, et quocumque perveniat anima, simul et ipsa ibi erit. Nam similitudo non sic; sed aut manet in bono, aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter, jumentis insipientibus similita. »

368. — **II. Patres manifeste docent, hominem debere Deum libere imitari in ordine intellectuali et morali.**

1°) S. Dionysius Areopagita qui a Platonismo ad Christianismum conversus est, moralem Platonicorum doctrinam complet, docendo summam hominis perfectionem consistere in supernaturali assimilatione ad Deum, quæ fit tribus actibus hierarchicis, scilicet purgatione, illuminatione mentis et unione voluntatis cum Deo. Sic enim ipse loquitur in Eccl. hier., cap. 1, § 3: « Salus non aliter obtingere potest, nisi deificentur salvati. Illa autem deificatio est assimilatio et unio cum Deo, inquantum fieri potest. Omnis ergo hierarchiæ hic est finis communis, attenta erga Deum et res divinas dilectio divinitus infusa, et *unione* cum Deo consummata; et antea omnimoda et irrevertibilis aversio *(per purgationem)* ab iis quæ huic unioni contraria sunt; cognitio *(per illuminationem)* entium sicut sunt; sacræ veritatis visio et scientia; uniformis perfectionis intima ac divina participatio; intentionis fruitio nutriens mentaliter et deificans eum omnem, qui in ipsum intentus est.»

In Eccl. Hier., cap. 3, § 2, tres actus hierarchici clarius distinguuntur: « In hoc est hierarchiæ ordo, ut hi purgentur et illi purgent; hi illuminentur, et illi illuminent; hi perficiantur, et illi perficiant, juxta modum quo unicuique congruit Dei imitatio. »

Et cap. 7, § 2: « Satis superque jam a nobis dictum existimo, omnis hierarchiæ scopum ex divinæ deiformitatis imitatione pendere, omnemque functionem hierarchiam dividi in sacram participationem *(passivam)* et collationem *(activam)* purissimæ purgationis, et divini luminis et perfectivæ scientiæ. »

2°) S. Ephræm elegantissime ostendit, sapientiam, artem et virtutem hominis esse participationem Sapientiæ, Artis et Virtutis Dei per analogicam imitationem.

a) **Quoad sapientiam,** dicit in 1. Serm. exeget. alludens ad fontem, qui paradisum terrestrem per quatuor flumina irrigabat, sicut dicitur in Genes. 2, v. 6-14: « Quicumque sitis sapientiam, et votis omnibus disciplinam desideras, age modo, tibi fontem monstrabo perennem ex editissimo loco scaturientem ex ore summi Opificis. Aquæ sapientiæ vivæ sunt, et quatuor mundi regiones alluunt. Magnam horum scatebram divina nobis numerata est Bonitas, indeque funduntur fluvii ultro citroque permeantes universum mundum usque ad ultimas oras: primus Gihon, rationis lumen; secundum Phison, vera cujusque rei intelligentia; tertius Tigris, rectum mentis intelligentis judicium; et magnus Euphrates, ratiocinatio. Hæc porro ab illo fonte derivata flumina diversis alveis ad loca permeant sibi a supremo Artifice designata; manet autem illorum potestas, nec enim se invicem opprimunt... Unus qui fontem attigit, Moyses fuit; hic sapientum princeps, caput profluentis invenit cunctisque gentibus et populis divitem scatebram patefecit, indeque sapientiam docti indoctique hauserunt... Græci porro supra cæteros in ejusmodi disciplina profecerunt; e Græcia quippe prodierunt insignes oratores, breves et pusilli verbis, sententiis ampli et grandes... Hos inter excelluere Porphyrius, vir doctissimus, et magnus Plato omnium ore celebratus; Socrates item, subtilissimi vir ingenii. Omnes tamen doctrina et eruditione prævertit Aristoteles, cunctosque priores atque posteriores antegressus est... »

b) **Quoad artes,** homo corpore exiguus, sed ingenio magnus, divinumque Opificem variis artibus imitans, lepide a sancto Ephræm comparatur vermiculo, omnia Dei opera rodente seu terebrante, intellectualiter ea scrutando, ut ea cognoscat, ad visum adhibeat et imitetur. De homine enim dicitur Serm. 2: « Nec vero scientia parvulus est, neque caligat ejus prudentia, et cognitionum ejus mensura parva non

est, cum sit fons omnium artium, resque omnes conditas sibi subjicerit. Linea quidem est, quo parvus est; teredo est, quo infirmus; et locusta est, quo exiguus est. Sed papæ! in horreo Regis, iste vermiculus cuncta rodit. Montes enim explorat, diripit flumina et marium profunda penetrat, pervaditque sylvarum et specuum adyta; arborum aperit sinus, radices rigat quo fructus colligat, ubera vitis secat, blanditur et adulatur arvis, ipsorumque furatur opes. Imago Dei in arte nostra; cogit aquas, et ad ingentem altitudinem attollit, supponens machinas, quasi urbes, quo suum æmuletur Conditorem. Creandi potestatem arte supplevit, suffecitque nutui procreanti omnia, speculationem omnia machinantem, et disciplinam perficientem omnia... »

c) **Quoad virtutes,** dicit S. Ephræm in lib. de Vir. et passione: « Beatus verissime, quemadmodum prudens, sic etiam maxime commendandus negotiator, qui virtutem quærendo, eamque ambiendo, quid sit virtus scrutatur, ut per ipsam ad Deum accedat, atque ei spiritualiter adhæreat. Etenim hoc proprie prudentia est, et fortitudo, sapientia et cognitio sine errore, et divitiæ quæ auferri non possunt, perduci per virtutis opera ad contemplandum Factorem... At vero, si vis, addamus simplici huic sermoni veluti sigillum aureum, et juxta imaginem, et juxta similitudinem. Ex omnibus honorabilissimis Dei creaturis *(corporalibus)*, intelligens ac rationale animal, homo solus secundum imaginem est, et similitudinem Dei... atque illud quidem *secundum imaginem* omnis homo habet; sine pœnitentia enim sunt dona Dei. *Secundum similitudinem* vero, rari et soli virtute eximii et sancti, quique Dei Bonitatem, pro eo quod homines possunt, imitantur. Cujus Bonitate, quæ omnem bonitatem superat, digni efficiamur etiam nos, beneplacentes ipsi per bona opera, imitatoresque fiamus illorum qui a sæculo Christo placuerunt, quia ipsius est misericordia, et ipsum decet omnis gloria, honor atque adoratio cum Patre ingenito, et sancto et bono vivificante Spiritu, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen. »

3°) S. Augustinus passim docet a) **omne verum esse participationem summi Veri, quod est in Dei Verbo, et omne bonum esse participationem summi Boni, quod Deus est.** Loquitur autem non solum de vero et bono physico, sed etiam de vero intellectuali et de bono morali. Unde sequitur, quod Deus, summe verus ac bonus, est Principium et Exemplar, non tantum *ordinis physici*, sed etiam totius *ordinis intellectualis* et *moralis*. Legitur in lib. de Vera Relig., cap. 36: « Ut enim veritate sunt vera quæ vera sunt, ita similitudine similia sunt quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma *(exemplaris)* verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera, quoniam intantum vera sunt, inquantum sunt: intantum autem sunt, inquantum principalis unius similia sunt: ea Forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo Principii *(nempe Dei Verbum)*, et Veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est. »

In lib. 83. Quæst., q. 23: « Omne castum castitate castum est, et omne æternum æternitate æternum est, et omne pulchrum pulchritudine, et omne bonum bonitate; ergo et omne sapiens sapientia, et omne simile similitudine. Sed duobus modis castum castitate dicitur, vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate quam gignit, et cui principium atque causa est ut sit; aliter autem cum participatione castitatis quidque castum est, quod potest aliquando esse non castum; atque ita de cæteris intelligendum est. Nam et anima æternitatem vel intelligitur, vel creditur consequi, sed æterna æternitatis participatione fit. Non autem ita æternus Deus, sed quod ipsius æternitatis est Auctor. Hoc et de pulchritudine et de bonitate licet intelligi. »

Item, de Nat. boni, cap. 13: « Omnis vita et magna et parva, omnis virtus et magna et parva, omnis intellectus et magnus et parvus... omne lumen et magnum et parvum... omnis pulchritudo et magna et parva, et si quæ similia occurrere poterunt, maximeque illa quæ per omnia reperiuntur, sive spiritualia sive corporalia, omnis modus, species et ordo et magnus et parvus a Domino Deo sunt. »

b) **Veritas et unitas Artis divinæ est suprema artis humanæ Lex, seu Exemplar.** Hoc probat S. Augustinus in opere de Vera Relig., cap. 10, ubi dicit: « Lex omnium artium, cum sit omnino immutabilis, mens vero humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem quæ *Veritas* dicitur. »

Ibid., cap. 31: « Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse; et ibi esse primam vitam et primam essentiam, ubi est prima Sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis Veritas, quæ Lex omnium artium recte dicitur et *Ars* omnipotentis Artificis... Omnia quæ appetunt *unitatem*, hanc habent regulam, vel formam vel exemplum, vel si quo alio verbo dici se sinit, quoniam sola ejus similitudinem, a quo esse accepit, implevit. »

Item, cap. 34: « Omne corpus verum corpus est, sed falsa unitas. Non enim summe unum est, aut intantum id imitatur ut impleat, et tamen nec corpus ipsum esset, nisi utcumque

unum esset. Porro utcumque unum esse non posset, nisi ab eo quod summe Unum est, id haberet. » — Cap. 39: « Sapientia Dei *pertendit a fine usque ad finem fortiter* (Sap., 8). Ita per hanc summus ille Artifex opera sua in unum finem decoris ordinata contexuit. »

Probatur III. *Ex Doctoribus.*

369. — I. **S. Thomas** docet a) **quod hominis voluntas, ut sit moraliter bona, debet divinæ Voluntati conformari formaliter,** omnia volendo in ordine ad ultimum finem, qui est Dei Bonitas, sed non tenetur divinæ Voluntati conformari materialiter, volendo in particulari quæ vult ipse Deus, quia nescimus utrum bona particularia, quæ ipsi volumus ut media ad ultimum finem, ab ipso Deo volita sunt ad commune bonum totius mundi procurandum.

Sic loquitur doctor angelicus in 1. 2. q. 19, art. 10: « Non est recta voluntas alicujus hominis volentis aliquod bonum particulare, nisi referat illud in bonum commune, sicut in finem, cum etiam naturalis appetitus cujuslibet partis ordinetur in bonum commune totius. Ex fine autem sumitur quasi formalis ratio volendi illud, quod ad finem ordinatur; unde ad hoc quod aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet quod illud particulare bonum sit volitum materialiter; bonum autem commune divinum, sit volitum formaliter. Voluntas igitur humana tenetur conformari divinae Voluntati in volito *formaliter:* tenetur enim velle bonum divinum et commune; sed non *materialiter,* ratione jam dicta. — Sed tamen quantum ad utrumque, aliquo modo voluntas humana conformatur Voluntati divinæ, quia secundum quod conformatur Voluntati divinæ in communi rei ratione voliti, conformatur ei in fine ultimo; secundum autem quod non conformatur ei in volito materialiter, conformatur ei secundum rationem causæ efficientis (*in ordine physico*), hanc propriam inclinationem consequentem naturam, vel apprehensionem particularem hujus rei, habet res a Deo sicut a Causa effectiva; unde consuevit dici, quod conformatur quantum ad hoc voluntas hominis Voluntati divinæ, quia vult hoc quod Deus vult eum velle (*physice*). Est et alius modus conformitatis secundum rationem causæ formalis, ut scilicet homo velit aliquid ex charitate sicut Deus vult; et ista etiam conformitas reducitur ad conformitatem formalem, quæ attenditur ex ordine ad ultimum finem, quod est proprium objectum charitatis. »

b) **Docet S. Thomas hominis intellectum ac voluntatem conformari Dei Intellectui ac Voluntati per imitationem.** Ibid., art. 9, ad 1^{m}: « Voluntas hominis non potest conformari Voluntati divinæ per æquiparantiam, sed per imitationem. Et similiter conformatur scientia hominis Scientiæ divinæ, inquantum cognoscit verum; et actio hominis Actioni divinæ, inquantum est agenti conveniens; et hoc per imitationem, non per æquiparantiam. »

II. **Dionysius Carthusianus** sic loquitur de Deo ab homine imitando in ordine intellectuali et morali, seu de hominis intellectus ac voluntatis conformitate cum Dei Intellectu et Voluntate.

Dicit in Element. Philos., propos. 40: « In anima rationali relucet Conditoris imago, et tam superiora quam inferiora resplendent, et virtualiter seu similitudinarie continentur ac representantur in ipsa. Anima quippe, per cognitionem et dilectionem, capax est Dei; et suo assimilatur Creatori per sapientiam et charitatem ac virtutum constantiam, et per cæteros habitus et actus intellectuales.

In Element. Phil., prop. 102: « Rationalis creatura suam voluntatem conformare ac subdere debet Voluntati divinæ. Quod est, quia et ipse superbenedictus Creator hoc jubet et exigit, obedientia quoque requirit, estque justissimum, et honorificentia Dei consistit in hoc. Denique conformatio ista intelligenda est quantum ad actum voluntatis creatæ, non tamen semper in volendo et nolendo ea quæ Deus vult, aut quæ non vult; imo frequenter volumus et optamus opposita his quæ vult Deus, et nolumus quæ vult ipse, quemadmodum deprecamur pro omnium infidelium conversione, pro universorum salute, quorum multi sunt reprobi et præsciti. Consistit ergo conformatio, obeditio et subjectio ista in hoc, ut ea velimus quæ Deus vult nos velle, et ea non velimus quæ ipse vult nos non velle; atque ut hæc velimus, seu non velimus, eo modo et fine ut ipse instituit, puta ordinate ad Dei gloriam et honorem, et item ex charitate. »

« Præterea sicut Fons omnis justitiæ atque totius Regula æquitatis, Deus altissimus, vult quædam uno modo, non alio modo; et quædam voluntate antecedente, non voluntate consequente; et quædam secundum quid, seu conditionaliter, aut quantum in se est, quædam vero simpliciter et absolute; ita de nobis est sentiendum. Quamvis enim noscamus multos esse vocatos et reprobos, paucos vero electos, attamen modo prædicto optamus omnes salvari; et quamvis nobis constaret de certis personis quod reprobæ sint, nihilominus sub conditione, inquantum viatores sunt, possumus earum optare salutem. Hæc demum de voluntate proprie sumpta, non de appetitu solum naturali aut sensuali sunt accipienda. »

III. **Bossuetus** in opere *De la connaissance de Dieu*, cap. 4, n.° 10, dicit: « L'image de Dieu s'achève dans l'âme par une volonté droite. L'âme est droite par cette volonté, parce qu'elle s'attache à la règle de toutes ses pensées, qui n'est autre que la vérité. Là s'achève aussi la conformité de l'âme avec Dieu; car l'âme qui veut entendre la vérité, aime dès là cette vérité que Dieu aime éternellement, et l'effet de cet amour de la vérité est de nous la faire chercher avec une ardeur infatigable, de nous y attacher immuablement, quand elle nous est connue, et de la faire régner sur tous nos désirs. »

« Mais cet amour de la vérité suppose quelque connaissance. Dieu donc, qui nous a faits à son image, c'est-à-dire qui nous a faits pour entendre et pour aimer la vérité à son exemple, commence d'abord à nous en donner l'idée générale, par laquelle il nous sollicite à en rechercher la pleine possession, où nous avançons à mesure que l'amour de la vérité s'épure et s'enflamme en nous. »

« Au reste la vérité et le bien ne sont que la même chose, car le souverain Bien est la Vérité entendue et aimée parfaitement. Dieu donc toujours entendu et toujours aimé de lui-même, est sans doute le souverain Bien. Dès là il est parfait et se possédant lui-même il est heureux. Il est donc heureux et parfait, parce qu'il entend et aime sans fin le plus digne objet, c'est-à-dire lui-même. Il n'appartient qu'à Celui, qui seul est de soi, d'être lui-même sa félicité. »

« L'homme, qui n'est rien de soi, n'a rien de soi; son bonheur et sa perfection est de s'attacher à connaître et aimer son Auteur. Malheur à la connaissance stérile, qui ne se tourne point à aimer, et se trahit elle-même! »

« C'est donc là mon exercice, c'est là ma vie, c'est là ma perfection et tout ensemble ma béatitude, de connaître, d'aimer celui qui m'a fait. Par là je reconnais que tout néant que je suis de moi-même, devant Dieu, je suis fait toutefois à son image, puisque je trouve ma perfection et mon bonheur dans le même objet que lui, c'est-à-dire en lui-même, et dans de semblables opérations, c'est-à-dire en connaissant et en aimant. »

Probatur IV. *Ex rationibus theologicis.*

370. — 1°) Ex notione imaginis.

Homo, ex parte sua, est necessaria divinæ Trinitatis imago in ordine *physico*, inquantum per benevolentissimam Creatoris Voluntatem, et independenter a propria sua voluntate, anima ipsius est essentialiter spiritualis, et spiritualiter operatur intelligendo ac volendo, ad instar Dei unitrini, qui in tota operatione ad intra, sive ad extra, agit per suum Intellectum et Voluntatem. — Atqui omnis perfectio imaginis essentialiter in eo consistit, quod magis ac magis assimiletur suo exemplari, seu prototypo. — Ergo tota spiritualis perfectio hominis essentialiter in hoc consistit, quod non jam necessario, sed libere Deum unitrinum imitetur in ordine *intellectuali* et *morali*, cooperando divinæ gratiæ auxilio.

2°) Ex notione scientiæ, artis et virtutis.

Scientia est recta ratio cognoscibilium; ars est recta ratio factibilium; virtus prudentiæ, quæ cæteras virtutes morales gubernat, est recta ratio agibilium. — Atqui, suprema regula rectitudinis in cognoscendo, in efficiendo, in agendo, est Ratio ipsius Dei. — Ergo, ut homo recte cognoscat, efficiat, agat, debet rationem suam divinæ Rationi conformare. Ergo Deum ipsum imitari tenetur in scientiis, artibus et virtutibus.

3°) Ex ordinatione scientiarium, artium et virtutum.

Homo totaliter perfici nequit, nisi ordinate colat scientias, artes et virtutes. — Atqui, supremum ordinationis Exemplar est divina Sapientia, quæ de omnibus rebus judicat juxta altissimam earum Causam efficientem, exemplarem et finalem, quæ Deus est. — Ergo totaliter perfici non possumus, nisi per divinæ Sapientiæ participationem atque imitationem, qua scientias, artes et virtutes æstimamus et colimus juxta ipsarum dignitatem, certitudinem ac utilitatem præsertim spiritualem.

4°) Ex imitatione Verbi incarnati.

Jesus Christus, si consideretur ut Deus, est Patris Imago æqualis, Sapientia et Ars; si autem spectetur ut homo, est perfectissima imago creata perfectissimumque vestigium divinæ Trinitatis; si denique in utraque natura sua divina et humana consideretur, est Deus homini similis factus, ut homo ipsum imitando fieret Deo similis. — Ergo Verbum Dei factum homo, est principale Medium et Exemplar, quod omnibus hominibus exhibet Deus ut divinam Trinitatem in ordine intellectuali ac morali imitentur. — Præterea lumen et vis gratiæ Christi ad hanc imitationem requiruntur. Unde qui Jesu Christi exemplum gratiamque postponunt, nunquam supernaturalem, nec etiam naturalem perfectionem attingent, sed multis erroribus ac vitiis inficientur; nonobstantibus improbis ipsorum laboribus, sicut de facto manifestum est in tot insipientibus, qui progressum suum quærunt sese avertendo a Christo, qui et Principium, et via, et finis est omnis veri progressus.

LIBER QUINTUS.

PROBATUR TRINUS ORDO UNIONIS HYPOSTATICÆ ET ECCLESIÆ CHRISTIANÆ.

PROŒMIUM. — Deus unitrinus mundum peccato Adami in parte deformatum, per Jesum Christum reformavit in Ecclesia, et sic primitivum ordinem supernaturalem instauravit per gratiam multo abundantiorem; nam unio hypostatica est suprema gratia et apex totius ordinis supernaturalis.

In Parte I, Lib. 4, cap. 1, *explicavimus* ordinem unionis hypostaticæ, qui in ipso Christo trinus est, inquantum complectitur naturam divinam et naturam humanam in unica Verbi persona conjunctas; trinus quoque est inquantum non solum Christum continet, sed etiam aliquo modo Mariam et Joseph, qui præ cæteris creaturis Christo per gratiam uniuntur. Explicavimus præterea in Parte I, Lib. 4, cap. 2, trinum Ecclesiæ christianæ ordinem.

Nunc in quatuor Capitibus *probabimus* 1°) trinum ordinem unionis hypostaticæ; et 2°) trinum ordinem ac pulchritudinem Ecclesiæ christianæ primo in genere, et secundo in specie consideratæ, ut in eodem ordine completo distinguamus ac conjungamus Christum, qui est Ecclesiæ Caput, et Ecclesiam, quæ est mysticum Christi corpus.

CAPUT I.

PROBATUR TRINUS ORDO UNIONIS HYPOSTATICÆ.

Probatur in septem Propositionibus sequentibus, quarum quinque primæ ad *Jesum Christum* pertinent, ac duæ ultimæ ad *Mariam* et *Joseph*.

Quoad *Christum*, probandæ sunt ejus divinitas, ejus humanitas et unio hypostatica utriusque. Atqui, Christi divinitatem supra demonstravimus in hac Parte n.° 233 et seq. Restat igitur ut probemus 1°) veram Christi humanitatem; 2°) hujus humanitatis cum divinitate unionem in unica Verbi persona; 3°) utriusque naturæ distinctionem et integritatem post unionem hypostaticam; 4°) duplicem voluntatem et operationem, quæ ex hac distinctione sequitur; 5°) centralem Dei-Hominis perfectionem.

Quoad *B. V. Mariam*, probandum est in Propositione 6ª, illam esse Matrem Christi, semper Virginem, vere Deiparam, atque ut talem vere pertinere ad ordinem unionis hypostaticæ.

Quoad *S. Josephum*, probandum est in Propositione 7ª, illum esse virum Mariæ, nutritium Christi patrem, atque ut talem aliquo modo pertinere ad ordinem unionis hypostaticæ.

PROPOSITIO I.

CHRISTUS EST VERUS HOMO.

371. — Christi humanitas, sicut ejus divinitas, *de fide est*, quemadmodum patet ex Conciliis et Symbolis. Etenim, in Symbolo Nicæno-Constantinopolitano professio fidei exhibetur in Filium Dei unigenitum, Patri consubstantialem « qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto, et homo factus est. » — In Symbolo Athanasiano dicitur; « Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est... perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. » — Œcumenicum Concilium Chalcedonense, act. 5, fidem catholicam de Jesu Christo sic enuntiat: « Sequentes igitur sanctos Patres.., constanter omnes docemus eumdem perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. »

§ I.

Probatur Christi humanitas in genere.

372. — **Probatur I.** *Ex Scriptura*, scilicet ex variis nominibus, quibus Christus appellatur

in novo Testamento. A seipso enim frequenter nominatur *Filius hominis.* Ita apud Luc. 19, v. 10: *Venit Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat.* Matth. 16, v. 13: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* — Atqui, Filius hominis dici non potest, nisi ille qui perfectam naturam humanam participat. — Ergo Christus est verus homo.

Nominatur quoque apud Matth. 1, v. 1, et Luc. 1, v. 32, *Filius Davidis;* imo in Act. 2, v. 30, dicitur *fructus lumborum ejus.*

Nominatur expresse *homo,* tum a seipso, Joan. 8, v. 40: *Quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum;* tum a Petro de Christo dicente, Matth. 26, v. 72: *Non novi hominem;* tum a Paulo, 1. Cor. 15, v. 21: *Per unum hominem mors, et per unum hominem* (Christum) *resurrectio mortuorum.* Et, 1. Tim. 2, v. 5: *Unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.*

Nominatur *puer* in Act. 4, v. 27: *Convenerunt... adversus sanctum puerum suum Jesum.* Et tandem dicitur *vir,* Act. 17, v. 31: *Judicaturus est orbem terrarum in æquitate, in viro...,* nempe Jesu Christo.

Omnes illæ denominationes Jesu Christo tributæ, manifestissime testantur ipsum esse verum hominem.

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. **Græcis:** S. Justinus Mart., Apol. 1, n.° 63, de Christo dicit: « Prius quidem Moysi et cæteris prophetis, in specie ignis et imagine incorporea visus est, nunc autem Augusti temporibus ex Virgine homo factus est secundum Patris Voluntatem, pro salute eorum, qui illi credunt. »

S. Ignatius Mart., Epist. ad Smyrn., n.° 4: « In nomine Jesu Christi omnia hæc sustineo, ut illi compatiar; ipse præbet mihi virtutem, qui in veritate homo factus est. »

Clemens Alexand., Cohort. ad Gent., lib. 10: « Nunc apparuit hic ipse (Christus), qui solus est ambo, Deus et homo. »

S. Athanasius, Orat. 3 cont. Arianos, n.° 30: « Filius Dei homo factus est, non in hominem venit, ne forte impii aliqui existiment quemadmodum olim Verbum in unumquemque Sanctorum descendit, ita etiam in hominem venisse ut eum sanctum redderet, quod in aliis contingit. Sed Dei Verbum et Filius hominis fieri non renuit... et cum in fine sæculorum ad destruendum peccatum ex Maria prodiit... hunc dictum est, ipsum carne assumpta, hominem factum esse. »

S. Gregorius Naz., Orat. 40, n.° 46: « Crede Dei Filium, Verbum illud sæculis omnibus antiquius... extremis diebus, hominis quoque filium tua causa factum esse... totum hominem eumdem et Deum, pro toto homine læso, ut tota peccati damnatione rescissa, tibi salutem afferat. »

S. Basilius in Psal. 48, n.° 4: « Ne igitur fratrem in Redemptionem quæras, sed aliquem qui tuam excedat naturam, neque hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum. »

II. **Ex Patribus latinis:** S. Cyprianus, de Idolor. vanit.: « Jesus Christus igitur et est Filius Dei, et Filius hominis, Deus simul et homo. »

S. Ambrosius, lib. 2 de Fide, cap. 9: « Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Intende in eo, nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt divina; quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur. »

S. Augustinus in Enchirid., cap. 13: « Christus Jesus, Dei Filius est, et Deus et homo: Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo: Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum; homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro. »

Probatur III. *Ex ratione theologica.*

Christus est verus homo, si in ipso inveniuntur omnia quæ ad hominis substantiam pertinent, scilicet corpus humanum et anima humana. Atqui, in Christo vere inveniuntur corpus humanum et anima humana. Ergo Christus est verus homo.

Major patet, nam ubi adsunt rei essentialia seu substantialia, ibi quoque manifeste adest res ipsa.

Minor in duobus paragraphis sequentibus probabitur ex divina revelatione.

§ II.

Verbum divinum assumpsit verum corpus humanum.

Est contra Doctas, qui putaverunt Christum assumpsisse corpus fictum seu phantasticum.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

373. — I. Argumentum generale.

Utrumque Testamentum loquitur de Christi origine ex Juda et Davide, de nativitate ac morte ejus, et de omnibus ipsarum circumstantiis. Atqui, hæc omnia essent falsa si Christus reale corpus non habuisset. Ergo habuit.

II. Argumentum particulare.

Novum Testamentum expresse loquitur de carne et ossibus Christi, ita ut corpus ejus potuerit manibus palpari et contrectari. Joan. 1: *Et Verbum caro factum est.* — 1. Joan. 4, v. 2:

Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. — Ibid., 1, v. 1: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris... et manus nostræ contrectaverunt... testamus et annuntiamus vobis.* — Ipse Christus dicit apud Luc. 14, v. 39: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habent, sicut me videtis habere.*

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. **Græcis:** S. Ignatius Mart. Epist. ad Smyrn., n.° 1: « Cognovi vos perfectos in fide immota,... plene persuasos in Dominum nostrum vere existentem de genere Davidis secundum carnem »; et n.° 20: « Vere passus est, sicut et vere semetipsum resuscitavit, non ut quidam infideles dicunt, secundum apparentiam ipsum passum esse. »

S. Irenæus, lib. 5 Adv. hær., cap. 1: « Vani sunt qui dicunt Christum putative apparuisse; non enim putative hæc fiebant, sed in substantia veritatis. Si autem cum homo non esset, apparebat homo, neque veritas quædam erat in eo; non enim illud erat, quod videbatur. »

Origenes ita loquitur in lib. 1 Periarch., cap. 2: « Christus corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solum differens, quod natum est ex Virgine de Spiritu sancto. Et quoniam Jesus Christus natus et passus est in veritate, communi hac morte vere mortuus est, vere etiam a mortuis resurrexit, et post resurrectionem cum discipulis conversatus, assumptus est. »

S. Cyrillus Hieros., Catech. 4, n.° 9: « Crede quod hic unigenitus Dei Filius, propter peccata nostra de cœlo descendit in terram, et earumdem affectionum cum nobis assumpsit humanitatem; non opinione, non phantasia humanitatem assumpsit, sed in veritate. »

II. **Ex Patribus latinis:** Tertullianus, lib. de Carne Christi, cap. 5: « Maluit, crede, nasci quam ex aliqua parte mentiri, et quidem in semetipsum, ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem. »

S. Hyeronymus, Comment. in Matth. 14, v. 26: « Si juxta Marcionem et Manichæum, Dominus noster non est natus ex Virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc Apostoli timent ne phantasma videant... Qui putant, Domini corpus non ideo esse verum, quia super aquas molle et aereum incesserit, respondeant quomodo ambulaverit Petrus, quem utique verum hominem non negabunt. »

S. Augustinus, lib. 83 Quæst., q. 14: « Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non ergo phantasma fuit corpus ejus. »

Probatur III. *Ex rationibus theologicis* desumptis ex S. Thoma 3. q. 5, art. 1, corp.: 1°) « *Ex ratione humanæ naturæ*, ad quam pertinet verum corpus habere. Supposito igitur quod conveniens fuerit Filium Dei assumere humanam naturam, consequens est, quod verum corpus assumpserit. »

2°) « *Ex his quæ in mysterio Incarnationis sunt acta.* Si enim non fuit verum corpus ejus, sed phantasticum, ergo nec veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum quæ Evangelistæ de eo narranl, secundum veritatem gessit, sed solum secundum apparentiam quamdam. Et sic etiam sequeretur, quod non fuerit vera salus hominis subsecuta; oportet enim effectum causæ proportionari. »

3°) « *Ex ipsa dignitate personæ assumentis*, quæ sum sit Veritas, non decuit ut in ejus opere aliqua fictio esset. Unde et Dominus hunc errorem per seipsum excludere dignatus est, Luc. ult., v. 37, cum discipuli conturbati et conterriti, putabant se spiritum videre, et non verum corpus; et ideo se eis palpandum præbuit dicens: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* »

Ibidem inveniuntur objectiones, et responsiones quibus refutantur.

Consectarium. Si Christus verum corpus humanum habuit, sequitur hoc corpus fuisse obnoxium *communibus defectibus*, qui ex naturali corporis humani corruptibilitate resultant, ut sunt fames, sitis, dolor, mors, etc.; non autem *particularibus defectibus*, quibus aliqui tantum homines laborant, ut cæcitas, claudicatio et varii morbi, quia Christi corpus non subjacuit particularibus causis, quibus isti defectus assignantur.

Hæc autem præterita corporis Christi passibilitas *de fide est* contra Incorrupticulas, qui putaverunt corpus Christi, etiam in hac vita, fuisse omnino impassibile. Concilium enim Ephesinum cap. 12, definivit: « Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et mortem carne gustasse, anathema sit. » Et, cap. 13: « Deus namque extra passionem est, sed corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit. » — Item Constitutio Concilii Florentini pro unione Jacobitar.: « Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur et prædicat, quod unus et idem Dei Filius est immortalis et æternus ex natura divinitatis; passibilis et temporalis ex conditione assumptæ humanitatis; ipsum in assumpta humanitate ex Virgine vere passum, vere mortuum. »

§ III.

Verbum divinum assumpsit veram et integram animam humanam, nempe rationalem.

374. — *De fide est* contra Arianos et Apollinaristas, ex locis præcitatis in initio Argumentorum præsentis Propositionis. Ariani dixerunt Verbum divinum non assumpsisse nisi corpus humanum sine anima, cujus vices gerebat divinitas: Apollinaristæ autem docuerunt Christum habuisse animam vegetativam tantum, non animam intellectivam seu rationalem.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) CHRISTO TRIBUITUR ANIMA DISTINCTA A DIVINITATE.

In Psalm. 15, et Act. 20, 27, inducitur Christus dicens Patri: *Non derelinques animam meam in inferno.* — Joan. 10, v. 15: *Animam meam pono pro ovibus meis;* et v. 17: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* — Atqui divinitas non potest a Christo poni et postea reassumi, quia non distinguitur ab ipsa persona Verbi animam ponentis et reassumentis. — Ergo præter divinitatem, habuit Christus aliquam saltem animam humanam; quæ conclusio confutat Arianos.

2°) SCRIPTURA CHRISTO TRIBUIT PASSIONES, QUÆ ANIMAM AFFICIUNT, ET NON SOLUM CORPUS; sic Christus narratur affectus fuisse tristitia, metu, turbatione. Matth. 26, v. 38: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* — Marc. 14, v. 33: *Cœpit pavere et tædere.* — Joan. 11, v. 33: *Infremuit spiritu, et turbavit seipsum;* et v. 35: *et lacrymatus est Jesus.* — Ergo Christus animam habuit sensitivam et non tantum vegetativam.

3°) SCRIPTURA TRIBUIT CHRISTO HUMANUM INTELLECTUM ET HUMANAM VOLUNTATEM, quæ sunt duæ potentiæ proprie pertinentes ad animam rationalem.

Luc. 2, v. 52: *Et Jesus proficiebat sapientia.* Hic agitur de scientia acquisita, seu experimentali, in qua Christus proficere potuit, juxta doctorem angelicum 3, q. 13, art. 2. — Atqui, divinus Intellectus nullo modo perfectibilis est. — Ergo præter divinum Intellectum, Christus habuit intellectum perfectibilem et humanum.

Luc. 22, v. 42: *Non mea voluntas, sed tua fiat;* quibus verbis, voluntas inferior Christi manifeste distinguitur a divina Voluntate. — Philip., 2, v. 8: *Factus obediens usque ad mortem.* Hæc Christi obedientia intelligi nequit, nisi habuerit humanam voluntatem divinæ Voluntati subjectam.

Ergo Christus habuit animam rationalem.

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. **Græcis:** S. ATHANASIUS, lib. 1 adv. Apollinar. n.° 13, dicit existentiam animæ humanæ Christi « in ipsa morte Christi commonstrari, quando corpus quidem usque ad sepulchrum tantum pervenit, anima vero usque ad infernum transmeavit. » — Et n.° 15 ita disserit: « Si vice interioris nostri hominis, cœlestem mentem in Christo fuisse dicatur, quo pacto igitur dolebat, anxius erat, perturbabatur? Hæc autem neque carnis mente carentis, neque immutabilis deitatis fuerunt, sed animæ intelligentia præditæ, dolentis, conturbatæ, anxiæ, quæ intra proprium corpus esse testatus est ipse Christus, cum dixit: *Pono animam meam.* »

S. GREGORIUS NAZ., Ep. 101 ad Cledon. I, n.° 7: « Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profecto est, nec dignus cui omni ex parte salus afferatur. » — Et n.° 8: « At inquit *(hæreticus)* divinitas loco mentis sufficiebat. Quid autem hoc ad me? Divinitas enim cum sola carne homo non est, imo nec cum sola anima, nec cum utraque, si mens absit, quæ etiam magis homo censeri debet. Quamobrem totum hominem retine, ac divinitatem adjunge, ut me plene et perfecte beneficio afficias. » — N.° 11 de Christo sic loquitur: « Ut simili per simile sanctificato, peccati damnationem solvat, profecto quemadmodum carne propter carnem damnatam, et anima propter animam opus habuit, ita etiam mente propter mentem, utpote quæ in Adamo non solum peccaverit, sed et prima affecta fuerit. »

Similia dicunt S. BASILIUS in libris cont. Eunomium, et S. GREGORIUS NYSS. in lib. 1 contra eumdem hæreticum. — Theodoretus, lib. 5, cont. hæres., cap. 11: « Voluit eamdem naturam, quæ victa fuerat, adversarium debellare et victoriam referre; ob eamque causam, et corpus et animam ratione præditam assumpsit. »

II. **Ex Patribus latinis:** TERTULLIANUS, Apolog., cap. 21: « Nascitur homo Deo mixtus; caro spiritu instructa nutritur, et Christus est. »

S. AUGUSTINUS, tract. 47 in Joan. n.° 9 sic confutat Apollinaristas: « Vide absurditatem et insaniam non ferendam! Animam irrationalem eum *(Christum)* habere voluerunt, rationalem negaverunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis. » — Et serm. 237, cap. 4: « Fuerunt qui hinc hæresim facerent, et dicerent quia anima Christi non habuit mentem, non habuit intellectum, non habuit rationem, sed Verbum Dei fuit illi pro mente, pro intellectu, pro ratione. Nolo sic credas. Totum redemit, qui totum creavit; totum suscepit, totum liberavit Verbum. Ibi mens hominis et in-

tellectus; ibi anima vivificans carnem; ibi caro vera et integra; peccatum solum non ibi. »

S. Fulgentius, de fide ad Petr., cap. 24: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem et animam rationalem. »

Probatur III. *Ex rationibus theologicis* desumptis ex S. Thoma 3. q. 5, art. 4, ubi dicit doctor angelicus, errorem Apollinaristarum negantium rationalem Christi animam, ex triplici fonte repugnare.

1°) « *Repugnat narrationi evangelicæ*, quæ commemorat eum fuisse miratum, uti patet Matth. 8, v. 10 *(audiens autem Jesus miratus est)*. Admiratio autem sine ratione esse non potest, quia importat collationem effectus ad causam, dum scilicet aliquid videt effectum cujus causam ignorat et quærit, ut dicitur in principio Metaph. (lib. 1, cap. 2). »

2°) « *Repugnat utilitati Incarnationis*, quæ est justificatio hominis a peccato. Anima enim humana non est capax peccati, nec gratiæ justificantis, nisi per mentem. Unde præcipue oportuit mentem humanam assumi. — Unde dicit Damascenus in lib. 3 (Orthod. fid., cap. 6) quod Dei Verbum assumpsit corpus et animam intellectualem et rationalem. — Et postea subdit: Totus toti unitus est, ut toti mihi salutem largiretur; quod enim inassumptum est, incurabile est. »

3°) « *Repugnat veritati Incarnationis.* Cum enim corpus proportionetur animæ sicut materia propriæ formæ, non est vere caro humana quæ non est perfecta anima humana, scilicet rationalis. Et ideo, si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem, quia per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali. Unde dicit Augustinus in lib. 83 Quæst., q. 80, quod secundum hunc errorem sequeretur, quod Filius Dei *belluam quamdam cum figura humani corporis suscepisset;* quod iterum repugnat Veritati divinæ, quæ nullam patitur fictionis falsitatem. »

S. Thomas ibidem proponit adversariorum objectiones, atque ad eas respondet.

PROPOSITIO II.

NATURA DIVINA ET NATURA HUMANA IN CHRISTO UNITÆ SUNT IN UNICA VERBI PERSONA.

375. — *Est de fide* contra Nestorium, qui in Christo agnoscebat duas naturas et duas personas; quæ hæresis sequenti anathemate in Concilio Ephesino perculsa est: « Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum, unumque esse Christum, eumdem nimirum Deum simul et hominem, anathema sit. » — Præterea in Symbolo Athanasiano confitemur: « Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est;... æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem; qui licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus.... unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. »

Probatur I. *Ex Scriptura*, et quidem duplici argumento, negativo scilicet ac positivo.

I. Argumentum negativum.

In sacra Scriptura, de Christo, ut est Deus, prædicantur humana, et de eodem Christo, ut est homo, prædicantur divina. — Atqui hæc idiomatum communicatio non potest verificari in ulla unionum accidentalium ac moralium, quas finxit Nestorius. — Ergo explicanda est per aliam unionem, quæ non potest esse nisi personalis et hypostatica; non enim in præsenti casu alia datur unio præter illas.

Probatur major. 1° De Christo, ut est Deus, Scriptura prædicat humana. Joan. 1: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* — Philip. 2: *Qui cum in Forma Dei esset,.... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* — Galat. 4: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.*

2°) De Christo, ut est homo, Scriptura prædicat divina. 1. Joan. 1: *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*, etc: — Rom. 9, v. 5: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* — Matth. 16: « *Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi* », quod ipse Christus approbat dicens: « *Beatus es, Simon*, etc. — Joan. 10, v. 30, Verbum incarnatum dicit: *Ego et Pater unum sumus.*

Probatur minor. 1°) Humana, quæ de Christo ut Deo prædicantur, verificari non possunt, neque: a) de unione *inhabitationis*, quia si verificari possent, dicendum etiam foret, quod dum Deus in templo adest, factus est templum; et si ruit templum, destruitur Deus. — Neque b) de unione *gratiæ* per charitatem, quia secus dicendum etiam foret Deum natum esse ex S. Elisabeth, quando hæc parturiit S. Joannem Baptistam; item Christum mortuum esse in omnibus sanctis, in quibus adest per charitatem et gratiam. — Neque c) de unione *operationis*, quia secus dum aliquis Sanctus miraculum pa-

trat, hoc miraculum adscribi posset, non tantum virtuti divinæ supplenti naturalem hominis insufficientiam, sed ipsi ac soli Deo tribuendum esset. — Neque d) de unione *communicationis* divinitatis, quia tunc non solum Verbum fuisset incarnatum, sed etiam Pater et Spiritus sanctus.

Similiter 2°) Divina, quæ Christo ut homini tribuuntur, verificari non possunt de ulla alia unione præter hypostaticam. Si enim de homine Christo, eo quod fuit moraliter unitus divinitati, dici posset quod sit *Verbum vitæ*, et *Filius Dei*, et *super omnia Deus benedictus in sæcula*, et *unum cum Patre*, eadem profecto de B. V. Maria affirmari possent, et quidem in eodem sensu, licet forsitan in gradu inferiori. — Insuper si Verbum in homine Jesu incarnatum non dicitur, nisi per moralem unionem inter utrumque, similiter dicendum est, quod etiam Pater in homine Jesu sit incarnatus, et idem de Spiritu sancto dicendum est, nam et Pater et Spiritus sanctus per gratiam moraliter uniuntur Christo homini.

Ergo stat conclusio, scilicet quod in Christo ambæ naturæ non uniuntur aliqua unione accidentali ac morali, sicut volebat Nestorius, sed uniuntur unione hypostatica, seu personali, cum in præsenti casu, nulla unio excogitari possit præter illas.

II. Argumentum positivum.

Desumitur ex particulis personalibus *Ego, hic, ille*, etc., quibus in Scriptura designatur idem Christus, Deus et Homo. — Atqui, tales particulæ non possunt designare nisi unam tantum personam, et quidem Verbi, in duabus naturis subsistentem. — Ergo duæ naturæ uniuntur in unica persona, et quidem Verbi.

Probatur major. Christus de seipso dicit apud Joan., 8, v. 58: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* — Ibid., cap. 6, v. 38: *Ego... descendi de cœlo.* — Cap. 16, v. 28: *Exivi a Patre, et veni in mundum.* — Cap. 10, v. 30: *Ego et Pater unum sumus.* — Cap. 8, v. 40: *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* — Cap. 10, v. 17: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.*

Probatur minor. In his et multis aliis locis, pronomen *ego* denotat personam loquentem, et quidem unam tantum personam. — Atqui, unica hæc persona sibi vindicat proprietates divinas simul et humanas, scilicet æternitatem, nativitatem a Deo Patre, unitatem cum Patre, descensum de cœlo, et simul loquitur de sua morte; ac cæterum eadem persona aliis in locis Scripturæ dicitur nata, passa, mortua, sepulta. — Ergo oportet ut hæc unica persona sit in natura divina, et simul in natura humana. — Atqui, ipsa non potest esse humana, quia persona humana non potest a Deo Patre exiisse, de cœlo descendisse, unum cum Patre esse, ante Abrahamum exstitisse. — Ergo est divina Verbi persona. Ergo sunt in Christo duæ naturæ, quæ in unica Verbi persona uniuntur.

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. **Græcis:** S. Ignatius Mart., Epist. ad Ephes., n.° 20: « Singuli communiter omnes ex gratia nominatim convenitis in una fide, et uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere Davidis, filio hominis et Filio Dei. »

S. Irenæus, lib. 3 adv. hæres., cap. 10, n.° 2: « Joannes unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra, Jesum Christum. »

S. Athanasius, de Incarn. Verbi, n.° 2: « Homo una persona et unum animal est, ex spiritu et carne compositum, ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam, non duas. »

S. Gregorius Nazianz., Orat. 31, alias 37: « Id quod non erat assumpsit, non duo factus, sed unum ex duabus fieri sustinens; Deus enim ambo sunt: id quod assumpsit, et quod est assumptum; naturæ duæ in unum concurrentes, non duo filii. »

S. Chrysostomus, Epist. ad Cæsarium monach.: « Etsi enim *(in Christo)* duplex natura, verumtamen indivisibilis;... unitio in una filiationis confitenda persona, et una subsistentia. »

S. Cyrillus Alex. tria opera contra Nestorium conscripsit quibus tituli sunt: *Quod Christus unicus est; Anathemata; De recta fide.* — Atqui, in libris illis nobiscum citat plures antiquos Patres qui Nestorio adversantur ante exortam ejus hæresim. — Ergo liquet unitatem personæ Christi fuisse a primis Ecclesiæ sæculis traditam.

II. **Ex Patribus latinis:** S. Ambrosius, de Incarnat. Dom. sacram., cap. 5: « Non alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. »

S. Hieronymus adv., Helvid. n.° 19: « Natum Deum esse de Virgine credimus. »

S. Augustinus, tract. 49 in Joan., n.° 18: « Anima et caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est.

Probatur III. *Ex impiis Nestorianismi consectariis.*

Detestanda enim ista hæresis 1°) *Destruit unitatem Christi*, quæ consistit in mutua utriusque naturæ communicatione inter se. — Atqui, talis communicatio non est possibilis, si persona humana in Christo adsit, quia duæ personæ naturâ diversæ nequeunt naturâ communicare, sicut patet. — Ergo persona humana in Christo non adest, sed tantum persona di-

vina, in qua uniuntur natura divina et natura humana.

2°) *Destruit mysterium Incarnationis Verbi;* nam unio moralis duarum naturarum in duabus personis non est factum singulare, nec tam magnum mysterium. Ergo Verbi incarnatio explicanda est per aliam unionem, quæ est unio hypostatica.

3°) *Destruit condignam pro peccato salisfactionem,* quam Deo per mortem suam præstitit Verbum incarnatum. Nam in Nestorii hypothesi, divina Verbi persona, quæ potuisset pretium infiniti valoris Deo offerre, nec dolori nec morti obnoxia fuisset; humana autem Christi persona, quæ pati potuit et mortem pro nobis subire, nunquam potuisset parem peccato satisfactionem præstare.

4°) *Destruit cultum latriæ, quem Jesu Christo debemus.* Nam si Nestorianismus verus esset, sequeretur idololatras esse omnes, qui Christum natum et crucifixum adorant; homini enim, qui alius esset a Verbo, cultum latriæ exhiberent soli Deo debitum. Hoc autem semper egerunt omnes penitus Christiani, etiam ii, quos decepit Nestorius. Ergo omnes omnium temporum Christiani forent idololatræ.

PROPOSITIO III.

NATURA DIVINA ET NATURA HUMANA IN CHRISTO MANSERUNT DISTINCTÆ AC INTEGRÆ POST SUAM UNIONEM.

376. — *De fide est* contra Eutychetem, qui unitatem quidem personæ in Christo agnovit, sed duas Christi naturas negavit, asserendo humanam naturam fuisse a divina absorptam. Ipse enim in Concilio, quod congregavit S. Flavianus Papa, suam hæresim his verbis expressit: « Ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam naturam confiteor. » — Damnatus est in concilio Chalcedonensi, quod fidem catholicam professum est, definiendo esse « unum eumdemque Christum... in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente. »

Eadem fides confirmata est sequenti anathemate in Concil. Constantin. II, can. 8: « Si quis ex duabus naturis deitate et humanitate confitens unitionem factam fuisse, vel unam naturam Verbi Dei incarnatam dicens, et non sic has voces intelligit sicut sancti Patres docuerunt, quod ex divina natura et humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus factus est, sed ex hujusmodi vocibus unam naturam sive substantiam deitatis et carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit. »

Probatur I. *Ex Scriptura.*

In Libris sacris de uno eodemque Christo prædicantur *proprietates ac operationes divinæ,* et simul *proprietates ac operationes humanæ.* — Atqui, nisi hæc falsa sint, quod dici nequit, indicant naturam divinam et naturam humanam ita in Christo esse unitas, ut distinctæ et integræ permaneant. — Ergo stat propositio. Etenim natura est complexio proprietatum essentialium rei, et formale principium, quo res est et operatur. — Ergo cum Scriptura prædicat de Christo proprietates ac operationes divinas simul et humanas, manifeste indicat in Christo unitas esse divinam naturam et humanam naturam, distinctas et integras.

Probatur major. 1°) QUOAD PROPRIETATES.

a) Idem Christus dicitur ab æterno natus ex Patre, et in tempore natus ex Maria. Joan. 1: *Deus erat Verbum.... et Verbum caro factum est.* — Galat. 4, v. 4: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.*

b) Christus dicitur Patri consubstantialis, et tamen illi inferior. Joan. 10, v. 30: *Ego et Pater unum sumus,* et cap. 14, v. 28: *Pater major me est.*

c) Christus affirmat se esse simul in cœlo et in terra. Joan. 3, v. 13: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

2°) QUOAD OPERATIONES. a) De Christo prædicantur operationes humanæ, nam Christus defatigatus est, manducavit, bibit et mortuus est, sicut passim in sanctis Evangeliis narratur.

b) Prædicantur operationes divinæ, nam Christus affirmat se eodem modo, quo Pater operari; Joan. 5, v. 18: *Pater usque modo operatur, et ego operor.* Et revera multa patravit miracula virtute propria ac nomine proprio, quod solius Dei est; verbi gratia quando paralyticum sanavit apud Joan. 15. — Deinde in Joan. 16, v. 7, promisit se ipsum missurum esse Spiritum sanctum, quæ missio soli personæ divinæ propria est, cum nulla Trinitatis persona mitti possit, nisi ab ea ex qua procedit.

c) De Christo prædicantur operationes divinæ simul et humanæ. Joan. 8, v. 40: *Quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum,* id est, qui veritatem vobis locutus sum ut Deus, nam quemadmodum scriptum est apud Matth. 7, v. 29: *Erat docens eos sicut*

potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi. — Philip. 2, v. 6: *qui cum in Forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.*

Probatur II. *Ex Patribus,* scilicet I. **Ex iis, qui usque ad Eutychetem, docuerunt distinctionem duarum naturarum in Christo** et quorum testimonia allegata sunt in Concilio Chalcedonensi contra Eutychetem.

Scilicet 1°) **Apud Græcos.** S. Ignatius mart. ad Ephes., cap. 7, n.° 3: « Medicus unus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus existens, in morte vera vita, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et nunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster. »

S. Gregorius Naz., orat. in Christi nativ.: « Missus est quidem, sed ut homo; duplex enim erat in eo natura. »

S. Cyrillus Alex., Epist. 2 ad Nestor.: « Neque enim dicimus Verbi naturam, per sui mutationem, carnem esse factam; sed neque in totum hominem transformatam ex anima et corpore constitutum. Asserimus autem Verbum, unita sibi secundum hypostasim carne animata per rationalem animam, inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum, et hominis filium exstitisse.... Et quamvis naturæ sint diversæ, vera tamen unione coeuntes, unum nobis Christum et Filium effecerunt; non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit, sed quod divinitas ac humanitas secreta quadam ineffabilique conjunctione in una persona, unum nobis Jesum Christum et Filium constituerunt. »

S. Chrysostomus in Psalm. 44, n.° 4: « Neque enim *(Psalmista)* carnem dividit a divinitate, neque divinitatem a carne, non substantias confundens, absit, sed unionem ostendens... Quando dico eum fuisse humiliatum, non dico mutationem, sed humanæ susceptæ naturæ demissionem. » — Et in Homil. de Ascens.: « Sociavit utramque naturam. »

2°) **Apud Latinos.** Tertullianus, de Carne Chr., n.° 5: « Utriusque substantiæ census hominem et Deum exhibuit, hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritualem; hinc morientem, inde viventem. »

S. Hilarius, lib. 9 de Trinit. n.° 3: « Nescit plane vitam suam, nescit qui Christum hominem ignorat. »

S. Ambrosius, lib. 2 de Fide, cap. 4.°: « Servemus distinctionem divinitatis et carnis; unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. »

S. Augustinus, lib. 1 de Trinit., cap. 7, n.° 14: « Neque enim illa susceptione, alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est; nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas; nec creatura in divinitatem, ut desisteret esse creatura. »

II. **Ex iis Patribus, qui catholicam fidem contra Eutychetem præcipue propugnaverunt,** quales sunt S. Leo Papa, Theodoretus, Boetius, S. Joannes Damascenus. Sufficiat indicare tria puncta, ad quæ reducitur earum doctrina contra Monophysitas.

1°) Observant sacram Scripturam diversa quædam et secum pugnantia affirmare de eodem Christo; et concludunt, hæc nullo modo conciliari posse, nisi alia divinæ naturæ tribuantur, et alia humanæ naturæ.

2°) Asserunt Incarnationis mysterium in eo maxime a Trinitatis mysterio discrepare, quod in Verbo incarnato sunt duæ naturæ et unica hypostasis; dum in divina Trinitate est unica natura et tres hypostases.

3°) Docent Christum constare integra humanitate, scilicet corpore et anima rationali, sicut constat simul divinitate integra.

Probatur III. *Ex rationibus theologicis.*

1°) Ex præcedentibus.

Quemadmodum supra probavimus, Christus post utriusque naturæ unionem consideratus, est verus Deus et simul verus homo, inquantum habet veram animam rationalem et verum corpus ex B. V. Maria. — Atqui, Deus constituit veram divinitatem, et homo veram humanitatem. — Ergo Christus habet divinam naturam integram, et humanam naturam integram.

2°) Ex impio Monophysismi consectario.

Hanc rationem desumpsimus ex S. Alphonso, Triomphe de l'Egl., T. III, chap. VIII, art. 1, § 3. Sancti doctoris verba in linguam latinam vertimus: « Si post Incarnationem, humana natura in Christo fuisset a divinitate absorpta, sicut contendunt Eutychiani, totum Redemptionis nostræ mysterium hoc ipso everteretur; nam in isto casu, ex duobus necessario eligendum est: vel negandæ sunt passio et mors Jesu Christi, vel affirmanda est divinitas passionem ac mortem subiisse, quod repugnat rationi solo lumine naturali illustratæ. »

3°) Ex impossibilitate adunationis duarum naturarum in natura divina.

Confer S. Alphonsum, loco cit.: « Si unica tantum natura permansit in Christo post incarnationem, hoc factum est, vel quia una duarum naturarum est in alteram transmutata; vel quia ambæ ita inter se mixtæ ac confusæ sunt, ut unam tantum efformarent; vel quia ambæ, sine

confusione unitæ, tertiam aliquam naturam efformaverunt, eodem modo, quo natura humana resultat ex unione animæ et corporis. — Atqui nihil tale fieri potuit in Incarnatione. — Ergo natura divina et natura humana integræ in Christo permanserunt, singulis servantibus suas proprietates. »

Probatur major. « Etenim a) Fieri non potuit, quod una naturarum fuerit in alteram transmutata; nam tunc ex duobus alterum: vel divina natura in humanam transmutata est; sed tam fidei quam rationi naturali repugnat, quod divinitas sit mutationi obnoxia, vel minimæ; vel humana natura a divina natura fuit absorpta, et in eam mutata; et tunc dicendum esset, quod in Christo divinitas fuerit nata, passa, mortua atque resurrexerit, quod similiter fidei ac rationi repugnat, cum divinitas sit æterna, impassibilis, immortalis et immutabilis. »

« Præterea, si divinitas passa et mortua est, etiam Pater et Spiritus sanctus ideo passi et mortui sunt, quia Pater et Spiritus sanctus sunt eadem divinitas. »

« Insuper, si divinitas concepta ac nata est, B. V. Maria igitur Jesum Christum non concepit nec peperit secundum naturam sibi consubstantialem, et consequenter non amplius potest Dei mater appellari. »

« Tandem, si humanitas in Christo absorpta fuit a divinitate, Christus non potuit esse Redemptor noster, nec novi fœderis Mediator et Pontifex, quia hæc munera requirunt preces, oblationes et humiliationes, quæ cum divinitate incompatibiles sunt. »

« Ergo nullatenus dicere fas est, humanam Jesu Christi naturam fuisse conversam in divinam naturam; et multo minus, divinam naturam fuisse mutatam in humanam naturam. »

b) « Fieri non potuit, quod ambæ naturæ fuerint inter se mixtæ et confusæ, ut unam tantummodo naturam in Christo efformarent; nam in hoc casu, divinitas mutationem aliquam subiisset, atque facta fuisset res nova. Imo, nulla in Christo fuisset divinitas, nec humanitas, sed aliqua natura, quæ nec divina foret nec humana; et consequenter Christus non amplius esset verus Deus, nec verus homo. »

c) « Nec fieri potuit, quod ambæ naturæ, prius inconfusæ, et distinctæ, deinde inter se unitæ, efformaverint tertiam aliquam naturam utrique communem. Hæc enim communis natura esse non potest nisi composita duabus partibus, quæ per suam unionem, mutuo se perficiunt; secus si una partium seipsam alteri uniendo, aliquid perfectionis amittat potius quam acquirat, non manebit perfecta sicut erat prius. — Atqui, in Christo natura divina nullam perfectionem ab humana natura accepit, et nullam perfectionem amittere potuit, sed tam perfecta mansit, quam prius erat. — Ergo cum humana natura non constituit tertiam aliquam naturam utrique communem. »

« Præterea, natura communis non componitur nisi duabus partibus, quæ mutuam unionem naturaliter exigunt, sicut contingit in unione corporis et animæ. — Atqui, hoc non potest in Christo fieri, in quo humana natura non exigit naturaliter unionem cum Verbo, sicut nec Verbum exigit unionem cum natura humana. — Ergo stat eadem conclusio. »

PROPOSITIO IV.

DUPLEX EST IN CHRISTO VOLUNTAS ET OPERATIO.

377. — *De fide est* contra Monothelitas, qui duas in Christo *naturas* agnoscebant, sed inconsequenter unam tantum *voluntatem* in eo admittebant, nempe divinam, quæ naturæ humanæ potentias movebat, atque ad divinas suas operationes applicabat, velut inanime ac passivum instrumentum.

Sed Concilium Constantin. III, postquam professus est duas in Christo naturas, adjicit: « Et duas voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam; et duas naturales non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt hæretici; sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinæ ejus atque omnipotenti Voluntati. »

Duplicem Christi operationem jam probavimus n.° 376. Superest ut demonstremus duas in eo voluntates.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

I. Ex illis textibus, quibus Christus voluntatem suam expresse distinguit a Patris sui Voluntate.

Joan. 6, v. 24: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed Voluntatem ejus qui misit me.* Et cap. 5, v. 30: *Non quæro voluntatem meam, sed Voluntatem ejus qui misit me,* — Matth. 26, v. 39: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu,* vel ut apud Luc. 22, v. 42: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* — Atqui, hæc voluntas Christi, distincta a Patris Voluntate, non potest esse nisi voluntas humana, nam divina

Voluntas est eadem in Patre et in Filio. — Ergo stat Propositio.

Nota nullam ex his textibus erui posse contrarietatem inter divinam Christi Voluntatem et humanam, in qua distinguendæ sunt voluntas superior et voluntas inferior. Voluntas *superior* seu rationis, appetit bonum universale tanquam finem ultimum, et bona particularia tanquam media ad finem; fugit autem mala tanquam obstacula ad finem ultimum. Voluntas *inferior* seu sensibilitatis, naturaliter appetit bona particularia vitæ corporali ac sensibus proficua, et fugit mala vitæ corporali ac sensibus nociva. — Atqui, nulla fuit in his Christi voluntatibus contrarietas, sive ad invicem, sive ad divinam Voluntatem referantur.

Etenim ad voluntatum contrarietatem requireretur, ut eadem res appeteretur et simul fugeretur sub eodem respectu. Porro hoc non fuit in prædictis Christi voluntatibus *ad se invicem relatis;* nam voluntas ejus inferior mortem et dolores naturaliter fugiebat tanquam mala vitæ corporalis et sensuum, dum voluntas superior hæc appetebat, non tanquam bona vitæ corporali et sensibus, sed tanquam bona ad humanum genus redimendum. — Neque hoc fuit in utraque humana Christi voluntate ad *divinam Voluntatem relata;* nam superior voluntas erat divinæ Voluntati conformis, volendo per Passionem ac mortem homines salvare; præterea inferior voluntas erat voluntati superiori et Voluntati divinæ conformis, quia Passionem non fugiebat secundum naturalem suam inclinationem, nisi quantum permitterent Voluntas divina et voluntas superior.

Ergo nulla exstitit contrarietas inter superiorem et inferiorem Christi voluntatem, neque inter utramque et divinam Voluntatem.

II. **Probatur ex textibus, quibus exprimitur Christi obedientia erga Patrem suum.**

Psalm. 39 et Hebr. 10, v. 7: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem Voluntatem tuam; Deus meus, volui.* — Joan. 4, v. 39: *Meus cibus est ut faciam Voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* — Philip. 2, v. 8: *Factus obediens usque ad mortem.* Ibi manifeste declaratur Christi obedientia erga Patrem suum.

Atqui, obedientia est subjectio voluntatis sub voluntate præcipientis. — Ergo præter divinam Voluntatem, erat in Christo voluntas capax hujus subjectionis, scilicet voluntas humana.

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. ARGUMENTUM DIRECTUM.

In Concilio Constantin. III multa recitata sunt Patrum anteriorum testimonia, ita ut constet Monothelismum toti traditioni adversari. — Præterea multa argumenta particularia ex his Patribus desumpta sunt contra Monothelitas a Sanctis Agathone, Sophronio, Maximo et Joanne Damasceno. — Citare sufficiat paucos textus, quibus clare probatur duplex Christi voluntas et duplex operatio.

S. ATHANASIUS, de Incarnat. et cont. Arian., n.° 21, in hæc verba Marc. 14, v. 36: *Abba, Pater!... transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu,* ait: « Duas voluntates hic ostendit: humanam quidem, quæ est carnis, alteram vero divinam; humana enim, propter carnis imbecillitatem recusat Passionem, divina autem ejus Voluntas est prompta. »

S. AUGUSTINUS, lib. 2 cont. Maxim., dicit in eumdem locum: « In hoc quod ait: *Non quod ego volo,* aliud se ostendit voluisse quam Pater, quod nisi humano corde non potuisset;... nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle quam Pater. »

S. AMBROSIUS in Luc. 22: « Quod autem ait: *Non mea voluntas, sed tua fiat,* suam ad hominem retulit, Patris ad divinitatem; voluntas enim hominis, temporalis; Voluntas divinitatis æterna. »

S. LEO, Epist. 10 ad Flavian., cap. 4: « Qui verus est Deus, idem verus est homo; et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo deitatis;... agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. »

II. ARGUMENTUM INDIRECTUM.

Patres Monothelismum indirecte impugnaverunt duobus modis: 1°) quando contra Eutychetem, ex diversis operationibus probant duas esse in Christo naturas integras et perfectas; 2°) quando contra Apollinaristas, ex humana Christi voluntate probant esse in illo animam rationalem. — Ex hoc utroque fundamento manifestum est, Patres in Christo agnovisse humanam voluntatem cum suis operationibus.

Probatur III. *Ex rationibus theologicis.*

1°) EX HOC, QUOD VOLUNTAS SEQUITUR NON PERSONAM QUÆ AGIT, SED NATURAM QUA PERSONA AGIT; atqui, Christus assumpsit perfectam naturam humanam, sicut supra probatum est; ergo et voluntatem humanam. — Ex altera parte, Christus nihil divinitatis amisit in Incarnatione, et proinde retinuit divinam Voluntatem. Ergo habet duas voluntates, divinam scilicet ac humanam.

Præterea operationes sequuntur potentias. Atqui in Christo sunt duæ potentiæ volendi. Ergo et duæ volitiones seu operationes.

Conf. S. Thomam, 3. q. 18, art. 1 et q. 19, art. 1.

2°) EX ARGUMENTO S. MAXIMI CONTRA PYRRHUM: « Si una tantummodo est Christi gene-

ratio, eaque divina, nonnisi Deus est. Si humana, non Deus, sed nudus est homo. Si composita, aut neutra, Christus nec Deus erit, nec homo; aut certe eadem actio est creata simul et increata; nihil enim est inter hæc duo medium, nec fieri potest ut una et eadem operatio divina simul sit et humana. » — Atqui, neutrum ex his tribus dici potest. — Ergo oportet in Christo distinguere duas operationes, divinam videlicet ac humanam.

3°) Ex hoc, quod Verbum assumpsit quod sanandum erat.

Atqui, sananda erat humana voluntas in suis operationibus, nam læsa fuerat operando. Ergo Verbum illam assumpsit, et quidem juxta illius principia agendi. Ad hæc S. Joannes Damasc. in Orat. de duab. Chr. volunt.: « Si non assumpsit humanam voluntatem, ait, remedium ei non attulit, quod primum sanciatum erat. Quod enim assumptum non est, nec est curatum, ut dicit Gregorius Theologus (*Nazianzenus*). Et quid enim offenderat, nisi voluntas? »

4°) Ex fine Incarnationis, qui fuit mereri et satisfacere pro nobis. — Atqui meritum et satisfactio esse non possunt sine voluntate creata, et proin sine actibus ab ea exercitis. — Ergo ad finem Incarnationis attingendum, necessaria fuit voluntas humana et operatio humana.

PROPOSITIO V.

CHRISTUS, DEUS-HOMO, EST MEDIUM UNIVERSUM, IN QUO CONVENIUNT ORDO INCREATUS ET TOTUS ORDO CREATUS.

Jesus Christus, *inquantum est Verbum Dei*, est medium Ordinis increati, seu divinæ Trinitatis; *inquantum est homo*, medium tenet totius ordinis creati, cum in ipso conveniant creaturæ mere spirituales ac superiores, et creaturæ mere corporales ac inferiores; *inquantum est personaliter Deus-Homo*, Christus medium tenet inter Ordinem increatum et totum ordinem creatum, quia uterque ordo harmonice in ipso conveniunt et uniuntur; nam in ordine naturæ, Christus homo est totius mundi compendium, et in ordine supernaturali, totum mundum in seipso elevat ad fastigium gratiæ et gloriæ, quod ipse occupat. Unde sublimiter dicit Scriptura omnia in Christo recapitulari atque post peccatum instaurari, et sicut vidimus in Parte I, n.° 156 et 157, Christum, ut hominem, esse Caput totius Ecclesiæ, ac Mediatorem Dei et hominum.

§ I.

Omnia in Jesu Christo recapitulantur.

Probatur ex Scriptura et Patribus.

378. — I. **Hujus enim assertionis fundamentum est textus græcus ad Ephesios, 1, v. 10,** in quo dicitur Deus sibi, in mysterio Incarnationis Filii sui, proposuisse *recapitulare* ἀνακεφαλαιώσασθαι, *omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt.* Porro juxta multos Patres et Doctores, omnia in Christo recapitulata sunt, quia, sicut dicit Cornelius a Lapide in hunc locum, « in natura humana omnes res et rerum species ac gradus, quasi in summa continentur. Unde homo dicitur *microcosmos*, ac consequenter cum Verbum divinum humanam naturam assumpsit, tunc quasi res omnes in summam redactas sibi conjunxit, et ad se quasi ad Auctorem et primam originem, ad Verbum scilicet, quo creata sunt, revocavit, sicque Incarnatione sua Christus magnam rebus omnibus attulit dignitatem, omnesque quasi deificavit. »

Similiter Suaresius, de Incarn., disp. 3, sect. 3, ait: « Ex hoc mysterio *(Incarnationis)* ad omnes creaturas quædam peculiaris dignitas redundavit, quia in natura hominis omnes res creatæ quodammodo continentur; et ideo assumendo illam naturam, omnes creaturas quodammodo Deus sibi specialiter copulavit... Atque mysterium hoc multi existimant indicatum esse a Paulo, cum dicit ad Ephes., 1, omnia esse in Christo instaurata, nam verbum græcum *recapitulare* significat, ut ibi Hieronymus notavit... Hac etiam ratione, in Scriptura nomine *universitatis* interdum homo significatur, ut notavit Gregorius Moral., 6, cap. 7 et 8; Damascenus, lib. 2, cap. 12. Ergo eadem ratione possunt dici omnia instaurata per hoc mysterium, propter novam dignitatem et excellentiam omnibus collatam. »

Supra n.° 348, citavimus Patres, Doctores et philosophos, qui hominem considerant ut *Microcosmum*. Nunc allegabimus testimonia Patrum, qui prædictam recapitulationem docent.

II. **Apud Græcos:** S. Irenæus, contra hæres., lib. 3, cap. 16, n.° 6: « Unus igitur Deus Pater, quemadmodum ostendimus, et unus Christus Jesus Dominus noster, veniens per universam dispositionem, et omnia in semetipso recapitulans. In omnibus autem est et homo, plasmatio Dei; et hominem ergo in seipso recapitulat, invisibilis visibilis factus, et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et impassibilis passibilis, et Verbum homo, universa in semetipso recapitulans; uti, sicut in supercœ-

lestibus et spiritualibus et invisibilibus princeps est Verbum Dei, ita et in visibilibus et corporalibus principatum habeat, in semetipso principatum assumens, et apponens semetipsum Caput Ecclesiæ, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore. »

S. Joannes Damascenus, Orat. de Transfigur. Domini, sub finem: « Patris enim benigna Voluntate, Unigenitus ejus ac Verbum incarnatus est; benigna Patris Voluntas in Unigenito Filio salutem orbis universi operata est; benigna Patris Voluntas in Unigenito Filio res universas colligavit. Etenim, cum homo sit minor mundus, in se nodum ferendo substantiæ omnis, tam visibilis quam invisibilis, hocque et illud existendo (ὤν), revera bona Voluntas Domini, Creatoris et Gubernatoris rerum omnium decrevit, ut in Unigenito et consubstantiali Filio suo, divinitatis ac humanitatis, et per hanc conditarum rerum cunctarum connexio fieret, *ut sit Deus omnia in omnibus* (1. Cor. 15, v. 28). » — Et alibi, Patrol. gr., T. 96, p. 662: « Per eum *(Christum)* siquidem Creator naturam universam media humanitate in melius commutavit. Cum enim homo media inter mentem et materiam sede constitutus, rerum omnium conditarum, tum visibilium, tum invisibilium, nodus vinculumque sit, profecto rerum Artifex Deus Verbum naturæ humanæ copulatum, ejus beneficio creaturæ universæ unitum fuit. »

III. **Apud Latinos:** S. Hilarius in Card. Pitra Spicileg., T. 1, p. 102: « *Et instaurare, vel potius recapitulare omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, et quæ in terra, in ipso.* — Recapitulatio evidenter dicitur multorum sensuum velox resumptio. Quod autem vult dicere tale est: Universitatis Deus fecerat quidem omnem creaturam, quasi unum quoddam corpus ex multis compositum membris, tam rationabilium ordinum, quam sensibilium. Fabricavit autem animal unum, id est hominem, qui et ad invisibiles naturas propinquitatem sibi omnia vindicaret, et visibilibus naturis corpore jungeretur. Ex quatuor enim integris elementis, terra et aere, et aqua, et igne corpus composuit nostrum. Et quasi quoddam amicitiæ pignus totius creaturæ fecit esse hominem, utpote omnibus in eo coadunatis... Omnia ergo, tam illa quæ in cœlis sunt, quam quæ super terram, instauravit, vel potius recapitulavit in Christo, quasi quamdam compendiosam renovationem et redintegrationem totius faciens creaturæ per eum. Faciens enim incorruptum corpus et impassibile per resurrectionem, et reddens illud ad immortale suæ animæ, ita ut ultra ad illud separari non possit corruptum, universæ creaturæ vinculum amicitiæ visus est condonasse. Quod et multo amplius in ipso factum est, omni creatura ad illud inspiciente, propter inhabitantem Deum Verbum, dum divina in illum natura ab omnibus per hanc existimatur intueri. — Hanc ergo *capitulationem omnium* vocavit, eo quod omnia collecta sunt in unum, et ad unum quoddam inspiciunt, concordantes sibi; eo quod hanc intentionem olim Opifex habuit, et ad hoc omnia a principio construxit, quod nunc implevit cum multa facilitate in illis, quæ erga Christum exstitisse videntur. Hoc autem in futuro sæculo erit, quando homines cuncti, necnon et rationabiles Virtutes ad illum inspiciant (1. Pet., 1, v. 12), ut fas exigit, et concordiam inter se pacemque firmam obtineant. »

S. Hieronymus in Epist. ad Ephes., cap. 1, v. 10: « *Secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, recapitulare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt in ipso.* — Pro *recapitulare*, in latinis codicibus scriptum est *instaurare*. Et miror cur ipso verbo græco non usi sunt translatores, cum istiusmodi licentiâ, dialectica et philosophia, sicut in græco habentur, assumptæ sint. Nam et oratores in epilogis, vel ante epilogos, in fine causarum propter memoriam judicum et eorum qui audiere negotia, recordationem, id est ἀνακεφαλαίωσιν, solent facere, ut quæ prius latius disputarant, brevi postea sermone comprehendant, et unusquisque recordari eorum incipiat quæ audivit. Sensus itaque in præsenti loco est iste: Omnis dispensatio, quæ et ante mundum, et postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium quam visibilium creaturarum, adventum Dei Filii pollicebatur. — Quod Adam, qui de paradiso ejectus est, per Salvatorem revocandus erat (Genes., 39...); quod Isaac in typo Domini, crucem suam ipse portavit (Genes., 22); quod Samson sanctam comam nutriens, Dalilæ pauperis dilexit amplexus, et omnia cordis sui secreta confessus est, (Judic., 16), Salvatoris et Ecclesiæ, ex Gentibus vere pauperis et egenæ, mysterium significabat. In cruce itaque Domini, et in passione ejus recapitulata sunt omnia, id est omnia in hac ἀνακεφαλαιώσει supputata... Diligenter attendite, quod non solum omnes historiæ Scripturarum, quas in terra gestas Spiritus sanctus enumerat, sed etiam in cœlestibus quæ nobis occultæ sunt, in Christi recapitulata passione teneantur. »

Ergo juxta S. Hieronymum, Christus omnia in seipso recapitulat, etiam in ordine morali et historico, sicut concludit Cornelius a Lapide in Ephes., 1, v. 10: « Sic ergo Christus fuit Caput et recapitulatio omnium operum Dei visibilium

et invisibilium: omnia enim Christi adventum præsignaverunt, vel ad eum directa sunt et diriguntur, omnesque eorum dotes, gratias, perfectiones unus in se complectitur Christus; ut, si Christum intuearis, non sit quod scruteris et recorderis alicujus veterum Patrum, aut gestorum, aut alicujus operis Dei; omnia enim tibi exhibet Christus. Quæcumque olim gesta sunt in cœlo et in terra; quæcumque in eis sunt vel fuerunt; quidquid in Mose, Josue, Abrahamo, Davide, omnibusque veteribus historiis, regibus, prophetis, patriarchis, excellens est et laude dignum; quidquid gratiæ, quidquid virtutis, quidquid præclare dictum; quidquid heroice gestum; si quid in lege est memorabile; si quid in templo Salomonis speciosum; si quid in sacrificiis Deo gratum; imo si quid inter cœlestes spiritus est sanctum, gloriosum, illustre; id multo excellentiori ratione, breviorique compendio habemus in Christo. Ita *Hieronymus, Chrysostomus* et *Theophilactus*. »

Supra n.° 152, ostendimus ex *Suaresio*, quot modis Incarnatio Verbi contulerit ad totius mundi perfectionem, etiam præter hominis lapsi reformationem.

§ II.

Omnia in Jesu Christo instaurantur, quæ peccato collapsa erant.

379. — Juxta litteralem sensum et communiorem interpretationem, instauratio vel recapitulatio rerum cœlestium et terrestrium, de qua loquitur S. Paulus, *intelligitur de restauratione seu reformatione lapsi hominis et Ecclesiæ.*

Quem sensum sic exponit Cornelius a Lapide: « Proposuit Deus omnes homines et angelos, cum inter se admodum essent disjuncti, imo inimici (propter hominis peccatum), unire et ad unum Caput Christum revocare et conjungere; Christum enim dedit Caput super omnem Ecclesiam, ut ait ad Eph., v. 22. Et hinc cap. 2, v. 19, infert: *Ergo, jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei.* Scilicet Christus nos revocavit ad societatem angelorum, ut eorum simus fratres et cives cœlestes in eadem Dei domo, id est Ecclesia, sub eodem Duce et Capite, qui est ipsemet Christus. »

« Hic sensus genuinus est. Ita Chrysostomus, Theophilactus, Anselmus, imo et S. Augustinus Enchirid. 62, qui legit et explicat nostrum *instaurare*. « In Christo, inquit, instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur. » Instaurat ergo Christus ea quæ in cœlis sunt, cum sedes gloriæ, dæmonum lapsu vacuas, et numerum angelorum hoc eodem lapsu imminutum, per homines instaurat et implet; cum, ut ait S. Gregorius, lib. 31 Moral., cap. 35: « Illuc humiliati homines redeunt, unde apostatæ angeli superbiendo ceciderunt; » sicque homines et Angelos ad unam domum, scilicet Ecclesiam, et ad unum Caput revocat. »

« Dissociata enim et divisa per Adæ peccatum erat hæc Ecclesiæ domus, et uno pariete, angelorum scilicet societate, integro et perfecto, inquit Chrysostomus, paries alter corruerat; nos scilicet homines ab Ecclesia et societate Angelorum, collapsi eramus in societatem jugumque dæmonis. Christus ergo hunc domus parietem; id est nos homines, Ecclesiæ restituit, sicque totam domum, scilicet Ecclesiam angelorum et hominum, restauravit, ut jam una ex utrisque integra, uti ante lapsum Adæ fuerat, et perfecta sit domus, sibi quasi Capiti et lapidi angulari devincta, astricta et unita; hoc enim significat græcum ἀνακεφαλαίωσασθαι, id est recapitulare. »

PROPOSITIO VI.

B. MARIA EST MATER CHRISTI, SEMPER VIRGO, VERE DEIPARA, ATQUE UT TALIS PERTINET AD ORDINEM UNIONIS HYPOSTATICÆ.

Hanc Propositionem probabimus in tribus paragraphis.

§ I.

B. Maria est vera Christi mater, et semper virgo.

380. — **Prænotanda.** I. Nunc non agitur de maternitate divina B. V. Mariæ, sed *de conceptione hominis Christi ex substantia B. Virginis, per operationem Spiritus sancti.* Hæc Christi conceptio habet quædam cæteris conceptionibus communia, et quædam ipsi propria.

1°) *Communia* sunt: a) quod intrinseca illius principia, ex parte prolis Christi, sunt verum corpus humanum et vera anima humana; b) quod ex parte matris Mariæ, omnia adfuerunt, quæ necessaria sunt ad maternam et humanam filii generationem. Si enim aliquid ex necessariis defuisset, ex una parte vel altera, non fuisset vera conceptio, nec proin B. Maria vere ac proprie mater Christi fuisset effecta.

2°) *Propria* sunt quod B. Maria concepit sine ullo Virginitatis ejus detrimento, quia nullius

viri consortio, sed Spiritus sancti operatione facta est Christi conceptio. Adjungendum est B. Mariam mansisse virginem post Christi partum, et notandum illam fuisse virginem, non tantum quoad corpus, sed etiam quoad animam, ita ut perpetuo ac omnimode sit Virgo.

II. Utraque Pars Propositionis *est de fide* ex symbolo apostolico, ubi de Christo dicitur: « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine » — Item ex Nicæno: « Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. » — Et ex Athanasiano: « Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo est ex substantia Matris in sæculo natus. »

Est etiam de fide ex Conciliis, quorum duo citare sufficiat. Nempe Concil. Lateran. I, can. 3: « Si quis secundum sanctos Patres, non confitetur, proprie et secundum veritatem, Dei Genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia sæcula natus est, in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit. » — Item Concilium Florentinum, in decreto pro unione Jacobitarum dicit: « Sacrosancta Ecclesia anathematizat Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse, atque ita transiisse per uterum Virginis, sicut per aquæductum defluens aqua transcurrit. »

381. — Probatur Pars I: B. Maria Christum ex substantia sua concepit.

Est de fide *contra Docetas* et *Aerios* qui dixerunt corpus Christi fuisse ex cœlesti substantia formatum, et per Virginis uterum tanquam per canalem transiisse, ita ut nihil de ejus substantia sumpserit.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Deus Patriarchis promisit Messiam nasciturum esse ex eorum progenie. Dixit enim Abrahæ, Gen. 22, v. 18: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, et Davidi, 2. Reg. 7, v. 12 et 13: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus... et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* — Et libri novi Testamenti testantur has promissiones impletas esse. Christum enim dicunt, Matth. 1, filium David, filium Abraham. Rom. 1, v. 2: *Qui* (Filius Dei) *factus est ei ex semine David secundum carnem.* Ibid., v. 9: *Ex quibus* (Patribus) *est Christus secundum carnem.*

Atqui, Christus nullo modo dici posset ex Patribus, et ex semine secundum carnem factus, nisi originem traxisset ex Maria, quæ erat de domo et familia David. — Ergo ne Deus blasphemetur, nec dicatur promissiones suas non implevisse, Christus dicendus est corpus suum suscepisse, non ex materia cœlesti, sed ex substantia B. Mariæ.

Confirmatur ex narratione conceptionis et nativitatis Christi. Nam secundum Lucam 1, v. 31, Angelus Gabriel ad Mariam dixit: *Ecce concipies et paries filium.* — Atqui, juxta omnes philosophos, femina quæ dicitur filium concipere et parere, est ejus mater, quia materiam carnis ei subministrat. — Ergo B. Maria est vere Mater Christi, seu materiam carnis ei subministravit.

2°) Præterea de Maria dicit Luc. 2, v. 7: *Peperit filium suum primogenitum*, et Matth. 1, v. 16: *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* — Atqui, Christus non posset vere dici filius Mariæ et de ea natus, si ex ejus substantia carnem suam non suscepisset. — Ergo.

3°) Insuper S. Paulus ad Galat. 4, v. 4, scribit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Quæ verba sic explicat Venerab. Beda, lect. 4 in Luc., cap. 49: « Neque audiendi sunt qui legendum putant: Natum ex muliere, factum sub Lege; sed *factum ex muliere*, quia susceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne; alioquin nec vere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. »

4°) Denique Christus dicitur Gen. 3, v. 15: Semen mulieris; Gen. 12, v. 3: Semen Abrahae; Matth. 1, v. 1: Filius Davidis; Act. 2, v. 30: Fructus lumborum ejus; Luc. 1, v. 42: Filius Mariæ, et fructus ventris ejus. — Atqui, hæc omnia essent vana nomina, nisi Christus ex matre Maria suscepisset carnis suæ substantiam. — Ergo stat propositio.

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. **Græcis:** S. Irenæus, lib. 3 adv. hæres., cap. 32: « Si non accepit Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis... Cæterum supervacua est in Mariam descensio ejus; quid enim in eam descendebat, si nihil moliebatur sumere ab ea? aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas quæ a terra erant, percepisset escas, per quas id quod a terra sumptum est, corpus nutritur; nec quadraginta diebus, ut Moyses et Elias, jejunans esuriisset corpus ejus quærens escam. »

S. Athanasius, lib. de Incarn. Verbi, n.° 18: « Verbum cum ad nos venit, ex Virgine sibi ipsi corpus formavit, ut omnibus non parvum suæ divinitatis argumentum exhiberet, ut scilicet inde pateret eum, qui corpus illud formaverat, aliorum quoque corporum Opificem esse.

S. Gregorius Nazianz., Epist. 101 ad Cledon., n.° 4: « Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea, divino simul et humano modo, formatum esse dixerit: divino, quia absque viri opera; humano, quia humani conceptus lege, æque atheus est. »

II. **Ex Patribus latinis:** Tertullianus, Apolog., cap. 21: « Iste igitur Deus... delapsus in Virginem quamdam, et in utero ejus caro figurata, nascitur homo Deo mixtus. » — Item lib. de Carne Christi, cap. 15: « Si humana non fuit, nec ex homine *(caro ejus)*, non video ex qua substantia ipse se Christus hominem, et Filium hominis pronuntiavit. » — Et ibid., cap. 22: « Quam debemus et possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? Utique non aliam quam Abraham, siquidem semen Abraham Christus; nec aliam quam Jesse, siquidem ex radice Jesse flos Christus; nec aliam quam David, siquidem fructus ex lumbis David Christus; nec aliam quam et Maria, siquidem ex Mariæ utero Christus. »

S. Ambrosius, lib. de Incarn. Dom., cap. 5: « Adversus omnes *(hæreticos)* generalis ista est fides, quia Christus est Dei Filius, et sempiternus ex Patre, et natus ex Virgine. »

S. Hieronymus in Galat. 4, v. 4: « Diligenter attendite, quod non dixerit *factum per mulierem*, quod Marcion et cæteræ hæreses volunt, quæ putativam Christi carnem simulant; sed *factum ex muliere*, ut non per illam, sed ex illa natus esse addatur. »

Probatur Pars II: B. Maria est semper virgo.

Est de fide *contra Ebionem*, qui asserere ausus est Christum fuisse conceptum ex Maria et Joseph per opus maritale; *contra Jovinianum*, qui quamvis agnosceret Mariam fuisse virginem in conceptu, hoc negabat in partu; et *contra Helvidium*, qui dixit Mariam, postquam Christum virgo conceperit et peperit, alios liberos, per modum naturalem, habuisse ex Joseph viro suo.

I. B. Maria Christum virgo concepit et virgo genuit.

382. — Probatur I. *Ex Scriptura.*

A. Ex Prophetia Isaiæ 7, v. 14: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Manifestum est hoc loco agi de conceptu et partu Christi; nemo enim præter Christum vocari potest *Emmanuel*, id est *Nobiscum Deus*. Præterea nemo præter illum vicit mundum et dæmones, qui per Damascum et Syriam significantur v. 4-10. Porro mater Emmanuelis, seu Christi, dicitur Virgo in sensu proprio, nam Isaias hoc loco vaticinatur magnum prodigium, quod nullatenus foret si puella hucusque virgo, sed nunc virum experta, filium pareret. — Atqui, nulla alia est Mater Christi, nisi B. Maria, sicut patet. — Ergo B. Maria est virgo in sensu proprio, seu fuit virgo in conceptione et partu Christi.

B. Ex narratione S. Matthæi 1, v. 18-25 et Lucæ 1, v. 26-39, qui aperte declarant B. Mariam 1°) ante Christi conceptionem fuisse incognitam, tum S. Josepho, cum dicatur: Matth. v. 18: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, et v. 25: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum;* tum omni alteri viro, cum ipsa Maria angelum sic interroget, Luc. v. 34: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

2°) B. Maria fuit virgo in conceptione, nam ibidem, v. 35, angelus ad Mariam respondet: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

3°) Fuit virgo in partu, nam cum timeret Maria ne ex maternitate, quam angelus ei nuntiabat, virginitatis suæ detrimentum caperet, angelus illam penitus tranquillat: *Ne timeas, Maria*, etc. Sed quænam fuisset Mariæ securitas, si virginitatem in conceptione servatam, in partu amisisset? Ergo B. Maria fuit virgo in partu.

Confirmatur ex eo, quod Matth. v. 22, totam narrationem concludit iterando verba Isaiæ. Dicit enim: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium*, etc.

Probatur II. *Ex Patribus.*

A. Græcis: S. Justinus, Apol. I, n.° 32: « Christus e virgine de semine Jacob, qui fuit pater Judæ, per virtutem Dei conceptus fuit. » — Et n.° 33, B. Mariæ applicat totum Isaiæ vaticinium superius allegatum.

S. Irenæus, lib. 3 adv. hæres., cap. 21, probat hoc idem vaticinium esse Jesu Christo et Mariæ applicandum, et cap. 22 ait: « Maria desponsatum sibi virum habuit, sed tamen virgo mansit. »

Origenes, lib. 10 cont. Celsum, confitetur Christum natum esse « ex muliere non virum passa, et more feminarum gravida, sed ex pura et casta virgine, et quidem Spiritus sancti virtute, et integra semper manente ejusdem virginitate. »

S. Joannes Damascenus, lib. 4 de Orth. fid., cap. 14: « Quemadmodum autem ille, qui conceptus fuit, eam quæ conceperat, virginem servavit, sic nascendo virginitatem illius incolumem custodivit, solus per eam transiens, clausamque conservans. Neque enim ei hoc impossibile erat ut per portam transiret, sigillis ejus nulla parte labefactis. »

Patribus græcis adjiciemus S. Ephræm Syrum, qui in orat. de Margarita pretiosa, sic loquitur: « Non perdidit sigillum natura Virginis Christo concepto, et ob id neque eo genito reserata est, ut partum in luce ederet. Neque vero rupta est dum gigneret, nam neque rupta est dum conciperet... Spiritus erat, qui puerperam thori maritalis nesciam, in partu adjuvabat; quapropter neque quod natum est sigillum virginitatis commovit, neque virgo laborem ac dolorem in partu sensit. »

B. **Ex Patribus latinis:** Tertullianus lib. de Præscript., cap. 13: « Regula est autem fidei... qua creditur... Verbum, Filium Dei appellatum... delatum ex Spiritu Patris et virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex ea natum hominem, et esse Jesum Christum. »

S. Ambrosius, Ep. 7 ad Siric., de B. Maria scribit: « Hæc est Virgo, quæ in utero concepit, Virgoque peperit filium. Sic enim scriptum est: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium.* Non enim concepturam tantummodo Virginem, sed et parituram Virginem dixit.... Quid autem incredibile, si contra originis naturalis modum peperit Maria, et Virgo permanet, quando contra usum naturæ, mare vidit et fugit, atque in fontem suum Jordanis fluenta remearunt? »

S. Hieronymus in Expos. 44, Ezech.: « Pulchre quidem portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israël ingreditur; et dux, cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ et ante partum, et post partum virgo permansit. »

S. Augustinus, Serm. 21 de Tempore: «Virgo genuit, quia virgo concepit; inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit; utrobique miraculum, et sine corruptione gravida, et in partu virgo puerpera. ».

S. Leo Magn., sermo 2 de nativ. Dom. cap. 2: « Nova autem nativitate genitus est, conceptus a virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria; quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. »

C. **Confirmatur ex variis Scripturæ figuris,** quibus Patres utriusque Ecclesiæ explicant Matris Christi virginitatem, quasque congesserunt Petavius, lib. 14, cap. 16, et Suaresius in 3, q. 28, disp. 5, sect. 1. Has tantummodo indicabimus.

Adam, quem formavit Deus ex terra virginea, nempe nondum arata, ut narratur Gen. 2, v. 7, similiter secundum Adam, seu Christus, ex Virgine natus est, per operationem Spiritus sancti, testante Apostolo 1. Cor. 15, v. 45: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem.*

Melchisedech, Genes. 14, v. 10, sine patre, sine matre, figurat Christum sine patre in terra, sine matre in cœlo, Hebr. 7, v. 3, et Psalm. 109, v. 4.

Rubus incombustus, Exod. 3, v. 2.

Virga Aaron, Numer. 17.

Tabulæ legis, manu Domini scriptæ, Deuter. 9, v. 10.

Vellus Gedeonis, Judic. 6, v. 36, et Psalm. 71, v. 6.

Nubes levis, super quam ascendit Dominus, Isai. 19, v. 1.

Lapis, qui de monte abscissus est, sine humanis manibus, Daniel 2, v. 34 et 45.

Fores clausæ cœnaculi, in quod Christus post resurrectionem ingressus est, Joann. 20, v. 29.

Lapis signatus sepulchri, quando Christus resurgens, ex eo egressus est, Matth. 27, v. 66 et cap. 28, v. 2.

Probatur III. *Ex rationibus theologicis.*

A. « Quod Christus sit conceptus ex virgine, conveniens est propter quatuor. » Sic doctor angelicus in 3. q. 28, art. 1, et pergit:

1°) « *Propter mittentis Patris dignitatem conservandam.* Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens quod alium patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. »

2°) « *Hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii qui mittitur,* qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur; quinimo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa, sine corruptione matris conciperetur. »

3°) « *Hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi,* in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Joann. 1: *Ecce Agnus Dei* (scilicet innocens) *qui tollit peccatum mundi.* Non poterat autem esse, quod in natura jam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sine infectione peccati originalis. Unde Augustinus dicit in lib. de Nupt. et Concupisc., cap. 12: « Solus nuptialis concubitus ibi non fuit, scilicet in matrimonio Mariæ et Joseph, quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato; sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato. »

4°) « *Propter ipsum finem Incarnationis Christi,* quæ ad hoc fuit, ut homines renascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, id est ex ipsa Dei virtute. Cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Augustinus dicit in Libro de sancta Virginitate, cap. 6:

« Oportet Caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. »

B. Rationes, propter quas B. Maria Virgo peperit. Ibid. dicit doctor angelicus art. 2: « Propheta non solum dicit: *Ecce virgo concipiet*, sed etiam addit: *et pariet filium*. Et hoc quidem conveniens fuit propter tria: »

1°) « *Quidem, quia hoc competebat proprietati ejus qui nascebatur*, qui est Verbum Dei. Nam verbum, non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit ut de incorrupto Virginis utero nasceretur. — Unde in Sermone quodam Ephesini Concilii legitur: « Quæ parit carnem puram a virginitate cessat, sed quia natum est in carne Verbum, Deus custodit virginitatem, seipsum ostendens per hoc Verbum. Neque enim nostrum verbum cum paritur, corrumpit mentem; neque Deus Verbum, substantialem partum eligens peremit virginitatem. »

2°) « *Hoc est conveniens quantum ad effectum Incarnationis Christi.* Nam ad hoc venit ut nostram corruptionem tolleret; unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris, nascendo corrumperet. Unde Augustinus dicit in 6 sermone di Nativ. Dom.: « Fas non erat ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. »

3°) « *Fuit conveniens, ne matris honorem nascendo diminueret*, qui parentes præceperat honorandos ».

II. B. Maria post partum virgo permansit.

Probatur I. *Ex Scriptura et Patribus.*

383. — A. Ex Ezechiele 44, v. 1 et 2: *Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per illam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam; erit clausa Principi.* Juxta plurium Patrum interpretationem, porta illa orientalis est figura uteri B. Mariæ, quem ingressus est per conceptionem, et ex quo per partum prodiit sol justitiæ. — Atqui, hæc porta non tantum clausa est, sed semper clausa erit, ita ut nunquam aperietur postquam Dominus eam ingressus est, et nullus vir per eam transibit, ob honorem ingresso Domino debitum. — Ergo B. Maria post Christi conceptionem et partum Virgo permansit.

Probatur major, videlicet prædicta Patrum interpretatio.

S. Ambrosius de Instit. Virg., cap. 7: « Quæ est hæc porta, nisi Maria? ideo clausa, quia virgo porta, per quam Christus intravit in hunc mundum. » — S. Hieronymus in Ezech. 44: « Pulchre quidam portam clausam Mariam Virginem intelligunt, quæ et ante partum et post partum Virgo permansit;... virgo æterna ad confundendos eos qui arbitrantur, illam post nativitatem Salvatoris habuisse filios de Joseph. » — S. Augustinus, aut alius antiquus auctor, in Serm. 14 de Nativ. Dom.: « Quid est *porta* in domo Domini *clausa*, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est: *Vir non transibit per eam*, nisi quia Joseph non cognoscet eam?... Et quid est: *clausa erit in æternum*, nisi quod Maria virgo est ante partum, virgo in partu, virgo post partum? »

B. Ex Luc. 1, v. 34: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quæ verba non significant: *Virum actu non cognosco;* sed: *Non licet mihi virum cognoscere;* secus ineptissima fuisset hæc interrogatio, cum statim angelus respondere potuisset: Etsi nondum virum cognovisti, tamen mox cognoscere potes.

Atqui, impedimentum cognoscendi virum, quod B. Maria allegat, non potest esse nisi firmissimum propositum virginitatem servandi. — Itaque *S. Augustinus* in citata Mariæ verba inquit: « Quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset. » — *S. Gregorius Nyss.*, Orat. in Natal. Dom., ex iisdem B. Mariæ verbis concludit perpetuam ejus virginitatem; ipsam enim introducit sic loquentem: « Interdixi mihi consuetudinem viri; quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco?... quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus, oportet intactam integramque præstare; idcirco, licet angelus sis, licet de cœlo venias; licet id quod ostenditur naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. » — Item *Venerab. Beda* in cap. 1. Lucæ de Maria dicit: « Propositum suæ mentis reverenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse. » — Porro si B. Maria votum virginitatis emisit, certissime illud fideliter servavit, nam de ejus sanctitate dubitare blasphemum foret.

Ergo post partum virgo semper mansit.

Probatur II. *Ex solis Patribus.*

Præter testimonia allegata in præcedenti probatione, aliqua tantum verba Patrum utriusque Ecclesiæ citabimus.

A. **Ex Patribus græcis:** Origenes in Matth. p. 223, edit. Huet, affirmat: « Mariam semper virginem permansisse, nec alium habuisse filium præter Jesum. »

S. Basilius, hom. 25 in Chr. generat., n.° 5: « Christi amantes audire non sustinent, quod Deipara aliquando desierit esse virgo. »

S. Gregorius Nyss. orat. in epistol. ad Eustath.: « Virginem sanctam nemo nostrum ausus est hominiparam dicere. »

S. Epiphanius, hæres. 78: « Quis ullo tempore unquam exstitit, qui Sanctæ Mariæ nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis ad vocabulum adjiceret?... Sic Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur; hæc enim perpetuo incorrupta permansit. »

S. Cyrill. Alexandr., lib. 2 de Recta fide: « Unum et solum peperit Sancta Virgo, nempe Emmanuelem... neque enim ulli alii post ipsum ex illa nati sunt. Perpetuo namque illa virginitatem servavit. »

B. **Ex Patribus latinis:** S. Ambrosius, de Instit. Virgin., cap. 6, n.° 45: « Non deficit Maria, non deficit virginitatis magistra; nec fieri potuit, ut quæ Deum portaverat, portandam hominem arbitraretur. Nec Joseph, vir justus, in eam prorupisset insaniam, ut Matri Domini corporeo concubitu misceretur. »

S. Hieronymus totum librum contra Helvidium composuit, ut perpetuam B. Mariæ virginitatem vindicaret; de S. Joseph dicit in cap. 19: « Mariæ custos potius fuit quam maritus; relinquitur virginem eum mansisse cum Maria. »

S. Augustinus, serm. 23 de Temp.: « Videte miraculum Matris dominicæ! Virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum permansit. » — Item, de Cathech. rudib.: « Christus natus est de matre, quæ a viro intacta concepit, semperque intacta permansit; virgo concepit, virgo peperit, virgo mortua est. »

S. Fulgentius, lib. 1. de Verit. prædest. cap. 2, sic de B. Maria loquitur: « Sicut Virgo fuit ante conceptum, sic Virgo permansit inviolata post partum. »

S. Zeno Veronens., Serm. 2 de Nativ. Chr.: « O magnum sacramentum! Maria virgo incorrupta concepit; post conceptum virgo peperit; post partum virgo permansit. »

Probatur III. *Ex rationibus theologicis.*

S. Thomas, 3. q. 28, art. 3, dicit: « Absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit, Matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam, et alios filios genuisse. — Hoc enim: 1°) Derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia Filius ejus, ita decuit ut esset unigenitus matris tanquam perfectissimum germen ejus. »

2°) « Hic error injuriam facit Spiritui sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit; unde non decebat quod de cætero violaretur per commixtionem virilem. »

3°) « Derogat dignitati et sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quæ in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. »

4°) « Etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam quam revelante angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et simpliciter est asserendum, quod Mater Dei, sicut virgo concepit et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum sempiterne remansit. »

§ II.

B. V. Maria vere ac proprie Deipara vocatur et est.

384. — *Est de fide* contra Nestorium, qui, sicut supra diximus, duas personas in Christo ponebat, ac proinde negabat unionem hypostaticam et idiomatum communicationem; inde concludebat B. Mariam concepisse et peperisse humanam tantum personam, ita ut sit Χριστοτόκος, non vero Θεοτόκος seu Deipara. Ast juxta doctrinam catholicam, ex mirabili duarum naturarum unione in una persona divina, et ex idiomatum communicatione sequitur B. Mariam esse vere Deiparam, non quod sit mater divinitatis, sed quia divinæ personæ, habentis divinitatem et humanitatem, est Mater secundum humanitatem.

Hæc doctrina contra Nestorium definita est in multis Conciliis, scilicet in Concilio Ephesino I, can. 1: « Si quis non confitetur Emmanuelem vere Deum esse, et ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa Incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem) anathema sit. » — Item Conc. Constantinop. II, can. 6: « Si quis abusive, et non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper virginem Mariam, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato, et nato ex ipsa, talis anathema sit. » — Concil. Nicænum II, actione 7: « Confitemur autem et Dominam nostram Sanctam Mariam proprie et veraciter Dei Genitricem, quoniam peperit carne unum ex Sancta Trinitate, Christum Deum nostrum. »

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Dicit S. Thomas in 3. q. 35, art. 4, ad 1^{m}: « Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod beata Virgo sit Mater Dei, invenitur tamen expresse in Scriptura, quod Jesus Christus est verus Deus, ut patet 1. Joan. ult.,

et quod B. Virgo est Mater Jesu Christi, ut patet Matth. 1. Unde sequitur ex necessitate, ex verbis Scripturæ, quod sit Mater Dei. Dicitur etiam Rom. 9, *quod ex Judæis est secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula;* non autem est ex Judæis nisi mediante B. Virgine; unde ille, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, est vere natus ex B. Virgine, sicut ex sua Matre. »

2°) Præter hunc textum Epistolæ ad Romanos, quem citat doctor angelicus, sunt in sacris Litteris verba æquivalentia denominationi Deiparæ, seu Matri Dei. Verbi gratia, Luc. 1, v. 35, angelus dicit B. Virgini: « *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Porro, si ille qui ex Maria nascitur, vere vocandus est Filius Dei, consequenter illa ex qua nascitur, vere ac proprie vocanda est Mater Dei.

3°) Ibid., v. 43, Elisabeth. cum a B. Virgine visitaretur, repleta es Spiritu sancto et exclamavit: « *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* — Atqui, Scriptura nomen Domini pro nomine Dei adhibere solet, atque ex præsenti contextu manifestum est Dominum hoc loco significare ipsum Deum. Adjicit enim Elisabeth: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Et Maria respondet: *Magnificat anima mea Dominum.* — Ergo B. Virgo est vere ac proprie Mater Dei.

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. **Græcis:** S. Cyrillus Alexand. in lib. de Recta fide, cap. 9, Patrum consensum circa divinam Mariæ maternitatem sic testatur: « Vocem hanc *Deipara* (Θεοτόκος) veteribus Patribus, quorum sanctimoniam et fidei integritatem admiramur, nec non omnibus, qui eos deinceps hucusque sunt secuti per universum, ut ita dicam, terrarum orbem, perquam familiarem esse, ostendendam esse existimavi. » — Et in Epist. ad Acacium: « Nemo, ut opinor, ex orthodoxorum numero, illam *Deiparam* vocare dubitavit, quandoquidem verum est, Emmanuelem esse Deum. »

S. Dionysius Alexandr. in Epist. synod. contra Paulum Samosat.: « Una sola virgo, filia vitæ, genuit vivens Verbum et subsistens... quomodo ais tu, hominem esse eximium Christum, et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre et Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex sancta Virgine et *Deipara* Maria? »

S. Athanasius, orat. 3 (al. 4) cont. Arian., n.° 29: « Hic igitur scopus et character ex sacra Scriptura, nempe ut duo de Salvatore demonstret, illum scilicet Deum semper fuisse et Filium esse, quippe cum sit Patris Verbum, Splendorque et Sapientia, ipsumque propter nos, carne ex virgine *Deipara* Maria assumpta, hominem factum esse. »

S. Basilius, homil. 25 de humana Chr. generat., n.° 5, Mariam expresse *Deiparam* appellat.

S. Gregorius Nazianz., Epist. 101 ad Cledon. 1 n.° 4: « Si quis Sanctam Mariam *Deiparam* non credit, extra divinitatem est. »

II. **Ex Patribus latinis:** S. Ambrosius in Psalm. 35, præf. n.° 5, dicit de Christo: « Idem ex Patre genitus, et ex Virgine natus; idem qui ante sæcula ex Patre, et qui in tempore carnem assumpsit ex Virgine. » — Et liber de Instit. virg., cap. 5, n.° 35: « Quid nobilius Dei Matre; quid splendidius ea, quam splendor elegit? »

S. Hieronymus, lib. cont. Helvid., n.° 19: « Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus. »

S. Augustinus Enchir., cap. 37: « Idem Jesus Christus, Filius Dei unigenitus, id est unicus Dominus noster, natus est de Spiritu sancto et Virgine Maria. »

III. **Confirmatur catholica traditione** ex tribus factis, scilicet 1°) ex testimonio ipsorum Nestorii fautorum. Sic Joannes Patriarcha Antiochen. in Epist. ad Nestor. apud Mansi, Collect. concil., T. 4, p. 1066, scribit: « Nomen hoc Θεοτόκος, nullus unquam ecclesiasticorum doctorum repudiavit. Qui enim illo usi sunt, multi reperiuntur, et apprime celebres; qui vero illud non usurparunt, nunquam erroris alicujus eos insimularunt, qui illo usi sunt. » — Similiter Theodoretus, lib. 4, hær. fabr., cap. 12, testatur: « Antiquissimos fidei catholicæ præcones ex apostolica traditione docuisse, Matrem Domini memorandam colendamque esse ut *Dei Genitricem.* »

2°) Confirmatur præterea traditio ex eo, quod jam in primis Ecclesiæ sæculis, christiani consueverunt B. Mariam nomine Deiparæ honorare; hoc enim illis exprobrabat Julianus apostata, sicut refert S. Cyrillus in lib. 8 cont. Julian.; quo teste, impius iste fideles sic accusabat: « Vos Mariam non cessatis vocare Deiparam. »

3°) Denique confirmatur ex ingenti gaudio, quo populus Ephesinus affectus est, postquam Concilium in hac civitate celebratum, Nestorianam impietatem præcitato anathemate condemnavit.

Probatur III. *Ex ratione theologica.*

Legitur in 3. q. 35, art. 4, corp.: « Sicut supra dictum est (ibid., q. 16, art. 1), omne nomen significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturæ. Cum autem unio Incarnationis sit facta in hypostasi, sicut supra dictum est, manifestum est quod hoc nomen *Deus,* potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam et divi-

nam. Et ideo quidquid convenit divinæ naturæ vel humanæ, potest attribui illi personæ, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans divinam naturam, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. — Concipi autem et nasci, personæ attribuitur et hypostasi, secundum naturam illam in qua concipitur et nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina persona, consequens est, quod vere possit dici Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicujus mater, quod eum concepit et genuit. — Unde consequens est, quod B. Virgo vere dicatur Mater Dei.»

«Solum enim sic negari posset B. Virginem esse Matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subjecta conceptioni et nativitati, quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit; vel humanitas non fuisset assumpta in unitate personæ vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius. Utrumque horum est erroneum. Unde hæreticum est negare B. Virginem esse Matrem Dei.»

Ibid., ad 2[m]): «Natum est, ex Dei Patris substantia, Dei Verbum. Quia vero carnem assumpsit, necessarium est confiteri, quod natum est secundum carnem ex muliere. Dicendum est ergo, quod B. Virgo dicitur Mater Dei, non quia sit Mater divinitatis, sed quia personæ habentis divinitatem et humanitatem, est Mater secundum humanitatem.».

§ III.

B. V. Maria inquantum est Deipara, pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ.

385. — Suaresius in disp. 1 de Mysteriis vitæ Christi, sect. 2, n.[is] 3-7: 1°) hanc propositionem concludit ex doctrina Patrum; 2°) respondet difficultati oppositæ.

I. **Concluditur ex doctrina Patrum**, juxta quos: 1°) Maternitas divina superat omnem dignitatem et gratiam puræ creaturæ collatam; 2°) Maternitas divina est ratio plenitudinis gratiæ in B. Maria. Ipsum Suaresium audiamus, loc. cit., n.° 4:

1°) Hæc dignitas matris est altioris ordinis quam gratia sanctificans; pertinet enim quodammodo ad ordinem unionis hypostaticæ; illam enim intrinsece respicit, et cum illa necessariam conjunctionem habet.

Propter quod Augustinus, initio libri de Assumpt. inquit: *Hujus dignitatis et gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.*

Et Bernardus, Serm. de Assumpt. et de Nativit. Virgin., et super illa verba: *Signum magnum* etc., et homil. 2 in *Missus est*, variis modis hanc dignitatem exaggerat, judicans infinite superare quidquid sub Deo-Homine excogitari potest.

Et Laurentius Justinian., Serm. de Purificat., et Serm. de Assumptione: *Tanto*, inquit, *dignitate cæteris est effecta excellentior, quanto propinquior est Verbo.*

Et ad eumdem modum loquitur Anselmus libro de Excellent. B. Mariæ, præsertim in initio, his verbis: *Supereminentem omni quod post Hominem-Deum creatum est, excellentiam Beatæ Matris Dei, quomodocumque et saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, horreo et valde timeo.* — Et cap. 2: *quamvis hoc solum de sancta Virgine prædicari, quod Dei Mater est, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest...*

Et similia habent Cyrillus, lib. de Fide ad Reginas, et Origenes, homil. 1, ex variis.

2°) Et confirmatur, quia ex hac Matris dignitate colligunt Patres omnes, B. Virginem non solum excellentem gratiam accepisse, sed etiam omnes gratias et virtutes, et omnia dona et privilegia gratiæ, inter alios Sanctos divisa et distributa, in una Virgine fuisse simul congregata.

Unde Bernardus, Epist. 174: *Quod vel paucis*, inquit, *mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.*

Et antiquus quidam scriptor, qui propter modestiam *Idiotæ* nomen sibi imposuit, lib. de Contempl. B. Mariæ, cap. 2, T. 3, bibliot. Sanctor., propter hanc causam docet, omnia spiritualia charismata perfectissime in B. Virgine fuisse.

Et Bonaventura, in Speculo Mariæ, cap. 5, 6 et 7, ad hoc confirmandum accommodat illud Eccles. 1: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat;* quia omnes hujusmodi gratiæ, Mariæ capacitatem Matrisque dignitatem non excedunt. Et in hanc sententiam refert Augustinum et Bernardum, qui multa ad rem præsentem tractat in quodam Serm. de Nativitate Dom., qui inter opera ejus dubia ponitur, et in alio simili Serm. de B. Maria.

Huic etiam sententiæ favet Augustinus, Serm. 17, de Nativ. Dom., qui est 21 de tempore; et eodem principio utitur Damascenus, orat. 1 de Dormit. Virginis.

Et Athanasius, Serm. de SS. Deipara, dicit B. Virginem esse plenam gratia, *quia omnibus gratiis abundavit*, et causam explicans inquit: *Ex te prodiit Deus noster, omnem tibi largiens gratiam.*

Sic Cyprianus, Serm. de Nativ. Christi: *Matri*, inquit, *plenitudo gratiæ debebatur.* Et etiam

Sophronius, Serm. de Assumpt., qui inter opera Hieronymi habetur: *Cæteris*, inquit, *per partes, Mariæ autem se totam infundit gratiæ plenitudo.* Quæ verba usurpavit etiam Petrus Chrysologus, Serm. 143, et Laurentius Justinianus, Serm. de Assumpt. Virg.

Et Petrus Damianus in simili concione, ubi tractans illa verba cantic. 3, v. 6: *Quæ est ista quæ progreditur quasi virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* inquit: *Universus pulvis pigmentarius in virgine projectus est, quando in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit, et si cæteris per partes Spiritus adfuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ supervenit.*

Similiter Ambrosius, quem Bonaventura refert, et colligi potest de Instit. Virg., cap. 13 et 14, hoc dicit esse proprium Virginis, *ut omnibus fecunda sit gratiis.*

Sic etiam Hieronymus, T. 3, epist. 104 ad Principiam, de Exposit. Psalm., 44, circa illa verba: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, inquit: *Nam et Sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur.*

Optime Methodius, Orat. de Purific.: *Euge, euge*, inquit, *quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur; Deo enim universi debemus, tibi autem etiam ille debet, proinde qui dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam; ut is decretum a se promulgatum observaret, et alios excederet, omnem Matri et gratiam et honorem impendit.*

Unde Albertus Magnus, lib. de B. Maria, cap. 69, 70 et 71, dicit principium ex terminis per se notum esse, Virgini perfectius collatas esse omnium Sanctorum gratias. Quod ergo intelligo ex terminis Matris et Filii, qui Deus sit, et Principium omnis gratiæ. Et hoc denique supponunt omnes theologi, D. Thomas et cum eo Cajetanus, q. 27, art. 5 et 6; Antoninus 4 part., tit. 15; Durandus in 3. dist. 3, q. 2 et alii.

Comparatur ergo hæc dignitas Matris Dei ad alias gratias creatas, tanquam prima forma ad suas proprietates; et e converso, aliæ gratiæ comparantur ad ipsam, sicut dispositiones ad formam. Est ergo hæc dignitas Matris excellentior, sicut forma perfectior est suis proprietatibus et dispositionibus. Alias non recte ex minori dignitate colligerent Sancti aliam multo majorem et excellentiorem.

II. Respondetur ad oppositam difficultatem.

Apud Suaresium, ibid. n.° 3: 1°) De hac dignitate gratiæ est difficultas. Sancti enim videntur illam præferre dignitati Matris Dei. Augustinus, lib. de S. Virgin., cap. 3: *Beatior*, inquit, *fuit Maria concipiendo mente, quam ventre.* Et infra: *Felicius gestavit corde, quam carne.* Et Epist. 38, dicit: *Maternum nomen, etiam in Virgine esse terrenum in comparatione cœlestis propinquitatis, quam illi contrahunt, qui voluntatem Dei faciunt*, nimirum per gratiam. — Et Justinus, q. 136 ad Orthod., dicit B. Virginem beatiorem esse prædicandam ob virtutem quam habuit, propter quam meruit esse Mater Dei, quam ob ipsam Matris dignitatem. — Quod videtur sensisse Christus Dominus, Luc. 10, cum mulieri dicenti: *Beatus venter qui te portavit*, respondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Ac si aperte diceret, beatitudinem hanc illi esse præferendam. Et similia sunt illa verba Matth. 12: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? quicumque enim fecerit voluntatem Patris* etc., quæ verba tractans Cyprianus, serm. de Pass. Dom., dicit: *prætulisse Christum Matri auditores verbi, et pauperes spiritu;* quod non de personis sed de muneribus et officiis necessario intelligendum est. — Ratio denique adjungi potest ex dictis, quia dignitas Matris solum addit personæ Virginis relationem quamdam ad Deum, vel hominem; dignitas vero filii adoptivi addit gratiam, gloriam, virtutes omnes et veram sanctitatem, et reddit hominem Deo amicum et innocentem, quatenus peccatum excludit, et inde consequitur relatio filii adoptivi, quæ est ad Deum, ut Deus est. Ergo.

2°) Hanc difficultatem sic solvit Suaresius in n.° 5: Ut respondeamus huic quæstioni, advertendum est primo, considerari posse in Virgine conjunctionem maternam, quam habet cum Christo ut homo est, præscindendo in illo dignitatem personæ increatæ, solamque excellentiam gratiæ et sanctitatis contemplando; et hoc modo, certum est non habere Virginem dignitatem aliquam, quæ cum dignitate gratiæ valeat comparari, quia ut sic non consideratur ut Mater Dei. Quo modo possent non male exponi verba illa Sanctorum, quibus spiritualis conceptio Christi corporali præferri videtur. Et similiter verba illa Christi: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud;* mulier enim illa, quæ Virginis uterum beatum dixerat, nihil de Christi divinitate cogitabat. — Alio ergo modo consideranda est hæc dignitas, quatenus est singularis quædam conjunctio cum Deo, quam egregie D. Thomas et Cajetanus *affinitatem cum Deo vocarunt*, 2. 2. q. 103, art. 4, ad 2^{m}. Et hoc modo, vix possunt hæc Dei maternitas et filiatio adoptiva comparari; sunt enim diversorum ordinum, et mutuo sese quodammodo excedunt.

Dici tamen potest primo, si præcise conferantur, ita ut una ab alia omnino separaretur, præferendam esse dignitatem filii adoptivi, ut convincunt quæ ad hanc partem confirmandam adducta sunt; et hac consideratione merito dicitur, si dignitas Matris absque gratia et filiatione adoptiva futura esset, multo melius esse et eligibilius, filium Dei esse, quam matrem. Quo sensu recte etiam exponitur dictum Augustini, et alia quæ supra adducta sunt.

Secundo vero addi potest, dignitatem Matris Dei moraliter consideratam, et prout includit omnia quæ quodammodo ex natura rei, et secundum ordinem divinæ Sapientiæ illi debentur, altiorem esse dignitate filii adoptivi.

Hanc sententiam satis confirmant, quæ ad demonstrandam posteriorem partem adduximus. Et illi favet etiam D. Thomas 1. q. 25, art. 6, ad 4^{m}, dicens hanc dignitatem esse suo genere infinitam, quia est suprema quædam conjunctio cum persona infinita. Nec potest dici tantum conjunctio carnalis, sed etiam spiritualis, quia licet media conceptione carnis facta sit, tamen ad Deum ipsum aliquo modo terminatur. Unde idem D. Thomas 2. 2. q. 103, art. 4, ad 2^{m}, dixit ratione hujus dignitatis deberi Virgini excellentiorem adorationem quam aliis Sanctis, *quia sua operatione fines divinitatis propinquius attigit;* ita D. Thomas loquitur. — Et ratione declaratur ex dictis, quia sicut ratione unionis *(hypostaticæ)* debetur humanitati Christi summa gratia et gloria, ita ratione divinæ Maternitatis debetur Virgini, suo modo, magna quædam plenitudo gratiæ, ut exposuit D. Thomas q. 7, art. 10 dicens: in Virgine fuisse plenitudinem gratiæ tali dignitati proportionatam...

Tandem hanc totam excellentiam debitam esse quodammodo huic dignitati, ita potest explicari, quia decet matrem honorari a filio; imo ratione maternæ dignitatis habet singulare jus ad bona filii. Ergo hac ratione dignitas Matris est quodammodo ratio et principium dignitatis gratiæ, quam quodammodo eminenter continet, secundum ordinem divinæ Sapientiæ. Ergo sub hac ratione, dignitas hæc excellentior est, et simpliciter majus Dei beneficium existimari debet eligi Virginem in Matrem Dei, quam eligi, verbi gratia, Petrum ad gloriam, quia illa electio hanc in virtute et eminentiori modo continet.

PROPOSITIO VII.

S. JOSEPH EST VIR MARIÆ, PATER CHRISTI, ET ALIQUO MODO PERTINET AD ORDINEM UNIONIS HYPOSTATICÆ.

Hæc Propositio tres partes habet, quarum duas primas nullus catholicus in dubium revocare auderet; et tertia ex utraque eruitur necessaria conclusione. Istas partes probabimus in tribus paragraphis.

§ I.

S. Joseph est vere vir Mariæ, nonobstante virginitatis voto emisso ab utroque.

386. I. **S. Joseph cum Maria contraxit verum matrimonium ratum.**

Suaresius, de Myst. Christi, disp. 7, sect. 1, n.° 2, ait: « Hanc veritatem *esse de fide* docent omnes theologi in 4. dist. 29 et 30. » Dicitur matrimonium *ratum*, ut prorsus amoveatur matrimonium *consummatum*.

Probatur I. *Ex Scriptura*, in qua 1°) JOSEPH EXPRESSIS VERBIS DICITUR VIR Mariæ, et Maria uxor et conjux Joseph. — Præterea ex agendi ratione Sancti Joseph, quæ in contextu narratur, patet eum *revera fuisse* B. Virginis maritum.

Matth., 1, v. 16, 18-20: *Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus... Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem, vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* — Luc. 2, v. 5, commemoratur iter B. Josephi in Bethleem, *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.*

2°) S. JOSEPHUS VOCATUR PATER CHRISTI, apud Luc. 2, v. 33 et 48, quia talis putabatur, non alia certe ratione, nisi quia Virginem matrem Christi duxerat. Unde Christus *putabatur filius Joseph*, sicut dicitur Luc. 3, v. 23; unde etiam Joseph et Maria dicuntur, Luc. 2, v. 43, *parentes ejus.*

Probatur II. *Ex Patribus.*

I. EX S. AUGUSTINO. De Consensu Evang., lib. 2, cap. 1: « Neque fas erat, ut ob hoc eum (Josephum) a conjugio Mariæ separandum puta-

ret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu... » — Contra Faustum, lib. 23, cap. 8: « Cogitare debemus fieri potuisse ut ambo vera dicerent, ut et Joseph maritus Mariæ diceretur, habens eam conjugem continenter, non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charitas, animarum; et ideo non debuisse virum Virginis matris Christi separari a serie parentum Christi. » — De Nupt. et Concupisc., cap. 11 et 12: « Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit. »

II. Ex aliis Patribus, qui docent matrimonium Josephi et Mariæ fuisse necessarium ad vitandam Virginis infamiam. Sic Ambrosius, de Instit. Virg., cap. 6, et Luc., 1: « Quia maluit Dominus quosdam de sua generatione, quam de matris pudore dubitare. » Qua ratione utuntur etiam Basilius, Homil. 25 de Hum. Christi gener.; — Origenes, Homil. 6 in Luc.; — S. Bernardus, Homil. 2 in Missus; — S. Chrysostomus, S. Hieronymus et cæteri expositores græci et latini in Matth. 1.

Probatur III. *Ex ratione theologica.* Scilicet ex Suaresio, de Myst. Christi, disp. 7, sect. 1, n.° 3: Ratio hoc loco solum esse potest, quia hoc matrimonium vere et essentialiter perfici potuit absque ullo detrimento virginitatis, et alias fuit valde conveniens. Priorem rationem probabimus in secunda parte propositionis; alteram probat S. Thomas in 3. q. 29, art. 1, ostendendo hujus matrimonii convenientiam tum ex parte Christi, tum ex parte B. Virginis, tum ex parte nostra.

Confirmatur tandem, quia sicut virginitas et fecunditas in Virgine conjunctæ fuerunt, ita decuit statum virginitatis et conjugii summa perfectione in eadem Virgine copulari. Nam ex virginitate habuit summam corporis et spiritus puritatem et integritatem; ex matrimonio vero societatis et unitatis vinculum, et subjectionem ac obedientiam, quam uxor marito debet. Quo factum est, ut et utrumque statum non ignoraverit, et tam virginum quam conjugum fuerit exemplar.

II. Matrimonio Josephi et Mariæ non obfuit votum virginitatis ab utroque emissum.

Probavimus ex Scriptura et Patribus, verum matrimonium ratum exstitisse inter Mariam et Josephum. Sed certum est Mariam emisisse votum virginitatis. Insuper plures auctores idem affirmant de B. Joseph. Jam vero omnes Doctores qui hac de re locuti sunt, affirmant istud virginitatis votum ex utraque parte, non impedivisse verum matrimonium ratum.

Sufficit citare S. Augustinum et S. Thomam.

Probatur I. *Ex S. Augustino.*

1°) Dicit S. doctor in Serm. 51, cap. 10: « Numquid non erat maritus Mariæ Joseph? Non, inquiunt. Quis hoc dicit? Scriptura dicit angelica auctoritate, quod maritus erat. *Noli timere, inquit, accipere Mariam conjugem tuam.* »

Item, lib. 1 de Nupt. et concupisc., cap. 11, quod inscribitur: *Mutuum continentiæ votum conjugium non dirimit. Verum conjugium inter Mariam et Joseph.* « Quibus vero placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (Matth., 1, v. 20). Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognituras; nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa Virgo, ideo et sanctius et mirabilius jucunda sub viro, quia etiam fecunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele conjugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater sola mente, sive illa mater et carne, parentes tamen ambo humilitatis ejus, non sublimitatis; infirmitatis, non divinitatis... Cum illo non seminante illa peperisset, profecto nec ipsius formæ servi parentes ambo essent, nisi inter se, etiam sine carnis commixtione, conjuges essent. »

Ibidem, cap. 12: « Non est libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. Cur ergo non conjuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt conjuges Joseph et Maria, qui concumbere nec cœperunt? »

2°) Hæc S. Augustini doctrina de vero conjugio uniente Mariam et Joseph, fuit impugnata a Juliano Pelagiano, qui ostendere conatus est nullum inter Mariam et Joseph conjugium interfuisse, quia defuit concubitus; sed Joseph fuisse tantum quasi maritum Mariæ in opi-

nione omnium, et Mariam ex desponsationis fide nomen conjugis accepisse.

Sanctus doctor catholicam veritatem propugnat in lib. 5 cont. Julian., cap. 12. Primam Juliani objectionem refutat ostendendo, concubitum nonnisi accidentaliter pertinere ad bona conjugii, inquantum ad prolem obtinendam ordinatur. Secundam objectionem refutat ex Evangelio. Tertia objectio admittit Mariæ et Josephi fidem constantem, seu vinculi conjugalis indissolubilitatem; hanc autem sufficere asserit Augustinus ad verum conjugium constituendum. Denique concludit dicendo: « In his quæstionibus, catholica veritate antiquitus tradita, vestra impia novitas suffocatur. »

In Serm. 51, cap. 13, dicit: « Conjugium facit non commixtio carnalis, sed charitas conjugalis. — Carnalis commixtio nisi procreationis causa. »

Probatur II. *Ex S. Thoma*, 3. q. 29, art. 2. Ibi doctor angelicus docet, Mariam et Joseph, dum matrimonium inirent, consensisse in vinculum conjugale, sed non in copulam carnalem, nisi sub conditione: si Deo placeret; unde concludendum est sanctos illos conjuges prius emisisse votum virginitatis conditionatum; sed dein, cognita Dei voluntate, hoc votum factum fuisse absolutum. — At alii doctores communiter putant Mariam et Joseph, antequam vinculo conjugali unirentur, emisisse votum castitatis absolutum.

In citato articulo, quærit S. Thomas: *Utrum inter Mariam et Joseph fuerit verum matrimonium.* Et affirmative sic respondet: « Matrimonium, sive conjugium, dicitur verum ex hoc quod suam perfectionem attingit. Duplex est autem rei perfectio, prima et secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur; secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. »

« *Forma autem matrimonii* consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur; finis autem matrimonii est proles generanda et educanda; ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem, ad secundum per alia opera viri et uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam perfectionem, omnino verum fuit matrimonium Virginis matris Dei et Joseph, quia uterque consensit in copulam conjugalem, non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione: si Deo placeret. Unde et Angelus vocat Mariam conjugem Joseph, dicens ad Joseph, Matth. 1: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Quod exponens Augustinus in lib. de Nupt. et concupis., cap. 11, dicit: *Conjux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus.* »

« Quantum vero *ad secundam perfectionem*, quæ est per actum matrimonii, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum. Unde Ambrosius dicit super Lucam: *Non te moveat, quod frequenter Mariam Scriptura vocat conjugem; non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio et nuptiarum celebratio declaratur.* Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem, quantum ad prolis educationem. Unde Augustinus dicit in lib. de Nupt. et concup., cap. 11: *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: proles, fides et sacramentum. Prolem agnoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium.* Solus ibi nuptialis concubitus non fuit. »

§ II.

S. Joseph est pater Jesu Christi.

387. — Probatur ex Scriptura et S. Augustino, qui sacris Libris innixus, indicat varias rationes, propter quas B. Joseph merito pater Christi dicitur et est, quamvis eum non genuerit.

I. S. Joseph est pater Christi, ratione conjugii cum Maria matre Christi.

S. Augustinus dicit in lib. 3 contr. Faust. Manich., cap. 1: « Quid enim magnum est videre quæ vidistis, alios Christi secundum carnem progenitores commemorari a Luca, alios a Matthæo, cum ambo Joseph constituant, Matthæus ad quem terminet, Lucas a quo incipiat: qui propter quoddam cum ejus matre sanctum et virginale conjugium, ipse parens Christi meruit appellari, ut propter virilem dignitatem, ab ipso, vel usque ad ipsum, generationes texerentur. »

In lib. 2 de Consensu Evangelist., cap. 1, n.° 2: « Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non eum cuncumbendo genuerat, quandoquidem recte pater esset etiam ejus, quem non ex sua conjuge procreatum, aliunde adoptasset. »

Ibid., n.° 3: « Lucas dixit: *Et erat pater ejus et mater mirantes super iis, quæ dicebantur de illo.* (Luc. 2, v. 33). Cum igitur ipse narret, non

ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum; unde cum patrem ejus appellat, nisi quia et virum Mariæ recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii; et ob hoc etiam Christi patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus? Unde manifestum est illud, quod ait: *Ut putabatur filius Joseph* (Luc. 3, v. 23) propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur.»

Hanc doctrinam S. Augustini complent sequentia Suarcsii verba: De mysteriis vitæ Christi, disput. 8, sect. 1, n.° 4: « Per verum enim matrimonium cum Virgine contractum, quodammodo corporis ejus dominus effectus est, quia, ut Paulus inquit, (1 Cor. 7, v. 4), *mulier corporis suis potestatem non habet, sed vir.* Hinc ergo factum est, ut fructus corporis virginei quodammodo ad Josephum pertinuerit. Ut enim dicitur Institut... De Rer. divisione: Cum in suo solo, vers. Ex diverso: *Quod in alieno solo nascitur vel ædificatur, sub illius dominium cadit cujus est solum.* Unde etiam si miraculose in horto alicujus fons nasceretur, illius esset cujus est hortus. Quia ergo terra virginea de benedictione Domini concepit, ad Joseph, cujus erat terra, fructus illius benedictionis pertinuit... Addo tandem, virum et uxorem, per matrimonii vinculum, effici quodammodo unum; nam licet per carnalem copulam efficiantur una caro, tamen per vinculum ipsum efficiuntur unum cor, una voluntas. Unde fit ut bona habeant quodammodo communia, ita ut quod est sub unius dominio et potestate, ad alterum ex consequenti aliquomodo pertineat. Quia ergo B. Virgo vera fuit mater Christi, non potuit Joseph, verus ejus sponsus, rationem parentis non participare, carnali semper generatione excepta. »

II. S. Joseph est pater Christi, ratione auctoritatis paternæ.

S. Augustinus dicit in Serm. 51, cap. 10, n.° 16: « Ei quoque jubetur ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato. *Pariet,* inquit, *filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Sed hoc intendit Scriptura, quod non sit natus de semine Joseph, cum sollicito unde esset illa gravis utero, dicitur: *De Spiritu sancto est.* Et tamen paterna ei non aufertur auctoritas, cum jubetur puero nomen imponere. »

Ibid., cap. 11, n.° 19: *Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.* (Luc. 2, v. 51). Non dixit: Erat subditus matri, aut: Erat subditis ei; sed *Erat,* inquit, *subditus illis.* Quibus subditus erat? Nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus subditus erat, ea dignatione qua filius hominis erat... Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus. »

III. S. Joseph est pater Christi, ratione paternæ charitatis.

In eodem Serm. 51, cap. 20: « Omnino pater, non carne, sed charitate firmatur. Sic ergo pater sicuti est. Cautissime enim Evangelistæ et prudentissime per illum numerant, sive Matthæus descendens ab Abraham usque ad Christum, sive Lucas ascendens a Christo per Abraham usque ad Deum. Ille descendens numerat, ille ascendens, ambo per Joseph. Quare? quia pater. Quare pater? quia tanto firmius pater, quanto castius pater... Non ergo de semine Joseph Dominus, quamvis hoc putaretur; et tamen pietati et charitati Joseph natus est de Maria Virgine filius, idemque Filius Dei. »

Ibid., cap. 15 et 16: « Sicut ergo erat illud conjugium, sic quod caste uxor peperit, cur non caste maritus acciperet? Sicut enim caste conjux illa, sic ille caste maritus: et sicut illa caste mater, sic ille caste pater. Qui ergo dicit: « Non debuit dici pater, quia non sic genuerat filium », libidinem quærit in procreandis filiis, non charitatis affectum. Melius ille quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam et qui adoptant filios, castius eos corde gignunt, quos carne non possunt. Videte, fratres, videte jura adoptionis, quomodo fit homo filius cujus semine natus non est, ut plus in eo juris habeat voluntas adoptionis, quam natura gignentis. Ita ergo non solum debuit ipse pater Joseph esse, sed maxime debuit. Nam et de fœminis quæ uxores non sunt, generant homines filios, et dicuntur filii naturales; et præponuntur eis filii conjugales. Quantum pertinet ad opus carnis, æqualiter nati sunt. Unde isti præponuntur, nisi quia castior est uxoris charitas, de qua liberi procreantur? Non illic attenditur commixtio carnis, quæ in utraque fœmina par est. Ubi vincit uxor, nisi affectu fidei, affectu conjugii, affectu sincerioris castiorisque charitatis? Si ergo posset de uxore quisquam sine concubitu suscipere filios, non tanto debuit lætius, quanto illa castior, quam diligit amplius? »

IV. S. Joseph est pater Christi, ratione appellationis, inquantum hoc nomine a B. Virgine est nuncupatus, et talis a Christo agnitus.

Ibidem, cap. 10 et 11: « Ipsa virgo Maria bene sibi conscia, quod non ex ejus complexu et concubitu conceperit Christum, tamen eum patrem Christi dicit. Attendite quemadmodum cum esset duodecim annorum Dominus Jesus Christus secundum hominem, qui secundum Deum est ante tempora et sine tempore, remansit ab eis in templo, et disputabat cum senioribus, et admirabantur super doctrina ejus... Invenitur in templo et dicit ei mater ejus: *Quid nobis fecisti sic? Pater tuus et ego do-*

lentes quærebamus te. Et ille: *Non sciebatis, quia oportet me in his esse, quæ Patris mei sunt* (Luc. 2, v. 42-49)? Hoc propterea dixit, quia Filius Dei erat in templo Dei. Templum enim illud non erat Joseph, sed Dei. »

« Ecce, inquit aliquis, non se concessit esse filium Joseph. » Attendite aliquanto patientius, fratres, propter angustias temporis, ut sermoni sufficiant. Cum dixisset Maria: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te*, ille respondit: *Non sciebatis quia in his oportet me esse, quæ Patris mei sunt?* Non enim sic se volebat esse filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei. Filius enim Dei, semper Filius Dei, creans illos ipsos; Filius autem hominis ex tempore, natus de Virgine sine semine maritali, parentem tamen habebat utrumque. Unde hoc probamus? Jam dixit Maria: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te...* »

« Quod ergo respondet Dominus Jesus Christus: *Oportebat me esse in his, quæ Patris mei sunt*, non sic indicat Patrem Deum, ut neget patrem Joseph. Unde hoc probamus? Secundum Scripturam, quæ sic ait: Et dixit ad illos: *Non sciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Illi autem non intellexerunt quid illis locutus est. Et cum descendisset cum eis, venit Nazareth, et erat subditus illis.* »

V. **S. Joseph est pater Christi, ratione famæ,** inquantum vulgo putabatur pater ejus secundum carnem.

Ibid., cap. 20: « Aliter quidem putabatur esse pater Domini nostri Jesu Christi, scilicet sicut cæteri patres carne generantes, non solo spirituali affectu liberos suscipientes. Nam dixit et Lucas: *Qui putabatur esse pater Jesu.* Quare putabatur? Quia humana putatio et existimatio illuc ferebatur, quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Joseph Dominus, quamvis hoc putaretur. »

In lib. 2, de Consensu Evangelistar., cap. 1: « Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tanquam ex ejus omnino carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas, Nam Lucas ait: *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.* (Luc. 3, v. 23). Qui tamen Lucas non ejus parentem solam Mariam, sed ambos parentes ejus appellare minime dubitavit, ubi ait: *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.* Sed ne quispiam hîc parentes consanguineos potius Mariæ cum ipsa matre intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse Lucas superius dixit: *Et erat pater ejus et mater mirantes super iis quæ dicebantur de illo?* (Ibid., cap. 2, v. 40, 41, 33).

§ III.

B. Joseph aliquo modo pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ.

388. — In duobus paragraphis præcedentibus probatum est ex Scriptura et Patribus, Beatum *Joseph esse virum Mariæ*, et aliquo modo *patrem Jesu* Christi, qui ei subjici voluit. De præclaris illis titulis, dicit Benedictus XIV in lib. 4, de Canoniz. Sanct. Pars. 2, cap. 20, n.° 38: « Gratiæ hæc, spirituales illæ prærogativæ magnæ sunt, excelsæ sunt, certissimæ sunt, propriæ sunt, nec alteri Sancto communicatæ. »

« Porro ratione sublimis hujus cum Jesu et Maria propinquitatis, quæ soli Joseph propria est, illumque dignitate et gratia extollit super cæteros homines ac omnes Angelos, *existimamus eum aliquo modo pertinere ad ordinem unionis hypostaticæ, et supremum gloriæ gradum post Jesum et Mariam in cælo occupare;* quam opinionem probabilem ostendemus 1°) ex auctoritate theologorum; 2°) ex rationibus theologicis; 3°) refutando contrarias objectiones.

Probatur I. *Ex auctoritate theologorum.*

I. **Doctrina Suaresii.**

In tract. *de Mysteriis vitæ Christi*, disp. 8, Suaresius probabile esse docet, Beatum Joseph dignitate, ministerio, gratia et gloria superare 1°) ipsos Christi Apostolos et S. Joannem Baptistam, quia pertinet ad supremum unionis hypostaticæ ordinem; 2°) imo superare omnes Beatos post Jesum et Mariam.

1°) Dicit Suaresius loco citato, sect. 2, n.° 3: « Licet hæc quæstio revelata non sit, et ideo incerta sit, et soli Deo ac Beatis cognita, possumus tamen nonnihil probabilibus rationibus aut indiciis conjectare, quod his præsertim temporibus, *cum omni rigore explicare oportet.* »

Tunc quæstionem proponit per modum dubii, sicut sequitur: « Aliqui enim, pia fortasse devotione moti, nimium asseveranter Sanctum Joseph supra omnes Apostolos et Angelorum choros constituunt, ut videlicet, eo ordine quo a Matthæo, cap. 1, nominantur Jesus, Maria, Joseph, eodem in cœlesti gloria sedeant, et perfectione beatitudinis fruantur, quia officio, et dignitate, et amore fuerunt conjunctissimi. Sicut enim humanitas Christi eo abundantiorem gratiam obtinuit, quo propinquior fuit Verbo, et statim Beata Virgo, quæ proxima fuit filio, ita existimatur S. Joseph quasi tertium locum in abundanti gratia obtinuisse, quia post Virginem propinquissime attigit Christum, familiariusque tra-

ctavit, et singularem conjunctionem cum eo habuit. »

« Alii vero, nimium fortasse timidi, temerarium, aut etiam erroneum, existimant illum Apostolis æquare.... »

Ibidem, sect. 1, n.° 10, de eadem re disserens, ait: « In hac comparatione, quam a nemine video satis esse discussam ac declaratam, nihil affirmare volo. Probabiliter tamen dici posset, hæc munera *(scilicet Apostolorum et Beati Joseph)* esse quodammodo diversorum ordinum, et ideo non posse tam proprie comparari; habere tamen de mutuo sicut excedens et excessum. — Sentio equidem apostolicum munus esse supremum omnium eorum, quæ in Ecclesia Christi, prout ab eo in lege gratiæ instituta est, inveniuntur, ut Anselmus in Matth. 3, et D. Thomas in eumdem locum, et Rom. 8, lect. 5, expresse docuerunt, et testimonia et rationes factæ probant. Nihilominus tamen non existimo improbabile, munus seu ministerium Sancti Joseph, quatenus quodammodo est altioris ordinis, posse dici perfectius. — Intelligo enim quædam esse ministeria præcise pertinentia ad ordinem gratiæ gratum facientis, et in hoc ordine intelligo Apostolos habuisse supremum dignitatis fastigium, et indiguisse fortasse pluribus gratiis, præsertis gratis datis et sapientiæ donis, quam reliquos. Alia vero sunt ministeria, quæ attingunt ordinem unionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est, ut de dignitate Matris Dei supra diximus, et in hoc ordine institutum esse ministerium Sancti Joseph, et esse in infimo gradu illius, et in hac parte excedere reliqua, tanquam in superiori ordine existens. Unde D. Thomas supra attente dixit, Apostolos esse majores officio novi Testamenti; officium autem Joseph non pertinuit ad novum Testamentum, neque proprie ad vetus, sed ad utriusque Auctorem et lapidem angularem, qui fecit utraque unum. (Ephes. 2, v. 14 et 20). »

Ibidem, sect. 2, n.° 6, Suaresius præfert quoque ministerium et sanctitatem S. Josephi ministerio et sanctitati S. Joannis Baptistæ, quo nullus hominum surrexit major in veteri Testamento: « Probabile est, Josephum perfectiorem gratiam esse assecutum quam Joannem Baptistam, quia excellentius munus habuisse videtur, et majorem opportunitatem, pluresque occasiones crescendi in gratia et charitate. Et hinc sumitur confirmatio, quia Deus confert gratiam ministerio et dignitati accommodatam, ut iisdem locis citatis D. Thomas dicit; sed ostendimus probabile esse Josephi munus eo fuisse excellentius, quo ad altiorem ordinem pertinuit. Quid ergo mirum quod majorem gratiam acceperit? »

2°) Ibidem, n.° 6: « Non existimo esse temerarium, sed pium potius et verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc *(Joseph)* reliquos omnes in gratia et beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est quod repugnat, neque in Patribus aliquid reperio. »

Ergo juxta doctrinam Suaresii, qui nos præmonuit, se in hac quaestione loqui *cum omni rigore theologico*, non est dogmatice certum, Beatum Joseph pertinere ad ordinem unionis hypostaticæ, ac proinde omnes Sanctos et Angelos gratia et gloria superare; hæc enim S. Joseph præcellentia non est expressa in Scriptura et Traditione. Verumtamen nihil est in Scriptura et Traditione quod ei repugnet, ac præterea potest probabilibus rationibus suaderi, ita ut non sit temerarium, sed potius pium sit et verisimile hanc præcellentiam agnoscere.

II. Confirmatur doctrina Suaresii auctoritate Benedicti XIV et S. Bernardini Senensis.

1°) Benedictus XIV, in doctissimo opere suo de Canoniz. Sanct., lib. 4, Part. 2, cap. 20, tanquam *probabiles* refert pias Suaresii opiniones de S. Josephi dignitate et prærogativis.

Ipse dicit, n.° 32 et 33: « Posset alia quoque considerari prerogativa, quod Sanctus videlicet Joseph corpore et anima ad cœlos ascenderit, et prope Christum Dominum post Beatissimam Virginem in sublimi throno fuerit collocatus... At cum id pendeat a celebri illa inter Patres et theologos controversia: An illi qui cum Christo Domino resurrexerunt juxta illud Matth. 27: *Monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt*, ad immortalem corporis et animæ vitam transierunt, vel potius resurrexerint iterum morituri... asseri tuto nequit. » Sed tamen *probabiliter* dici potest.

Hanc controversiam videbimus in Tomo III, Parte II, et ostendemus probabilius esse, quod illi Sancti ad gloriosam vitam resurrexerunt.

2°) S. Bernardinus Senensis, Serm. de S. Josepho, art. 3: « Sic quidem credendum est, non tamen asserendum, quod piissimus Filius Dei Jesus pari privilegio decoravit suum putativum patrem, sicut suam sanctissimam Matrem, ut sicut illam assumpsit in cœlum in corpore et anima gloriosam, sic etiam, in die Resurrectionis suæ, Sanctissimum Joseph in gloria Resurrectionis secum tulit; ut sicut illa sancta familia, scilicet Christus, Virgo et Joseph in laboriosa vita et amorosa gratia simul vixerunt in terris, sic in amorosa gloria nunc, in corpore et anima regnant in cœlis, juxta regulam Apostoli 2. Cor. 1: *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* »

389. — Probatur II. *Ex rationibus theologicis.*

Quamvis Propositio nostra non exprimatur in Libris sacris, concludi tamen potest ex rationibus in Scriptura fundatis.

1°) Ex incomparabili dignitate Sancti Joseph. Evangelium expresse testatur Beatum Joseph esse virum Matris Verbi incarnati, et patrem ipsius Verbi incarnati. — Atqui duo illi tituli Beato Joseph proprii sunt, illumque extollunt super omnes Angelos et Sanctos, qui sunt servi Jesu Christi et Mariæ, cum Jesus sit Rex supremus et Maria Regina Angelorum, Apostolorum atque Sanctorum omnium; solus autem Joseph est pater supremi Regis et vir Reginæ cœli et terræ; solus Joseph per multos annos, auctoritate paterna et maritali, imperavit Jesu et Mariæ, quibus ministrant Angeli, et ministrarunt omnes Sancti, dum in terra vivebant. Joseph enim erat caput sanctæ familiæ; unde Maria ipsi subjiciebatur juxta illud Eph. 5, v. 22: *Mulieres viris suis subditæ sint;* et Jesus parentibus subjiciebatur, sicut dicit S. Lucas 2, v. 51: *Et erat subditus illis.* — Ergo Joseph dignitate superat omnes servos Jesu et Mariæ, atque pertinet ad ordinem gratiæ et gloriæ superiorem.

Confirmatur ex eo, quod B. Joseph, ratione duorum titulorum prædictorum, specialem habet relationem honoris cum SS. Trinitate; nam titulus patris Christi est aliquo modo communis Deo Patri et soli Joseph, et titulus sponsi Mariæ est communis Spiritui sancto et soli Joseph. Ergo convenit ut Beatus Joseph præ omnibus Angelis et Sanctis elevetur ad honoris gradum, qui propius ad divinam Trinitatem, seu ad Ordinem increatum accedat.

2°) Ex intima conjunctione Josephi cum Jesu et Maria. Evangelium testatur Beatum Joseph esse virum Mariæ et patrem Jesu Christi. Ergo indissolubili vinculo conjugali ac sanctissimo amore cum Maria conjunctus est, et beatissimi illi conjuges Jesum diligebant ineffabili charitate, quam nullus Angelorum vel hominum unquam verisimiliter æquavit. — Atqui, non intelligi potest, Deum rupisse in gloria cœlesti intimam illam unionem, quam ipse per gratiam suam in terra formaverat; hæc autem unio rupta esset, si quilibet Angelus, vel homo, inter Mariam et Joseph in cœlesti gloria interponeretur. — Ergo Jesus, Maria et Joseph inseparabiliter uniuntur in gloria cœlesti, sicut per gratiam in terra uniti sunt.

Confirmatur ex his verbis Apostoli 1. Cor. 13, v. 8: *Charitas nunquam excidit.* Ergo Jesus, Maria et Joseph in gloria cœlesti se invicem diligunt atque inter se uniuntur, eadem charitate quâ se invicem in terra diligebant, et inter se uniebantur.

3°) Ex pietate Jesu erga patrem suum Joseph. Deus omnibus hominibus hoc præceptum in Decalogo imposuit, Exod. 20, v. 12: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Hoc præceptum voluit Christus magnifice implere erga Mariam Matrem suam, quam super choros Angelorum et Sanctorum exaltavit ad cœlestia regna. — Atqui, conveniebat ut etiam Joseph patrem suum elevaret super omnes servos suos in throno, qui propius ad matris suæ et uxoris ejus thronum accederet. — Ergo verisimillimum est, Beatum Joseph pertinere ad ordinem gratiæ et gloriæ superiorem omni cæterarum creaturarum elevationi.

4°) Ex ordine prædestinationis Beati Joseph. Beatus Joseph in æternis Dei decretis prædestinatus est, ut esset vir matris Verbi incarnati, et pater ipsius Verbi; nihil enim facit Deus in tempore, quin ab æterno decreverit. Jam vero, quando Deus aliquem prædestinat ad quamdam dignitatem occupandam, et ad implenda munera huic dignitati annexa, ipsi abundantes tribuit gratias huic dignitati vel muneri proportionatas. — Atqui, post dignitatem Jesu Christi et Mariæ Matris ejus, nulla concepi potest dignitas major dignitate Josephi. Creatura enim tanto dignior est, quanto propior est divinæ Trinitati; nulla autem creatura propior est divinæ Trinitati quam Christi humanitas hypostatice unita Verbo Dei; insuper nulla creatura Christo Deo-homini propior est quam Maria, Mater ejus secundum carnem; denique nulla creatura Jesu Christo et Mariæ propior est quam Joseph, vir Mariæ et pater Jesu. — Ergo post Christum hominem et Mariam, nulla creatura Josepho dignior est. Ergo nulla creatura majorem gratiam accepit suæ dignitati consentaneam. — Atqui, gloria proportionatur gratiæ. — Ergo Joseph primum gloriæ gradum post Jesum et Mariam in cœlo occupat. Ergo cum Jesu et Maria pertinet ad aliquem gratiæ ac gloriæ ordinem, tribus tantum personis illis ab æterno præparatum.

5°) Ex trinitate ordinis universali.

a) Ordo universalis complectitur tum Ordinem mere increatum et exemplarem, tum ordinem mere creatum et exemplatum, tum ordinem unionis hypostaticæ, qui simul est increatus et creatus, exemplaris et exemplatus. — Atqui, Ordo mere increatus complectitur tres personas divinas, ordo mere creatus complectitur tria creaturarum genera, nempe creaturas mere spirituales, creaturas mere corporales, et hominem spiritu et corpore compositum. — Ergo convenit ut etiam ordo unionis hypostaticæ sit trinus ad

exemplar Ordinis increati, complectendo tres personas, quæ post divinam Trinitatem sint exemplaria perfectionis et ordinis creaturarum inferiorum, saltem creaturarum spiritualium, et in ordine supernaturali.

b) De sanctæ Familiæ Trinitate dicit S. Franciscus Salesius (Entretien 19): « Il n'y a aucun doute que S. Joseph n'ait été doué de toutes les grâces et de tous les dons que méritait la charge, que le Père éternel lui voulait donner de l'économie temporelle et domestique de Notre Seigneur et de la conduite de sa famille, qui n'étant composée que de trois, nous représente le mystère de la Très-Sainte et très-adorable Trinité, non qu'il y ait de la comparaison, sinon en ce qui regarde Notre Seigneur, qui est l'une des personnes de la Très-Sainte Trinité, car quant aux autres ce sont des créatures. Mais pourtant nous pouvons dire ainsi, que c'est une Trinité en terre, qui représente en quelque façon la Très-Sainte Trinité: Marie, Jésus et Joseph; Joseph, Jésus et Marie; Trinité merveilleusement recommandable, et digne d'être honorée. » — Similiter Gerson de sanctæ Familiæ Trinitate loquitur in sua celebri concione de Nativitate B. V. Mariæ.

c) Ordo sanctæ Familiæ non est æqualis sicut Ordo divinæ Trinitatis, sed inæqualis est. Præterea, sibi ipsi inversus est, secundum quod consideratur in terra, vel in cœlo. In terra enim, caput S. Familiæ erat Sanctus Joseph, cui Maria subjiciebatur tanquam uxor viro, et Jesus tanquam filius patri; *erat* enim *subditus illis*, scilicet Mariæ et Josepho, non ex ulla obligatione, sed ex spontanea humilitate.

In cœlo autem, Jesus Christus non est amplius humiliatus, sed glorificatus; itaque primum in S. Familia locum occupat, Maria secundum, Joseph tertium; et tres simul constituunt inæqualem unionis hypostaticæ ordinem. Jesus enim æqualis Patri secundum divinitatem, et inferior Patre secundum humanitatem, est Rex totius regni Dei, seu Ecclesiæ triumphantis in cœlo, patientis in Purgatorio, et militantis in terra; est Caput totius Ecclesiæ, et fons omnium gratiarum; Maria est Regina totius Ecclesiæ, et intercessione sua nobis obtinet omnes gratias, quæ a Christo fonte defluunt. Joseph est primus Minister totius regni Dei, et nobis omnibus distribuit omnes gratias, quas Maria per intercessionem suam nobis a Christo obtinet, ita ut sit in cœlo provisor totius Ecclesiæ, quemadmodum fuit in terra œconomus sanctæ Familiæ. — Communiter enim pii auctores existimant illum fuisse figuratum a vetere Joseph, primo Pharaonis ministro; insuper Pius IX Beatum Joseph proclamavit patronum Ecclesiæ universæ, et ipsa Ecclesia illi applicat verba Psalmistæ de priore Joseph loquentis: *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ.* (Psal. 104, v. 21).

Plane confitemur hæc omnia non esse certa de fide, sed tamen nullus catholicus negabit, nostram doctrinam esse penitus pietati christianæ, sanæ theologiæ et ordini universali consentaneam.

390. — III. **Refutantur objectiones.**

Objectio I. In veteri Testamento, S. Joannes Baptista fuit sanctior sancto Joseph, ac proin nunc in gloria cœlesti major; dicit enim ipse Christus apud Matth. 11: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista;* quæ verba, secundum Cornelium a Lapide aliosque interpretes, S. Joannem Baptistam extollunt super omnes justos veteris saltem Testamenti. — Atqui, S. Joseph pertinet ad vetus Testamentum. — Ergo S. Joannes Baptista major est illo.

Respondetur *negando Minorem*, et dicendo cum Suaresio, loco cit., sect. 1, n.° 10: « Officium Joseph non pertinuit ad novum Testamentum, neque proprie ad vetus, sed ad utriusque Auctorem *et lapidem angularem, qui fecit utraque unum.* »

Negamus quoque Consequentiam ex eo, quod S. Joseph officium nobilius et Christo propinquius habuit, quam S. Joannes Baptista; fuit enim putativus Christi pater, tutor ac nutritius, dum S. Joannes fuit tantum Christi præcursor. — Atqui, Deus hominibus confert gratiam dignitati ac ministerio eorum accommodatam, sicut docet S. Thomas in Epist. ad Roman. 8, lect. 5. — Ergo S. Joseph fuit major et sanctior S. Joanne Baptista. — Confirmatur ex eo, quod S. Joseph diu vivendo in continua Jesu Christi societate, ac proin divinis ejus exemplis et verbis utendo, majorem opportunitatem crescendi in gratia et charitate habuit quam S. Joannes Baptista, qui vixit in deserto, ac interdum solummodo Christum vidit et allocutus est.

Objectio II. In novo Testamento primus et dignissimus gradus, quem Christus in Ecclesia instituit, est dignitas et ministerium Apostolatus, juxta 1. Cor. 12: *Posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos,* qui propterea *fundamenta Ecclesiæ* dicuntur in Epist. ad Ephes. 2 et in Apoc. 21. — Atqui, ad tantum munus obeundum, Deus majorem gratiam et sanctitatem Apostolis contulit quam cæteris hominibus, ut asserit ipse Paulus ad Eph. 1: *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis;* id est, ait S. Thomas, « abundantius quam in aliis » Et subdit sanctus doctor: « Ex quo apparet temeritas illorum, ut non dicam error, qui ali-

quos Sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratia et gloria; manifeste enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam majorem quam aliqui alii Sancti, post Christum et Virginem matrem. » Eodem modo loquitur doctor angelicus super Epist. ad Roman. 8. — Ergo Apostoli Sanctum Joseph superant gratia et gloria.

Respondetur *distinguendo Majorem.* Concedimus apostolatum esse supremum gradum, quem Christus in Ecclesia instituit in ordine gratiæ gratum facientis; sed supra hunc ordinem existit ordo unionis hypostaticæ, qui immediate refertur ad divinam personam Christi, et in quo fit intimior creaturæ conjunctio cum Verbo, omnis gratiæ fonte. — Atqui, Joseph tertium locum in hoc ordine tenet post Jesum et Mariam; et gratiam et gloriam huic dignitati congruam a Deo accepit, sicut supra ostendimus. — Ergo Sanctus Joseph ipsis Apostolis major est in Ecclesia.

Quæ conclusio non contradicit S. Thomæ, nam doctor angelicus asserit Apostolos esse cæteris Sanctis majores ratione ipsius sui apostolatus, qui est officium novi Testamenti; at officium S. Joseph non refertur ad novum, neque ad vetus Testamentum, sed ad ipsam personam Christi, qui est medius et angularis lapis utriusque Testamenti, sicut supra diximus ex Suaresio.

Objectio III. Sanctitas et gloria Beatorum manifestatur claritate cultus, quem Ecclesia catholica ipsis decernit. — Atqui, Ecclesia Sanctum Joseph per multa sæcula non coluit; nam cultus illius Sancti a sæculo XVI incepit; et etiam ab hoc tempore Ecclesia Apostolis ac S. Joanni Baptistæ honores decernit, quos Sancto Josepho non tribuit; sic verbi gratia nomen ejus non commemorat in Canone Missæ, nec in Confiteor; illudque Angelis et S. Joanni Baptistæ postponit in Litaniis omnium Sanctorum. — Ergo Apostoli et S. Joannes Baptista sunt sanctitate et gloria majores Sancto Joseph.

Respondetur, *negando Majorem;* cum Suaresio, qui dicit loco cit., sect. 2, n.° 6: « Ex usu Ecclesiæ et auctoritate nullum potest sumi argumentum... quia Ecclesia non semper nititur majori sanctitate in modo colendi aliquem Sanctum; alias esset Laurentius existimandus sanctior multis Apostolis. Considerat ergo alias rationes et circumstantias, ministerium videlicet quod in Ecclesia habuit, singularem aliquam utilitatem, vel Ecclesiæ ædificationem majorem, denique notitiam et cognitionem, et alia hujusmodi. »

Deinde explico Minorem. Ecclesia Sanctum Joseph per multa sæcula non coluit, non quia illum considerabat ut dignitate ac sanctitate inferiorem Apostolis, sed quia prius voluit in fidelium mentes stabilire duplicem Christi generationem virginalem ex Deo Patre et ex Maria Matre, ac prudenter timebat ne Sanctus Joseph, ob sublimem dignitatem suam viri Mariæ et patris Christi, a carnalibus Paganis ad veram fidem conversis haberetur ut pater Christi secundum carnem; itaque diu judicavit cultum sancti Joseph non esse opportunum; sed beatissimum illum virum colere tantum cœpit, quando prædictum periculum, crescente dogmatum cognitione et spiritualiori fidelium sensu, evanuit. Idcirco cultus Sancti Joseph nostris temporibus ita extulit, ut patrem Jesu et virum Mariæ proclamaverit universalis Ecclesiæ patronum, principale ejus festum die 19 Martii celebratum elevaverit ad ritum duplicem majorem primæ classis, festum autem Patrocinii ejus ad totam Ecclesiam extenderit sub ritu duplici majori secundæ classis cum octava, atque decreverit ut Sanctus Joseph invocaretur post B. V. Mariam in Suffragiis Sanctorum et in oratione *A cunctis.* — Quod si nomen ejus non inseruerit in Canone Missæ, nec in prece Confiteor, hoc est quia opportunum non judicavit vel unum verbum mutare in antiquissimis precibus, quæ ab Ecclesiæ exordio usque ad nos pervenerunt immutatæ sicut ipsa Ecclesia. — Quoad Litanias omnium Sanctorum, si argumentum ex eis desumptum valeret, sequeretur S. Joannem Baptistam, omnesque Patriarchas et Prophetas veteris Testamenti, esse Apostolis ac omnibus Sanctis novi Testamenti superiores, cum ante hos in Litaniis nominentur; item Sanctos Innocentes esse sanctitate ac merito superiores cæteris Martyribus, qui sponte crudeliorem mortem pro Christo passi sunt, et omnibus Ecclesiæ Pontificibus, Doctoribus ac Virginibus; quæ vel falsa vel absurda sunt. Patet ergo Sanctos in Litaniis non nominari ordine dignitatis, sed temporis, vel attentis aliis rationibus; et si aliquando servetur ordo dignitatis, Beatorum dignitas et sanctitas considerantur tantum in genere, ita ut omnes Apostoli præponantur ordinariis Martyribus, Martyres Confessoribus, Confessores Virginibus, sed hoc ordine non declaratur gradus sanctitatis singularium Sanctorum, ut manifestum est.

Objectio IV. Theologia catholica triplicem cultum distinguit, scilicet cultum latriæ soli Deo et Christo debitum; cultum hyperduliæ soli matri Dei debitum; et cultum duliæ omnibus Dei servis præstandum, tam hominibus quam Angelis. — Atqui, ponendo S. Joseph in ordine unionis hypostaticæ, tres isti cultus confunduntur. — Ergo S. Joseph in hoc sublimi ordine non est ponendus.

Respondemus *negando Minorem.* Tres prædicti cultus utique confunderentur, si Jesus, Maria, Joseph, in ordine unionis hypostaticæ, venerarentur culto æquali; sed supra docuimus ordinem unionis hypostaticæ non esse æqualem, sicut est Ordo trium personarum in natura divina, sed esse penitus inæqualem ratione diversæ dignitatis personarum qui illum constituunt. — Atqui, distinctio cultuum fundatur in diversitate dignitatis personarum colendarum. — Ergo, dum ponitur S. Joseph in ordine unionis hypostaticæ, tres prædicti cultus nullo modo confunduntur, sed luculentissime distinguuntur, ita ut in eodem ordine inæquali, honoretur Jesus Christus cultu latriæ, B. V. Maria cultu hyperduliæ, et S. Joseph cultu duliæ.

Objectio V. Si ponatur S. Joseph in ordine unionis hypostaticæ, super cæteros Sanctos et Angelos, non cultu duliæ, sed potius cultu hyperduliæ honoratur; vel quartus aliquis cultus introducitur inter cultum hyperduliæ B. V. Mariæ debitum, et cultum duliæ cæteris Sanctis et Angelis præstandum. — Atqui, utrumque opponitur prædictæ doctrinæ catholicæ de triplici cultu. — Ergo S. Joseph non ponendus est in ordine unionis hypostaticæ.

Respondemus *negando Maiorem.* Nam S. Joseph, dum ponitur in ordine unionis hypostaticæ, non honoratur cultu hyperduliæ, qui soli Matri Dei detur; nec quarto aliquo cultu, qui medium teneat inter cultum hyperduliæ et cultum duliæ; sed honoratur cultu duliæ in supremo gradu, quo magnus ille Dei servus super cæteros Dei servos, tam Angelos quam homines, elevatur ratione majoris ad Christi personam propinquitatis sibi soli propriæ; quæ propinquitas fundatur in duobus titulis ipsi soli propriis, quibus dignitate superat cæteros Domini famulos, videlicet in titulis viri Mariæ et nutritii patris Christi. — Verumtamen, licet gratiæ ac gloriæ gradus, quo gaudet S. Joseph, sit longe superior gratiæ et gloriæ cæterorum Dei servorum, cultus ei debitus est cultus duliæ, seu cultus ejusdem speciei quam cultus cæterorum Sanctorum et Angelorum; nam plus vel minus non mutant speciem.

CAPUT II.

PROBATUR TRINUS ORDO ECCLESIÆ MILITANTIS, PATIENTIS ET TRIUMPHANTIS.

Prænotanda. — *Ecclesia sub generalissimo respectu considerata,* est angelorum et hominum cum divina Trinitate societas, cujus Caput, seu Princeps, est Jesus Christus. — Sub hoc respectu, Ecclesia ordinatur in trino statu, secundum quod est *triumphans* in cœlo, *patiens* in purgatorio et *militans* in terra. — At post ultimum judicium, sola remanebit *Ecclesia triumphans,* quæ ipsa trina erit *ex triplici sua hierarchia,* in qua angeli et homines simul ad visionem beatificam ordinantur.

In præsenti Capite, probabimus in quatuor Propositionibus, existentiam Ecclesiæ militantis, patientis ac triumphantis, et trinæ hujus Ecclesiæ unitatem in Communione Sanctorum.

PROPOSITIO I.

ECCLESIA MILITANS EXISTIT IN TERRA EX CHRISTI INSTITUTIONE.

391. — *Ecclesia sub triplici statu militat in terra,* et distinguitur juxta triplicem revelationem hominibus a Deo factam, scilicet juxta revelationem primitivam, mosaicam et christianam. Distinguuntur enim Ecclesia *patriarchalis,* quæ duravit ab Adam usque ad Moysem; Ecclesia *Mosaica,* quæ duravit a Moyse usque ad Christum; et Ecclesia *christiana,* quae a Christo fundata est, et durabit usque ad finem mundi. — Ecclesia patriarchalis et Mosaica præparaverunt Ecclesiam christianam, quæ est perfectus status Ecclesiæ militantis in terra; nam christianæ revelationi non succedet melior revelatio, nec societati religiosæ a Christo institutae succedet perfectior societas.

Ecclesia christiana definitur: Societas hominum adunatorum ejusdem fidei professione et eorumdem Sacramentorum participatione, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue Romani Pontificis, a Christo instituta. — Ecclesiæ christianæ existentia *est de fide* ex variis Symbolis. — Divinam ejus institutionem probabimus: 1°) Ex veteris Testamenti vaticiniis; 2°) ex Christi verbis; 3°) ex Christi factis; 4°) ex verbis Apostoli; 5°) ex historia; 6°) ex ratione.

Probatur I. *Ex veteris Testamenti vaticiniis.* Prophetæ veteris Testamenti non obscure prædixerunt Messiam instituturum esse societatem universalem, seu regnum omnium gentium, quod ad spiritualem præcipue et æternam hominum felicitatem gubernaretur. — Atqui, Christus est verus Messias in veteri Testamento prænuntiatus, sicut ab omnibus apologistis demonstratur. — Ergo Christus Ecclesiam instituit.

Probatur Major. In Psalm. 2, v. 6, Messias sic loquitur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, præ-*

dicans præceptum ejus. Et Deus ad eum dicit: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ; reges eos in virga ferrea.*

Isaias, cap. 2, init., sequentibus verbis prædicit Ecclesiam Messiæ: *Erit in novissimis diebus præparatus mons* (domus) *Domini in vertice montium, et elevabitur super omnes colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

Ibid., cap. 9, v. 7, de ipso Messia prædicitur: *Mutiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.*

Probatur II. *Ex Christi verbis, sive expressis, sive metaphoricis.*

1°) CHRISTUS EXPRESSE LOQUITUR de Ecclesia a se instituenda et judiciariam potestatem exercitura in rebus spiritualibus. Matth., 16, v. 18, ait Petro: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* — Ibidem, cap. 18, v. 16 etc., agens de correctione fraterna, inquit: *Si te non audierit* (frater tuus) *adhibe tecum adhuc unum vel duos... quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.*

Apud Joan., 18, v. 37 et 36. Christus aperte profitetur se esse Regem: *Tu dicis quia Rex sum ego.* Sed addit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Verumtamen non dicit regnum suum non esse *in* hoc mundo, nam illud in terra fundavit.

2°) CHRISTUS METAPHORICE LOQUENS, se comparat pastori, qui omnes homines, tam Judæos quam gentiles, in unum gregem congregat et ducit ad *pascua vitæ æternæ.* Joan., 10, v. 14, 16, 27, etc.: *Ego sum pastor bonus....., alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor..... Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me; et ego vitam æternam do eis.*

In variis parabolis, Christus Ecclesiam vocat *regnum,* propter ejus unitatem et membrorum multitudinem; et *regnum cœlorum,* propter finem supernaturalem.

Præterea Ecclesiam in terra militantem assimilat apud Matth., 13, v. 24, *agro,* in quo zizania crescunt cum tritico; et ibid., cap. 20, v. 1, *patrifamilias,* qui conducit operarios in vineam suam; cap. 22, v. 2, *regi* multos convivas in domum suam invitanti, et congreganti ad nuptias filii sui.

Probatur III. *Ex Christi factis.*

Ecclesia, sicut eam definivimus, constat materia et forma; etenim tanquam materia constat multitudine hominum, tanquam forma exteriore constat unitate potestatis hierarchicæ Sacramenta dispensantis; et tanquam forma interiore, seu anima, constat fide, spe, charitate aliisque Spiritus sancti charismatibus, — Atqui, Christus hæc omnia instituit. — Ergo Ecclesiam instituit.

Probatur Minor ex Evangelio, in quo legimus Christum ad se congregasse Apostolos et discipulos, quos supernaturaliter adunavit alligatione ejusdem fidei, eorumdem Sacramentorum, et obedientiæ erga eamdem auctoritatem. Dixit enim apud Marc., 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* — Joan., 6, v. 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* — Matth., 16, v. 18 et 19. Christus Petrum constituit Ecclesiæ suæ fundamentum, seu Principem, cui supremam potestatem sub clavium symbolo figuratam tradidit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* — Luc., 10, v. 16, dicit Apostolis suis: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* — Joan., 14, v. 26; *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.*

Probatur IV. *Ex verbis Apostoli,* qui pluribus in locis, Ecclesiam vocat Christi corpus, cujus omnia membra intime per fidem et charitatem uniuntur in Spiritu sancto; Christum autem vicissim nuncupat Ecclesiæ Caput, cui omnia membra, hierarchice disposita, uniri debent per gratiam, ut totum corpus vivat et augeatur. Sequentia verba referre sufficiat.

1. Cor., 12. v. 11, 12, 27 et 28. *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles; sive servi, sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus... Vos estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores,* etc.

Ephes., 5, v. 23, 25, 27: *Christus Caput est Ecclesiæ; ipse Salvator corporis ejus... Dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Ibid., cap. 4, v. 15 et 16: *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

Coloss., 1, v. 18: *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ.* — Ibid., cap. 2, v. 10, 18 et 19: *Et estis in illo repleti, qui est Caput omnis principatus et potestatis... Nemo vos seducat... non tenens Caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.*

Probatur V. *Ex historia*, quæ testatur Ecclesiam christianam nunc existere, atque a Christi temporibus usque ad nos semper extitisse. Nam ex Actibus Apostolorum, cap. 2, v. 42, etc.; cap. 4, v. 23, etc.; cap. 5. v. 12, etc., discimus primos fideles fuisse statim adunatos in societatem particularem, cui præerant Apostoli. Falsissime igitur quidem asserunt primos christianos non fuisse a Synagoga distinctos. Dicitur enim in Act. 8, v. 1, etc., post occisionem S. Stephani a Judæis, magnam persecutionem ab eis factam fuisse in *Ecclesia, quæ erat Jerosolymis*, et Saulum Pharisæum vastasse *Ecclesiam.*

Præterea omnes historici, tam sacri quam profani, testantur Christianos semper a Judæis et Gentilibus, non solum per fidem internam, sed etiam per signa externa distinctos fuisse, et specialem societatem constituisse. Quod confirmatur tum variis persecutionibus contra Ecclesiam christianam motis, tum sectis ab ea recedentibus, tum Conciliis in ipsa celebratis, et multis aliis monumentis ab historia subministratis. Tandem in omni tempore, hæc societas hominum eamdem religionem profitentium nuncupata est *Ecclesia christiana*, quia Christum tanquam Auctorem et Regem suum semper venerata est, ac veneratur.

Probatur VI. *Ex rationibus convenientiæ*, scilicet ex eo, quod unitas religionis, et finis communis omnium fidelium, exposcebant Ecclesiæ institutionem a Christo.

1°) Oportet ut Religio Christi sit una.

Atqui, nihil huic unitati tam opponitur quam individualismus. Ergo oportuit ut individualismus ejusque fluctuationes tollerentur. Hoc autem nihil tam efficaciter operatur, quam societas, in qua intellectus, voluntas et vita uniuscujusque individui gubernantur secundum formam seu regulam communem, ac proinde impediuntur quominus omnia suis fluctuationibus permisceant atque perturbent. — Ergo oportuit ut Christus Ecclesiam institueret.

2°) Omnes fideles ad eumdem finem tendunt, scilicet ad æternam beatitudinem.

Atqui, societas in qua conjunguntur voluntates et vires, est optimum medium ad communem finem attingendum. — Ergo oportuit ut Christus discipulos suos in societatem redigeret, seu Ecclesiam instituerit, ad eorum salutem sapienter procurandam.

PROPOSITIO II.

EXISTIT ECCLESIA PATIENS, SEU PURGATORIUM, IN QUO JUSTORUM ANIMÆ POST MORTEM MUNDANTUR, ET VIVORUM SUFFRAGIIS JUVANTUR.

392. — *Est de fide* ex Concil. Tridentino, Sess. 6, can. 30: « Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit. » — Item, in Sess. 25, docet sacra Synodus: « Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. »

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Ex 2, Machab., cap. 12, v. 43, etc., manifestum est Judæos communiter credidisse, purgatorium existere, et animas, in eo detentas posse viventium suffragiis adjuvari. Legitur enim de Juda, fortissimo belli duce: *Facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans; nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum et vanum videretur orare pro mortuis; et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

2°) Apud Matth., 12, v. 32, dicit Christus: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex his verbis manifestum est, quædam peccata remitti, non tantum in hac vita, sed etiam post mortem. — Atqui,

nullum peccatum remittitur in cœlo, ex quo excluditur omne peccatum, neque in inferno ubi nulla est remissio, quia nulla est pœnitentia, cum reprobi sint in peccato obstinati. — Ergo præter cœlum et infernum, existit locus, in quo defuncti a peccato purgantur, et quem idcirco appellamus purgatorium.

Confirmatur explicatione Patrum, qui ex allato textu existentiam purgatorii concluserunt. Ita S. Augustinus, lib. 21 de Civit. Dei, cap. 24: « Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro. » — Eodem modo ratiocinatur in lib. 6 contr. Julian., cap. 5. — Similia loquuntur S. Ambrosius de Elia et jejun., cap. 20; S. Gregorius Magnus, lib. 4 Dialog., cap. 39; S. Fulgentius, lib. 1 de Remiss. peccator, cap. 24.

3°) In 1. Cor. 3, v. 15, S. Paulus loquens de imperfectis justorum operibus, seu de peccatis venialibus, quæ comparat fœno et stipulis in Christo fundamento superædificatis, dicit: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Jam vero, per hunc ignem plures Ecclesiæ Patres et Doctores intelligunt ignem purgatorii. Sic S. Ambrosius, Serm. 20 in Psalm. 118: « Cum Paulus dicit: *Sic tamen quasi per ignem*, ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnam ignis passurum, ut per ignem purgatus, fiat salvus, et non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. » — Item S. Augustinus enarrat in Psalm. 32, n.° 3, S. Hieronymus in cap. 4 Amos, S. Anselmus, S. Bonaventura, S. Thomas, et Patres latini in Concilio Florentino.

Probatur II. *Ex Patribus*, tam græcis quam latinis, qui unanimiter loquuntur de orationibus et oblationibus peragendis pro defunctis, atque sic manifeste profitentur statum animarum, quæ in altera vita purgantur.

I. **Ex Patribus græcis:** S. Dionysius Areopagita, de Eccl. hierarch., cap. 7, sequentibus verbis exponit sui temporis consuetudinem: « Accedens venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit, precatur divinam clementiam, ut defuncto dimittat cuncta peccata per humanam infirmitatem admissa, eumque in luce statuat et regione vivorum. »

S. Cyrillus Hieros., Catech. 5, Myst., n.° 9, describens sacrosanctum missæ sacrificium, ait: « Deinde pro omnibus generatim (oramus) qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima. »

S. Gregorius Naz., Orat. 39, n.° 19, loquens de iis, qui arroganter judicant se omnino puros esse: « In altero ævo, igne fortasse baptizabuntur, qui postremus est Baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar fœni depascitur, ac omnis vitii levitatem absumit. »

S. Gregorius Nyss., in orat. de mortuis, habet: « Non potest a corpore egressus, divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorii ignis abstulerit. »

S. Chrysostomus, Homil. 41, in 1 Cor., n.° 4 et 5, ait quod defuncto peccatori oportet « succurrere non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, sed ut inde eis aliqua sit consolatio. »

II. **Ex Patribus latinis:** Tertullianus, lib. de Corona militis, cap. 3: « Oblationes pro defunctis annua die facimus. »

S. Cyprianus, Epist. 66 ad Furnitan., prohibuit, ne pro cujusdam Victoris « anima oblatio fiat, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur », quia contra canones ausus fuisset quemdam presbyterum constituere bonorum suorum tutorem. Adjicit enim: « Episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. »

S. Ambbosius, in Orat. funeb. pro Theodosio imperatore, Deum sic invocat: « Da requiem perpetuam servo tuo Theodosio, requiem illam quam parasti Sanctis tuis. Dilexi, et ideo prosequor eum in regione vivorum, nec deseram donec precibus et fletu inducam vivum, quo sua merita vocant in montem Domini sanctum, ubi perennis est vita. »

S. Augustinus, lib. 21 de Civit. Dei, cap. 13: « Temporarias pœnas, alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc; verumtamen ante illud judicium severissimum novissimumque patiuntur. »

S. Gregorius Magnus, in Psalm. pœnit., 3: « Scio futurum esse, ut post hujus vitæ exitum, alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis; sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto me non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari. »

Probatur III. *Ex antiquissimis Ecclesiæ liturgiis*, in quibus, tempore sancti Missæ sacrificii, preces præscribuntur, non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis. — Atqui, preces istæ nec beatis, nec reprobis prodesse possunt, sed tantum animabus in purgatorio detentis, sicut patet. — Ergo existit purgatorium.

Probatur Major. Tales sunt liturgia hierosolymitana, quæ S. Jacobo attribuitur; romana, quæ S. Petro; alexandrina, quæ S. Marco; æthiopica, mediolanensis, et quæ sub nominibus S. Basilii, S. Chrysostomi, S. Gregorii, S. Cyrilli vulgatæ sunt. — His adjici possunt liturgiæ plurium sectarum, quæ jam a primis temporibus discesserunt ab Ecclesiæ unitate, scilicet Jacobitarum, Cophtorum, Armenorum, Syriorum, Malabaricorum, etc., quæ peculiarem Missam pro defunctis continent.

Probatur IV. *Ex ratione theologica*, scilicet, ex divina justitia. Non enim omnes animæ quæ a corpore separantur, tam pravæ sunt, ut in infernum mittantur, nec tam puræ ut statim cœlum ingrediantur. — Ergo existit medius status, seu locus, in quo purgantur.

Probatur Antecedens, videlicet quod plures animæ justæ non plene puræ sunt, cum e suo corpore exeunt. Nam post culpæ remissionem, sæpe luenda remanet pœna temporalis, et plerique justi etiam culpis venialibus inquinantur. — Atqui, hæc pœna per purgatorii cruciatus luenda est; culpæ autem veniales remittuntur per primum charitatis actum, quem animæ separatæ eliciunt, sicut docet S. Thomas in q. 7, de malo art. 11, ad 3^{m} et 17^{m}, non obstante doctrina, quam prius tradidit in 4. dist. 21, q. 1, art. 3; alii putant cum Magistro sententiarum culpas veniales mundari igne purgatorii. — Ergo existit purgatorium.

PROPOSITIO III.

EXISTIT ECCLESIA TRIUMPHANS,
SEU SOCIETAS ANGELORUM ET HOMINUM,
VISIONE BEATIFICA
DIVERSIS FRUENTIUM GRADIBUS.

Hanc Propositionem per partes probabimus in duobus paragraphis.

§ I.

Homines Angelis sociantur in visione beatifica.

393. — Probatur I. *Ex sola Scriptura.*

1°) S. Joannes, in Apoc. 21 et 22, describit Jerusalem cœlestem, in qua regnant Deus et Agnus, seu Jesus Christus, et cujus cives sunt angeli ac homines, divino gloriæ lumine illustrati, et in eo Dei faciem contemplantes.

Cap. 21: « *Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo... Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus... et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum dicens: veni et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem a Deo, habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso.* »

Cap. 22: « *Sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi et videbunt faciem ejus... et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit eos, et regnabunt in sæcula sæculorum... Et ego Joannes, qui audivi et vidi hæc. Et postquam audivissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat, et dixit mihi: Vide ne feceris; conservus enim tuus sum.* »

2°) Apud Matth. 18, v. 10, Christus ipse beatificam Dei visionem angelis adscribit. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* — Atqui, homines in gloria cœlesti angelis ab eodem Christo assimilantur Matth. 22, v. 30: *Erunt sicut angeli Dei in cœlo*, seu ut apertius dicit Luc. 20, v. 36: *Æquales angelis sunt.* — Ergo et homines glorificati faciem Dei vident, seu Angelis sociantur in visione beatifica.

3°) S. Paulus in epist. ad Ephes., cap. 1, v. 13, etc., asserit Christum in cœlo esse Caput omnis Ecclesiæ triumphantis, ad quam pertinent ipsi angeli. *Credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, et Potestatem et Virtutem, et Dominationem... et omnia subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.*

Probatur II. *Ex Scriptura et Patribus.*

1°) Doctor angelicus in 1. q. 108, art. 8, quærit: *Utrum homines assumuntur ad ordines Angelorum.* Et auctoritate *S. Augustini* innixus, respondet affirmative quoad dona gratiæ et gloriæ; sed non quoad dona naturæ. « Per donum gratiæ, homines mereri possunt tantam gloriam, ut Angelis æquentur secundum singulos eorum

gradus, quod est homines ad ordines Angelorum assumi. Quidam tamen dicunt, quod ad ordines Angelorum non assumuntur omnes qui salvantur, sed soli virgines, vel perfecti; alii vero suum ordinem constituent, quasi condivisum toti societati Angelorum. *Sed hoc est contra Augustinum,* qui dicit 12. de Civit. Dei, cap. 1, quod non erunt duæ societates hominum et Angelorum, sed una, quia omnium beatitudo est adhærere uni Deo. »

2°) Ibidem dicit S. Augustinus, lib. 22, cap. 29: « Sicut ergo illi (angeli) vident, ita et nos visuri sumus; sed nondum ita videmus. Propter quod ait Apostolus quod paulo ante dixi: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Præmium itaque fidei nobis visio ista servatur, de qua et Joannes Apostolus loquens: *Cum apparuerit, inquit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti Est.* (1. Joan. 3, v. 3). Facies autem Dei manifestatio ejus intelligenda est, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus. »

3°) S. Hieronymus in Epist. ad Ephes., cap. 1, v. 23: *Et ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus et plenitudo ejus.* « Non solum hominum, sed etiam Angelorum cunctarumque Virtutum et rationalium creaturarum Ecclesia intelligi potest. »

Item in cap. 2, v. 19-22: *Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed cives Sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos cœdificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* « Potest omnis ædificatio super fundamentum Apostolorum Prophetarumque constructa, non solum nos, sed et cœlestes significare Virtutes, ut universi pariter fiant habitaculum Dei in Spiritu. Incongruum quippe esse aiunt, ex hominibus ædificationem compactam atque concordem crescere in templum sanctum in Domino, fierique habitaculum Dei in Spiritu, Angelos autem et beatas quasque virtutes, quæ in cœlestibus Deo serviunt, ab hac felicitate alienas existimari. »

Probatur III. *Ex ratione theologica.*

Ad perfectam societatis unitatem requiruntur quatuor conditiones, nempe membrorum ejus convenientia in natura spirituali, et unitas principis, finis ac legis. — Atqui, hæc quatuor reperiuntur in supernaturali societate Angelorum et hominum in Ecclesia triumphante. — Ergo Angeli et homines unam tantum societatem in cœlo constituunt.

Probatur Minor 1°) Homines cum Angelis conveniunt in natura spirituali et rationali, quæ sola capax est Legem divinam cognoscendi, ac libere observandi, et tandem Deum in cœlo contemplandi. — 2°) Homines et Angeli unum habent Principem, nempe Deum unitrinum. Ad rem S. Thomas 1. q. 108, art. 1, cap.: « Hierarchia est sacer principatus, ut dictum est. In nomine autem principatus duo intelliguntur, scilicet ipse princeps et multitudo ordinata sub principe. Quia igitur unus est Deus, Princeps non solum omnium Angelorum, sed etiam hominum et totius creaturæ; ideo non solum omnium Angelorum; sed etiam rationalis creaturæ, quæ sacrorum particeps esse potest, una est hierarchia secundum quod Augustinus dicit in 12. de Civit. Dei caput 1, duas esse civitates, hoc est societates: unam in Angelis bonis et hominibus, alteram in malis. » — 3°) Homines et Angeli in cœlo eumdem finem ultimum consecuti sunt, nempe supremam beatitudinem, quæ in immediata Dei visione consistit. Unde cum Deum eodem modo contemplentur, scilicet immediate, unam tantum hierarchiam in cœlo constituunt. Sed homines in terra, diversam ab Angelis hierarchiam constituunt, quia diverso modo ab uno Principe Deo gubernantur, sicut docet S. Thomas persequens locum praecitatum. — 4°) Homines et Angeli in cœlo eadem lege gubernantur, scilicet lege charitatis, quæ nunquam excidit, qua indissolubiliter cum Deo atque inter se uniuntur, et juxta quam omnia beatissime operantur.

Probatur IV. *Ex sacra Liturgia,* nempe ex litaniis et hymnis, qui cantantur in festis Sanctorum omnium, et Dedicationis Ecclesiæ.

I. *Etenim in Litaniis Sanctorum omnium,* Angeli, Archangeli, et omnes sancti beatorum Spirituum ordines invocantur cum omnibus sanctorum hominum ordinibus. Similiter *in festo Sanctorum omnium,* seu Ecclesiæ triumphantis in cœlo, Angeli post Jesum et Mariam recensentur cum Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus et Virginibus.

1°) Ad Laudes canitur:

Salutis æternæ dator,
Jesu, redemptis subveni:
Virgo parens clementiæ
Dona salutem servulis.

Vos Angelorum millia,
Patrumque cœtus, agmina
Canora Vatum, vos reis
Precamini indulgentiam etc.

2°) Ad Vesperas cantatur:

Placare, Christe, servulis,
Quibus Patris clementiam,
Tuæ ad tribunal gratiæ,
Patrona Virgo postulat.

Et vos beata, per novem
Distincta gyros agmina,
Antiqua cum præsentibus
Futura damna pellite.

Apostoli cum Vatibus
Apud severum Judicem,
Veris reorum fletibus
Exposcite indulgentiam.

II. *In festo Dedicationis Ecclesiæ*, capitulum constat verbis Apocal. 21: *Vidi sanctam Jerusalem novam descendentem de cælo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.*

Deinde statim in Hymno celebratur cœlestis Jerusalem, composita etiam hominibus, qui tanquam viventia saxa, prius in terra fuerunt secata et polita.

Cœlestis urbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quæ cœlsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsæque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus!
. . . . . .
Scalpri salubris ictibus
Et tunsione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.

§ II.

Justorum animæ omnino puræ, statim post mortem, beatifica visione fruuntur, sed diversis gradibus.

Est de fide contra errorem illorum, qui putaverunt Sanctos, nonnisi post resurrectionem, beatifica visione fruituros esse. Fidem catholicam statuit Concilium Lugdunense II his verbis: « Credimus illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel iis exutæ, sunt purgatæ, mox in cœlum recipi. » — Concilium Florentinum in Decreto adjicit: « Sanctorum animas in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, pro meritorum diversitate, alium alio perfectius. » — Denique Concilium Tridentinum Sess. 6, can. 32, eum anathemate percellit « qui dixerit, hominem justificatum per bona opera non mereri augmentum gloriæ. »

I. **Probatur visionis beatificæ adeptio statim post mortem.**

394. — Probatur I. *Ex Scriptura.* Epist. 2, Cor. 5, v. 8: *Audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.* — Item ad Philip. 1, v. 21 et 23: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum... Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* — In his textibus nulla ponitur mora inter *peregrinari a corpore* et *præsentes esse ad Dominum*, neque inter *dissolvi* et *esse cum Christo.*

Confirmatur 1°) Nisi statim post mortem Apostolus fuisset cum Christo, desiderium ejus foret prorsus inutile, et nullum lucrum in morte invenisset.

2°) Apostolus dissolutionem corporis non desiderasset, sed magis vitam diuturnam, ut fidelibus profuisset, quemadmodum patet ex contextu: *Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos.*

Probatur II. *Ex modo loquendi Patrum et Ecclesiæ.*

Patres, tam græci quam latini, in panegyricis Sanctorum et Martyrum concionibus, dicunt eos migrasse ad Dominum, Deum intueri, lumine ex eo emicante repleri. Quando autem in specie agunt de quodam rege, dicunt eum a regno terrestri ad cœleste translatum esse.

Sancta Ecclesia eodem modo loquitur, et diem obitus Sanctorum vocat diem nativitatis ipsorum.

Probatur III. *Ex ratione theologica.*

Sanctorum animæ, statim post mortem, ad visionem beatificam, quam Deus ipsis promisit et meruerunt, admittendæ sunt, nisi aliquid obstet, vel ex parte cœli, vel ex parte corporis Sanctorum, vel ex parte ipsorum animæ. Atqui nihil obstat. Ergo.

Probatur Minor. Nihil obstat ex parte cœli, quod post Christi Ascensionem apertum est; nihil obstat ex parte corporis Sanctorum, quod ad visionem beatificam non requiritur, cum Deus non videatur mediante corpore; nihil obstat ex parte animæ Sanctorum, quæ supponitur prorsus a peccato pura vel purgata. Ergo.

395. — II. Probatur inæqualitas in visione beatifica, seu in mercede æterna, quæ est ipse Deus, sicut dixit Dominus ad Abraham. Genes. 15, v. 1: *Ego sum merces tua magna nimis.*

Probatur I. *Ex Scriptura.*

Matth. 16, v. 27: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* — 1. Cor. 3, v. 8: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* — 2. Cor. 9, v. 6: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* — Luc. 19, narrat parabolam servorum, in qua legitur: *Venit primus dicens: Domine,*

mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi (Dominus): *Euge, serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem civitates. Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates.* — Ex his omnibus textibus manifestum est, mercedem servorum Dei esse inæqualem juxta meritorum inæqualitatem.

In 1. Cor. 15, v. 41, exprimitur inæqualitas gloriæ corporalis Sanctorum, quæ ex spirituali ipsorum gloria, seu ex visione beatifica resultabit: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum.*

Joan. 14, v. 2, dicit Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt;* quibus verbis Patres intelligunt diversitatem gloriæ Beatorum, sicut ex sequenti argumento patebit.

Probatur II. *Ex Patribus.*

Tertullianus in Scorpiaco, cap. 6, quærit: « Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? »

Idem tradunt S. Irenæus, lib. 4, contra hæres, cap. 13; S. Ambrosius, lib. 5, in Luc., cap. 6; S. Cyprianus, lib. de habitu virgin.; S. Hilarius, in Psalm. 64; S. Gregorius Naz., orat. 40, in Baptisma.

Item S. Augustinus, cujus sequentes locos transcribemus. Tract. 67, in Joan., n.° 3: « Etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior, *in domo Patris mansiones multæ sunt;* nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito... Multæ mansiones diversas meritorum, in una vita æterna, significant dignitates. » — In Psal. 150, n.° 7: « Habebunt enim etiam tunc surrecti Dei, differentias suas consonantes, non dissonantes; id est consentientes, non dissentientes, sicut fit suavissimus concentus ex diversis quidem, sed non inter se adversis sonis. *Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* (1. Cor. 15, v. 41). — Serm. 132, cap. 4: « Diverse lucebunt; sed omnes ibi erunt splendor dispar, cœlum commune. »

Probatur III. *Ex ratione theologica.*

1°) *Ex proportione inter merita et præmia beatorum.*

Divina justitia seu æquitas exigit, quod sicut hominum merita ac demerita in hac vita inæqualia sunt, ita præmia et supplicia in altera vita inæqualia sint. — Atqui, præmium essentiale Beatorum est clara Dei visio. — Ergo beatifica visio inæqualis est juxta meritorum diversitatem.

2°) *Ex pulchritudine ordinis gloriæ.*

Pulchritudo ordinis creati naturæ, gratiæ et gloriæ in hoc consistit, quod inæqualiter repræsentet æqualem Ordinem increatum et exemplarem, seu divinam Trinitatem. — Atqui, beatifica visio constituit essentialiter ordinem gloriæ. — Ergo inæqualitas ad ipsius pulchritudinem requiritur.

Confirmatur ex eo, quod inæqualtas invenitur in ordine naturæ et in ordine gratiæ, quæ est radix gloriæ. Ergo etiam in ordine gloriæ invenienda est.

PROPOSITIO IV.

ECCLESIA MILITANS, ECCLESIA PATIENS ET ECCLESIA TRIUMPHANS, PER SANCTORUM COMMUNIONEM ITA UNIUNTUR, UT TRES EJUSDEM CHRISTIANÆ ECCLESIÆ PARTES CONSTITUANT.

396. — Communio Sanctorum *de fide est* ex Symbolo Apostolorum, in quo expressis verbis profitemur Sanctorum communionem. — A theologis describitur: Connexio Ecclesiæ triumphantis, patientis, et militantis, vi cujus tres illæ unius ejusdemque Ecclesiæ partes, charitate conjunctæ sub eodem Capite Christo, unum corpus constituunt, atque ita non tantum communia habent, secundum variam cujusque mensuram, bona supernaturalia ipsis a Christo comparata, sed etiam se invicem honorant, diligunt et sibi mutuo succurrunt. — Unde per Sanctorum communionem, trina Christi Ecclesia ad unitatem redigitur.

Porro Sanctorum Communio in hoc consistit: 1°) quod Ecclesia triumphans intercedit apud Deum pro militante et patiente; 2°) quod Ecclesia patiens, a militante adjuvetur, et pro illa intercedat; 3°) quod Ecclesia militans colat et invocet triumphantem, a qua adjuvatur; ac quod patientem adjuvet et ab ea adjuvetur, ut dictum est; et 4°) quod bona gratiæ inter membra Ecclesiæ militantis sint communia, secundum variam cujusque membri mensuram, ad bonum totius corporis.

Hæc omnia in quatuor paragraphis probanda sunt.

§ I.

Ecclesia triumphans intercedit pro militante et patiente.

Pars I. — *Angeli et Sancti in cœlo intercedunt pro hominibus in terra militantibus.*

397. — *Est de fide* ex Concil. Nicæno II, Act. 6, in fine: « Cum timore omnia agamus,

postulantes intercessiones immaculatæ Deiparæ, item sanctorum Angelorum omniumque Sanctorum. » In Decret, art. 4, idem Concilium anathematizat illos « qui Sanctorum non postulant orationes tanquam fiduciam habentium pro mundo intercedere secundum Ecclesiasticam traditionem. » — Item ex Concilio Tridentino, quod Sess. 25, in decreto de Invoc. Sanctor. definivit contra Protestantes: « Illos qui asserunt... illos (nempe Beatos) pro hominibus non orare... impie sentire. » Ibidem docet: « Sanctos una cum Christo regnantes, orationes pro nobis offerre. »

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Intercessio Angelorum manifestissime exprimitur in Zach. 1, v. 12, ubi Angelus pro populo judaico sic deprecatur: *Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* Hanc vero orationem fuisse a Deo exauditam testantur verba proxime sequentia: *Et respondit Dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria... Propterea hæc dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiis, et domus mea ædificabitur in ea.* Ipse Melanchton vim probantem hujus textus agnovit in sua Apolog. confessionis Augustanæ, art. 21, § 3, etc., ubi dicit: « Largimur quod Angeli orent pro nobis; exstat enim testimonium Zachariæ 1, v. 12, ubi Angelus orat: *Dominus Deus exercituum,* etc. »

Item in Daniele 3, v. 35, scriptum est Angelum pro Judæorum ex captivitate reditu orasse, ipsum adjuvante *Michaele uno ex Principibus,* dum *Princeps* seu Angelus Persarum utrique resisteret, et quod petierat obtinuisse.

2°) Intercessio Sanctorum defunctorum non minus clare in Scriptura exprimitur. Sic 2. Mach., cap. 15, v. 12. Judas Machabæus vidit Oniam summum sacerdotem, qui e vita jam decesserat, *manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum.* — Et ibidem, v. 14, Onias dicit Judæ Machabæo de Jeremia diu ante mortuo: *Hic est fratrum amator et populi Israël; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei.*

In Apoc. 5, v. 8, legitur: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Hæc ultima verba duplici modo intelligi possunt. — Juxta aliquos interpretes, sensus est: sicut Angeli, ita animæ beatæ in cœlo *orationes Sanctorum* in terra viventium offerunt Deo, eas suis intercessionibus ac patrociniis adjuvando. — Juxta alios, *orationes Sanctorum* sunt preces, quas Sancti in cœlo fundunt non pro seipsis, cum eis non indigeant, sed pro hominibus viatoribus, qui ab illis adjuvantur. Hæc ultima explicatio confirmari potest per locum parallelum in Apoc. 8, v. 3 et 4: *Alius Angelus venit et stetit ante altare, habens thuribulum aureum; data sunt illi incensa multa, ut daret orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Probatur II. *Ex Patribus* utriusque Ecclesiæ, qui unanimiter tradunt, Angelos et Sanctos pro hominibus intercedere.

I. **Ex Patribus græcis:** Origenes, lib. 8, cont. Cels., n.° 64, dicit de Angelis et beatis animabus: « Adjuvant eos, qui summum Deum colere volunt, illum eis conciliant, suis illorum precibus adjungunt preces, simul cum eis postulant. »

S. Basilius, orat. 20, in quadraginta martyres, de illis ait: « Hi sunt qui nostram tenentes regionem, quasi quædam turres, contra adversariorum incursum refugium exhibent. » — Inferius eosdem nuncupat « communes custodes generis humani, orationis adjutores, legatos potentissimos. »

S. Gregorius Naz., orat. funeb. de S. Basilio: « Nunc ille quidem in cœlis est; illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, et pro populo preces fundens; neque enim ita nos reliquit, ut prorsus desereret. »

S. Gregorius Nyss., orat. de S. Theodosio Mart. ait: « Ipse ad Deum abiit, nobis vero memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populum congregans, Ecclesiam erudiens, dæmones arcens et fugans, angelos pacificos reducens, rogans a Deo pro nobis utilia, variorum membrorum medicinæ officinam hunc locum efficiens. »

S. Chrysostomus, homil. in SS. mart. Juvent. et Maxim., in fine: « Sicut milites vulnera, quæ in prœliis sibi inflicta sunt, regi monstrantes, fidenter loquuntur, ita et illi in manibus abscissa capita gestantes et in medium offerentes, quæcumque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt. »

II. **Ex Patribus latinis:** S. Ambrosius, lib. de Viduis, cap. 9, n.° 54: « Habetis proximos, qui pro vobis supplicant. Habetis Apostolos proximos, habetis martyres proximos, si in ipsa martyribus devotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinquetis. Pro socru rogant Petrus et Andreas frater ejus; tunc pro affine poterant, jam nunc possunt pro nobis et pro omnibus impetrare. »

S. Hieronymus, in Epist. ad Paulam de Obitu Blesillæ: « Pro te Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum. »

S. Augustinus, in Enchirid., cap. 56, dicit de Ecclesia triumphante: « Hæc in sanctis angelis beata persistit, et suæ parti peregrinanti, sicut oportet opitulatur. » — Et Enarrat in Psalm. 85,

n.° 29: « Omnes martyres, qui cum Christo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster. »

Probatur III. *Ex ratione theologica,* quæ argumenta ex Scriptura et traditione desumpta confirmat ex eo, quod Beatis non deest potestas, nec voluntas precibus suis nos adjuvandi.

1°) Beatis non deest potestas pro nobis intercedendi.

Nam ex libris utriusque Testamenti constat, homines justos in terra adhuc viventes, posse magna beneficia pro aliis impetrare; quod probatur exemplis Abrahæ, Gen., 18, v. 23, etc.; Loth, Gen. 19, v. 21; Jobi, cap. 41, v. 8, etc.; Moysis, Numer. 12, v. 11; Samuelis, 1. Reg. 7, v. 8, etc.; et Jeremiæ, 42, v. 2, etc. Et in Epist. Jacobi, 5, v. 16, scriptum est: *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.* — Atqui, si justi in terra viventes, in statu probationis existentes et imperfectionibus subjecti, possunt pro aliis intercedere et gratias impetrare, multo magis hoc præstare possunt in cœlo, intime Deo conjuncti et ab eo plene glorificati. — Ergo stat Propositio.

2°) Beatis non deest voluntas pro nobis intercedendi.

Nam juxta Apostolum 1. Cor. 13, v. 8: *Charitas nunquam excidit.* Ergo charitas in æterna beatitudine non extinguitur, sed permanet; imo magis perficitur, quia beati clarius cognoscunt rationes Deum et proximum diligendi. Itaque si Sancti adhuc viatores et charitate compulsi, tam prompte Deum pro aliis deprecabantur, quanto libentius nunc in cœlo hoc faciunt aucto charitatis igne. Negata autem Sanctorum intercessione, adimitur in Sanctis charitas, et tollitur Sanctorum Communio; nam quid Ecclesia triumphans agit in militantem, si pro illa non intercedit?

Objiciunt Protestantes, dogma catholicum de intercessione Angelorum et Sanctorum esse Christo injuriosum, alios mediatores præter ipsum agnoscendo, contra doctrinam Apostoli 1. Tim., 2, v. 5: *Unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.*

Respondetur distinguendo inter Mediatorem *primarium* seu justitiæ, et mediatorem *secundarium* seu gratiæ. — Atqui, Catholici cum S. Paulo docent, Christum dicendum esse unum ac solum Mediatorem justitiæ, quia solus dedit semetipsum redemptionem pro nobis, et dicendum esse solum Mediatorem primarium et universalem omnium hominum; quia ipse nullo indiget Mediatore apud Deum, dum cæteri homines ipso Mediatore indigeant. Sed Christus ut Mediator primarius non excludit mediatorem secundarium, inferiorem et subordinatum. Nam si hoc negaretur, etiam justis viatoribus non liceret pro aliis orare, quia intercessione sua injuriam Christo inferrent, quod nemo Protestantium asserere ausus est. Si autem justi viatores possunt, sine Christi injuria, pro aliis intercedere, cur non poterunt justi et angeli in cœlo triumphantes? — Ergo doctrina catholica de Sanctorum et Angelorum intercessione, non est Christo injuriosa, nec doctrinæ Apostoli contraria.

Pars II. — *Angeli et Sancti in cœlo, intercedunt pro animabus in Purgatorio patientibus.*

398. — Certum est Angelos et Sanctos facere non posse opera meritoria et satisfactoria, ita ut nequeant animabus purgatorii subvenire per modum *satisfactionis,* earum debita solvendo; sed tamen possunt illis prodesse per modum *impetrationis,* seu per intercessionem suam.

Probatur I. *Ex liturgia Ecclesiæ,* quæ sic orat: « Deus, veniæ largitor et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, *beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis,* ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. »

Probatur II. *Ex Communione Sanctorum,* cujus virtute Ecclesia patiens, sicut cum militante, ita cum triumphante constituit unum corpus, quod Caput habet Christum; et sicut a militante suffragia obtinet, ita a triumphante per Angelorum et Sanctorum intercessionem adjuvatur.

Objiciunt quidam doctores catholici: 1°) S. Scriptura et Patres nihil penitus dicunt de Beatorum intercessione pro fidelibus defunctis. 2°) Ut animæ purgatorii adjuventur, debita eorum solvenda sunt, seu satisfactio pro eis præstanda est. — Atqui, Angeli et Sancti extra statum vitæ existentes, non amplius possunt merita satisfactoria ponere, nec proinde defunctorum debita solvere. — Ergo pro fidelibus defunctis efficaciter intercedere nequeunt.

Respondetur. *1am objectionem* esse argumentum mere negativum. Probat quidem Propositionem nostram non inniti testimonio Scripturæ et Patrum, sed non probat eam esse contrariam doctrinæ revelatæ. Et licet revelatione non innitatur, fundatur tamen in aliis solidis argumentis, quæ allegavimus.

Ad 2am objectionem respondemus, Majorem nimium absolute asserere, animas purgatorii adjuvari non posse, nisi per debitorum ipsarum solutionem divinæ justitiæ præstandam. Cur enim pœnæ fidelium defunctorum mitigari ac

breviari non possent per divinam clementiam et misericordiam, supplici interventione amicorum Dei obtentam? Cur Rex cœlorum, clementissimus Jesus Christus, Matris suæ, Angelorum, Sanctorum suorum precibus exoratus, pœnas fidelium defunctorum, in toto vel saltem in parte non remitteret, sicut reges terræ veniam reis concedere solent in consideratione personarum gratarum, quæ pro eis intercedunt? Nonne Ecclesia in omnibus fere precibus, quas pro defunctis ad Deum dirigit, clementiam ejus exorat et misericordiam potius quam placatam ejus justitiam? Sic enim Deum deprecatur: « Deus, indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum... refrigerii sedem, » etc. — « Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur ut animam famuli tui... in pacis ac lucis regione constituas, » etc. — « Quæsumus, Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ, » etc. — « Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui... et quæ per fragilitatem carnis, humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. »

Et si quis, non obstante nostra responsione, non admitteret Beatos posse animas purgatorii juvare *directe*, tamen nemo negabit eos hoc posse saltem *indirecte*, per efficacissimam intercessionem suam a Deo impetrando, ut per gratias actuales excitet fideles viventes ad suffragia defunctis præstanda. Hoc autem, juxta divinæ Providentiæ ordinem, Beati promptius ac abundantius facient, quo magis vel ab ipsis animabus adhuc in terra degentibus invocati sunt, vel a viventibus fidelibus pro defunctis invocantur. — Multi præterea opinantur, Angelos et Sanctos apud Deum intercedendo efficere posse, ut Deus ex ipsorum thesauro satisfactionem seu solutionem debitorum acceptet, sicut Ecclesia indulgentias pro defunctis concedendo per modum suffragii, efficit ut animæ purgatorii participent de Ecclesiæ thesauro.

§ II.

Ecclesia patiens adjuvatur a militante, et pro illa intercedit.

399. — *Prima pars* jam probata est in Propositione secunda. *Altera pars*, scilicet quod animæ purgatorii pro vivis intercedant, est communis et multo probabilior, quam opinio negativa. Ita Bellarminus, de Purgat., lib. 2, cap. 15; Sylvius in Supplem. S. Thomæ, q. 71, art. 7; Estius in 4. diss. 45, § 11, ad 7^{m}; Lessius, de Justit., lib. 2, cap. 37, diss. 5; Valentia in 2. 2. T. 3, diss. 6, q. 2; Biel in Canon Missæ, lect. 58; Suaresius, de Orat., lib. 1, cap. 11; S. Alphonsus de Ligorio, diss. 2 de Novissim. § 3, n.° 2, etc.

Quidam vero contrariam sententiam tenent, innixi his verbis S. Thomæ 2. 2. q. 83, art. 11, ad 3^{m}: « Illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores, quantum ad pœnas quas patiuntur. Et secundum hoc, non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis. » — Quod confirmant ex eo, quod animæ in purgatorio detentæ non cognoscunt preces nostras in particulari, quia non vident eas in Verbo, nec cognoscunt ex speciali revelatione, de qua nullatenus constat. — Denique, si animæ in purgatorio pro nobis orarent, essent etiam invocandæ, quod non fert Ecclesiæ consuetudo.

Sed hæc argumenta priorem opinionem non infirmant.

Nam I. **Textus S. Thomæ allegatus, non est sententiæ affirmativæ contrarius.**

Etenim juxta Cardinalem Gotti et Sylvium, doctor angelicus non absolute asserit, animas purgatorii non esse in statu orandi, sed tantum respectu ad pœnas quas patiuntur, et secundum quas magis ab aliis adjuvari indigent, quam alios adjuvare valeant, sicut omnibus manifestum est. Nihilominus animæ illæ sunt sanctæ, inseparabiliter Deo per charitatem unitæ, eique in æternum gratæ, ita ut, sub hoc respectu, in eis inveniatur præcipua conditio ad intercedendum pro aliis apud Deum; et quamvis non amplius possint pro se mereri et sibi subvenire, id non impedit quominus pro aliis orare possint, sicut Job, variis pœnis a Deo afflictus et omni misericordia dignus, potuit tamen in tali statu pro amicis suis orare, eisque commissarum culparum veniam impetrare, quia Deo gratissimus erat.

II. **Nec obstat secundum impedimentum ab adversariis oppositum,** scilicet quod animæ in purgatorio nostras necessitates ac preces in particulari non cognoscunt.

1°) Nullo enim argumento positivo hæc negatio probatur. Et quamvis affirmatio contraria ipsa non innitatur aliquo argumento dogmatico, pie tamen credi potest, ait S. Alphonsus loco citato, fideles defunctos necessitates et preces nostras in particulari cognoscere, sive ex divina revelatione, sive mediantibus Angelis, juxta S. Augustini doctrinam. Licet enim mortui, inquit sanctus doctor Hipponensis in lib. de Spiritu et anima, cap. 29, ea ignorent quæ in hac terra aguntur, tamen « scire possunt ab Angelis, qui hic nobis præsto sunt. » — Item S. Thomas in 1. q. 89, art. 8, ad 1^{m}, referens doctrinam ejusdem S. Augustini in lib. de Cura pro

mortuis agenda, cap. 15, ait de mortuis non glorificatis: « Possunt etiam facta viventium non per seipsos cognoscere, sed vel per animas eorum qui hinc ad eos accedunt, vel per Angelos, seu dæmones, vel etiam Spiritu Dei revelante, sicut Augustinus in eodem libro dicit. »

2° Cæterum fideles defuncti possunt pro nobis intercedere, etiamsi concederetur illos non cognoscere in particulari ea quæ ad nos spectant, sicut ibidem inquit doctor angelicus: « Animæ mortuorum possunt habere curam de rebus viventium, etiam si ignorent eorum statum, sicut nos habemus de mortuis, eis suffragia impendendo, quamvis eorum statum ignoremus. »

Sufficit, addit Suaresius, lib. 1 de Orat., cap. 11, ut defuncti pro nobis orent in generali; secundum generalem cognitionem, quam de rebus nostris habent. Docet enim eos « generatim orare posse pro Ecclesia militante ejusque rectoribus, aliisque quos ignorare nequeunt et vitam agere, et suas preces mereri, ut merentur omnes qui iis opitulantur. » Hoc autem sufficit, quia Deus omniscius generales defunctorum orationes viventibus applicat, et maxime ipsorum benefactoribus.

III. **Denique non obstat, quod sequeretur ex parte nostra invocatio animarum purgandarum,** quæ in ecclesiastica liturgia insolita est.

Respondetur enim Ecclesiam nihil circa hanc quæstionem definisse, ita ut animarum purgatorii invocationem nec commendaverit, nec reprobaverit. Sed cum invocet Sanctos in genere, sub istis intelligi possunt etiam animæ in purgatorio detentæ.

IV. **Intercessio animarum purgatorii confirmatur.**

1°) *Ex intima ejus connexione cum dogmate Communionis Sanctorum,* quæ hanc intercessionem exigit, sicut asserit doctissimus Estius, qui dicit in 4. diss. 45, § 11, ad 7^{m}: « Requirit hoc membrorum ejusdem corporis in charitate communio, præsertim cum *(animæ purgatorii)* non ignorent nos indigere suffragiis alienis. »

2°) *Confirmatur experientia,* juxta S. Alphonsum, qui loco citato ait: « Legitur in vita S. Catharinæ Bononiensis, hanc Dei famulam, quando specialem aliquam gratiam optabat, solitam fuisse ad animas purgatorii recurrere, et statim exaudiri. Imo testabatur se per istarum animarum intercessionem accepisse multas gratias, quas per Beatorum intercessionem non obtinuerat. Cæterum vita Sanctorum nobis subministrat sexcenta hujusmodi exempla. »

§ III.

Ecclesia militans jure merito colit ac invocat triumphantem.

De fide est ex Concilio Nicæno II, can. 7: « Si quis non confitetur, omnes qui a sæculo hucusque, et ante Legem, et in Lege, et in Gratia a Deo dati fuerunt, Sanctos venerandos esse coram Deo et anima et corpore; et horum intercessiones non petierit; utpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo, secundum ecclesiasticam traditionem intervenire, anathéma sit. »

Separatim probabimus 1°) cultum; 2°) invocationem Beatorum.

PARS I. — *Licitus et pius est cultus religiosus Beatis exhibitus.*

400. — Omnes norunt *cultum distingui in civilem,* qui alicui exhibetur propter naturalem ejus excellentiam et dignitatem; et in *sacrum,* qui alicui exhibetur propter supernaturalem ejus excellentiam. — Duplex autem distinguitur excellentia supernaturalis, scilicet *increata* seu divina, quæ sibi quidem naturalis est, sed infinite superat omnem creaturarum, tam naturalem quam supernaturalem excellentiam, cujus est Causa efficiens, exemplaris ac finalis; et *creata,* quæ constat donis supernaturalibus gratiæ et gloriæ a Deo acceptis.

Unde oritur duplex cultus: videlicet cultus *latriæ,* seu adorationis, soli Deo debitus; et cultus *duliæ,* seu venerationis, Beatis exhibitus. — Hic autem iterum duplex est, scilicet cultus *duliæ simplex* qui exhibetur omnibus Dei servis, tam Angelis quam hominibus, et cultus *hyperduliæ,* qui soli B. V. Mariæ exhibetur, propter supereminentem et quodammodo infinitam dignitatem Maternitatis divinæ et supereminentia dona supernaturalia, quæ ex hac dignitate sequuntur. — Ratione hujus subdivisionis, distinguitur triplex cultus, scilicet *latriæ, hyperduliæ* et *duliæ.*

Præterea, cultus distinguitur in *absolutum,* qui personæ alicui exhibetur propter intrinsecam ejus excellentiam, et *relativum,* qui personæ vel rei materiali exhibetur, propter excellentiam personæ, ad quam prædicta persona, vel res, aliquam habitudinem possidet; atque hoc modo coluntur Sanctorum imagines et reliquiæ.

Brevissime contra antiquos et modernos hæreticos propugnabimus 1°) cultum duliæ simplicem; 2°) cultum hyperduliæ; 3°) cultum sanctarum reliquiarum; 4°) cultum sanctarum imaginum.

I. Omnibus Beatis, tam Angelis quam hominibus, pie exhibetur cultus duliæ.

401. — Probatur I. *Ex Scriptura*, in qua legitur: 1°) Religiosum cultum fuisse Angelis exhibitum ab hominibus viatoribus, quin ipsa Scriptura reprehenderit, vel angeli repugnaverint. Ita Genes., 18 et 19; Josue, 5, v. 13-15; Exod. 33; Numer. 22; Judic. 13; Apoc. 22, etc.

2°) Honorem religiosum, quem Scriptura latissimo sensu vocat adorationem, redditum fuisse sanctis viris in hac terra degentibus, verbi gratia prophetis Eliæ in 3. Reg. 18, v. 7; Elisæo, 4. Reg. 2, v. 15; Danieli in ejus libro, cap. 2, v. 46. — Atqui, si justi, jam in hac terra et in statu humiliationis, religiose colendi sunt propter gratiæ dona ipsis a Deo concessa, a fortiori sic colendi sunt propter gloriæ dona et in statu honoris. — Ergo stat Propositio.

Probatur II. *Ex constanti traditione Ecclesiæ*, quæ manifestissime apparet: 1°) Ex festis, templis et memoriis Martyrum, quæ in remotissima antiquitate inveniuntur.

2°) Ex eo, quod veteres Judæi, Ethnici et hæretici Christianos idololatriæ accusaverunt propter cultum Beatorum.

3°) Ex testimoniis Patrum græcorum et latinorum, quorum sequentia citare sufficiet: S. Basilius, Epist. 291, scribit ad Ponticæ diœcesis Episcopos: « Martyrum honores cum summo studio procurantur ab iis, qui in Domino sperant; tunc præcipue a vobis, qui virtuti operam datis. » — S. Chrysostomus, Homil. 1. in Sanct. Martyres Juventinum et Maximinum: « Vos non aliter priscos, aliter recentiores colitis Sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes, et commendatis. » — S. Hieronymus Epist. ad Riparium: « Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. » Item doctor ex professo scripsit contra Vigilantium impugnantem Sanctorum cultum. — S. Augustinus, Serm. 1 de Sanctis Petro et Paulo: « Beatissimum Petrum piscatorem, modo genibus provolutis adorat multitudo. » Hic verbum *adoratur*, in sensu Scripturæ sumitur pro *religiose colitur*.

Probatur III. *Ex ratione.*

1°) Omnes admittunt, tanquam fundamentale moralitatis principium, hoc axioma, quod omne ens juxta dignitatem suam æstimandum ac venerandum est, juxta illud ad Rom. 13, v. 7: *Reddite omnibus debita... cui honorem honorem.* — Atqui, ex hoc principio, civilis cultus seu honor debetur civili dignitati, excellentiæ virtuti. — Ergo similiter cultus religiosus debetur supernaturalibus Sanctorum virtutibus ac dotibus.

2°) Ille quem Deus, supremus et infallibilis Judex meriti, honorat, ab hominibus honorandus est. — Atqui, Beati æterna gloria honorantur a Deo, propter supernaturalia ipsorum merita. — Ergo etiam ab hominibus honorandi sunt propter eadem merita, et quidem cultu religioso, qui in his meritis fundatur.

II. B. V. Maria cultu hyperduliæ honoranda est.

402. — Probatur I. *Ex ratione theologica.* Omne ens æstimandum et venerandum est juxta dignitatem suam. — Atqui, dignitas B. V. Mariæ maxime superat omnium Angelorum et Sanctorum dignitatem. — Ergo veneranda est cultu superiore cultui duliæ aliis Beatis debito.

Probatur Minor. B.V. Mariæ dignitas resultat ex illustrissimis prærogativis, quibus super cæteras creaturas extollitur. Est enim ab omni peccato originali et actuali immunis, gratia plena, Mater Dei, semper Virgo, generis humani Corredemptrix et mater nostra, ad summam gloriam anima et corpore assumpta, atque gratiæ Mediatrix inter Jesum Christum et homines, ita ut Christus nullam gratiam nobis concedat, nisi ex matris suæ intercessione. Illæ autem prærogativæ vel de fide credendæ sunt, vel fundatæ in Ecclesiæ traditione, sensu et modo loquendi.

Probatur II. *Ex antiquissimis Ecclesiæ monumentis*, quæ testantur B.V. Mariam semper fuisse a fidelibus honoratam super cæteros Beatos.

1°) *Ex vetustissima S. Jacobi liturgia* quæ fuit agnita et approbata, non tantum a S. Proclo præclaro Nestorii adversario, sed etiam a Synodo Quinisexta, Can. 32, in quo populus sequentibus verbis ad Mariam specialiter colendam excitatur: « Commemorationem agamus Sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ, Matris Dei et semper Virginis Mariæ ac omnium Sanctorum et justorum, ut precibus atque intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur. » — Et cum Sacerdos dixisset: « Ut Deus inter Sanctos omnes, præcipue meminisse velit Sanctissimæ immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semperque Virginis Mariæ » statim hæc chorus subjecit: « Dignum est, ut vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam et omnibus modis irreprehensam, et Matrem Dei nostri, honorabilioremque quam Cherubim, et gloriosiorem quam Seraphim, quæ sine corruptione Deum Verbum peperisti, te revera Deiparam magnificamus. »

2°) *Ex templis* mox in honorem B. Mariæ erectis, a tempore quo sub Constantino, Ecclesia pacem adepta est, et quæ numero longe superant ædes cæteris Sanctis dedicatas.

3°) *Ex Mariæ invocatione* prorsus speciali, quam a remotissima antiquitate adhibere so-

lita est Ecclesia, tum in publicis concionibus, tum in omnibus orationibus.

4°) *Ex insignibus gratiis* omni tempore obtentis per B. Mariæ intercessionem.

III. **Cultus relativus reliquiis Sanctorum exhibendus est.**

403. — *De fide est* ex Concilio Tridentino, quod Sess. 25 condemnat « affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi. »

Probatur I. *Ex Scriptura* referente miracula, quibus Deus ipse reliquias Sanctorum suorum honorando, approbavit honorem eis a nobis collatum, atque hujus cultus utilitatem ostendit.

Sic Eccli. 49, v. 18, de Josepho dicitur: *Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.*

In 4. Reg. 2, v. 13, de Eliseo narratur: *Pallio Eliæ percussit aquas, et divisæ sunt huc atque illuc, et transiit Eliseus.*

Ibid., cap. 13, v. 21: *Sepelientes hominem viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes.* Unde in loco citato Ecclesiastici, scriptum est de Eliseo: *Mortuum prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.*

Act. Apost. 19, v. 11: *Virtutesque non qualisbet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia; et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.*

Probatur II. *Ex Patribus* 1°) **Græcis:** S. Cyrillus Hieros., Catech. 18, n.° 16: « Ut non animæ solum justorum honorarentur, sed crederetur, etiam in justorum corporibus jacere vim penitus insitam, projectus in monumentum Elisei mortuus, mortuum prophetæ corpus attingens vitam concepit. »

S. Basilius, Homil. in Psalm. 115, n.° 4: « Mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquia Sanctorum ejus. In priori lege dicebatur sacerdotibus: *Non contaminabitur super ullo mortuo.* Nunc e diverso, martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit aliquatenus sanctificationis particeps. »

S. Chrysostomus, Homil. in S. Ignatium mart., n.° 5: « Quisquis cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo corpora, sed ipsi loculi et monumenta spirituali gratia referta sunt. »

2°) **Ex Patribus latinis:** S. Hieronymus in lib. adv. Vigilantium, cultum sanctarum reliquiarum vindicat, et ostendit eum esse antiquissimum ac universalem in Ecclesia Christi.

S. Augustinus, in lib. 1. de Civit. Dei, cap. 13: « Non contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis, ad omnia bona opera usus est Spiritus sanctus. »

Probatur III. *Ex Archæologia sacra*, scilicet ex antiquissimo Ecclesiæ more erigendi altaria et sacrum Eucharistiæ sacrificium Deo offerendi super martyrum sepulchra. Prima enim altaria in Catacumbis romanis, et primæ basilicæ, seu templa, super sacra Martyrum corpora fuerunt ædificata.

Hujus autem consuetudinis ratio a S. Augustino sic indicatur in Serm. 310, n.° 2: « Tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani bibitur sanguis Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. » — Et a S. Ambrosio, Epist. 22, n.° 13: « Sanctorum reliquiæ sub altare ponuntur, ut succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est; sed ille super altare, quia pro omnibus passus est, isti sub altare, quia illius redempti sunt passione. »

IV. **Cultus relativus sanctis imaginibus exhibendus est.**

404. — *De fide est* ex Concilio Tridentino, Sess. 25, docente: « Imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in eis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentilibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur et coram quibus caput operimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. » — Eadem doctrina jam definita erat a Concilio Nicæno II contra Iconoclastas, et a Concilio œcumenico Constantinop. IV.

Probatur I. *Ex Scriptura*, quæ testatur sacras imagines duorum Cherubim et serpentis æneï fuisse ipsius Dei jussu confectas, et Judæorum venerationi propositas. Exod. 25, v. 18: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi.* — Jam vero, teste S. Hieronymo, in Epist. ad Marcellam, Judæi qui arcam venerabantur, hos etiam Cherubim in magno honore habebant.

Numer. 21, v. 18, Deus mandavit Moysi, ut serpentem æneum faceret ac poneret *eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, vivet.* — Atqui, hunc serpentem fuisse symbolum Christi

in cruce elevati, declarat ipse Salvator apud Joan. 3, v. 14: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* — Ergo multo salubrius a Christianis aspicienda et veneranda est sacra imago ipsius Christi crucifixi.

Probatur II. *Ex Archæologia sacra.*

Picturæ in Catacumbis romanis conservatæ, invicte testantur sacras imagines fuisse ab Ecclesiæ incunabulis honoratas. Frequenter enim ibi in parietibus, vel in vasis depictæ inveniuntur imago Jesu Christi sub figura boni Pastoris, vel piscis, atque imagines Matris Dei et Apostolorum Petri et Pauli.

Confirmatur testimonio Tertulliani, lib. de Pudicit., cap. 7: « Imago autem Pastoris inventam ovem in humeris suis ferentis, ideo in calicibus repræsentabatur, ut in fidelibus ex calice bibentibus piæ confidentiæ et charitatis erga Christum sensus excitarentur. » — Item S. Hieronymi in cap. 4 Jonæ: « Et revera in cucurbitis vasculorum, quas vulgo sancomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare. »

Probatur III. *Ex ratione triplici:*

1°) *Ex sensu naturali*, qui nos impellit ut apud nos habeamus ac veneremur imagines eorum, quos diligimus et honoramus. Atqui, gratia non destruit, sed elevat naturam. Ergo etiam sensus supernaturalis nos impellit ad venerandas imagines Christi, B. V. Mariæ et Beatorum, quos divina charitate diligimus et religione honoramus.

2°) *Ex cultu civili*, qui juxta omnes exhibendus est regum imaginibus. Cur religiosus cultus non esset exhibendus sacris imaginibus Jesu Christi, Regis regum, B. Mariæ, cœli Reginæ, et Beatorum qui cum eis in cœlo regnant?

3°) *Ex ratione agendi Calvinistarum* venerantium panem et vinum Cœnæ suæ eucharisticæ, quæ juxta ipsos sunt tantummodo Christi imago seu figura. Quare similiter non venerarentur picturas vel statuas, quæ Christum et Sanctos repræsentant?

PARS II. — ***Licita et utilis est Beatorum invocatio.***

405. — *De fide est* ex Concilio Tridentino, quod loquens de Sanctis una cum Christo regnantibus, definit: « Bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere. Illos vero qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse, in cœlo regnantibus, voce vel mente supplicare, impie sentire. » — Item docet Concilium Nicænum II.

Probatur I. *Ex Scriptura* referente exempla invocationis Angelorum et Sanctorum, quæ non solum nullibi reprehenditur, sed potius tanquam utilis ac Deo grata ostenditur.

Sic in Genesi 19, v. 18, Loth angelos precatus est, et obtinuit ne urbs Segor igne cœlesti destrueretur. — Ibid., cap. 32, Jacob postquam cum Angelo luctatus est, benedictionem ab eo petiit et impetravit. Præterea, cap. 48, v. 16, idem patriarcha nepotibus suis Ephraim et Manasse benedicens ait: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* — Apoc. 1, v. 4, S. Joannes benedictionem Ecclesiis Asiæ precatur a Christo, et *a septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* — Atqui, Angelorum et hominum eadem est ratio in gloria cœlesti, quia homines in cœlo Angelis æquales sunt visione beatifica. — Ergo juxta Scripturam, licitum et utile est Beatos invocare, non tantum Angelos, sed etiam homines.

Cæterum in veteri Testamento, merita Patriarcharum in limbo detentorum commemorata sunt apud Deum, ut per ea facilius obtinerentur divina beneficia. Sic Exod. 33, v. 13, Moyses his verbis Deum precatur: *Recordare, Domine, Abraham, Isaac et Israël servorum tuorum.* — Daniel 3, v. 35, tres juvenes in fornace babylonica orarunt: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Israël sanctum tuum.* Quæ provocatio ad merita Sanctorum est species invocationis, quia Sancti generatim invocantur ex hac præsertim ratione, quod ipsorum intercessio existimatur efficacissima propter magna merita, quibus Deo placuerunt. — Atqui, hæc species invocationis nullibi in Scriptura reprehenditur, sed potius approbatur ut Deo accepta et hominibus utilis, nam in locis Exodi citatis additur, quod per prædictam Moysis orationem *placatus est Dominus*, et tres pueri in mediis flammis illæsi servati sunt. — Ergo licitum erat et utile, in veteri Testamento, provocare ad merita Sanctorum in limbo detentorum. — Atqui, a fortiori licitum est et utile, in novo Testamento, invocare Beatos cum Christo in cœlis regnantes. — Ergo stat nostra propositio.

Probatur II. *Ex Patribus* utriusque Ecclesiæ, qui tam verbis quam factis, testantur Ecclesiæ fidem de honestate ac utilitate invocationis Beatorum.

1°) **Apud Græcos:** ORIGENES, lib. de Orat., n.° 14: « Obsecratio et postulatio et gratiarum

actio non absurde potest et Sanctis offerre, ut adjuvent nos.» — S. Athanasius, serm. in Evang., Deiparam sic invocat: «Intercede hera et Domina et Regina et Mater Dei, pro nobis.» — S. Gregorius Nyss., orat. de S. Theodoro mart., sic eumdem orat: «Intercede, ac deprecare pro patria apud communem Regem et Dominum.»

2°) **Apud Latinos:** S. Ambrosius, lib. de Viduis, cap. 9: «Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt; martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare.» — S. Hieronymus invocationem Sanctorum ex professo contra Vigilantium vindicavit. — S. Augustinus, Serm. 159, n.° 1: «Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.»

Probatur III. *Ex monumentis ecclesiasticis*, quæ Beatorum invocatione plena sunt, qualia sunt: 1°) liturgiæ antiquissimæ, videlicet hierosolymitana S. Jacobo, romana S. Petro, æthiopica S. Matthæo attributa; 2°) item S. Basilii, S. Chrysostomi; 3°) ordo romanus in sacro Missæ sacrificio ac in divino Officio sequendus, ac præcipue Litaniæ omnium Sanctorum; 4°) inscriptiones et epitaphia; 5°) condemnationes hæreticorum, qui invocationem Sanctorum impugnaverunt.

§ IV.

Bona gratiæ omnibus membris Ecclesiæ militantis sunt communia, secundum cujusque membri mensuram, ad bonum totius corporis.

406. — Explicatur Communio Sanctorum in terra.

Communio Sanctorum vinculo charitatis conjungit non tantum *tres partes Ecclesiæ Christi*, scilicet Ecclesiam militantem, patientem et triumphantem, sed etiam inter se unit *membra cujusque partis*. Ergo omnia Ecclesiæ militantis membra ita inter se supernaturaliter uniuntur, ut gratiæ bona ab omnibus participentur secundum variam cujusque mensuram.

Jam vero bona gratiæ, quæ omnia membra Ecclesiæ militantis participant inæqualiter, sunt: 1°) eadem fides, eadem spes, eadem Sacramenta; et inter justos eadem gratia sanctificans, seu ejusdem Spiritus communicatio, eadem charitas et eadem dona infusa, charitati connexa; 2°) gratiæ gratum facientes et gratis datæ, quæ a singulis secundum variam mensuram accipiuntur, et omnibus prosunt; 3°) fructus omnium operum supernaturalium, scilicet orationum, sacrificiorum, jejuniorum, eleemosynarum, qui toti Ecclesiæ utilis est, excepto ipso principali operis merito, quod cuilibet justo operanti proprium est. Unde omnia supernaturalia singulorum membrorum opera influunt in bonum totius corporis, quin bonum individuale operantis ex hoc communi augmento minuatur; sicut in familia vel in civitate, individuorum prosperitas toti prodest communitati. 4°) Satisfactiones operum supernaturalium, quæ possunt a justo operante transferri in alterum justum in terra vel in purgatorio degentem, ita ut ille a reatu pœnæ temporalis liberetur. 5°) Gratiæ actuales, quæ possunt ab omnibus et pro omnibus oratione obtineri, etiam a peccatoribus et pro peccatoribus, ut pœniteant ac justificentur. Sed peccatores, utpote mortui supernaturaliter, sunt incapaces participare illa bona supernaturalia, quæ vitam gratiæ supponunt. — Horum bonorum communicatio probanda est.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

Psalm. 118, v. 63: *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.*

Matth. 6, v. 9, etc. Christus discipulis suis tradens modum orandi, ipsos edocet non in singulari, sed in plurali numero Deum precari, et pro omnibus gratias ab ipso petere: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo.*

Jacob. 5, v. 16: *Orate pro invicem, ut salvemini.*

Rom. 12, v. 5: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

1. Cor. 12, v. 4, 11 et 13: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus... Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult... Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.*

Eph. 4, v. 7: *Unicuique autem nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.*

Ibid. v. 15 et 16: *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

Coloss. 2, v. 18 et 19: *Nemo vos seducat... non tenens Caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.*

Probatur II. *Ex Catechismo romano.*

Pars 1, cap. 10, n.° 25: «Alia etiam communio in Ecclesia cogitanda est. Quæcumque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et ut illis prosint, charitate quæ non quærit quæ sua sunt (1. Cor. v. 5) efficitur. Id vero cum S. Ambrosii testimonio (Serm. 8 in Psalm. 118, n.° 54) comprobatur, qui locum illum

Psalmi explanans: *Particeps ego sum omnium timentium te*, ita inquit: *Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic conjunctum omnibus timentibus Deum.* Quare cum Christus eam nobis orandi formam præscripsit, ut diceremus: *Panem nostrum* non *meum*, ac reliqua ejus generis, non nobis tantum sed omnium saluti et commodis prospicientes. »

CAPUT III.

PROBATUR TRINUS ORDO ECCLESIÆ MILITANTIS IN SPECIE.

407. — Prænotanda. Postquam probavimus *in genere* unitrinum ordinem totius Ecclesiæ militantis, patientis et triumphantis, nobis demonstrandus est *in specie* unitrinus ordo Ecclesiæ militantis.

Hic ordo maxime elucet 1°) in trina potestate Christi, supremi Hierarchæ; 2°) in trina hierarchia objectiva et subjectiva, seu in trina Christi potestate ab ipso collata Apostolis suis et post eos Episcopis, Presbyteris et Diaconis; 3°) in summa potestate, seu in Primatu jurisdictionis, quem contulit Christus S. Petro ejusque successoribus, et qui est centrum unitatis hierarchiæ ecclesiasticæ in terra; 4°) in tribus dotibus, quæ in Ecclesiæ unitate fulgent.

Ista ordinis Ecclesiæ fundamenta in quatuor Propositionibus nobis probanda sunt.

PROPOSITIO I.

CHRISTUS, UT HOMO, ACCEPIT A DEO UNITRINO PLENAM TRINAMQUE POTESTATEM IN ECCLESIA, NEMPE MAGISTERIUM, SACERDOTIUM ET IMPERIUM.

408. — Prænotanda. Deus unus et trinus est supremus Ecclesiæ Hierarcha et summa potitur potestate ab alio non accepta. Igitur Christus, ut Deus, habet per se, cum Patre et Spiritu sancto, eamdem potestatem divinam. Sed ut homo, atque ut humanum Ecclesiæ Caput, potestatem suam a Deo accepit; unde sub hoc respectu, Deus est Caput Christi, sicut scribit Apostolus, 1. Cor. 11: *Caput vero Christi Deus*, et explicat S. Thomas, 3. q. 8, art. 1, ad 2^{m}. Igitur Christus, ut Deus, habet de se magisterium et imperium, non autem sacerdotium, quod competit humanæ naturæ; atque, ut homo, accepit a Deo magisterium, sacerdotium et imperium.

De fide est, Christum a Deo accepisse omnem potestatem, sicut ipse testatur apud Matth. 28, v. 18: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Præterea, non minus clare Scriptura affirmat Christum esse supremum *Magistrum seu Prophetam*, supremum *Pontificem* et supremum *Regem.* — S. Thomas, loquens de Messia in 3. q. 31, art. 2, corp., ait: « Christus futurus erat Rex, Propheta et Sacerdos. »

In veteri Testamento, tria hæc munia erant imperfecta, et in pluribus subjectis inveniebantur, quæ Christum figurabant; sed *in novo Testamento*, perfecte in una Christi persona resident, tanquam in unico Ecclesiæ Capite, ac nonnisi per Christi communicationem ab aliis participantur. Dicit doctor angelicus in 3. q. 22, art. 1, ad 3^{m}: « Alii homines particulatim habent quasdam gratias, sed Christus, tanquam omnium Caput, habet perfectionem omnium gratiarum. Et ideo, quantum ad alios pertinet, alius est legislator, et alius sacerdos, et alius rex; sed hæc omnia concurrunt in Christo, tanquam in fonte omnium gratiarum. Unde dicitur Isai, 33: *Dominus Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster; ipse veniet et salvabit nos.* »

§ I.

Christus est supremus Magister, seu Propheta.

409. — Probatur I. *Ex Scriptura.*

Hoc Christi munus populo judaico jam prædixerat Moyses in Deuter. 18, v. 15: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* — Item Joel. 2, v. 23: *Filii Sion, exultate et lætamini in Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* — Et Isai. 30, v. 20: *Non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum.* Ipsi autem Judæi Christum habuerunt ut Prophetam prædictum.

Joan. 6, v. 4: *Illi ergo homines, cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Additur in Matth. 7, v. 29: *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.* — Dicit ipse Christus discipulis suis, Matth. 23, v. 10: *Nec vocemini magistri, quia Magister vester unus est Christus*, et in Joan. 13, v. 13: *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim.* — S. Paulus scripsit ad Hebr. 1: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Probatur II. *Ex Patribus.*

Cum de hoc Christi munere omnes conveniant, supervacaneum foret Patrum consensum hac de

re probare pluribus testimoniis. Sufficiet quædam S. Augustini loca indicare. In lib. cont. mendac., cap. 13, docet Christum esse Prophetam prophetarum et Dominum prophetarum. — In Serm. 134, cap. 1, Christum esse Magistrum omnium. — In Serm. de Discipl. christ., cap. 14, Christum esse Magistrum verum. — In lib. 13. Confess., cap. 19, Christum esse Magistrum bonum.

Probatur III. *Ex S. Thoma*, qui loquitur de Christo ut Doctore in 3. q. 42, et de Christo ut Propheta 3. q. 7, art. 8.

§ II.

Christus est supremus Pontifex.

410. — Probatur I. *Ex Scriptura.*

Psalm. 109, v. 4: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* — Quæ verba Christo applicantur ab Apostolo, Hebr. 5, v. 5: *Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum... Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* — Ibidem 9, v. 14: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei teneamus confessionem.*

Præcipuum Sacerdotis munus est sacrificium, ut scribitur ibid., cap. 5, v. 1: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* — Atqui, Christus semetipsum Deo ut victimam obtulit. Eph. 5, v. 2: *Christus tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* — Ergo vere Pontifex est, qui simul est Sacerdos et victima.

Probatur II. *Ex S. Augustino.*

Lib. 10 de Civ. Dei, cap. 20, docet quod Christus et in homine, et secundum hominem quem suscepit, est Sacerdos et sacrificium, cui cesserunt omnia sacrificia vetera. — Enchir., cap. 33: Cuncta Legis et prophetarum sacrificia erant umbra sacrificii Christi. — Lib. 10 Confess., cap. 43: Christus victor et victima, sacerdos et sacrificium. — Lib. 6 Op. imperf. cont. Julian., cap. 6: In Epist. ad Hebr., sacrificium Christi dicitur fuisse in Melchisedech figuratum, ac Sacerdotio levitico præponitur.

Probatur III. *Ex S. Thoma*, 3. q. 22, art. 1: « Proprie officium Sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum, inquantum scilicet divina populo tradit; unde dicitur Sacerdos quasi sacra dans, secundum illud Malach. 2: *Legem requirent ex ore ejus*, scilicet sacerdotis; et iterum inquantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit; unde Apostolus dicit ad Hebr. 5: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* — Hoc autem maxime convenit Christo; nam per ipsum divina dona hominibus sunt collata, secundum illud 2. Pet. 1: *Per quem* (scilicet Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit secundum illud Coloss. 1: *In ipso* (scilicet Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia.* — Unde Christo maxime convenit esse Sacerdotem. »

Ibidem, art. 2, probat doctor angelicus Christum ut hominem, non esse tantum supremum Sacerdotem, sed etiam perfectissimum holocaustum.

In art. 3, probat effectum Sacerdotii Christi esse plenam peccati expiationem.

In art. 4, ostendit, Christum non in seipso suscepisse sacrificii sui effectum, sed aliis communicasse.

In art. 5, probat, Christi Sacerdotium esse æternum, non quoad sacrificii oblationem, sed quoad sacrificii consummationem, quæ in bonis æternis consistit.

In art 6, docet, Christi Sacerdotium dici secundum ordinem Melchisedech, propter veri sacerdotii excellentiam super figurativum veteris legis sacrificium.

§ III.

Christus est supremus Rex.

Potestas regia est triplex, scilicet *legislativa, judiciaria et coercitiva.* Rex enim potestatem suam a Deo tenet, et vi potestatis suæ, jus habet subditorum multitudinem ordinare ad bonum commune. Atqui, hæc ordinatio fit rationabiliter per leges justas. Ergo rex habet jus ferendi leges. — Præterea, ut lex observetur, rex habet jus judicandi et puniendi transgressiones legis. Ergo regia potestas est legislativa, judiciaria et coercitiva.

I. *Christus est Rex.*

411. — Probatur I. *Ex Scriptura.*

Psalm. 2, v. 6: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus...* Ibid., v. 8: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* — In Apoc. 19, v. 16, dicitur de Christo: *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* — Joan. 18, v. 37: *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo*

Rex es tu? Respondit Jesus: *Tu dicis quia Rex sum ego.*

Probatur II. *Ex S. Augustino.*

Enarrat. in Psalm. 44, n.° 17: « Rex a regendo dicitur... Ad hoc est Rex noster, rectorum Rex. Quomodo et Sacerdos a sanctificando nos, ita et Rex a regendo nos. »

Circa modum, quo regia potestas Christo competit, distinguitur regnum duplicis ordinis: regnum temporale quod ad finem temporalem, et regnum spirituale quod ad finem supernaturalem, per se ac principaliter ordinatur. Porro Christus, ut homo, dicendus est Rex in utroque ordine.

1°) *In ordine spirituali et supernaturali*, cujus culmen occupat inquantum est homo hypostatice Deo unitus, Christus est verus Rex universalis, instructus summa potestate in regnum cœlorum, scilicet in Ecclesiam, quam regit non immediate, sed mediante Romano Pontifice, cui Primatus jurisdictionis competit in toto Christi regno. — In ordine pariter spirituali, Christus fuit Rex Judæorum, videlicet eorum qui vere Deum confitebantur ac laudabant.

2°) *In ordine temporali et naturali*, Christus virtute unionis hypostaticæ, sicut fuit ab omni humana potestate exemptus, ita jure plenissimo habet regiam potestatem in totum orbem et in omnes reges, etiam quoad regimen politicum. Hanc autem contulit principibus sæcularibus qui sunt ejus ministri, teste S. Paulo dicente de rege temporali: *Dei minister est tibi in bonum.* (Rom. 13, v. 4).

II. ***Christus est supremus Legislator.***

412. — Probatur I. *Ex Scriptura.*

Psal. 9, v. 21: *Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Promulgavit Christus magnam legem charitatis ac sanctæ libertatis, multo meliorem lege timoris et servitutis, qua obstricti erant Judæi. Joan., 13, v. 34: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* — Galat., 6, v. 2: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* — Jac., 2, v. 8: *Si legem perficitis regalem, secundum Scripturas: Diliges proximum sicut teipsum, bene facitis.* — Ibid., 1. v. 25: *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea... hic beatus in facto suo erit.* — 2. Cor., 2, v. 17: *Ubi autem Spiritus Dei, ibi libertas.* — Galat., 4, v. 30: *Itaque fratres, non sumus ancillæ* (Synagogæ) *filii, sed liberæ* (Ecclesiæ christianæ) *qua libertate Christus nos liberavit.*

Probatur II. *Ex S. Augustino*, qui sequentibus verbis indicat differentiam utriusque legis in duobus Testamentis. Contra Adimant., cap. 27, n.° 2: « Hæc est brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet; utrumque tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum atque conjunctum. » — Item, de Morib. Eccl., lib. 1, cap. 28: « Quamquam utrumque in utroque sit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo, quia ibi servitus, hic libertas ab Apostolis prædicatur. »

413. — III. ***Christus est supremus Judex;*** nam qui jus habet legem ferendi, jus etiam habet judicandi subditos suos, juxta hanc legem.

Propositio probatur I. *Ex Scriptura.*

Joan., 5, v. 22: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* — Act. 10, v. 42, de Christo dicitur: *Ipse est qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum.*

Probatur II. *Ex S. Augustino.*

Contra Sermon. Arianor., cap. 11, docet quod Christus, secundum quod filius hominis est, potestatem judicandi accepit a Patre, et a seipso, et a Spiritu sancto. — Enarrat. in Psalm. 9, n.° 1, duplex distinguit judicium, occultum scilicet ac manifestum: « Duo judicia insinuantur per Scripturas, si quis advertat: unum occultum, alterum manifestum. Occultum nunc agitur, de quo Apostolus Petrus dicit (4, v. 17): *Tempus est ut judicium incipiat a domo Domini.* Occultum itaque judicium est pœna, qua nunc unusquisque hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem, aut si contempserit vocationem et disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Judicium autem *manifestum* est quo venturus Dominus judicabit vivos et mortuos, omnibus fatentibus eum esse, a quo et bonis præmia et malis supplicia tribuuntur... Qui ergo non corriguntur isto occulto Dei judicio, dignissime illo manifesto punientur. »

Probatur III. *Ex ratione theologica*, scilicet ex doctrina S. Thomæ 3. q. 59, *art. 1*, probante quod licet judiciaria potestas sit communis Trinitati, tamen per quamdam appropriationem, attribuitur Filio (ad 1[m]), quia ipsa ratio judicii est lex Sapientiæ vel Veritatis, secundum quam judicatur. — Atqui, Filius est Sapientia genita et Veritas a Patre proeedens, et ipsum perfecte repræsentans. — Ergo proprie judiciaria potestas attribuitur Filio Dei. Ideo quem Pater judicat, per Filium judicat. Unde dicitur quod *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*

Art. 2. Cum Christus, secundum quod homo, sit Caput totius Ecclesiæ, ei secundum quod homo, convenit habere judiciariam potestatem.

Art. 3. Quamvis judiciaria potestas Filio debeatur propter divinam personam, et Capitis

dignitatem, et gratiæ plenitudinem, eam tamen promeruit, ut secundum Dei justitiam, Judex esset, qui pro justitia pugnavit ac vicit.

Art. 4. Cum Christus sit Dei Verbum, quo Pater omnia facit, et cum anima Christi sit plena divinitate, liquet omnes res humanas et alias quascumque, pertinere ad judiciariam Christi potestatem, tam secundum humanam quam divinam naturam.

Art. 5. Quia de re mutabili perfectum judicium dari nequit ante plenam ejus consummationem, ideo præter judicium quod fit in morte cujuslibet hominis, oportet esse finale judicium in novissimo die.

Art. 6. Cum propter passionis humilitatem, humana Christi natura meruerit super angelos exaltari, patet angelos bonos et malos judiciariæ Christi potestati esse subjectos, non solum ratione divinæ, sed etiam humanæ naturæ.

414. — IV. ***Christus est supremus Vindex.***

Vindicta Christo judici competit ad legis transgressores puniendos, sive ut corrigantur et salventur, sive ut incorrigibiles in æternum damnentur.

Propositio probatur I. *Ex Scriptura.*

1. Thess., 4, v. 2, etc: *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. Hæc est enim Voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione... quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* — Rom., 12, v. 19: *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* — Psalm. 2, v. 9: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos.*

Probatur II. *Ex S. Augustino.*

Enarr. in Psalm. 44, n.° 17 et 18: « Dei Voluntas æqualis est, tua curva est... Vis illi adhærere? Corrigere. Erit virga ipsius qui te regit, virga directionis. Inde rex a regendo dicitur. Non enim regit qui non corrigit... Accede ad istam virgam; sit tibi Rex Christus; regat te virga ista, ne frangat te. Virga enim ferrea est illa, inflexibilis. Et quid dictum est? *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos.* Alios regit, alios conterit; regit spirituales, conterit carnales. »

PROPOSITIO II.

CHRISTUS APOSTOLIS SUIS CONTULIT TRINAM POTESTATEM SUAM, NEMPE MAGISTERIUM, SACERDOTIUM ET IMPERIUM, QUÆ PERPETUA SUNT IN ECCLESIA.

415. — **Prænotanda.** In Propositione præcedenti, probavimus Christum hominem a Deo unitrino accepisse omnem trinamque potestatem, ita ut ipsi tanquam summo Magistro, Pontifici ac Regi, per se competat supremum Magisterium, Sacerdotium et Imperium. Porro hanc trinam potestatem contulit Apostolorum collegio, quorum Petrus erat caput. — *Sacerdotium*, seu potestas Ordinis, est potestas conficiendi et conferendi Sacramenta, atque Deo offerre sacrum Eucharistiæ sacrificium; *Magisterium* et *Imperium* constituunt potestatem Jurisdictionis, ac definiuntur: Jus docendi et regendi fideles tanquam subditos. — Imperium est iterum triplex, nam complectitur potestatem *legislativam*, *judiciariam* et *coercitivam*, secundum quod Ecclesiæ Rectores possunt leges ferre, earumque transgressores judicare et punire.

In sex paragraphis probabimus Christum Apostolis suis contulisse: 1°) Magisterium authenticum et infallibile; 2°) Sacerdotium, seu Ministerium sacrum; 3°) Imperium; 4°) trinam hanc potestatem esse perfectam in Ecclesia; 5°) eam perseverare in collegio Episcoporum, qui hanc ab initio communicaverunt Presbyteris et Diaconis; 6°) eam solis clericis competere non vero laicis.

§ I.

Christus Apostolis suis contulit magisterium authenticum et infallibile.

Magisterium est potestas docendi cum auctoritate fideles circa fidem et mores. Quæ potestas est *authentica*, inquantum legitimo jure Apostoli ab ipso Christo eam acceperunt, et est *infallibilis* in sua sphæra, scilicet in iis quæ pertinent ad fidem et mores.

I. ***Christus Apostolis contulit magisterium authenticum.***

416. — **Probatur I.** *Ex Christi præcepto.* Matth. 28, v. 19: *Euntes ergo docete omnes gentes.* — Marc. 16, v. 15: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Probatur II. *Ex modo agendi Apostolorum.* Marc., ibid., v. 20: *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* — Act. 5, v. 28, Apostoli iterum dicuntur Evangelium prædicasse, et quidem ex Christi præcepto. Etenim judici illis dicenti: *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra*, responderunt: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus.*

Probatur III. *Ex ratione theologica.*

Ecclesia munus habet tradendi fidelibus regulam fidei et morum. — Atqui, hoc munus exercere nequit, nisi a Christo acceperit magisterium authenticum; nam sicut ait Apostolus

ad Rom. 10, v. 14-17: *Quomodo credent ei, quem non audierunt; quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* — Ergo Ecclesia a Christo accepit magisterium authenticum.

II. ***Christus Apostolis contulit magisterium infallibile.***

417. — **Probatur I.** *Ex Scriptura,* scilicet 1°) Ex causa infallibilitatis doctrinæ Apostolorum, quæ est divina inspiratio et assistentia permanens. Matth. 28, v. 19 et 20: *Euntes ergo docete omnes gentes... Et ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* — Joan. 14, v. 16: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* — Ibid., v. 26: *Ille vos docebit omnia, et suggeret omnia quæcumque dixero vibis.* — Ibid., cap. 16, v. 13: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

2°) Ex hujus causæ effectu.

1. Tim. 3, v. 15: *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Scilicet: sicut domus nititur columnis suis et fundamento suo, ita ut cadat illis remotis; sic veritas fidei quoad nos, stat immobilis per auctoritatem Ecclesiæ proponentis. Atqui, effectus nequit esse potior suo effectu. Ergo Ecclesiæ auctoritas est necessario infallibilis.

3°) Ex ordinatione Christi.

Luc. 10, v. 16, Christus dicit Apostolis suis: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* — Matth. 18, v. 17: *Si non audierit eos* (duos vel tres testes) *dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ibi Christus jubet ut omnes Ecclesiam audiant sicut Christum ipsum, illique obediant credendo, et quidem sub gravissima pœna, nempe exclusionis ab Ecclesia. Ergo Ecclesia in docendo infallibilis est. Nam secus error Ecclesiæ attribuendus foret ipsi Christo; et insuper iniquum foret homines sub tali pœna obligare, ut obediant auctoritati, quæ posset falsum docere.

4°) Ex dictis et factis Apostolorum, qui doctrinam suam proposuerunt tanquam venientem a Deo, et proin infallibilem. Sic Act. 15, v. 28, in Concilio Jerosolymitano dixerunt: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* — Item S. Paulus scribit in 1. ad Thessal. 4, v. 8: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum in nobis.* — Et Eph. 4, v. 11: *Et ipse* (Deus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores.*

Probatur II. *Ex traditione.*

Sancti Patres contra hæreticos disputantes, ad Ecclesiam appellant in quibuscumque fidei quæstionibus, tanquam ad auctoritatem supremam, quæ denuo possit omnes lites dirimere. Sunt præcipue quatuor Patres, qui hoc argumento ex professo usi sunt, scilicet S. Irenæus, in suo opere Contra hæreses; Tertullianus de Præscriptione; S. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ; S. Augustinus de Utilitate credendi, de Unitate Ecclesiæ et alibi.

Probatur III. *Ex rationibus theologicis.*

1°) Ex indefectibilitate Ecclesiæ.

Ecclesia non potest falli in doctrina Christi credenda, secus non esset amplius Christi Ecclesia, et veram fidem amitteret. — Atqui, hæc impossibilitas erroris in credentibus, supponit necessario impossibilitatem erroris in auctoritate docente; nam fideles debent, ex ipsius Christi ordinatione, Ecclesiæ docenti credere, ita ut doctrina Ecclesiæ sit necessario doctrina fidelium. — Ergo auctoritas Ecclesiæ docentis est infallibilis.

2°) Ex natura fidei catholicæ.

Hæc fides, cum divina sit, habere debet summam certitudinem, et omne dubium excludere. — Atqui, ad hoc requiritur ut fidei prædicator, vel miracula patret, vel ostendat doctrinam quam proponit, esse contentam sub regula fidei infallibili, quia secus non posset ipse ex una parte, inducere homines ad credendam illam ut infallibilem; nec possent homines, ex altera parte, ita illam amplecti, ut nulla remaneret rationabilis errandi formido. — Ergo Ecclesiæ docentis auctoritas, quam prædicator invocat, debet esse infallibilis.

§ II.

Christus Apostolis suis contulit sacrum sacerdotium.

418. — Hæc Propositio probanda est quoad Sacramentorum administrationem, et quoad sacri sacrificii oblationem, quæ sunt duæ principales sacerdotis functiones.

A. Quoad Sacramenta administranda.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Ex verbis Christi, qui Apostolis suis commisit administrationem: 1°) Baptismatis. Matth. 28: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* — 2°) Eucharistiæ. Luc. 22, v. 19: *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem.* — 3°) Pœnitentiæ. Joan. 20, v. 23: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

2°) Ex verbis Apostolorum.

Sanctus Paulus enim se et alios Apostolos vocat, in 1. Cor. 4, v. 1, *ministros Christi et*

dispensatores mysteriorum Dei. — Scribit quoque 2. Cor. 5, v. 18: *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis.* — Et ibid., v. 20: *Pro Christo legatione fungimur.*

Probatur II. *Ex ratione.*

Ecclesiæ munus est, fidelibus in Sacramentis ministrare gratias ad salutem necessarias. — Atqui, ad hoc indiget ministris, quibus Christus ipse dederit potestatem gratias sic administrare. — Ergo Christus, huic necessitati Ecclesiæ suæ providens, Apostolis suis eorumque successoribus contulit sacrum ministerium.

B. **Quoad S. Sacrificium offerendum,** probatur ex Scriptura et ratione.

I. Præcipuum Sacerdotis munus est sacrificium offerre, sicut docet Apostolus ad Hebr. 5, v. 1; unicum autem novæ Legis sacrificium est sacrificium eucharisticum. — Atqui, Christus Apostolis contulit potestatem offerendi sacrificium eucharisticum, quando illis dixit apud Luc. 22, v. 19 postquam ipse panem et vinum consecravit: *Hoc facite in meam commemorationem.* — Ergo hoc ipso Christus Apostolos constituit Sacerdotes novæ Legis.

II. Christus Apostolis suis contulit potestatem administrandi Sacramenta, sicut proxime probatum est. — Atqui, hæc potestas fundatur in potestate Ordinis, sive in Sacerdotio; nam Sacramentorum administratio est munus hierarchicum sacerdotibus reservatum, sicut docet theologia. — Ergo Christus Apostolos constituit sacerdotes.

§ III.

Christus Apostolis suis contulit imperium, et quidem triplex, nempe legislativum, judiciarium et coercitivum.

419. — *Imperium* est potestas regendi cum auctoritate externas fidelium actiones, in ordine ad fidem et mores. Complectitur præsertim 1°) cultum divinum; 2°) disciplinam et correctionem Cleri; 3°) divisionem particularium diœcesium; 4°) rectam dispensationem bonorum ecclesiasticorum; 5°) externam regulam morum; quæ omnia constituunt Ecclesiæ disciplinam, seu politiam.

Propositio *est de fide* ex bulla *Auctorem fidei*, quæ ut hæreticam damnat Propositionem 4^am^ Pistoriensium, quatenus asserebat Ecclesiam auctoritate sua abuti constituendo et sanciendo disciplinam exteriorem, et Propositionem 5^um^ ut ad hæresim inducentem, quatenus asserebat Ecclesiam non posse fideles dirigere, nisi per consilia et suasiones, nec posse jubere per leges, ac devios contumacesque exteriori judicio ac salubribus pœnis coercere atque cogere.

Probatur argumento generali et argumento particulari.

A. *Argumentum generale.*

I. Ex Scriptura.

Matth. 16, v. 20. Christus Petro contulit potestatem clavium: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Et Joan. 21, v. 16 et 17 eidem contulit potestatem pascendi gregem Christi: *Pasce agnos meos... Pasce oves meas.* — Atqui 1°) Hisce metaphoris exprimitur potestas jurisdictionis in Ecclesia et omnis actus pastoralis; et 2°) nisi potestas illa vana sit, oportet ut non solum leges ferat, sed etiam earum transgressores judicet ac puniat, nam sine hac sanctione, leges non observarentur. — Ergo stat Propositio.

II. Ex rationibus theologicis.

1°) Doctrina fidei et morum non est mere speculativa, sed practica, ut ex intellectu ad integram fidelium vitam transeat; et insuper Sacramenta administranda sunt modo congruenti. — Atqui, hæc duo nequeunt recte ac uniformiter fieri, nisi Ecclesia habeat potestatem applicandi regulam fidei et morum, et Sacramentorum disciplinam administrandi. — Ergo habet imperium.

2°) Cum Ecclesia sit societas non tantum animarum, sed hominum corpore et anima constantium, potestas ejus debet ad res exteriores se extendere.

3°) Nisi Ecclesia applicare posset regulam practicam, quæ omnia ejus membra in officio contineat et abusus reprimat, paulatim omnis doctrina fidei ac morum et Sacramenta corruerent, quia tales sunt naturaliter homines, ut quod faciunt approbent, et semper oppositis studiis in diversa aguntur.

B. *Argumentum particulare ex Scriptura.*

I. Probatur potestas Ecclesiæ legislativa.

1°) Ex Christi præcepto.

Matth. 28, v. 19 et 20: *Euntes docete omnes gente... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Quibus verbis, Apostoli jubentur gentibus communicare mandata, quæ ipsi a Christo acceperunt, seu leges ferre in Christi nomine.

2°) Ex ratione agendi Apostolorum, qui hanc legislativam potestatem exercuerunt, sicut patet ex Act. 15, ubi Apostoli narrantur leges in Concilio Jerosolymitano statuisse dicentes v. 28: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* — Ibidem, v. 41, S. Paulus narratur perambulasse Syriam et Ciliciam *præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum.* — In 1. Thessal. 4 scribit: *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum.* — In 1. Tim. 3 et Tit. 1, plurima præscribit circa ordinationem Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum.

II. Probatur potestas Ecclesiæ judiciaria et coercitiva.

1°) Ex Christi præcepto.

Matth. 18, v. 17: *Si non audierit eos* (duos vel tres testes) *dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* His verbis Christus discipulum contumacem committit Ecclesiæ puniendum, et proinde judicandum.

2°) Ex ratione agendi Apostolorum præsertim S. Pauli, qui 1. Cor. 5, incestuosum excommunicat et Satanæ tradit. — Ibidem, cap. 4, v. 21, dicit: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* — Item in 1. Tim. 5, v. 20: *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.* — Ad Tit. 2: *Argue cum omni imperio.* — 2. Cor. 10, v. 6: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.*

3°) Ex unanimi traditione et constanti Ecclesiæ praxi, quæ continentur in omnibus Ecclesiæ monumentis, et præcipue in Corpore Juris canonici.

§ IV.

Trina potestas, quam Christus contulit Apostolis, est perpetua in Ecclesia.

420. — **Probatur I.** *Ex Scriptura*, scilicet ex Matth. 28, v. 18-20, ubi Christus Apostolis suis dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* — Ibi Christus tria facit: 1°) Affirmat sibi datam esse omnem potestatem. 2°) Ex hac omnipotentia Apostolis communicat trinam potestatem, quam enuntiat, scilicet magisterium, ministerium et imperium. Nisi enim illam communicaret, nulla esset relatio cum versiculo præcedenti, quæ tamen indicatur per conjunctionem *ergo*. 3°) Promittit se futurum esse cum Apostolis suis usque ad consummationem sæculi.

Hæc autem promissio a nobis explicanda est, ut ex ea demonstremus perpetuitatem potestatis Apostolis communicatæ.

Dicit Christus: a) **Ecce ego vobiscum sum,** id est, ut potestatem meam vobis communicem; nam in Scriptura, *esse cum aliquo* significat specialem assistentiam ex parte illius, qui est cum alio. Ita in Gen. 28, v. 20; Exod. 3, v. 12; Jerem. 1, v. 8, 18 et 19.

b) **Usque ad consummationem sæculi;** græce: Ἕως συντέλειας τοῦ αἰῶνος. Vox αἰών per se significat tempus in genere, oppositum æternitati. Debemus igitur hanc phrasim sic vertere: Usque ad consummationem temporis, hoc est usque ad finem mundi.

Confirmatur ex eo, quod quando vox αἰῶν dicitur de duratione indeterminata, seu infinita, semper patet ex contextu. Sic Matth. 12, v. 32, legitur: *Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Ergo Christus promittit se cum Apostolis suis esse usque ad finem mundi, trinam potestatem suam illis communicando.

c) **Vobiscum.** Manifestum est hic non agi *de persona* Apostolorum, quia ipsi non poterunt permanere usque ad finem mundi, sed agi de illorum *dignitate*, seu de munere quo fungebantur, cuique potestas annexa est, et quod interire non debet.

Ergo potestas Apostolis data, est perpetuo duratura in Ecclesia.

Probatur II. *Ex ratione theologica.*

Ecclesia est perpetua, juxta ipsius Christi promissionem Matth. 16, v. 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et cap. 28, v. 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* — Atqui, trina Ecclesiæ potestas est illi necessaria, sicut patet ex rationibus allatis in præcedentibus paragraphis — Ergo hæc potestas est necessario perpetua.

§ V.

Trina potestas prædicta perseverat in collegio Episcoporum, variis gradibus communicanda.

421. — **Prænotanda.** I. Christus totam potestatem ecclesiasticam contulit Apostolorum collegio, cujus Petrus Caput erat, iisque quædam privilegia personalia concessit. Unde in Apostolis distinguenda est duplex potestas: altera ordinaria, nempe magisterium, ministerium et imperium, quæ *Episcopatum* constituunt, et aliis Episcopis transmittenda erant; altera extraordinaria, quæ *Apostolatum* stricte dictum constituebat, nec erat aliis Episcopis transmittenda. — *Apostolatus* autem sic restrictus, præter donum miraculorum et linguarum, in hoc consistebat, quod singuli Apostoli ecclesiasticam potestatem acceperunt immediate a Christo et plenitudinem potestatis totius collegii singuli possidebant, ita ut singuli hanc ubicumque terrarum venientes exercere valerent, et singuli essent in docendo infallibiles. Verumtamen Ecclesiam non regebant nisi cum dependentia a

Petro, qui, ratione sui Primatus, ipsos regebat Apostolos, et potestatis plenitudinem personaliter possidebat, non extraordinarie, sicut alii Apostoli, sed ordinarie, ita ut illam totam successoribus suis transmiserit.

II. Inde sequitur quod Petri successores in sede Romana, potiuntur plena jurisdictione in totam Ecclesiam et in cæteros Episcopos exercenda; et quod cæteri Episcopi, licet plenitudinem Ordinis seu Sacerdotii possideant, jurisdictionem non habeant nisi in propria diœcesi.

Deinde *Episcopi*, cum Sacerdotii seu Ordinis plenitudinem habeant, possunt ordinare alios Episcopos, Presbyteros, Diaconos aliosque Ministros inferiores, quod non possunt Presbyteri. Ipsi autem *Presbyteri* plura possunt quod non possunt Diaconi, et sic deinceps.

III. *De fide est*, in Ecclesia existere hierarchiam subjective spectatam. Dicitur enim in Sess. 23, Concilii Trid., can. 6: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit. »

Hanc hierarchicam Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum distinctionem in præsenti paragrapho probabimus, ostendendo 1°) Collegium Episcoporum successisse Apostolorum collegio ratione Episcopatus, non vero Apostolatus. 2°) Ordinem Episcoporum semper a Presbyterorum ordine fuisse distinctum, eique superiorem. 3°) Ordinem Diaconorum semper in Ecclesia exstitisse tanquam gradum sacrum et hierarchicum, ab Episcoporum ac Presbyterorum ordine distinctum.

I. ***Collegium Episcoporum successit Apostolorum collegio ratione Episcopatus, non vero ratione Apostolatus.***

422. — Dicimus: *Apostolorum collegium*, nam præter Romanum Pontificem et Patriarchas Antiochenum et Hierosolymitanum, nullus est Episcopus qui dicere posset cujusnam particularis Apostoli sit successor. Unde affirmandum est omnes Episcopos collective sumptos, successisse collegio Apostolorum, et integrum collegium Episcoporum hæreditasse integram potestatem *ordinariam*, sed non *extraordinariam*, quam Christus contulit Apostolorum collegio.

A. **Episcopi sunt Apostolorum successores ratione Episcopatus.**

Probatur I. Ex hoc, quod Christus trinam potestatem Apostolis collatam, instituit perpetuam, sicut supra demonstravimus n.° 415.

Probatur II. *Ex Patribus et Conciliis.*

1°) Quoad Patres, citari possunt inter *Græcos* S. Irenæus, lib. 4, adv. haeres., cap. 26: « Presbyteris obedire oportet his qui successionem habent ab Apostolis, et cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt. » — S. Basilius, Epist. 197: « Episcopi in Apostolorum cathedra sedent. »

Inter *Latinos*, antiquissimus S. Clemens Romanus, in sua prima Epist., ad Corinth.: « Apostoli, acceptis mandatis, Episcopos constituerunt, et deinceps futuræ successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decederent, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent. » — S. Hieronymus, Epist. 41, ad Marcell.: « Apud nos, Apostolorum locum Episcopi tenent, et Episcopi omnes Apostolorum successores sunt. » — S. Cyprianus, Epist. 42: « Episcopi Apostolis successerunt. »

2°) Quoad Concilia, Episcopi dicunt in Concil. Carthag. anno 255 habito: « Apostolos, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes, etc. » — Et in alia Synodo ibidem sub S. Cypriano habita: « Manifesta est D. N. Jesu Christi sententia Apostolos suos mittentis, et ipsis solis potestatem sibi a Patre datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes. » Quæ Concilii verba refert S. Augustinus, lib. 7 de Bapt., cap. 43. — Item Concil. Tridentin., Sess. 23, cap. 4: « Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt. »

Episcopi ergo Apostolis successerunt. Atqui, successerunt saltem in potestate ordinaria. Ergo in Episcopatu successerunt.

B. **Episcopi Apostolis non successerunt ratione Apostolatus,** quia Apostolatus erat potestas extraordinaria, ac personalis duodecim Apostolis, et proinde successoribus non transmittenda.

Probatur I. *Ex circumstantiis temporum.*

1°) Oportebat enim ut Religio christiana per universum orbem propagaretur modo divino; unde in Apostolis requirebatur donum linguarum et miraculorum.

2°) Cum Apostoli sint Ecclesiæ fundamenta, oportebat ut ipsi irent ad præcipuas gentes; unde requirebatur universalitas potestatis.

3°) Et cum essent immediata Ecclesiæ fundamenta, requirebatur eorum infallibilitas in docendo, ut Ecclesia firma staret in fide christiana.

Probatur II. *Ex ratione agendi Apostolorum erga Episcopos, quos creaverunt.*

Non enim: a) Ipsis contulerunt jurisdictionem universalem, sed in certa Ecclesia seu diœcesi circumscriptam Sic Paulus constituit Titum Episcopum Cretæ, et Timotheum Ephesi; sic etiam in Apocalypsi, Episcopi a S. Joanne dicuntur Angeli alicujus civitatis. — b) Nec ipsis contulerunt infallibilitatem in docendo, sicut patet ex regulis et præceptis circa fidem et

mores, qui prorsus inutilia sunt homini infallibili circa eadem objecta.

II. ***Ordo Episcoporum semper a Presbyterorum ordine fuit distinctus, eique superior.***

423. — *Est de fide* ex Conc. Trident, Sess. 23, can. 7: « Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores... anathema sit. »

Episcopi sunt Presbyteris superiores *quoad potestatem Ordinis*, nam ordinarium jus habent administrandi omnia Sacramenta, dum Presbyteri non possunt Sacramenta Confirmationis et Ordinis conferre. — Præterea sunt superiores *quoad potestatem Jurisdictionis*, nam Episcopo competit potestas jurisdictionis, tum *in foro interno*, qua ligat vel absolvit a peccatis, tum *in foro externo*, qua regit Ecclesiam, dogmata definit, disciplinam sancit, refractarios coercet, etc., dum hæc potestas per se non competit Presbytero; et quamvis in sua ordinatione accipiat potestatem absolvendi in foro interno, usum tamen hujus potestatis non habet nisi dependenter a jurisdictione Episcopi, qui potest eam denegare, restringere vel suspendere, ita ut non possit Sacerdos valide illa uti.

Hæc Episcoporum superioritas probatur ex Scriptura, et præsertim ex traditione.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

S. Paulus in 1. Epist. ad Timotheum 5, v. 17-19: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina... Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*, quibus verbis Timotheus Episcopus Ephesinus admonetur, ut de Presbyteris curam habeat, illosque non judicet sine testibus. Jam vero qui de alio curam gerit illumque judicat, ei superior est. Ergo Episcopi sunt Presbyteris superiores.

S. Joannes in Apoc. 1, unum virum in Ecclesiis eminentioribus nuncupat Angelum, ad quem Epistola dirigitur. — Atqui, certum est in Ecclesiis illis jam præclaris, plures exstitisse Sacerdotes, sicut ibidem dicitur de Ecclesia Ephesina, quæ est etiam una ex septem in Apocalypsi commemoratis. Certum quoque est unum ex iis, qui per antonomasiam vocatur Angelus seu Dei nuntius, fuisse cæteris superiorem et Ecclesiæ Episcopum. — Ergo tempore S. Joannis, omnes Presbyteri non erant æquales, sed Episcopi erant Presbyteris superiores.

Probatur II. *Ex traditione*, quæ constat 1°) **Ex Patribus:** S. Ignatius martyr fideles admonet ut Episcopos revereantur sicut Deum ac Christum, et Presbyteros sicut Apostolos; unde patet Episcopos esse Presbyteris dignitate superiores. Legitur enim in Epist. ad Smyrn., cap. 8: « Omnes Episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterum ut Apostolos, Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. » Item in Epist. ad Magnes., cap. 6: « Hortor vos, ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, et Presbyteris loco senatus apostolici, et Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi. » — Clemens Alexandr., lib. 6, Stromat: « In Ecclesia progressiones sunt Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum. » — S. Chrysostomus, Homel. 11, in 1. Timot. asserit Episcopos esse Presbyteris superiores potestate sacros ordines conferendi. — Tertullianus, lib. de Bapt., cap. 17: « Dandi (Baptismum) jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate. » — S. Hieronymus solis Episcopis adjudicat potestatem confirmandi; ait enim in Dialog. cont. Lucifer.: « Ad eos, qui per Presbyteros et Diaconos baptizati sunt, Episcopus manus impositurus excurrat. »

2°) Ex condemnatione hæresis Aerii, qui negabat Episcopos esse Presbyteris superiores. Hunc autem errorem statim condemnaverunt Episcopi catholici, duce potissimum S. Ambrosio. — S. Augustinus Aerium hæreticis adnumerat in lib. de Hæres., cap. 53, et S. Epiphanius ait in suo lib. de Hæres.: « Erat Aerius homo furiosus, quia non perveniebat ad Episcopatum, et dicebat: Episcopus non differt a Presbytero; in hoc multos decepit, fugabatur autem ipse ab Ecclesia.

3°) Ex Conciliis.

Concilium Carthaginense IV, anno 398, ait can. 22: « Episcopi sine concilio Presbyterorum Clericos non ordinent », et can. 23: « Altiorem Episcopus inter Presbyteros sedem teneat. » — Concil. Hispalense II, anno 619, dicit can. 6: « Episcopus Sacerdotibus et Ministris solus honorem dare potest; auferre solus non potest. »

III. ***Ordo Diaconorum semper in Ecclesia exstitit tanquam gradus sacer et hierarchicus, ab Episcoporum ac Presbyterorum ordine distinctus.***

424. — **Probatur I.** *Ex Scriptura.*

In Act. Apost., cap. 6, legitur Apostolos, ab Ecclesiæ initio Diaconos instituisse, et ibidem patet Diaconos non tantum mensarum ministerium accepisse, sed etiam sacram potestatem ipsam revera exercuerunt. Sic cap. 5, v. 3, narratur viros plenos Spiritu sancto et sapientia fuisse electos in Diaconos; — et v. 6, fuisse inauguratos per manuum impositionem et orationem, quo ritu etiam superiores Ministri constituti sunt, ut patet ex cap. 13, v. 2, et cap. 14, v. 22; — et cap. 6, v. 9, Stephanum diaconum prædicasse Evangelium; — et cap. 8, v. 12, Philippum diaconum baptizasse Samaritanos, et v. 38, eunuchum reginæ Candacis.

Quod autem Diaconi sint distincti ab Episcopis ac Presbyteris, liquet ex 1. Tim. 3, v. 8, et Philipp. 1, v. 1, ubi Apostolus seorsim enumerat Episcopos et Diaconos. Sed hæc distinctio clarius manifestatur ex traditione, in qua passim enumerantur Episcopi, Presbyteri et Diaconi, ut in sequenti argumento ostendetur.

Probatur II. *Ex traditione*, scilicet 1°) **Ex Patribus.**

Præter locos superius allegatos, citari possunt S. IGNATIUS, qui ad Trallenses scribit: « Oportet et Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere; non enim ciborum et potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ Dei. » — S. CLEMENS ROMANUS, in Epist. 1 ad Corint.: « Summo Sacerdoti sua munia tributa sunt, et Sacerdotibus locus proprius assignatus est, et Levitis (diaconis) sua munia incumbunt. » — S. HIERONYMUS, in Epist. ad Heliodor., n.° 14, ministerii sacri « tertium gradum diaconum » vocat; in lib. 2. adv. Jovivian. affirmat Diaconos esse partem Cleri; in Epist. ad Evangel. scribit Diaconos esse in Ecclesia, quod Levitæ erant in Synagoga; in lib. adv. Lucifer. docet Diaconum, jubente Episcopo, baptismum administrare.

2°) EX ALIIS MONUMENTIS ANTIQUIS, quibus constat Diaconos sacra officia semper exercuisse, ministrando ad altare, baptizando, publicos pœnitentes reconciliando, et etiam sacram Eucharistiam sibi et aliis ministrando absente Presbytero, sicut patet ex Concil. Nicæno, can. 14; qui de Diaconis dicit: « Accipiant, secundum ordinem, post Presbyteros ab Episcopo, vel a Presbytero sacram communionem. Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant et edant. » His verbis luculentissime etiam indicatur Diaconos esse ab Episcopis et Presbyteris distinctos, eisque inferiores.

§ VI.

In Ecclesia, potestas soli Clero competit, non autem populo.

425. — Explicatur propositio.

1°) Juxta Catholicos, Ecclesia ex Christi ordinatione distinguitur in Clerum et populum. Soli Clerici ecclesiastica potestate potiuntur et a reliquis fidelibus separantur ad trinam potestatem suam exercendam. Cætera Ecclesiæ membra Clero subjecta sunt, et appellantur laici, aut simpliciter fideles. Unde Ecclesia, sub hoc respectu hierarchico, distinguitur in Ecclesiam gubernantem magisterio, ministerio, imperio, et in Ecclesiam gubernatam.

2°) Protestantes in duas abeunt sententias. a) Lutherani et Calvinistæ, licet habeant aliquod corpus pastorum ac doctorum, nullam tamen admittunt distinctionem, ex Christi ordinatione, inter Clerum et populum; sed contendunt omnem potestatem et jurisdictionem ecclesiasticam esse radicaliter in populo, ita ut illi, qui eam exercent, agant tantum in nomine et de consensu populi, et si munere suo exuantur, nullo modo a plebe distincti sunt. — b) Quakeri, et aliæ quædam fanaticorum sectæ, nullum omnino discrimen ordinum aut ministrationum admittunt; sed dicunt fas esse unicuique fidelium, sive sit vir, sive femina, fungi ministerio verbi, si spiritu interiore movcatur.

3°) Igitur juxta omnes Protestantes, potestatis ecclesiasticæ subjectum non est Clerus, sed populus. Catholici autem contrarium credunt; nam ex Bulla *Auctorem fidei*, de fide est, contra 2^{am} et 3^{am} propositionem Concil. Pistoriensis, potestatem ecclesiasticam non derivari a communitate fidelium in Pastores, sed hanc immediate a Christo in Clerum profluere.

Propositio probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) POTESTAS ECCLESIASTICA CLERO COMPETIT.

Etenim Evangelium testatur, Christum non commisisse spiritualem potestatem communitati fidelium, sed Apostolis tantum, quos elegit et præsules super alios constituit. Joan. 15, v. 16: *Ego elegi vos et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* — Act. 20, v. 28: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* — 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* — Act. 13, v. 2: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Hoc autem opus, est sacrum ministerium.

2°) POTESTAS ECCLESIASTICA POPULO NON COMPETIT; sed populo competit Clero obedire. Heb. 13, v. 17: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* — In Act. 15, v. 41, S. Paulus narratur perambulasse cum Sila *Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, et præcipiens custodiri præcepta Apostolorum et seniorum.* Jam vero, nullibi constat hæc præcepta fuisse ab Apostolis imposita de populi consensu. E contra, ex Act. 15, constat, rem in Concilio primo Hierosolymitano ab Apostolis dijudicatam fuisse, populo quidem præsente, ast tacente, quin ullo modo in causa tam gravi ejus judicium postulaverint Apostoli.

Probatur II. *Ex factis integræ traditionis.*

Si potestas ecclesiastica, ex Christi ordinatione resideret in populo, et non in Clero, ut volunt Protestantes, sequentia facta in antiquitate invenirentur: 1°) Præsules a populo constituti et

auctoritatem ab eo habentes. 2°) Appellatio a sententia constitutorum judicum ad populi judicium, saltem in rebus gravioribus. 3°) Leges populo a Præsulibus propositæ, et a populo latæ. 4°) Præsulum apud populum accusatio et defensio. — Atqui, nihil horum in Ecclesia reperitur. — Ergo ecclesiastica potestas in populo non residet, sed in Clero.

Minor probatur. Ex Scriptura et traditione constat, primos Ecclesiæ Præsules fuisse immediate a Christo institutos, suamque potestatem ab eo accepisse. Præterea adversarii nullum in tota Ecclesiæ historia invenire possunt factum appellationis ad judicium populi, vel legis a populo latæ, vel Præsulis apud populum accusati. Ergo stat conclusio.

PROPOSITIO III.

CHRISTUS PETRO CONTULIT SUPREMAM POTESTATEM, SEU PRIMATUM JURISDICTIONIS, IN ROMANO EPISCOPO PERSEVERANTEM, ET PER SE INFALLIBILEM IN DOCENDO.

426. — Prænotanda. Christus toti Apostolorum collegio contulit magisterium, ministerium, et imperium; sed soli Petro, tanquam hujus collegii Capiti, dedit *supremum magisterium* et *imperium*, scilicet jus supremum docendi ac regendi omnes fideles et Pastores tanquam subditos, ipsis leges dando ipsosque judicando ac puniendo; quo in jure consistit Primatus jurisdictionis. Quoad *ministerium*, cæteri Apostoli, erant Petro æquales, quia omnes Apostoli, utpote Episcopi, habebant plenitudinem Sacerdotii. — Hic autem Petri Primatus est in Ecclesia perpetuus, seu perseverat in Romano Pontifice, cujus magisterium per se est infallibile. — Ista omnia in tribus paragraphis probabimus.

Primatus Summi Pontificis est centrum unitatis et ordinis in tota Ecclesia; nam trina Ecclesiæ potestas, quæ est in singulis Episcopis, ad unitatem reducitur, inquantum supreme residet in Romano Pontifice, totius Ecclesiæ Capite.

§ I.

Christus Petro contulit Primatum jurisdictionis.

427. — *Est de fide* ex Concilio Vaticano, Constit. dogmat. de Eccl. Christi, cap. 1: « Si quis dixerit, Beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium Principem, et totius Ecclesiæ militantis visibile Caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ jurisdictionis Primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo, directe et immediate accepisse, anathema sit. »

Probatur I. *Ex Scriptura.*

I. **Ex Matth. 16, v. 15-19:** *Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*

Ibi Christus Primatum jurisdictionis confert sub duplici metaphora, scilicet *fundamenti et clavium.* — Atqui, totus hic sermo ad Petrum tantum directus est. — Ergo Christus soli Petro Primatum contulit.

Probatur Major. Hoc loco agitur de Primatu non tantum honoris, sed jurisdictionis; nam quod est in ædificio fundamentum, hoc est in corpore caput, et in regno rex. Insuper apud omnes auctores sacros et profanos, claves sunt symbolum potestatis, seu regiminis; cui enim traduntur claves alicujus civitatis, ipse constituitur civitatis rector ac dominus.

Probatur Minor. Christus loquitur soli Petro. Etenim 1°) Patet Christum velle per summæ potestatis collationem remunerare confessionem divinitatis suæ. Atqui, solus Petrus hanc divinitatem confessus est, nec alius nisi Petrus appellari potest Simon Bar Jona. Ergo. — 2°) Ille super quem Ecclesia ædificanda est, et cui claves traduntur, est Cephas, quod nomen syriace significat non tantum petram, sed Petrum. Atqui, hoc cognomen Christus antea promiserat Simoni apud Joan. 1, v. 42: *Tu es Simon, filius Jonæ; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ergo stat Minor.

II. **Ex Joan. 21, v. 15-18:** Ibi Christus, præsentibus aliis Apostolis, solum Petrum ter interrogat de amore erga se, et tribus Petri affirmationibus respondet: *Pasce agnos meos... pasce agnos meos... pasce oves meas.* — Atqui 1°) *pasce* significat potestatem jurisdictionis; 2°) per *agnos* et *oves* designantur omnes Ecclesiæ fideles. — Ergo Christus soli Petro contulit primatum jurisdictionis super universam Ecclesiam.

Probatur Minor. 1°) Per verbum *pasce*, ex communi usu loquentium, intelligitur omnis actus pastoralis, et ideo non tantum nutriendi,

sed etiam ducendi, regendi et coercendi. Itaque in græco, non tribus vicibus dicitur βόσκε, quod est nutri, sed etiam ποιμαίνε, id est pasce regendo; nam Homerus regem Agamemnonem vocat ποίμενα λαῶν, nempe ducem seu regem populorum, et in Matth. 2, v. 6, dicitur de Christo: *Ex te* (Bethleem) *exiet dux qui regat populum Israel;* ὅστις ποίμανει τόν λάον. — Deus prædicit Davidi in 2. Reg. 5, v. 2: *Tu pasces populum meum Israel; et tu eris dux super Israel;* et Cyro regi apud Isai. 44, v. 28: *Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis.*

2°) *Agni et oves* duplici modo a Patribus et interpretibus explicantur. a) Alii inquiunt, Christum dixisse bis: *Pasce agnos meos,* ad designandum populum judaicum et populum gentilem; et *pasce oves meas* intelligunt de Apostolis et Episcopis, qui duplicem populum istum in Christo genuerunt et alunt, sicut oves agnos pariunt ac nutriunt. — b) Quidam magis attendentes ad textum græcum: τά ἄρνια, τά προβάτια, τά προβάτα, nempe agnos, oviculas, oves, hoc intelligunt de incipientibus, proficientibus et perfectis. — Ergo utrique, sub nomine agnorum et ovium, comprehendunt omnia Ecclesiæ membra, Petro tanquam supremo Pastori subjecta.

III. **Ex Actibus Apostolorum,** in quibus narratur Petrus Primatum suum jurisdictionis sæpe exercuisse post Christi Ascensionem.

Sic *Cap. 1,* Petrus exsurgens in medio fratrum, docet alium Apostolum eligendum esse in locum Judæ.

Cap. 2, post Spiritus sancti descensum, primus verba facit ad populum coram aliis Apostolis, et Jerosolymis fundat primam Ecclesiam.

Cap. 5, Ananiam et Saphiram judicat, gravissime reprehendit ac punit, quia sacrilegam fraudem commiserant.

Cap. 8, Simonem magum, qui voluit per pecuniam sibi comparare sacram Apostolorum potestatem, judicat, redarguit et damnat.

Cap. 9, universos fidelium cœtus in Judæa, Galilæa et Samaria pertransit, tanquam imperator copias suas recensens, sicut observat S. Chrysostomus, Hom. 21, in Act.

Cap. 10, primus cœlesti visione admonitus, Gentiles in Ecclesia recepit.

Cap 15, in Concilio Jerosolymitano primus sententiam suam profert.

428. — Probatur II. *Ex Patribus,* quorum alii, textus Matthæi et Joannis a nobis allegatos, sicut nos intelligunt; alii autem variis nominibus Primatum S. Petri extollunt.

I. **Quoad textum Matth. 16,** multi Patres græci et latini, per *petram,* super quam ædificatur Ecclesia, ipsum Petrum intellexerunt. Sic S. Cyprianus, Epist. 71, ait: « Petrum primum Dominus elegit, super quem ædificavit Ecclesiam suam. » — Origenes, Homil. 5 in Exod., n.° 4, Petrum nuncupat « magnum Ecclesiæ fundamentum, et petram solidissimam, super quam Christus ædificavit Ecclesiam. » — S. Hilarius, in Matth. 16, exclamat: « O in nuncupatione novi nominis, felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificationis illius petra, quæ infernas leges dissolveret! » — Tertullianus, lib. de Præscript., cap. 23: « Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum? » — S. Gregorius Nazianz., Orat. 32, alias 26, n.° 18: « Vides quemadmodum, ex Christi discipulis magnis utique omnibus et excelsis atque electione dignis, hic *(Petrus)* petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat. » — S. Gregorius Nyss., serm. 2 de S. Steph.: « In Petro, Dei Ecclesia solidatur, qui juxta praerogativam sibi a Domino concessam, firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam ædificavit. » — S. Ambrosius, lib. 4 de Fide, cap. 5, n.° 6 testatur, Christum Petro regnum dedisse « quem cum petram dicit, fundamentum Ecclesiæ indicavit. »

Si aliquando Patres per *petram,* super quam ædificatur Ecclesia, intelligunt Petri confessionem, seu fidem in divinitate Christi, non intelligunt fidem aut confessionem *in abstracto,* sed *in concreto,* scilicet in Petro credente et confitente. Per synecdochen tamen ipsam Petri fidem nuncupant petram seu fundamentum Ecclesiæ, quia ob illam fidem, Petrus Ecclesiae Caput et fundamentum constitutus est.

II. **Quoad textum Joannis 21,** Sancti Patres, per agnos et oves, intelligunt omnia Ecclesiæ membra, ita ut Petrus, a Christo jussus agnos et oves pascere, obtinuerit Primatum jurisdictionis super totam Ecclesiam.

Sic S. Eucherius Lugdunensis, Serm. de Natal. Petri et Pauli: « Prius, ait, agnos, deinde oves commisit ei *(Petro),* quia non solum Pastorem, sed pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et prælatos; omnium igitur Pastor est, quia præter agnos et oves, in Ecclesia nihil est. » — S. Bernardus, lib. 2 de Consid., cap. 8: « Cui, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete, totæ commissæ sunt oves? *Si me amas,* Petre, *pasce oves meas.* Quas? Illius, vel illius populos civitatis, aut regni? *Oves meas,* inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. »

III. Patres græci et latini certatim, Petri Primatum variis modis extollunt.

1°) **Patres græci:** ORIGENES, in divers. Evang. homil. 2: « Quis esset altior Apostolorum illo, qui est et dicitur Vertex eorum? » — S. CYRILLUS HIER., Catech. 2, nuncupat Petrum « Apostolorum summum et Principem, ac regni cœlestis clavigerum. » — S. BASILIUS, Procem. de judic. Dei: « Beatus Petrus omnibus discipulis prælatus fuit, cui soli majora data sunt quam aliis testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves regni cœlorum concreditæ sunt. » — S. GREGORIUS NAZIANZ., Carm. de se ipso et adv. Episc., Petrum appellat « Principem Apostolorum » et « Ecclesiæ columen. » — S. GREGORIUS NYSS., Serm. 2 de Steph.: « Celebratur Petri memoria, qui Apostolorum est Caput, et una cum ipso cætera Ecclesiæ membra glorificantur. » — S. EPIPHANIUS in Anchor. post init.: « Hæc testatur Princeps Apostolorum *(Petrus)* quem Dominus constituit Principem Apostolorum... cui concreditum est ovile. » — S. CHRYSOSTOMUS, homil. 88 in Joann.: « Christus Petro fratrum præfectura commisit... et Petrus totius orbis Magister a Christo constitutus est. » — Et Orat. 8, adv. Judæos: « Petrus sic abluit illam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit. » — Aliis in locis, scilicet in Homil. 57 in Matth., homil. 3 in Act.; homil. 57 in Joann., Petrum nominat: « Chori apostolici Principem, os ac verticem discipulorum, Ecclesiæ Pastorem et Caput, columnam Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscatorem. »

2°) **Patres latini:** S. CYPRIANUS, Epist. 14: « Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. » — TERTULLIANUS in Scorpiaco, cap. 10: « Si adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse. » — S. HILARIUS PICTAV. in Matth. 16: « Petrus primus credidit, et apostolatus est Princeps. » — S. OPTATUS MILEVIT., lib. 2 cont. Parmen.: « Cathedra una est, ubi sedit omnium Apostolorum Caput Petrus, in quo uno cathedræ unitas servatur. » — S. AMBROSIUS in 1. Cor. 13: « Prior Andreas secutus est Salvatorem, sed Primatum non accepit, sed Petrus. » — S. HIERONYMUS, lib. 1, cont. Jovin.: « Ideo inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio. » — S. AUGUSTINUS, lib. 2, de Bapt.: « In Scripturis sanctis didicimus Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum excellenti ratione præeminet. » Ibidem: « Quis nescit, illum Principatum Apostolatus Petri cuilibet Episcopatui præferendum esse? » — S. LEO MAGNUS, Serm. 3 de Assumpt. sua ad Pontificat.: « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei, multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.

429. — Probatur III. *Ex ratione theologica*, scilicet ex necessitate monarchici regiminis in Ecclesia.

I. Ex regiminis monarchici excellentia.

Omnes enim sapientes agnoscunt, optimum *per se* regimen multitudinis esse monarchicum, quia pacis, concordiæ et ordinis causa, congruentior est unus rex quam multi principes. — Atqui, cum Ecclesia sit ex institutione Christi perfectissima, sicut supra probavimus n.° 391, oportet omnino ut optime ac ordinatissime regatur. — Ergo regimen ejus est monarchicum. Ergo in Ecclesia a Christo instituta existit una potestas suprema, quæ omnem fidelium multitudinem regit, et potest facere actus qui subditos obligat. Ergo datur in Ecclesia Primatus, non solum honoris, sed etiam jurisdictionis.

Confirmatur 1°) Ex eo, quod in Evangelio, Ecclesia ab ipso Christo passim comparatur regno, civitati, domui, navi, ovili, etc., quæ omnia reguntur ab uno gubernatore.

2°) Ex eo, quod supremum divinumque omnis perfectionis Exemplar est unum, ita ut unitas sit necessaria conditio omnis perfectionis exemplatæ, et consequenter perfectionis Ecclesiæ. — Atqui, Primatus Summi Pontificis, est centrum unitatis et ordinis in Ecclesia. — Ergo hic Primatus in Ecclesia requiritur.

II. Ex aliis rationibus a S. Thoma indicatis in lib. 4 cont. Gent., cap. 76, scilicet: 1°) EX UNITATE CORPORIS ECCLESIÆ.

« Manifestum est, quod quamvis populi distinguantur per diversas diœceses et civitates, tamen, sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum christianum. Sicut igitur in uno speciali populo unius Ecclesiæ, requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano, requiritur quod unus sit totius Ecclesiæ Caput. »

2°) EX UNITATE ANIMÆ, SEU FIDEI.

« Item ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitatem per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo, ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem quod Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit, et pro ea sanguinem suum

fudit, cum et de Synagoga dicatur per Dominum: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* (Isai. 5, v. 4). Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi, unus toti Ecclesiæ præsit. »

3°) Ex fine regiminis.

« Adhuc nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per Eum dispositum per quem *reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (Prov. 8, v. 15). Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum; quod patet ex fine regiminis, qui est pax; pax enim et unitas subditorum est finis regentis; unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiæ præsit. »

4°) Ex Ecclesiæ militantis assimilatione ad Ecclesiam triumphantem.

« Amplius, Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur; unde et Joannes in Apocalypsi vidit Jerusalem descendentem de cœlo, et Moysi dictum est, quod faceret omnia secundum exemplar ei in monte monstratum. In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet in toto universo, scilicet Deus; dicitur enim: *Ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus* (Apoc. 21, v. 3). Ergo et in Ecclesia militante, unus est qui præsidet universis. Hinc est quod dicitur: *Congregabuntur filii Juda et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum.* (Osec 1, v. 11); et Dominus dicit: *Fiet unum ovile et unus Pastor* (Joan. 10, v. 16). »

5°) Ex necessitate unius vicarii Christi in terra.

« Si autem quis dicat, quod unum Caput et unus Pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiæ Sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit; ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit; ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cujus virtute corpus ejus in altari quotidie consecratur; et tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem *(scilicet visibilem)* erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: *Pasce oves meas* (Joan. 21, v. 17); et ante passionem: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. 22, v. 32); et ei soli promisit: *Tibi dabo claves regni cœlorum* (Matth. 16, v. 19), ut ostenderetur potestas clavium per eum ad eos derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem. »

§ II.

Petri Primatus est perpetuus in Ecclesia, et in Romano Pontifice perseverat.

430. — *De fide est* ex Concil. Vatic., Petri Primatum esse, de jure divino, perpetuum in Ecclesia, et de facto perseverare in Romano Pontifice. Legitur enim in Const. dogmat. de Ecclesia, cap. 2: « Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in Primatu super universam Ecclesiam, perpetuos habeat successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem Primatu successorem, anathema sit. »

Multo antea Concilium Florentinum, communi Græcorum et Latinorum consensu, definiverat: « Sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur. »

I. **Petri Primatus est perpetuus in Ecclesia.**

Probatur I. *Ex Scriptura.*

In Matth. 16 Christus expressis verbis prædicit, Petrum fore præcipuum Ecclesiæ fundamentum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* — Atqui, de illa Ecclesia ibidem dicitur: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* scilicet omnes inferni vires Ecclesiam nunquam superabunt; ac proinde Ecclesia semper firma manebit, seu perpetua est. — Ergo et ipsum Ecclesiæ fundamentum, quod est Petri Primatus, semper firmum, seu perpetuum erit, nam Ecclesia stare nequit nisi innixa suo fundamento.

Probatur II. *Ex natura et fine Primatus.*

Primatus pertinet ad ipsam constitutionem Ecclesiæ, quæ ex Christi instituto, est monarchia. Finis autem Primatus est unitatem in Ecclesia servare. — Atqui, Ecclesia est perpetua, et unitatem semper servare debet. — Ergo Primatus est perpetuus.

II. **Petri Primatus in Romano Pontifice perseverat.**

Probatur I. *Ex necessitate Primatus perpetui.*

Primatus ex Christi institutione est perpetuus in Ecclesia. — Atqui, in nullo alio reperitur

quam in Romano Pontifice. — Ergo semper in eo perseverat.

Probatur Minor. Constat nullum alium Episcopum in orbe christiano, præter Romanum Pontificem, unquam se Petri successorem dixisse, nec unquam ut talem ab Ecclesia agnitum fuisse.

Probatur II. *Ex communi Patrum testimonio.*

I. **Patres græci:** S. Irenæus, lib. 3 adv. hæres., cap. 5: « Maxima et antiquissima, et omnibus cognita est, a duobus gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo fundata *(Romana Ecclesia)*.., ad hanc Ecclesiam, propter potentiorem ejus principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. »

S. Athanasius, Epist. ad Felic. Pap. « Ob id vos prædecessoresque vestros, apostolicos Præsules, in summitatis arce constituit omninoque Ecclesiarum curam habere præcipit, ut nobis succurratis. »

S. Basilius, Epist. 52 ad Athanas.: « Visum est consentaneum, scribere ad Episcopum Romanum, ut videat res nostras, et judicii sui decretum interponat. »

S. Gregorius Naz., in Carm. de vita sua: « Fides vetustæ *(Romæ)* recta erat jam antiquitus, et recta perstat nunc item; nexu pio, quodcumque labens sol videt devinciens, ut universi mundi Præsidem decet ».

S. Cyrillus Alex., Homil. encom. in S. Deiparam, S. Petrum appellat Apostolorum Principem et Caput, atque ejus successorem Cœlestinum nominat « Archiepiscopum totius orbis, et Patriarcham magnæ urbis Romæ. »

Theodoretus, in Epist. ad Renat., scribit: « Obsecro, ut sanctissimo Archiepiscopo Leoni persuadeas, ut apostolica utatur auctoritate, jubeatque ad vestrum Concilium adire. Tenet enim sancta ista Sedes, gubernacula regendarum cuncti orbis terrarum. »

II. **Patres latini:** Tertullianus, lib. de Pudicit., cap. 1., Romanum Episcopum nominat « Summum Pontificem, et Episcopum Episcoporum. »

S. Cyprianus, Epist. 45: « Ecclesia Romana Ecclesiæ radix est, et mater; et per communionem cum illa, Ecclesiæ catholicæ unitas comprobatur. »

S. Optatus Milevit., lib. 2 cont. Parmen.: « Cathedra una est... ubi sedit omnium Apostolorum Caput, Petrus, in quo uno cathedræ unitas servaretur, ut jam schismaticus atque peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra una est... In ea sedit primus Petrus, cui succedit Linus, Lino Clemens etc. *(et tandem)* Damasus, qui hodie noster confrater est, quocum totus orbis, sicut et nos, commercio litterarum formatarum communicat. »

S. Ambrosius, Epist. 11 ad Gratian.: « Non habent Petri hæreditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt. A Romana Ecclesia totius orbis romani Capite, in omnes venerandæ communionis jura dimanant. »

S. Augustinus scribit in Epist. 33, n.° 7: « In Ecclesia Romana semper apostolicæ cathedræ viguit Principatus. » — In Epist. 53, cap. 1, n.° 2 seriem texit Romanorum Pontificum a S. Petro usque ad Anastasium. — In lib. 2 cont. Faust., cap. 7, Romanum Episcopum vocat « Pastorem totius Ecclesiæ ». Et lib. 4, cont. Epist. 2 Pelagii eumdem nominat « Pastorem pastorum. »

S. Hieronymus, Epist. 57 ad Damasum Papam, quem circa aliquam fidei quæstionem consulit, scribit: « A Pastore præsidium, ovis flagito. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio; cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor etc. »

S. Isidorus Hispal. ad Eugen. Episc. Toletan.: « Dignitas potestatis, etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romano Episcopo, singulari quodam privilegio, veluti Capiti cæteris membris altiori, manet in æternum. »

S. Bernardus, lib. 2 de Consider., cap. 8, ad Eugenium Papam sic loquitur: « Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum... dignitate Aaron... potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores, et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus Pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini Petro dicentis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* »

Probatur III. *Ex modo agendi Romanorum Pontificum,* qui semper in omnes Ecclesias exercuerunt supremam potestatem.

Etenim 1°) Semper leges tulerunt, quæ universam Ecclesiam, et etiam Episcopos, obligarunt; simul omnia Ecclesiæ membra potestate coercitiva compellentes ad has leges observandas.

2°) Semper in dubiis de rebus ad fidem et mores Ecclesiæ pertinentibus, et in omnibus causis gravioribus, recursum est ad Romanos Pontifices, qui definitivum judicium protulerunt.

3°) Semper Romani Pontifices Episcopos ac Patriarchas electos confirmarunt; accusatos autem judicarunt.

4°) Novos Episcopos semper creaverunt.

5°) Semper suos legatos et vicarios in variis orbis regionibus habuerunt.

Hæc omnia longe ac late ex historia probat Suaresius, disp. 10, sect. 2, n.is 15-17, et sic concludit: « Ex his igitur constat, Romanum Pontificem, a principio nascentis Ecclesiæ, et habitum esse Pastorem universalem, et hujusmodi potestate usum fuisse. Ergo non tyrannice, neque injuste hanc sibi dignitatem usurpavit, sed per legitimam Petri successionem. »

§ III.

Magisterium Romani Pontificis est per se infallibile.

431. — *De fide est,* ex Concilio Vaticano, Constit. dogm. de Ecclesia, cap. 4, 1°) supremum Magisterium comprehendi in Primatu Romani Pontificis. « Ipso autem apostolico Primatu, quem Romanus Pontifex, tanquam Petri Principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque Magisterii potestatem comprehendi, hæc sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt.

2°) *De fide est,* Magisterium Romani Pontificis esse per se infallibile. « Nos traditioni a fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse. Si quis autem huic nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit! »

Hoc anathemate damnati sunt Gallicani, Jansenistæ et Josephistæ asserentes summum Pontificem non esse infallibilem in rebus fidei et morum, nisi accedente consensu Ecclesiæ, sive in Concilio generali congregatæ, sive saltem per orbem diffusæ.

Probatur I. *Ex Scriptura sacra.*

I. **Ex Matth. 16, v. 18:** *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ex hoc textu supra probavimus, Ecclesiam Petro ejusque successoribus inniti, tanquam ædificium in fundamento suo, et insuper illam esse in docendo infallibilem; unde sequitur fundamentum ejus esse infallibile. — Atqui, nullius ædificii fundamentum stat firmum per ædificium, sed stat per se, et in illo stat ædificium; secus illud non esset fundamentum. Similiter ut Romanus Pontifex sit infallibile fundamentum Ecclesiæ, oportet ut stet per se, et nullatenus per Ecclesiæ consensum, seu firmitatem; Ecclesia autem oportet ut stet per Romanum Pontificem; secus hic non esset Ecclesiæ fundamentum. — Ergo Magisterium Romani Pontificis est per se infallibile.

II. **Ex Luca 22, v. 31:** *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Ibi Christus, Petrum alloquens, dicit se impetrasse, pro eo ejusque successoribus, infallibilitatem in fide, ut constitutus totius Ecclesiæ Pastor, fidem fratrum suorum, seu Ecclesiæ, firmaret contra diaboli insidias. — Atqui, si Romanus Pontifex non est infallibilis, nisi accedente Ecclesiæ seu fratrum consensu, ab illis confirmatur, non autem illos confirmat. — Ergo est per se infallibilis.

III. **Ex Joan. 21, v. 15** etc.: *Simon Joannis, diligis me?... Pasce agnos meos... Pasce agnos meos... Pasce oves meas.*

His verbis Christus Petro, seu Romano Pontifici, curam commisit pascendi universum gregem suum, tam Prælatos quam fideles. Pastor autem gregem suum dirigit, et ab eo non dirigitur. — Atqui, si Petrus et Romani Pontifices sint tantum infallibiles accedente Ecclesiæ consensu, ipsi pascuntur; et Ecclesia seipsam ac suum ipsum Pastorem pascit; quod Christi doctrinæ contradicit. — Ergo sunt per se infallibiles.

432. — **Probatur II.** *Ex Patribus et Conciliis.*

I. **Ex Patribus græcis:** S. Irenæus, lib. 3 adv. hæres., cap. 3: « Ad hanc *(Romanam)* Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles; in qua semper, ab his qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. »

Origenes, in cap. 16 Matth., n.° 11, explicans verba: *Non prævalebunt adversus eam,* sic interrogat: « Quam autem eam? An enim petram, super quam ædificat Ecclesiam, an Ecclesiam? Ambigua quippe locutio est: an quasi unam eamdemque rem, petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo; nec enim adversus petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam, nec adversus Ecclesiam, portæ inferi prævalebunt. » In sua autem Catena asserit, petram super quam ædificata est Ecclesia, tantam habere auctoritatem « ut ejus judicia maneant firma, quasi Deo judicante per eam. »

S. Athanasius, in Epist. synodica Concilii Alexandr. ad Papam Felic. II, scribit de Ecclesia Romana: « Ipsa enim firmamentum a Deo fixum et immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum lucidissimam Dominus Jesus Christus vestram apostolicam constituit Sedem; ipsa enim sacer Vertex est, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, relevantur. »

S. Basilius Damasum Papam sic in Epist. 71 alloquitur: « Pietati tuæ donatum est a Domino, scilicet ut quod adulterinum est, a legitimo et puro discernas, et fidem Patrum sine subtractione ulla prædices.

S. Gregorius Nazianz., ait in Carmine de vita sua: « Fides vetustæ *(Romæ)* recta erat jam antiquitus, et recta perstat nunc item; nexu pio, quodcumque labens sol videt devinciens, ut universi mundi Præsidem decet. »

S. Cyrillus Alex., in Lib. thesaur., docet, ad Romanum Pontificem recurrendum esse, quia « ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, ligare et solvere, loco illius qui ipsum ædificavit, et nulli alii quod suum est plene, sed ipsi soli dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, et Primates mundi tanquam ipsi Jesu Christo obediunt. »

S. Petrus Chrysologus, in Epist. ad Eutychet., inter acta Concilii Chalced.: « In omnibus hortamur te, ut his quæ a Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, diligenter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. »

II. **Ex Patribus latinis:** Tertullianus, lib. de Præscript., cap. 2, Romanam Ecclesiam vocat felicem, quia Apostoli in ea suam doctrinam cum suo sanguine fuderunt: « Unde nobis quoque auctoritas præsto est. » — Imo, postquam in Montanistarum hæresim lapsus est, dicit de dogmatico decreto, quod promulgavit Zephyrinus Papa: « Audio edictum fuisse promulgatum et quidem peremptorium; Summus Pontifex et Episcopus episcoporum dicit... »

S. Ambrosius, in lib. 4 de Fide, cap. 3: « Ergone cui propria auctoritate regnum dabat *(Christus)* hujus fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit? »

S. Hieronymus, in Epist. 14, alias 57, ad Damasum Papam, ita loquitur: « Ideo mihi Cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc animæ meæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi... Profligato a sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas... Vos estis lux mundi, vos sal terræ... Ego nullum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio... qui tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, antechristi est. »

S. Augustinus, in Psalmo cont. partem Donati: « Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum, quis cui successit videte; ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. » — Et in Epist. 157: « In verbis Sedis apostolicæ tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare. » — Postquam Summi Pontifices Innocentius et Zozimus hæresim Pelagii damnaverunt, S. Augustinus scripsit in lib. 2. cont. duas Epist. Pelagii: « Litteris Innocentii tota, de hac pelagiana re, dubitatio sublata est. » — Et Serm. 131, olim. 2, de Verbis Apost., cap. 10, n.° 10: « Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando finiatur error! » — Item, lib. 2, operis imperf. cont. Julian., cap. 103: « Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud apostolicam Sedem?... Ergo hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus christianis. »

S. Fulgentius, in lib. de Incarnat, et grat., cap. 11, pro regula fidei statuit: « Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique verbis, tanquam splendoribus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, quæ mundi cacumen est, tenet et docet Ecclesia, totusque cum ea christianus orbis, et ad justitiam nihil hæsitans credit, et ad salutem non dubitat confiteri. »

S. Bernardus, Epist. 190 ad Innocent. II, scribit: « Dignum arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quidem est hujus prærogativa Sedis. Cui enim aliquando dictum est: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur. *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* »

III. **Ex Conciliis.** In actis *Concilii Chalcedon.,* Episcopi collecti profitentur: « Habemus Petrum

petram refugii; et ipsi soli, libera potestate, loco Dei, sit jus discernendi secundum claves a Deo sibi datas; et omnia ab eo definita teneantur tanquam a Vicario apostolici throni. »

Concilium Tarraconense, anno 465 celebratum, ad Hilarium Papam scribit: « Ad fidem recurrimus ore apostolico laudatam, inde responsa quærentes, unde nil errore, nil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur. »

Concilium Constantin. III, in Epist. synodica ad Agathonem Papam, dicit: « Tibi quid gerendum sit, relinquimus stanti super firmam fidei petram. » — Deinde Patres Concilii laudant litteras a Romano Pontifice datas, quas, aiunt « ut a summo Apostolorum Vertice divinitus præscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus. »

Concilium Constantin. IV, act. 7, de apostolica Sede Romana dicit: « quæ cæterarum quoque sedium magistra est. »

Concilium Lateranense IV, cap. 5, ait: « Romana Ecclesia, disponente Domino, supra omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra. »

Concilium Florentinum, consentientibus Græcis, in definitione fidei profitetur « Romanum Pontificem... omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere. »

433. — Probatur III. *Ex ratione agendi Ecclesiæ*, quæ ex sequentibus factis manifestatur, et supponit Papam esse per se infallibilem in rebus fidei et morum.

1°) Hæc semper fuit Romanorum Pontificum praxis, ut constitutiones suas doctrinales ad Episcopos dirigentes, juberent ut hi illis subscriberent. Ergo Papæ semper senserunt judicia sua doctrinalia non esse infallibilia quia Episcopi illa accipiebant, sed e contra Episcopi illa accipere debebant, quia erat infallibilia. Huic autem rationi agendi nunquam contradixerunt plerique Episcopi, sed pauci tantum ac pejores.

2°) Ab initio Ecclesiæ, hæreticorum condemnationes semper fuerunt a fidelibus ex solius Papæ judicio acceptæ, a die quo ipsis innotescebat sententia Romani Pontificis, quin hæsitarent usquedum accederet consensus Ecclesiæ universalis. Illi autem qui huic sententiæ resistebant, tanquam hæretici habiti sunt. Sic Zephyrinus Papa damnavit Montanum, Hyginus Valentinum, Siricius Jovinianum, Zozimus et Innocentius I Pelagium.

Hi duo ultimi Pontifices quosdam Episcopos damnaverunt, qui a sententia Sedis apostolicæ ad Concilium generale appellaverant; quod hucusque penitus inauditum fuerat.

Ipsi Gallicani Constitutiones pontificales contra Jansenismum acceptarunt, statim ac illis innotuerunt, non exspectantes Ecclesiæ universalis consensum.

3°) Nunquam œcumenicorum Conciliorum decreta tanquam irreformabilia habita sunt, ante Romanorum Pontificum confirmationem. Imo interdum rejecta sunt, propter hujus confirmationis defectum.

4°) Hæc agendi ratio Ecclesiæ solidissime fundatur, non tantum in Christi promissionibus, sed etiam in isto facto, quod nullum exemplum ostendi potest, quod Romanus Pontifex ex cathedra loquens, in fide erraverit.

Probatur IV. *Ex Primatus notione et fine;* nam, habet Romanus Pontifex Primatum, ut Ecclesiæ tanquam Caput præsit; eam tanquam fundamentum sustineat; tanquam pastor pascat; atque sic eam per tutam semitam ad salutem dirigat. — Jam vero, si Summus Pontifex in suis decretis dogmaticis errare posset, et ipsius decreta a reliqua Ecclesia possent reformari, fundamentum per ædificium consolidaretur, Caput a corpore dirigeretur, et oves pascerent Pastorem, ac devium in viam revocarent; quod est absonum et a Christi mente alienissimum. Unde et illud ab omnibus receptum est: *Prima Sedes a nemine judicatur.*

Præterea Ecclesiæ non satis provisum esset, si Romanus Pontifex infallibilitate non gauderet. Nam Concilia generalia non semper celebrari possunt, et diuturno tempore opus est ad consensum Episcoporum per orbem dispersorum cognoscendum. Interea igitur, si controversia fidei emergeret, fideles essent fluctuantes in fide, vel etiam unitatem fidei perderent, atque errores disseminari et prævalere possent, si non daretur Judex, cui omnes tuto acquiescere possent, ac se submittere deberent. Absque dubio ergo Christus qui dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, in Romano Pontifice, ad quem causæ fidei primo deferendæ sunt, talem judicem statuit, qui falli et fallere nequeat.

COROLLARIUM
PROPOSITIONUM I. ET II.

Ecclesia est monarchia, temperata ex aristocratia ac democratia.

434. — Breviter ostendemus 1°) existentiam trini hujus elementi in Ecclesiæ regimine; 2°) necessitatem monarchiæ in Ecclesia; 3°) utilitatem prædicti temperamenti in monarchia Ecclesiæ.

I. Ecclesia non est pura monarchia, sed temperatur aristocratia et democratia.

1°) Hoc docet *Bellarminus*, lib. 1 de Rom. Pont., cap. 3: « De Ecclesia Testamenti novi probandum erit, esse in ea videlicet Summi Pontificis *monarchiam*, atque Episcoporum, qui veri principes et pastores, non vicarii Pontificis maximi sunt, *aristocratiam;* ac demum suum quemdam in ea locum habere *democratiam*, cum nemo sit ex omni christiana multitudine, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere judicatur. » — *S. Alphonsus de Ligorio*, citans Bellarminum aliosque auctores, ait in Vindic. adv. Febron., cap. 6, I: « Docent regimen Ecclesiæ esse monarchicum, cum duplici tamen discrimine a gubernio monarchico temporali: primum, quia Episcopi, licet Papæ subjecti, non sunt tamen ejus vicarii, sed ordinaria potestate suas regunt Ecclesias; secundum, quia nec Papa, nec Episcopi hæreditaria successione suas dignitates acquirunt, ut reges, sed ex omni classe fidelium eliguntur. »

Ergo forma regiminis Ecclesiæ *triplici constat elemento*, scilicet monarchico, quod præcipuum est, atque Ecclesiæ unitatem confert, sed admiscetur elemento aristocratico et elemento democratico, quæ monarchiam sapientissime temperant et quamdam trinitatem cum ea constituunt. — Verumtamen elementum aristocraticum et democraticum non eodem modo se habent *in regimine ecclesiastico*, quam *in regimine civili*. Etenim in Ecclesia, Summus Pontifex a Christo habet totam potestatem, cui Episcopi participant de jure divino, dum in Statu civili monarcha habet partem majorem potestatis et optimates partem minorem. Insuper in Ecclesia, populus non habet jus eligendi Summum Pontificem, sed hoc jus optimatibus seu Cardinalibus reservatum est; solummodo omnis vir idoneus potest eligi in Summum Pontificem; in civili autem Statu democratico, populus potest etiam eligere monarcham.

2°) Elementum monarchicum jam probavimus, demonstrando Primatum jurisdictionis, quo pollet Romanus Pontifex. Elementum *democraticum* patet ex Clericorum omnium vocatione a Deo et ordinatione juxta eorum virtutem. Restat ut breviter probemus elementum *aristocraticum*, ostendendo quomodo Episcopi sint veri principes suas provincias propria auctoritate gubernantes.

Duo distinguenda sunt in episcopali jurisdictione, videlicet institutionem et collationem. a) *Quoad institutionem* seu existentiam, jurisdictio episcopalis est immediate a Deo. Inde fit ut Summus Pontifex jus non habet Ecclesiam regendi exclusis Episcopis, cum potestas episcopalis sit ab ipso Christo instituta, et jure divino ab Episcopis proprie ac ordinarie in suas diœceses exerceatur. — b) *Quoad collationem* vero, jurisdictio episcopalis est a Summo Pontifice Romano. Hæc est sententia communior, quia cum Ecclesiæ regimen sit monarchicum, omnis jurisdictio in uno residet a quo derivat in alios. — Præterea potestas episcopalis in se indeterminata est. Unde oportet ut designentur personæ quibus conferatur, et assignentur subditi in quos exerceatur. Hoc autem fieri nequit, nisi a Summo Pontifice.

3°) Ecclesiæ regimen clarius adhuc patebit ex comparatione Episcoporum cum Summo Pontifice.

a) Summus Pontifex Romanus habet plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, ita ut per se sit infallibilis; et omnes singulasque Ecclesias regat tanquam principalis ac ordinarius earum Rector; causas et casus sibi reservet; personas eximat, et similia, quin ab ullo dependeat. — b) Collegium Episcoporum idem potest, sed tantummodo cum Romano Pontifice, qui ejus Caput est. Deinde singuli Episcopi non sunt infallibiles, nec universales; imo nec in propriis diœcesibus, universali ac suprema gaudent potestate. Propria tamen ipsis est eorum potestas, ita ut vicarii non sint Summi Pontificis, sed divino ac nativo jure suas regant diœceses.

II. **Necessitas monarchiæ in Ecclesia** a S. Thoma, lib. 4 cont. Gent., cap. 76, probatur ex quatuor rationibus, quas supra evolvimus n.° 429, scilicet: 1°) ex unitate corporis Ecclesiæ; 2°) ex unitate animæ, seu fidei; 3°) ex fine regiminis; 4°) ex Ecclesiæ militantis assimilatione ad Ecclesiam triumphantem.

III. **Utilitas prædicti temperamenti in monarchia Ecclesiæ** a Bellarmino, loco præcitato, probatur ex triplici ratione.

1°) *Utilitas elementi aristocratici* ex eo patet, quod multo diligentius ac fidelius Principes res suas, quam vicarii alienas procurabunt.

2°) *Utilitas elementi democratici* ex eo patet, quod omnes illud genus regiminis magis amant, cujus participes esse possunt; quale igitur est hoc nostrum, cum virtuti, non generi deferatur.

3°) *Utriusque elementi convenientia* apparet ex Ecclesiæ christianæ analogia cum Synagoga: « Habuit enim populus Hebræorum semper unum sive ducem, sive judicem, sive regem qui toti multitudini imperaret, quod pertinet ad monarchiam. — Habuit præterea multos principes minores, de quibus ita legimus, Exod. 18: *Electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos et centuriones, et quinquagenarios et decanos, qui judicabant plebem omni tempore.* Id autem ad aristocratiam

pertinet. — Denique ex omni plebe, non ex aliqua tribu, principes assumebantur, ut ex eodem loco, Exod. 18, et etiam Deuteron. 1, aperte colligitur; quod aliquomodo democratiæ est. »

PROPOSITIO IV.

ECCLESIA CHRISTI IN SUA UNITATE EST CATHOLICA, APOSTOLICA ET SANCTA, ATQUE HIS ETIAM NOTIS EXHIBET VESTIGIUM DEI UNITRINI.

De fide est ex Symbolo Nicæno, Ecclesiam christianam has quatuor notas habere: « Credo... unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam ». — Dotes istæ *in genere* competunt trinæ Christi Ecclesiæ, militanti, patienti et triumphanti; sed *in specie* a theologis attribuuntur Ecclesiæ militanti, tanquam notæ, quibus vera Christi Ecclesia a variis sectis in terra distinguitur. Unde nos quoque illas probabimus sub hoc speciali respectu consideratas.

§ I.

Ecclesia Christi est una.

435. — Triplex distinguitur Ecclesiæ unitas nempe: 1°) *unitas numerica*, qua Ecclesia unica est, ita ut non sint plures Christi Ecclesiæ; 2°) *unitas interna* seu spiritus, qua omnia Ecclesiæ membra uniuntur Christo et inter se iisdem donis Spiritus sancti, et præcipue eadem fide, spe et charitate; 3°) *unitas externa* seu corporis, qua omnia Ecclesiæ membra uniuntur ac subjiciuntur eidem Capiti visibili et instituto a Christo, eamdem religionem publice profitentur, iisdemque utuntur Sacramentis. Igitur vi unitatis numericæ, omnes Christi discipuli unicam tantum societatem constituunt; vi unitatis internæ, omnes habent eamdem animam seu formam; vi unitatis externæ, omnes efformant unum corpus morale, sed tamen visibile.

Porro hanc triplicem Ecclesiæ unitatem demonstrabimus: 1°) ex Scriptura; 2°) ex Patribus; 3°) ex rationibus theologicis.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

I. **Ex verbis Christi.**

1°) Joan. 10, v. 14-16: *Ego sum pastor bonus... et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Ex his apparet unitas Ecclesiæ numerica; bonus enim pastor promittit se in *unum ovile*, seu in unam societatem, congregaturum esse, non tantum Judæos, sed etiam gentiles. Confirmatur ex eo, quod alibi Christus Ecclesiam suam comparat *uni agro*, scilicet apud Matth. 18, v. 24, vel *uni convivio*, ibid. 22, v. 11, vel *uni viti*, ibid. 21, v. 33.

2°) Joan. 17, v. 11: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos... Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Ibi manifeste Christus a Patre suo, pro discipulis suis rogat unitatem internam, qua omnia membra Ecclesiæ, tam docentis quam edoctæ, cum Deo et inter se uniuntur per fidem ac charitatem, et quidem tam intime, ut hæc unio fiat ad instar unionis personarum divinarum.

Confirmatur ex eodem Joann. 15, v. 9 et 10: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebits in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione.*

3°) Matth. 16, v. 18: *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* — Joan. 21, v. 15-17: *Dicit Simoni Petro Jesus... Pasce agnos meos... Pasce oves meas.* — Matth. 28, v. 19 et 20: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* — Ibid. 10, v. 32 et 33: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.*

In his textibus Christus aperte Petrum constituit visibile Ecclesiæ suæ fundamentum, et visibilem pastorem agnorum suorum et ovium suarum, quibus Patres intelligunt Ecclesiam edoctam et Ecclesiam docentem; ita ut Petrus sit Caput visibile totius corporis Ecclesiæ, seu centrum unitatis ejus externæ, sicut Christus est centrum internæ unitatis Ecclesiæ. Præterea Christus jubet omnes discipulos suos baptizari eodem Baptismo, qui est cæterorum Sacramentorum janua, et doceri eadem præcepta quæ servare tenentur, non tantum privatim et coram Deo, sed etiam publice coram hominibus.

Ergo ex ipsius Christi verbis, probatur Ecclesiam ejus esse unam triplici unitate numerica, interna et externa.

II. **Probatur ex verbis Apostoli,** qui frequenter fideles exhortatur ad unitatem internam et externam, eosque contra schismata præmunit.

1°) Fideles ad unitatem exhortatur ex eo, quod sub Christo Capite, per unum Baptismum sunt unum corpus uno eodemque Spiritu animatum, scilicet una fide, una spe, una charitate.

Sic Rom. 12, v. 5: *Multi unum corpus sumus in Christo.* — 1. Cor. 12, v. 27: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.* — Ibid., v. 13: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles; sive servi, sive liberi.* — Eph. 4, v. 3-17: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus et unus spiritus; sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium.* — Ibid., v. 15 et 16: *Caput Christus. Ex quo totum corpus compactum et connexum, per omnem junctúram subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate.* — Ibid., 3, v. 16 et 17: *Det vobis... Christum habitare per fidem in cordibus vestris; in charitate radicati et fundati.*

2°) Sicut Paulus unitatem commendat, ita dissensiones, schismata et hæreses condemnat. 1. Cor. 1, v. 10, etc.: *Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia... Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus?* — Tit. 3, v. 10: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* — 1. Timot. 6, v. 20, etc.: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.*

Probatur II. *Ex Patribus.*

S. Clemens Rom., Epist. 1 ad Corinth., cap. 46: « Nobis unus est Deus, et unus Christus et unus Spiritus gratiæ, qui effusus est super nos, et una vocatio in Christo; cur distrahimus membra Christi? »

S. Ignatius Mart., Epist. ad Smyrn., cap. 1, docet: « Christianos sive Judæos, sive Gentiles esse in uno corpore Ecclesiæ. » — Et Epist. ad Ephes., cap. 5: « Sicut Ecclesia Christo et Christus Patri, ita omnes per unitatem consentiant. »

S. Irenæus contra hæres.: « Hanc fidem Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter hæc prædicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. »

Tertullianus, lib. de Præscript., cap. 21, eodem argumento utitur contra hæreticos.

Clemens Alexand., lib. 7 Stromat.: « In unius naturæ sortem cooptata Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas abscindere. »

S. Ambrosius, lib. 3 de Offic., cap. 3: « Credimus Ecclesiam esse congregationem, quae in unum connexum corpus atque compactum, unitate fidei, et charitatis assurgit. »

S. Augustinus ex professo de Ecclesiæ unitate, librum scripsit, in quo dicit cap. 3: « Totus Christus Caput et corpus est. Caput unigenitus Dei Filius, et corpus ejus Ecclesia; sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso Capite Scripturis sacris consentiunt et unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, qui de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. »

S. Cyprianus, qui et ipse opus de Ecclesiæ unitate composuit, inter alia in eo dicit: « Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, et veritatem non tenet ad salutem. » — Item: « Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte præcide rivum, præcisus arescit. — Sic et Ecclesia Domini, luce perfusa per orbem totum, radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen Caput est et origo una; et una Mater fecunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. »

Probatur III. *Ex rationibus theologicis.*

I. Ex convenienti Ecclesiæ conformitate cum uno Christo Capite suo.

1°) Sicut Deus Pater unum Filium generat in uno Spiritu sancto, ita et ipse Filius incarnatus non generat sibi in uno Spiritu sancto, nisi unam Ecclesiam. Nam quemadmodum Filius Dei unus est, quia exhaurit Patris fecunditatem, seu Patris plenitudo est, sic et Ecclesia una est, quia Christi plenitudo est, juxta Eph. 10, v. 22 et 23: *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus, et ple-*

nitudo ejus, quod omnia in omnibus adimpletur.

2°) Sicut Verbum actualiter et indeficienter est in Patre, seu unitus Patri, ita et Ecclesia actualiter et indeficienter est in Verbo incarnato, seu illi unita, juxta Apostolum, qui passim asserit fidelium congregationem esse in Christo; passim enim in S. Pauli epistolis, et præsertim ad Ephesios, inveniuntur verba *in illo, in ipso, in quo.*

3°) Sicut Christus est unus, simul invisibilis et visibilis, ita et Ecclesia una est, simul invisibilis et visibilis, ac Christo actualiter unita vinculo invisibili et invisibili. Vinculum invisibile est interna Spiritus sancti gratia, cum omnibus donis infusis eam comitantibus; vinculum visibile est publica professio ejusdem fidei, et externa communio cum Summo Pontifice, in quo residet potestas ipsius Christi invisibilis.

II. **Ex ipsa Ecclesiæ notione,** ex qua sponte concluditur triplex ejus unitas. Nam 1°) Ecclesia est societas, quæ veram Christi Religionem profitetur. Atqui, Christi Religio est una numerice; hæc est enim, et non alia. Ergo et Ecclesia est *una numerice.*

2°) Religio christiana complectitur integrum Christi verbum. Atqui, integrum Christi verbum ab omnibus Ecclesiæ membris credendum est. Ergo Ecclesia debet esse *una interne,* scilicet unitate fidei.

3°) Membra Ecclesiæ militantis sunt homines visibiles. Atqui, membris visibilibus anima et corpore compositis competunt Caput visibile, cultus externus, et externa fidei professio et sacramenta sensibilia. Ergo Ecclesia debet esse *una externe,* scilicet esse unum corpus visibile.

§ II.

Ecclesia Christi est catholica.

436. — Catholicitas, seu universalitas, est perfectio seu plenitudo unitatis Ecclesiæ, inquantum Christi Ecclesia in sua unitate complectitur omnia terræ *loca,* omnia *tempora,* omnes *veritates* credendas vel faciendas, ita ut sit una secundum totum, quemadmodum indicat græca etymologia Καθόλου. — Et si catholicitas non restringitur ad Ecclesiam *militantem,* sed extendatur ad *triumphantem* et *patientem,* complectitur non solum omnia terræ loca et omnes homines, sed etiam cœlum, angelos ac Beatos, imo et purgatorium cum animabus in eo detentis; non solum omnia mundi tempora, sed etiam totam æternitatem; non solum omnes veritates per fidem credendas, sed etiam veritates quas Beati lumine gloriæ contemplantur.

Nunc probanda nobis est triplex catholicitas *Ecclesiæ militantis tantum,* ut nota, qua vera Christi Ecclesia ab omnibus sectis distinguitur, quemadmodum egregie jam animadvertit S. Augustinus in cap. 7. de Vera Relig.: « Tenenda est nobis christiana Religio et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve, ipsi quoque hæretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quam catholicam vocant. Non possunt enim intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. »

I. **De Ecclesiæ catholicitate quoad locum.**

437. — Ecclesiæ catholicitas quoad locum, seu quoad extensionem et ambitum, quem occupat, non ita intelligenda est, ac si omnes homines totius orbis terrarum debeant ipsius membra esse; nam Christus ipse apud Matth. 10, v. 14, etc., prædicit Apostolorum prædicationem non esse ab omnibus recipiendam. Insuper S. Paulus scribit ad Rom. 10, v. 16: *Non omnes obediunt Evangelio,* et 1. Cor. 11, v. 19: *Oportet et hæreses esse.* — Sed catholicitas quoad locum sic accipienda est, quod vera Christi Ecclesia ex natura sua tendat ad amplectendas omnes gentes, illas alloquendo et vocando, et quod realiter ita per universum orbem terrarum diffusa sit, ut ubique ejus nomen cognoscatur, ubique ejus membra inveniantur, et ejus extensio superet cujuslibet societatis religiosæ ambitum.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Ex vaticiniis veteris Testamenti, quæ prædicant regnum Messiæ, seu Ecclesiam Christi debere ad omnes gentes extendi. Psalm. 2, v. 8: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* — Psalm. 18, v. 4: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum;* quæ verba a S. Paulo, Rom. 10, v. 18, præconibus Evangelii, seu Apostolis applicantur. — Psal. 21, v. 29: *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* — Psal. 71, v. 8, etc.: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum;... adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* — Isai. 2, v. 2: *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes.* Confer quoque cap. 49, v. 6; — Osee 1, v. 10; — Dan. 2, v. 44 et cap. 7, v. 27; — Mich. 4, v. 1, etc.; — Zachar. 9, v. 10.

2°) Ex Christi institutione, qui doctrinam suam ad omnes gentes extendere, et Ecclesiam suam universalem, seu catholicam, esse voluit. Itaque Apostolis suis dixit, Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes.* — Marc. 16, v. 15: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* — Act. 1, v. 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

Apostoli autem hoc Christi mandatum strenue exsecuti sunt; nam *profecti prædicaverunt ubique,* sicut narrat Marcus 16, v. 20. Ideo Paulus dicit ad Rom. 10, v. 18: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* — Et ad Coloss. 1, v. 6 et 23, scribit: Evangelium *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis... quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est.*

Per hanc vero Evangelii prædicationem, Ecclesia Christi talem mox amplitudinem adepta est, ut S. Joannes, Apoc. 5, v. 9, in laudem Christi dicat: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.*

Probatur II. *Ex Patribus.*

Origenes, in Rom. 1, v. 8: « Christiani non est una gens, sed ex omnibus gentibus unus est populus... si ita dici potest omnium gentium gens. » — S. Cyrillus Hieros., Catech. 18: « Catholica vocatur Ecclesia, et quia per universum orbem terrarum est diffusa, et quia docet catholice, id est universaliter et absque defectu. » — Theophilactus, in 1. Cor. 12, Ecclesiam veram eam esse dicit « quæ per totum terrarum orbem dispersa est, cujus corpus ex omnibus passim Ecclesiis constat. » — S. Cyprianus, Epist. 52: « Una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa est. » — S. Hieronymus, in Matth. 24, v. 26: « Nolite exire, nolite credere, quod Filius hominis vel in deserto gentium sit, vel in penetralibus hæreticorum, sed quod ab Oriente in Occidentem fides in catholicis Ecclesiis fulgeat. »

S. Augustinus, Serm. 238, n.° 3: « Nemo tibi fabulas vendat, non latret rabies hæreticorum de angulo. Toto orbe terrarum diffusa est Ecclesia, omnes gentes habent Ecclesiam. » — In Cantic., Serm. 66, n.° 8, sic alloquitur Donatistas, qui dicebant se veram Christi Ecclesiam constituere, quamvis in una tantum Africæ parte existerent: « Itane lapidem de monte abscissum sine manibus, et montem factum, et implentem mundum, vestris creditis inclusum antris? Et ne hic quidem immorandum. Ipsa opinio refugit publicari suo contenta susurro. Habet, et semper habebit integram Christus hæreditatem suam, et possessionem terminos terræ. Se potius subtrahunt huic magnæ hæreditati, qui Christo illam conantur subtrahere. »

II. De Ecclesiæ catholicitate quoad tempus.

438. — Catholicitas sub hoc respectu considerata, consistit in perpetua Ecclesiæ Christi duratione.

Probatur I. *Ex Scriptura.*

1°) Ex vaticiniis Veteris Testamenti.

Isai. 9, v. 6, Messias dicitur *Deus fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Et deinde additur: *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in æternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.* — Daniel. 2, v. 44: *Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et ipsum stabit in æternum.* — Mich. 4, v. 1 et 7: *In novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi... Et regnabit Dominus super eos, ex hoc nunc et usque in æternum.* — Psal. 88, v. 35, etc. *Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar: semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.*

2°) Ex novo Testamento.

Apud Luc. 1, v. 35, Angelus Gabriel prædixit Mariæ de Christo ejus filio: *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* — Christus ipse, de Ecclesia a se ædificanda, dixit Petro: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* — Matth. 28, v. 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Probatur II. *Ex Patribus.*

Origenes, Homil. 30, in Matth.: « Ex quo constituta est Ecclesia in nomine Christi, usque ad consummationem perseverat... et plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem. »

S. Athanasius, Orat. de Christo Deo, in verba: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* ita loquitur: « Fidelis sermo, et non vacillans promissio; nam Ecclesia invicta res est, etiamsi infernus ipse commoveatur. »

S. Chrysostomus, Homil. de sui expuls.: « Ecclesiam vincere nulla vis poterit; nam Deus est cum Ecclesia, qui est omnibus fortior. Quomodo, impie diabole, Ecclesiam putas te dejicere posse, qui trementes parietes dejicere non valuisti? »

S. Ambrosius, Hexæm., lib. 4, cap. 2, et de Abrah., cap. 3: « Ecclesia tempora sua habet persecutionis et pacis; nam videtur deficere,

sed non deficit; tunditur fluctibus sed non obruitur; cæditur sed non labefactatur... spectat aliorum naufragia, ipsa immobilis et exsors periculi. »

S. Hieronymus, in Isai. 1, v. 17, cap. 60: « Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem mundi, concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari; et hoc fiet quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus ejus, id est Ecclesiæ, se facturum esse pollicitus est, cujus promissio lex naturæ est. »

S. Augustinus, in Psal. 60: « Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis, » — Item, serm. 1, de Symb. ad Catech., cap. 6, n.° 15: « Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans; pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem in radice sua, in charitate sua; portæ inferorum non vincent eam. »

Probatur III. *Ex ratione, scilicet ex universali salutis necessitate.*

Christus in mundum venit, ut omnes homines omnium locorum et temporum, æternam salutem consequi possint. Ut autem hujus participes fiant, veram Ecclesiam ingredi jubentur, extra quam non est saluts. — Atqui, si vera Ecclesia non semper existeret, homines non semper possent divinum præceptum adimplere, nec suam consequi salutem. — Ergo Deus aliquando impossibilia præciperet, et alicujus temporis homines salvare non vellet, quod utrumque non minus absurdum quam blasphemum est. Ergo dubitari non potest veram Ecclesiam semper existere.

III. **De Ecclesiæ catholicitate quoad doctrinam.**

439. — Sub hoc respectu spectata, catholicitas in hoc consistit, quod Ecclesia integrum servat depositum omnium veritatum revelatarum, ita ut nequeat a vera fide deficere, sed semper in ea profitenda ac docenda perseveret.

Probatur I. *Ex Scriptura*, scilicet ex Spiritus sancti auxilio, quod Christus Ecclesiæ suæ promisit, ut eam in veritate confirmet ac universaliter doceat. Dicit enim Christus apud Joan. 14, v. 16 et 26: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum... Ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia.* — Et ibid., cap. 16, v. 13: *Ille... docebit vos omnem veritatem.*

Unde Ecclesia sic a Spiritu sancto adjuta, dicitur ab Apostolo, 1. Tim. 3, v. 15, *columna et firmamentum veritatis.*

Probatur II. *Ex Patribus.*

S. Irenæus, lib. 3. adv. hær., cap. 24: « Vera fides a Spiritu Dei, tanquam præclarum depositum et commissum Dei donum, in Ecclesia ceu in bono vase custoditur, in quo nunquam deterioratur, neque vas deteriorari permittit... nam Spiritus pignus est indefectibilitatis, et confirmatio fidei. »

S. Cyprianus, Epist. ad Cornel.: « Ecclesia quæ in Christum credit, et quæ semel id, quod agnovit, tenet, nunquam ab eo omnino discedit, et ii sunt Ecclesia, qui in domo Dei permanent. »

S. Ambrosius, in Luc. 1, v. 7, n.° 91: « Ideo regnum Ecclesiæ manebit in æternum, quia individua fides, corpus unum. »

Probatur III. *Ex Christi intentione.*

Christus Ecclesiam suam instituit unam spiritu per ejusdem fidei professionem, sicut supra ostendimus; voluit insuper eam diffundi apud omnes gentes, et fore perpetuam in mundo, sicut quoque probavimus. Ergo debuit Ecclesiam suam ita constituere, ut semper et ubique in eadem fidei unitate permaneat. Ergo Ecclesia a vera fide deficere non potest.

§ III.

Ecclesia Christi est apostolica.

Tripliciter autem apostolica est, nempe: 1°) origine; 2°) successione potestatis; 3°) doctrina.

I. **De Ecclesiæ apostolicitate, quoad originem.**

440. — Apostolicitas originis non tantum in hoc consistit, quod universalis Ecclesia sit a Christo in Petro fundata, sed etiam in hoc quod particulares Ecclesiæ fuerunt omnes, immediate vel mediate, ab ipsis Apostolis, aut a viris apostolicis fundatæ. *Apostolici viri* dicuntur ii, qui in intima Apostolorum familiaritate vixerunt; non autem ii, qui ab Apostolis tantummodo ordinati et missi sunt. Ecclesiæ, quæ fuerunt immediate sic fundatæ, dicuntur vere ac proprie apostolicæ; illæ autem quæ fuerunt mediate fundatæ, dicuntur apostolicæ per participationem.

Probatur I. *Ex Scriptura*, scilicet ex Matth. 16, v. 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* — Item, cap. 28, v. 19 et 20: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis;* quibus verbis Christus Apostolis suis, et iis solis, mandatum dedit Ecclesiam instituendi apud omnes gentes. — Eph. 2, v. 20: *Superædificati super fundamentum Apo-*

stolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

Probatur II. *Ex Patribus.*

TERTULLIANUS, lib. de Præscript., cap. 32, ait de hæreticis: « Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctoritatem et antecessorem. Hoc enim modo, Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu institutos apostolici seminis traduces habent. »

S. HIERONYMVS, cont. Lucifer., cap. ult., docet « in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat ».

II. **De Ecclesiæ apostolicitate, quoad successionem potestatis.**

441. — Consistit in successione Summorum Pontificum et Episcoporum, a Petro et Apostolis deducta usque ad nos.

Probatur I. *Ex Scriptura,* in qua Christus asserit se totam potestatem suam Apostolis suis conferre, ita ut nemo potestatem in Ecclesia habeat, nisi ab Apostolis acceptam, atque ut nulli sint veri Episcopi, nisi qui Apostolis legitime succedunt. Legitime autem succedunt ratione ordinationis suæ de more facta a tribus Episcopis, qui ipsi sint ab aliis ordinati, et hi ab aliis donec ad Apostolos veniatur.

Hæc sunt autem Christi verba. Matth., 28, v. 18 et 19: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* etc. — Joan. 20, v. 21-23: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* — De iis vero, qui sine legitima missione fideles pascere præsumunt, dicit Christus, Joan. 10, v. 1: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.*

Itaque scribit Apostolus ad Hebræos: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aarun,* et ad Rom. 10, v. 15: *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?*

Probatur II. *Ex Patribus.*

S. IRENÆUS, lib. 3, adv. hær., cap. 3: « Nos *(Catholici)* habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos ». Deinde hoc ostendit in specie de Ecclesia Romana, et concludit omnes hæreticos per hanc successionem confundi. — Ibid., lib. 4, cap. 26, alias 43: « Eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocumque loco colligantur, suspectos habere, vel quasi hæreticos vel malæ sententiæ, vel quasi scindentes, et elatos et sibi placentes.

TERTULLIANUS, lib. de Præscript., cap. 37, hæretici sic acclamat: « Quid estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique, Marcion, jure sylvam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ipsis auctoribus, quorum fuit res ».

S. CYPRIANUS, lib. de Unit. Eccl., sic loquitur de iis, qui ecclesiasticam potestatem usurpant: « Hi sunt, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege instituunt, qui, nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt ».

S. AUGUSTINUS, Cont. adversar. leg. et prophetar., 1, n.° 39: « Ecclesia ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra et deinceps tempora perseverat. » — In Epist. 53, cap. 1, n.° 2, seriem texit Romanorum Pontificum a S. Petro usque ad Anastasium.

III. **De Ecclesiæ apostolicitate, quoad doctrinam.**

442. — Rectoribus Ecclesiæ non sufficit ut materialiter Apostolis succedant, et ab eis potestatem suam accipiant, sed etiam requiritur ut in suo magisterio doctrina ipsorum formaliter concordet doctrinæ Apostolorum, easdem veritates tenendo et eosdem errores damnando. Secus enim oves suas in veritatis ac salutis via non dirigerent.

Etenim Christus supremus Ecclesiæ Magister, qui est via, veritas et vita integram salutis doctrinam Apostolis tum per se, tum per Spiritum sanctum tradidit, iisdemque præcepit, ut docerent omnia quæ ipse revelavit et mandavit. — Atqui, hoc Christi præceptum Apostoli sedulo exsecuti sunt, quemadmodum testatur S. Paulus in Act. 20, v. 20 et 27: *Scitis... quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos, publice et per domos... Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* — Ergo vera Christi Ecclesia omnem et solam Apostolorum doctrinam tenet, seu apostolica est quoad doctrinam.

§ IV.

Ecclesia Christi est sancta.

442. — Justa S. Thomam 2. 2. q. 81, art. 8, *Sanctitas* consistit in applicatione ad Deum, seu in supernaturali unione cum Deo, quæ exigit munditiam a rebus inferioribus et firmitatem, quia conjunctio cum primo Principio et ultimo fine debet esse immobilis.

Jam vero, Ecclesia tripliciter sancta est, scilicet 1°) in suo fine; 2°) in mediis suis ad finem; 3°) in suis membris, quorum multi finem Ecclesiæ assequuntur, recte utendo mediis ab ea subministratis.

I. **Ecclesia est sancta in suo fine.**

Proximus Ecclesiæ finis est Religio christiana conservanda et propaganda. — Atqui, Religio est vinculum supernaturale, quo homo totus Deo religatur, seu unitur; qua unione homo sanctificatur, et Deus glorificatur. — Ergo Ecclesia est sancta in suo fine immediato, cum ille finis sit hominis sanctificatio et Dei glorificatio per Religionem, in ordine gratiæ.

Remotus autem, seu ultimus Ecclesiæ finis, est salus æterna hominis, quæ consistit in consummata hominis unione cum Deo per gloriam. — Atqui, gloria est consummatio gratiæ ac sanctitatis, et glorificationis Dei ab homine. — Ergo Ecclesia sanctissima est in ultimo fine suo.

II. **Ecclesia est sancta in mediis ad finem adhibitis.**

Media illa sunt: 1°) Doctrina fidei et morum, cui fideles sese mente ac voluntate conformando, infallibiliter vera credunt ac bona faciunt, sive de præcepto, sive de consilio; 2°) Sacramenta, quibus fideles obtinent gratias necessarias ad sequendam Christi doctrinam; 3°) Dei cultus internus et externus, quo totus homo Deo dedicatur illumque glorificat. — Atqui, omnia hæc media sanctissima sunt, utpote ordinata ad sanctitatem, seu ad mundam ac firmam cum Deo unionem. — Ergo Ecclesia est sancta, inquantum hæc media fidelibus suppeditat et præcipit.

III. **Ecclesia est sancta in suis membris.**

Ecclesia est corpus mysticum, quod Capite et aliis membris constat.

Atqui, Ecclesia sanctissima est in Capite suo Jesu Christo, qui ratione unionis hypostaticæ humanitatis suæ cum Deo, est Auctor seu fons omnis hominum sanctitatis.

Est etiam sancta in cæteris membris suis, inquantum omnes homines ad sanctitatem a Deo vocati sunt, et inquantum multi homines, scilicet justi, de facto perveniunt ad majorem minoremve sanctitatem, licet justi numero pauciores sint quam peccatores. Sed quia unus justus multo magis a Deo æstimetur quam plures peccatores, Ecclesia non obstante minori justorum numero, vere sancta dicenda est et Deo gratissima.

Cæterum Ecclesia omnino sancta est in gloria cœlesti, qua gaudentes innumera ejus membra, tam angeli quam homines, a peccato penitus mundantur et Deo inseparabiliter uniuntur.

§ V.

Ecclesia Christi, suis quatuor notis, exhibet vestigium Dei unitrini.

Ecclesia est Dei unius ac trini vestigium et *sua unitate*, et *tribus aliis notis*, quæ in unitate inveniuntur.

I. **Ecclesia est Dei unius vestigium per suam unitatem.**

443. — **Probatur** ex sacra Scriptura sublimiter a Bossueto explicata.

Legitur enim apud Joan. 17, v. 11, 21 et 22: *Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos...; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.*

Hæc verba sic commentatur Bossuetus, *Serm. sur la Trinité:* « Afin que la Trinité très indivisible éclatât plus visiblement dans les hommes, il a plu à Notre Seigneur Jésus-Christ que son Eglise en fût une image. Qui est-ce qui nous a enseigné cette belle théologie, chrétiens? C'est Jésus-Christ même qui nous l'a montrée, dans les paroles que j'ai citées pour mon texte: *Père saint*, dit-il à son Père, *gardez ceux que vous m'avez donnés.* »

« Qui sont ceux que le Père a donnés au Fils? Ce sont les fidèles, qui étant unis par l'Esprit de Dieu, composent cette sainte société que nous exprimons par le mot d'Eglise. *Gardez-les*, dit-il, *afin qu'ils soient un.* Ils sont un, dit le Fils de Dieu, c'est-à-dire, que leur multitude n'empêche pas une parfaite unité. Et afin qu'il ne fût pas permis de douter que cette mystérieuse unité qui doit assembler le corps de l'Eglise, ne fût l'image de cette Trinité ineffable, qui associe les trois personnes divines, Jésus-Christ l'explique en ces mots: *Qu'ils soient un*, dit-il, *comme nous.* Et un peu après: *Comme vous, Père, êtes en moi, et moi en vous, ainsi je vous prie qu'ils soient un en nous.* Et encore: *Je leur ai donné*, dit-il, *la gloire que vous m'avez donnée, afin qu'ils soient un comme nous.* »

« O grandeur, o dignité de l'Eglise! O sainte société des fidèles, qui doit être si parfaite et si achevée, que Jésus-Christ ne lui donne point un autre modèle, que l'unité même du Père et du Fils, et de l'Esprit qui procède du Père et du Fils! Qu'ils soient un, dit le Fils de Dieu, non point comme les Anges ou comme les Archanges, ni comme les Chérubins, ni comme les Séraphins, mais *qu'ils soient un*, dit-il, *comme nous*. Entendons le sens de cette parole: Comme nous sommes un dans le même Etre, dans la même intelligence, dans le même amour, ainsi qu'ils soient un comme nous, c'est-à-dire un dans le même Etre par leur nouvelle nativité, un dans la même intelligence par la doctrine de vérité, un dans le même amour par le même lien de charité. »

« Sainte société des fidèles, Eglise remplie de l'Esprit de Dieu, chaste épouse de mon Sauveur, vous représentez sur la terre la génération du Verbe éternel, dans votre bienheureuse fécondité. Dieu engendre, et vous engendrez. Dieu, comme nous avons dit, engendre en lui-même. Sainte Eglise, où engendrez-vous vos enfants? Dans votre paix, dans votre concorde, dans votre unité, dans votre sein et dans vos entrailles... C'est ainsi que vous engendrez, sainte Eglise, à l'imitation du Père éternel. Engendrer c'est incorporer; engendrer vos enfants, ce n'est pas les produire en dehors de vous, c'est en faire un même corps avec vous. Et comme le Père engendrant son Fils, le fait un même Dieu avec lui, ainsi les enfants que vous engendrez, vous les faites ce que vous êtes, en formant Jésus-Christ en eux. Et comme le Père engendre le Fils, en lui communiquant son même Etre, ainsi vous engendrez vos enfants, en leur communiquant cet être nouveau que la grâce vous à donné en notre Seigneur Jésus-Christ: *Ut sint unum sicut et nos.* »

« Ce que je dis du Père et du Fils, je le dis encore du Saint-Esprit, qui sont trois choses *(ou plutôt trois personnes)* et la même chose... Parcequ'elles sont trois, voilà comme un nombre; quand vous recherchez ce qu'elles sont, le nombre s'échappe; vous ne trouvez plus que l'unité simple. *Quia tres sunt, tanquam est numerus; si quæris quid tres, non est numerus* (S. Aug., in Joann., tract. 39, n.° 4). Ainsi est-il de l'Eglise. Comptez les fidèles, vous voyez un nombre. Que sont les fidèles? Il n'y a plus de nombre; ils sont tous un même corps en notre Seigneur. *Il n'y a plus ni Grec, ni Barbare; ni Romain, ni Scythe, mais un seul Jésus-Christ, qui est tout en tous* (Coloss. 3, v. 11). *Ut sint unum sicut et nos.* »

II. Ecclesia est Dei trini vestigium per suam catholicitatem, apostolicitatem et sanctitatem.

444. — In mira Ecclesiæ unitate inveniuntur catholicitas, apostolicitas et sanctitas, quibus notis exhibet ulterius divinæ Trinitatis vestigium, ita ut catholicitas referatur Patri, apostolicitas Filio, sanctitas Spiritui sancto.

1°) CATHOLICITAS enim seu universalitas, est perfectio, integritas, plenitudo unitatis Ecclesiæ, inquantum Ecclesia Christi omnia in sua unitate complectitur, ita ut ab Apostolo, Eph. 1, v. 23, dicatur *corpus ipsius* (Christo Capitis), *et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.*

Nam si spectetur *sola Ecclesia in terra militans*, catholicitate sua complectitur omnia loca, omnia tempora, omnes veritates revelatas. Complectitur etiam tempora quæ Christi adventum præcesserunt, quia Ecclesia patriarchalis et Ecclesia judaica fuerunt præparatio Ecclesiæ christianæ.

Si autem spectetur *tota Ecclesia militans, patiens et triumphans*, Ecclesia complectitur totum mundum naturalem, ad supernaturalem perfectionem elevatum in ordine gratiæ et gloriæ. Tunc enim complectitur, non solum totius terræ loca, sed etiam purgatorium et cœlum; non solum homines, sed etiam angelos; complectitur non solum omnia tempora, sed etiam æternitatem; complectitur non solum veritates fide credendas, sed etiam supremam Veritatem lumine gloriæ immediate contemplandam.

Atqui, manifestum est hanc Ecclesiæ catholicitatem, seu plenitudinem ac internam fœcunditatem, qua tot filios in seipsa parit supernaturali ac divina vita gratiæ et gloriæ, referri ad Deum Patrem, cui primo attribuitur divinitatis plenitudo et fœcunditas, qua Filium generat, ei communicando divinam vitam suam.

2°) APOSTOLICITAS supponit supernaturalem potestatem divinitus communicandam, et per legitimam missionem exercendam.

Atqui, hæc potestas divinitus communicata, et divina missio, evidenter referuntur ad Filium Dei, cui a Patre data est omnis potestas in cœlo et in terra, sicut ipse testatur apud Matth. 28, v. 18; et qui triplicem suam potestatem nempe magisterium, ministerium et imperium Apostolis suis communicavit, eis ibidem dicendo: *Euntes ergo docete*, etc., sicut supra ostendimus, n.° 415 et seq. — Præterea Filius a Patre mittitur, et cum eo misit Spiritum sanctum in Apostolos, quibus ait apud Joan. 20, v. 21: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*

Unde Apostolatus est exercitium triplicis potestatis Apostolis a Christo communicatæ, et con-

tinuatio operis Redemptionis a Christo incepti, quemadmodum agnoscit S. Paulus scribendo in 1. Cor. 3, v. 9: *Dei enim sumus adjutores.*

3°) Sanctitas est fructus operis Redemptionis et apostolatus; nam legitur in Ep. ad Eph. 5, v. 25, etc.: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* — S. Paulus, 2. Cor. 13, v. 10, asserit apostolicam potestatem sibi fuisse a Domino datam in Ecclesiæ ædificationem seu sanctificationem, et non in destructionem. S. Dionysius Areopagita et omnes mystici medii ævi, qui illum secuti sunt, docent hierarchicam Ecclesiæ potestatem esse a Deo unitrino assimilativam seu sanctificativam hominis, illum purgando, illuminando et Deo uniendo.

Atqui, omnes norunt sanctificationem et gratiam Spiritui sancto per appropriationem attribui.

Jure igitur ex toto hoc paragrapho concludimus, Ecclesiam per suam catholicitatem, apostolicitatem et sanctitatem, habere specialem relationem cum Patre, Filio et Spiritu sancto, atque sic exhibere vestigium divinæ Trinitatis.

CAPUT IV.

PROBATUR PULCHRITUDO ET EXEMPLARITAS ORDINIS TRINÆ ECCLESIÆ UNIVERSÆ.

Prænotanda. — Postquam probavimus trinum ordinem Ecclesiæ militantis, patientis et triumphantis, ostendemus hunc ordinem esse pulcherrimum, nam Ecclesia in toto trinoque ordine considerata tanquam corpus mysticum Christo Capiti suo unitum, est perfectissimum divinæ Trinitatis opus, cum contineat mundum naturalem elevatum ad supernaturalem gratiæ et gloriæ perfectionem; imo ad unionem hypostatice elevatum in suo Capite Christo, qui ut homo est compendium mundi universi.

Porro Ecclesia Christi sic spectata, est pulcherrima, quia trinus ordo ejus in summo gradu complectitur tres pulchritudinis conditiones a S. Thoma indicatas in 1. q. 39, art. 8, scilicet integritatem, claritatem et harmoniam seu proportionem, ita ut tam in sua totalitate, quam in suis partibus, sit: 1°) completissimus; 2°) clarissimus; 3°) mirabilissimam harmoniam exhibens. Deinde, 4°) ostendemus exemplaritatem pulcherrimi Ecclesiæ ordinis, nam pulchritudo est formalis ratio imitationis, ac præcipua qualitas cujuslibet exemplaris vel exemplati.

PROPOSITIO I.

ORDO TRINÆ ECCLESIÆ EST INTEGERRIMUS SEU COMPLETISSIMUS.

Primo patet *totum* ordinem Ecclesiæ triumphantis, patientis ac militantis esse completum, quia continet omnes creaturas rationales, nimirum angelos et homines, in omni statu; sive sint in termino, sive in via, sive in medio ac transitorio statu inter viam et terminum. Præterea, liquet tres illos status Ecclesiæ universæ continere omnes perfectionis moralis gradus, cum in Ecclesia militante inveniatur *actio*, quæ est initium; in Ecclesia patiente, *passio*, quæ est medium; in Ecclesia triumphante, *requies* et gaudium, quod est terminus perfectionis.

Sed ultra ostendendum est, singulas prædicti ordinis *partes* esse, non solum *complentes* totam ac trinam Ecclesiam, sed etiam esse in seipsis *completas*.

§ I.

Ordo Ecclesiæ triumphantis est completissimus.

445. — Ecclesia triumphans considerata in sua totalitate continet: 1°) trinum ordinem unionis hypostaticæ; 2°) tres angelorum et hominum hierarchias. Jam vero probabimus has duas partes esse in se completissimas.

I. Ordo unionis hypostaticæ est completissimus.

Hic ordo, quem probavimus in Cap. I præsentis Libri, tribus personis constat, scilicet Jesu Christo, B. V. Maria et S. Josepho. Jam vero, completissimus est; tum quia componitur trino personarum numero, qui requiritur ad perfectum ordinem constituendum, cum omnis ordo perfectus debeat principio, medio et fine constare; tum quia constituitur tribus personis, quæ supremam perfectionem supernaturalem attigerunt.

1°) Primum enim hujus perfectionis gradum occupat Christus homo.

Per divinam naturam suam, Christus est secunda Trinitatis persona, Patri æqualis et infinite perfecta; per humanam autem naturam suam, Christus est Patri inferior, sed Deo propinquior ac superior omnibus creaturis, quibus incomparabiliter perfectior est quoad gratiam

et gloriam. Inde est Caput morale totim Ecclesiæ, cui gratiam et gloriam ex sua absoluta plenitudine communicat, sicut docet Apostolus ad Eph. 1, v. 22 et 23: *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ipsius, qui omnia in omnibus adimpletur;* item, 3, v. 19: *ut impleamini in omnem plenetudinem Dei.*—Item ad Colos. 1, v. 18: *Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ... ut sit in omnibus ipse Primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare.* — Et, cap. 2, v. 9 et 10: *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti, qui est Caput omnis principatus et potestatis.* — Joan. 1, v. 16: *et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* De Christo, Ecclesiæ Capite dictum est in Parte I, n.° 156.

2°) SECUNDUM GRADUM IN ORDINE UNIONIS HYPOSTATICÆ TENET MATER CHRISTI, quæ plenitudinem gratiæ et gloriæ habet a Christo acceptam. Hæc plenitudo non est absoluta, sicut Christi plenitudo, sed relativa ad sublimissimam Matris Dei dignitatem, qua major esse nequit post ipsam unionem hypostaticam. Unde B. Virginis dignitas et perfectio sunt quodammodo infinitæ, ac superant omnem hominum atque angelorum intellectum. Vide n.^{m} 385.

3°) TERTIUM GRADUM TENET S. JOSEPH, VIR MARIÆ ET PUTATIVUS PATER CHRISTI, qui post Jesum et Mariam, habet majorem gratiæ et gloriæ plenitudinem, relativam ad eminentissimam dignitatem suam, quæ in Ecclesia major est post dignitatem Matris Dei. Vide n.^{m} 388.

II. Angelorum et beatorum hominum hierarchiæ sunt completissimæ.

1°) COMMUNEM ANGELORUM ET HOMINUM SOCIETATEM ordinatam ad visionem beatificam jam statuimus n.° 166. — Hæc autem societas est completissima a) **Ratione perfecti numeri ternarii,** quo distinguitur. Nam juxta communem theologorum sententiam, Beatorum omnium societas dividitur in tres hierarchias, quæ singulæ subdividuntur in tres ordines. Demum quilibet ordo continet magnam multitudinem individuorum, quorum præcisus numerus est prædeterminatus quidem ac præcognitus a Deo, sed materialiter tantum se habet ad Ecclesiæ perfectionem.

b) **Ratione generis civium,** quibus constituitur. Constat enim duobus ac solis creaturarum rationalium generibus, scilicet angelis et hominibus, qui sunt spirituales Dei imagines.

c) **Ratione perfectionis horum civium,** cujus culmen in æterna gloria attingitur. Beati enim perfecti sunt in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ.

2°) ANGELORUM PERFECTIO PER GLORIAM correspondet ipsorum perfectioni per gratiam et naturam 1. q. 62, art. 5. Nobis autem incomprehensibilis ac ineffabilis est varietas perfectionis naturalis angelorum, qui singuli speciem particularem constituunt, sicut docet S. Thomas, 1. q, 50, art. 4, ita ut quilibet angelus sit ejusdem divinæ Trinitatis imago, specie differens a cæteris aliis in ordine naturæ, sed non in ordine gratiæ sanctificantis et gloriæ, in quo angeli ac homines specie seu qualitate conveniunt, licet quantitate multum differunt.

3°) HOMINUM PERFECTIO PER GLORIAM correspondet quidem ipsorum perfectioni per gratiam, sed non perfectioni per naturam (1. q. 62, art. 5, ad 3^{m}) quæ in omnibus una et eadem est substantialiter, licet differat accidentaliter. Unde quantitas perfectionis hominis per gratiam et gloriam non correspondet naturali ejus perfectioni; et cum perfectio gratiæ et gloriæ sit supernaturalis, seu super omnem naturam creatam, potest esse in homine eadem vel etiam major quantitate quam in angelis. Hoc autem apparet ex eo, quod homines in beatitudine assumuntur inter angelorum ordines inferiores vel superiores, juxta gradum meriti ipsorum; et ex eo, quod Jesus, Maria, Joseph, quantitate gratiæ sanctificantis ac gloriæ, longissime superant omnes angelorum et hominum hierarchias. Imo Christus, qualitate gratiæ unionis hypostaticæ, superat infinite omnes Beatos.

4°) RATIONE SOLIUS GLORIÆ SEU TRIUMPHI, Beati a Deo complete præmiantur. Nam in æterno præmio distinguuntur tum *gloria essentialis*, quæ consistit in Dei fruitione, et infinita est objective, sed non subjective, ita ut omnes Beati Deo pleni sint, sed in varia mensura; tum *accidentalis gloria spiritus;* tum *accidentalis gloria corporis.* — Hæc ultima gloria solis hominibus competit, qui spiritualiter ac corporaliter gloriosa beatitudine implebuntur.

§ II.

Ordo Ecclesiæ patientis est completissimus.

446. — I. **Ecclesia patiens complet totum Ecclesiæ ordinem,** inquantum constituit medium statum, quem divina justitia exigit inter statum viæ et statum termini, seu beatitudinis. Multæ enim hominum animæ extra suum corpus, et simul extra viam exeuntes, in judicio particulari non inveniuntur tam sontes et impuræ, ut a beatitudine excludantur; nec tam insontes et puræ, ut statim in beatitudinem introducantur. Divina igitur justitia exigit, ut per tempus a se statutum, retardentur a beatitudine, et justas pœnas luendo purgentur.

II. **Ecclesia patiens est completa in seipsa,** ratione sufficientis ac trini ordinis pœnarum a divina justitia inflictarum animabus in purgatorio detentis. Etenim peccaverunt vel temporanea a Deo aversione per peccatum mortale, vel levi seu veniali excessu in utendo bonis sensibilibus, vel defectu in desiderandis bonis æternis. Ergo justissimum est ut a beatitudine retardentur vel *per pœnam damni*, quo ad tempus privantur Dei fruitione; vel *per pœnam sensus*, qua sensuum abusus punitur; vel *per pœnam languoris*, qua, juxta Bellarminum a S. Alphonso citatum et approbatum, expiatur defectus desiderii summæ et æternæ beatitudinis.

§ III.

Ordo Ecclesiæ militantis est completissimus.

447. — Ecclesia in terra militans completa est: 1°) materialiter; 2°) formaliter; 3°) finaliter.

I. **Materialiter completa est** ratione extensionis suæ 1°) AD OMNIA TEMPORA. Christus enim venit in medio temporum, ita ut tanquam præcursores habuerit patriarchas ac populum judaicum, et tanquam sequacem, populum christianum; unde Ecclesia Christi late sumpta dividitur trifariam in patriarchalem, judaicam, et christianam stricte dictam.

2°) ECCLESIA CHRISTIANA EXTENDITUR AD OMNES HOMINES, saltem potentia, inquantum ex Christi institutione, apta est ad omnes homines in se recipiendos. Ante Christum autem, Ecclesia non constabat nisi patriarchis et judæis, si excipiantur aliqui servi Dei, qui inter Gentiles vivebant, ut Job et Melchisedech.

3°) ECCLESIA CHRISTIANA EXTENDITUR AD OMNIA TERRÆ LOCA, non quidem simultanee, ita ut Ecclesia in eodem tempore per omnes orbis regiones diffundatur; sed successive, ita ut variis temporibus omnes mundi nationes fidem christianam amplectantur. Dicit enim Christus, Marc. 13, v. 10, quod ante sæculi consummationem, *in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium.* Ante Christum vero Ecclesia erat penitus localis, juxta illud Psal. 75, v. 2: *Notus in Judæa Deus.*

4°) NEC MIRUM SI CHRISTI ECCLESIA TOTAM EXTENSIONEM SUAM A MUNDI PRINCIPIO NON HABUERIT. Nam juxta ordinariam Dei Providentiam, divina naturæ ac gratiæ opificia, quæ fiunt in tempore, successive seu per prius et posterius tantum perficiuntur, ita ut habeant initium, incrementum et complementum. Huic igitur legi subjecta est Ecclesia in temporali suo statu, quemadmodum docet ipse Christus, Matth. 13, v. 31-33: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus. Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus. — Aliam parabolam locutus est eis: Simile et regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Oportuit ergo ut in mundi initio Ecclesia constaret familiis Patriarcharum, deinde populo judaico, et tandem omnibus terræ nationibus.

II. **Ecclesia christiana formaliter completa est** 1°) PLENITUDINE TRINÆ POTESTATIS SUPERNATURALIS, scilicet *Magisterii*, *Sacerdotii*, et *Imperii*, quam Christus homo a Patre suo accepit, ita ut sit Ecclesiæ supremus Doctor, supremus Pontifex, supremus Rex. Hanc vero potestatem contulit Christus Apostolorum collegio, cujus Caput erat Petrus, et Apostolorum ac Petri successoribus, scilicet Episcopis et supremo Pontifici Romano.

a) **In Ecclesia patriarchali,** umbra trinæ ejus potestatis residebat in patribus, qui in exigua mensura erant familiarum suarum doctores, sacerdotes et reges. — *In theocratico Ecclesiæ mosaicæ* regimine, prophetæ potiebantur magisterio, pontifices sacerdotio, judices ac reges imperio.

In Ecclesia christiana, plenitudo trinæ potestatis supernaturalis et hierarchicæ est penes supremum Pontificem romanum, Christi vicarium, S. Petri successorem, visibile totius corporis Caput et totius unitatis catholicæ centrum. Sacerdotium, seu ministerium, constituit potestatem Ordinis; magisterium autem et imperium constituunt potestatem jurisdictionis; porro summus Pontifex utramque ordinis ac jurisdictionis potestatem immediate a Christo accipit, et Primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam exercet. At non solus universam regit Ecclesiam; alii enim Episcopi potestatem ecclesiasticam ex Christi institutione participant. Potestatem Ordinis a Christo immediate accipiunt; potestatem vero jurisdictionis immediate a summo Pontifice, sicut probabilius tenent plerique theologi. — Ergo forma regiminis Ecclesiæ est *monarchia;* sed ista monarchia temperatur *aristocratia,* cum Episcopi potestatem participent de jure divino; temperatur etiam *democratia,* quia omnes viri idonei potestatem obtinere possunt, per varios Ordinum sacrorum gradus ascendendo. Etenim in potestate Ordinis, tres distinguuntur gradus a Christo instituti, scilicet *Episcopatus, Presbyteratus* et *Diaconatus,* qui sunt tria Sacramenta; quinque Ordines inferiores jure ecclesiastico instituti sunt, et non sunt Sacramenta

juxta S. Alphonsum. Denique potestas jurisdictionis est trina, nempe legislativa, judiciaria et coercitiva.

b) **Christus membra Ecclesiæ suæ distinxit** *in Clericos*, quibus competit potestas supernaturalis, quique Ecclesiam gubernant, *et in Laicos* qui a Clericis gubernantur; ipsi autem Clerici inferiores a superioribus gubernantur. Jam vero potestati ecclesiasticæ subjiciuntur omnes homines baptizati, etiam reges, qua reges, saltem in omnibus rebus, quæ ad Religionem, nempe ad fidem ac mores, pertinent; nam in rebus mere naturalibus ac civilibus, naturalem ac civilem potestatem a Christo acceperunt, et proprio jure exercent penitus independenter a supernaturali Ecclesiæ potestate.

c) **Omnes igitur homines baptizati, qui non sunt hæretici publici, aut schismatici manifesti constituunt corpus Ecclesiæ,** sicut membra diversæ dignitatis, seu superiora et inferiora. — Corpus illud, cujus omnia membra ad unitatem rediguntur per potestatem supernaturalem, interne *animatur* per sanctificantem Spiritus sancti gratiam. Unde ad Ecclesiæ animam pertinent *perfecte* omnes justi, qui fidem, spem charitatem ac dona Spiritus sancti habent; et *imperfecte* omnes homines qui inchoata tantum vita supernaturali fruuntur, habendo saltem fidem, vel spem. Universa autem Ecclesiæ unitas dicitur *catholicitas*, quæ Ecclesiæ integritatem seu totalitatem constituit.

d) **Clerici in laicos exercent actionem hierarchicam** utendo sacra Ecclesiæ potestate, nimirum magisterio, sacerdotio seu ministerio, et imperio. — Porro actio ista est trina, nempe *purgativa, illuminativa* et *perfectiva*. — Tres quoque sunt sacræ potestatis functiones, scilicet verbi Dei prædicatio, Sacramentorum dispensatio, et externa per disciplinam gubernatio.

2°) ECCLESIA FORMALITER COMPLETA EST DIVERSITATE STATUUM, OFFICIORUM ET GRADUUM, quæ fundatur in varia potestatis communicatione.

a) Legitur in 2. 2. q. 183, art. 2: « Diversitas statuum et officiorum in Ecclesia ad tria pertinet. Primo quidem ad perfectionem ipsius Ecclesiæ. Sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, quæ in Deo simpliciter et uniformiter invenitur, in universitate creaturarum inveniri non potuit nisi difformiter et multipliciter, ita etiam plenitudo gratiæ, quæ in Christo sicut in Capite adunatur, ad membra ejus diversimode redundat, ad hoc quod corpus Ecclesiæ sit perfectum. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Eph. 4: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum* ».

« Secundo autem pertinet ad necessitatem actionum, quæ sunt in Ecclesia necessariæ. Oportet autem ad diversas actiones diversos homines deputari, ad hoc quod expeditius et sine confusione omnia peragantur. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Rom. 12: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eamdem vitam habent, ita multi unum corpus sumus in Christo.* »

« Tertio, hoc pertinet ad dignitatem et pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit. Unde dicitur, lib. 3 Reg. 10, quod videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, non habebat ultra spiritum. Unde et Apostolus dicit ad Timot. 2: *Quod in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia.* »

Ibid., ad 2^{m}: « Sicut natura non facit per multa quod potest facere per unum, ita etiam non coarctat in unum id, ad quod multa requiruntur, secundum illud Apostoli, 1. Cor. 12: *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* Unde et in Ecclesia, quæ est corpus Christi, oportuit membra diversificari secundum diversa officia, status et gradus ».

b) Ibid., art. 3, corp.: « Diversitas in membris Ecclesiæ ad tria ordinatur, scilicet ad perfectionem, actionem et decorem. Et secundum hæc tria, distinctio diversitatis fidelium accipi potest. Una quidem per respectum *ad perfectionem*, et secundum hoc accipitur differentia statuum; prout alii quidem sunt aliis perfectiores. — Alia vero distinctio accipitur per respectum *ad actionem* et hæc est distinctio officiorum. Dicuntur enim in diversis officiis esse, qui sunt ad diversas actiones deputati. — Alia autem per respectum *ad ordinem* pulchritudinis ecclesiasticæ, et secundum hoc accipitur differentia graduum, prout scilicet etiam in eodem statu vel officio unus est alio superior. Unde et in Psal. 47, dicitur secundum aliam litteram: *Deus in gradibus ejus cognoscetur.* »

Et ad 1^{m}: « Materialis diversitas humanorum actuum est infinita, et secundum hanc non distinguuntur officia, sed secundum formalem diversitatem, quæ accipitur secundum diversas species actuum, secundum quam actus hominis non sunt infiniti. »

III. **Ecclesia christiana finaliter completa** est perfectione totius corporis sui et ejus membrorum, quæ est effectus actionis hierarchicæ; nam teste Apostolo, 2. Cor. 10, v. 8: Potestas a Deo data est Ecclesiæ *in ædificationem et non in destructionem.*

1°) PERFECTIO AUTEM UNIVERSALIS CONSISTIT ESSENTIALITER IN ASSIMILATIONE AD SUPREMUM

Bonum, scilicet ad Deum unitrinum; hæc enim assimilatio est generalis effectus gubernationis omnium rerum a Deo, sicut docet S. Thomas, 1. q. 103, art. 1: « Finis gubernationis mundi est Bonum essentiale, ad cujus participationem et assimilationem omnia tendunt. Effectus igitur gubernationis potest accipi tripliciter: uno modo ex parte ipsius finis, et sic est unus effectus gubernationis, scilicet assimilari summo Bono. »

Similiter affirmat S. Dionysius Areopagita finem hierarchiæ et trinæ ipsius actionis purgativæ, illuminativæ ac perfectivæ, esse assimilationem ad Deum, et unionem cum Deo. Dicit enim, de cœl. Hier., cap. 3, § 2: « Scopus igitur hierarchiæ est assimilatio et unio cum Deo, pro cujusque captu ». — Et, cap. 7, § 2: « Satis superque jam a nobis dictum existimo, omnis hierarchiæ scopum ex divinæ deiformitatis imitatione pendere, omnemque functionem hierarchicam dividi in sacram participationem *(passivam)* et collationem *(activam)* purissimæ purgationis, et divini luminis, et perfectivæ scientiæ ».

2°) Duplex autem est hierarchia, nempe hierarchia *cœlestis*, cujus finis est perfectio Angelorum, et hierarchia *terrestris* seu ecclesiastica, cujus finis est perfectio hominum. Communis vero angelorum et hominum perfectio consistit in assimilatione et unione cum supremo ac optimo Hierarcha, qui est Deus unitrinus.

Insuper duplex distinguitur terrestris hierarchia, scilicet hierarchia *mosaica*, quæ incomplete tantum homines perfecit, nam juxta Apostolum ad Hebr. 7, v. 19, *Nihil ad perfectum adduxit Lex;* et hierarchia *christiana* proprie dicta, quæ homines complete perficit. Finis enim et effectus ejus est omnimoda hominum perfectio per gratiam Christi ad assimilationem Dei Unitrini; est scilicet primo *perfectio ipsius ac totius Ecclesiæ;* secundo *perfectio individua membrorum Ecclesiæ;* tertio *perfectio socialis ipsorum*, seu perfectio civitatis et familiæ in Ecclesia. Denique cum completa perfectio moralis opponatur omni malo morali, seu peccato, quod in homine lapso abundat, sequitur quod Ecclesiæ militantis perfectio exigit completum certamen contra omnia peccati principia, quæ sunt *diabolus, mundus* et *caro*, sub cujus nomine intelligitur triplex concupiscentia inordinata.

Ergo demonstratum est ordinem Ecclesiæ militantis esse completissimum, sive Ecclesia spectetur *materialiter* in sua extensione, sive *formaliter* in sua potestate et inæqualitate, sive *finaliter* in sua perfectione.

PROPOSITIO II.

ORDO TRINÆ ECCLESIÆ EST CLARISSIMUS.

Ostendemus 1°) ordinis Ecclesiæ claritatem in genere; 2°) trinæ Ecclesiæ illuminationem in specie.

§ I.

De ordinis Ecclesiæ claritate in genere.

448. — Ens est clarum, inquantum est cognitum, vel saltem cognoscibile. Unde tripliciter potest esse clarum: Primo *per distinctionem* sui ab alio ente, vel suarum partium ab invicem; nam rei distinctio, cui opponitur confusio, requiritur ad ejus cognitionem; distinctio autem fundatur in metaphysica oppositione; unde natum est adagium: scientia est contrariorum, seu oppositorum. Secundo *per illuminationem*, nam lumen est manifestativum rei (1. q. 67, art. 1). Tertio *per celebritatem* seu gloriam, quæ est clara cum laude notitia. Sicut dicit S. Augustinus in lib. Quæstionum 83, q. 31 circa fin. — Claritas autem ad pulchritudinem requiritur, nam pulchrum est ens cujus ipsa cognitio placet (1. 2. q. 27, art. 1, ad 3^{m}).

Atqui, ordo Ecclesiæ est clarissimus triplici modo indicato Quod probandum est.

I. **Ecclesiæ ordo clarissimus est per distinctionem et oppositionem.**

Distinctio et oppositio apparent 1°) inter ordinem Ecclesiæ, et cæteros ordines; 2°) inter varias partes ordinis trinæ Ecclesiæ; 3°) inter totum ordinem Ecclesiæ, et inordinationem civitatis diaboli.

Distinctio maxime fundatur in rerum vel conceptuum oppositione. Atqui, 1°) Ordo Ecclesiæ cum sit creatus et exemplatus, opponitur Ordini naturæ divinæ increato et exemplari. — Deinde *opponitur cæteris ordinibus creatis*, nam cum sit universalis, opponitur cuilibet ordini creato, qui relate ad ordinem Ecclesiæ est particularis, quia in eo continetur sicut pars in toto; etenim ordo trinæ Ecclesiæ complectitur omnium creaturarum perfectionem per naturam, gratiam et gloriam; nam supponit totum mundi ordinem naturalem, quem elevat ad perfectionem supernaturalem, non exceptis creaturis inanimatis, quas in Sacramentorum materia, et in toto cultu externo elevat ad supernaturalem dignitatem in hominum sanctificationem.

2°) Præterea ipsæ partes universalis Ecclesiæ sibi invicem opponuntur.

Nam *Ecclesia triumphans*, cum sit suprema, in gaudio termini quiescens et æterna, oppo-

nitur *Ecclesiæ militanti*, quæ est infima, in ærumnis viæ laborans et temporalis. Inter utrumque autem invenitur *Ecclesia patiens*, quæ Ecclesiæ triumphanti opponitur ut inferior superiori, ut mœrens gaudenti, ut expectans beatitudinem fruenti beatitudine; militanti autem Ecclesiæ opponitur ut superior inferiori, ut patiens agenti; ut secura de beatitudine, licet nondum adepta beatitudinem, opponitur anxiæ de beatitudine.

3°) Tandem, ut compleatur oppositio et distinctio, trina Christi Ecclesia, quæ est civitas Dei, opponitur civitati diaboli, sive in suis *principiis* constitutivis, sive in suis *mediis* seu operatione, sive in suo *termino*.

Etenim amor Dei usque ad contemptum sui, constituit civitatem Dei; e contra, amor sui usque ad contemptum Dei, constituit civitatem diaboli, juxta S. Augustinum, de Genesi ad litt. lib. 11, cap. 15, ubi hanc oppositionem mira cum eloquentia evolvit. — Porro ex hoc duplici amore, *tanquam ex contrario operationis principio*, moraliter bono vel malo, oritur *tamquam medium* ad finem, operatio bona vel mala, vera scientia vel error, virtutes vel vitia, bona opera vel peccata. — Hujus autem duplicis operationis *terminus, seu merces*, est vel æterna adeptio ultimæ beatitudinis et confirmatio in bono; vel æterna amissio beatitudinis, et confirmatio in malo. Triplex ista oppositio inter civitatem Dei et civitatem diaboli, est generale argumentum secundæ partis operis S. Augustini de Civitate Dei.

4°) Jam vero prædictæ ac variæ distinctiones et oppositiones, a supremo omnium rerum Artifice ordinantur ad Ecclesiæ universæ et totius mundi pulchritudinem, sicut antitheta ad poematis pulchritudinem concurrunt; vel sicut in tabula picta, aut in ipsa natura, oppositio umbræ cum luce ac coloribus, ad totius tabulæ vel horti pulchritudinem conspirant.

S. Augustinus, liber 11, de Civitate Dei, hanc doctrinam tradit in cap. 18, cui titulus est: « *De pulchritudine universitatis, quæ per ordinationem Dei, etiam ex contrariorum fit oppositione luculentior.* » In hoc Capite legitur: « Neque Deus ullum non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscivisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tamquam pulcherrimum carmen ex quibusdam quasi antithetis honestaret. *Antitheta* enim quæ appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quæ latine appellantur *contraposita*... Sicut ergo ista contraria contrariis opposita, sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam, non verborum sed rerum eloquentia contrariorum oppositione, sæculi pulchritudo componitur. Apertissime hoc positum est in libro Ecclesiastici, 33. v. 15: *Contra malum bonum est, et contra mortem vita; sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, bina et bina, unum contra unum.* — Item Eccl. 42, v. 25 et 26: *Omnia duplicia, unum contra unum, et non fecit quidquam deesse. Uniuscujusque confirmavit bona.* »

II. Ordo Ecclesiæ clarissimus est per divinam illuminationem.

1°) Trina Ecclesia plenissime illustratur trino lumine, scilicet lumine naturæ, gratiæ et gloriæ.

Lumen naturæ est vel materiale, vel spirituale; lumen gratiæ et gloriæ est tantum spirituale.

Si vero quæratur utrum lux proprie an metaphorice in spiritualibus dicatur, respondet doctor angelicus, 1. q. 67, art. 1: « Nomen lucis primo est institutum ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visus; postmodum autem extensum est ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem. Si ergo accipiatur nomen luminis secundum suam primam impositionem, *metaphorice* in spiritualibus dicitur, ut Ambrosius dicit lib. 2, de Fide ad Gratian.; si autem accipiatur secundum quod est in usu loquentium ad omnem manifestationem extensum, sic *proprie* in spiritualibus dicitur. »

2°) Lux suprema et per se, quæ totam illuminat Ecclesiam, est ipse Deus, cujus Intellectus ab ipsius Essentia non realiter distinctus, et divinam Essentiam seu supremam Veritatem cognoscendo, est sibi ipsi manifestativus omnis rei, sive in se, sive extra se; et quidem modo simplicissimo ac clarissimo, sine ulla obscuritatis admixtione; nam teste S. Joan. Ep. 1, cap. 1, v. 5: *Deus Lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Atqui, hæc suprema Lux est prima Causa efficiens, exemplaris et finalis omnis luminis creati, atque ab ea participati et exemplati, sive materialis aut spiritualis, sive naturalis aut supernaturalis; nam dicit Apostolus, 2. Cor. 4, v. 6: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis, Dei, in facie Christi Jesu.* — Et Joan., 1, v. 19, ait de Verbo Dei: *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Primarium igitur omnis illuminationis Principium in Ecclesia universali est Lux æterna et increata, quæ Deus est.

3°) Secundarium autem ac creatum materialis illuminationis principium, est lux creata et a divino lumine participata, sive corporalis,

sive spiritualis. — *Lux corporalis* res sensibiles nobis manifestat. — *Spiritualis autem ac naturalis illuminationis* principia secundaria, quibus res naturales intellectui manifestantur, sunt intelligibiles rerum species, quæ in angelico intellectu inditæ sunt; in humano autem intellectu, intelligibiles rerum species non sunt inditæ, sed ex rerum sensibilium phantasmatibus abstrahuntur ab intellectu agente nobis indito, cujus lumine phantasmata illuminantur, seu fiunt actu intelligibilia; etenim intellectus agens non considerat in phantasmatibus particulares proprietates rem individuantes, sed aspicit tantum speciem universalem; quæ communis est aliis rebus ejusdem speciei, et qua res intellectualiter cognoscitur, seu intelligitur; nam per speciem intelligibilem cognoscitur propria ratio seu quidditas cujusvis rei.

Spiritualis illuminationis per gratiam principia secundaria, quibus res supernaturales nobis manifestantur, vel quibus res naturales supernaturaliter a nobis cognoscuntur, sunt gratiæ illuminationes, per fidem et dona Spiritus sancti, vel per dona gratis data, et proxime per gratiam actualem. — Demum *spiritualis illuminationis per gloriam* principium secundarium, quo Beati divinam Essentiam immediate intuentur, sine ulla intelligibili specie intermedia, est lumen gloriæ, succedens lumini fidei.

III. **Ordo Ecclesiæ clarissimus est per celebritatem.**

1°) Ex perfecti ordinis Ecclesiæ cognitione per lumen gratiæ et gloriæ, oritur admiratio ac laus, quæ primo ascendit ad supremum Hierarcham unitrinum, qui est Ordo per se Artifex et Exemplar pulcherrimi ordinis trinæ Ecclesiæ triumphantis, patientis ac militantis; unde in tota Ecclesia, sed maxime in Ecclesia triumphante, resonant laudes Dei omnia operantis et ordinantis, ut a rationalibus creaturis suis glorificetur; ideo S. Paulus scribit in 1 Cor. 1, v. 31: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

2 Deinde communes angelorum et justorum hominum laudes descendunt ad præclara Dei opificia naturalia, et præsertim supernaturalia, quæ in universo ordine trinæ Ecclesiæ continentur. Justissime celebrantur in cœlo et in terra, sancta opera quæ per divinæ gratiæ auxilium in Ecclesia militante patrantur; laudantur virtutes Martyrum, Virginum, Confessorum; extolluntur victoriæ de suis hostibus ab Ecclesia militante reportatæ; nam Deus *certamen forte dedit illi ut vinceret* (Sap. 10, v. 12). Demum in ultimo judicio, et in tota æternitate, Christus cum electis suis civitatem Dei constituentibus, gloriose de diabolo ejusque civitate triumphabit.

3°) Imo Ecclesiæ laudes celebrantur ab ipso Deo, qui solus est veræ gloriæ Auctor, cum solus singulorum excellentiam et merita clarissime cognoscat, et justissime laudare possit. *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat* (2. Cor. 10, v. 18).

Divinum istud præconium continetur in Cantico Canticorum, quod interpretes communiter considerant ut sublime epithalamium, celebrans mysticas Christi nuptias cum Ecclesia, sanguine suo mundata, sanctificata et glorificata; nam *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (Eph. 5, v. 25).

Itaque divinus Sponsus admirabundus exclamat: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es!* (Cant. 1, v. 14), nempe duplici pulchritudine gratiæ et gloriæ: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (cap. 4, v. 7). — *Una est... perfecta mea... quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (cap. 6, v. 8). — *Quam pulchra es, et quam decora carissima in deliciis!* (cap. 7, v. 6).

§ II.

De trinæ Ecclesiæ illuminatione in specie.

449. — I. De illuminatione Ecclesiæ triumphantis.

1°) De variis luminibus creatis, quibus illustratur Ecclesia triumphans.

Ecclesia triumphans illuminatur potissimum *lumine gloriæ*, quod, non obstante sua perfectione ac superioritate, non destruit in beatis angelis et hominibus, *lumen naturæ*, nec *lumen gratiæ*, quæ multo imperfectiora sunt lumine gloriæ. Manent igitur in Beatis lumen naturæ et lumen gratiæ, quod oritur ex donis Spiritus sancti, sed evacuatur lumen fidei, quæ cum clara Dei visione subsistere nequit.

Lumen gloriæ est duplex, scilicet materiale et spirituale. — *Materiale* lumen gloriæ jam nunc invenitur in cœlo empyreo, quod est locus Beatorum totaliter lucidus, nec non in gloriosis Jesu, Mariæ et probabiliter S. Josephi corporibus; sed post ultimum judicium invenietur etiam in resuscitatis Beatorum corporibus, et in toto mundo per gloriam transformato. — *Spirituale* autem lumen gloriæ est habitus supernaturalis, qui perficit beatorum angelorum et hominum intellectum, illumque disponit ac ele-

vat ad actum visionis beatificæ eliciendum. De hoc lumine scriptum est in Psal. 35: *In lumine tuo videbimus lumen*, scilicet in lumine gloriæ a te creato videbimus teipsum, qui es Lux increata. — Ergo et corpora et spiritus in Ecclesia triumphante glorificantur, per quoddam lumen supernaturale a Deo creatum.

De hac materiali et spirituali gloria sic loquitur doctor angelicus, 1. q. 66, art. 3: « Expectatur in futura remuneratione duplex gloria, scilicet spiritualis et corporalis, non solum in corporibus humanis glorificandis, sed etiam in toto mundo innovando. Inchoata est autem spiritualis gloria ab ipso mundi principio in beatitudine angelorum, quorum æqualitas Sanctis promittitur. Unde conveniens fuit, ut etiam a principio, corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam a principio fuerit absque servitute corruptionis et mutabilitatis, et totaliter lucidum, sicut tota creatura corporalis expectatur post resurrectionem futura. Et ideo illud cœlum dicitur empyreum, id est igneum, non ab ardore, sed a splendore. »

2°) De divina Ecclesiæ triumphantis luce, quæ Christus est.

Legitur in Apoc. 21, v. 10, 11, 23-25 et cap. 22, v. 4 et 5: *Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei; et lumen ejus simile lapidi jaspidis, sicut crystallum... Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. Et portæ ejus non claudentur; nox enim non erit illic... Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum.*

S. Thomas, 3. q. 59, art. 6, asserit Christum in ipsos angelos influere gloriam accidentalem, inquantum est homo; et influere gloriam essentialem, inquantum est Verbum Dei.

3°) De hierarchica inferiorum angelorum illuminatione a superioribus, S. Thomas mire loquitur de *objecto* et *modo hujus* illuminationis.

a) **Quoad objectum cognitionis,** quæ per hanc illuminationem communicatur, docet non esse ipsum Deum, sed rationes rerum creatarum, ita ut angelica illuminatio non ordinetur ad visionem beatificam, nec augeat in angelis illuminatis divinam cognitionem, sed ordinetur ad mundi gubernationem. — Dicit doctor angelicus, 1. q. 108, art. 1, ad 2^{m}: « Angelorum hierarchiæ non distinguuntur quantum ad cognitionem ipsius Dei, quem omnes uno modo, scilicet per essentiam, vident; sed distinguuntur quantum ad rationes rerum creatarum. »

Et ibid., corp.: « Possunt autem rationes rerum, de quibus angeli illuminantur, considerari tripliciter: Primo quidem, secundum quod procedunt a primo Principio universali, quod est Deus; et iste modus convenit primæ hierarchiæ, quæ immediate ad Deum extenditur, et quasi in vestibulis Dei collocatur, ut Dionysius, dicit cap. 7, cœl. Hier. — Secundo vero, prout hujusmodi rationes dependent ab universalibus causis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur; et hic modus convenit secundæ hierarchiæ. — Tertio autem modo, secundum quod hujusmodi rationes applicantur singulis rebus, prout dependent a propriis causis; et hic modus convenit infimæ hierarchiæ. »

b) **Quoad modum illuminationis angelicæ** legitur in 1. q. 106, art. 1, ad 1^{m}: « Rationes divinorum operum, quæ in Deo cognoscuntur sicut in Causa, omnes quidem Deus in seipso cognoscit, quia seipsum comprehendit; aliorum vero Deum videntium tanto unusquisque in Deo plures rationes cognoscit, quanto eum perfectius videt. Unde superior angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit, et de his eum illuminat; et hoc est quod dicit Dionysius, cap. 4, de Div. Nom., quod Angeli existentium illuminantur rationibus. » — Ibidem, ad 2^{m}: « Unus angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, sed confortando lumen naturæ ipsius, et manifestando ei veritatem de his quæ pertinent ad statum naturæ, et gratiæ, et gloriæ. »

Triplex autem distinguitur actio hierarchica, nempe *purgatio, illuminatio et perfectio*, de qua dicitur 1. q. 106, art. 2, ad 1^{m}: « Secundum modum illuminationis est accipienda et purgatio et perfectio. Et quia Deus illuminat immutando intellectum et voluntatem, purgat a defectibus intellectus et voluntatis, et perficit in finem intellectus et voluntatis. Angeli autem illuminatio *(activa)* refertur ad intellectum, ut dictum est (ibid., art. 1); ideo etiam purgatio angeli intelligitur a defectu intellectus, qui est nescientia; perfectio autem est consummatio in finem intellectus, qui est veritas cognita; et hoc est quod dicit Dionysius, cap. 6, Eccl. hier., quod in cœlesti hierarchia purgatio est in substantiis et essentiis, tanquam ignotorum illuminatio in perfectiorem scientiam inducens. »

II. De illuminatione Ecclesiæ patientis.

Ecclesia patiens illustratur 1°) lumine naturæ, seu rationis naturalis, quia animæ in purgatorio detentæ conservant species intelligibiles, quas naturaliter in terra sibi compara-

verunt, et naturalem rationis discursum, quo ex speciebus intelligibilibus, tamquam principiis, possunt naturalia judicia et ratiocinia deducere.

2°) ILLUSTRATUR LUMINE GRATIÆ, nempe fidei ac intellectualium Spiritus sancti donorum, quod ex sanctificante Christi gratia dimanat. Unde divina Sapientia dicit, Eccli. 24, v. 44 et 45: *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes spiritus in Domino.* — Insuper Ecclesia dicit in Memento pro defunctis: « Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. »

3°) ILLUSTRATUR LUMINE ECCLESIÆ TRIUMPHANTIS, non quidem lumine gloriæ, sed lumine gratiæ, quo sanctæ purgatorii animæ, ex Christi liberalitate et B. Virginis ac Sanctorum intercessione, in suis pœnis consolantur, præsertim per ministerium custodum angelorum, sicut testantur particulares Sanctorum revelationes, ac pie credi potest. Christianæ enim pietati est valde consentaneum, quod beati cives Ecclesiæ triumphantis et in Christi gloria exsultantis, ex perfecta qua ardent charitate, fratrum suorum in purgatorio detentorum misereantur, et eis mittant saltem miculas consolationis, qua ipsi in cœlesti convivio redundant.

III. **De illuminatione Ecclesiæ militantis.**

1°) ECCLESIA MILITANS, SICUT ECCLESIA PATIENS, ILLUSTRATUR TRIPLICI LUMINE, scilicet lumine rationis naturalis, lumine generalis revelationis per fidem, et lumine particularium revelationum per intellectualia dona gratis data, quæ referuntur ad donum prophetiæ.

2°) GENERALIS REVELATIO PER FIDEM EST TRIPLEX, nempe revelatio *primitiva* seu Adamica, revelatio *mosaica*, et revelatio *christiana*, quæ sunt velut aurora, matutinum ac meridies illuminationis viatorum hominum per fidem.

Fidei vero lumen perficitur quatuor intellectualibus Spiritus sancti donis ex gratia sanctificante emanantibus, sicut lucidi radii; dona ista sunt intellectus, sapientia, scientia et consilium. Donum *intellectus* illuminat simplicem intellectus nostri intuitum; dona *scientiæ*, *sapientiæ et consilii* illuminant discursum rationis speculativæ et practicæ.

3°) ECCLESIA CHRISTIANA ILLUMINATUR GENERALITER PER EXERCITIUM TRINÆ POTESTATIS HIERARCHICÆ, nempe magisterii, ministerii, et imperii. Fideles enim illuminantur prædicatione verbi Dei, nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi... quomodo autem audient sine prædicante?* (Rom. 10, v. 17 et 14); illuminantur administratione Sacramentorum, præcipue baptismatis, per quod fides infunditur simul cum gratia sanctificante. *Una fides, unum baptisma* (Eph. 4, v. 5); illuminantur legibus, quarum observationem tuetur Ecclesia; nam *mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.* (Prov. 6, v. 23).

Sed actio hierarchicæ potestatis Ecclesiæ non est tantum illuminativa, sed est etiam purgativa et perfectiva, nam illuminatio est medium purgationis et perfectionis.

4°) EFFECTUS TRIPLICIS HUJUS ACTIONIS EST PASSIVA MEMBRORUM ECCLESIÆ PURGATIO, ILLUMINATIO ET PERFECTIO, quæ differunt a purgatione, illuminatione et perfectione angelorum. Etenim in angelis illuminatio intellectus purgat et perficit solum intellectum, sicut supra diximus; sed in homine, illuminatio intellectus purgat et perficit intellectum et voluntatem. Nam per fidei illuminationem hierarchice communicatam, intellectus purgatur ab ignorantia, dubio et errore; voluntas autem purgatur a peccato, tristitia, anxietate. Insuper intellectus perficitur veri cognitione, qua divino Intellectui conformatur; voluntas autem perficitur boni amore supernaturali seu charitate, qua divinæ Voluntati conformatur, ac Deo unitrino unitur.

5°) MIRABILEM ISTAM HOMINUM PER FIDEM CHRISTI ILLUMINATIONEM, PURGATIONEM ET PERFECTIONEM IN ECCLESIA CHRISTIANA PRÆDIXERAT ISAIAS 60, v. 1-6: *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha; omnes de Saba venient, aurem et thus deferentes, et laudem Domini annuntiantes.*

6°) DE HAC AUTEM ECCLESIÆ ILLUMINATIONE, PURGATIONE ET PERFECTIONE JAM IMPLETA POST CHRISTI ADVENTUM, scripsit Princeps Apostolorum: 1. Pet. 2, v. 9: *Vos autem, genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

Et S. Paulus ad Eph. 3, v. 14-19: *Hujus rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi... ut det vobis, secundum*

divitiãs gloriæ suæ, virtute corroborari in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

PROPOSITIO III.

ORDO TRINÆ ECCLESIÆ MIRABILEM PROPORTIONEM, SEU HARMONIAM EXHIBET.

Ad pulchritudinem ordinis trinæ Ecclesiæ, non sufficit ut sit completus in suo toto, et in omnibus suis partibus; nec ut omnes istæ partes sint clarissime ab invicem distinctæ et illuminatæ; requiritur demum ut omnes ejus partes harmonice inter se conveniant.

Probabimus ergo triplicem ac miram regnare harmoniam 1°) inter Ecclesiam militantem, patientem et triumphantem; 2°) inter tres status Ecclesiæ militantis; 3°) inter tres ordines Ecclesiæ triumphantis, et in pulchritudine sua consummatæ post ultimum judicium.

§ I.

De harmonia inter Ecclesiam militantem, patientem et triumphantem.

450. — Mirabilis existit harmonia 1°) inter trinum lumen trinæ Ecclesiæ; 2°) inter trinæ Ecclesiæ illuminationem et volitionem; 3°) inter mutuas relationes civium trinæ Ecclesiæ.

I. **De harmonia inter trinum lumen trinæ Ecclesiæ,** scilicet inter lumen naturæ, gratiæ et gloriæ.

1°) HUJUS HARMONIÆ RATIO EST, QUOD TRINUM ISTUD LUMEN EST GRADUA ET VARIA PARTICIPATIO EJUSDEM LUCIS SUPREMÆ, QUÆ DEUS EST; unde tres scientiæ, quæ a trino hoc lumine producuntur, sunt quidem specie diversæ, sed tamen analogæ, quia ab eadem Causa oriuntur, scilicet a Scientia divina, in qua eminenter continentur, ita ut necessario inter se concordent. Deus enim est suprema Veritas; ergo non invenitur in eo Est et Non, sed tantum Est (1. Cor. 1, v. 19); Deus est suprema Scientia plene sibi consentiens, quia omnia scit a seipso, in seipso et juxta seipsum; ergo impossibile est ut tres scientiæ, ab eadem et uniformi Dei Scientia participatæ, sibi invicem contradicant.

2°) ERGO SCIENTIA QUAM ACQUIRIMUS PER GRATIAM, NULLATENUS CONTRADICIT SCIENTIÆ NATURALITER ACQUISITÆ, nec eam destruit, sed potius eam perficit; nam vel confirmat per fidem divinæ auctoritati præstitam, cognitiones per rationem naturalem comparatas; vel nobis revelat mysteria, quæ rationis captum penitus superant, et quæ non sunt contraria sed superiora cognitionibus naturalibus. Revelatio enim et cognitio naturalis eumdem Auctorem habent, nempe Deum; ergo revelatio nihil docet contra scientiam, sed multa docet juxta illam, licet superiori modo, et alia docet penitus supra illam.

3°) SIMILITER SCIENTIA, QUAM BEATI HABENT PER GLORIAM, NON CONTRADICIT SCIENTIÆ PER RATIONEM NATURALEM, VEL PER REVELATIONEM COMPARATÆ. Nam Beati immediate intuentur ipsum mundi et Ecclesiæ Artificem, quem in via cognoverunt per ejus opificia et per fidem; insuper vident in Verbo Dei, seu in æternis earum rationibus, res naturales vel supernaturales, quas in vita sua mortali cognoverunt per species intelligibiles; nunc vident in Deo res, quas olim in ipsis rebus viderunt, vel quas audiendo ac credendo didicerunt; sed hæc scientia per gloriam, penitus quoad rerum cognitarum veritatem concordat cum vera scientia naturali, et cum scientia supernaturali per fidem. Unde Beati dicere possunt: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri* (Psal. 47, v. 9). — Præterea in Verbo Dei vident multas res, quas olim non cognoverunt; sed novæ istæ cognitiones veris cognitionibus jam acquisitis non contradicunt, sed eas complent. Multo plura igitur cognoscunt modo longe perfectiori.

II. **De harmonia inter trinæ Ecclesiæ illuminationem et ejus volitionem.**

1°) IN ECCLESIA TRIUMPHANTE, perfectissima regnat harmonia inter visionem beatificam intellectus, et actus voluntatis, qui hanc visionem sequuntur. Beati enim, actu necessario et continuo, Deum vident immediate; nam lumine gloriæ æterne ac immutabiliter illustrati, non possunt Deum non videre facie ad faciem sicuti Est. — Atqui, actus voluntatis, ex ipsa hujus potentiæ natura, sequuntur cognitionem intellectus, eique concordant. — Ergo Beati necessario diligunt Deum unitrinum, Bonum infinitum, quod immediate *in seipso vident*, et *sic videndo tenent* sibi intime ac necessario præsens, et *tenendo fruuntur* necessario, sicut ultimo fine desiderium implente. — Ergo Beati Deum necessario vident, necessario possident, necessario ac fruibiliter diligunt, modo analogice simili huic modo, quo Deus seipsum æterne ac necessario videt, possidet, et cum ineffabili gaudio diligit.

In hac autem immediata, intima, continua, indissolubili Beatorum unione cum Deo et assimilatione ad Deum, per harmonicos istos ac prorsus supernaturales actus intellectus et voluntatis, consistit suprema angelorum hominumque perfectio et beatitudo. — Visio beatifica *successit fidei*, possessio seu comprehensio *successit spei*, et fruitio *perficit charitatem* quæ essentialiter in Beatis permanet. Sic Beati consummantur in divina unitate, seu in unione cum Deo, analoga unioni qua inter se conjunguntur tres personæ divinæ.

Sublimissimam illam unionem ac societatem cum divina Trinitate per gloriam æternam, Christus a Patre suo pro discipulis suis petiit apud Joan. 17: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... Et ego claritatem meam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus; ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.*

2°) In Ecclesia patiente perfecta regnat harmonia inter fidem, quæ intellectum animarum purgatorii supernaturaliter illuminat, et spem ac charitatem, quarum prima consolatur, et altera accendit ipsarum voluntatem.

Per actus trium harum virtutum, sanctæ illæ animæ Deo unitrino uniuntur indissolubiliter, quia sunt extra viam, et in gratia sive in charitate confirmatæ.

3°) In Ecclesia militante, mira quoque existit harmonia inter Christianorum fidem, spem et charitatem. *Fidei enim lumine cognoscimus* supernaturaliter Deum unitrinum, qui est supremum Bonum a nobis sperandum; *spei firmitate expectamus* possessionem Dei, nobis per fidem cogniti et promissi; *charitatis ardore diligimus* Deum, cujus plenam in cœlo possessionem speramus, et quem imperfecte jam nunc possidemus per gratiam sanctificantem. Inde patet fidem esse *principium* unionis nostræ cum Deo; spes, ex fide procedens, est *medium* hujus unionis; charitas, ex fide et spe procedens, est *terminus* unionis.

Inde etiam patet unionem hominum viatorum cum Deo, per tres virtutes theologicas et gratiam sanctificantem, *esse imperfectam et solvi posse*, quia virtutes theologicæ et gratia sanctificans amitti possunt per peccatum. Divina enim unio in charitate terminatur seu consummatur, sed perfectio charitatis dependet a perfectione luminis fidei, ex qua procedit; lumen autem fidei est perfectissimum quidem comparate ad lumen rationis naturalis, at imperfectissimum est comparate ad lumen gloriæ; non est enim lux plena, sed lux in tenebris lucens, quam sæpe tenebræ non comprehenderunt (Joan. 1, v. 5); est lux, *cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucentis in caliginoso loco, donec dies* (æternitatis) *elucescat, et Lucifer oriatur in cordibus vestris* (2. Pet., v. 19); est lux partialis tantum, quæ oriente pleno lumine gloriæ evanescet; *ex parte enim cognoscimus... cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (1. Cor. 13, v. 9 et 10). Ergo sæpe accidit ut homo, sensibus deceptus, cesset diligere divinum Bonum invisibile, quod tam imperfecte cognoscit; eique præferat creata bona infinite inferiora, sed sensibilius cognita, et sensus magis delectantia.

III. **De harmonia inter mutuas relationes civium trinæ Ecclesiæ.**

Charitas est vinculum harmonicum, quod omnes trinæ Ecclesiæ cives unit, non solum cum Deo unitrino, sed etiam inter se.

Nam, quemadmodum Deus per se *Lux est* (1. Joan. 1, v. 5) et prima Causa omnis luminis ab eo participati, ac trinam Ecclesiam variis gradibus irradiantis, ita Deus per se *Charitas est* (ibid., cap. 4, v. 8) et prima Causa omnis charitatis ab eo participatæ, trinamque Ecclesiam accendentis variis gradibus, prædicto lumini harmonice proportionatis.

Diversis igitur ejusdem charitatis motibus, *Ecclesia triumphans*, intime unita supremæ Causæ omnis luminis et amoris, ac proinde pleno lumine illustrata, et plena charitate accensa, per suam intercessionem apud Deum unitrinum adjuvat *Ecclesiam patientem* et *Ecclesiam militantem*, et vicissim ab utraque colitur.

Præterea *Ecclesia patiens* adjuvat precibus suis *Ecclesiam militantem*, et vicissim ejus suffragiis adjuvatur.

Demum *Ecclesia militans*, ab utraque Ecclesia sibi superiore adjuta, vicissim colit *triumphantem*, et adjuvat *patientem*. Mutuæ istæ civium trinæ Ecclesiæ relationes per charitatem, constituunt Communionem Sanctorum, quam probavimus n.° 396.

§ II.

De harmonia inter tres status Ecclesiæ militantis.

451. — Scilicet inter Ecclesiam *patriarchalem*, *mosaicam* et *christianam* proprie dictam. Tres istæ Ecclesiæ sunt variæ partes, seu diversi status, ejusdem Ecclesiæ Christi spectatæ ante vel post Christum.

I. **In genere, singulæ Ecclesiæ constituunt aliquod corpus morale, seu societatem religiosam,** quæ tamquam intrinsecum perfectionis medium habet aliquam formam. Unde in qua-

libet trium Ecclesiarum distinguuntur tria principia constitutiva et inter se ordinata; scilicet *corpus*, tamquam principium materiale; *forma* tamquam principium formale, seu medium; et *finis* utriusque, qui est Ecclesiæ perfectio. — *Corpus* est hominum multitudo, cujus *exterior forma* est potestas hierarchica a Deo derivata; *forma interior* est Christi gratia, quæ hanc multitudinem supernaturaliter animat, seu vivificat, et per supernaturalem legem illuminat; *finis* est perfectio supernaturalis, determinata per supernaturalem legem ab hierarchica potestate emanata. Hæc autem perfectio consistit in unitate sociali, et obtinetur per moralem unionem materiæ ac formæ, et per actionem conformem formæ, inquantum divina lex charitatis ab Ecclesiæ membris cognoscitur et amatur, a superioribus applicatur, atque ab inferioribus observatur.

Porro harmonia inter tres status Ecclesiæ militantis *consistit in progressivo ordine*, quo hi status inter se referuntur, ita ut Ecclesia labentibus sæculis, crescat corpore, forma et perfectione in triplici suo statu, quasi per triplicem gradum. *Fundamentum* autem, seu formalis ratio hujus harmoniæ, est una et multiformis gratia Christi, quæ juxta diversam mensuram qua hominibus communicatur, est medium graduæ perfectionis trinæ Ecclesiæ militantis. Nam post peccatum originale, nulla gratia ante Christum natum hominibus collata est, nisi intuitu meritorum Redemptoris, et per divinam quamdam anticipationem. Sed ante Christum, gratia multo parcius homini lapso data est, quam post Christum, qui ipse dixit apud Joan. 10, v. 10: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

II. **In specie, breviter tantum indicabimus prædictum ordinem progressivum,** qui latius in Tomo II, Parte II evolvetur.

1°) *Corpus Ecclesiæ patriarchalis* constat familiis patriarcharum. *Corpus Ecclesiæ mosaicæ* constat populo judaico, cujus patres sunt tres præclari patriarchæ Abraham, Isaac et Jacob. *Corpus Ecclesiæ christianæ* proprie dictæ constat omnibus terræ gentibus.

2°) *Forma Ecclesiæ patriarchalis* est supernaturalis Lex primitiva, quæ oriebatur ex primæva revelatione Adamo facta, sive ante, sive post lapsum suum, et continente Redemptoris promissionem, atque moralia præcepta legis naturalis. Sub hac lege, potestas residebat in patre, qui in sua familia erat simul doctor, sacerdos et rex.

Forma Ecclesiæ judaicæ est supernaturalis lex mosaica, quæ oriebatur ex revelatione Moysi facta. Hæc Lex per Decalogum confirmat moralia Legis primitivæ præcepta, quibus superaddit multa præcepta cæremonialia et politica. Sub ista Lege, magisterium, ministerium et imperium supernaturale residebant in prophetis et sacerdotibus; imperium naturale in judicibus, et postea in regibus.

Forma Ecclesiæ christianæ est supernaturalis Lex christiana, quæ oritur ex revelatione per Christum facta. Lex ista confirmavit iterum moralia et naturalia Legis primitivæ ac Legis mosaicæ præcepta, quibus addidit præcepta positiva et supernaturalia fidei ac Sacramentorum, sed abrogavit positiva præcepta cæremonialia et politica. Sub lege christiana, supremum magisterium, ministerium et imperium supernaturale residet in Summo Pontifice romano; imperium naturale confertur de se principibus sæcularibus.

3°) *Finis Ecclesiæ patriarchalis* est proximus, remotus et remotissimus. *Proximus* est perfectio supernaturalis familiarum patriarcharum: *remotus* est præparatio Ecclesiæ mosaicæ, cujus Abraham, Isaac et Jacob sunt patres secundum carnem; *remotissimus* est præparatio Ecclesiæ christianæ, cujus patriarchæ sunt patres secundum spiritum, seu fidem in Christum.

Finis Ecclesiæ mosaicæ est proximus et remotus. *Proximus* est perfectio supernaturalis et etiam naturalis populi judaici; *remotus* est præparatio Ecclesiæ christianæ.

Finis Ecclesiæ christianæ est supernaturalis ejus perfectio, quæ multo superior est perfectione Ecclesiæ patriarchalis et mosaicæ, sive intensive, sive extensive. — *Intensive* quidem, inquantum Christi gratia est multo abundantior; Lex multo sublimior, inquantum tota ad charitatem reducitur; virtutes intellectuales ac morales multo excellentiores; et regimen interius ad majorem unitatem ordinatum in Ecclesia christiana, quam in Ecclesia patriarchali vel mosaica. — *Extensive* autem, inquantum omnes homines, omnesque aliæ societates supernaturales et etiam naturales, possunt in universali Ecclesiæ christianæ societate perfici, per Christi gratiam et juxta particulares suas leges.

§ III.

De harmonia Ecclesiæ triumphantis consummata post ultimum judicium.

452. — I. **De suprema perfectione ac completa pace Ecclesiæ triumphantis, quæ sola in æternum remanebit.**

1°) Prælia Ecclesiæ militantis, et pœnæ Ecclesiæ patientis, ordinantur ad gloriam Ecclesiæ triumphantis.

Ecclesia militans et Ecclesia patiens sunt temporales, et earum labores ac dolores ordi-

nantur ad æternam Ecclesia triumphantis requiem et lætitiam, quæ merces erit brevium hujus vitæ ærumnarum. — Præterea, propter hominum malitiam et militantem suum statum, in nullo suæ existentiæ sæculo Ecclesia christiana de facto obtinuit nec obtinebit plenam perfectionem suam, seu completam ordinis sui unitatem, et stabilem pacem, quæ est tranquillitas ordinis, sicut dicit S. Augustinus in Civit. Dei, lib. 19, cap. 23. Duo igitur status inferiores Ecclesiæ, seu status laboriosæ militiæ et status pœnarum purificantium, transire debent cum tempore, illisque succedere debet tertius status, scilicet status triumphi, requici et pacis, qui solus in æternum ac immutabiliter permanebit, nam *cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* (1 Cor. 13, v. 10).

2°) Ecclesia triumphans, sicut variæ partes Ecclesiæ militantis, habet corpus, formam et finem.

a) *Corpus* ejus, cujus Christus homo est Caput, constituetur omnibus electis ac beatis hominibus et Angelis, quorum numerus a Deo præcognitus, erit completus post ultimum judicium. — b) *Forma* Ecclesiæ triumphantis est ipsa divina Forma unitrina, quæ per visionem beatificam, tanquam præcedentium et obscurarum revelationum complementum, immediate informat ac gloriose transformat Beatorum intellectum, ita ut in eo gerat vices omnis speciei intelligibilis, sive impressæ, sive expressæ, et sic ipsa Veritas suprema ac universalis erit omnia in omnibus Beatis, per seipsam illuminando illorum intellectum. Lex autem quam in eis immediate imprimit, est Lex perfecta charitatis, quæ non excidit, et qua necessario diligunt infinitum Bonum in seipso visum; imo ipsa Bonitas, ipsa Charitas per se, quæ Deus est, seipsam in voluntate Beatorum imprimit diligendam necessario et immutabiliter. — c) *Finis* Ecclesiæ triumphantis est suprema ipsius ac suorum civium perfectio. Hæc autem singulorum civium perfectio consistit in immediata, necessaria et indissolubili mentis ac voluntatis Beatorum unione cum divina Forma, quæ est suprema Veritas ac suprema Bonitas, et in æterna requie et pace, quam Beati in ultimi finis sui obsecutione inveniunt. Totius vero Civitatis triumphantis perfectio consistit in consummata unitate sociali, seu in unione omnium civium cum Deo et inter se, per charitatem æternam.

Pax Ecclesiæ triumphantis post finem temporum, seu post ultimum judicium, erit completa et tranquilla omnium mundi creaturarum ordinatio sub divino Hierarcha unitrino, cui per gratiam et gloriam conjungentur beati Angeli et homines; seu erit perfectissima unitas socialis, seu consummata harmonia socialis ac concordia Beatorum cum Deo et inter se, in communi fruitione Dei et sui, sicut docet S. Augustinus in Civit. Dei, lib. 19, cap. 23: « Pax cœlestis civitatis est ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. »

3°) Hujus autem beatæ pacis, consummatæ harmoniæ et universalis ordinis Mediator est homo Christus Jesus.

Nam juxta Apostoli doctrinam, post ultimum judicium et finem temporum, omnes creaturæ subjicientur sub pedibus Christi hominis, qui seipsum Deo unitrino subjiciet. Legitur in 1 Cor. 15, v. 24-28: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem* (sive temporalem, sive diabolicam) *et virtutem* (potentiam diaboli). *Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat* (Psal. 8, v. 8): *Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum* (Deum) *qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

Item, ad Hebr. 2, v. 5-9: *Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens: Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (Psal. 8). *In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est* (secundum naturam humanam) *videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

453. — II. **De trina et harmonica ordinatione Ecclesiæ triumphantis.**

Consummata Ecclesiæ triumphantis harmonia constat tribus ordinibus omnia continentibus, scilicet Ordine divinæ Trinitatis, mere increato; ordine unionis hypostaticæ, increato simul et creato; et post ultimum judicium, ordine mundi glorificati, mere creato.

1°) Supremus Ordo trium personarum divinarum, scilicet Patris, Filii ac Spiritus sancti non est inæqualis nec hierarchicus, sed est penitus æqualis; cum tres personæ divinæ habeant eamdem numero Formam seu naturam infinite perfectam. Unde Ordo illarum non constituit ordinem perfectionis seu ad perfectionem

Formæ divinæ, sed est perfectio Ordinis Formæ unitrinæ, quæ non est hierarchia, sed est omnium creaturarum Hierarcha, seu Princeps omnis hierarchiæ creatæ. Divina Forma, una in se et trina personis, est Ordo per se, non ab alio ordinatus, sed omnia ordinans a seipso, juxta seipsum et ad seipsum, sive, aliis verbis, est suprema Causa efficiens, exemplaris et finalis omnis ordinis creati.

2°) Ordo unionis hypostaticæ est simul increatus et creatus, exemplaris et exemplatus. Constat tribus personis, scilicet Jesu Christo, B. V. Maria et S. Joseph, qui ratione maximæ differentiæ dignitatis ac perfectionis suæ, constituunt ordinem prorsus inæqualem, seu primam sub Deo unitrino hierarchiam.

Jesus Christus, secundum naturam divinam, est Filius Dei, Patri et Spiritui sancto æqualis, sed secundum naturam humanam est infinite Patri, Verbo et Spiritui sancto inferior. Verumtamen per gratiam ineffabilem et prorsus gratuitam, assumpsit naturam humanam illamque naturæ divinæ univit in unitate personæ, ita ut ex duabus naturis constitutus sit unus Christus, simul Deus increatus et homo creatus. Jam vero, tanquam homo, est Caput totius Ecclesiæ triumphantis, summa gloria coronatum, seipsum Deo unitrino subjiciens, et gloriam influens in totum corpus Ecclesiæ secum triumphantis.

B. V. Maria est vera Mater Filii Dei, inquantum subministravit ei naturalem carnis humanæ materiam, quæ supernaturali Spiritus sancti operatione, statim informata fuit humana anima rationali et sanctissima a Deo creata, ita ut B. Virgo sit aliquo modo Sponsa Spiritus sancti. Porro, ratione supernaturalis propinquitatis suæ ad divinam Trinitatem, B. Virgo secundum post Christum occupat gloriæ gradum in Ecclesia triumphante, cujus est Regina. Nam post unionem hypostaticam, nulla est dignitas superior dignitati Matris Filii Dei Patris, et Sponsæ Spiritus sancti.

Sanctus Joseph est verus vir Matris Dei, et vere pater putativus seu nutritius Filii Dei. Unde, ratione propinquitatis suæ ad Jesum et Mariam, atque ad ipsam Trinitatem divinam, tertium gloriæ gradum probabilissime occupat in Ecclesia triumphante. Est enim vir Mariæ et pater Christi, quorum omnes Angeli et cæteri homines sunt famuli; præterea solus inter homines et angelos, quodammodo participat cum Deo Patre titulum patris Christi, et cum Spiritu sancto titulum Sponsi Mariæ.

3°) Ordo totius mundi glorificati est longe inferior perfectioni ordinis unionis hypostaticæ. *Naturaliter* constat tribus creaturarum generibus, scilicet angelis, mere spiritualibus, corporibus mere materialibus, et homine, qui corpore ac spiritu componitur, et in quo proinde conveniunt, tamquam in medio harmonico, duo extrema cæterarum creaturarum genera.

Sed *supernaturaliter*, scilicet secundum perfectionem gratiæ et gloriæ, omnes beati homines assumuntur inter angelos, et cum eis unam constituunt societatem ordinatam ad visionem beatificam (1. q. 108, art. 8). *Unde angeli et homines simul* in Ecclesia triumphante constituunt tres hierarchias, quarum singulæ in tres ordines distinguuntur. Angeli gaudent gloria mere spirituali; homines autem gaudent nunc gloria spirituali, et post corporum resurrectionem, gaudebunt etiam gloria corporali.

Creaturæ mere materiales, etiam supernaturaliter, erunt incomparabiliter perfectione inferiores angelorum et hominum hierarchiis; nam sola corporali gloria decorabuntur in cœli et terræ transformatione post ultimum judicium. *Corpora cœlestia*, seu sidera, glorificabuntur per lucis suæ augmentum; *corpora terrestria*, seu quatuor elementa, juxta modum suum naturalem, participabunt materialem corporum cœlestium lucem, sicut animæ humanæ participant spirituale gloriæ lumen angelorum, ut sic stabiliatur unica proportio, seu harmonia, inter glorificationem corporum superiorum ac inferiorum, et glorificationem spirituum superiorum ac inferiorum (Suppl., q. 91, art. 4). — Hanc autem corporum cœlestium et terrestrium glorificationem meruerunt electi homines, inquantum cedit in augmentum accidentalis ipsorum gloriæ ac beatitudinis. (Ibid., art. 1, ad 5[m]).

454. — III. De ordinatione supplicii reproborum ad Ecclesiæ triumphum et pulchritudinem.

1°) Infima omnium corporum est terra, et in infimo terræ loco, seu centro, situs est infernus. Ibi tandem humiliabuntur omnes impœnitentes Ecclesiæ adversarii, tanquam conculcati ut scabellum pedum Christi et electorum ejus. Punientur *duplicibus tenebris*, nempe tenebris spiritualibus ac corporalibus, quæ duplici gloriæ electorum lumini opponentur. Tenebræ spirituales consistunt in privatione luminis gloriæ et visionis Dei; tenebræ corporales consistent in privatione totali luminis gloriosi, quod usque ad terræ centrum non penetrabit, et in privatione partialis luminis ignis infernalis, qui reproborum oculos non illuminabit nisi ad horribilia objecta videnda. (Ibid., art. 4, ad 3[m]). Verumtamen in reprobis manebit *naturale rationis lumen*, quo dire cruciabuntur videndo nobiles animas suas, physicas quidem Dei unitrini imagines, sed omni morali, supernaturali ac libera similitudine cum Deo destitutas per culpam

suam, et in pœnam superbiæ suæ a Deo rejectas in loco totius mundi infimo, infra vilissima corpora, quæ ipsa supernaturaliter glorificabuntur.

Demum in infimo inferno, seu in centrali terræ puncto, humiliabitur omnium Dei inimicorum *superbissimus Lucifer*, omnium peccatorum princeps primaque omnium malorum causa; ibi toto pondere omnium inferni pœnarum premetur, videndo se omnes omnium damnatorum angelorum ac hominum pœnas propria culpa causasse, et se cum eis solos privatos esse gloria totius mundi. Nihilominus, inter dæmones permanent naturales hierarchiæ atque ordines, et Lucifer manet inter eos princeps in perfectione naturali, sed primus in pœna et in humiliatione, ac proinde omnium miserorum reproborum miserrimus, nam « præesse in malis est esse magis miserum ». (3. q. 109, art. 2, ad 3[m]). Unde Dantes Aligherius Luciferum repræsentat sedentem in throno inverso, et omnia totius inferni supplicia in æternum suspicientem.

2°) Hæc reproborum humiliatio et duplices eorum tenebræ ordinabuntur primo *ad gloriam Dei*, cujus justitiam manifestabunt per æquam proportionem inter damnatorum culpam et pœnam. Deinde ordinabuntur *ad triumphum Christi et electorum*, atque *ad totius Ecclesiæ triumphantis pulchritudinem*, quæ resultabit ex harum tenebrarum oppositione cum gloriæ lumine, velut in immensa tabula, in qua divinus Artifex pulchritudinem trini Ordinis sui, per omnia mundi sæcula pingendo imitari intendit, et quæ, post ultimum judicium, ultimam perfectionem suam obtinebit.

PROPOSITIO IV.

PULCHERRIMUS TRINÆ ECCLESIÆ ORDO EST EXEMPLATUS JUXTA DEUM, CHRISTUM AC B. VIRGINEM, ET EXEMPLARIS RELATE AD CREATURAS ILLO IMPERFECTIORES.

455. — Prænotanda. Hucusque probavimus ordinem trinæ Ecclesiæ universalis, scilicet triumphantis in cœlo, patientis in purgatorio, et militantis in terra, esse pulcherrimum, quia sive in sua totalitate, sive in suis partibus, summo modo complectitur tres pulchritudinis conditiones, nimirum integritatem, claritatem et harmoniam. — Atqui, pulchritudo est fundamentum, seu formalis ratio exemplaritatis, nam quilibet artifex, vel divinus, vel humanus, aliquod objectum imitatur quia hoc objectum pulchrum ei videtur; delectatur enim cognitione seu visione perfectionis hujus objecti, illud cum amore intuetur, et hoc amore movetur ad operandum intuendo illud, ut materiam aliquam juxta illud perficiat seu informet, et sic illius pulchritudinem in suo opificio repræsentet. — Ergo pulchritudo alicujus objecti est ratio formalis illud imitandi.

Ergo suprema et infinita Dei unitrini Pulchritudo quam Pater in Verbo suo intuetur, et cum Verbo in Spiritu sancto diligit necessario, et libere vult ad extra variis ac graduis modis repræsentare et manifestare ad gloriam suam, est supremum Exemplar omnium opificiorum divinæ Trinitatis, ita tamen ut pulchriora ejus opificia sint quasi secundaria exemplaria minus pulchrorum, non quod Deus per pulchritudinem perfectiorum opificiorum suorum moveatur ad eam in imperfectioribus opificiis imitandam; sed quia vult imperfectiora opificia propriæ Pulchritudini assimilari in gradu inferiori quam perfectiora, ita ut illa imperfectiora opificia, non tantum Deo, sed etiam his perfectioribus opificiis ejus assimilentur; nam plura exemplata, eodem exemplari similia, aliquam inter se similitudinem necessario habent, et ipsorum perfectiora sunt secundaria imperfectiorum exemplaria. — Atqui, Ecclesia est pulcherrimum Dei opificium post Christi humanitatem et B. Virginem. — Ergo: 1°) exemplatur juxta Deum unitrinum; 2°) juxta Christum; 3°) juxta B. Virginem; 4°) Ecclesia patriarchalis et mosaica exemplantur juxta Ecclesiam christianam in terra militantem, quæ ipsa exemplatur juxta triumphantem; 5°) Ecclesia figuratur variis similitudinibus. Hæc omnia in quinque paragraphis probanda sunt.

§ I.

Ecclesia exemplatur juxta Deum unitrinum.

1°) *Tota Ecclesia* juxta divinam Trinitatem exemplatur per trinum statum unitatis seu universalitatis suæ. 2°) *Christiana Ecclesia militans* exemplatur per tres notas catholicitatis, apostolicitatis et sanctitatis, quæ in sua unitate conveniunt; 3°) per suam potestatem unam et trinam.

456. — I. Tota Ecclesia juxta Deum unitrinum exemplatur per trinum statum universalitatis suæ.

Est enim una et trina, inquantum in sua unitate est militans, patiens et triumphans.

1°) Si enim tres isti status spectentur simul, aliquam relationem exhibent ad attributa tribus personis divinis appropriata. Nam Ecclesia in terra *militat per Patris potentiam*, ad virtutem comparandam, scilicet ad malum morale vitan-

dum, et ad bonum supernaturale agendum. In purgatorio *patitur per justitiam Filii*, qui moralem ordinem peccato leviter læsum, pœnis temporalibus restituit. In cœlo *triumphat in gaudio Spiritus sancti.*

Præterea in completo trium horum statuum ordine, inveniuntur analogice principium, medium et terminus, sicut in Ordine trium personarum divinarum. Nam prælium, seu *actio*, est initium vitæ supernaturalis, cujus *passio* est medium, *gaudium* est terminus.

2°) Si autem tres isti status spectentur singulariter, in singulis iterum reperitur trinitas in unitate.

Ecclesia enim militat in triplici statu; fuit enim successive patriarchalis ac mosaica, et nunc est definitive christiana. — Militat contra triplicem hostem: diabolum, mundum et carnem. — Militat in triplici vita supernaturali: purgativa, illuminativa et unitiva.

Ecclesia in purgatorio patitur triplicem pœnam temporalem: pœnam damni, pœnam sensus et pœnam languoris, quæ, juxta Bellarminum a S. Alphonso citatum, infligitur ad puniendum insufficiens beatitudinis æternæ desiderium.

Ecclesia in cœlo triumphat triplici gloria: gloria essentiali spirituum electorum, gloria accidentali spirituum, gloria accidentali corporum hominum beatorum. — Angeli et homines glorificantur mediantibus potentiis intellectivis, habitibus et actibus gloriosis. — Glorificantur in tribus hierarchiis, quarum singulæ tres ordines complectuntur.

457. — III. Christiana Ecclesia militans, juxta Deum unitrinum exemplatur per suas notas.

Hanc assimilationem jam probavimus n. 443, sed libet eam nunc extendere ostendendo, notas quæ ad Ecclesiæ pulchritudinem concurrunt, exhibere pulchrum Dei unitrini vestigium, sive simul, sive singulatim considerentur.

1°) De notis simul spectatis.

Ecclesia christiana proprie dicta, et præsertim Ecclesia militans, quatuor fulget notis, quæ illam a falsis ecclesiis seu sectis distinguunt, scilicet unitate, sanctitate, catholicitate, apostolicitate. — Atqui, quatuor illæ notæ pulchritudinem Ecclesiæ in parte constituunt; insuper catholicitas, apostolicitas et sanctitas analogicam habent relationem cum Patre, Filio ac Spiritu sancto; et præterea in unitate æqualiter conveniunt, sicut tres personæ divinæ in Essentiæ suæ unitate æquales sunt. — Ergo notæ simul sumptæ exhibent pulchrum Dei unitrini vestigium.

Probatur Minor. Ecclesiæ pulchritudo tribus constat conditionibus, quas in sua unitate conjungit, videlicet integritate, charitate et harmonia, seu proportione. Jam vero, *Ecclesiæ militantis integritas* manifestatur in ejus catholicitate, qua complectitur omnia tempora, omnia loca, omnes veritates; qua omnes Christi discipulos atque electos supernaturaliter parit et in se continet, ita ut analogiam præbeat cum plenitudine perfectionis ac fecunditatis primi Principii divinæ Trinitatis, quod Pater est. — *Ecclesiæ claritas* fulget in gratiæ, doctrinæ et legis suæ splendore, qui ubique terrarum resplendet per hierarchicam illuminationem apostolicitatis, atque refertur ad Filium Dei, Jesum Christum, qui est gratiæ Auctor, et supremus Ecclesiæ Doctor ac Legislator. — *Moralis harmonia Ecclesiæ* consistit in ejus actione conformi christianæ legi, quæ tota ordinatur seu reducitur ad charitatem, cum charitas sit plenitudo legis (Rom. 13, v. 10) et vinculum perfectionis (Colos. 3, v. 14), quo omnes virtutes in harmonica unitate colligantur; insuper charitas omnia Ecclesiæ membra cum Christo Capite et inter se conjungit; unde essentialiter constituit Ecclesiæ sanctitatem, quæ ad Spiritum sanctum refertur.

Præterea tres notæ prædictæ, simul sumptæ, conveniunt æqualiter in unitate perfectionis ejusdem Ecclesiæ, quæ unitas est præcipuus ac divinior pulchritudinis ejus character. Deinde spectata singulariter, catholicitas una est totalitate, seu universalitate; apostolicitas una est veritate; sanctitas una est charitate.

Ergo stat nostra conclusio.

2°) De pulchro Dei unitrini vestigio in Ecclesiæ notis singulariter spectatis.

Ulterius ostendemus, singulas Ecclesiæ notas analogicam relationem habere cum tribus pulchri conditionibus, ac proinde cum tribus divinis personis.

a) **Ecclesia una est triplici unitate,** nimirum corporis, mentis, voluntatis, juxta epistolam ad Eph. 4, v. 4: *Unum corpus, et unus spiritus;* et Act. 4, v. 32: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.*

In unitate autem corporis, quæ est materiale fundamentum seu principium unitatis Ecclesiæ, apparet integritas et relatio ad Deum Patrem; *in unitate mentis* per fidem, apparet claritas veritatis, et relatio ad Filium seu Verbum Dei; *in unitate voluntatis* per charitatem, apparet harmonia et relatio ad Spiritum sanctum.

b) **Ecclesia catholica est triplici catholicitate,** scilicet loci, doctrinæ et temporis.

Porro *catholicitas loci*, per quam Ecclesia extenditur ad omnes diversasque terræ nationes, quas sibi incorporat, pertinet ad materialem corporis sui integritatem; nam in ejus universalitate, dicit Apostolus ad Gal. 3. v. 28: *Non*

est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. — Et Joan. 10, v. 16: *Fiet unum ovile, et unus pastor.*

Catholicitas doctrinæ, per quam Ecclesia omnes homines docet omnes veritates christianas, tam speculativas quam practicas, pertinet ad spiritualem Ecclesiæ perfectionem, ac claritatem; est enim medium formale, quo propagatur Ecclesia mentes illuminando, teste Matth. 28, v. 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos;... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis;* quæ illuminatio in die Pentecostes aucta est, et crevit usque ad mortem Apostolorum, Joan. 16, v. 13: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

Catholicitas temporis, per quam Ecclesia complectitur omnia mundi sæcula, sive ante, sive post Christum, pertinet ad harmoniam, qua Ecclesia patriarchalis, Ecclesia mosaica et Ecclesia christiana proprie dicta conjunguntur in Jesu Christo, qui juxta Hebr. 13, v. 8, *est heri, hodie, ipse et in sæcula,* quique promisit se Ecclesiam adjuvare in hac ejus unione per seipsum conservata usque ad finem mundi; dicit enim apud Matth. 28, v. 20: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

c) **Ecclesia apostolica est triplici apostolicitate,** scilicet originis, doctrinæ et successionis.

Jam vero apostolicitas originis respicit plenam potestatem quam Christus a Deo unitrino, Apostoli a Christo, Ecclesia ab Apostolis acceperunt, et ordinatur ad integritatem constitutionis Ecclesiæ.

Apostolicitas doctrinæ ordinatur ad Ecclesiæ claritatem, seu illuminationem per Apostolorum prædicationem, a fidelibus acceptam ac semper continuatam, nam sicut dicitur Rom. 10, v. 18: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

Apostolicitas successionis respicit supremam potestatem non interruptam in Romanis Pontificibus, a S. Petro usque ad Leonem XIII, et ordinatur ad Ecclesiæ harmoniam per sæcula continuatam, nam Papatus est centrum harmonicæ unitatis in Ecclesia.

d) **Ecclesia sancta est triplici sanctitate,** nimirum Capitis, mediorum et termini seu membrorum.

Porro Sanctitas Christi Capitis, qui omnem gratiæ plenitudinem in se habet, et est gratiæ Auctor, a quo omnis Sanctitas in Ecclesiæ membra dimanat, concurrit ad Ecclesiæ integritatem. — *Sanctitas mediorum,* quibus Christus gratiam suam nobis communicat, et quorum primum est mentis illuminatio per verbi Dei prædicationem, Sacramenta et orationem, concurrit ad Ecclesiæ claritatem. — *Sanctitas termini, seu membrorum,* consistit in voluntatis charitate, quæ ex illuminatione mentis dimanans, omnes fideles cum Christo ac inter se conjungit, et sic concurrit ad Ecclesiæ harmoniam.

Hæc sanctitas, a Christo Capite in membra Ecclesiæ derivata, indicatur in Eph. 1, v. 3 et 4: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.*

458. — III. Ecclesia christiana juxta Deum unitrinum exemplatur per trinam suam potestatem.

Ecclesiastica potestas in sua unitate tria complectitur, nempe magisterium, ministerium et imperium, quæ sive simul, sive singulariter sumpta, vestigium exhibent divinæ Trinitatis.

1°) Si HÆC TRIA SIMUL SUMANTUR, *Imperium* refertur ad Potentiam Patris, qui Christum in terram misit, eique dedit omnem divinam potestatem. — *Magisterium* refertur ad Sapientiam Filii, qui a Patre missus est ad Ecclesiæ revelanda divinitatis mysteria in Patris intellectu abscondita, et per ipsum ejus Verbum hominibus expressa. — *Ministerium* refertur ad Benevolentiam Spiritus sancti, qui a Patre Filioque mittitur, et per Ecclesiæ Sacramenta hominibus communicat omnia gratiæ dona necessaria ad doctrinam Christi adimplendam.

2°) Si HÆC TRIA SINGULARITER SUMANTUR, in singulis invenitur divinæ Trinitatis vestigium. *Imperium* enim triplicem includit potestatem, nempe legislativam, judiciariam et coercitivam, quæ ordinatur ad leges ferendas, atque ad legum transgressiones judicandas et puniendas.— *Magisterium* Ecclesiæ infallibile tria complectitur objecta, scilicet doctrinam fidei, doctrinam morum, disciplinam generalem. — *Ministerium* triplicem ordinem complectitur de jure divino, seu ab ipso Christo institutum, videlicet Episcopatum, Presbyteratum et Diaconatum, ad fideles per trinam actionem hierarchicam sanctificandos, nam juxta S. Dionysium, cap. 5. de Cœl. hier., et S. Thomam, Suppl., q. 37, art. 2, ad 1^{m}, ordo *Diaconorum* est purgativus, ordo *Presbyterorum* est illuminativus, ordo *Episcoporum* est perfectivus. Tandem dicit Symmachus Papa, Epist. 7: « Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites Sacerdotium, sicut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum sunt. »

§ II.

Ecclesia christiana exemplatur juxta Jesum Christum.

Ecclesia, quæ est mysticum Christi corpus, dupliciter considerari potest: vel in sua totalitate, secundum quod complectitur Christum hominem, Caput suum; vel in parte, secundum quod spectatur ut corpus Christi, seorsim a suo Capite. Porro *sub priori respectu*, tota Ecclesia non habet supra se nisi Deum unitrinum, et non potest nisi juxta ipsum exemplari; sed *sub altero respectu*, solum corpus Ecclesiæ supra se habet hominem Christum, Caput suum, cujus pulchritudo incomparabiliter perfectior est pulchritudine cæterorum membrorum simul sumptorum; unde Ecclesiæ corpus seorsim spectatum, potest exemplari juxta pulchritudinem Christis Capitis sui, etiam seorsim considerati.

Jam vero potest juxta Christum exemplari dupliciter: 1°) quoad suam constitutionem; 2°) quoad suam operationem.

459. — I. Ecclesia juxta Christum exemplatur secundum suam constitutionem.

1°) Probatur ex Ecclesiæ formatione a Christo.

De fide est Ecclesiam fuisse a Christo formatam, sed varie explicari possunt tempus et modus formationis Ecclesiæ. S. Ambrosius, de Trinit., cap. 17, S. Augustinus, de Genesi cont. Manich., lib. 2, cap. 24, et post eos multi doctores, dicunt Ecclesiam fuisse formatam de aperto per lanceam latere Christi in cruce somno mortis dormientis, sicut Eva a Deo formata est de latere seu costa Adami dormientis. Sic loquitur S. Augustinus: « Formata est ergo ei conjux Ecclesia de latere ejus, id est de fide Passionis et Baptismi; nam percussum latus ejus lancea, sanguinem et aquam profudit. » — Atqui, Eva a Deo facta est Adamo similis, teste ipso Artifice divino, Gen. 2, v. 18: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* — Ergo Ecclesia est facta ad Christi similitudinem, seu juxta illum exemplatur.

Si autem disputetur de modo formationis a prædictis Patribus assignato, certum de fide manet Ecclesiam Christum Auctorem habuisse. — Atqui, Christus, ut Deus-homo, est pulcherrimum omnis humanæ perfectionis Exemplar, ita ut opificia humana perfici non possint nisi juxta Christi perfectionem — Ergo Ecclesia, quæ est divinum opificium hominibus compositum, Christum repræsentare debet.

2°) Confirmatur ex facto.

Christus, Ecclesiæ Auctor, duplici natura constituitur, divina scilicet ac humana. — Atqui, Ecclesia modo analogico constituitur. — Ergo juxta Auctorem suum constituitur analogice.

Major de fide est. *Probatur Minor.* Corpus Ecclesiæ materialiter constat hominibus Christo similibus secundum humanam naturam, et informatur per gratiam Christi, quæ est Ecclesiæ anima, et quædam divinæ naturæ participatio (2. Pet. 1, v. 4) ita ut homines per eam fiant Christo similes secundum divinam naturam. Ergo Ecclesia in sua constitutione Christo assimilatur, secundum quod divina natura et humana natura in eo uniuntur. — Sed ambæ naturæ non eodem modo in Ecclesia, ac in Christo uniuntur; nam in Christi persona, physice uniuntur per gratiam unionis hypostaticæ, quæ est suprema et perfectissima, seu maxime intima unio alicujus creatæ naturæ cum Deo, ita ut per eam Christus homo non sit adoptivus, sed naturalis Filius Dei; in Ecclesia autem, tanquam in corpore morali, ambæ naturæ uniuntur per gratiam sanctificantem, seu per gratiam filiationis adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis, sicut docet S. Thomas in 3. q. 24, art. 3, corp. — Ergo Ecclesia juxta Christum Auctorem suum constituitur *analogico tantum modo*, qui ad exemplaritatem sufficit; nam quemadmodum dicit doctor angelicus, ibid., ad 3^{m}: « Non est necessarium quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum aliqualiter imitetur suum exemplar. »

460. — II. Ecclesia juxta Christum exemplatur secundum suam operationem.

1°) Sequitur ex propositione præcedenti.

Ecclesia juxta Christum exemplatur secundum suam constitutionem, ita ut sicut Christus constituatur natura divina et humana natura modo proxime indicato. — Atqui, operari sequitur esse. — Ergo Ecclesia, etiam secundum operationem suam, debet juxta Christum exemplari, et duplicem operationem habere, divinam scilicet ac humanam. Etenim *secundum humanam naturam*, debet in membris suis humanis pugnare, apparenter vinci, debet pati et humiliari in hac terra; *sed secundum divinam naturam*, quam per gratiam participat, debet partialiter in terra, ac complete in cœlo, cum potentissimo Dei auxilio hostes suos vincere, triumphare, gaudere et exaltari.

2°) Confirmatur ex Scriptura, in qua de pugna spirituali hujus vitæ legimus apud Job. 7, v. 1: *Militia est vita hominis super terram.* — Sap. 10, v. 12: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* — 2. Tim. 2, v. 3-5: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non*

coronatur, nisi legitime certaverit. — 1. Tim. 1, v. 18: *Commendo tibi... ut milites in illis bonam militiam.*

De divino autem auxilio in hac pugna, scriptum est: 2. Cor. 10, v. 3-5: *In carne enim ambulamus, non secundum carnem militamus; nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus Scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* — 1. Cor. 1, v. 25: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* — Rom. 8, v. 31: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

De Ecclesiæ passionibus ac humiliationibus et de gloria illas secutura, dicitur Colos. 1, v. 24: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* — Act. 14, v. 21: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* — Luc. 24, v. 26: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* — 1. Petr., 5 et 6: *Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* — Matth. 23, v. 12: *Qui se humiliaverit exaltabitur.*

Tandem de finali victoria legitur in Apoc. 3, v. 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno ejus.*

§ III.

Ecclesia christiana exemplatur juxta B. V. Mariam.

Sicut Ecclesia spectari potest seorsim a Christo Capite et Rege suo, ita etiam considerari potest seorsim a B. Virgine, quæ est ejus Regina et præcipuum ornamentum post Christum. Sub hoc autem particulari respectu, nihil impedit quin Ecclesia comparetur Mariæ, tanquam minus pulchrum Dei opificium opificio longe pulcherrimo, juxta quod exemplatur in hoc sensu, quod divinus Artifex propriam Pulchritudinem suam unice imitans, dederit Matri Filii sui perfectionem maximam post Christi perfectionem, ab universali Ecclesia participandam supernaturali assimilatione. Jam vero, Ecclesia B. Virgini assimilatur: 1°) ratione pulchritudinis gratiæ; 2°) ratione virgineæ fecunditatis; 3°) ratione plenitudinis gloriæ.

461. — I. Ecclesia B. Mariæ assimilatur, ratione plenitudinis gratiæ.

1°) Ecclesia plena est gratia, accepta ex Jesu et Mariæ plenitudine.

In Tomo II, n.° 1249 et 1373, probabimus Christum, inquantum est homo, esse gratia plenum *absolute*, secundum quod omnem prorsus gratiam a Deo immediate accepit, ratione unionis hypostaticæ, et B. Virginem esse plenam gratia a Christo accepta, *relative* ad sublimissimam dignitatem suam Matris Dei. — Atqui, Christus ejusque Mater non sibi tantum gratiæ plenitudinem acceperunt, sed etiam ut eam communicarent cæteris hominibus, et maxime eis, qui Ecclesiæ corpus constituunt. — Ergo Ecclesia plena est gratia a Christo et Virgine accepta, seu a Christo per Virginem accepta; nam postea in Tomo II, n.° 1472, ostendemus omnes gratias hominibus a Christo concedi per gratissimam ejus Matris intercessionem; ita ut gratiæ plenitudo consideranda sit in Christo sicut *in fonte*, in B. Virgine sicut *in canali*, et in Ecclesia sicut *in termino* sanctificationis. Unde Christus est multo sanctior B. Virgine; et B. Virgo multo sanctior tota Ecclesia seorsim ab ea spectata.

2°) Ecclesia est sanctissima et gratia plena, relative ad finem a se in hac terra attingendum, seu inquantum per sua Sacramenta aliaque salutis media, a Christo accipit gratias efficaces et sufficientes ad omnia membra sua sanctificanda. Sed proh dolor! innumeri homines tantis salutis mediis non utuntur, et prava sancti corporis membra permanere turpiter volunt. Verumtamen multa alia membra, sedulo utentia eximiis salutis mediis, quæ in Ecclesia inveniunt, ad sanctitatem suo statui propriam tendunt, et nunquam defuerunt magnæ animæ quæ heroicam perfectionem attingunt.

3°) Ratione sanctitatis suæ, Ecclesia sicut B. Virgo, licet in gradu inferiori, est electa Dei Patris filia, dilectissima Spiritus sancti sponsa, et quodammodo Filii Dei mater, inquantum Christum in justorum animabus parit per gratiam, sicut mox ostendemus. Itaque sacrorum Librorum interpretes Ecclesiæ, sicut Mariæ, applicant præclara præconia, quibus divinæ Sponsæ gratia, seu pulchritudo spiritualis in Cantico canticorum laudatur. Verbi gratia, cap. 1, v. 14: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es!* — Cap. 14, v. 1: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es!* — Cap. 6, v. 8: *Una est columba mea, perfecta mea.*

462. — II. Ecclesia B. Mariæ assimilatur, ratione virgineæ fecunditatis suæ.

1°) Probatur ex ratione theologica.

Maria Christum genuit secundum carnem, sine ullo virginitatis detrimento, et omnes justos gi-

gnit secundum spiritum, inquantum omnibus hominibus dedit Christum, gratiæ Auctorem, eisque per intercessionem suam a Filio suo obtinet omnes gratias quibus supernaturaliter generantur. — Ecclesia autem omnes justos parit tantummodo secundum spiritum, dum per Evangelii prædicationem, et suorum Sacramentorum gratiam, mystice Christum generat in animabus justorum, juxta hæc Apostoli verba 1. Cor. 4, v. 15: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* — Item, Gal. 4, v. 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Ecclesia igitur est mater omnium hominum, quos undique Christo parit, seu in quibus Christum per gratiam generat; unde Isaias, 60, prophetico spiritu afflatus, sic eam alloquitur: *Surge illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est... Leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.*

2°) Confirmatur ex S. Augustino.

Hæc analogia inter virgineam ac fecundissimam Mariæ et Ecclesiæ maternitatem non latuit S. Augustini ingenio. Ait enim de Sancta Virginit., cap. 2: « Ecclesia quoque et mater et virgo est... Maria corporaliter Caput hujus corporis peperit; Ecclesia spiritualiter membra illius Capitis parit. In utraque, virginitas fecunditatem non impedit; in utraque, fecunditas virginitatem non adimit. » — Et, Serm. 191, cap. 2: « Ecclesia ergo imitans Domini sui Matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater est et virgo. Nullo itaque modo virginitatem Matri suæ nascendo Christus ademit, qui Ecclesiam suam de fornicatione dæmonum redimendo, virginem fecit. »

Item, Append. Serm. 121, n.° 5: « Videamus ergo quæ est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est; quæ tam speciosa, quam Deus elegit Sponsam; quæ tam copiosa, cujus generationem cunctus orbis excipiat; quæ tam casta, ut possit esse virgo post partum. Nonne in figura, Mariam typum videmus esse sanctæ Ecclesiæ? »

463. — III. Ecclesia B. Mariæ assimilatur, ratione plenitudinis gloriæ.

1°) Probatur ex eo, quod gratia est semen et mensura gloriæ.

Atqui, Ecclesia gratiæ plena est, sicut B. Virgo, licet in mensura inferiori, sicut supra ostendimus. — Ergo et gloriæ plena est, in eadem mensura inferiori. Itaque de Ecclesia triumphante, sicut de B. Maria in cœlum ascendente, scriptum est, Cantic. 8, v. 5: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

Sed utriusque triumphus in hoc differt, quod Maria multo altius ascendit, quam Ecclesia sine B. Virgine considerata; omnes enim homines justi assumentur inter ordines angelorum, quibuscum unam societatem gloriosam constituent; Maria autem assumpta est supra choros angelorum ad cœlestia regna, sicut ipsa canit Ecclesia ad laudem Reginæ suæ, quam testatur David in Psal. 44, v. 9, ascendisse usque ad dexteram Regis Christi: *Astitit Regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

2°) Probatur in specie de gloria essentiali.

B. Mariæ gloria essentialis consistit in immediata Dei unitrini visione, ex qua sequitur Dei fruitio, et quæ fundatur in gratia sanctificante, Beatis conferente Esse divinum in eorum animæ essentia creatum. — Atqui, hæc gloria essentialis, in qua consistit suprema creaturæ rationalis assimilatio ad divinum Ens, intelligens et volens seu diligens seipsum ac scipso fruens, est, quoad speciem, eadem in Ecclesia angelorum et hominum triumphante, ac in B. Virgine, sed quantitate tantum differt, sicut proxime diximus; nam Mariæ gloria major est, licet gloria Ecclesiæ sit communis et plena omnium civium cœlestium beatitudo. — Ergo Ecclesia B. Virginem imitatur, quamvis imperfecte, in plenitudine gloriæ.

Major et prima pars *Minoris* theologice certæ sunt; sed libet hanc primam partem, scilicet trinam gloriæ essentialis assimilationem ad Deum, confirmare ex S. Augustino, lib. 11 de Civit. Dei, cap. 24, cui titulus est: *De Trinitate divina, quæ per omnia opera sua significationis suæ sparsit indicia.* Ibi de Ecclesia triumphante legitur: « Inde est Civitatis sanctæ, quæ in sanctis angelis sursum est, et origo, et informatio, et beatitudo. Nam si quæratur unde sit, Deus eam condidit; si unde sit sapiens, a Deo illuminatur; si unde sit felix, Deo fruitur. Subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens jucundatur. Est, videt, amat. In æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet. »

§ IV.

Ecclesia mosaica exemplatur juxta christianam Ecclesiam militantem, et hæc juxta triumphantem.

Tres istæ Ecclesiæ sunt diversæ partes universalis Ecclesiæ, quæ complectitur Ecclesiam militantem (patriarchalem, mosaicam, christianam), patientem et triumphantem; unde possunt considerari vel simul, vel separatim. *Si*

spectentur simul, divinam Trinitatem tribus perfectionis gradibus imitantur. *Si autem separatim spectentur*, perfectiores earum apparent ut exemplaria imperfectiorum. Priorem assimilationem jam demonstravimus n.° 456; alteram probabimus ex auctoritate: 1°) Scripturæ; 2°) Patrum; et 3°) Doctorum.

464. — Probatur I. *Ex S. Paulo*, qui docet 1°) Moysem tabernaculum fœderis, et omnia quæ ad Dei cultum pertinebant, disposuisse juxta cœleste exemplar sibi a Deo monstratum in monte Sinai. Dicit enim de sacerdotibus veteris legis, Hebr. 8, v. 4: *Qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium; sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte* (Exod. 25, v. 40).

2°) Docet Ecclesiam mosaicam esse imperfectam et introductoriam ad Ecclesiam christianam, cujus erat figura et umbra. Hebr. 7, v. 19: *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* — Ibid., cap. 10, v. 1: *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum; non ipsam imaginem rerum.* — 1. Cor. 10, v. 6: *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* — Hebr. 9, v. 11, 12, 15: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna Redemptione inventa... Et ideo novi Testamenti Mediator est.*

3°) Docet tabernaculum fœderis fuisse fabricatum juxta exemplar quoddam cœleste, sed Christum introisse in cœlum, quod est verum Dei sanctuarium, et ipsum exemplar tabernaculi mosaici ac ipsius Ecclesiæ christianæ. Hebr. 9, v. 23 et 24: *Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestia his mundari; ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Ibi *exemplaria* proprie ac simpliciter significant *exemplata;* sicut dicit S. Thomas in hunc locum. — Ipsa autem *cœlestia* « dicuntur mundari, inquantum per Sacramenta novæ Legis purgantur peccata, quæ impediunt ab ingressu cœlestium », quemadmodum ibidem inquit doctor angelicus.

465. — Probatur II. *Ex Patribus græcis et latinis.*

1°) S. Dionysius areopagita, S. Pauli discipulus, in cap. 5 de Cœl. hier., § 2, doctrina magistri sui innixus, *distinguit triplicem hierarchiam*, nempe cœlestem, christianam et mosaicam. *Hierarchia cœlestis* est suprema, et initiatio sacrorum mysteriorum fit in ea, modo mere spirituali; *hierarchia mosaica* est infima, et in ea initiatio fit modo mere sensibili; *hierarchia christiana* est media inter utramque, cum in ea initiatio fiat modo spirituali simul et sensibili. — Docet in singulis istis hierarchiis inveniri *trinam actionem hierarchicam*, scilicet purgationem, illuminationem, perfectionem, sive activam, sive passivam, per quam superiora hierarchiæ membra perficiunt, et inferiora ab eis perficiuntur. — Asserit hanc perfectionem, quæ est finis hierarchiæ, *consistere in assimilatione ad divinum Hierarcham unitrinum;* mosaicam hierarchiam esse exemplatam juxta christianam, christianam juxta cœlestem, cœlestem juxta divinum Hierarcham, qui est supremum omnis perfectionis Exemplar. — Denique docet hæc omnia fieri sacra lege analogiæ, quæ intendit pulchritudinem et harmoniam ordinis universi.

Sequentia verba referre sufficiat. Legitur loco præcitato: « Quælibet trium hierarchiæ nostræ *(christianæ)* partitionum, ad similitudinem hierarchiæ legalis *(mosaicæ)*, et ejus quæ nostra hac divinior est *(cœlestis)*, constat primis, et mediis, et infimis gradibus, et sic constituitur virtute sacræ analogiæ, et pulchri universorum ordinis, et harmoniæ in ordine, et unitatis omnia connectantis. » — Item, de Eccl. hier., cap. 6, pars 2, § 5: « Sic enim nostra hierarchia, ordinibus a Deo traditis sancte pulchreque composita, cœlestibus hierarchiis conformis est, cum illius characteres, Deum imitantes ac deiformes retineat, modo hominibus conveniente. »

2°) Clemens Alexandrinus, dicit in Stromat., lib. 6, cap. 13: « In Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriæ angelicæ, et illius œconomiæ ac dispensationum, quam dicunt Scripturæ expectare illos, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ convenienter Evangelio. »

3°) S. Theodorus Studita scripsit in Reformatione poematum ab Iconomachis compositorum, Patrol. gr. T. 99, p. 466: « *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum* (Hebr. 10, v. 1); quibus verbis declarat Apostolus, Legem veterem esse umbram, Legem novam esse figuram, futura bona esse realitatem. *Gregorius item theologus*, congruenter cum Apostolo dixit, Legem et gratiam esse alterum alterius exemplar... Et iterum *sapientissimus Dionysius* alicubi (de Cœl. hier., cap. 1, § 2) dicit: Imaginem exemplaris quod ipsi (Moysi) ostensum est in monte Sinai, appellabat omnia, quæ secundum Legem sacro ritu peragebantur. »

4°) S. Nicephorus, in Apologetica pro sacris imaginib., Patrol. gr., T. 100, p. 774: a) docet

Cherubim in angelica hierarchia esse divino Exemplari unitrino similiores. « Excelsum gradum tenent supermundialium mentium, utpote Deo maxime similes... Supremi Hierarchæ imagines sunt, arcanam et invisibilem lucem in se demonstrantes, et ad divinam Formam, quoad fieri potest, assimilati, et totum divini splendoris radium mirabiliter in se recipientes; idque fiunt per participationem et consequenter, quod est per Essentiam, et principaliter Ille *(Deus)* a quo omnia participant. »

b) Affirmat veterem Legem fuisse a Deo Moysi dispensatam ministerio angelorum, ad quorum ordines Synagoga assimilatur. Ibid., p. 775, de Cherubim dicit: « Quemadmodum absque ullo intermedio ac primitus illuminati *(a Deo)*, ministeria famulantes in cœlestibus exhibent, id beneficos divinæ Providentiæ fluxus communicant cæteris infra se positis: eodem modo, in his quoque terrestribus, divina disponente Providentia, factum est per imitationem illorum *(nemque angelicorum ordinum)*, quibus assimilantur. Hoc a legislatore constitutum est; hac ratione opus illud *(nempe Synagoga)* fuit ordinatum; illic enim visiones is *(Moyses)* excipiebat, qui Dei videndi compos fiebat. »

c) Asserit mosaicam hierarchiam esse exemplatam juxta christianam, cujus umbra tantum est. Ibid., p. 762: « *Lex umbram futurorum bonorum gerens, non propriam rerum imaginem* (Hebr. 10, v. 1), annuis ipsis sacrificiis perpetuo oblatis nunquam potuit oblatores perficere; quare non desinebant offerri. Sed tamen Lex sancta erat, etiamsi suos asseclas perficere non posset, et mandatum sanctum erat, etsi umbram tantum haberet, non autem propriam rerum imaginem. Res vero ipsæ, quarum Lex umbra erat, id est gratia et veritas, quæ per Jesum Christum contigerunt, quid sint, novi Græciæ ethnici obganniunt. »

5°) S. Bernardus de Considerat., lib. 3, cap. 4, n.° 17 et 18, statuit analogiam inter hierarchiam christianam et hierarchiam angelicam. « Monstrum facis... si in Christi corpore *(Ecclesia)* membra aliter locas, quam disposuit ipse; nisi tu putas alium esse *qui potuit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios doctores et pastores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi* (Eph. 4, v. 11 et 12)... Nec vilem reputes formam hanc, quia in terris est; exemplar habet e cœlo; neque enim *Filius potest facere quidquam, nisi quæ viderit Patrem facientem* (Joan. 5, v. 49), præsertim cum ei sub Moysi nomine dictum sit: *Vide omnia facias secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est* (Exod. 25, v. 40). — Viderat hoc qui dicebat: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo paratam.* Ego enim propter similitudinem dictum reor, quod sicut illic Seraphim et Cherubim ac cæteri usque ad angelos et archangelos, ordinantur sub uno Capite Deo, ita hic quoque sub uno Summo Pontifice primates vel patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, presbyteri vel abbates, et reliqui in hunc modum. Non est parvi pendendum, quod et Deum habet Auctorem, et de cœlo ducit originem ».

466. — Probatur III. *Ex Ecclesiæ doctoribus.*

1°) S. Thomas in 1, 2, q. 101 art. 2, docet cultum externum in veteri Lege, fuisse figurativum cultus patriæ cœlestis, et cultus novæ Legis; sed cultum novæ Legis esse completivum cultus mosaici, et figurativum cultus cœlestis: « Sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum. Consistit autem interior cultus in hoc, quod anima conjungatur Deo per intellectum et affectum; et ideo, secundum quod diversimode intellectus et affectus colentis Deum, Deo recte conjungitur, secundum hoc diversimode exteriores actus hominis ad cultum Dei applicantur. »

a) « **In statu enim futuræ beatitudinis,** intellectus humanus ipsam Veritatem in seipsa intuebitur, et ideo exterior cultus non consistet in aliqua figura, sed solum in laude Dei, quæ procedit ex interiori cognitione et affectione, secundum illud Isai. 15: *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* In statu autem præsentis vitæ, non possumus divinam Veritatem in seipsa intueri, sed oportet quod radius divinæ Veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris, sicut Dionysius dicit in cap. Cœl. hier.; diversimode tamen secundum diversum statum cognitionis humanæ. »

b) « **In veteri enim Lege,** neque ipsa divina Veritas in seipsa manifestata erat, neque etiam adhuc propalata erat via ad hoc perveniendi, sicut Apostolus dicit ad Hebr. 7. Et ideo oportebat exteriorem cultum veteris Legis, non solum esse figurativum futuræ Veritatis manifestandæ in patria, sed etiam figurativum Christi, qui est via ducens ad illam patriæ Veritatem. »

c) « **Sed in statu novæ Legis,** hæc via jam est revelata; unde hanc præfigurari non oportet sicut futuram, sed commemorari oportet per modum præteriti vel præsentis; sed solum oportet præfigurari futuram veritatem gloriæ nondum revelatam. Et hoc est, quod Apostolus dicit ad Hebr. 10: *Umbram habet Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Umbra enim minus est quam imago; imago pertinet ad novam Legem, umbra vero ad veterem. »

2°) S. Bonaventura, in Sermonibus 21, 23 de Illuminationibus Ecclesiæ, loquitur ex professo tum de cœlestis hierarchiæ assimilatione ad divinam Trinitatem; tum de hierarchiæ militantis Ecclesiæ assimilatione ad divinam Trinitatem, atque ad cœlestem hierarchiam. Sublimem illam doctrinam infra referemus n.° 828, et sequentibus.

§ V.

Ecclesia variis similitudinibus figuratur.

467. — Figuræ istæ, cujus Ecclesia est typus, seu exemplar, in Scriptura sacra et Patribus frequenter inveniuntur. Satis nobis erit indicare præcipuas Bibliorum figuras, et eas, quas acutissimum ac fecundissimum S. Augustini ingenium vel in Scriptura repertas evolvit, vel per se perspexit. Brevitatis causa non indicabimus nisi numerum Tomorum et paginarum editionis Migne, quæ in plerisque bibliothecis possidetur.

Ecclesiæ figuras dividemus in tres classes, secundum quod desumuntur: 1°) ex ordine sociali; 2°) ex personis; 3°) ex rebus irrationalibus.

I. **Ecclesiæ figuræ ex ordine sociali desumptæ.**

Figuræ istæ sunt completiores, cum ipsa Ecclesia sit in genere societatis.

1°) Itaque passim in Scriptura et Patribus assimilatur regno et vocatur regnum T. 34, p. 821. — Regnum Dei, T. 41, p. 671. — Regnum Christi, T. 40, p. 76. — Regnum cœlorum, ibid., p. 409.

2°) Similiter appellatur Civitas Dei, T. 36, p. 533, 534, 680 et T. 41, p. 387, 585. — Civitas supra montem posita, quæ abscondi non potest, T. 36, p. 680. — Civitas Regis magni, Sion, Jerusalem, T. 36, p. 70, 122; T. 37, p. 1107; T. 41, p. 550. — Jerusalem nova descendens de cœlo, T. 41, p. 682.

3°) Vocatur populus Israel secundum spiritum, T. 42, p. 628.

II. **Ecclesiæ figuræ ex personis desumptæ.** Post primas sunt pleniores, cum Ecclesia personis, seu membris rationalibus, componatur.

1°) In genere, notissima est *corporis humani comparatio*, quam adhibet Apostolus, Rom. 12, v. 5; — 1. Cor. 12, v. 12-31; — Eph. 1, v. 23, cap. 4, v. 4, 15 et 16; — Colos. 1, v. 18, et cap. 2, v. 19. Ecclesia enim est corpus morale, quod hominibus constat tanquam materia, gratia tanquam forma, et cujus Caput est ipse Christus, a quo gratia et gloria in cætera membra dimanat.

2°) In veteri Testamento, Ecclesia figuratur per *Hevam*, T. 34, p. 215. — Item, in Epistola ad Galat., 4, v. 22-31, comparatur *Saræ*, et Synagoga assimilatur ad *Agar*. — A S. Augustino comparatur *Rebeccæ*, T. 37, p. 1673 et T. 38, p. 38. — A S. Gregorio, Moral., lib. 6, cap. 26, Ecclesia militans et activa assimilatur *Liæ* fecundæ, sed oculis lippæ; Ecclesia triumphans in requie vitæ contemplativæ, assimilatur pulchræ *Rachel*, cujus nomen interpretatur *Principium visum*. — Figuratur per *filiam Jephte*, T. 34, p. 823; per *Samson*, inquantum persecutiones fortiter sustinet, T. 37, p. 1126; per *matrem Machabæorum*, T. 38, p. 1380. — Ecclesia christiana et Synagoga figurantur per *duas mulieres, coram Salomone* de filio litigantes, T. 38, p. 92.

3°) In novo Testamento, Ecclesia militans et laborans figuratur per *Martham*; Ecclesia triumphans, et in æterna requie Deum contemplans, figuratur per *Mariam*, Marthæ sororem, T. 35. p. 1341. — Per *Chananæam*, T. 38, p. 486, 487, 544. — Per *hemorrhoissam*, T. 34, p. 820, et T. 35, p. 1641. — Per *Magdalenam*, dum Christum ungit, T. 36, p. 171; et dum a Christo resuscitato audit: *Noli me tangere*, T. 38, p. 58, 1144, 1153. — Per *Petrum*, T. 38, p. 479, 802, 1348, 1350.

III. **Ecclesiæ figuræ ex rebus irrationalibus desumptæ.**

1°) Ex rebus cœlestibus. Ecclesia comparatur cœlo materiali, T. 34, p. 834. — Soli, T. 36, p. 161 et T. 40, p. 692. — Lunæ et stellis, T. 33, p. 919. — Appellatur firmamentum, T. 36, p. 532 et 533. — Comparatur fulguri, T. 35, p. 1330.

Justi, firmi et spirituales in Ecclesia, stellis assimilantur; peccatores, debiles et carnales, per arenam maris figurantur, T. 33, p. 336.

2°) Ex montium firmitate et altitudine. Ecclesia est mons, T. 36, p. 70, 478, 533; T. 38, p. 265.

Ecclesia est mons sanctus Dei, T. 34, p. 442.

Figuratur per montem Pharan, Id., p. 775.

Ecclesia est petra, T. 34, p. 885.

3°) Ex aqua, navigatione et piscatione. Ecclesia figuratur per diluvium, T. 37, p. 1354. — Per arcam Noe, T. 36, p. 115; T. 37, p. 1103; T. 38, p. 1206; T. 43, p. 196, 397, 632. Sicut arca Noe, Ecclesia fluctuat in hac vita, T. 33, p. 847. Justi in ea custodiuntur, T. 36, p. 214.

Ecclesia navi comparatur, T. 37, p. 1188. Est navis tempestate jactata, T. 38, p. 415.

Ecclesia est rete in mare missum, T. 43, p. 25. — Figuratur in piscatione, ante et post passionem Christi, T. 38, p. 1158, 1164, 1167, 1181; T. 43, p. 196, 397, 632.

4°) Ex agricultura. Ecclesia figurata est per paradisum terrestre, T. 34, p. 207, 442, 478, 482; T. 36, p. 539; T. 41, p. 395.

Ecclesia est ager, T. 38, p. 46. — Est ager Dei, T. 37, p. 1744; T. 40, p. 685. — Ager Domini primum spinosus, Ibid., p. 688. — Ager Dei postea fructuosissimus, T. 34, p. 926. — Ager sanguine Christi irrigatus, T. 40, p. 688.

Ecclesia est area, T. 38, p. 119, 1174. — Area quæ paleam continet et frumentum, T. 36, p. 109 et 115.

Ecclesia tota est una arbor, T. 37, p. 1743. — Per totum mundum crescit et fructificat, T. 43, p. 616.

Ecclesia cum vite comparatur, T. 35, p. 1990. — Quasi vitis pullulat et putatur, T. 40, p. 341. — Torculari comparatur, T. 38, p. 121. — Ecclesia habet torcularia, T. 36, p. 109, et T. 27, p. 1056.

5°) Ex gregibus et animalibus. Ecclesia est ovile Christi, T. 35, p. 1721. — Est stabulum, T. 38, p. 752. — Figurata est per bovem et asinum ad præsepe Domini, T. 38, p. 1006 et 1037.

Ecclesia per cervas exprimitur, T. 34, p. 880.

Ecclesia est columba deargentata, T. 36, p. 823. — Turturi comparatur, T. 37, p. 1300.

6°) Ex architectura. Ecclesia militans est tabernaculum Dei, Ecclesia triumphans est domus Dei, T. 36, p. 252, 469; T. 37, p. 1720. — Est tabernaculum, seu castra Dei contra hæreses, schismata, etc., T. 36, p. 252 et 253. — Domus Dei ædificatio et dedicatio, T. 39, p. 1471, 1476.

Ecclesia est templum divinæ Trinitatis, T. 40, p. 259. — Ecclesia, in Symbolo fidei, recte subjungitur Trinitati, tanquam domus habitatori, T. 40, p. 258. — Ecclesia est supremi Regis templum, cujus vivi lapides sunt fideles Christi, charitatis cæmento adunati, ita ut ædificium non sit discissum, nec ruinosum, T. 36, p. 512.

Ecclesia est sanctum Domini atrium, T. 37, p. 1233.

7°) Ex vestimentis. Ecclesia figuratur in veste Jacob., T. 38, p. 46.

In veste summi Sacerdotis, T. 34, p. 687; T. 37, p. 1734.

In tunica Christi inconsutili, quæ unitatem significat et charitatem, T. 35, p. 1499, 1949; T. 36, p. 176; T. 38, p. 149, 1086 et 1222.

In vestimentis Christi transfigurati, T. 38, p. 490.

Quomodo Ecclesiæ vestitus est varius et deauratus, T. 36, p. 509.

INDEX SECUNDÆ PARTIS
IN QUA PROBATUR DIVINUS EXEMPLARISMUS EX SCRIPTURA SACRA, TRADITIONE ET RATIONE.

Divisio hujus Partis in quinque Libros.

LIBER PRIMUS.
PROBATUR TRINUS ORDO EXEMPLARIS.

Libri partitio in tria Capita.

CAPUT I.
Probatur existentia et perfectio primæ ac trinæ Causæ omnis ordinis creati.

Hæc probatio constat quatuor Propositionibus.

PROPOSITIO I. - EXISTIT PRIMA MUNDI CAUSA EFFICIENS, EXEMPLARIS ET FINALIS, QUÆ DEUS EST.

Prænotanda. - Quid sit de fide circa hujus Causæ existentiam et notitiam . pag. 155

ARGUMENTUM I. - *Ex S. Scriptura* . . . » 156

§ I. Dei existentia naturaliter a nobis cognoscitur ex creaturis sensibilibus. » 156

§ II. Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis . . » 156

§ III. Deus omnia effecit ex nihilo . . » 157

ARGUMENTUM II. - *Ex sanctis Patribus* . » 157

§ I. Probatur Dei existentia ex miro ejus opificio . . . . . » 157

§ II. Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis . . » 158

§ III. Deus est supremus mundi Artifex et Creator . . . . . » 159

ARGUMENTUM III. - *Ex catholicis doctoribus.* » 159

§ I. Probatur ex S. Thoma . . . . . » 159

§ II. Probatur ex S. Bonaventura. . . » 161

§ III. Probatur ex B. Alberto Magno . » 163

ARGUMENTUM IV. - *Ex paganis philosophis.* » 163

§ I. Generalis sapientium ethnicorum doctrina de Dei existentia et causalitate . . . . . » 163

§ II. Platonica doctrina de Dei existentia et causalitate . . . . . » 164

§ III. Aristotelica doctrina de Dei existentia et causalitate . . . . . » 166

§ IV. Ethnicorum doctrina de rerum causis, juxta Senecam. . . . . » 169

PROPOSITIO II. - DEUS EST FORMA SIMPLICISSIMA.

ARGUMENTUM I. - *Ex S. Scriptura* . . pag. 170

ARGUMENTUM II. - *Ex sanctis Patribus* . » 170

ARGUMENTUM III. - *Ex sanctis Ecclesiæ Doctoribus* . . . . . » 171

§ I. Probatur ex S. Thoma . . . . . » 172

§ II. Probatur ex S. Bonaventura. . . » 173

ARGUMENTUM IV. - *Ex paganis philosophis.* » 173

§ I. Probatur ex Platone . . . . . » 173

§ II. Probatur ex Aristotele . . . . . » 174

PROPOSITIO III. - IN DIVINA FORMA, VIRTUALIS DISTINCTIO ADMITTENDA EST INTER IPSAM EJUSQUE ATTRIBUTA ET RELATIONES, ATQUE INTER ATTRIBUTA INVICEM COMPARATA.

§ I. Inter prædicta admitti non potest distinctio realis. . . . . » 175

§ II. Inter prædicta admitti debet distinctio virtualis . . . . . » 175

PROPOSITIO IV. - DEUS EST FORMA PERFECTA INFINITE.

ARGUMENTUM I. - *Ex S. Scriptura et Patribus* . . . . . » 177

ARGUMENTUM II. - *Ex S. Thoma.* . . . » 178

§ I. Deus est perfectus. . . . . » 178

§ II. Deus est infinite perfectus. . . . » 178

§ III. Deus in se continet omnium rerum perfectiones . . . . . » 179

ARGUMENTUM III. - *Ex paganis philosophis.* » 180

CAPUT II.
Probatur existentia et mysterium trium personarum in unitate supremæ Causæ.

Prænotanda . . . . . pag. 181

PROPOSITIO I. - TRES SUNT IN DEO PERSONÆ REALITER DISTINCTÆ.

ARGUMENTUM I. - *Ex S. Scriptura* . . . » 181

§ I. Dogma divinæ Trinitatis obscure in veteri Testamento indicatur . . » 181

§ II. Dogma divinæ Trinitatis lucidissime in novo Testamento exprimitur . » 183

ARGUMENTUM II. - *Ex traditione* . . . » 183

§ I. Probatur ex Patribus antenicænis . » 183

§ II. Probatur ex aliis monumentis ecclesiasticis . . . . . » 184

PROPOSITIO II. - Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus.

Argumentum I. - *Ex S. Scriptura* . . . pag. 185
Argumentum II. - *Ex traditione*. . . . » 186

PROPOSITIO III. - Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt unus ac singularis Deus.

Argumentum I. - *Ex S. Scriptura et Patribus*. . . . . » 187
Argumentum II. - *Ex rationibus theologicis.* » 187

PROPOSITIO IV. - Inter personas divinas existit æqualis Ordo originis, cujus principium est Pater, medium Filius et terminus Spiritus sanctus.

Probatur ex S. Thoma. . . . . » 188
§ I. Tres personae sunt coæquales dignitate et coæternæ . . . . . » 188
§ II. Inter personas divinas existit Ordo naturæ seu originis, sine ulla prioritate dignitatis vel temporis . . » 188
§ III. Pater est Principium Ordinis naturæ divinæ . . . . . » 189
§ IV. Filius est medium Ordinis naturæ divinæ. . . . . » 189
§ V. Spiritus sanctus est terminus Ordinis naturæ divinæ . . . . . » 190
§ VI. Æqualis Ordo divinæ naturæ non potest a creaturis repræsentari nisi inæqualiter . . . . . » 190

PROPOSITIO V. - Ratio humana non potest aliquam contradictionem ostendere in mysterio divinæ Trinitatis.

§ I. *Argumenta positiva* . . . . . » 191
I. Argumenta extrinseca . . . . . » 191
II. Argumentum intrinsecum . . . . » 191
§ II. Solvuntur apparentes contradictiones » 192
Refutantur sex objectiones . . . . . » 192

PROPOSITIO VI. - Ratio humana non potest demonstrare mysterium SS. Trinitatis.

§ I. Ratio humana, sine divina revelatione, non potest cognoscere vel demonstrare Trinitatem personarum in Deo . . . . . » 193
§ II. Etiam supposita revelatione, mysterium Trinitatis personarum stricte demonstrari nequit . . . . » 196

PROPOSITIO VII. - Supposita revelatione, mysterium SS. Trinitatis potest congruenter suaderi et illustrari.

§ I. Mysterium Trinitatis suadetur multis rationibus convenientiæ . . . . » 197
§ II. Mysterium Trinitatis aliquatenus illustratur multis analogiis et doctrina divini Exemplarismi. . . » 199

—

CAPUT III.

Probatur causalitas divinæ Trinitatis.

Prænotanda . . . . . pag. 200

PROPOSITIO I. - Tota Trinitas est suprema omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis.

Argumentum. - *Ex S. Scriptura et Patribus* » 200

PROPOSITIO II. - Tota Trinitas omnia causat per divinum intellectum et voluntatem, quæ in divinis processionibus includuntur.

Probatur ex S. Thoma. . . . . » 203

PROPOSITIO III. - Nomen Verbi importat relationem ad creaturas.

Probatur ex S. Thoma. . . . . » 204

—

LIBER SECUNDUS.

PROBATUR TRINUS ORDO EXEMPLARIUM IN MENTE DIVINA.

—

Proœmium. - Trinus ille ordo constat:
1°) æternis ideis; 2°) æterna Lege;
3°) æterna prædestinatione . . . pag. 205

CAPUT I.

Probantur æternæ Dei Ideæ.

PROPOSITIO I. - Sunt in Mente divini Artificis ideæ, juxta quas omnia opificia sua producit.

Argumentum I. - *Ex S. Scriptura* . . . » 206
§ I. Probatur ex veteri Testamento . . » 206
§ II. Probatur ex novo Testamento . . » 207
Argumentum II. - *Ex Patribus* . . . . » 209
§ I. Ex Patribus græcis . . . . . » 209
§ II. Ex Patribus latinis . . . . . » 211
Argumentum III. - *Ex doctoribus catholicis.* » 212
I. Ex S. Anselmo . . . . . » 212
II. Ex Ruperto . . . . . » 213
III. Ex Hugone Victorino . . . . . » 214
IV. Ex Petro Lombardo . . . . . » 214
V. Ex B. Alberto Magno . . . . . » 214
VI. Ex S. Thoma . . . . . » 215
VII. Ex Alexandro Aleusi . . . . . » 216
VIII. Ex S. Bonaventura . . . . . » 217
IX. Ex Scoto . . . . . » 217
X. Ex aliis auctoribus . . . . . » 218
Argumentum IV. - *Ex paganis philosophis.* » 218
I. Ex Platone . . . . . » 218
II. Ex Cicerone. . . . . » 218
III. Ex Seneca . . . . . » 219
IV. Ex Philone . . . . . » 219
V. Ex Plotino . . . . . » 219

PROPOSITIO II. - Divinæ ideæ sunt plures, et sunt suprema Ratio trini ordinis universi mundi.

§ I. Divinæ ideæ sunt plures . . . . pag. 220

Probatur I. Ex S. Thoma. . . . . » 220
Probatur II. Ex S. Bonaventura . . » 222
Probatur III. Ex Suaresio . . . . » 223

§ II. Divinæ ideæ sunt suprema Ratio trini ordinis universi mundi . . » 223

Probatur I. Ex S. Scriptura, S. Augustino et S. Thoma . . . . . » 223
Probatur II. Ex præcedentibus . . . » 224
Probatur III. Ex toto Dei opificio . » 225

—

CAPUT II.

Probatur Lex Dei æterna.

Prænotanda. - De notione Legis æternæ . » 225

PROPOSITIO I. - In divina Mente existit Lex æterna, juxta quam omnes creaturæ gubernantur.

Argumentum I. - *Ex S. Scriptura* . . . » 226

Argumentum II. - *Ex Patribus* . . . . » 226

Argumentum III. - *Ex S. Thoma* . . . » 228

§ I. Probatur existentia æternæ Legis in genere . . . . . » 228

§ II. Creaturæ mere materiales subsunt ordinationi Legis æternæ . . . » 228

§ III. Cunctæ res humanæ subjiciuntur Legi æternæ . . . . . » 229

Argumentum IV. - *Ex paganis philosophis.* » 229

I. Ex Platone . . . . . » 229
II. Ex veteribus traditionibus ab Aristotele relatis. . . . . » 230
III. Ex Cicerone . . . . . » 231
IV. Ex Plotino . . . . . » 231

PROPOSITIO II. - Omnis lex ab æterna Dei Lege derivatur.

Argumentum. - *Ex S. Thoma* . . . . » 231

—

CAPUT III.

Probantur æterna Dei prædestinatio et reprobatio.

Prænotanda. - De notione prædestinationis et reprobationis . . . . . pag. 232

Divisio Capitis in quinque Propositiones.

PROPOSITIO I. - Divinum existit decretum, juxta quod ab æterno omnes illi ad gratiam et gloriam prædestinantur, qui hanc aliquando consecuturi sunt.

Argumentum I. - *Ex S. Scriptura* . . . » 233

Argumentum II. - *Ex Patribus* . . . . » 234

Argumentum III. - *Ex S. Thoma* . . . » 234

PROPOSITIO II. - Decretum prædestinationis nostræ infallibiliter Deo certum est, nobis autem infallibiliter incertum.

§ I. Prædestinatio infallibiliter certa est ex parte Dei . . . . . pag. 235

§ II. Prædestinatio infallibiliter incerta est ex parte nostra. . . . . » 235

PROPOSITIO III. - Christus prædestinatus est Filius Dei personaliter ut homo, ac gratuito, et ejus prædestinatio est quodammodo causa prædestinationis nostræ.

Probatur ex S. Thoma . . . . . » 236

§ I. Christus prædestinatus est Filius Dei personaliter . . . . . » 236

§ II. Christus prædestinatus est Filius Dei, secundum quod homo . . . . . » 237

§ III. Christus prædestinatus est gratuito. » 237

§ IV. Christi prædestinatio est aliquo modo causa nostræ prædestinationis » 237

I. Est aliquo modo causa exemplaris. » 237
II. Est aliquo modo causa efficiens . » 238

PROPOSITIO IV. - B. V. Maria fuit prædestinata ad Maternitatem divinam, atque ad omnia dona huic dignitati consentanea.

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . . » 238

Probatur II. Ex Patribus. . . . . » 238

Probatur III. Ex catholicis doctoribus. » 239

Probatur IV. Ex ratione theologica. . » 239

PROPOSITIO V. - Divinum existit reprobationis positivæ decretum, quod est hypotheticum, seu ex prævisione peccati conceptum.

Argumentum I. - *Ex S. Scriptura* . . . » 240

§ I. Afferuntur Scripturæ testimonia. . » 240

§ II. Refelluntur objectiones ex Scriptura desumptæ . . . . . » 240

Argumentum II. - *Ex Ecclesiæ Patribus et Doctoribus* . . . . . » 241

§ I. Probatur ex Patribus. . . . . » 241

§ II. Probatur ex catholicis doctoribus . » 243

§ III. Refutantur objectiones ex S. Augustino et S. Thoma desumptæ . . » 244

Argumentum III. - *Ex rationibus theologicis* » 245

§ I. Probatur propositio . . . . . » 245

§ II. Refutantur objectiones ex ratione desumptæ . . . . . » 246

LIBER TERTIUS.

PROBATUR TRINUS MAJORIS MUNDI ORDO EXEMPLATUS ET PECCATO TURBATUS.

—

Libri divisio in duo Capita.

CAPUT I.

Probatur trinus ordo majoris mundi, juxta trinum Dei Ordinem exemplatus.

Hoc Caput continet quinque Propositiones.

PROPOSITIO I. - CREATURÆ POSSUNT ET DEBENT ESSE DEO SIMILES ANALOGICE.

Probatur ex S. Thoma. . . . . pag. 248

§ I. Creaturæ sunt Deo similes non specifice, nec generice, sed analogice. » 248

§ II. Creaturæ sunt similes divinæ Bonitati exemplari per propriam formam sibi intrinsecam. . . . » 249

PROPOSITIO II. - OMNES CREATURÆ DEBENT ESSE DEO UNITRINO SIMILES ANALOCICE PER MODUM VESTIGII; SPIRITUALES AUTEM CREATURÆ SUNT EI SIMILES PER MODUM IMAGINIS.

§ I. Integra propositio demonstratur ex S. Thoma . . . . . » 250

§ II. Referuntur varia Trinitatis vestigia a Doctoribus tradita . . . . . » 251

I. A S. Augustino . . . . . » 251
II. A Petro Lombardo . . . . . » 252
III. A B. Alberto Magno . . . . . » 252
IV. A S. Thoma. . . . . » 254
V. A S. Bonaventura. . . . . » 254

PROPOSITIO III. - OMNIUM CREATURARUM PLURALITAS ET INÆQUALITAS, SEU GRADATIO, ORDINANTUR AD DIVINAM BONITATEM IMITANDAM.

ARGUMENTA desumuntur ex S. Thoma . . » 256

§ I. Probatur ex Summa theologica . . » 256

I. Creaturarum pluralitas a Deo ordinata est ad sui imitationem . . » 256
II. Creaturarum inæqualitas a Deo ordinata est ad sui imitationem . . » 256

§ II. Probatur ex Summa contra Gentiles. » 257

PROPOSITIO IV. - OMNES SIMUL CREATURÆ UNO AC TRINO ORDINE IN MUNDO DISPONUNTUR.

§ I. Probatur mundi unitas . . . . . » 260

§ II. Probatur mundi trinitas . . . . » 260

I. Trina mundi partitio probatur ex rationibus convenientiæ . . . . » 261
II. Trina mundi physici partitio probatur ex auctoritate . . . . . » 262

PROPOSITIO V. - PRINCIPALIS ET INFALLIBILIS EFFECTUS GUBERNATIONIS MUNDI EST OMNIUM RERUM ASSIMILATIO AD DEUM JUXTA IPSARUM NATURAM.

Probatur ex S. Thoma . . . . . pag. 262

§ I. Principalis effectus gubernationis mundi est creaturarum assimilatio ad Deum . . . . . » 263

§ II. Omnes penitus creaturæ gubernantur ad bonum, seu ad divinam assimilationem . . . . . » 263

§ III. Omnes creaturæ ad divinam assimilationem gubernantur juxta suam naturam, in ordine physico et in ordine morali . . . . . » 264

§ IV. Creaturæ, inquantum sunt causæ secundæ, Deo assimilantur. . . . » 264

§ V. Omnes creaturæ infallibiliter gubernantur ad bonum universale; non autem semper creata voluntas infallibiliter gubernatur ad bonum particulare. . . . . » 265

§ VI. Nihil evenire potest contra generalem gubernationis divinæ ordinem, nec totius mundi bonum impedire. » 265

—

CAPUT II.

Probatur primum peccatum, ordinis turbatio ab eo secuta, et ipsius mali ab bonum ordinatio a Deo.

Hoc Caput continet quatuor Propositiones.

PROPOSITIO I. - MULTI ANGELI PECCAVERUNT OBSTINATE.

Probatur ex Scriptura et ex S. Thoma . pag. 266

PROPOSITIO II. - PRIMUS HOMO GRAVITER PECCAVIT, ET PECCATUM EJUS AD POSTEROS TRANSMITTITUR.

§ I. Protoparentes peccaverunt graviter. » 267

Probatur ex S. Scriptura et ratione . » 267

§ II. Adæ peccatum in posteros ejus transmittitur . . . . . » 268

Probatur I. Ex S. Scriptura . . . . » 268
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 268
Probatur III. Ex rationibus theologicis. » 270

PROPOSITIO III. - PECCATUM EX PARTE TURBAVIT PRIMITIVUM ORDINEM A CREATORE INSTITUTUM.

Explicatur Propositio . . . . . » 270

§ I. Omne peccatum in parte privat peccantem modo, specie et ordine . » 270

Probatur ex S. Thoma . . . . . » 270

§ II. Omne peccatum est moralis inordinatio, inquantum est actus Legi æternæ contrarius. . . . . » 271

Probatur ex S. Thoma . . . . . » 271

§ III. Mors, aliique corporis defectus et inordinationes, sunt effectus peccati originalis . . . . . pag. 271
Probatur I. Ex S. Scriptura . . . . » 271
Probatur II. Ex S. Thoma . . . . » 272
§ IV. Homo per peccatum amisit dominium, quod in omnes creaturas materiales exercebat . . . . . » 272
Probatur ex S. Thoma . . . . . » 272
PROPOSITIO IV. - IPSUM MALUM CULPÆ ET PŒNÆ ORDINATUR AD TOTIUS MUNDI PERFECTIONEM, ATQUE AD DEI GLORIAM.
ARGUMENTUM I. - *Ex S. Augustino* . . . » 273
§ I. Deus peccatum non vult, sed permittit, et ordinat ad bonum . . » 273
§ II. Peccatum et ejus poena ordinantur ad manifestandas Dei perfectiones in perfectione totius mundi. . . » 274
§ III. Peccata propria et aliena, necnon pœnæ temporales, ordinantur ad electorum perfectionem et salutem. » 274
§ IV. Divinæ Providentiæ ordo complectitur bona et mala, ita ut nihil ei apponatur . . . . . » 274
ARGUMENTUM II. - *Ex S. Thoma* . . . » 275
§ I. Probatur ex Summa theologica . . » 275
§ II. Probatur ex Summa contra Gentiles . . . . . » 276

LIBER QUARTUS.

PROBATUR TRINUS MINORIS MUNDI, SEU HOMINIS, ORDO EXEMPLATUS.

Libri partitio in tria Capita.

CAPUT I.

Probatur quod homo est minor mundus, juxta Deum unitrinum exemplatus.

Hoc Caput continet duas Propositiones.

PROPOSITIO I. - HOMO EST MINOR MUNDUS, SEU MAJORIS MUNDI COMPENDIUM.
Probatur I. Ex Patribus . . . . . pag. 278
I. Ex Patribus græcis . . . . . » 278
II. Ex Patribus latinis . . . . . » 279
Probatur II. Ex doctoribus catholicis . » 281
I. Ex Hugone Victorino . . . . . » 281
II. Ex S. Thoma . . . . . » 281
III. Ex S. Bonaventura . . . . . » 282
IV. Ex Joanne Gerson . . . . . » 282
V. Ex S. Laurentio Justiniano . . . » 282
VI. Ex S. Francisco Salesio . . . . » 282
VII. Ex Dionysio Carthusiano . . . . » 283
Probatur III. Ex paganis philosophis . » 283
I. Ex Platone . . . . . » 283
II. Ex Cicerone . . . . . » 283
PROPOSITIO II. - HOMO, INQUANTUM EST MINOR MUNDUS, EST SIMUL VESTIGIUM ET IMAGO DIVINÆ TRINITATIS.
Probatur I. Ex S. Thoma . . . . . pag. 283
Probatur II. Ex S. Bonaventura . . . » 285

CAPUT II.

Probatur modus, quo homo est secundum mentem imago divinæ Trinitatis.

Prænotanda. - Hujus doctrinæ fundamentum in S. Scriptura et Patribus invenitur. Nunc quatuor Propositiones probabimus ex S. Thoma . pag. 286
PROPOSITIO I. - IMAGO DEI IMPERFECTE INVENITUR IN HOMINE, ET QUIDEM IN OMNI HOMINE, ETIAM SECUNDUM TRINITATEM PERSONARUM.
§ I. Imago Dei in homine invenitur imperfecte . . . . . » 286
§ II. Imago Dei aliquo modo invenitur in omni homine . . . . . » 286
§ III. In omni homine invenitur Dei imago, etiam secundum Trinitatem personarum. . . . . » 287
PROPOSITIO II. - IMAGO DEI EST SIMPLICITER PERFECTIOR IN ANGELO QUAM IN HOMINE, SED SECUNDUM QUID, EST PERFECTIOR IN HOMINE QUAM IN ANGELO.
I. Probatur ex ratione . . . . . » 288
II. Solvuntur objectiones . . . . . » 288
PROPOSITIO III. - IMAGO DEI IN RATIONALI CREATURA ATTENDITUR PRÆSERTIM SECUNDUM ACTUS INTELLECTUS ET VOLUNTATIS AD DEUM RELATOS.
§ I. Attenditur primario secundum actus verbi et amoris, et secundario secundum potentias ac præcipue habitus . . . . . » 289
§ II. Attenditur præsertim secundum prædictos actus ad Deum relatos . . » 290
PROPOSITIO IV. - CONVENIENTER IN HOMINE DISTINGUUNTUR DEI IMAGO ET SIMILITUDO.
I. Probatur ex ratione . . . . . » 291
II. Solvuntur objectiones . . . . . » 291

CAPUT III.

Probatur Deum esse supremum hominis Exemplar in ordine intellectuali et morali.

Prænotanda. - Divina Trinitas est supremum hominis Exemplar, non solum in ordine physico, sed etiam in ordine intellectuali ac morali, tam naturali quam supernaturali . . pag. 292

PROPOSITIO I. - Homo debet Deum libere imitari in naturali ordine intellectuali et morali.

Probatur ex philosophis platonicis . . pag. 292
I. Ex ipso Platone . . . . . » 293
II. Ex Plotino . . . . . » 293
1°) De Pulchro divino, contemplationis nostræ centro . . . . . » 293
2°) De divina Sapientia seu Arte, quam imitantur omnes humanæ artes . . . . . » 293
3°) De divinis virtutibus exemplaribus ab homine imitandis . . . » 294
III. Ex Porphyrio . . . . . » 294
IV. Ex Proclo . . . . . » 294
V. Ex Seneca, qui in puncto probando Platonicis consentit. . . . . » 294

PROPOSITIO II. - Homo debet Deum imitari, etiam in supernaturali ordine intellectuali et morali.

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . . » 294
Probatur II. Ex Patribus . . . . . » 295
I. Ex locis in quibus interpretantur textum Genes. 1, v. 28: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* . . . . . » 295
II. Ex aliis locis, in quibus probandam propositionem aperte docent . . » 296
Probatur III. Ex Doctoribus. . . . . » 298
I. Ex S. Thoma . . . . . » 298
II. Ex Dionysio Carthusiano . . . . » 298
III. Ex Bossueto . . . . . » 299
Probatur IV. Ex rationibus theologicis . » 299

LIBER QUINTUS.

PROBATUR TRINUS ORDO UNIONIS HYPOSTATICÆ ET ECCLESIÆ UNIVERSÆ.

Proœmium et Libri divisio in quatuor Capita.

CAPUT I.

Probatur trinus ordo unionis hypostaticæ.

Hoc Caput continet septem Propositiones, quarum quinque primæ ad Christum pertinent, et duæ ultimæ ad B. V. Mariam atque ad S. Josephum.

PROPOSITIO I. - Christus est vêrus homo.

Christi divinitas superius probata est p. 185 et 186.

§ I. *Probatur Christi humanitas in genere* pag. 300
Probatur I. Ex S. Scriptura . . . . » 300
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 301
Probatur III. Ex ratione theologica . » 301
§ II. *Verbum divinum assumpsit verum corpus humanum* . . . . . » 301
Probatur I. Ex S. Scriptura . . . . » 301
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 302
Probatur III. Ex ratione theologica . » 302
§ III. *Verbum divinum assumpsit veram et integram animam humanam* . . pag. 303
Probatur I. Ex S. Scriptura . . . . » 303
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 303
Probatur III. Ex rationibus theologicis » 304

PROPOSITIO II. - Natura divina et natura humana in Christo unitæ sunt in unica Verbi persona.

Probatur I. Ex Scriptura. . . . . » 304
I. Argumentum negativum . . . . » 304
II. Argumentum positivum. . . . . » 305
Probatur II. Ex Patribus, ... » 305
I. Græcis . . . . . » 305
II. Latinis. . . . . » 305
Probatur III. Ex rationibus theologicis . » 305

PROPOSITIO III. - Natura divina et natura humana in Christo manserunt distinctæ ac integræ post suam unionem.

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . . » 306
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 307
Probatur III. Ex rationibus theologicis . » 307

PROPOSITIO IV. - Duplex est in Christo voluntas et operatio.

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . . » 308
Probatur II. Ex Patribus. . . . . » 309
I. Argumentum directum . . . . . » 309
II. Argumentum indirectum . . . . » 309
Probatur III. Ex rationibus theologicis. » 309

PROPOSITIO V. - Christus Deus-Homo, est medium universum, in quo conveniunt Ordo increatus et totus ordo creatus.

§ I. *Omnia in Jesu Chsisto recapitulantur* » 310
Probatur ex S. Scriptura et Patribus græcis atque latinis . . . . . » 310
§ II. *Omnia in Christo instaurantar, quæ peccato collapsa erant* . . . . » 312
Probatur ex S. Scriptura et Patribus . » 312

PROPOSITIO VI. - B. Maria est mater Christi, semper virgo, vere Deipara, atque ut talis pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ.

§ I. *B. Maria est vera Christi Mater et semper Virgo* . . . . . » 313
I. B. Maria Christum ex sua substantia concepit. . . . . » 313
Probatur ex S. Scriptura et Patribus. » 313
II. B. Maria est semper virgo . . . » 314
1°) Christum virgo concepit et virgo genuit . . . . . » 314
Probatur ex S. Scriptura, Patribus et rationis theologicis . . . . . » 314
2°) B. Maria post partum virgo permansit . . . . . » 316
Probatur ex S. Scriptura, Patribus et rationibus theologicis . . . . . » 316

§ II. *B. V. Maria vere ac proprie Deipara vocatur et est* . . . . . pag. 317

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . » 317
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 318
Probatur III. Ex ratione theologica . » 318

§ III. *B. V. Maria, inquantum est Deipara, pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ* . . . . . » 319

I. Concluditur ex doctrina Patrum . » 319
II. Solvitur objectio . . . . . » 320

PROPOSITIO VII. - S. JOSEPH EST VIR MARIÆ, PATER CHRISTI, ET ALIQUO MODO PERTINET AD ORDINEM UNIONIS HYPOSTATICÆ.

§ I. *S. Joseph est vere vir Mariæ, non obstante virginitatis voto emisso ab utroque* . . . . . » 321

I. S. Joseph cum Maria contraxit verum matrimonium ratum. . . . » 321
Probatur ex S. Scriptura, Patribus et ratione theologica . . . . . » 321
II. Matrimonio Josephi et Mariæ non obfuit votum virginitatis ab utroque emissum . . . . . » 322
Probatur ex S. Augustino et ex S. Thoma. » 322

§ II. *S. Joseph est pater Jesu Christi* . » 323

Probatur ex S. Scriptura et S. Augustino . . . . . » 323

§ III. *S. Joseph aliquo modo pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ* . . » 325

Probatur I. Ex auctoritate theologorum. » 325
Probatur II. Ex rationibus theologicis. » 327

Refutantur objectiones . . . . . » 328

CAPUT II.

Probatur trinus ordo Ecclesiæ militantis, patientis et triumphantis.

Hoc Caput continet quatuor Propositiones, in quibus demonstrabimus trinæ Ecclesiæ existentiam, et unitatem in Communione Sanctorum.

PROPOSITIO I. - ECCLESIA MILITANS EXISTIT IN TERRA, EX CHRISTI INSTITUTIONE.

Prænotanda. - Ecclesia christiana, quæ successit Ecclesiæ patriarchali et Ecclesiæ judaicæ, est perfectus status Ecclesiæ militantis in terra. . . pag. 330

Ejus existentia *Probatur I.* Ex veteris Testamenti vaticiniis . . . . . » 330
Probatur II. Ex verbis Christi . . . » 331
Probatur III. Ex factis Christi . . . » 331
Probatur IV. Ex verbis Apostoli . . . » 331
Probatur V. Ex historia . . . . . » 332
Probatur VI. Ex rationibus convenientiæ. » 332

PROPOSITIO II. - EXISTIT ECCLESIA PATIENS SEU PURGATORIUM, IN QUO JUSTORUM ANIMÆ POST MORTEM MUNDANTUR ET VIVORUM SUFFRAGIIS ADJUVANTUR.

Probatur I. Ex S. Scriptura . . . . pag. 332
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 333
Probatur III. Ex antiquissimis Ecclesiæ liturgiis . . . . . » 334
Probatur IV. Ex ratione theologica . . » 334

PROPOSITIO III. - EXISTIT ECCLESIA TRIUMPHANS, SEU SOCIETAS ANGELORUM ET HOMINUM VISIONE BEATIFICA FRUENTIUM DIVERSIS GRADIBUS.

§ I. *Homines angelis sociantur in visione beatifica* . . . . . » 334

Probatur I. Ex sola Scriptura . . . » 334
Probatur II. Ex Scriptura et Patribus. » 334
Probatur III. Ex ratione theologica. » 335
Probatur IV. Ex sacra liturgia. . . » 335

§ II. *Justorum animæ omnino puræ, statim post mortem beatifica visione fruuntur, sed diversis gradibus* . . . » 336

I. Probatur visionis beatificæ adeptio statim post mortem. . . . . » 336
II. Probatur inæqualitas visionis beatificæ. . . . . » 336

PROPOSITIO IV. - ECCLESIA MILITANS, ECCLESIA PATIENS ET ECCLESIA TRIUMPHANS PER SANCTORUM COMMUNIONEM ITA UNIUNTUR, UT TRES EJUSDEM ECCLESIÆ PARTES CONSTITUANT.

§ I. *Ecclesia triumphans intercedit pro militante et patiente* . . . . . » 337

I. Angeli et Sancti in cœlo intercedunt pro hominibus in terra militantibus » 337

Probatur I. Ex S. Scriptura . . . » 338
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 338
Probatur III. Ex ratione theologica. » 339

Solvitur objectio Protestantium . . » 339

II. Angeli et Sancti in cœlo intercedunt pro animabus in purgatorio patientibus . . . . . » 339

Probatur I. Ex liturgia Ecclesiæ . » 339
Probatur II. Ex Communione Sanctorum . . . . . » 339

Solvuntur objectiones. . . . . » 339

§ II. *Ecclesia patiens adjuvatur a militante, et pro illa intercedit* . . . » 340

Prima pars propositionis jam probata est p. 332.
Secunda pars probatur tanquam communis, et multo probabilior quam sententia opposita . . . . . » 340

§ III. *Ecclesia militans jure merito colit ac invocat triumphantem* . . . . » 341

I. Licitus et pius est cultus religiosus Beatis exhibitus . . . . . » 341

1°) Probatur cultus duliæ omnibus Beatis, tam angelis quam hominibus exhibendus . . . . . pag. 342
2°) Probatur cultus hyperduliæ Matri Dei debitus . . . . . » 342
3°) Probatur cultus relativus reliquiis Sanctorum præstandus . . . . » 343
4°) Probatur cultus relativus sanctis imaginibus exhibendus . . . » 343
II. Licita et utilis est Beatorum invocatio . . . . . » 344

Probatur I. Ex S. Scriptura . . . . » 344
Probatur II. Ex Patribus. . . . . » 344
Probatur III. Ex monumentis ecclesiasticis . . . . . » 345

§ **IV.** *Bona gratiæ omnibus membris Ecclesiæ militantis sunt communia, secundum cujusque membri mensuram ad bonum totius corporis* . » 345

Explicatur Communio Sanctorum in terra. » 345

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . » 345
Probatur II. Ex Catechismo romano. » 345

CAPUT III.

Probatur trinus ordo Ecclesiæ militantis in specie.

Prænotanda. – Hujus ordinis fundamentum est trina Ecclesiæ potestas, cum tribus dotibus quæ in ejus unitate fulgent . . . . . pag. 346

Caput istud continet quatuor Propositiones.

PROPOSITIO I. – CHRISTUS, UT HOMO, ACCEPIT A DEO UNITRINO PLENAM TRINAMQUE POTESTATEM IN ECCLESIA, NEMPE MAGISTERIUM, SACERDOTIUM ET IMPERIUM.

Prænotanda. – Christus trinam potestatem suam accepit ut homo. . . . . pag. 346

§ **I.** *Christus est supremus Magister, seu Propheta* . . . . . » 346

Probatur ex S. Scriptura, ex Patribus et ex S. Thoma.

§ **II.** *Christus est supremus Pontifex* . . » 347

Probatur ex S. Scriptura, ex S. Augustino et ex S. Thoma.

§ **III.** *Christus est supremus Rex* . . . » 347

I. Christus est Rex in genere . . . » 347
Probatur ex S. Scriptura et ex S. Augustino.
II. Christus est supremus Legislator . » 348
Probatur ex S. Scriptura et ex S. Augustino.
III. Christus est supremus Judex . . » 348
Probatur ex S. Scriptura, ex S. Augustino et ex ratione theologica.
IV. Christus est supremus Vindex . . » 349
Probatur ex S. Scriptura et ex S. Augustino.

PROPOSITIO II. – CHRISTUS APOSTOLIS SUIS CONTULIT TRINAM POTESTATEM SUAM, NEMPE MAGISTERIUM, SACERDOTIUM ET IMPERIUM, QUÆ PERPETUA SUNT IN ECCLESIA.

Prænotanda, seu notio potestatis, quæ Ecclesiæ collata est . . . . . pag. 349

§ **I.** *Christus Apostolis suis contulit Magisterium authenticum et infallibile* . » 349

I. Probatur authenticitas Magisterii ex Christi præcepto, ex modo agendi Apostolorum et ex ratione theologica . . . . . » 349
II. Probatur infallibilitas Magisterii ex traditione et ex rationibus theologicis . . . . . » 350

§ **II.** *Christus Apostolis suis contulit sacrum Sacerdotium* . . . . . » 350

A. Probatur quoad administranda Sacramenta, ex S. Scriptura et ratione theologica . . . . . » 350
B. Probatur quoad eucharisticum sacrificium offerendum, ex S. Scriptura et ratione . . . . . » 351

§ **III.** *Christus Apostolis suis contulit Imperium, et quidem triplex, nempe legislativum, judiciarium et coercitivum* . . . . . » 351

I. Argumentum generale ex Scriptura et rationibus theologicis . . . . » 351
II. Argumentum particulare ex S. Scriptura. . . . . » 351

§ **IV.** *Trina potestas, quam Christus contulit Apostolis, est perpetua in Ecclesia* . . . . . » 352

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . » 352
Probatur II. Ex ratione theologica . » 352

§ **V.** *Trina potestas prædicta perseverat in collegio Episcoporum, qui hanc ab initio variis gradibus communicant Presbyteris et Diaconis* . » 352

Prænotanda. – De trina hierarchia Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum ab ipso Christo instituta . » 352

I. Collegium Episcoporum successit Apostolorum collegio ratione Episcopatus, non vero ratione Apostolatus . . . . . » 353
Probatur ex S. Scriptura et traditione.
II. Ordo Episcoporum semper a Presbyterorum Ordine fuit distinctus, eique superior . . . . . » 354
Probatur ex S. Scriptura et traditione.
III. Ordo Diaconorum semper in Ecclesia exstitit tanquam gradus sacer et hierarchicus, ab Episcoporum ac Presbyterorum Ordine distinctus. » 354
Probatur ex S. Scriptura et traditione.

§ **VI.** *In Ecclesia, potestas soli Clero competit, non autem populo seu laicis* . » 355

I. Explicatur Propositio . . . . . » 355
II. Probatur Propositio ex S. Scriptura et traditione . . . . . » 355

PROPOSITIO III. - Christus Petro contulit supremam potestatem, seu Primatum jurisdictionis, in Romano Episcopo perseverantem, et per se infallibilem in docendo.

Prænotanda. - Per hunc sublimem Primatum, omnis potestas ecclesiastica ad Capitis unitatem reducitur. . pag. 356

§ I. *Christus Petro contulit Primatum jurisdictionis* . . . . . » 356

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . » 356
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 357
Probatur III. Ex ratione theologica . » 358

§ II. *Petri Primatus est perpetuus in Ecclesia, et in Romano Pontifice perseverat* . . . . . » 359

Pars I. Probatur ex S. Scriptura et ratione . . . . . » 359
Pars II. Probatur ex ratione, ex communi Patrum testimonio, et ex modo agendi Romanorum Pontificum. . . . . » 359

§ III. *Magisterium Romani Pontificis est per se infallibile* . . . . . » 361

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . » 361
Probatur II. Ex Patribus et Conciliis. » 361
Probatur III. Ex ratione agendi Ecclesiæ. . . . . » 363
Probatur IV. Ex Primatus notione et fine . . . . . » 363

Corollarium propositionum II et III.

Ecclesia est monarchia temperata ex aristocratia et democratia.

I. De existentia trini hujus elementi in regimine Ecclesiæ . . . . . » 364
II. De necessitate monarchiæ in Ecclesia . . . . . » 364
III. De utilitate prædicti temperamenti in monarchia Ecclesiæ . . . . » 364

PROPOSITIO IV. - Ecclesia Christi in sua unitate est catholica, apostolica et sancta, atque his etiam notis exhibet vestigium Dei unitrini.

§ I. *Ecclesia Christi est una, et quidem triplici unitate, nempe numerica, interna et externa* . . . . . » 365

Probatur I. Ex S. Scriptura. . . . » 365
Probatur II. Ex Patribus. . . . . » 366
Probatur III. Ex rationibus theologicis . . . . . » 366

§ II. *Ecclesia Christi est calholica, et quidem triplici catholicitate* . . . . » 367

I. Est catholica quoad locum . . . » 367
Probatur ex S. Scriptura et Patribus.
II. Est catholica quoad tempus . . . » 368
Probatur ex S. Scriptura, ex Patribus et ratione.
III. Est catholica quoad doctrinam . . » 368
Probatur ex S. Scriptura, ex Patribus et ratione.

§ III. *Ecclesta Christi est apostolica, et quidem triplici apostolicitate* . . pag. 369

I. Est apostolica quoad originem . . » 369
Probatur ex S. Scriptura et Patribus.
II. Est apostolica quoad successionem potestatis . . . . . » 370
Probatur ex S. Scriptura et Patribus.
III. Est apostolica quoad doctrinam. . » 370
Probatur ex ratione theologica.

§ IV. *Ecclesia Christi est sancta, et quidem triplici sanctitate* , . . . » 371

I. Est sancta in suo fine . . . . . » 371
Probatur ex ratione theologica.
II. Est sancta in mediis ad finem adhibitis . . . . . » 371
Probatur ex ratione theologica.
III. Est sancta in suis membris . . . » 371

§ V. *Ecclesia Christi suis quatuor notis exhibet vestigium Dei unitrini* . . » 371

I. Ecclesia est Dei unitrini vestigium per suam unitatem . . . . . » 371
Probatur ex S. Scriptura a Bossueto explicata.
II. Ecclesia est Dei unitrini vestigium per suam catholicitatem, apostolicitatem et sanctitatem . . . . » 372
Probatur ex ratione theologica.

CAPUT IV.

Probatur pulchritudo et exemplaritas ordinis trinæ Ecclesiæ universæ.

Prænotanda. - Ordo trinæ Ecclesiæ est pulcherrimus, quia complectitur tres pulchritudinis conditiones a S. Thoma assignatas, scilicet integritatem, claritatem et harmoniam. Pulchritudo autem est ratio exemplaritatis. Argumenta ex ratione theologica desumuntur . . . . . pag. 373

PROPOSITIO I. - Ordo trinæ Ecclesiæ est integerrimus, seu completissimus.

Prænotanda. - Ordo Ecclesiæ militantis, patientis et triumphantis est completus, non solum in sua totalitate, sed etiam in suis partibus. . . . » 373

§ I. *Ordo Ecclesiæ triumphantis est completissimus* . . . . . » 373

I. Ordo unionis hypostaticæ est completissimus. . . . . » 373
II. Angelorum et hominum hierarchiæ sunt completissimæ. . . . . » 373

§ II. *Ordo Ecclesiæ patientis est completissimus* . . . . . » 374

I. Ecclesia patiens complet in tempore totum Ecclesiæ ordinem . . . . » 374
II. Ecclesia patiens est completa in seipsa . . . . . » 375

§ III. *Ordo Ecclesiæ militantis est completissimus* . . . . . » 375

I. *Materialiter*, ratione extensionis suæ ad omnia tempora, ad omnes homines potentia, atque ad omnia loca, saltem successive . . . . » 375

II. *Formaliter*, ratione plenitudinis trinæ potestatis suæ, et ratione plenitudinis diversorum statuum, graduum atque officiorum in ea. . . . . pag. 375
III. *Finaliter*, ratione perfectionis totius corporis suis ejusque membrorum, quæ consistit in assimilatione ad Deum unitrinum. . . . . » 376

PROPOSITIO II. - Ordo trinæ Ecclesiæ est clarissimus.

§ I. *De ordinis Ecclesiæ claritate in genere* . . . . . » 377

Ordo Ecclesiæ clarus est triplici claritate.

I. Per distinctionem et oppositionem rerum ordinatarum. . . . . » 377
II. Per illuminationem naturæ, gratiæ et gloriæ, a divina Luce participatam . . . . . » 378
III. Per celebritatem, seu per ordinis Ecclesiæ notitiam ac laudationem ab angelis, ab hominibus et ab ipso Deo . . . . . » 379

§ II. *De trinæ Ecclesiæ illuminatione in specie* . . . . . » 379

I. De illuminatione Ecclesiæ triumphantis . . . . . » 379
II. De illuminatione Ecclesiæ patientis. » 380
III. De illuminatione Ecclesiæ militantis. » 381

PROPOSITIO III. - Ordo trinæ Ecclesiæ mirabilem proportionem, seu harmoniam exhibet.

§ I. *De harmonia inter Ecclesiam militantem, patientem et triumphantem* » 382

Mirabilis regnat harmonia:

I. Inter trinum lumen naturæ, gratiæ et gloriæ . . . . . » 382
II. Inter trinæ Ecclesiæ illuminationem et ejus volitionem . . . . . » 382
III. Inter mutuas relationes civium trinæ Ecclesiæ . . . . . » 383

§ II. *De harmonia inter tres status Ecclesiæ militantis* . . . . . » 383

I. *In genere.* De progressivo Ecclesiæ patriarchalis, mosaicæ ac christianæ ordine, secundum ipsarum materiam, formam et finem. . . . » 383
II. *In specie.* De materia trium Ecclesiarum prædictarum, de ipsarum forma, de ipsarum fine . . . . » 384

§ III. *De harmonia Ecclesiæ triumphantis consummata post ultimum judicium* . . . . . pag. 384

I. De suprema perfectione ac completa pace Ecclesiæ triumphantis, quæ sola in æternum remanebit . . . » 384
II. De trina et harmonica ordinatione Ecclesiæ triumphantis . . . . » 385
III. De ordinatione supplicii reproborum ad Ecclesiæ triumphum et pulchritudinem . . . . . » 386

PROPOSITIO IV. - Pulcherrimus trinæ Ecclesiæ ordo est exemplatus juxta Deum unitrinum, Christum ac B. Virginem, et exemplaris relate ad creaturas illo imperfectiores.

Prænotanda. - Quomodo Ecclesiæ ordo sit simul exemplatus et exemplaris . » 387

§ I. *Ecclesia exemplatur juxta Deum unitrinum* . . . . . » 387

I. Per trinum statum universitatis suæ » 387
II. Per suas notas, quæ sunt tres præter unitatem et in unitate. . . . . » 388
III. Per trinam suam potestatem. . . » 388

§ II. *Ecclesia christiana exemplatur juxta Jesum Christum* . . . . . » 390

I. Per suam constitutionem . . . . » 390
II. Per suam operationem et passionem. » 390

§ III. *Ecclesia christiana exemplatur juxta B. V. Mariam* . . . . . » 391

I. Per gratiæ plenitudinem . . . . » 392
II. Per virgineam fecunditatem . . . » 392
III. Per gloriæ plenitudinem . . . . » 392

§ IV. *Ecclesia mosaica exemplatur juxta christianam Ecclesiam militantem, et hæc juxta triumphantem* . . . » 392

Probatur I. Ex S. Paulo . . . . . » 393
Probatur II. Ex Patribus græcis et latinis . . . . . » 393
Probatur III. Ex Ecclesiæ doctoribus. » 394

§ V. *Ecclesia variis similitudinibus figuratur* . . . . . » 395

Figuræ Ecclesiæ desumuntur:

I. Ex ordine sociali . . . . . » 395
II. Ex personis . . . . . » 395
III. Ex rebus irrationalibus. . . . . » 395

PARS TERTIA

CONFIRMATUR DOCTRINA DIVINI EXEMPLARISMI EX COMMUNI SAPIENTIUM DOCTRINA

ARGUMENTUM ET DIVISIO

TERTIÆ HUJUS PARTIS.

468. — **In Parte I** præsentis Tomi, ad statuendum divinum Exemplarismum, sublimem illam doctrinam *explicavimus* in suis principiis metaphysicis et theologicis.

In Parte II, hanc *probavimus* ex Scriptura sacra, traditione et ratione.

In Parte III, quam nunc incipimus, Exemplarismum *confirmabimus* ex communi sapientium doctrina.

Divinus enim Exemplarismus est altissima sapientia, nam sapientis est res ordinare ad primas earum causas, et per illas causas judicare. — Atqui, divinus Exemplarismus cunctas res a Deo productas ordinat ad supremam earum Causam efficientem, exemplarem et finalem, quæ est prima ipsarum Ratio, illasque per eam judicat. — Ergo est summa apud homines sapientia et communis participatio divinæ Sapientiæ, quæ æterna rerum exemplaria ab æterno concepit, tanquam varios et finitos modos imitationis infinitæ Dei perfectionis. Itaque Exemplarismus est communis doctrina sapientium omnium sæculorum, ita ut sic verificentur celebre Platonis effatum: «Sapientium una vox est», et verba S. Augustini in lib. 83 Quæst., q. 46: «Tanta vis in ideis (divinis) constituitur, ut nisi iis intellectis sapiens nemo esse possit.»

Philosophi divinum Exemplarismum naturalem docuerunt; *Theologi christiani* divinum insuper Exemplarismum supernaturalem nobis tradiderunt. Pauci tamen sapientes sublimem istam doctrinam in tota ipsius extensione speculativa et practica complexi sunt. Plerique enim illam vel in ejus principiis, vel in aliqua parte spectaverunt.

Hunc sapientium paganorum et christianorum, in favorem doctrinæ nostræ, consensum afferemus, ostendendo varios modos, quibus illam communiter docuerunt in tribus mundi ævis.

Unde tertia Pars præsentis Tomi sequenti modo dividitur:

LIBER I. De divino Exemplarismo et trino ordine in doctrina sapientium antiqui ævi.

LIBER II. De divino Exemplarismo et trino ordine in doctrina sapientium medii ævi.

LIBER III. De divino Exemplarismo et trino ordine in doctrina sapientium moderni ævi.

LIBER PRIMUS.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DOCTRINA SAPIENTIUM ANTIQUI ÆVI.

PROŒMIUM.— Divinus Exemplarismus cæteras doctrinas antiquitate præcellit, quia oritur ex æternis Dei ideis, quas sapientes omnium temporum participant debili lumine rationis naturalis, sed multo clarius lumine divinæ revelationis. Inde distinguuntur Exemplarismus *philosophicus*, et Exemplarismus *theologicus*.

Porro in tribus Capitibus ostendemus Exemplarismum fuisse traditum 1°) philosophice tantum et incomplete a paganis sapientibus; 2°) etiam theologice ac complete a Patribus græcis; 3° a Patribus latinis.

CAPUT I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN PAGANA PHILOSOPHIA.

469. — Prænotanda. *De usu doctrinæ philosophorum paganorum.* Ea quæ Gentilium philosophi de Exemplarismo docuerunt, in opere nostro referemus tanquam imperfectum præambulum perfectioris doctrinæ sanctorum Patrum, qui Paganorum scriptis ipsi usi sunt, ad divinam veritatem probandam rationibus philosophicis, theologica argumenta naturaliter præcedentibus. Itaque de hoc ethnicorum auctorum usu sic loquitur Leo XIII in sua Encyclica *Æterni Patris*, die 4 Augusti 1879:

« Quam agendi rationem non recens introductam, sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiæ Patribus sæpe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quamdam ejus rei et prope figuram agnoscunt in Hebræorum facto, qui Ægypto excessuri, deferre secum jussi sunt argentea atque aurea Ægyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quæ prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocæsariensis laudat Origenem hoc nomine, quod plura ex Ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianæ sapientiæ et perniciem superstitionis singulari dexteritate detorserit (Orat. panegyr. ad Origen.) Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus (Vita Moys.) tum Gregorius Nyssenus (Carm. 1, Jamb. 3) in Basilio Magno laudarunt et probarunt; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadrato, Apostolorum discipulo, in Aristide, in Justino, in Irenæo aliisque permultis (Epist. ad Magn.). Augustinus autem: *Nonne aspicimus*, inquit, *quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam; quanto innumerabiles Græci?* (De Doctrina christ., lib. 2, cap. 40). Quod si vero naturalis ratio optimam hanc segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo uberiorem certe progignet, posteaquam Salvatoris gratia nativas humanæ mentis facultates instauravit et auxit. Ecquis autem non videat, iter planum et facile, per hujusmodi philosophandi genus ad fidem aperiri? »

Viam igitur terentes a Patribus apertam atque commendatam, in hoc Articulo I quædam Exemplarismi vestigia manifestabimus inventa 1°) in variis quibusdam antiquitatis philosophis; 2°) in Aristotele; 3°) in Platone; 4°) in Platonicis.

ARTICULUS I.

DE EXEMPLARISMO IN VARIIS ANTIQUITATIS PHILOSOPHIS.

Antiqua sapientia pagana bifariam dividitur in orientalem et occidentalem. — Sapientia *orientalis* complectitur philosophiam Indorum, Sinensium, Persarum, Chaldæorum, Phœnicum et Ægyptiorum. — Sapientia *occidentalis* complectitur philosophiam Italorum et Græcorum.

Philosophia *Italorum* dividitur in scholam *italicam* proprie dictam, quam fundavit Pythagoras, cujus præcipuus discipulus fuit Timæus Locrensis; et scholam *eleaticam*, quam fundavit Xenophanes, magister Parmenidis et Zenonis, auctoris sectæ Stoicorum. Inter sapientes numerandi non sunt duo alii philosophi eleatici, nempe Leucippus et Democritus, qui sunt patres materialistarum.

Philosophia *Græcorum* patrem habuit Socratem, cujus præcipuus discipulus fuit Plato, magister Aristotelis. Plato autem fundavit Academiam et Aristoteles Lycæum. Academia, Lycæus et Porticus Stoicorum erant loca in quibus congregabantur tres celebriores scholæ philosophiæ græcæ. Inter philosophos recenseri non merentur Epicurus et Pyrrho, patres Sensualismi et Scepticismi, ad quem tandem sæpe pervenit ratio humana sibi ipsi relicta, et veritatem inter tot systemata contraria invenire desperans.

In præsenti paragrapho sufficiet nobis vestigia divini Exemplarismi breviter ostendere 1°) in philosophia Indiæ, Sinæ, Ægypti, et Persidis; 2°) in Pythagora, Cicerone et Seneca, qui ad Italiam pertinent.

§ I.

De divino Exemplarismo et trino ordine in philosophia Indiæ, Sinæ, Ægypti et Persidis.

Imperfectæ sunt notiones, quas philosophiæ historia nos docet de obscuris antiquarum harum gentium doctrinis philosophicis ac theologicis; sed in eis tamen distinguuntur quædam vestigia divini Exemplarismi et trini alicujus ordinis, sicut patebit ex sequenti compendio.

Si quis plura scire velit circa veterem philosophiam orientalem, sequentes auctores consulere poterit: *Windischmann*, La philosophie dans la marche de l'histoire du monde. Mémoires concernant la Chine. — *Creuser*, Recherches asiatiques, Symbolique, Zend Avesta. — *Guigniaut*, Religions de l'antiquité. — *Rémusat*, Nouveaux mélanges asiatiques. Mémoires sur Lao-tseu. — *Dubois*, Mœurs des peuples de l'Inde. — *Colebrooke*, Essai sur la philosophie des Hindous. — *Champollion*, Panthéon égyptien. — *Anquetil-Duperron*, Traduction du Zend Avesta.

I. **Apud Indos**, casta sacerdotalis Brahmanorum libros conservat, qui *Vedas* nuncupantur, a quodam sapiente nomine *Vyasa* compilati, et sacram hujus gentis doctrinam continentes.

In hac doctrina, supremum rerum principium est *Brahm*, qui ab æterno existit, et in sua substantia complectitur *Wichnou*, seu æternum receptaculum omnium prototyporum sive exemplarium, quæ rerum species determinant. Brahm in tempore produxit *Siva* seu materiam, qua mediante apparent omnes existentiæ individuales, ita ut materia sit principium individuationis rerum. Porro ex Brahmi, typos rerum continentis, unione cum materia, ortus est totus mundus. — Unde in philosophia indica distinguuntur tria prima rerum omnium principia, videlicet Brahm, seu suprema substantia; Wichnou ac rerum typi in eo contenti; et Siva, seu materia. Denique modus, quo res omnes a Brahm procedunt, non est creatio, sed pantheistica emanatio. Wichnou novies sub variis figuris incarnatus est. Nona et principalis ejus incarnatio facta est in persona Boudhæ, qui mortuus est, sed renascitur in patriarchis sectæ Brahmanorum.

470. — II. **Apud Sinenses**, libri sacri vocantur *King*. Horum præcipuus, cui titulus est *Y-King*, attribuitur *Fohi*, imperii sinensis fundatori, et continet principia methaphysica ac moralia. Jam vero metaphysicam partem præcipue commentatus est *Lao-Tseu*, moralem autem *Confucius*, et in utraque parte apparet divinus Exemplarismus.

1°) In sua doctrina metaphysica, Lao-Tseu tanquam primum et unicum Principium omnium rerum, agnoscit supremam Rationem, seu Ens æternum, immensum, immutabile, semper agens, incomprehensibile, in cujus profunditate continentur omnia entia excellentissima.

Hujus Principii unitas produxit omnem rerum multiplicitatem; prima enim Ratio, quæ una est, produxit unum, unum autem produxit duo, duo produxerunt tria, tria produxerunt omnia. Imo in unitate primi Principii, Lao-Tseu distinguit tria entia, quorum nomina correspondent primis litteris hebraici nominis Jehovah; en ipsius verba: « Ille quem aspicis et non vides, vocatur *I;* quem auscultaris et non audis, vocatur *Hi;* quem manu quæris et tangere non potes, vocatur *Wei*. Tria sunt entia, quæ mente

nostra comprehendi nequeunt, et simul confusa, non sunt nisi unum. Illud quod superius est, non est splendidius; illud quod inferius est, non est obscurius. Est catena non interrupta, quæ nominari nequit, forma sine forma, imago sine imagine, ens indefinibile. Ante illud nullum est principium; post illud nihil sequitur. Is qui ex antiquo Rationis statu judicat ea quæ nunc existunt, Rationis catenam tenere dici potest.»

Prima Ratio genuit alios spiritus, qui dicuntur *Chin*, et duplicem materiam, nempe cœlestem *Yang*, et terrestrem, quæ vocatur *Yn*. Spiritus ex prima Ratione fluunt in duplicem materiam, et hac spirituum ac materiarum conjunctione componuntur cœlum et terra.

Homo duplicem habet animam, nempe animam spiritualem, e cœlo delapsam, atque ad cœlum in morte redeuntem; et animam sensitivam, e terra exortam, atque in eam iterum descendentem.

Prima Ratio est supremum mundi et hominis Archetypum, quod nullum aliud exemplar supra seipsum habet. Ipsa autem est immediatum exemplar cœli, cœlum est exemplar terræ, et terra est physicum hominis exemplar.

2°) In ordine morali, Confucius tanquam primum principium statuit supremæ Rationis imitationem ab homine, et omnia officia reducit ad triplicem sphæram pietatis filialis, nempe pietatis erga patrem, erga regem et erga primam Rationem. Mundus enim, qui a prima Ratione regitur, est exemplar Civitatis, quæ a rege gubernatur; et Civitas est exemplar familiæ, quæ a patre regitur. — Pietas igitur est medium universale perfectionis moralis, nam singuli homines perficiuntur pietate erga primam Rationem, ipsam imitando, seu colendo virtutes, quæ consistunt in agendi modo conformi rationi; familia perficitur pietate erga patrem, et Civitas pietate erga regem.

471. — III. **Apud Ægyptios,** primum omnium rerum Principium est Ens nobis incomprehensibile, quod est fons invisibilis ac abditissimus omnium entium, omnis luminis et omnis vitæ; designatur sub nomine *Piromis*. Piromis autem generat *Kneph*, qui est Ratio effectrix rerum. Secunda ejus emanatio est *Phtha*, qui est principium ignis, vitæ et ordinis in mundo. — Unde Piromis, Kneph et Phtha constituunt aliquam trinitatem, quæ est principium posteriorum emanationum, quibus mundus proxime ac intrinsece causatur.

Harum emanationum præcipuæ sunt duæ, scilicet *Osiris* et *Isis*. Osiris est, in rerum natura, principium activum, spirituale, luminosum perfectionis ac unitatis, productum ad exemplar Piromidis et superiorum ejus emanationum. Isis autem est principium passivum, materiale, tenebrosum perfectibilitatis et multiplicitatis. Ex unione Osiridis et Isidis, nempe spiritus seu formæ, et materiæ, oriuntur omnia quæ in mundo sunt.

Principium mali, inordinationis, mortis et destructionis in rebus est *Typhon*, cujus origo est obscurissima. Ex unione Typhonis cum *Nephthide*, quæ est completa perfectio, oritur commixtio boni et mali, quæ in omnibus rebus invenitur.

472. — IV. **Apud Persas,** libri sacri sub nomine *Zend Avesta*, qui Zoroastro attribuuntur, tanquam supremum et unicum omnium rerum Principium statuunt Ens quoddam æternum, quod vocant *Tempus infinitum*. Ens istud genuit primo *Ormuzd*, ens purum ac bonum, quod est lumen et verbum efficax.

Deinde produxit *Ahriman*, ens malum ac tenebrosum, quod in scelere absconditur, et est principium divisionis atque anarchiæ; sed incertum est utrum sit naturaliter seu de se malum, an ex bono malum factum fuerit moraliter per libertatis suæ abusum. — Juxta veteres Persarum traditiones, Ormuzd est principium mere spirituale, et Ahriman est principium mixtum materiâ, quæ est velut umbra spirituum. — Hæc igitur tria: Ens æternum seu tempus infinitum, Ormuzd et Ahriman, sunt prima cæterorum entium principia, sive bonorum, sive malorum.

Ormuzd etenim primo genuit viventes omnium rerum typos, et deinde spiritus puros ac bonos, qui Enti æterno obediunt illudque adorant. Ahriman autem produxit spiritus impuros ac malos, quos spiritibus bonis opposuit.

Primus homo a bono Principio productus, utrumque sexum in se habebat, et fuit ab Ahrimano occisus. Ex ipsius sanguine orti sunt, in utroque sexu separato, *Meschia* et *Meschiane*, qui sunt totius humani generis parentes, atque ad malum ab Ahrimano inducti sunt. Inter illorum posteros, alii libere sectantur malum cum Ahrimano pravisque spiritibus, et post mortem cum eis in tenebroso abysso puniuntur; alii sectantur bonum cum Ormuzd bonisque spiritibus, et post mortem eis aggregabuntur in lumine ac beatitudine.

§ II.

De divino Exemplarismo et trino ordine in Pythagora, Cicerone et Seneca.

Tres istos philosophos conjungimus tanquam ad Italiam pertinentes. Pythagoras enim scholam italicam fundavit; Cicero autem et Seneca Romam paganam illustrarunt.

I.

De Pythagora.

473. — 1°) Ejus doctrina de Deo, seu de suprema Monade.

S. Justinus in Cohortat. ad Græcos, n.° 19, sic loquitur: « Si Pythagoræ de singulari Deo sententiam clarius perspicere vultis, audite hæc ipsius verba: Deus unus est; nequaquam autem, ut quidam suspicantur, extra mundum, sed in mundo; totus in toto circulo inspiciens omnes generationes. Temperator est omnium sæculorum, et Artifex virtutum et operum suorum; Principium omnium, in cœlo lumen, omnium pater, Mens et animator universorum, circulorum omnium Motor. Ita igitur Pythagoras. »

2°) Ad divinam unitatem, seu Monadem, Pythagoras omnem rerum pluralitatem ordinat per trinitatem, scilicet per *principium, medium* et *finem*, quæ in omni ordine perfecto inveniuntur, atque omnem rerum multiplicitatem ad totius unitatem et perfectionem reducunt. Audiamus verba Aristotelis, lib. 1 de Cœlo, cap. 1: « Quemadmodum enim aiunt et Pythagoræi, omne (τὸ πᾶν, id est totum singulare) et omnia (τὰ πάντα, id est totum universale) tribus determinantur. Finis enim, et medium, et principium illum habent numerum qui totius est, nempe numerum trinitatis. Quapropter a natura accipientes tanquam ejus leges, etiam ad sacrificia deorum hoc utimur numero. Assignamus autem et appellationes in hunc modum: duo enim *ambo* quidem dicimus et duos *ambos; omnes* autem non dicimus, sed de tribus hanc appellationem (scilicet *omne*) dicimus primum. Hæc autem, quemadmodum dictum est, sequimur, propterea quod natura ipsa sic inducit. »

Teste Jamblico, de mysteriis Pythagoræorum isti philosophi perfectam sapientiam ponebant in ordinatione principii, medii et finis omnium ad unitatem supremi Principii. Sic enim loquitur: « Pythagoras et Archytas nos monent, sapientiam ac scientiam contemplativam quærere unitatem, quia unitas est finis omnis contemplationis. Illi homines perfecti sunt et beati, qui per contemplationem tantum proficiunt, ut opera sua primo Principio conjungant, et qui intra animam suam uniendo principium, medium et finem, ex omnibus unum faciunt. » — Hac enim ordinata contemplatione, omnia circulariter reducuntur ad supremam Unitatem, quæ est omnium Principium, medium exemplare et finis, non quidem in ipsis rebus, sicut putabat Pythagoras, sed extra res, inquantum unus Deus est prima atque extrinseca Causa efficiens, exemplaris et finalis omnium effectuum creatorum, qui divinam suam Causam analogice repræsentant trino ordine suo, seu suo principio, medio ac fine sibi intrinsecis.

3°) De modo, seu medio, quo omnia ad primi Principii unitatem ordinantur.

Hic modus juxta Pythagoram est *similitudo* seu analogia *in unitate numerica*, inquantum omnis pluralitas, seu numerus, reducitur ad unitatem, cum unitas sit principium, medium et finis omnis numeri, sive concreti in rebus, sive abstracti extra res; omnis enim numerus concretus vel abstractus incipit ab unitate, mensuratur per unitatem, et terminatur in unitate summæ suæ. Omnis igitur pluralitas, per suum principium, medium et finem, reducitur seu ordinatur ad unitatem, et in hac ordinatione omnium numerorum parium ac disparium ad unitatem, consistit harmonia universa, cum harmonia sit contrariorum convenientia in unitate communi.

Quod autem Pythagoræi numeros statuerint tanquam universalia ac æterna doctrinæ suæ, harmoniæ et ordinis totius mundi principia, testatur Aristoteles in lib. 1 Metaph., cap. 5: « Cum Pythagoræi in numeris inspicerent harmoniarum mutationes ac rationes, et cum cætera eis viderentur in omnibus naturaliter assimilari numeris, numeri vero esse toti naturæ anteriores, existimaverunt numerorum principia esse quoque omnium rerum principia, totumque cœlum harmoniam et numerum esse, et ea quæ de numeris harmonicisque mutationibus consentanea monstrare poterant, colligentes applicabant et partibus cœli et ordinationi mundi universi. Quod si quid alicubi deerat, supplebant, ut totus ejus tractatus consentaneus esset. » — Et ibid., cap. 6: « Pythagoræi etenim ajunt entia esse imitatione numerorum... imitationem vero specierum quænam sit, quærere omiserunt. »

4°) Præter divinam Monadem, Pythagoras, tanquam mundi causam, assignat separationem materiæ a Monade.

Per hanc separationem, quæ cæca necessitate facta est, id quod in Monade unum est atque perfectum, fit extra Monadem, divisum, multiplex et imperfectum. Inde oritur rerum pluralitas et universalitas, quam primus Pythagoras Κόσμος, seu mundum nuncupasse dicitur. Mundus est complexus harmonicus per imitationem Monadis, seu potius externa et multiplex ejus manifestatio. Componitur spiritibus, quæ divinæ Monadis unitatem substantialiter ac finite participant, et materia separata a Monade, et de se indefinita seu indeterminata. Ergo spiritus, seu forma definiens, et materia definienda sunt in rebus duo

principia perfectionis et imperfectionis, seu unitatis et multiplicitatis.

Materia enim, dum a Monade separatur, fit *Dyas*, seu dualitas, quæ est principium omnis rerum multiplicitatis, indeterminationis, tenebrarum, ignorantiæ, instabilitatis, mutationis, inæqualitatis, et in genere omnis imperfectionis. Sed harmonia inter Monadem et Dyadem, in omnibus et singulis corporibus, constituit pulchritudinem mundi visibilis.

Mundus ab æterno constitutus est, atque in æternum perseverat per necessitatem, qua Monas et Dyas sibi invicem opponuntur atque harmonice conjunguntur. Sed spiritus libere possunt sese a Dyade eximere, et redire ad divinam Monadem. Unde moralis perfectio hominis consistit in liberatione a materiæ multiplicitate et in reditu ad unitatem supremæ Monadis; hujus perfectionis terminus est consummatio in hac unitate.

II.

De Cicerone.

474. — Philosophi romani sapientiam suam ex Græcorum doctrina hauserunt. Sic Cicero doctrinam suam ex Pythagoræ, Platonis et Aristotelis philosophia ita abundanter hausit, ut merito appellatus fuerit latinus græcarum litterarum proxeneta. Videamus quid dicat *de lege naturali*, quæ in æterna Dei Ratione statuitur, et est Exemplar, seu norma, omnium legum ab ea derivatarum in hominum rationem.

1°) Dicit in libro 1 *De Legibus*, n.° 6: «Nunc juris principia videamus. Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege. Haud scio an recte, si modo, ut iidem definiunt: Lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata et confecta, lex est. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere; eamque rem illi græco putant nomine, a suum cuique tribuendo appellatam; ego nostro a legendo. Nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus; et proprium tamen utrumque legis est, quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque videri solet, a lege ducendum est juris exordium. Ea est enim naturæ vis; ea mens ratioque prudentis; ea juris atque injuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, et eam legem, quæ scripta sancit quod vult, aut jubendo aut vetando, ut vulgus appellare. Constituendi vero juris ab illa summa lege capiamus exordium, quæ sæculis omnibus antenata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta.»

2°) Similiter in libro 2 *De Legibus*, ait Cicero: « Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis fuisse excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, Mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei; ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque sapientis, ad jubendum et ad deterrendum idonea... Neque enim esse Mens divina sine ratione, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere...; quæ vis non modo senior est, quam ætas populorum ac civitatum, sed æqualis illius, cœlum atque terras tuentis et regentis Dei... Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans; quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est. Orta autem simul est cum Mente divina, quamobrem Lex vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum, Ratio est recta summi Jovis. »

3°) Idem docet Tullius in fragmento *De Republica*, quod nobis conservavit Lactantius, in *Divinis Institutionib.*, lib. 6, cap. 8: « Suscipienda igitur Dei Lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat: Illa sancta, illa cælestis, quam Marcus Tullius in libro de Republica tertio, pene divina voce depinxit; cujus ego, ne plura dicerem verba, subjeci: « Est quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quæ vocet ad officium, jubendo; vetando, a fraude deterreat; quæ tamen neque probos, frustra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi Magister et Imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit. »

III.

De Seneca.

475. — Sicut Cicero a Pythagoræis, Platonicis et Peripateticis, ita Seneca a Stoicis

philosophiam suam mutuavit. Porro Stoicorum doctrina tota practica est, et mores per virtutem informandos intendit; unde speculationibus vacare contemnit. Audiamus tamen quomodo Seneca agnoscat moralem Exemplarismi Platonis utilitatem. Quæ dicit a fortiori applicanda sunt vero Exemplarismo; divinus enim Exemplarismus non est tantum speculativus, sed etiam practicus, secundum operis nostri epigraphen: *Inspice et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est* (Exod. 25, v. 40).

1°) Scribit Seneca in Epist. ad Lucilium: « Quid, inquis, ista subtilitas mihi proderit? (Si me interrogas) nihil. — Sed quemadmodum ille cælator oculos diu intentos ac fatigatos remittit atque avocat, et, ut dici solet, pascit; sic nos animum aliquando debemus relaxare, et quibusdam oblectamentis reficere. Sed ipsa oblectamenta opera sint; ex his quoque, si observaveris, sumes quod possit fieri salutare. Hoc ego, mi Lucili, soleo facere; ex omni natione, etiamsi a philosophia longissime aversa sit, eruere aliquid conor, et utile efficere. »

« Quid de istis capiam, quæ modo tractavimus, remotis a reformatione morum? quomodo meliorem me facere ideæ platonicæ possunt? quid ex istis traham, quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipsum, quod omnia ista quæ sensibus serviunt, quæ uos accendunt et irritant, negat Plato ex iis esse quæ vere sint. Igitur ista imaginaria sunt, et ad tempus aliquam faciem ferunt; nihil horum stabile, nec solidum est. Et nos tamen cupimus tanquam aut semper futura, aut semper habituri. Imbecilli fluidique per intervalla consistimus; mittamus animum ad illa quæ æterna sunt; miremur in sublimi volitantes rerum omnium formas, Deumque inter illa versantem et providentem, quemadmodum quæ immortalia facere non potuit, quia materia prohibebat, defendat a morte, ac ratione vitium corporis vincat. Manent enim cuncta, non quia æterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis. Immortalia tutore non egent; hæc conservat artifex, fragilitatem materiæ vi sua vincens. Contemnamus omnia, quæ adeo pretiosa non sunt, ut an sint omnino dubium sit. — Illud simul cogitemus, si mundum ipsum non minus mortalem quam nos sumus, Providentia periculis eximit, posse tamen aliquatenus nostra quoque providentia longiorem prorogari huic corpusculo moram, si voluptates, quibus pars major perit, potuerimus regere et coercere. Plato ipse ad senectutem se diligentia pertulit. Erat quidem corpus validum ac forte sortitus, et illi nomen (πλάτος, *id est latus)* latitudo pectoris fecerat; sed navigationes et pericula multum detraxerunt viribus. Parcimonia tamen, et eorum quæ aviditatem evocant modus, et diligens sui tutela, perduxit illum ad senectutem, multis prohibentibus causis... Potest frugalitas producere senectutem; quam ut non puto concupiscendam, ita ne recusandam quidem... »

2°) In Epistola 95 similiter docet principiorum speculationem in actionem influere. Scribit enim, circa initium: « Nulla ars contemplativa sine decretis suis est, quæ Græci vocant δόγματα; nobis decreta licet appellare, vel scita, vel placita, quæ in geometria et in astronomia invenies. Philosophia autem et *contemplativa* est, et *activa;* spectat, simulque agit. Erras enim, si illam putas tantum terrestres operas promittere; altius spirat. Totum, inquit, mundum scrutor, nec ne intra contubernium mortale contineo, suadere vobis ac dissuadere contenta; magna me vocant, supra vos posita... Sequitur ergo, ut cum contemplativa sit, habeat decreta sua. Quid, quod facienda quoque nemo rite obibit, nisi is cui ratio erit tradita, qua in quaque re omnes officiorum numeros exsequi possit? quos non servabit, qui in re præcepta acceperit. Imbecilla sunt per se, et, ut ita dicam, sine radice, quæ partibus dantur. Decreta sunt quæ maneant, quæ securitatem nostram, tranquillitatemque tueantur, quæ totam vitam, totamque rerum naturam simul contineant. Hoc interest inter decreta philosophiæ et præcepta, quod inter elementa et membra; hæc ex illis dependent, illa et horum causæ sunt et omnium... »

In fine autem ejusdem Epistolæ legitur: « Possidonius ait utilem futuram esse descriptionem cujusque virtutis. Hanc ætiologiam vocat, quidam χαρακτηρισμόν appellant, signa cujusque virtutis et vitii ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur. Hæc res eadem vim habet quam præcipere. Nam qui præcipit, dicit: illa facies, si voles temperans esse. Qui describit, ait: Temperans est, qui facit illa, qui illis abstinet. Quæris quid intersit? Alter præcepta virtutis dat, alter exemplar... Proponamus laudanda; invenietur imitator. Proderit non tantum quales esse soleant boni viri, dicere, formamque eorum et lineamenta deducere; sed quales fuerint narrare. »

ARTICULUS II.

DE ARISTOTELIS DOCTRINA CIRCA DIVINUM EXEMPLARISMUM ET TRINUM ORDINEM.

§ I.

De Aristotelis doctrina circa divinum Exemplarismum.

Præclarus ille philosophus increpando defectus Exemplarismi Pythagoræ et Platonis, ipse perperam verum Exemplarismum non docuit, sed tamen cum utroque admisit trinum ordinem omnium rerum per modum *principii, medii* et *termini.*

I.

Aristoteles recte rejecit Pythagoræ Exemplarismum.

476. — Pythagoras enim omnium rerum principia reducebat ad *unitatem*, qua res perficiuntur imitando divinam Monadem, et ad *dyadem*, qua res imperfectæ sunt separatione sua a divina Monade. Porro ad unitatem refert *finitum*, inquantum res unitate sua definiuntur, atque ad dyadem refert *infinitum*, inquantum res multiplicitate sua sunt indefinitæ. — Atqui, hoc systema principaliter ex eo vitiosum est, quod in mathematica abstractione potius quam in rerum substantia, scilicet in materia et forma, fundatur, et magis numeris quam speciebus naturalibus innititur, ita ut numericam unitatem specificæ unitati substituat et cum ea confundat. Insuper hoc systema alio vitio laborat, inquantum non docet quomodo res omnes unitate sua imitantur divinam Monadem. — Ergo recte hoc systema rejecit Aristoteles.

Probatur Minor per partes, ipsis verbis Aristotelis. Dicit enim in lib. 1, Metaph., cap. 5, in fine: « Pythagoræi duo quidem dixerunt principia; tantum autem addiderunt, quod proprium illorum est, quod finitum et infinitum non putarunt ullas alias esse naturas, ut puta ignem, aut terram, aut aliud simile, sed ipsum infinitum et ipsum unum, substantiam horum esse, de quibus prædicantur; quare et numerum, et substantiam omnium esse. In hunc itaque modum et de his asseruerunt, et de ipso quid est *(scilicet de ipsa quidditate)* inceperunt quidem dicere et definire, sed valde simpliciter tractarunt. Definiebant enim perfunctorie, et cui primo dicta definitio inesset, hoc esse substantiam rei putarunt; perinde ac si quis putaret idem esse duplum *(in re)* et dyadem *(dualitatem abstractam)*, quoniam primum dyadi duplum inest. Sed non est idem fortassis esse *(essentia)* duplo et dyadi; quod si non, ipsum unum erit multa, quod illis quoque accidebat. »

Ibidem, cap. 6, Aristoteles ait: « Pythagoræi *imitatione* numerorum dicunt entia esse; Plato vero nomen mutando, *participatione*. Participationem vero aut imitationem specierum, quænam sit, communiter quærere omiserunt. » Jam vero, res formas exemplares sibi extrinsecas imitantur, et in mundi initio participaverunt per creationem, seu per totius substantiæ suæ productionem ex nihilo a Deo, ac mediantibus formis suis substantialibus sibi concreatis, quibus divinis ideis conformantur. Hunc autem imitationis modum, quem docent philosophi christiani, non assignaverunt Pythagoras et Plato.

II.

Aristoteles recte etiam, rejecit Exemplarismum Platonis.

477. — Nam ipsius judicio, Plato æternas rerum ideas non posuit in Mente divini Artificis, sed eas consideravit tanquam substantias universales et a rebus separatas, quas communiter participant omnia ejusdem speciei individua, ita ut ideæ medium quoddam impossibile occupent inter Intellectum divini Artificis et res quas produxit. Nullum enim medium intelligi potest inter ens ideale et ens reale; unde ideæ, sicut cætera universalia, extra res singulas non existunt nisi in aliquo intellectu, sive divino et originaliter, sive creato et participative.

Utrum Plato ideas consideraverit tanquam substantias universales a rebus individuis separatas, et extra divinum Intellectum existentes, infra examinabimus n.° 491; quod autem Aristoteles sic intellexerit Platonis ideas, patet ex apertissimis ipsius verbis. De Platonicis enim ait in lib. 13 Metaph., cap. 9, circa fin.: « Universales substantias faciunt ideas, et rursus ut separatas, et singularium. » — Item, in lib. 1 Metaph., cap. 7, circa med.: « Itaque species *(in genere)* substantiæ erunt. Illæ enim hîc *(in rebus singularibus)* et ibi *(extra res)* substantiam significant. »

III.

Verus Exemplarismus non est contra, sed extra doctrinam Aristotelis.

478. — 1°) Non est contra illam; nam Philosophus impugnat Pythagoræ Exemplarismum, quia fundatur in imitatione solius numericæ

unitatis, et Platonis Exemplarismum, quia fundatur in idcis substantialibus, quæ extra res et Intellectum divinum existunt. — Atqui, verus Exemplarismus, quem post sanctos Ecclesiæ Patres et doctores tradimus, non fundatur in imitatione numericæ Monadis, sed in varia imitatione Essentiæ divinæ. Insuper non docemus ideas esse substantias, quæ extra res et Intellectum divini Artificis existunt, sed esse ipsam Dei Essentiam non quidem in se sumptam, sed spectatam inquantum a Deo cognoscitur tanquam variis modis imitabilis et imitanda, ita ut æternas rerum ideas ponamus in divino Intellectu; has enim consideramus tanquam varios modos imitationis suæ Essentiæ a Deo intellectos. — Ergo Aristotelis impugnationes verum Exemplarismum non attingnnt eique non opponuntur.

2°) Verus Exemplarismus est extra, vel potius supra doctrinam Aristotelis

Nam Philosophus tria tantum prima admittit rerum principia: duo in ipsis rebus, scilicet *materiam* et *formam* substantialem, seu potentiam et actum, et unum extra res, scilicet *primum Motorem physicum,* seu Deum, qui cum sit substantialiter Actus purus et substantia immutabilis ac immobilis, est supremum, intrinsecum atque necessarium Principium omnium mutationum ac motuum, quos in generatione et operatione substantiarum potentia et actu compositarum observamus. — Primus enim Motor est causa *generationis rerum* educendo formas ex potentia materiæ atque sic materiam actu ac substantialiter informando et transformando; nam successiva rerum mutabilium generatio est motus transformationis materiæ, ita ut corruptio unius individui sit generatio alterius. — Præterea primus Motor est causa *operationis rerum,* inquantum operativas earum potentias physice præmovet ad agendum.

Igitur in systemate Aristotelis, Deus est Actus purus, qui omnem rerum potentiam actuat sive in essendo, sive in operando; est supremus Motor in se immobilis, qui omnia mutabilia successive actuat motu æterno. Porro hic motus æternus est, non quidem ex parte individuorum mutabilium sibi invicem succedentium; sed sive ex parte primi Motoris immutabilis et æterni; sive ex parte specierum seu naturarum, quæ in individuis actualiter existunt et successione non interrupta individuorum ejusdem speciei perseverant; sive ex parte ipsius motus, qui in mutabilibus quidem rebus accipitur, sed æternam, ac immutabilem Causam habet.

3°) Probatur ex ipsis verbis Aristotelis nimirum ex textibus, quibus Aristoteles ex motu omnium rerum mutabilium concludit necessitatem primi ac physici Motoris immutabilis, qui ad ordinem universum, mediante motu physico, explicandum sufficit.

Legitur in lib. 12 Metaph., cap. 6: « Cum vero tres sint substantiæ: duæ quidem physicæ *(cœlestium scilicet ac terrestrium corporum, quæ sive extrinsece mobiles sunt, sive intrinsece mutabiles)* alia autem immobilis; de hac est dicendum, quia necesse est perpetuam aliquam et immobilem substantiam esse. Etenim substantiæ primæ entium sunt, et si cunctæ sint corruptibiles, omnia corruptibilia sunt. At impossibile est, aut generari motum, aut corrumpi, nam semper erat; neque tempus, cum non sit possibile prius et posterius esse, tempore non existente. Et motus sane ita continuus est, sicuti et tempus. Aut enim ipse motus, aut aliquid motus ipsius passio est. Motus vero non est continuus, præter hunc qui localis est, et hunc qui circularis est. At vero si motivum aut effectivum est, non autem operans aliquid, nullus est motus. Possibile enim est non operari quod potentiam habeat. Nulla igitur utilitas erit, ne quidem si perpetuas substantias fingamus, quemadmodum qui fingunt species *(ideas),* nisi aliquid principium insit, quod movere possit. Nec etiam sufficiet illa quidem nec alia substantia præter species. Nam si non operabitur quidem, substantia vero ejus potentia sit, non erit perpetuus motus. Quod enim potentia est, contingit non esse. Oportet igitur esse tale Principium, cujus substantia sit Actus. Item has oportet esse substantias absque materia; sempiternus enim esse oportet, si aliquid quidem æternum est; actu igitur sunt. »

Item, lib. 8 Physic., cap. 4 et 5: « Omnia utique quæ moventur, ab aliquo movebuntur. Hoc autem dupliciter: aut enim non per seipsum movetur, sed per alterum quod movet movens, aut per seipsum movetur. Et si ab altero moveatur, aut per primum post ultimum movetur, aut per plura... Si ergo necesse est, omne quod movetur, ab aliquo moveri, atque ab eo quod ab alio movetur, aut non; et si ab alio movetur quod ipsum movetur, necesse est esse primum Movens, quod non ab alio movetur Si autem hujusmodi est Primum, non necesse est esse alterum. Impossibile enim est in infinitum abire movens, et ipsum quod movetur ab alio; infinitorum enim nihil est primum. Si ergo omne quidem quod movetur, ab aliquo movetur, primum autem Movens movetur quidem, sed non ab alio, necesse est ipsum a seipso moveri. »

Et, lib. 12 Metaph., cap. 8, init.: « Principium et primum entium, tum per se, tum per accidens immobile est, movens autem primo,

sempiterno et uno motu. Cum vero quod movetur necesse sit ab aliquo moveri, primumque Movens immobile per se esse, ac motum æternum ab æterno moveri, et unum ab uno... » — Ibid., cap. 10: « Cuncta in mundo coordinata quodammodo sunt, sed non similiter et natantia, et volatilia, et plantæ; nec ita se habent ut unum ad alterum tantum referatur, sed etiam ad aliud; ad unum etenim Principium extrinsecum coordinata sunt omnia... *Primum Principium res causat movendo... Nec aliud conferunt principia multa...* »

De Mundo, cap. 6: « Neque Deo aut artificiosa molitione, aut alieno ministerio opus est, sicut mortalibus principibus, quando propria infirmitate deficientes, operarum decurias manusque numerosas adhibent ad res conficiendas. Sed divinitati maxime consentaneum est, ut rerum omnium formas absolvat extra difficultatem et simplici motu. Agit enim quemadmodum illi machinatores, qui uno instrumento utentes, multos et varios effectus edunt; vel sicut faciunt illi præstigiatores, qui *Neuroplastæ* propter hoc appellantur, quod fidiculis ductitandis imaguncu-las animatas esse fingunt; etenim cum funiculum aut nervum trahunt, cervicem et manum, quasi animati simulacri movent, vel humerum et oculum, vel etiam omnia membra, idque quadam cum pulchritudine et proportione motûs. Hoc igitur modo, natura divina, ab uno eodemque simplici motu, primo vim suam immittit in ea corpora *(cœlestia)* quæ sunt primo continentia, deinde in ea quæ longius atque longius absunt, usquedum per universa permeaverit. »

Lib. 12 Metaph., cap. 10: « Maxime principium est ipsum Bonum, et recte quidem dicunt quod Bonum sit principium, sed quomodo principium sit, utrum ut *finis*, an ut *movens*, an ut *species*, non dicunt. »

Ex his locis manifestum est Aristotelem tanquam primum Principium agnovisse Bonum, seu Deum consideratum, non ut finem, neque ut speciem exemplarem vel realem, sed ut Actum purum, qui per modum *primi Motoris*, res omnes causat, ipsarum potentias movendo ad actum, et quidem physice. Hoc autem *motu supremo ac physico* explicat rerum omnium generationem, operationem, et motum localem totius mundi. Ast in systemate Aristotelis, Deus non consideratur ut supremus perfectissimusque Artifex, qui mundum formavit ad sui exemplar, et propter seipsum; nec consequenter ut supremus Gubernator, qui omnes homines juxta Legem suam regit ad seipsum *in ordini morali*, sicut jam diximus n.° 289, II, 3°. Maximam hanc lacunam, erroresque ex ea provenientes optime ostendit S. Bonaventura in loco proxime citando.

Inde luculenter apparet doctrinam divini Exemplarismi, quæ Deum considerat ut mundi *Artificem, Archetypum* et *Rectorem*, contemplationem suam multum attollere extra ac supra Aristotelis systema, quod Deum considerat unice ut primum ac physicum omnium rerum *Motorem* et Causam motus necessarii ac perpetui, per quem explicatur generatio atque operatio omnium rerum sibi invicem ab æterno succedentium.

4°) Objici potest: Aristoteles Deum consideravit non solum ut physicum ac necessarium rerum Motorem, sed etiam ut liberum mundi Gubernatorem, qui omnes homines ad finem moraliter movet; nam in cap. 6 de Mundo, Deum eleganter comparat regi in civitate et præcentori in choro, qui singulorum civium vel cantorum actionem sua ratione dirigunt ad communem ac bonum finem a se intentum.

Respondemus. Philosophum in hoc loco non loqui juxta proprium suum systema, sed juxta veteres traditiones, quas refert de mundi constitutione et gubernatione a Deo, sicut ipse præmonet in allegati Capitis initio. Ait enim: « Vetus igitur sermo est atque a majoribus traditus inter omnes homines, universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse et coagmentata... » Præterea in reliquo Capite, necnon in sequenti, pluries antiquorum carmina poetarum citat. Vide supra n.° 212.

IV.

Aristoteles non docendo divinum Exemplarismum, multos docuit errores.

479. — Platonis enim ideas rejecit ex omnibus scientiarum ordinibus, sed destruendo falsum magistri sui Exemplarismum, verum Exemplarismum non adstruxit super falsi ruinas, et ex illa maximi momenti lacuna, gravissimi in doctrina ejus oriuntur defectus atque errores, quemadmodum optime ostendit S. Bonaventura in Illumlnationib. Eccles., serm. 6, init., ubi legitur: « Sicut omnes viderint primam Causam, omnium *principium*, omnium *finem*, *in medio* tamen diversificati sunt. Nam aliqui negaverunt in ipsa esse exemplaria rerum, quorum princeps videtur Aristoteles, qui et in principio Metaphysicæ, et in fine et in multis aliis locis exsecratur ideas Platonis. Unde dixit, quod solum *(prima Causa seu Deus)* novit se, et non indiget notitia alicujus alterius rei, et movet ut desideratum et amatum. Ex hoc posuit, quod nihil, vel nullum particulare cognoscit. Unde illas ideas principaliter præcipuus impugnat Aristoteles in Ethnicis, ut dicit, quod summum Bonum non potest esse idea, et nihil valent rationes suæ, et commentator solvit eas. »

« Ex isto errore sequitur alius error, quod Deus non habet præscientiam, nec providentiam, ex quo non habet rationes rerum in se, per quas cognoscat. Dicunt etiam, quod nulla veritas de futuro est, nisi veritas necessariorum, et veritas contingentium non est veritas. Et ex hoc sequitur, quod omnia fiunt a casu. Ideo inducunt necessitatem fatalem Arabes, scilicet quod illæ substantiæ moventes orbem sunt causæ omnium necessariæ. »

« Ex quo sequitur veritas occultata, scilicet dispositio mundialium secundum pœnam et gloriam. Si enim illæ substantiæ movent non errantes, nihil ponitur de inferno, nec quod sit dæmon *(diabolus)*; nec Aristoteles unquam posuit dæmonem, nec beatitudinem post hanc vitam, ut videtur. »

« Iste est ergo triplex error, scilicet occultatio exemplaritatis, divinæ Providentiæ, dispositionis mundanæ. Ex quo sequitur talis cæcitas, vel caligo, scilicet de æternitate mundi, ut videtur dicere Aristoteles secundum omnes doctores græcos, ut Gregorium Nyss., Gregorium Naz., Damascenum, Basilium et sectatores omnium Arabum, qui dicunt quod Aristoteles hoc sensit, et verba sonare videntur. Nunquam invenies quod ipse dixerit, vel dicat, quod mundus habeat principium vel initium. Imo redarguit Platonem, qui solum videtur posuisse tempus incepisse, et illud repugnat lumini veritatis. »

« Ex isto sequitur alia cæcitas de unitate intellectus, quia si ponitur mundus æternus, necessario aliquod illorum sequitur; vel quod animæ sunt infinitæ *(numero)*, cum homines fuerint infiniti; vel quod anima est corporalis *(seu educta e materia)*; vel quod est transitio de corpore in corpus *(transmigratio animarum)*; vel quod intellectus sit unus in omnibus, qui error attribuitur Aristoteli. Ex his duobus sequitur, quod post hanc vitam non est felicitas, nec pœna. »

« Hi ergo ceciderunt in errores, nec fuerunt divisi a tenebris; et isti sunt pessimi errores... Hæ sunt tenebræ Ægypti. Licet enim magna lux videretur in eis ex præcedentibus scientiis, tamen omnino extinguitur per errores prædictos. Et alii videntes, quod tantus fuit Aristoteles in aliis, et ita dixerit veritatem, credere non possunt quin et in istis dixerit verum. »

V.

Lacunæ et errores doctrinæ Aristotelis debent per verum Exemplarismum compleri et corrigi.

480. — Omnes errores a S. Bonaventura indicatis oriuntur ex enormi lacuna, quam Philosophus in sua doctrina reliquit, excludendo divinum Exemplarismum. Ergo isti errores corrigendi sunt prædictam lacunam complendo et doctrinæ Aristotelis conjungendo verum Exemplarismum, qui ei non opponitur, sed adjiciendus est, ut ordinis universi scientia acquiratur.

Universus enim ac trinus ordo naturalis, de quo solo nunc agitur, complectitur primo totum ordinem *physicum* cum duplici linea essendi et operandi, cujus terminus est physica omnium rerum perfectio in sua existentia et operatione; secundo complectitur totum ordinem *intellectualem*, cujus principia sunt species intelligibiles ex rerum phantasmatibus abstractæ per innatum lumen intellectus agentis; tertio complectitur totum ordinem *moralem*, cujus principium est beatitudo, seu finis, in exsecutione ultimus, sed in intentione primus. Cum autem sapientis sit omnia ordinare ad supremum Principium, quod Deus est, liquet veram ac completam sapientiam debere Deum contemplari ut unicum et supremum Principium trini ordinis physici, intellectualis ac moralis. — Atqui, Aristoteles Deum unice considerat tanquam primum Principium ordinis physici, ita ut ordinem intellectualem et moralem, ad Deum non reducat, et propterea in multos errores incidat; dum verus Exemplarismus Deum contemplatur tanquam supremum Principium trini ordinis universi, omniaque ad Deum recte reducat, ita ut devitet omnes errores qui in aliqua inordinatione consistunt. — Ergo divinus ac verus Exemplarismus complet naturalem Aristotelis sapientiam, seu philosophiam, ejusque errores corrigit.

Probatur Minor. Aristoteles Deum unice considerat tanquam primum, æternum, immutabilem, physicum et necessarium Motorem omnium rerum mutabilium, sicut supra ostendimus ex ipsis ejus verbis. — Atqui, talis Motor est tantum Principium physicæ, necessariæ ac successivæ existentiæ (seu generationis) et operationis rerum mutabilium, non autem principium operationis intellectualis ac moralis entium rationalium. — Ergo.

Verus autem Exemplarismus Deum considerat inquantum per ipsius Essentiam, intelligentiam ac liberam voluntatem est suprema trinaque rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis existentiæ ac operationis physicæ, intellectualis et moralis omnium rerum, quas non *physice* tantum, sed *moraliter* movet ad finem, sicut patet ex toto opere nostro. Ubique enim Deum contemplati sumus tanquam supremum mundi Artificem, Archetypum et Rectorem, qui omnia creavit et gubernat a seipso, ad seipsum et juxta seipsum, scilicet juxta ideas, quas ab æterno in Mente sua concepit

in ordine intentionis, et quæ nihil aliud sunt quam ipsius Essentia infinite perfecta ab eo intellecta ut diversis modis finitis a creaturis suis imitanda essendo et operando, in exsecutionis ordine physico, intellectuali ac morali. — Ergo divinus Exemplarismus Deum considerat ut unicum et supremum Principium trini ordinis universi: Deus enim est supremum Principium totius ordinis *physici*, inquantum est prima Causa efficiens ac physica substantiæ, potentiarum et operationis physicæ creaturarum. Deus est supremum Principium totius ordinis *intellectualis*, inquantum est prima Causa exemplaris, cui omnis creatus intellectus, ut vere res cognoscat, conformari debet mediantibus speciebus seu formis intelligibilibus, quæ æternis rerum ideis analogice similes sunt. Deus est supremum Principium ordinis *moralis*, inquantum est prima Causa finalis, nam in ordine morali, voluntas creata primo intendit beatitudinem, seu bonum universale, quod Deus est per Essentiam suam et quod varie participant omnes qui in possessione cujuslibet boni adepti gaudent, et quodammodo beantur. — Ergo per hanc trinam ac rectam omnium rerum ordinationem ad Deum, Exemplarismus complet Aristotelis doctrinam omnesque ejus errores radicaliter corrigit.

VI.

De concordia existente inter Aristotelis ac Platonis systemata.

481. Hæc systemata, si singulariter spectentur, sibi invicem extreme opponuntur, sed harmonice conciliantur in unitate sapientiæ seu scientiæ ordinis universi. Duplex etenim ordo in entibus generalissime distinguitur, nempe ordo *realis*, et ordo *idealis;* quæ distinctio fundatur in universali entis distinctione in ens reale et ens rationis. Porro ens reale, ordo realis et scientia utriusque particulariter spectata opponitur enti rationis, ordini ideali et utriusque scientiæ particulariter spectatæ; sed ambæ scientiæ istæ, licet sibi invicem ac singulariter oppositæ, continentur tamen in scientia universali omnis entis et omnis ordinis, quæ ab utraque completur ambasque in sua unitate conciliat.

Atqui, Aristotelis scientia, seu doctrina, tanquam objecta præcipua habet *entia realia* eorumque ordinem, quem per tria principia explicat, nempe per materiam ac formam in rebus, et per supremum materiæ ad formam Motorem extra res. Platonis autem doctrina tanquam præcipua objecta habet *æternas ideas*, quas divinus mundi Artifex aspicit extra res, sive in suo Intellectu, sive extra suum Intellectum, sicut putant alii, et juxta quas omnia entia realia efficit propter propriam Bonitatem suam in eis repræsentandam.

Ergo Aristotelis et Platonis systemata, licet sibi invicem opposita, sicut ens reale et ens ideale, harmonice concurrunt ad universalem entis scientiam nobis ingerendam. Plato enim, vel potius verus Exemplarismus, nos docet æternas rationes exemplares et supremam atque externam Causam efficientem ac formalem entium, quæ Aristoteles in eorum realitate intrinseca perscrutatur, quin æterna eorumdem exemplaria sublimiter in Deo quærat. Unde rectissime dicit B. Albertus Magnus in Tomo 2, oper., p. 62, edit. Lugdun.: « Scias quod non perficitur homo in philosophia, nisi ex scientia duorum philosophorum, Aristotelis et Platonis. »

§ II.

Aristoteles docet trinum ordinem rerum.

I.

Asserit trinum ordinem ab ipsa natura rebus inditum esse.

482. — In hoc assentit Pythagoræis, a quibus dissentit circa numericum Exemplarismum, sicut supra ostendimus. De trino autem ordine in rebus, qui constat principio, medio et fine in omni toto inveniendis, sic loquitur in lib. 1 de Cœlo, cap. 1: « Quemadmodum enim aiunt et Pythagoræi, ipsum omne et omnia tribus determinata sunt. Nam finis, et medium et principium eum numerum habent, qui ipsius totius est; hæc enim eum habent numerum qui trinitatis est. Quapropter a natura accipientes tanquam ejus leges, etiam ad deorum sacrificia ternario utimur numero... Hæc autem sicut dictum est, sequimur, propterea quod natura ipsa ita inducit. »

Item, cap. 7, de Poetica: « Totum est habens principium, et medium, et finem. *Principium* quidem id est, quod ex necessitate post aliud non est, sed post illud est, aut fit naturaliter aliud. *Finis* e contrario id est, quod post aliud naturaliter est, aut ex necessitate, aut alio modo; post hoc autem nihil est aliud. *Medium* tandem id est, quod post aliud est... Jam vero oportet pulchrum, et animal, et omnem rem, quæ ex quibusdam composita est;... hæc ordinata in se habere. »

Et, lib. 4 Metaph., cap. 26: « Cum quantitas habeat principium, medium et finem, si horum positio non facit differentiam, *omne* dicitur; si

vero facit differentiam, *totum* dicitur; si autem ambo facere contingit, et *omne* et *totum* dicitur. »

II.

Aristoteles assentit Platoni docenti Deum esse primam Causam trini rerum ordinis.

483. — Trinus ille ordo est principium, medium et finis, quæ in omnibus rebus inveniuntur. Ait enim, cap. 7, de Mundo, ubi non suam, sed Platonis doctrinam profert: « Proinde hæc omnia non aliud quidquam nisi Deum esse manifestum est, sicut nobilis Plato censuit. Nam Deus, quemadmodum vetusto proverbio traditum est, principium et finem, et media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur secundum naturam, post se comitem habens justitiam, divinæ Legis vindicem, simul ac quidquam mandatorum ejus transgressum est. Hujus autem beatitudinem ut ille participet, qui felix et beatus evasurus est, rectus ab initio sit ejus particeps. »

III.

Aristoteles docet omnia corpora tripliciter perfici, quoad substantiam, et quoad motum.

484. — In lib. 12 Metaph., cap. 3, distinguit tria substantiarum corporearum principia, nempe materiam, formam seu naturam, et utriusque unionem, ex qua resultat totum ac unicum individuum ex utraque compositum. Sic loquitur: « Substantiæ vero tres: quædam *materia*, quæ quod quid est, eo ipso quod apparet...; quædam vero *natura*, quod quid est, et quidam habitus ad quem; tertia item quæ *ex iis componitur* et singularis est, ut Socrates, aut Callias. » — *Per naturam* intelligit formam substantialem, nam dicit in lib. 2 Phys., cap. 1, fin.: « Forma itaque natura est. » — *Per habitum* ad quem, intelligit naturalem inclinationem ad aliud, quæ ex forma sequitur, et naturalem seu physicum operationis ejus ordinem ad proprium objectum suum determinat.

Similiter in lib. 11 Metaph., cap. 9, init., in rerum substantia et motu, seu operatione, quæ ex substantia sequitur, tria distinguit, scilicet *actum*, quo substantia, vel actio, existit realiter seu actualiter; *potentiam* physicam, quæ intrinsece determinat modum seu mensuram perfectionis, qua substantia vel actio existit; *potentiam et actum*, quæ simul inveniri debent in substantia et operatione omnium entium, quæ non sunt infinite perfecta, seu quæ non sunt actus puri. — En ipsa Philosophi verba: « Est autem hoc quidem *actu* solum; illud vero *potentiâ*; tertium autem *potentiâ* et *actu*. Hoc quidem est ens, illud vero est quantum; tertium autem est aliquid cæterorum. Non est autem motus præter res; mutatur enim semper secundum entis prædicationes. » — Nam operari sequitur esse, sicut fert axioma, quia intrinsecum motus principium est natura, sicut docet Philosophus in loco proxime citando: « Naturam enim principium motus corporibus esse dicimus. »

In lib. 1 de Cœlo, cap. 2, Aristoteles eamdem analogiam statuit inter tria genera substantiarum corporearum, et tria genera motuum localium substantiis correspondentium. Omnes corporeæ substantiæ sunt compositæ materia et forma, sicut modo docuit, sed quoad materiam suam, quædam substantiæ sunt simplices, seu elementares, quædam autem sunt his simplicibus compositæ; sed duo sunt genera substantiarum materialiter simplicium, scilicet æther, qui est commune ac homogeneum elementum materiale, quo componuntur omnia corpora cœlestia; et quatuor elementa sibi invicem contraria, seu heterogenea, quibus componuntur omnia corpora terrestria. Unde tria distinguuntur substantiarum genera, scilicet primo æther, qui simplex est, et omnia corpora cœlestia, quorum materia est ætherea ac proinde simplex; secundo quatuor elementa terrestria, quorum singula simplicia sunt, sed sibi invicem contraria; tertio omnia corpora terrestria, quæ ex quatuor contrariorum elementorum mixtione componuntur. — Similiter Philosophus distinguit tres motus locales, scilicet duos motus simplices, nempe motum circularem ac motum rectum, et tertio motum curvum, ex utroque motu simplici compositum. — Cum autem operatio vel motus sequatur esse, consentaneum est ut motus simplices attribuantur substantiis simplicibus, et motus compositus substantiis compositis. Itaque primo, motus simplex et perfectior, nempe motus *circularis*, naturaliter proprium est ætheri et corporibus cœlestibus, quæ sunt corporum simplicium perfectiora, ac proinde naturaliter moventur circa mundi centrum, quod terra est, sicut mox ostendetur. Secundo, motus simplex et imperfectior, seu motus *rectus*, naturaliter proprium est quatuor elementis, quæ sunt corporum simplicium imperfectiora; porro distinguitur duplex motus rectus, unus a mundi centro, seu *sursum*, qui perfectior est et consequenter naturâ competit igni atque aëri, utpote perfectioribus inter quatuor elementa; alter vero distinguitur motus ad mundi centrum, seu *deorsum*, qui imperfectior est, et naturaliter competit aquæ ac demum terræ, quæ, utpote imperfectissima ac gravissima, occupat infimum mundi locum. Terra autem rotunda est, ita ut medium ejus, quod est infimum totius mundi punctum,

sit centrum gravitatis omnium corporum gravium, scilicet aquæ et omnium corporum terrestrium. Denique motus *mixti* competunt compositis corporibus, secundum prædominans in eis elementum.

Sed ipsum Philosophum loquentem audiamus: « Omnia naturalia corpora et magnitudines, de se mobiles secundum locum esse dicimus; naturam enim motus principium ipsis esse dicimus. Omnis autem motus localis, quem vocamus lationem, aut *rectus* est, aut *circularis*, aut ex his *mixtus;* simplices enim hi duo soli sunt. Causa autem est, quoniam et magnitudines hæ simplices solum sunt recta et circularis. Circularis igitur motus est, qui circa medium sit; rectus autem qui sursum et deorsum. Dico autem *sursum* motum qui est a medio, *deorsum* vero motum qui est ad medium. Quare necesse est omnem simplicem lationem esse hinc quidem a medio, hanc vero ad medium. Et hoc videtur sequi ea quæ a principio diximus: etenim et corpus perfectum est in tribus, et motus ipsius. Quoniam autem corpora illa quidem sunt *simplicia*, hæc autem *composita* ex his. Dico simplicia quidem quæcumque motus principium habent secundum naturam *(seu necessariam inclinationem)*, puta ignem et terram, et horum specie et cognata his: necesse est et motus esse illos quidem *simplices*, hos autem quodammodo *mixtos;* simplicium quidem corporum simplices esse motus, mixtorum vero corporum mixtos esse motus, moveri autem secundum prædominans elementum. » — Deinde docet *terram* occupare medium mundi corporalis; *aquam* ad terram ferri deorsum motu recto; *aerem* et *ignem* à terra ferri sursum; *ætherem* vero circa terram ferri motu orbiculari.

IV.

Docet Aristoteles ordinem totius mundi consistere in harmonia.

485. — Harmonia est unio contrariorum, et requirit saltem tria principia, scilicet duo contraria, et conjunctio utriusque in uno ex eis composito. Naturalis etenim ordo mundi universalissime spectatus consistit in harmonica unione naturarum cœlestium ac terrestrium, quæ sibi invicem opponuntur; et hæc harmonia tribus principiis constans, mundi pulchritudinem constituit.

Legitur in initio cap. 2 de Mundo: « Mundus est compages cœlo terraque coagmentata, atque iis naturis, quæ intra ea continentur. Dicitur etiam aliter mundus: ordo et dispositio universorum, quæ a Deo et per Deum asservantur. » — Et ibid., cap. 5: « Fuerunt qui se admirari dicerent, quomodo fieri posset, si e principiis contrariis mundus consistit, siccis scilicet ac humidis, frigidis ac calidis, ut tamdiu non dissolutus fuerit atque interierit... Nesciunt autem naturam contraria appetere, atque ex eis et non ex similibus consona efficere. Sic certe ipsa marem cum femina conjunxit, non autem horum utrumque copulavit cum suo sexu, quin primam unionem per contraria, non per similia devinxerit... Itaque universorum coagmentationem, cœli inquam et terræ et universi mundi, compositione quadam principiorum summa contrariorum convenienter attemperata, natura ipsa digessit, ita ut una eadem harmonia cohærerent, quippe siccum humido conjunxit, calidum frigido, gravi leve et rectum circulari... Hujus autem rei causa est concordia elementorum. Concordiæ autem causa est æquabilitas, qua alterum altero non magis pollet: ad æquilibrium enim adæquantur gravia cum levibus, calida cum frigidis. Sic utique natura nos docet, in rebus majoribus, æqualitatem esse concordiæ tutricem et servatricem; ipsam vero concordiam esse mundi salutem, rerum omnium genitoris, ac longe omnibus præstantis pulchritudine. Quænam enim natura est mundo præstabilior? Siquidem quamcumque dixeris naturam, ipsius utique mundi pars erit; nam omne pulchrum est mundi homonymum, et quasi gentilitium mundi nomen a mundo accepit. »

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN PLATONE.

In hoc Articulo ostendemus: 1°) totam Platonis doctrinam in divino Exemplarismo, seu in æternis rerum ideis fundari; 2°) probabilius Platonem ideas posuisse extra Intellectum divini Artificis; 3°) totam Platonis doctrinam esse tripliciter ordinatam; 4°) Platonem tamen nullatenus cognovisse Trinitatem personarum in Deo.

§ I.

Tota Platonis doctrina in divino Exemplarismo, seu in æternis rerum ideis, fundatur.

In hoc paragrapho: 1°) indicabimus synthesim totius doctrinæ Platonis; 2°) videbimus quid ipse dicat de divina Essentia, pulcherrimo rerum omnium Exemplari; 3°) de toto mundo exem-

plari; 4°) de singularum rerum exemplaribus, sive ideis; 5°) de materia et forma in rebus, et de divino rerum Artifice.

I.

Synthesis totius doctrinæ Platonis.

486. — Aristoteles præsertim scrutatus est primas rerum causas physicas et intrinsecas, scilicet materiam, formam substantialem ac motum a forma procedentem, quo tum generationem, tum cæteras operationes substantiarum mutabilium explicat; et *per analysim ascendendo*, Deum invenit tanquam extrinsecum, immutabile, æternum ac necessarium Principium physici motus universi. — Nobilis autem Plato contempsit immediatam rerum mutabilium considerationem, sed primum contemplatur æternam ac immutabilem earum causam extrinsecam, scilicet Deum, quem considerat tanquam supremum mundi Artificem, Archetypum et Rectorem, seu tanquam supremam Causam efficientem, exemplarem, ac finalem, a qua *per synthesim descendit* ad explicandum pulchrum trinumque ordinem, qui tum in substantia, tum in motu seu operatione physica, intellectuali et morali opificiorum ejus inveniendus est ad exemplar primæ suæ Causæ. Corporeæ enim substantiæ sunt compositæ materia et forma, per quam sunt intrinsece similes formis exemplaribus, seu idealibus. Deinde physice moventur juxta naturalem inclinationem a forma substantiali procedentem. Rationales autem substantiæ intellectualiter ac moraliter operari debent ad exemplar ipsius Dei, Mente ac Voluntate operantis.

Etenim secundum Platonem, Deus est a se et per se. Est igitur supremum Ens spirituale, et ideo est Intellectus ac Voluntas; est summe unum, verum, pulchrum, bonum, immutabile, æternum; aut aliis verbis est ipsa unitas, veritas, pulchritudo, bonitas, sapientia, justitia, et tota infinitaque perfectio; est igitur Causa efficiens, exemplaris et finalis omnis unitatis, veritatis, pulchritudinis, bonitatis, et cujuslibet perfectionis finitæ, quæ extra ipsum est, vel esse potest. Dei vita et beatitudo consistit in sapida, et dilectione plena, propriæ perfectionis contemplatione.

Sed ipsum potius Platonem loquentem audiamus. Illum citabimus juxta editionem Firm. Didot, 1873, cum paginatione ejusdem editionis, et etiam cum paginatione editionis Henrici Etienne, quæ in cæterarum editionum margine inveniri solet.

II.

De divina Essentia, pulcherrimo omnium rerum Exemplari.

487. — 1°) Solus Deus est per Essentiam suam.

« Philosophus autem *Entis ipsius* ideæ ratiocinatione semper inhærens, ob regionis illius splendorem haud facile cernitur: nam vulgarium animorum oculi divinitatis radios sustinere non possunt » (Sophista, T. 1, p. 191, n.° 39. Vel p. 254, n.° 25).

Alibi Deus dicitur *Ens essentialiter*, seu per Essentiam suam « Τῷ δὲ ὄντως Ὄντί ... » (Timæus, T. 2, p. 220 supra, vel p. 52). In hoc loco Ens supremum opponitur « imagini quæ id ipsum, cujus causa exstitit, non sui ipsius est, sed alterius cujusdam semper simulacrum fertur. »

« Ex his omnibus sequitur, quod ab initio diximus, nihil esse unum per se, sed alicui semper fieri; ipsum autem *Esse undique* (τὸ δ'εἶναι παντα χόθεν) excipiendum esse, licet nos in superioribus, consuetudine quadam atque inscitia illo *Esse* uti sæpius coacti fuerimus. » (Theætetus, T. 1, p. 120 in med., vel p. 157).

« Viri admodum ingeniosi est, qui percipere possit *Ipsum per se*, cujus genus *Esse*, et *ipsam secundum se Essentiam*, nec non mirabilioris viri, qui hæc invenire possit, atque alios docere, postquam sufficienter omnia hæc discreverit » (Parmenides, T. 1, p. 632, vel p. 135).

« Arbitror concedere te, eorum quæ sunt; quædam *ipsa per se esse*, quædam ad alia referri. » (Sophista, T. 1, p. 192, med. vel p. 255).

« Quid vero per Jovem? Revera motum, vitam, animam, sapientiam numquid ab Eo, quod *absolute Est* (τῷ παντελῶς Ὄντι), abesse prorsus existimabimus, et vivere ipsum et sapere, sed venerandum sanctumque, non habens mentem, consistere? Absurdum nimis id concederemus. » (Ibid., p. 187, med., vel p. 249).

2°) Deus est ipsa Pulchritudo æterna et immutabilis.

« Quicumque hucusque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem jam amatorii affectus perveniens, subito quamdam natura *mirabilem inspiciet Pulchritudinem*, hoc Illud, o Socrates, cujus gratia labores omnes præcedentes subiimus, *quod principio quidem semper Est*, nec fit, nec interit, nec crescit unquam neque decrescit; præterea non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe; vel tum pulchrum, tum minime; neque ad hoc quidem pulchrum, turpe vero ad illud; vel hîc pulchrum, ibi turpe; ut quibusdam pulchrum sit, quibusdam vero nequaquam; neque rursus

imaginatione quadam ipsum pulchrum ita fingetur, ut vultus pulcher, vel pulchræ manus, aut aliud quiddam, cujus corpus est particeps; neque in alio esse putabitur, velut in animali, vel terra, vel cœlo, aut alio quopiam; sed *id ipsum, per seipsum, cum semetipso uniforme semper Ens;* cætera vero omnia, quæ pulchra sunt, illius participatione quadam pulchra, ea scilicet conditione, ut nascentibus et intereuntibus reliquis, nihil subtrahatur Illi, aut addatur, et nihil patiatur... Hoc est profecto ad amatoria recte pergere, vel ab alio duci, quando videlicet quis ab his pulchris, gratia Pulchri illius ascendere incipit, quasi quibusdam gradibus utens, ab uno primum ad duo transiens, et a duobus ad omnia, quæ pulchra sunt, corpora; ab his ad omnia studia pulchra; a pulchris studiis ad doctrinas pulchras conversus, donec a doctrinis in illam doctrinam perveniens, quæ non alterius est quam illius ipsius Pulchri doctrina, atque ita demum quod ipsum Pulchrum est, cognoscat. — In hoc utique vitæ statu, o amice Socrates, si usquam alibi, vita vitalis est homini ipsum Pulchrum contemplanti. Quod si quando aspexeris, supra quam dici possit pretiosius auro, ornatisque vestibus... censebis... Quam felix illud spectaculum fore putamus, si cui contigerit, ut ipsum Pulchrum intueatur, sincerum, *integrum, purum, simplex* non humanis carnibus, coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum, sed *ipsum uniforme Pulchrum divinum inspiciat!* »

« Num vitam parvi facias hominis illuc spectantis quo pulchrum spectandum est, et cum illo versantis? Nonne cogitas, quod sibi solum contemplans ille, eo oculo quo percipi potest, non amplius virtutis imagines, sed ipsas virtutes pariet, quippe cum non simulacrum, sed rem ipsam attingat; cumque virtutem veram pariat atque alat, Deo amicus efficietur, et, si quis hominum, is maxime immortalis erit? (Convivium, T. 1, p. 687, vel 211).

« Quod erat, et quod erit, temporis ortæ species sunt, quas inscii ad sempiternam Essentiam (ἐπὶ τὴν ἀΐδιον Οὐσίαν) referimus non recte. Dicimus enim: erat, et est, et erit, cum tamen solum *Est* ex veritate ei conveniat; erat autem et erit, ad ortum adhibere par sit in tempore euntem; motus enim sunt. Ei vero, quod semper eodem modo sine motu Est, neque antiquius neque recentius fieri tempore convenit, aut factum aliquando, aut nunc esse, aut in posterum fore, aut denique quidquam eorum, quæ origo his, quæ in sensu feruntur, adjunxit; sed temporis hæ æternitatem imitantis et ad numerum se in orbem volventis species exstiterunt. » (Timæus, T. 2, p. 209, med., vel p. 38).

« Num existimas præstigiatorem esse Deum, et tanquam ex insidiis alias alia specie apparere, ita ut interdum quidem ipse aliquid fiat, *et in multas formas speciem suam mutet*, interdum autem nos decipiat, talesque de se opinionem efficiat, *an simplicem esse minimeque omnium de specie sua decedere?* non habeo, inquit, sic nunc dicere » (Respublica, T. 2, lib. 2, p. 38, med., vel 37).

« Idem semper Esse, et secundum eadem, et eodem modo se habere, solis omnium divinissimis convenit. » (Politicus, T. 1, p. 583, inf., vel 269).

3°) Divina Pulchritudo est supremum omnis pulchritudinis Exemplar.

« Ab iis exordior supponens aliquid *esse ipsum per se Pulchrum, et Bonum, et Magnum*, et cætera omnia... Arbitror enim, si quid est aliud pulchrum præter ipsum Pulchrum, *non ob aliud quippiam esse pulchrum, quam quia Pulchri illius est particeps;* atque omnia dico ad hunc modum. An hanc Causam *(exemplarem omnis pulchritudinis)* approbas? — Probo quidem, inquit. — Ergo non amplius percipio, nec possum cæteras istas sapientes causas cognoscere; sed si quis mihi dixerit quare pulchrum sit quodlibet, videlicet quia vel colorem habeat floridum, vel figuram, vel aliud quidvis talium, cætera equidem missa facio; in cæteris enim omnibus perturbor, id vero unum simpliciter, atque vere, et fortasse imperite penes me teneo, nulla alia re esse aliquid pulchrum, quam ipsius Pulchri sive præsentia, sive communione, sive quacumque demum ratione et quocumque modo istud producatur. Non enim hoc amplius contendo, sed *Pulchro pulchra omnia esse pulchra.* Hoc enim mihi videtur tutissimum, tam mihi quam aliis respondere, atque huic fundamento innixus, puto numquam me lapsurum, sed et me et quemvis alium tuto respondere posse, *pulchra ipso Pulchro esse pulchra.* Nonne et tu consentis? — Consentio. — Ergone et *magna ipsa Magnitudine esse magna*, et majora similiter majora, et minora parvitate esse minora? — Ita est. — Igitur neque tu quidem approbaveris, si quis aliquem alio dicat capite esse majorem, neque eum qui minor est, eodem *(capite)* esse minorem; sed testificaveris te quidem nihil aliud dicere, quam omne majus aliud alio non alia re quam magnitudine esse majus, atque ob hoc majus, ob ipsam magnitudinem; minus autem nulla similiter alio minus quam parvitate, et ob hoc esse minus, ob ipsam parvitatem; metuens, ut puto, ne si quem dixeris capite majorem esse vel minorem, quispiam tibi sic objiciat: Primum quidem eadem re majus esse majus, et minus

esse minus; deinde capite, quæ res parva est, majorem esse majorem, et hoc profecto esse monstrum, parvo quodam magnum aliquem esse. Aut nonne hoc metueres? — Tunc Cebes subridens: Equidem, inquit. » (Phædo, T. 1, p. 78, cap. 49, vel p. 100).

III.

De toto mundo exemplari.

488. — « Sunt igitur, mea opinione, primum distinguenda hæc: quid est id, quod semper Est, neque originem habet, et id quod oritur nec unquam est? Alterum id est quod intelligentia cum ratione comprehenditur, quod semper eodem modo est; alterum vero quod opinione cum sensu rationis experte percipitur, quod oritur et interit, nec unquam vere est. Omne autem quod oritur, ex aliqua causa oriri necesse est; nihil enim sine causa originem habere potest. Cujus igitur operis Effector, id quod eodem modo se habet intuens semper, tali quodam utens exemplari, speciem ac vim ejus exhibet, id omne pulchrum perfici necesse est; sin intuens ortum, generato utens exemplari, non pulchrum. Jam vero omne cœlum, sive mundus, sive quo alio vocabulo maxime gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit, considerandum igitur de eo primum, quod principio in omni re considerandum posuimus, semperne fuerit, originis initium habens nullum, an ortus sit ducto alicunde initio. Ortus est: cernitur enim et tangitur et corpus habet. Omnia autem talia sensum movent; sensum autem moventia, opinione comprehensa cum sensu, oriri generataque esse manifestum est. Ortum vero necessario ex aliqua causa ortum esse diximus. Jam Effectorem quidem et patrem hujus universi, et invenire difficile est, et inventum indicare in vulgus nefas. Rursus igitur hoc quærendum de eo, ad quodnam exemplarium a Fabricatore effectum sit: utrum ad exemplar quod eodem modo et similiter se habet, an ad ortum. Jam si pulcher est hic mundus, et Artifex ejus bonus, haud dubie sempiternum intuebatur; sin, quod ne dictu quidem fas est, ortum. Non dubium igitur cuiquam quin sempiternum; nam alter pulcherrimus ortorum, alter optimus efficientium. Sic ergo ortus, ad id est factus, quod ratione et intelligentia comprehenditur, et eodem modo se habet. »

« Quæ cum ita sint, plane rursus necesse est hunc mundum imaginem alicujus esse. Maximi vero momenti est in omni re, ut initium secundum naturam fiat. Quod igitur ad imaginem et ad ejus exemplar attinet, ita distinguendum est, ut statuimus sermones de quibus rebus explicent, cum iis ipsis habere cognationem. Itaque de re stabili, ac certa, et intellectu habito conspicua, stabilem et inconcussum sermonem, et quod ei conveniat talis esse, ut redargui et convelli nequeat, ejus nihil reliqui facere necesse est; de ea vero, quæ ad illam imitatione expressa et imago sit, verisimilem et illius ad modus comparatam; quemadmodum ad originem essentia, ita ad fidem veritas. » (Timæus, T. 2, p. 204, vel 28).

« Et cætera *(in cœlo)* usque ad temporis ortum jam perfecta erant ad similitudinem ejus *(mundi invisibilis et exemplaris)*, cui assimilabatur; sed eo quod *(mundus terrestris)* nondum omnia animalia intra se orta continebat, adhuc dissimile erat *(mundo exemplari specificos omnium viventium typos continenti)*. Hoc igitur quod ei deerat, ad exemplariam naturam exprimens perficiebat *(divinus Artifex)*. — Ergo quemadmodum Mens *(divina)* in eo animali quod *(vere)* est *(scilicet in mundo exemplari)*, quales et quot insunt species inesse videt, tales et tot etiam hocce *(nempe mundum exemplatum)*, recipere necessarium esse statuit. Sunt autem quatuor: una deorum genus cœleste, altera volucrum et aerium genus, tertia aquatile genus, pedestre ac terrestre quartum. » Timæus, p. 210, inf., vel 39).

IV.

De singularum rerum exemplaribus sive ideis.

489. — « Speciem (εἶδος) unam, ni fallor, singulatim ponere solemus circa quælibet multa, quibus idem nomen imponimus. An non intelligis? — Intelligo. — Ponamus igitur et nunc quodlibet ex multis. Velut, si vis, multi, opinor, lecti sunt atque mensæ. — Quidni? — Ideæ vero, ut opinor, circa hæc utensilia duæ sunt, una lecti, et una mensæ. — Ita est. — Nonne item solemus dicere opificem utriusque utensilium ideam respicientem facere unum lectos, alterum mensas, quibus nos utimur, cæteraque similiter? Nam ideam quidem ipsam nullus, opinor, opifex facit. Quo enim modo faceret? — Nullo. — Jam vide, quæso, et hunc quemnam esse dicas Opificem? — Qualem? — Qui facit omnia quæcumque facit unusquisque eorum, qui manibus operantur. — Excellentem quemdam narras virum atque mirabilem. — Nondum, sed statim magis dices. Nam idem hic Artifex non solum omnia potest utensilia facere, sed etiam quæcumque ex terra nascuntur facit, et animalia omnia fabricat, tam reliqua quam teipsum, terram quoque, et cœlum, et quæcumque in

cœlo sunt, et sub terris apud inferos, omnia fabricat. — Valde mirandæ, inquit, peritiæ Artificem dicis. — Diffidis? inquam; et dicas, quæso nullone modo hujusmodi Opifex esse videtur tibi, an quonam modo istorum omnium Artifex esse posse, quodam vero modo non posse? an non advertis etiam te ipsum hæc omnia quodammodo facere posse? — Et quis est, inquit, hic modus? — Non difficilis, inquam, sed varie celeriterque ineundus; celerrime autem, si vis speculum sumere passimque circumferre: protinus solem facies, et quæ in cœlo sunt, item terram, teque ipsum, et cætera animalia, et supellectilia, et plantas, et omnia, quæ modo commemorata sunt. — Scilicet, inquit, quæ videntur, neque tamen quæ vere sunt. — Recte, inquam, et opportune succurris disputationi. Talis enim opifex, opinor, pictor quoque est. Nonne? — Quidni? — At eum dices, opinor, non vera facere quæ facit, quamquam aliquo modo pictor quoque lectum facit. An non? — Facit, inquit, sed hic quoque eum qui videtur. — Quid vero facit faber lignarius? — Nonne modo dicebas eum non speciem ipsam facere, quam esse dicimus id quod lectus est, sed lectum aliquem? — Dicebam equidem. — Si igitur non id, quod est, facit, non verum facit, sed tale aliquid, quale verum; non tamen ipsum verum? Perfecte autem verum esse fabri lectorum, aut aliorum artificiorum opus, si quis dixerit, errabit? — Certe, inquit, ut videtur his, qui in hujusmodi disputationibus versantur. — Ne miremur ergo, si et hoc ad veritatem obscurum est. — Minime. — Visne igitur, inquam, in his ipsis imitatorem istum, quis tandem sit, quæramus? — Si tibi placet, inquit. — Itaque tres hi lecti sunt: unus, qui in natura est, quem Deum, ut ego arbitror, fecisse dicemus. An quem alium? — Nullum, puto. — Unus præterea, quem faber conficit. — Ita, inquit. — Unus tandem, quem pictor. Nonne? — Esto. — Pictor igitur, faber, Deus, hi tres sunt tribus lectorum generibus præpositi. — Tres utique. — Jam Deus quidem, sive quia nolebat, sive quia aliqua necessitas aderat, ne plures ab eo, quam unus in natura lectus fieret, ita unum tantum fecit ipsum illum, qui est id quod est lectus; duo autem tales aut plures a Deo neque producti sunt, neque producentur. — Qua ratione? inquit. — Quia, inquam, si duos tantum faceret, iterum unus, cujus illi ambo haberent speciem, appareret, ipseque esset id, quo lectus est, non autem duo illi. — Recte, inquit. — Hæc igitur, opinor, Deus intelligens, cum vellet verus Auctor veri lecti, non autem lecti alicujus, nec faber quilibet esse, unum natura eum produxit. — Videtur. — Vis ergo hunc hujus lecti productorem, vel tale quid appellemus? — Par est, inquit, quandoquidem naturaliter et hoc et reliqua omnia fecit. — Quid autem fabrum? Nonne opificem lecti? — Ita. — Num pictorem quoque appellamus opificem et effectorem ejusdem lecti? — Nullo modo. — Et quid eum relate ad lectum esse dicis? — Hoc, inquit, aptissime dici posse mihi videtur imitator ejus, cujus illi opifices. — Esto, inquam. Tertiæ igitur a natura prolis auctorem imitatorem vocas? — Sane inquit. » (Respublica, lib. 10, T. 2, p. 177, vel 595).

Ex hac comparatione lecti typici, seu exemplaris et veri, qui a divino Artifice factus supponitur, luculenter apparet Platonem ideas rerum considerasse tanquam realitates a Deo extra Mentem suam productas.

Necessitatem vero alicujus prototypi specifici probat Plato ex eo, quod secus similitudo rerum ad invicem, quam ubique perspicimus, in infinitum progrederetur. (Parmenides, T. 1, cap. 6, p. 631, vel 132).

V.

De materia et forma in rebus, et de divino rerum Artifice.

490. — Hæc quatuor exprimuntur in sequentibus Socratis verbis, quæ dilucide in rebus distinguunt: 1°) Principium indeterminatum, seu infinitum et perfectibile, quæ *materia* est, nam Aristoteles, lib. 4 Phys., cap. 2, asserit locum (χώρα, τόπος) indeterminatum seu infinitum (ἄόριστον) et materiam (ὕλη) idem significare in Platone; 2°) principium determinans, definiens ac perficiens, quæ *forma* est; 3°) *rem* ex utroque principio compositam; 4°) *Artificem*, qui rem causavit, conjungendo materiam et formam. Jam vero materia et forma sunt *intrinsecæ* rerum causæ; Artifex autem est *extrinseca* rerum causa.

Sic autem loquitur Socrates: « Petulantiam et improbitatem universam *(quæ materiæ chaos inerat)* divinitas animadvertens omni termino voluptatum expletionisque carere, legem et ordinem quibus terminus inest, iis opposuit: eamque *(materiam)* tu delere dicebas, ego contra servare dico. Tibi vero, o Protarche, quid videtur? — *Protagoras.* Hæc prorsus secundum meam sententiam sunt. — *Socr.* Nonne tria hæc jam protuli, modo intelligas? — *Prot.* At intelligere arbitror: unum quidem infinitum (τὸ ἄπειρον) asserere mihi videris; unum vero et secundum, terminum (τὸ πέρας) qui est in rebus; tertium autem quid dicere velis, haud satis teneo. — *Socr.* Multitudo, o mirifice vir, generationis hujus tertii te stupefecit; quamquam et

infinitum *(materia)* multa genera continebat, quæ tamen ipsius magis minusve genere obsignata, unum apparuerunt. — *Prot.* Vera narras. — *Socr.* Atqui terminus neque multa continebat, neque ægre ferebamus quod non erat unum natura? — *Prot.* Quo enim modo? — *Socr.* Nullo modo, sed tertium scito me dicere ponendum esse, unum hoc quodcumque ex iis nascitur, generationem videlicet in essentiam, ex mensuris una cum termino constitutis. — *Prot.* Intellexi. — *Socr.* Cæterum, præter hæc tria, quartum genus quoddam tunc dicebamus esse discutiendum. Communis autem disceptatio est: vide enim, an non necessarium tibi videatur, quodcumque gignitur, per aliquam causam gigni. — *Prot.* Mihi plane videtur: quomodo enim absque ea fieret? — *Socr.* Et efficientis natura nomine dumtaxat a causa differt, efficiensque et causa unum recte vocabuntur? — *Prot.* Recte. — *Socr.* Quin etiam factum ac genitum solo nomine discrepabunt, sicut nunc dico; vel quovis alio modo? — *Prot.* Ita. — *Socr.* Non ergo idem, sed aliud est causa, et aliud quod ad generationem causæ servit. — *Prot.* Quid prohibet? — *Socr.* Ergone genita ipsa, et ea ex quibus gignuntur omnia, illa tria nobis genera præbuerunt? — *Prot.* Maxime. — *Socr.* Omnium autem istorum opificem quartum ponamus, causam, utpote aliud quiddam quam illa sufficienter demonstratum. — *Prot.* Ponamus absque dubio. — *Socr.* Verum jam decet, cum quatuor discreta sunt, unumquodque memoriæ causa, deinceps ea enumerare. — *Prot.* Utique. — *Socr.* Primum igitur infinitum dico; secundum, terminum; tertium, mixtam et ex iis genitam essentiam; quartum, mixtionis generationisque causam si vocem, numquid errarem? — *Prot.* Nullo modo. » (Philebus, cap. 14, T. 1, p. 409, vel 26).

§ II.

Probabilius est Platonem rerum ideas, seu exemplaria, posuisse extra intellectum divini Artificis.

In hoc paragrapho citabimus: 1°) testimonia auctorum qui Platonis ideas vituperant, quasi illas considerasset velut substantias aliquas intermedias extra Intellectum divini Artificis, et extra res ab eo factas; 2°) testimonia auctorum, qui Platonis ideas alte approbant et admirantur, quasi illas posuisset intra Mentem divini Artificis; 3°) testimonium ipsius Platonis, ex quo concludemus, eum probabilius ideas posuisse extra divinum Intellectum.

I.

Testimonia auctorum ideas Platonis reprobantium tanquam positas extra divinum Intellectum.

491. — A. Testimonium Aristotelis. Videamus hujus testimonii auctoritatem, sensum et veritatem.

1°) De auctoritate testimonii Aristotelis in præsenti quæstione. Omnes uno ore fateri debent, præclarum hunc philosophum tenere cum Platone principatum inter paganos sapientes. Præterea Platonis coævus fuit, discipulus et amicus, qui ab ipsius ore accepit systematis idearum expositionem. Igitur ad magistri doctrinam rite intelligendam, nec ingenium certissime illi defuit, nec copia Platonem interrogandi et ab ipso explicationes audiendi; nec turpi invidia contra illustrem æmulum suum animatus fuit, sicut gratis asseruerunt quidam Platonici. Ipse enim declarat se ægro animo ideas impugnare, quoniam ab amico inventæ sunt, sed a philosopho amorem veritatis esse amicitiæ anteponendum. « Melius fortasse est, ut universale consideremus, et quomodo dicatur inquiramus, quamquam contrariam nobis hanc quæstionem futuram esse video, propterea quod amici sunt qui formas (ideales, τά ἴδη) introduxerunt. Sed forsan rectius esse et oportere videtur, ut pro veritatis salute unusquisque, et præsertim philosophi, sua quoque propria refutarent. Nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere. » (Ethicor. Nicomach., lib. 1, cap. 4, init.). — Alibi Platonem laudat; sic verbi gratia in libro de Mundo, cap. 7, fin., eum nuncupat nobilem, sive egregium (ὥσπερ καὶ ὁ γενναῖος Πλάτων φησίν). — In libro 4 Physicor., cap. 2, circa initium, ad Platonis gloriam profitetur, solum hunc philosophum tentasse difficillimam loci notionem tradere, et recte quidem tradidisse. — In Magnor. Moral., lib. 1, cap. 1, laudat Ptatonem ex eo, quod virtutes in duplicem animæ partem recte distribuerit.

Ammonius, Procli discipulus, dicit in vita Aristotelis: « Quodsi et Platoni ipsi aliquando contradicit quid mirum? Nam hîc quoque Platonem ille sequitur auctorem. Ipsius enim sententia est: *Amicus Socrates, sed magis amica veritas;* et alibi: *Socrates quidem quid dicat, parum solliciti esse debemus; de veritate vero multum esse sollicitos oportet.* Idem ergo ab Aristotele quoque factum est; etiam sicubi præceptoris decreta labefactavit atque convellit, quippe in eo illi obtemperans, dum veritatis partes tuetur. Amorem quidem suum in Plato-

nem abunde testatus est Aristoteles, quando etiam aram ei dedicavit, cum hac inscriptione:

Gratus Aristoteles struit hocce altare Platoni,
Quem turbæ injustæ nec celebrare nefas. »

Cæterum, etiamsi Aristoteles livore correptus fuisset, alienam falsamque opinionem Platoni palam attribuere non esset ausus, et si hoc impudenter ausus fuisset, alii Platonis discipuli ac veri amici talem calumniam redarguere, atque genuinam magistri doctrinam propugnare non omisissent. Nullum autem talis erroris ex parte Aristotelis vestigium apparet, sive in ipsius Platonis dialogis, sive in aliis temporis ejus monumentis. Imo in *Parmenidis* initio, ipse Plato solvere nititur plures objectiones contra ideas per se subsistentes, illasque sufficienter non resolvit, ita ut platonicum idearum systema multis difficultatibus intricatum maneat.

Denique prænotandum est, omnes objectiones ab Aristotele allegatas contra Platonis ideas, nullo modo impugnare veram Exemplarismi doctrinam, quæ rerum ideas ponit in Mente divini Artificis.

2°) De sensu testimonii Aristotelis, seu de ipsius judicio circa idearum platonicarum causam, notionem, absurditatem et inutilitatem.

a) **Causa idearum a Platone excogitandarum,** est sapientissimum desiderium essentiam rerum cognoscendi. *Pythagoræi* enim considerantes res sensibiles esse plures, temporales ac mutabiles: veritatem autem esse unam, æternam ac immutabilem, opinati sunt se ad veram rerum notitiam pervenire non posse, nisi earum pluralitatem et mutabilitatem reducerent ad quædam metaphysica principia, immutabilia et universalia, ex singularibus ac concretis rebus mente abstrahenda. — Atqui, principia illa sunt *numeri* pares et impares, quorum infinita vel finita pluralitas reducitur ad unitatem. A numeris enim cunctæ res suam unitatem et pluralitatem, æqualitatem et inæqualitatem, finitatem et infinitatem participant; nam ex numero determinatur rei unitas vel pluritas, æqualitas vel inæqualitas, et terminus finitus, quo desinit continuitas indefinita; item ex numero, scilicet ex unitatis additione vel subtractione, mutatur omnium rerum quantitas, æqualitas seu paritas, et totalitas quæ determinantur, seu definiuntur. — Ergo juxta Pythagoram scientia numerorum ex rebus abstractorum, seu mathesis, est scientia fundamentalis, qua vera atque essentialis rerum notitia comparatur.

Jam vero *Plato* Pythagoricam doctrinam perficere volens, et totam philosophiam ad prima metaphysicæ principia ordinare desiderans, sicut Socrates moralem philosophiam ad universales definitiones reduxerat, *ideas* suas specificas adjecit *numeris* nimium generalibus. Etenim non omnia prorsus individua reduxit indistincte ad unitatem numericam et universalem; sed pluralitatem et mutabilitatem omnium individuorum, eadem specie similium et ab aliis dissimilibus distinctorum, reduxit ad unitatem cujusdam typi *specifici*, æterni, immutabilis, extra res positi, quem eodem modo imitantur ac repræsentant omnia ejusdem speciei individua, licet materialiter magna aut parva. Omnes igitur res sensibiles non sunt nisi imagines prototypi sui specifici; ergo res per sensus nobis innotescunt, non prout sunt essentialiter, sed prout videntur sive apparent; ergo veram earum notitiam habere non possumus, nisi mente cognoscamus essentialem, specificam, invisibilem et originalem earum prototypum, cujus æternam ac immutabilem veritatem temporaliter ac mutabiliter aliqua imitatione repræsentant.

Ergo Pythagoræi docebant, numeros in genere esse essentialia et intelligibilia rerum sensibilium principia, ita ut res sint aut intelligantur unum vel plura, prout universaliter habent numeros, seu potius prout unitatem abstractam imitantur, quæ est omnis numeri principium. Plato autem inter *numeros* mathematicos, et *res* sensibiles, ponit *ideas* specificas, sive essentias a rebus separatas, juxta quas, res plures numero, unitatem participant, non genere tantum, sed specie, et hac communi specie ab aliis rebus distinguuntur, ac intellectualiter cognoscuntur.

Hæc omnia præmisimus ut melius perspiciatur ratio cui fundatur idearum systema, atque ut clarius intelligantur sequentia verba Aristotelis.

« Post dictas vero philosophias, disciplina Platonis supervenit, in plerisque quidem istos secuta, quædam autem etiam propria, ultra Italicorum habens philosophiam. Cum Cratillo namque ex recenti conversatus, et Heracliti opinionibus assuetus, tanquam omnibus sensibilibus semper defluentibus, et de eis non existente scientia, hæc quidem etiam postea ita arbitratus est. Cum vero Socrates de moralibus quidem tractaret, de tota autem natura nihil, in his tamen universale quæreret, ac primus mentem ad definitiones applicaret, illum ob hoc laudans *(Plato)*, putavit de aliis, et non de aliquo sensibili hoc fieri. Impossibile enim definitionem communem, cujuspiam sensibilium esse, quæ semper mutantur; et sic talia *entium ideas* appellavit; sensibilia vero præter hæc et secundum hæc, omnia dici. Secundum participationem namque, hæc multa univocarum esse speciebus æquivoca; participationem vero, secundum no-

men solum, mutavit. Pythagoræi etenim *imitatione* numerorum ajunt entia esse; Plato vero, nomen mutando, *participatione*. Participationem vero, aut imitationem specierum, quænam sit, communiter *(ambo)* quærere omiserunt. Item præter sensibilia et species mathematicas (numeros), res quasdam ait medias esse, a sensibilibus quidem differentes, eo quod perpetuæ et immobiles sunt; a speciebus *(seu formis quæ sunt in rebus)* vero differentes, eo quod illæ quidem multæ quædam similes sunt, species vero ipsa *(exemplaris)* unaquæque sola est *(relate ad omnia ejusdem speciei individua juxta illam exemplata)*. Et quoniam species *(exemplares)* causæ sunt cæteris, illarum omnium principia putavit entium principia esse; et tanquam materiam quidem existimavit magnum et parvum esse principia; tanquam substantiam vero ipsum unum. Ex illis enim *(formis exemplaribus)*, participatione ipsius unius, species numeros *(plures)* esse, ipsum tamen unum substantiam esse, et non aliquid aliud dici unum esse, sicut Pythagoræi. Dicebat quidem numeros quoque cæteris esse causas substantiæ, similiter atque illi; sed pro infinito *(indeterminato seu indefinito)* tanquam uno dualitatem instituere *(Pythagorœorum)*, infinitum vero ex parvo et magno facere, hoc ejus *(Platonis)* proprium est. Plato quidem numeros esse putat præter sensibilia, Pythagoræi vero numeros ipsas res esse ajunt, et mathematica in medio horum non ponebant. Ipsum igitur unum et numeros præter res facere, et non ut Pythagoræi *(qui numeros ex rebus mente abstrahebant)*, et introductio specierum *(a rebus separatarum)*, propter eam quæ in orationibus fit perscrutationem *(propter definitiones inveniendas)*, evenit *(ex doctrina Platonis)*. Priores enim *(philosophi)* dialecticæ expertes fuerunt. Dualitatem vero facere alteram naturam *(ex Platonis quoque doctrina evenit)*, propterea quod numeri *(in rebus)* præter primos *(extra res)* ex ea *(dualitate numerorum)* aptissime, velut ex quadam imagine, *(exemplaritate)* generantur... Plato igitur de propositis quæstionibus ita determinavit. » (Metaphysic., lib. 1, cap. 6).

In Metaphysic., lib. 13, cap. 4, init. Aristoteles eamdem originem assignat idearum platonicarum systemati. « Accidit vero de ideis opinio illis, qui dixerunt propter ea, quod de veritate adhæserant Heracliti rationibus, tanquam omnia sensibilia semper fluant. Quare, si qua cujuspiam scientia prudentiaque erit, oportet alias quasdam naturas permanentes esse, præter sensibiles; non enim fluentium esse scientiam. Cum vero Socrates circa morales virtutes vacaret, et de his universaliter definire primus quæreret..., ille sane rationabiliter quærebat ipsum quid est *(ipsam rerum quidditatem, sive essentiam)*; syllogizare enim quærebat. Syllogismorum vero principium est ipsum quid est. Nondum enim tunc erat vis dialectica, unde et possent absque eo ipso quid est, contraria considerare, utrum contrariorum eadem scientia esset. Duo namque sunt, qua Socrati jure proprio attribuat quispiam, scilicet inductivas orationes et definitionem universalis. Hæc enim ambo circa principium scientiæ sunt. At Socrates quidem universalia non ponebat separata *(a rebus)*; quidam vero separarunt, ac talia, entium ideas appellarunt. Quare fere accidebat eis eadem ratione, omnium quæ universaliter dicuntur ideas esse. »

b) **Notio platonicarum idearum,** quam tradit Aristoteles, jam patet ex duobus locis præcedentibus. In priori enim loco, ideas seu species æternas, nuncupat *res* quasdam medium tenentes inter res sensibiles, et intrinsecas earum formas, atque ab utrisque differentes. A sensibilibus enim ac mutabilibus rebus differunt immutabilitate, a formis autem rerum intrinsecis ac pluribus differunt typica unitate. Omnia enim ejusdem speciei individua imitantur unum eumdemque typum specificum, qui est eorum idea; ipsi vero specifici rerum typi, plus minusve perfecte supremum imitantur Archetypum, qui Deus est. Porro in hac inæquali unius Archetypi imitatione, quæ ad infinitum protrahi potest, invenitur ratio pluralitatis specierum, sive typicarum extra res, sive physicarum in rebus. Hanc inæqualitatem vocat Aristoteles *magnum* et *parvum*, seu plus et minus; atque asserit Platonem in suo systemate hoc principium addidisse pluralitati, seu numeris Pythagoræ, tanquam formalem eorum rationem. Ipsa autem pluralitas et inæqualitas materialiter ac infinite seu indeterminate se habent relate ad intrinsecam unitatem et inæqualitatem divini Archetypi.

In priori eodem loco et in secundo, ideæ ab Aristotele dicuntur *naturæ* permanentes, diversæ ac separatæ a rebus sensibilibus eas repræsentantibus per modum imaginis.

In Metaphysic., lib. 13, cap. 9, circa fin., ideæ Platonis nominantur *substantiæ universales a rebus separatæ:* « Simul namque universales substantias faciunt ideas, et rursus ut separatas, et singularium; hæc vero quod non contingant dubitatum est prius. Causa vero eis, qui universales ideas esse dicunt, ut eas in idem conjungant, fuit quia sensibilibus non faciebant easdem substantias. Singularia etenim, quæ sunt in sensibilibus, fluere putabant, nec aliquid horum manere; universale autem præter hæc

et esse, et aliud quid esse. Hoc autem, ut antea dicebamus, movet quidem Socrates propter definitiones; non tamen a singularibus separavit; et hoc recte intellexit, non separans. Constat autem ex operibus: etenim absque universalibus quidem non est accipere scientiam. Separare autem *(universalia a rebus singularibus)* causa est difficultatum, quæ circa ideas accidunt. »

« Quidam vero tamquam necessarium sit, si substantiæ quædam præter sensibiles et fluentes erunt, separatas esse, quum alias non haberent, eas sane quæ universales dicuntur attulerunt, ut fere accidat easdem naturas esse universales ac particulares. Hæc autem ipsa per seipsam erit difficultas eorum de quibus dictum est. »

Item in Metaphysic, lib. I, cap. 7, circa med. « Quare species *(in genere)* substantia erunt. Hæ autem hîc *(in rebus singularibus)* et ibi *(extra res) substantiam* significant. »

In his igitur locis et in aliis, ubi passim eodem modo de hac materia loquitur Aristoteles, ideas Platonis considerat tanquam res, naturas, substantias universales et typicas, a singularibus rebus eas specifice imitantibus separatas. Ascrit Platonem *moralibus* Socratis definitionibus, atque *universali* ac *numericæ* Pythagoræ unitati adjunxisse unitatem quamdam *specificam*, a qua singulæ res ejusdem speciei participant unitatem essentialem, in qua conveniunt similitudine, et per quam vere ac intellectualiter cognoscuntur.

c) **Absurditas et inutilitas idearum Platonis** ab Aristotele ostenduntur præsertim in lib. 1; Metaph., cap. 6 et 7; in lib. 12, cap. 8; in lib. 13 integr. Item in lib. 1. Magnor. moral., cap. 1, et in lib. 1. Moral. Nicom, cap. 4. Porro in his locis, quos transcribere longius esset, Aristoteles ideas platonicas, in prædicto sensu a se intellectas, demonstrat esse opinionem absurdam et prorsus inutilem, cum nullatenus per eas attingat Plato scopum quem illas excogitando intenderat. Itaque ipsius judicio ideæ istæ a philosopho rejiciendæ sunt ex scientiis physicis, logicis, moralibus, socialibus et ex artibus.

3°) De judicii Aristotelis veritate in præsenti quæstione.

Omnia quæ congessit Aristoteles contra Platonis ideas vera sunt, si ideæ intelligantur prout eas exponit. Etenim nec Plato, nec Pythagoras determinaverunt necessitatem relationis, quam inter rerum numeros, seu ideas, et ipsas res statuerunt. Equidem docuerunt res numeros imitari in genere, et idearum perfectionem in specie participare per aliquam imitationem; sed non explicaverunt quare, qua virtute et quomodo numeri vel ideæ in res influunt; seu vicissim quare, qua virtute et quomodo res numeros vel ideas participant vel imitantur. Hoc eis exprobrat Aristoteles. « Participationem vero aut imitationem specierum quænam sit, ambo quærere omiserunt. » Plato perperam putavit æterna rerum exemplaria, quæ plures substantias esse opinatur, subsistere extra Mentem divini Artificis et extra res ab eo productas ad imitationem horum exemplarium, ita ut media sint inter Mentem Dei operantis et ejus opificia.

Atqui, medium istud est inutile, Deoque indignum; nam perfectissimus Artifex ad operandum non utitur exemplari extra Mentem suam posito. Præterea, non intelligitur causalitas medii hujus exemplaris in varia sua exemplata. Quomodo enim res quælibet propriam atque intrinsecam essentiam habere potest, et simul extrinsecam essentiam, omnibus ejusdem speciei individuis communem? Quomodo typus ille specificus potest esse exemplar motus rerum, quum ipse omni motu careat? Quomodo esse potest exemplar, non solum formarum substantialium, sed etiam variarum formarum accidentalium, quæ rebus singulis insunt, cum ipse sit una eademque forma omnium individuorum, quæ speciem ejus participant? Et si typus ille integram rerum perfectionem exemplariter non causat, neque explicat, quomodo ejus cognitio veram rerum notitiam nobis ingerere posset? Quomodo cognitio boni et pulchri cujusdam universalis, per se inter Deum et mundum subsistentis, et exemplantis modo qui intelligi nequit, perficere posset hominis intellectum, voluntatem et opificia?

Ergo Aristoteles merito Platonis ideas hoc modo intellectas rejecit tanquam in speculatione absurdas, et in praxi inutiles.

Verum, si rerum omnium exemplaria censeantur esse ipsa Dei Essentia, inquantum a Deo intelligitur tanquam diversimode imitabilis et imitanda a pluribus rebus, quas ipse efficere intendit, propter propriam perfectionem suam varie repræsentandam ad gloriam suam; tunc statuitur suprema omnis perfectionis et ordinis omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis, cujus cognitio cunctos effectus creatos explicat in ordine physico: et hominis intellectum, voluntatem atque opificia, per supremam scientiam, quæ sapientia est, perficit in ordine intellectuali, morali, artistico et sociali ad imitationem ipsius Dei.

B. Testimonia Patrum græcorum et latinorum contra Platonis ideas.

492. — 1°) Inter Patres græcos, *S. Justinus* ait: « Plato existimavit formam ante id quod

sensibus subjectum est, separatim existere; quam quidem exemplar eorum quæ facta sunt, sæpenumero vocat... Similiter et de terra, et de cœlo, et de hominis productione hallucinatum patet; nam et horum ideas esse opinatur. » (Cohortat. ad Græcos, n. 29 et 30, Migne, Patrol. gr. T. 6).

« Porro nec cæteris in rebus, vestros illos valde admirabiles sapientes inter se consentire, ex his etiam facile perspicitur. Nam cum Plato tria universorum principia esse dicat: Deum, materiam et exemplar; Deum quidem omnium Factorem, materiam vero primæ rerum generationi subjectam, et Deo unde producit suppeditantem; exemplar autem, cujusque rerum productarum typus: Aristoteles nunquam exemplaris, ut principii meminit; sed duo principia esse ait: Deum et materiam. » Ibid., n.° 6).

Paulo infra affirmat Platonem circa idearum naturam sibi non consentire: modo enim docet ideas per se subsistere, modo illas esse mentis notiones. « Qui prius singularis principii rationem ideæ attribuit, eamque per se substantiam esse pronuntiat, postea illam in mentis notionibus recenset. » (Ibid., n.° 7).

S. Irenæus dicit de Valentinianis hæreticis: « Quod autem dicunt imagines esse hæc eorum quæ sunt, rursus manifestissime Democriti et Platonis sententiam edisserunt. Democritus enim primus ait multas et varias ab universitate figuras expressas descendisse in hunc mundum. Plato autem rursus materiam dixit, et exemplar, et Deum; quos isti sequentes, ideas ejus (*Platonis*) et exemplar, imagines eorum quæ sunt sursum, vocaverunt per mutationem nominis, semetipsos esse inventores et factores hujusmodi imaginariæ factionis gloriantes. » (Contra hæres., lib. 2, cap. 14, n.° 3., Patrol. gr. T. 7, p. 751).

S. Gregorius Nazianzenus. « Rejice mihi Platonis ideas. (Βάλλε μοι Πλάτωνος τὰς ἰδεάς). Nempe ideas sicut Plato illas intelligebat. (Orat. 27, n.° 10, Patrol. gr. T. 36, p. 23).

S. Cyrillus Alexandrinus. « Rursum sapiens ille Plato et omnium prædicatione celeberrimus, tria principia universi constituit: Deum, materiam et ideam. Deum Artificem esse asserit, materiam subjectum, ideam vero exemplar cujusque eorum quæ fiunt. Hunc perinde refellit Aristoteles, et inter eos convenire omnino non potest. Ideam enim principium esse nec credere vult, nec concedere, duoque tantum principia decernit. Deum et materiam... Quid cum ideam interdum per se subsistere concedat, inventis ipse suis repugnat, nec meminit alicubi dicere, in Dei Mente et cogitatione ipsam esse, nec propriam habere existentiam, sive essentiam. » (Contra Julianum, lib. 2, n.° 48 (in textu). Patrol. gr. T. 76, p. 574).

2°) Inter Patres latinos, *Tertullianus* dicit: « Vult enim Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas et æternas, quas appellat *ideas*, id est formas, exempla et causas naturalium istorum manifestorum et subjacentium corporalibus sensibus; et illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum. Reluceatne jam hæretica semina Gnosticorum et Valentinianorum? » (De anima, cap. 18. Patrol., lat. T. 2, p. 678).

S. Ambrosius: « Tantumne opinionis sumpsisse homines præsumpserant, ut aliqui eorum tria principia constituerent: Deum, exemplar, et materiam, sicut Plato discipulique ejus, et ea incorrupta et increata, et sine initio esse asseverarent: Deumque, non tanquam Creatorem materiæ; sed tanquam Artificem ad exemplar, hoc est ideam, intendentem, fecisse mundum de materia, quam vocant hylen, quæ gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur. » (Hexamer., lib. 1, cap. 1, Patrol., lat. T. 14, p. 123).

Verumtamen, licet sancti Patres Platonicas ideas impugnent ac rejiciant, nihilominus verum Exemplarismum unanimiter profitentur, ut postea ostendemus.

C. Testimonia Doctorum medii ævi contra Platonis ideas.

493. — 1°) B. Albertus Magnus in Summa theolog., part. 2, tract. 1, q. 4, membr. 1, art. 2, quærit *utrum erraverit Plato in hoc, quod dixit exemplar esse principium?* Et primo rationes enumerat probantes Platonem circa ideas non errasse, quoniam illas posuit in Mente divini Artificis. Deinde contrariam opinionem statuit, quam ipse amplectitur, et pluribus argumentis demonstrat Platonem circa ideas errasse, quia posuit eas extra divinam Mentem. Sequentia verba citare sufficiat.

« In contrarium hujus est quod dixit Magister *(Petrus Lombardus)* in 2 Sentent., dist. 1, cap. 1. Plato namque tria initia existimavit: Deum scilicet, exemplar et materiam, hæc tria ponendo sine principio, et Deum Opificem, non Creatorem, et esse quasi Artificem, qui in præjacentem materiam, formam alienam, non suam inducit. »

Tunc B. Albertus hanc opinionem tuetur decem argumentis, quorum nonum ita enuntiat: « Adhuc Plato sic dicit: Veræ quidem *opinionis* quilibet particeps est; intelligentiæ vero dii quidem omnes, homines vero pauci admodum participes sunt. » Quæ cum ita se habeant, fateri oportet esse speciem, quæ semper eadem sit, sine ortu atque interitu, quæ nec in se perci-

piat quidquam, sensuque corporis nullo accipiatur, atque hoc est, quod ad solam intelligentiam pertinet, ejusque intentionis est proprium. Ex hoc expresse patet, quod Plato posuit species esse immutabiles ab æterno in semetipsis locatas, quæ horum sensibilium sunt principia. Unde dixit paulo post: « Porro quod *(nempe forma rebus intrinseca)* ab hac, scilicet specie *(rebus extrinseca)* est nativum, sensibile, sustentabile; hoc est, quod in aliquo receptaculo sustineatur, cum immutatione et interitu recedens, sensibus et opinione noscendum. Tertium genus locus est, qui interit quidem nunquam, sed omnibus quæ gignuntur sedem exhibet; hic sine tangentis sensu tangitur, adulterina quidem ratione vix opinabilis. » Ex his patet, quod directe et distincte Plato ponit tria principia esse ab æterno, scilicet Opificem, materiam sive receptaculum, et formas, quæ sunt essentialia principia eorum, quæ per generationem oriuntur et occidunt. »

2°) S. Thomas. « Plato posuit omnium rerum species separatas, et quod ab eis individua denominantur, quasi species separatas participando, ut puta quod Socrates dicitur homo secundum ideam hominis separatam. Et sicut ponebat ideam hominis et equi separatam, quam vocabat per se hominem, et per se equum; ita ponebat ideam entis et ideam unius separatam, quam dicebat per se ens, et per se unum; et ejus participatione unumquodque dicitur ens vel unum. Hoc autem quod est per se ens et per se unum, ponebat esse summum Bonum. Et quia bonum convertitur cum ente, sicut et unum, ipsum per se Bonum dicebat esse Deum, a quo omnia dicuntur bona per modum participationis. Et quamvis hæc opinio irrationabilis videatur quantum ad hoc, quod ponebat species rerum naturalium separatas per se subsistentes, ut Aristoteles multipliciter improbat; tamen hoc absolute verum est, quod aliquid est Primum, quod per suam essentiam est Ens et Bonum quod dicimus Deum, ut ex superioribus patet. Huic etiam sententiæ concordat Aristoteles. — A primo igitur per suam essentiam Ente et Bono, unumquodque potest dici bonum et ens, in quantum participat ipsum per modum cujusdam assimilationis, licet remote et deficienter, ut ex superioribus patet. Sic ergo unumquodque dicitur bonum Bonitate divina, sicut primo Principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum similitudine divinæ Bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium, et etiam multæ bonitates. » (1. q. 7, art. 4, corp.).

« Deus non intelligit res secundum ideam extra se existentem, et sic etiam Aristoteles improbat opinionem Platonis de ideis, secundum quod ponebat eas per se existentes, non in intellectu. » (1. q. 15, art. 1, ad 1[m]).

« Sicut dicit Dionysius, cap. 11, de Divin. Nomin.: per se vitam, et per se sapientiam, quandoque nominat ipsum Deum, quandoque virtutes ipsis rebus datas; non autem quasdam subsistentes res, sicut antiqui posuerunt. » (Ib., art. 3, ad 4[m]).

3°) S. Bonaventura. « Fuerunt etiam qui mundum dixerunt ex principiis præexistentibus factum, scilicet materia et forma; sed materiam per se posuerunt; separatas etiam per se posuerunt formas, et postmodum ex tempore ab Opifice summo esse conjunctas. Sed quia illud irrationabile videbatur, quod materia fuerit imperfecta ab æterno, et quod eadem forma sit separata pariter et conjuncta... ideo etiam per sequentes philosophos hæc positio reprobata est. » (2 Sent., dist. 1, part. 1, art. 1. q. 1. Conclus.).

« Quod objicitur, quod omne quod producitur, producitur per simile in forma, et cognoscitur similiter, dicendum quod est agens secundum naturam, et secundum intellectum. Agens secundum naturam, producit per formas quæ sunt veræ naturæ, sicut homo hominem, et asinus asinum. Agens per intellectum, producit per formas quæ non sunt aliquid rei, sed ideæ in mente, sicut artifex producit arcam; et sic productæ sunt res, et hoc modo sunt formæ rerum æternæ, quia sunt Deus. Et si ita posuit Plato, commendandus est; et sic imponit ei S. Augustinus. Si autem ultra processerit, ut imponit ei Aristoteles, absque dubio erravit, et ratio sua, quæ prædicta est, nihil cogit omnino. Nam, sicut dicit Philosophus, formæ rerum extra Deum a singularibus separatæ, nihil omnino faciunt, nec ad operationem *(factionem)*, nec ad cognitionem. » (Ibid., ad 3[m] object.).

Ex his B. Alberti, D. Thomæ et S. Bonaventuræ locis apparet medii ævi Doctores, sicut et veteres Patres, falsum Platonis Exemplarismum reprobasse, verum autem ac christianum Exemplarismum approbasse. Postea videbimus quomodo hanc doctrinam ex professo nobis tradiderunt.

II.

Testimonia auctorum ideas Platonis approbantium, tanquam positas in divini Artificis Intellectu.

494. — 1°) Cicero dicit in libro *de Oratore* n.° 3: Has rerum formas appellat *ideas* ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravis-

simus auctor et magister, Plato, easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri; cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu. »

2°) Seneca: « Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque universorum quæ agenda sunt, et modos Mente complexus est. Plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt; ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet; et hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur. » (Epist. 65).

3°) Neo-platonici Alexandrini, inter quos eminet Plotinus, communi sensu divinas ideas, seu mundum intelligibilem statuunt in divino Intellectu, quem Patris Filium et Verbum appellant. Plotinus enim tria perfectionis rerum principia distinguit: 1°) Bonum essentiale et spirituale, omnis boni Principium et Exemplar, quod ex nativa fecunditate spirituali, primo producit Intellectum; 2°) Intellectum a Bono, atque ad Boni imaginem productum, tanquam Filium a Patre; jamvero ab hoc Boni archetypi Intellectu agnoscuntur omnia rerum exemplaria, seu varii modi, quibus supremum Exemplar imitabile et imitandum est; 3°) Animam mundi, quæ a divino Intellectu producitur secundum ideas suas. Intellectus enim divinus est supremus Artifex, seu Demiurgus, qui totam materiæ molem varie formavit, juxta ideam ordinatissimam a se præconceptam.

4°) S. Augustinus in sequentibus locis docet Platonem invenisse *nomen*, non vero *doctrinam* idearum, sive æternorum exemplarium omnium rerum, et innuit hunc philosophum æterna rerum exemplaria non extra Mentem divini Artificis, sed in ea constituisse.

a) Dicit *in 83 quæstionibus, Q. 46, de Ideis:* « Ideas Plato primus *appellasse* perhibetur: non tamen si hoc nomen antequam ipse instituerat, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellectæ; sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei cognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile sapientes, aut nullos fuisse ante Platonem, aut istas quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse: siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit. Credibile est etiam præter Græciam fuisse in aliis Gentibus sapientes: quod etiam Plato ipse, non solum peregrinando, sapientiæ perficiendæ gratia, satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergo, si qui fuerunt, non existimandum est ideas ignorasse, quamvis alio fortasse eas nomine vocaverint. — Sed de *nomine* hactenus dictum sit: *rem* videamus, quæ maxime consideranda atque noscenda est, in potestate constitutis vocabulis, ut quod volet quisque, appellet rem quam cognoverit.... Quas rationes, ut dictum est, sive ideas, sive formas, sive species, sive rationes licet vocare, et multis conceditur appellare quod libet, sed paucissimis videre quod verum est. »

Ait quoque S. Augustinus *in Civit. Dei, lib. 7, cap. 2.* « Dicit enim (Varro) se ibi (nempe in Samothracum mysteriis) multis indiciis collegisse in simulacris aliud significare cœlum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat ideas: cœlum Jovem, terram Junonem, ideas Minervam vult intelligi: cœlum a quo fiat aliquid, terram de qua fiat, exemplum secundum quod fiat. — Qua in re omitto dicere, quod Plato illas ideas tantam vim habere dixit, ut secundum eas non tantum cœlum aliquid fecerit, sed etiam cœlum factum sit. »

b) « Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa Mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hac rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina Mente continentur, neque in divina Mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse; atque has rerum rationes principales *appellat* ideas Plato: non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit ut sit quidquid est, quoquomodo est. » (De diversis quæst., 83, q. 46, n.° 2; Patrol. lat. T. 40, p. 30).

His verbis expresse non affirmat S. Augustinus Platonem posuisse ideas in divino Intellectu. Ait enim in Quæstionis istius 46 initio: « Ideas Plato primus *appellasse* perhibetur. » Deinde tradit genuinam idearum notionem, et repetit Platonem eis nomen dedisse; sed non asserit hunc philosophum ideas intellexisse sicut Augustinus eas ipse docet.

c) « Nec Plato quidem in hoc asserit, quia esse mundum intelligibilem dixit; si non *vocabulum*, quod ecclesiasticæ consuetudini in re illa non usitatum est, sed *ipsam rem* velimus attendere. Mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit ipsam Rationem sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur ut dicat irrationabiliter Deum fecisse quod fecit; aut cum faceret, vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si vero erat, sicut

erat, ipsam *videtur* Plato vocasse intelligibilem mundum.» (Retract., lib. 1, cap. 3). Vox *videtur* probabilitatem magis quam certitudinem in mente S. Augustini indicat.

Hæc præclari Doctoris Hipponensis testimonia sibi vindicant Neo-platonici, Cartesiani, aliique Platonis admiratores. Ex illis non citabimus nisi Bossuetum et Thomassinum.

5°) Bossuetus: « Ces vérités éternelles que nos idées représentent, sont le vrai objet des sciences, et c'est pourquoi, pour nous rendre véritablement savants, Platon nous rappelle sans cesse à ces idées où se voit, non ce qui se forme, mais ce qui est; non ce qui s'engendre et se corrompt, ce qui se montre et passe aussitôt, ce qui se fait et se défait, mais ce qui subsiste éternellement. C'est là ce monde intellectuel que ce divin philosophe a mis dans l'esprit de Dieu avant que le mond fût construit, et qui est le modèle de ce grand ouvrage. Ce sont donc là ces idées simples, éternelles, immuables, impérissables et incorruptibles, auxquelles il nous renvoie pour entendre la vérité. C'est ce qui lui a fait dire que nos idées, images des idées divines, en étaient aussi immédiatement dérivées, et ne passaient pas par les sens, qui servent bien, disait-il, à les réveiller, mais non à les former dans notre esprit. (Logique, liv. 1, chap. 37).

6°) Thomassinus platonicam doctrinam tanti æstimavit ut Academiam consideraverit tanquam Patrologiæ vestibulum, sicut Lycæum Aristotelis via est atque atrium Scholæ medii ævi. Itaque in *Theologicis Dogmatibus* suis, Platonicas theorias intexuit sententiis sanctorum Ecclesiæ Patrum. Hoc ipse declarat in præfatione, et addit: « Id nos quidem retinuimus, ut Platonicorum non placita tantum, sed et verba ad Scripturarum et sanctorum Patrum normam trutinaremus, et sicubi dissonarent, castigaremus. »

In libro 3, cap. 12, hunc titulum habet: « Ideas in Mente divina collocandas, nec alibi vel a Platone vel a Platonicis collocatas esse, consentiunt sancti Patres. » Tunc citat sanctorum Patrum textus, quos supra retulimus, et in quibus Platonis ideæ tam clare impugnantur. Sed ipse Patrum intentionem potius quam verba explicans, probare conatur sanctos illos auctores verba sua, non in ipsum Platonismum direxisse, sed contra Platonismi abusum ab hæreticis commissum. In fine prædicti Capitis asserit multos auctores non recte intellexisse Platonis doctrinam de Verbo Dei, quod considerat tanquam personam substantialiter a Patre diversam, eique inferiorem in qua principaliter ponebat ideas, tanquam extra Deum et Patrem constitutas, licet sint etiam in Patre. Hac autem explicatione apparet Platonem secum non pugnare, dum ideas modo affirmat esse Deum scilicet Patrem, modo essentiam a Deo diversam, quam Verbum appellat.

« Iterum autem monemus iterumque, id fraudi fuisse multis, quod platonicum de Patre et Verbo Deo systema minus perpensum atque exploratum haberent. Nec enim pugnabat sibi Plato, cum ideas nunc in Mente divina seu in Verbo locaret, nunc seorsim a Deo, nimirum Patre et Genitore Verbi eas constitueret, cum alia et alia Patris et Filii persona sit. Eo tantum, ut arbitror, Plato peccabat, quod Verbum, etsi Dei Patris Verbum et Sapientiam et Mentem esse confiteretur, et Deum æternum atque immutabilem, alterius tamen et sequioris substantiæ esse quam Patrem opinabatur. Atque ita inconstanter philosophabatur. Qui enim erat ipsum Ens, prima Mens, omnium Idea, omnia, æternus et incommutabilis, non poterat non esse verus Deus, summo Genitori æqualis et consubstantialis. Sed hoc Platonis errore seposito, in quem altius postea se demerserunt Ariani hæretici, de ideis sana et constans erat ejus philosophia, æternas et immutabiles esse, in Mente Dei esse, Dei notiones esse, Deum esse, sed in Verbo potius quam in Patre Deo eas esse, etsi et in Patre sint, quia Verbum in Patre est, et Verbum Patris est. »

Hæc Thomassini explicatio non ipsius Platonis, sed Platonicorum doctrinæ consonat. Nullibi enim, ut jam vidimus et mox latius ostendemus, Plato considerat verbum Patris tanquam personam a Patre distinctam, sed solum tanquam Rationem, per quam Pater mundi universi opificium suum condidit et ordinavit, secundum exemplar essentiale, quod extra seipsum aspiciebat, et cujus perfectionem imitabatur. Istud autem mundi exemplar spectabat tanquam variis et ordinatis rerum typis exemplatum juxta supremum Archetypum, quod Deus est.

III.

Ipsius Platonis testimonium, ex quo probabilius videtur ideas posuisse extra divinum Intellectum.

495. — Ex tota doctrinæ platonicæ synthesi superius a nobis facta n.° 486, manifestum est insignem hunc philosophum distinxisse *typos* quosdam essentiales seu specificos, æternaliter a divino Artifice ad extra productos, atque in seipsis spiritualiter in quodam medio subsistentes inter *Essentiam Dei archetypam* et physicas *rerum essentias*. Typi illi varie conformantur supremo et unico Archetypo divino. Res vero omnes, per intrinsecam essentiam suam, proxime conformantur typo suo specifico, et remote

conformantur supremo Archetypo. Jam vero, hi typi intermedii, juxta quos cunctæ res a Deo factæ sunt, et ab omni mente intelliguntur directe vel indirecte, sunt Platonis ideæ Probandum igitur restat, Platonem sic ideas suas intellexisse.

Primo notandum est, B. Albertum Magnum hoc modo Platonis ideas explicasse in loco quem supra citavimus n.° 493. « In hoc erravit Plato, quod exemplaria illa ab æterno dixit in esse distinctum producta ab Opifice, ut postea creando mundum sensibilem, illis uteretur ut sigillis. » — Similiter D. Thomas, in loco ibidem citato, clare distinguit specificum *typum* a divina Mente et a rebus separatum, quem imitatione participant omnia ejusdem speciei individua, et quem nuncupat hominem per se, equum per se; tot enim sunt hujusmodi typi, quot sunt diversæ rerum species. Deinde distinguit unicum supremumque *Archetypum* per se ens, per se unum, per se bonum, scilicet Deum, cujus omne ens perfectionem imperfecta imitatione participat per propriam et intrinsecam formam substantialem, sive *essentiam physicam.*

Ipse autem Plato, ex professo atque in matura ætate, de rerum natura in Timæo agens, et passim in aliis locis, distinguit; 1°) divinum mundi Archetypum; 2°) mundum invisibilem ac typicum ab æterno productum ad extra a Deo, juxta Archetypi similitudinem; 3°) mundum visibilem in tempore productum ad typi et Archetypi similitudinem. Hæc tria puncta ex ipsius verbis probanda sunt.

1°) De divina Bonitate, seu perfectione, omnium Archetypo, dicit: « Bonus erat; in bonum autem nulla unquam ulla de re cadit invidia; hujus autem expers, omnia quam maxime similia sibi fieri voluit... Fas autem nec erat, nec est, optimo facere nisi pulcherrimum. » (Timæus, T. 2, p. 205, vel 29). — Ibidem, p. 249, vel 92, visibilis mundus dicitur « imago factoris sui, Deus sensibilis, maximus et optimus, pulcherrimusque et perfectissimus. »

In Convivio, cap. 29, T. 1, p. 687, vel 211, dicitur de Pulchro divino: « id ipsum per seipsum cum seipso uniforme semper existens; cætera vero omnia quæ pulchra sunt, illius participatione quadam pulchra sunt. » — In Phædro, cap. 49, T. 1, p. 79, vel 100, legitur: « Penes me teneo nulla alia re esse aliquid pulchrum, quam ipsius Pulchri sive præsentia, sive communione, sive quacumque demum ratione et quocumque modo illud *(Pulchrum)* accedat. Non enim hoc amplius contendo, sed Pulchro pulchra omnia esse pulchra. »

Interdum Plato ipsam Dei Essentiam nuncupat supremam boni Ideam, scilicet boni Archetypum, imo omnis boni Artificem; nam in Republ., lib. 7, T. 2, p. 126, vel 517, Idea boni dicitur effectrix omnis luminis, tam materialis et ipsius solis, quam spiritualis, scilicet omnis veritatis et rationis. — Ibid., lib. 6, 121, vel 509, Idea boni dicitur causa scientiæ et veritatis, locum omni humanæ cognitioni superiorem et augustiorem occupans. — Alibi Idea boni vocatur Idea idearum (εἶδος εἰδῶν), scilicet Exemplar exemplarium, Typus typorum, seu Archetypum.

2°) De mundo invisibili et typico.

a) In Timæo, T. 2, p. 205, vel 30, Plato intelligibilem seu exemplarem mundum nuncupat animal invisibile, et exemplariter in se comprehendens totum mundum visibilem, quem Plato vocat animal aspectabile, varia animalia tanquam partes continens; ideo typi specifici horum animalium exemplariter in mundo invisibili comprehenduntur. « Dicendum nobis est cujusnam animalium ad similitudinem condens, eum condiderit. Nullius profecto eorum existimare sustineamus, quæ partis genere continentur; imperfecto enim assimilatum nihil unquam pulchrum erit; sed cujus reliqua animalia singulatim et generatim particulæ sunt, ejus eum simillimum omnium ponamus. Scilicet intelligibilia animalia omnia illud in se comprehensa habet, quemadmodum hicce mundus nos et quotquot cernuntur animalia. Quia enim intelligibilium pulcherrimo et per omnia perfecto illum maxime similem facere Deus volebat, animal unum visibile omnia ipsi secundum naturam cognata in se comprehendens animalia condidit. »

Ibid., p. 204, vel 28, et in nostro opere supra, Plato docet pulcherrimum Exemplar, quod operando aspicit divinus Artifex, esse æternum et immutabile.

b) Jam vero illud exemplar vivum, pulcherrimum, æternum, immutabile, seu mundus ille invisibilis et intelligibilis, non est ipse Deus, in cujus Intellectu ab æterno vivebat, sicut multi Patres textum S. Joannis interpretantur: « *Quod factum est, in ipso vita erat.* » (Evang., cap. 1). Etenim juxta Platonem mundus exemplaris componitur variis rerum essentiis seu specificis rerum typis per se subsistentibus. — Atqui, variæ essentiæ per se subsistentes nequeunt esse divina Essentia, quæ una est; nec simul subsistere in divino Intellectu, qui unus est. — Ergo ne cessario extra Deum ponendæ sunt.

Probo Maj. In Parmenide, T. 1, cap. 6, p. 360, vel 132, Socrates, sub cujus nomine ipse Plato propriam doctrinam tradere solet, asserit ideas non esse tantum notiones in mente existentes, sed res quasdam physice subsistentes, atque in seipsis essentiam habentes. « Quam maxime

sic ista mihi se habere videntur: has quidem species tanquam exemplaria in natura subsistere (ἑστάναί ἐν τῇ φύσει), cætera vero iis similia esse, atque esse simulacra: neque aliter ista speciebus participare, quam quod illis similia fiant... Ergo et quotcumque ex ideis invicem respiciunt quæ sunt, ipsæ ad seipsas essentiam habent (αὑταί προς αὑτάς τήν οὐσίαν ἔχουσιν). »

In Timæo, T. 2, p. 219, vel 51, affirmat rerum species per se subsistere, secus non essent nisi vacuum verbum; sensibiles autem res non esse nisi imagines specierum, quæ solæ vere sunt. « Ratione vero hoc magis distinguentes, de iis considerare debemus, sitne aliquis ignis per se (αὐτὸ εφ' ἑαυτοῦ), et omnia de quibus ita dicere solemus, ut ipsa singula per se singula esse affirmemus, an hæc quæ cernimus, quæque alia corpora percipimus, sola sint talem habentia veritatem, alia vero præter hæc nullo omnino modo sint, sed temere speciem quamdam cujusque ponamus intellectu comprehendendam, cum nihil aliud sit nisi verbum. Neque igitur hoc sine judicio et disceptatione dimissum pro certo affirmari par est ita se habere, neque longæ disputationi alia longa præter rem adjicienda. » — Cæterum recordandum est Platonem præcise idearum systema excogitasse, ut singulis rebus mutabilibus immutabilem existentiam in communi et propria specie sua procuraret, atque ut medium inveniret res singulas cognoscendi prout vere sunt, et non solum prout sensibus in specie sua externa apparent.

c) Denique Plato ideas a divina Essentia distinxit, docendo illas non tantum physice subsistere, sed etiam in natura esse æternaliter a Deo productas, sicut B. Albertus Magnus merito illi exprobat.

Etenim in *Republica*, lib. 10, T. 2, p. 177, etc., vel 595, etc., hoc clare asserit. Jam vero dialogus *De Republica* proxime præcessit *Timæum*, sicut patet ex verbis Socratis in hujus Dialogi initio. « Hesternæ meæ, ni fallor, disputationis summa *de Civitate* erat. » — Ergo non probabile est Platonem in Timæo mutasse suam de ideis sententiam, quam statim antea protulerat in *Republica*.

Atqui, in *Republica* Plato sub persona Socratis loquitur de tribus artificibus tres lectos facientibus: divinus ac supremus Artifex facit lectum physice typicum; faber ex ligno facit lectum prioris imaginem; pictor pingit lectum, imaginis imaginem. — Atqui, verus Artifex veri lecti qui vere est, Deus est; faber autem Deum et opus ejus imitatur; et pictor fabrum imitatur ejusque opus. Hunc locum jam transcripsimus supra n.° 489; ideo sequentia tantum verba repetemus: « Deus quidem, sive quia nolebat, sive quia aliqua necessitas aderat, *ne plures ab eo quam unus in natura lectus fieret, ita unum tantum fecit ipsum illum, qui est id quod est lectus;* duo autem tales aut plures a Deo neque producti sunt, neque producentur. — Qua ratione? inquit. — Quia, inquam, si duos tantum faceret, iterum unus, cujus illi ambo haberent speciem, appareret, ipseque esset id quod lectus est, non autem duo illi. — Recte, inquit. — Hæc igitur, opinor, Deus intelligens, cum vellet verus Auctor veri lecti, non autem lecti alicujus *(individui)*, nec faber quilibet esse, *unum natura eum produxit.* — Videtur. — Vis ergo hunc hujus lecti productorem, vel tale quid appellemus? — Par est, inquit, quandoquidem *naturaliter et hoc et reliqua omnia fecit.* »

3°) Plato totum mundum visibilem et exemplatum, singulasque ejus partes, distinguit a mundo invisibili et exemplari, necnon a Deo, supremo utriusque mundi Archetypo.

« Mortalibus et immortalibus animantibus acceptis, completus est hicce mundus, ita animal visibile visibilia comprehendens, imago Factoris sui, deus sensibilis, maximus et optimus, pulcherrimusque et perfectissimus productus est, unum scilicet hoc cœlum unicum existens. » Tim., T. 2, p. 249, vel 92).

Ibid., p. 204, vel 28, clare distinguit res æternas et immutabiles, quæ vere sunt et ratione intelliguntur, et res cum tempore ortas, mutabiles, quæ externe apparent et opinione tantum cum sensu sine ratione percipiuntur. « Sunt igitur, mea opinione, primum distinguenda hæc: quid est id quod semper est, neque originem habet, et id quod oritur, nec unquam est? Alterum id est, quod intelligentia cum ratione comprehenditur, quod semper eodem modo est; alterum vero, quod opinione cum sensu rationis experte percipitur, quod oritur et interit, nec unquam vere est. »

Ibid., p. 218, etc., vel 50, etc., et in nostro opere supra, distinguit res materia et forma intrinsece constitutas, ab externo exemplari secundum quod formantur: « Nunc igitur trina sunt genera cogitanda: unum quod oritur; aliud in quo oritur; tertium, unde similitudinem accipiens nascitur quod oritur. Itaque comparare decet id quod recipit, matri; unde recipit, patri; mediam autem horum naturam, proli. »

In Philebo, T. 1, cap. 33, p. 430, vel 53, loquitur de intrinseca atque extrinseca rerum forma, et de materia formam appetente ac recipiente; loquitur quoque de generatione, per quam forma conjungitur materiæ; et inde patet Platonem distinxisse formam exemplarem rebus extrinsecam, a forma substantiali rebus intrin-

seca. « Sunt igitur duo quædam: unum quidem ipsum per se, alterum semper aliud appetens... alterum suapte natura summopere venerandum, alterum vero deficiens et illo indigens... Dicimus autem ex entibus aliquid semper esse alterius gratiâ, aliquid vero etiam esse cujus gratia id quod alterius gratiâ fit, semper fit... Alterum quidem omnium generationem, essentiam alterum. »

§ III.

Tota Platonis doctrina tripliciter ordinata est.

Ostendemus trini hujus ordinis seu trilogiæ 1°) causam, 2°) schema.

I.

Causa trilogiæ platonicæ.

496. — Doctrina Platonis est una et trina, non quod auctor eam coordinaverit ad exemplar Dei unius et trini, cujus trinitatem personarum penitus ignorabat, sicut infra demonstrabimus, sed quia Platonicum systema speculative harmonicum est, juxta Pythagoræ philosophiam a qua derivat. Etenim secundum Pythagoræos, omnia principia contraria sunt, et harmonia consistit in principiorum extreme oppositorum conjunctione in aliquo medio, quod utrique principio extremo proportionatur, utrumque participando. — Atqui, omnia principia ad unitatem et multiplicitatem sibi invicem contrarias reducuntur, quum omnia entia sint unum vel plura. Jam vero medium proportionatum inter unitatem et multiplicitatem est *similitudo*, qua plura conveniunt in communitate cujusdam generis, vel speciei, vel qualitatis, vel quantitatis, vel relationis. Itaque Plato *similitudinem* statuit tanquam universale totius synthesis suæ medium, inter unitatem et multiplicitatem omnium entium constitutum. Sed quum ex omnibus entibus unum sit a se et perfectione infinitum, cætera vero ab illo uno producta et finitam habeant perfectionem ab infinita unius perfectione participatam, sequitur illa esse inæqualiter uni similia, ita ut perfectioni supremi Entis non æquentur, sed eam unam variis gradibus imitentur. — Igitur fundamentum totius synthesis platonicæ est *imitatio seu exemplaritas*, quæ *similitudinem et perfectionem inæqualem statuit* inter supremum Exemplar infinitum, et omnia ejus exemplata finita. — Atqui, ideæ sunt medium, quo hæc perfectio summi Exemplaris, variis modis imitanda, æternaliter a supremo Ente intelligitur ac intenditur, cum tempore in rebus producitur, atque a productis rebus intelligentibus cognoscitur, diligitur et imitatur in speculatione, actione et factione, sive privatim, sive collective in societate. — Ergo, sapientissime posuit Plato ideas tanquam fundamentum totius ordinis physici, intellectualis, moralis et socialis. Ast in hoc erravit quod nescierit ideas esse unice ipsam Dei Essentiam ab ipso intellectam ut diversis modis imitabilem et imitandam, sed docuerit ideas, seu varios rerum typos, æternaliter et essentialiter fuisse a Deo productos, ad extra, in quodam medio impossibili inter supremum Archetypum et res sensibiles atque exemplatas.

Forsitan non intellexit quomodo infinita Dei perfectio, cum sit unica, immediatum Exemplar esse possit, juxta quod res specie diversæ producerentur ac cognoscerentur. Ideo inter ipsas res et universale Archetypum, quo omnia ad mundi unitatem reducuntur, plures typos essentiales ac finitos posuit, quibus omnia ejusdem speciei individua ad specificam sui typi unitatem ordinarentur, atque cognitione originalis hujus typi, quo vere sunt, vere cognoscerentur prout sunt essentialiter, et non tantum prout externe apparent.

Plato non intellexit, divinam Essentiam, cum sit sola Realitas seu Veritas per se, esse unicam et immediatam Causam efficientem, ac exemplarem omnis realitatis ab Ipsa per creationem extra Ipsam participatæ, ita ut inter Ipsam et res creatas nullum reale medium esse possit. Etenim æternæ ideæ, juxta quas exemplantur cunctæ res mundum constituentes, ab Essentia divina non distinguuntur realiter, sed solummodo virtualiter, inquantum sunt ipsa Dei Essentia ab Eo cognita, non quidem absolute prout est in se, sed relative ad entia alia a se, prout ab eis imitabilis est et imitanda variis modis. Itaque isti modi non sunt rerum typi realiter a Deo distincti, nec realiter ab Eo extra se producti, sed sunt formæ in Mente divini Artificis conceptæ et ab ejus Voluntate intentæ juxta suam unicam eamdemque Formam archetypam. Ergo supremus hujus mundi Artifex, ut res a se alias produceret, non debuit nec potuit extra se inspicere realia exemplaria a se in operando imitanda, seu alium mundum exemplarem et realem, sicut opinatus est Plato.

II.

Schema trilogiæ harmonicæ, quæ in tota Platonis synthesi apparet.

497. — In hoc schemate, uno intuitu aspicietur medium proportionatum, seu harmonicum, quod Plato in omni ordine statuit inter duæ principia extreme opposita.

	Principium contrarium.	Medium proportionatum.	Principium contrarium.
I. TRINUS ORDO METAPHYSICUS.	*Unitas* in entibus	*Similitudo,* qua plura entia in aliqua unitate communi conveniunt æqualiter aut inæqualiter.	*Pluralitas* in entibus.
	Æqualitas in entibus	*Varii gradus similitudinis,* quo plura entia specie, qualitate, quantitate, relatione conveniunt.	*Inæqualitas* in entibus.
	Ens *infinite perfectum* et summe exemplare.	Similitudo imperfecta, sive *exemplaritas,* qua exemplatum inæqualiter imitatur exemplar.	Omnia entia *finite perfecta* et juxta supremum Exemplar exemplata.
	Divinus Artifex, Bonum essentiale, omnium idearum et rerum Archetypum, seu supremum Exemplar, Idea idearum, seu Exemplar exemplarium, suprema boni Idea.	*Mundus exemplaris,* invisibilis et intelligibilis, æternaliter a divino Artifice intellectus, intentus et productus juxta seipsum et propter seipsum. Constat æternis et essentialibus ideis, seu specificis rerum typis, ad Archetypi similitudinem ordinatis.	*Mundus exemplatus* et visibilis, a divino Artifice cum tempore productus ad imitationem Archetypi universalis, et typorum specificorum in mundo invisibili contentorum. Est imago visibilis mundi invisibilis ejusque ordinis.
II. TRINUS ORDO PHYSICUS.	*Mundi Artifex,* natura spiritualis, immutabilis, immortalis, summe unus, verus, bonus, pulcher, atque omnis spiritualitatis, immutabilitatis, immortalitatis, unitatis, veritatis, bonitatis et pulchritudinis Causa	*Mundi anima,* partim spiritualis, et a Deo emanata, partim materialis et a Deo producta ex materia. Hanc varie participant omnes animæ, sive spirituales et immortales, sive materiales et mortales. — Spiritualis anima est radix omnis unitatis, immutabilitatis, immortalitatis et perfectionis in rebus.	*Æterna mundi materia,* quæ anima materiali informatur, et quam participant omnia corpora. Radix est omnis pluralitatis, mutabilitatis, mortalitatis et imperfectionis in rebus.
	Id ad cujus similitudinem quodvis oritur, scilicet æterna idea, quæ est forma extrinseca et exemplaris, seu pater cujusvis rei.	*Id quod oritur,* scilicet physica et intrinseca rei forma, quasi proles, quæ generatur a patre, ac patri similis.	*Id in quo oritur,* scilicet materia ad omnem formam recipiendam indifferens, quæ cujusvis rei corporeæ quasi mater est.
	Substantiæ mere spirituales: Deus et spiritus ab eo producti, seu boni dæmones, qui etiam dii inferiores a Platone vocantur.	*Substantia* composita *spiritu et materia:* homo, qui est minor mundus.	*Substantiæ mere materiales:* bruta, plantæ, mineralia et omnia corpora inorganica.
	Universalis motus externe et interne omnibus rebus, et etiam mundi animæ, datus a divino ac primo Motore, qui nonnisi a seipso movetur. Hic motus est totus harmonicus, nam motus inordinatus, qui necessario chaos agitabat, a Deo non erat.	*Generalis motus* translationis, externe omnibus rebus communicatus a mundi anima. Hic motus est totus harmonicus.	*Specialis motus* rotationis, interne a propria cujusque viventis anima procedens. Hic motus est partim harmonicus, partim non harmonicus, prout procedit, ab anima spirituali aut materiali et prava.
	Caput hominis, sedes *animæ spiritualis* et immortalis.	*Pectus hominis,* sedes *animæ irascibilis* et mortalis.	*Venter hominis,* sedes *animæ concupiscibilis* et mortalis.

	Principium contrarium.	Medium proportionatum.	Principium contrarium.
III. TRINUS ORDO LOGICUS.	1°) *Ratione,* essentias omnium rerum spiritualiter intelligimus per idearum rerum intuitionem, absque sensibus et discursu rationali, et sic veram rerum scientiam acquirimus. Hæc scientia est finis dialecticæ. 2°) *Logica apodictica,* sive absoluta, cujus ratiocinia (rationis discursus) procedunt ab universalibus rerum principiis, seu ideis, atque ad ea terminantur. Hæc logica parit scientiam certam ope *syllogismi.* 3°) *Intelligentiâ* simpliciter intuemur rerum principia seu ideas, sed præcipue supremum Principium seu primam omnium rerum Ideam seu Archetypum, quod Deus est.	*Opinione,* res materiales per sensus cum rationis discursu ita cognoscimus, ut conjecturam seu probabilitatem de eis habeamus, usquedum perveniamus ope dialecticae ad veram rerum scientiam. *Logica epicherematica* sive probabilis, cujus ratiocinia procedunt ab opinionibus, atque ad eas terminantur. Haec logica parit probabilitatem. Media est inter logicam apodicticam et enthymematicam, quia fundatur opinionibus, quæ sensibus simul et ratione comparantur. *Epicherema* illi proprium est. *Ratione superiori,* a primo Principio exemplari, quod intelligentia contemplamur, per syntheticum discursum descendimus ad omnes ejus effectus exemplatos, vel ab aliis principiis inferioribus descendimus ad eorum consequentias.	*Sensatione* res materiales per sensus materialiter cognoscimus sine ratione, fidem sensibus adhibendo. *Logica enthymematica* sive particularis, cujus ratiocinia procedunt a sensationibus, atque ad eas terminantur. Jam vero, sensationes ab objectis sensibilibus et particularibus producuntur, et parere nequeunt nisi notiones particulares. Ergo syllogismo uti nequit, sed tantum adhibet *enthymema,* quod truncatum est. *Ratione inferiori,* ab effectibus vel consequentiis principiorum, per analyticum discursum ascendimus ad principia, et tandem ad supremum Principium exemplare.
IV. TRINUS ORDO ARTISTICUS.	*Artifex humanus* (agens) divinum Artificem ad extra agentem imitatur. *Principium effectionis* omnis opificii est amor pulchræ ideæ, quam concepit Artifex, et quam vult, externo quodam signo sensibili, aliis manifestare et externe conservare.	*Idea seu forma opificii,* ab artifice intellecta. Itaque est actus quidam, qui ex mente artificis, per factionem ejus transire debet in exteriorem materiam. *Medium effectionis* omnis opificii est operatio, id est applicatio ideæ, seu formæ internæ, ad materiam externam.	*Materia opificii* per ideam informatur accidentaliter. Ergo opificium perficitur unione materiæ et formæ, seu transformatione materiæ. *Finis effectionis* omnis opificii est unio completa formæ ac materiæ, delectatio spiritualis, quam artifex aliique percipiunt contemplando opus perfectum, et morum honestas ad quam terminari debet illa delectatio.
V. TRINUS ORDO MORALIS.	*Amor mere spiritualis,* seu sublimis appetitio boni pulchrique spiritualis et invisibilis, qui sequitur hujus pulchri intuitum per intelligentiam. Supremum hujus amoris objectum est infinita Dei Pulchritudo, ad cujus contemplationem ascendimus per aspectum cujuslibet pulchritudinis corporalis et spiritualis. Amor spiritualis, est affectio voluntatis regens totum ordinem moralem. *Prudentia* illuminat hominis rationem. *Justitia* vero rectificat appetitum rationalem, seu voluntatem, et per eam rectificat totum hominem, ita ut omnibus potentiis suis recte utatur.	*Amor mixtus* rationabilis, seu appetitio boni et pulchi visibilis, quod per sensus et rationis discursum percipitur. Hic amor est passio appetitus concupiscibilis, rationi subjecta. Pugna et conciliatio inter rationem et sensus. *Fortitudo* corroborat appetitum irascibilem.	*Amor mere sensualis,* seu irrationabilis appetitio boni et pulchri visibilis, quod per solos sensus percipitur et solos sensus delectat. Hic amor est passio appetitus concupiscibilis rationi non subjecta. Corpus materiale contra rationem per sensus concupiscit. *Temperantia* moderatur appetitum concupiscibilem.

	Principium contrarium.	Medium proportionatum.	Principium contrarium.
VI. TRINUS ORDO SOCIALIS.	*Pluralitas membrorum* societatis corpus constituit.	*Potestas*, et lex ab ea juxta divinam Legem lata ad bonum commune, redigunt pluralitatem intellectuum, voluntatum et virium ad unitatem actionis ac finis.	*Bonum commune* et societatis perfectio, quæ pendent ex justæ legis observatione, atque ex morali civium *unione*.
	Consiliarii seu sapientes, spiritualibus studiis vacantes et societatem regentes.	*Auxiliarii* seu milites, qui sapientium gubernantium consilia manu forti tuentur et exsequuntur.	*Quæstuarii* seu opifices, qui artes serviles manuum labore exercent, et agricolæ qui terram fructificare faciunt.
	Sunt in civitate, quod anima spiritualis est in homine.	Sunt in civitate, quod anima irascibilis est in homine.	Sunt in civitate, quod anima concupiscibilis et vegetativa est in homine.
	Prudentia illuminat sapientes civitatem regentes. *Justitia* rectificat voluntatem illorum atque subditorum, ita ut singuli singulis officiis recte fungantur.	*Fortitudo* corroborat milites, qui regentibus auxilium ferunt.	*Temperantia* opifices et agricolas moderatur, ut civitatis emolumentum magis quam proprium quæstum sectentur.
VII. TRIPLEX STATUS POST MORTEM.	Suprema sapientium et justorum felicitas, quæ in perfecta divinæ Pulchritudinis contemplatione consistit.	Culpa sanabilis pœna temporali in tartaro subeunda, aut expianda variis animæ transmigrationibus in alia corpora.	Culpa insanabilis et pœna æterna in tartaro subeunda. Hæc est suprema improborum infelicitas.

§ IV.

Plato nullatenus cognovit Trinitatem personarum in Deo.

Neo-platonici, philosophi increduli, et quidam divini Platonis admiratores, contendunt eum Trinitatem personarum cognovisse; imo quidam impii asserere ausi sunt, Platonem hoc dogma invenisse et in Ecclesiam christianam invexisse. In favorem opinionis suæ allegant, tum prædictam trilogiam, tum aliquos ipsius Platonis et priorum Platonicorum textus, qui Trinitatem personarum in Deo statuere videntur.

Quidam Apologistæ admittunt Platonem habuisse confusam divinarum personam notitiam, sed eam in suis relationibus cum Judæis accepisse; vide superius n.° 246, argum. II. — Sed sententia communior ac probabilior est Platonem non cognovisse divinam Trinitatem. Juxta hanc sententiam prædictos textus refutabimus.

I.

Refutantur textus ex ipso Platone objecti.

498.—Ipse Plato, inquiunt adversarii, totam Trinitatem innuit, et expresse de Patre ac Verbo loquitur.

A. **Totam Trinitatem** innuit: 1°) In Epistola 2ª ad Dyonisium, T. 2, p. 519, vel. 312, ubi legitur: « Circa omnium Regem omnia sunt, et Illius causa omnia sunt, et Illud causa est omnium pulchrorum. Secundum vero est circa secunda, et tertium circa tertia. »

Respondemus citando ipsum græcum Platonis textum: « Περὶ τὸν πάντων Βασιλέα πάντ' ἐστί, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καί ἐκεῖνο ἄιτιον ἁπάντων τῶν καλῶν. Δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καί τρίτον περὶ τά τρίτα » — Atqui, δεύτερον et τρίτον, nempe secundum et tertium, referri nequeunt nisi ad ἄιτιον, scilicet ad causam — Ergo hic agitur de tribus gradibus causalitatis, quibus divina Causa tanquam centrale

omnis perfectionis Principium, circa seipsam, velut in tribus zonis concentricis, inæquales effectus in rebus superioribus, mediis et inferioribus producit, juxta liberam suam Voluntatem. Vel agitur de ordine trinæ Causæ efficientis, exemplaris et finalis. Ast nullatenus agitur de ordine trium personarum divinarum, quæ ab invicem procedunt, sed non causantur.

Juxta Plotinum, tria perfectionis rerum inæqualia principia a Platone sic indicantur: Ipsum Bonum per se, quod supremum Principium est omnium; Intellectus a Bono genitus ad ejus imaginem, eique inferior; Anima mundi a divino Intellectu et juxta ipsum producta (Ennead. 6, lib. 7, cap. 42 et Ennead. 5, lib. 1, cap. 8).

2°) In Convivio, cap. 29, T. 1, p. 687, Vel 211, de Deo dicitur: « Id ipsum, per seipsum, cum seipso uniforme semper existens (ens). » — Atqui, hæc verba indicant trinam personarum relationem in Deo.

Respondemus ibi indicari quædam relatio ordinata attributorum in Essentia divina, sed non relationes personarum, quæ sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et passiva.

3°) In Timæo, T. 2, p. 220 infra, vel 53, triangula assignantur tanquam figuræ elementares pulchritudinis omnium corporum, et additur superiora adhuc esse principia, quæ cognoscunt Deus ejusque amici. « Superiora vero horum etiam principia Deus novit, et inter homines qui Deo amicus est. » — Quibus verbis innui videtur divina Trinitas, quæ omnis pulchritudinis exemplar est.

Respondemus hæc recondita et sublimia pulchritudinis corporum principia, non esse divinam Trinitatem, sed numeros, qui ipsarum geometriæ figurarum proportionem determinant, et de quibus alibi passim loquitur more Pythagorico; speciatim vero alludit Plato ad numerum ternarium, qui apud Pythagoræos recte habebatur tanquam universæ perfectionis numerus, quemadmodum in secundo hujus libri Capite dictum est.

B. **De Deo Patre,** seu Genitore, expressam mentionem facit Plato, præsertim in Timæo.

Respondemus in Timæo et alibi, Deum appellari patrem mundi, patrem deorum inferiorum, qui filii ejus nuncupantur, et nobilissimam mundi partem constituunt; sed nullibi Deus dicitur Pater Filii sibi natura æqualis, natura identici, et hypostatice distincti.

C. **De Dei Verbo** (Λογῷ) passim loquitur Plato sicut S. Joannes in sublimissimo Evangelii sui initio, quod ipse S. Augustinus fatetur in Confess., libr. 7, cap. 9. « Procurasti mihi... quosdam Platonicorum libros ex græca lingua in latinum versos, et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deum erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in eo vita erat*, et hujusmodi quæ ibi sequuntur. » — Atqui, hæc verba manifeste exprimunt Verbi divinitatem et hypostaticam a Patre distinctionem, ut ipsa docet theologia catholica. — Ergo.

Respondemus hanc S. Augustini citationem esse nimis generalem; loquitur enim de Platonicorum libris ipsi Platoni posterioribus, quorum auctores potuerunt Evangelium S. Joannis cognoscere et compilare. Ipse autem Plato nusquam de Verbo locutus est, tanquam de persona a Patre distincta, sed tanquam de Ratione, per quam divinus Artifex mundum excogitavit et produxit.

S. Thomam huic objectioni respondentem audiamus. « In libro Platonicorum invenitur; *In principio erat Verbum*, non secundum quod *Verbum* significat personam genitam in divinis, sed secundum quod per *Verbum* intelligitur Ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quæ Filio appropriatur. Et licet appropriata tribus personis cognoscerent, dicuntur tamen in tertio signo defecisse, id est, in cognitione tertiæ personæ; quia a Bonitate, quæ Spiritui sancto appropriatur, deviaverunt, dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ut dicitur ad Roman. 1, vel quia ponebant Platonici unum primum Ens, quod etiam dicebant esse patrem totius universitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant Mentem, vel paternum Intellectum, in qua erant rationes omnium rerum, sicut Macrobius recitat super somnium Scipionis. Non autem ponebat aliquam substantiam tertiam separatam, quæ videretur Spiritui sancto respondere. Sic autem nos non ponimus Patrem et Filium secundum substantiam differentes, sed fuit error Origenis et Arii sequentium Platonicos. » (1. Qu. 32, art. 1, corp.).

II.

Refutantur textus ex prioribus Platonicis objecti.

499. — Objiciunt adversarii.

Priores Platonici, ut Alcinous, Numenius et Plotinus, integram Trinitatem personarum docuerunt. — Atqui, Platonis doctrina imbuti erant ipsamque rectius intellexerunt, utpote ejus auctori seu fonti propinquiores. — Ergo ipse Plato Trinitatem personarum docuit.

Probatur Major. 1°) Alcinous, sæculo I post Christum natum, hæc tria distinxit: a) Intellectum supremum, mundi patrem; b) intellectum animæ mundi, a supremo Intellectu causatum, ordinatum, et mundum ordinantem; c) ipsam mundi animam. — 2°) Numenius, ineunte sæc. III post Christum, distinxit a) Patrem mundi; b) Rationem mundi effectricem, quæ triplex est: Mens per se vivens ac volens, Artifex ideas continens, Artifex ideas videns et juxta illas operans; c) ipsum mundum. — 3°) Plotinus in medio sæculi III, tria perfectionis rerum principia distinxit: a) Bonum per se; b) Intellectum divinum, ideam mundi excogitans juxta supremum Bonum a se cognitum; c) animam universalem mundi ab Intellectu divino juxta ideam a se excogitatam.

Respondemus 1°) *ad Majorem*, trinitates a Platonicis excogitatas penitus a christiana Trinitate differre. Etenim mundi anima, vel ipse mundus, in trinitate *Alcinoi* et *Numenii*, divinas personas esse, nec Spiritui sancto respondere nequeunt, quum sint res a Patre et Mente productæ. — Quoad *Plotini* trinitatem, quis in Bono per se, in Mente divina et in anima mundi agnoscit Patrem, Filium et Spiritum sanctum? Tria Plotini principia sunt inæqualia, ita ut unum Deum esse nequeant; etenim Mens est Bono inferior, et anima mundi est utrique inferior, quemadmodum inferius patebit, quando de Plotino in specie agemus.

2°) *Ad Minorem*, respondemus Platonicos magistri sui doctrinam pure non explicasse, nec tradidisse, quia Platonis systemati miscuerunt christiana dogmata. — Ad hæc Theodoretus: « Alia quoque plurima et a Plotino, et Numenio et aliis dicta sunt, quotquot ejusdem sectæ *(Platonicæ)* fuerunt. Hi enim, cum post adventum Redemptoris nostri exstiterint, multa Christianæ theologiæ suis libris inseruerunt. » Tunc Plotini ac Numenii theorias christianæ doctrinæ comparans, adjungit: « Itaque Plotinus et Numenius, Platonis mentem explicantes, tria illum dixisse ajunt, quæ sint super temporalia, et æterna: Bonum, Mentem, et universi animam; ac *Bonum* quidem vocare, quem nos dicimus Patrem; *Mentem* vero, quem nos Filium Verbumque appellamus; potentiam autem, quæ animet omnia et vivificet, *animam* vocat, eam ipsum videlicet quam Spiritum sanctum litteræ sacræ nominant. » (Therapeutic., Sermo 2, Patrol. gr. Migne, T. 83, p. 851).

3°) *Consequentiam negamus*, quum Platonici pagani et judæi sua commenta doctrinæ Platonis addiderint; christiani vero Platonici fide sua Platonis errores correxerint.

ARTICULUS IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN VETERIBUS PLATONICIS.

Videlicet in Philone, Plotino, Porphyrio et Proclo, qui inter plures errores ac impietates, Deum tamen glorificaverunt, eum agnoscendo tanquam supremum omnis pulchritudinis atque ordinis Exemplar.

Sublimis Platonicorum Alexandrinorum doctrina de Verbo Dei, minus ab ideis Platonis provenit, quam ex relationibus, quas cum Christianis habuerunt philosophi pagani, præsertim Alexandriæ, ubi vigebant schola pagana a Plotino fundata, schola judaica a Philone fundata, et schola christiana a S. Pantæno fundata.

§ I.

De divino Exemplarismo in Philone judæo.

500. — Philo, religione Judæus, Hebræorum disertissimus a S. Hieronymo nuncupatur. Cum Platonis doctrina in tota schola Alexandrina vigeret, Philo Platonismum Judaismo ita conjunxit ut lepide de illo dictum fuerit: « Vel Plato philonizat, vel Philo platonizat »; etenim platonicum Exemplarismum, sed fide partim emendatum, passim docet, illumque in libris mosaicis invenit.

Videamus igitur quid dicat: 1°) de Exemplarismo in libris mosaicis contento; 2°) de mundo archetypo; 3°) de Verbo Dei, harmonico omnium rerum nexu et moderatore; 4°) de hominis mente Dei imagine; 5°) de rationis nostræ similitudine cum Verbo Dei.

I.

De Exemplarismo in libris mosaicis contento.

501. — 1°) « Si quis velit apertioribus uti verbis, nihil aliud ipse dicat mundum intelligibilem *(seu exemplarem)*, quam Dei Verbum hunc revera intendens. Nec enim urbs intelligibilis aliud est, quam ipsa architecti ratio jam condere statuentis urbem mente conceptam. Hoc autem dogma Mosis est, non meum. Hominis enim genesim describens, in iis quæ sequuntur aperte profitetur eum fuisse ad imaginem Dei exemplatum (Genes. 1, v. 26 et cap. 5, v. 1). Atqui, si pars mundi imago est imaginis

(scilicet Verbi, veræ Dei imaginis) profecto hoc de tota forma, seu de universo mundo aspectabili dicendum erit, quum perfectior sit divinæ imaginis imitatio, quam humanæ, ut patet; et archetypum illud sigillum, quod dicimus esse mundum intelligibilem, est Exemplar archetypum, Idea idearum, nempe Dei Verbum. »

2°) Deinde probat quod verba Mosis: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (Gen. 1, v. 1) non sunt intelligenda de initio temporis, sed de Verbo Dei, quod est Principium per quod omnia fecit Deus, et in quo intuebatur omnia opificiorum suorum exemplaria. Explicat creationem cœli et terræ, quæ in principio facta est, et addit: « Mundus igitur intelligibilis jam prædeterminabatur statutus in divino Verbo; sensibilis vero mundus ad ejus exemplar completus est. Cujus partem omnium primam, sicut et optimam, cœlum fecit divinus Artifex, quod vere ac proprie *firmamentum* appellavit, quum sit corporeum. Corpus enim natura sua firmum est *(impenetrabile)* et trifariam dividi potest (in *longum, latum* et *profundum)*. Nam firmi *(et extensi)* corporis quænam ratio est, quam omnimoda divisibilitas)? Jure itaque intelligibili et incorporeo mundo opponens mundum sensibilem et corporeum, hoc *firmamentum* appellavit. » (De Mundi opificio, p. 4, edit. Turnebi, Lutetiæ, 1640. Item Migne, Patrol. græc., T. 21, p. 911, apud Euseb. Cæsar.).

3°) In eodem opere de *Mundi opificio*, post med. p. 29, edit. Turnebi, primam plantarum productionem explicans juxta narrationem Geneseos, ait: « An non manifeste incorporeas et intelligibiles ideas memorat Moses, quibus tanquam sigillis exprimi res sensibiles contigit. Prius enim quam terra virgultum proderet, ait in rerum natura virgultum fuisse, et priusquam herba in agro existeret (Gen. 2, v. 5), herbam fuisse invisibilem. Subintelligendum autem est, quod et ante singulas res, quas sensus indicant, jam fuerant antiquiores, ac mensuræ quibus effigiantur et mensurantur. »

II.

De mundo archetypo, quem divinus Artifex in Verbo suo excogitavit.

502. — « Deus, cum pro sua deitate prævidit, exemplatum pulchrum non posse absque pulchro exemplari existere, nec quidquam sensibile reprehensionis expers fore, quod non archetypo ac intelligibili ideæ respondeat: postquam decrevit visibilem hunc mundum condere, prius formavit simulacrum ejus intelligibile, ut ad exemplar incorporei Deoque simillimi, corporeum hunc mundum recentiorem perficeret, antiquioris effigiem, totidem complexurum sensibilia genera, quot in illo sunt intelligibilia. Mundum autem illum, qui ex ideis constat, loco ullo circumscribere dicendo vel cogitando nefas est. Sciemus tamen quomodo consistat, si consideraverimus aliquam rerum nostrarum similitudinem. Etenim quoties condenda est urbs, præsto est quispiam peritus architectonicæ artis... qui impressis, velut in ceram, in suum animum rerum singularum imaginibus, effingit urbem intelligibilem *(idealem)*... Quemadmodum igitur illa in architecto præsignata urbs, nullum locum extra habuit, sed tantum artificis animo impressa est, eodem modo nec ille quidem mundus, ex ideis constans, alibi locum habere poterat, quam in Dei Verbo, quod adornavit hæc omnia. Quis enim alius possit esse locus virtutum Dei idoneus ad concipiendas, non dico omnes ideas, sed vel unam quampiam earum simplicissimam. » (De mundi opificio, p. 3, editio cit.).

III.

De Verbo Dei, harmonico omnium rerum nexu et moderatore.

503. — « Quisquis eo se liberum pudore volet, qui dubitationem vulgo consequitur, is libere palamque pronuntiet, nihil eorum quæ in materia immersa sint, ad sustinendam orbis molem satis habere virium; at sempiternum illud æterni Dei Verbum, longe potentissimum ac firmissimum esse columen universi. Hoc enim Illud est, cujus arbitrio dum a mediis ad extrema, simulque a summis ad media pertinet, constitutus ac perpetuus naturæ cursus peragitur. Partes enim omnes inter sese consociat atque constringit, quod illud Pater a quo genitum est firmissimum quoddam totius universi vinculum esse voluerit. Mirum ergo non est, si neque terrarum moles, aquarum tanta vi sinus earum permeante, nunquam dissolvetur, nec ab aëre extinguetur ignis, nec aër contra ignem conflagrabit, cum divinum illud Verbum, quod sese muta inter elementa, quasi vocale quoddam instrumentum constituit, ut tanquam in suavis totius universi concentus existeret, contrariorum minus amica quadam conjunctione leniendas moderandasque susceperit. » (Apud Euseb., Præpar. Evang., lib. 7, cap. 13. Migne, Patrol. gr., T. 21, p. 547).

« Hæc omnia Pastor ille Rexque Deus summa cum æquitate moderatur, quod iis suum ipsius Verbum, quo rectius nihil est, ac primogenitum Filium præfecerit, qui sacri hujus gregis curam, non secus ac summi Imperatoris legatus susci-

peret. » (Philo, De agricultura, lib. 1, apud Euseb., loco præcit., p. 546).

IV.

De hominis mente sigillata Dei imagine.

504. — « Cæteri quidem *(philosophi)* mentem nostram æthereæ naturæ particulam appellantes, hominem cum æthere cognatione functum esse voluerunt. At magnus ille Moses animi ratione præditi speciem, non jam cæterarum creaturarum ulli similem fecit, sed potius divini sensumque fugientis, spiritum probum quemdam esse nummum asseruit, Dei sigillo informatum atque signatum, cujus non character alius, quam sempiterna Ratio sit. *Inspiravit enim*, inquit, *Deus in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (Gen. 2, v. 7).

« Itaque necesse fuit, qui spiritum illum exciperet, ejus qui inspiraret similitudinem referre; ac propterea non ad ullius creaturæ, sed Dei unius imaginem factus homo dicitur. Ita, cum animus hominis ad primum illud Auctoris sui rationis exemplar conformatus et expressus esset, ejus etiam corpus erectum esse, vultumque suum in cœlum, quæ pars est universi purissima, conversum habere oportuit. » (Apud Euseb., Præpar. Evang., lib. 7, cap. 18; Migne, T. 21, p. 559).

V.

De rationis nostræ similitudine cum Verbo Dei.

505. « Cur perinde ac si de alio Deo loqueretur, ad imaginem Dei factum ab sese hominem esse ait, non autem ad suam? Id vero præclare omnino atque sapienter divino celebratur oraculo. Prorsus enim mortale nihil erat, quod summi illius ac rerum universarum Parentis imagine consignari posset; erat autem quod secundi Dei, hoc est ejusdem Verbi, posset. Oportebat enim, hominis animo characterem illum rationis a divina Ratione informari, cum et Deus ille Verbo seu Ratione prior, naturam omnem ratione præditam infinito superet intervallo; nec fas omnino quidquam esset, quod ortum habuisset, ad Numinis illius et Verbo superioris, et in optimæ planeque singularis naturæ gradu constituti similitudinem aspirare. » (Philo, Quæstionum solutionumque, lib. 1, apud Euseb., Præpar. Evang., lib. 7, cap. 13).

In hoc loco damnandæ sunt quædam locutiones Arianismum sapientes, quum Verbum Patri inferius esse asserant.

§ II.

De divino Exemplarismo et trino ordine in Plotino.

506. — Plotinus, Ammonii Saccæ discipulus, ethnicam scholæ Alexandrinæ sectam fundavit. Omnes ejus Enneades divino ac trino Exemplarismo informantur. Ex sublimi ejus doctrina liquet eum multa didicisse a philosophis christianis, qui scholam Alexandrinam ab ejus initio frequentabant. Verumtamen dogma Trinitatis personarum divinarum non professus est, et viam Arianismo præparavit docendo secundum Principium, seu Mentem rerum artificem, esse primo Principio inferius, verbi gratia in Enneade 5, lib. 1, cap. 8.

In præsenti paragrapho: 1°) exponemus tria synthesis Plotinianæ principia; 2°) referemus quid dicat de Bono seu Pulchro per essentiam, supremo ordinis universi centro; 3°) de divinæ Mentis perfectione et sapientia; 4°) de ideis in Mente divina; 5°) de divina Mente mundum pulcherrime formante; 6°) de divina Mente, mundum pulcherrime gubernante; 7°) de mundo juxta Pulchrum archetypum inæqualiter exemplato; 8°) de omni pulchritudine in formis idealibus et realibus fundata; 9°) de Pulchro divino a nobis contemplando; 10°) de Pulchro divino a nobis per virtutes imitando.

I.

Exponuntur tria synthesis Plotinianæ principia.

507. — Hanc trilogiam expresse docet in pluribus librorum suorum locis, potissimum in Enneade 5, lib. 1: « De tribus principalibus substantiis habentibus principii rationem. » — Enn. 2, lib. 9, cap. 1: « Tria tantum principia sunt, ipsum Bonum, Mens, anima. » — Enn. 6, lib. 7, cap. 42: « Tria sunt præcipua rerum principia: Bonum, prima Mens, anima mundi. » Porro tria principia ista breviter explicabimus.

1°) Tria hæc perfectionis rerum principia, æterna quidem sunt, sed dignitate inæqualia, scilicet: a) *Suprema Forma*, seu unum Bonum et Pulchrum essentiale intelligibile et archetypum quod Deus est; b) *Mens*, seu ratio aut Verbum Dei, a Deo progenitum, quod divinam Formam intelligit, et simul in ea intelligit omnes formas, seu varios typos, quibus ab aliis participari potest per diversam et ordinatam imitationem. In divina igitur Mente invenitur omniformis ac ordinatissima idea mundi, seu mundus intelligibilis, juxta quem factus est mundus vi-

sibilis, ita ut mundus ille idealis, seu exemplaris, sit causa extrinseca perfectionis mundi sensibilis, ac proin sit verior divini Boni Pulchrique imago, quam mundus juxta illum exemplatus. c) *Anima mundi* emanatio est divinæ Mentis supremum Bonum et Pulchrum intelligentis, seu divinarum idearum completa, distincta et ordinata participatio, qua intrinsece perficitur totus mundus. Ergo hæc *anima*, seu *forma substantialis*, est intrinsecum principium perfectionis totius mundi, et singularum ejus partium, quæ variis gradibus eam participant propriis formis suis substantialibus: puri enim spiritus, seu dæmones, formam mere intellectivam participant; bruta, formam sensitivam et vegetativam; plantæ, formam vegetativam tantum; homo simul participat trinam formam intellectivam, sensitivam et vegetativam, ita ut totius mundi compendium, sive minor mundus dici queat. — Materia est in mundo et in homine, principium privationis boni, ac proin principium omnis imperfectionis et mali in ordine physico, intellectuali et morali. Ergo animæ humanæ suis corporibus non conjunctæ sunt, nisi ex aliqua culpa præterita, et ex quodam lapsu, quo divinæ originis suæ degeneres factæ sunt. Itaque omnis perfectio hominis in hoc consistit, quod interna purgatione a materia se eximat, ut spiritualiter possit ad spirituale Principium suum iterum ascendere, contemplando et amando primo pulchrum corporale, deinde spirituale pulchrum exemplatum, ac tandem supremum ac divinum Pulchrum, omnis pulchri Exemplar, in cujus solius contemplatione et dilectione anima nostra requiescit, imperfecte in hac vita et perfecte in futura vita immortali ac beatissima.

2°) Igitur tota Plotini theoria reducitur ad trina Exemplarismi divini principia: nimirum ad Exemplar, exemplaria, exemplata. — a) *Divinum Exemplar*, sive unicum omnis perfectionis Archetypum, quod est Deus, seu Verum, Bonum et Pulchrum essentiale. — b) *Divina exemplaria* intellecta a Mente divina, quæ ex spirituali Boni natura procedit, et supremum Pulchrum perfecte cognoscendo, simul cognoscit omnes ac varios modos imitationis ejus, qui sunt diversi ac æterni rerum typi, tam specifici quam singulares. Typi isti, seu formæ ideales, sunt partes mundi, idealis a divino Artifice concepti, juxta propriam Pulchritudinem suam. Sed Deus habet etiam in Mente, seu Verbo suo, ideam universi mundi, in qua variæ ejus partes ad totius unitatem ordinantur, per graduam conformitatem cum summo unoque Archetypo. Jam vero hæc completa, distincta et ordinata universi mundi idea, uniformis in toto et multiformis in partibus, a Platonicis nuncupatur mundus intelligibilis, sive exemplaris, omnia rerum exemplaria in se continens. — c) *Divina exemplata*, seu anima mundi et totus mundus omnesque ejus partes a divino Intellectu Artifice sive demiurgo producta sunt, *proxime* juxta mundum exemplarem, in quo ordinantur variæ summi Artificis ideæ, et *remote* juxta perfectionem pulchri Archetypi, quod est unica omnium idearum sive typorum Idea. Jam vero, divina exemplata a sola Mente divina producuntur in ordine physico, sed ab homine cum divino Intellectu cooperante, eumque operantem imitante, produci queunt in ordine intellectuali, morali et artistico, quo homo seipsum et opificia sua privatim perficit, atque in ordine sociali, totam singularium civium perfectionem et artem ad bonum commune ordinanti.

Inde liquet, divina exemplaria esse medium universale omnimodæ perfectionis existens inter divinum Exemplar, quod unicum est, et omnia divina exemplata, quæ multa ac numerosa sunt. Ait ipse Plotinus: « Parmenides loquens apud Platonem inter se distinguit primum ipsum unum *(seu supremum Bonum, unicum omnium Exemplar)* quod et præcipue unum est solumque unum; item secundum *(seu Intellectum divinum intelligentem varios modos imitationis unius ejusdemque Exemplaris)*, unum multa nominat; tertium denique *(seu animam mundi, quæ una est et producit particulares variasque animas)* unum atque multas. Hic itaque sic tres dictas confirmat naturas. » (Ennead. 5, lib. 1, cap. 8).

3°) Tota ergo Plotini doctrina, tam speculativa quam practica, velut ad centrum reducitur ad divinam naturam, seu Formam, summe unam, veram, bonam et pulchram, a divina et humana mente contemplandam, diligendam et imitandam.

Plotinus enim Deum contemplatur ut spiritualem Formam simplicissimam, perfectissimam et perfecte intelligibilem, quæ ex nativa fecunditate sua generat Mentem supremum Pulchrum perfecte intelligentem, atque in ea cognoscentem omnes ordinatos imitationis illius gradus, seu mundum intelligibilem, juxta quem mundum visibilem arte sua produxit. Mundus in sua totalitate spectatus, constat intrinsece materia et anima, seu forma intellectiva, sensitiva et vegetativa. Partes autem mundi sunt puri spiritus (dæmones), homo et corpora animata aut inanimata; partes illæ diversimode ac substantialiter participant animam et materiam totius mundi.

Homo, qui per animam suam rationalem est physica Mentis divinæ imago, potest ei similior fieri, imitando, quantum potest, ipsius operationem ad intra atque ad extra: ad intra quidem, divinum Exemplar contemplando et

amando, quemadmodum divina Mens illud contemplatur et amat; ad extra vero, omnes actiones suas externas atque opificia faciendo juxta modum, quo ipsa Mens divina ad extra agit, mundum producendo et gubernando. Omnis igitur perfectio hominis continetur in verbis Domini ad Mosem, Plotino tamen ignotis: *Inspice et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est* (Exod. 25, v. 40).

II.

De Bono seu Pulchro per essentiam, supremo ordinis universi Centro.

Centrum est simul principium, medium et finis omnium radiorum et orbium circuli, qui ad illud unum omnes ordinantur. Sic Bonum et Pulchrum per se, seu divina Forma, est Principium, medium et finis ordinis universi ab ea, secundum eam, atque ad eam causati. « Eo ipso quod existit Principium, inde suapte natura hæc omnia sunt atque ita disposita. Jam vero quod dicitur, non esse quærandas principii causas, sic recte dicitur de tali quodam Principio, quod est perfectum, quod idem est ac finis, nempe quod Principium simul est finis, hoc universum est, nulla parte deficiens. » (Ennead. 5, lib. 8, cap. 7., fin.).

1°) Pulchrum per essentiam est supremum trini ordinis universi Principium.

508. — a) « Recte scribitur a Platone: *Circa omnium Regem omnia sunt; illius gratia omnia, ipse Causa est pulchrorum omnium.* Cum *omnia* dicit, omnia intelligit entia. Addit: *Et illius gratia*, nec injuriâ, quoniam *ille Causa est* eorum, quæ quidem illum appetant, tanquam qui ab omnibus sit diversus, æque quidquam eorum quæ illis conveniunt, ipse habeat; alioquin haud ultra omnia foret, si quid eorum quæ post ipsum sunt, ipsi contingeret. Si ergo et intellectus in omnium numero computatur, merito illi nec intellectus inest *(scilicet eo modo, quo intellectus est in cæteris rebus)*. Præterea ubi Deum appellat *Causam pulchrorum omnium*, ponere videtur pulchrum in speciebus; summum vero Deum, super universum hoc pulchrum in speciebus, proprie constitutum. »

« Proinde cum intelligibilia hæc secundo in gradu posuerit, ad hæc deinceps subnecti tertia tradit, quæ videlicet post illa fiunt. Deinde circa tertia ponit illa videlicet quæ nascuntur ex tertiis, nostrum hunc scilicet mundum ex anima sua pendentem. Cum vero tertia, id est quæ ad *mundi animam* pertinent, subnectantur ad *Mentem divinam*, et Mens redigatur ad Bonum, ita nimirum ad illud omnia certis gradibus reducuntur, alia quidem proxime, alia vero proximis adhærentia. Sed inter omnia longissime ab eo distant *sensibilia*, quæ quidem ad animam continue referuntur. » Ennead. 6, lib. 7, cap. 42.

In Ennead. 3, lib. 8, cap. 8, docet Plotinus Bonum esse primum Principium omnis multitudinis ei subordinatæ, ipsique Menti superius: « Principium non est omnia, sed omnia potius a Principio sunt; ipsum vero neque omnia est, neque aliquid omnium, ut omnia generet, neque sit multitudo, sed Principium multitudinis. Eo namque quod genitum est, ubique simplicius est, quod generat. Itaque si hoc genuit Mentem, necessario est Mente simplicius. Si quis autem putet, ipsum Bonum esse unum et omnia, aut erit omnia secundum unumquodque omnium singulatim, vel cuncta summatim. Quod si cuncta simul accumulata, omnibus posterius erit; nam si omnibus prius extiterit, alia quidem erunt omnia; aliud vero et Ipsum præter cuncta. Sin autem simul Ipsum atque omnia sint, non erit initium. Oportet tamen Ipsum esse principium, et ante omnia, ut et omnia sint post Ipsum. Sin autem dicatur Ipsum esse singulatim secundum unumquodque omnium, primo quidem quodlibet cuilibet erit idem, deinde cuncta simul, nec unquam ulla discretio. — Atque ita etiam Ipsum nihil est omnium, sed potius super omnia. »

b) « Ultimo quidem in ordine rerum, quod præcedit aliud, est bonum, semperque ascensus hujusmodi facit, ut quod superius est, sequenti deinceps addit ut bonum, si modo ascensus a proportione analogiæ nusquam discedat, sed semper in majora procedat. Sed gradum denique sistet in eo quod est supremum, ultra quod nihil reliquum est quod superius accipi possit; idque Primum est ac revera Bonum, et Bonum præcipue maximum, et Causa omnis bonitatis. »

« Materiæ igitur bonum est ipsa forma; si enim sensum materia nanciscatur, adventu formæ procul dubio gratulabitur. Corpori vero bonum est anima; nam absque anima neque esset, neque etiam servaretur. At animæ bonum, virtus; jamque etiam superius, intellectus; intellectui denique bonum est illa, quam Naturam primam appellare solemus. »

« Existimandum est præterea, horum quælibet aliquid in eis facere quorum sunt et bona. Hæc quidem adhibere ordinem et ornatum, illa vero jam vitam, alia sapientiam beneque vivendi dotem; intellectui denique Bonum ipsum largiri munus, quod dicimus in intellectum inde venire, ac bonum evadere, quoniam est actus ex illo, et quoniam etiam nunc quod lumen appellatur, inde in hoc infunditur. » Ibid., cap. 25.

c) « Quid ergo est ens? Profecto potestas omnium; quæ quidem nisi esset, neque cætera forent; neque enim Intellectus esset, qui prima

est omnisque vita; quod enim super vitam exstat, vitæ causa est. Actus enim vitæ, qui omnia est, non est ipsum Primum, sed ex Principio velut fonte profunditur. Cogita fontem principium aliud non habentem, fluminibus vero se totum tradentem, nec tamen fluminibus illis exhaustum, sed in se quiete manentem; flumina vero ab ipso fluentia, antequam aliud alio fluat, adhuc simul manentia, et quasi jam cognoscentia, quo emissura sint sua fluenta. »

« Aut cogita arboris ingentis vitam sese per totam arborem propagantem, manente principio, nec diviso per totam, sed velut in radice fundata; hoc utique præbet quidem totam arbori vitam atque multiplicem, ipsum vero manet nequaquam multiplicatum, sed multiplicis vitæ principium; neque mirabile est ita esse. Fortasse etiam est mirandum, quomodo multitudo vitæ ex non multitudine sit, nec fuisse multitudo possit, nisi ante multitudinem fuerit, quod nulla est multitudo *(nempe unitas Principii)*. Nam Principium in universum nequaquam dividitur; alioquin si dividatur, perdetur protinus universum; neque unquam fuisset factum, nisi Principium in se ipso permaneat, sitque ab hoc toto diversum. »

« Quapropter reductio ubique fit ad unum, et in quolibet quidem unum est, ad quod reducitur; atque hoc universum reducitur ad unum quod ante ipsum est non simpliciter unum, usquedum quis ad ipsum perveniat simpliciter unum; hoc autem ulterius non refertur ad aliud. Proinde, si ipsum arboris unum, id est principium permanens, si animalis unum, si unum animæ, et unum insuper acceperis universi, accipies utique potentissimum atque venerandum; sin autem Unum ipsum eorum, quæ vera sunt, id est Principium, Fontem, Potestatem acceperis, numquid diffidemus nihilque existere suspicabimur? Certe nihil horum est, quorum est Principium; est etiam tale, ut de ipso nihil prædicari queat, non ens *(productum)*, non essentia *(quod esse accipiat)*, non vita *(ab alio accepta)*, propterea quod super hæc omnia sit. Sin autem ipsum esse *(acceptum)* inde auferens, illud *primum Principium)*, apprehenderis, obstupesces, et dirigens te in illud et assequens, atque in ipsius sedibus conquiescens, uno potissimum simplicique intuitu jam conspicias. Conspicatus autem, magnitudinem ejus auspicaberis per illa quæ post ipsum sunt atque per ipsum. » (Enneadi 3, lib. 8, cap. 9).

2°) Forma non formata, et infinita, est supremum Exemplar, secundum quod omnia pulchra formantur.

509. — a) « Age dic, anima, ubinam ille sit, qui tam ingentem pulchritudinem generavit, qui tam excellentem vitam *(intellectualem)* ipsamque rerum essentiam progenuit? Cernis, o anima, ipsam in omnibus et variis speciebus pulchritudinem coruscantem? Pulchrum quidem est ibi consistere. Sed operæ pretium est, animum in pulchro jam existentem, undenam hæc sint, et unde pulchra fiant, investigare. »

« Oportet sane ipsum pulchrorum omnium Auctorem, eorum nullum penitus esse; alioquin, si quid eorum sit, pars tantum quædam erit *(universi)*. Igitur neque forma *(recepta)* quædam talis est, neque potentia *(recipiens)* quædam; neque rursus est cunctæ, quæ ibi fiunt existuntque formæ atque potentiæ; sed oportet exstare super omnes potentias et formas. Est ergo Principium ipsum specie vacans, non ita quidem ut indigeat forma, sed potius a quo omnis forma intellectualis exoritur. Quod enim factum est, si modo fiebat, oportuit aliquid effici, ideoque propriam accepit formam; quod autem a nullo factum est, nimirum neque factum est aliquid. Hoc igitur nullum entium *(factorum)* est, nec entia cuncta; nullum quidem, quoniam posteriora hoc entia sunt; cuncta vero, quoniam ex ipso nascuntur. »

« Cum vero facere omnia possit, quamnam in se habeat magnitudinem? An forsan erit immensum? Sed si immensum, magnitudinem habet nullam *(determinatam)*; magnitudo enim in rebus postremis habet locum. Jam vero oportet magnitudinis Effectorem non esse participem magnitudinis. Quin etiam ipsa, quæ dici solet, Essentiæ *(primæ)* magnitudo non est quantitas ulla. Habere procul dubio potest, quod post illud est, magnitudinem. Magnitudo vero illius est nihil eo potentius esse, nihil æquari posse cum illo; quo enim ex suis illi æquari quid possit, cum nihil possideat idem?... »

« Quapropter et pulchritudo ejus alia ratione se habet; est enim ipsa super pulchritudinem Pulchritudo... Est itaque universæ pulchritudinis potestas ac flos ipse, pulchram faciens pulchritudinem; eam namque generat, et genitam suæ Pulchritudinis abundantia efficit pulchriorem; quamobrem pulchritudinis Principium est et finis. Cumque sit Principium pulchritudinis, illud quidem, cujus Principium est efficit pulchriorem... Quod igitur est pulchritudinis particeps, formatum est, non autem ipsa Pulchritudo formatur. » (Ennead. 6, lib. 7, cap. 33).

b) « Quando igitur Pulchritudo *(per se)* dicitur, procul a tali quadam forma *(recepta)* nobis est fugiendum, neque ponenda nobis est ante oculos, nec ab ipso revera Pulchro in aliquid, quod exigua participatione pulchrum dicitur, corruamus; nempe Species non formata revera pulchra est, si modo sit species... Ipsum quod revera

Pulchrum, vel potius superpulchrum, nullius mensuræ limite circumscribitur; si ita se habet, certe nec est formatum, item nec est species *(determinata)*. Quod igitur primo est amabile primumque existit, omnem prorsus speciem supereminet, pulchrique intelligibilis illic pulchritudo decorque exstat ipsa Boni natura... Procul dubio primam ipsam Pulchri naturam oportet super omnes formæ limites constituere. » (Ibid., cap. 33).

« Hoc igitur primo Pulchrum est totum; est ubique totum, nec vel in parte quidem ulla sit pulchri defectus. Quis ergo definiet Pulchrum? Non certe quisquam qui non habeat ipsum totum, sed vel partem habeat tantum, vel nihil ipsius habeat. Profecto nisi illud sit ipsum Pulchrum, quidnam aliud id esse potest? Quod enim est ante ipsum esse non vult; nam quod primo in aspectum venit, propterea quod species sit, mentisque spectaculum, hoc aspectu amabile est atque jucundum. Quamobrem Plato id nobis significare volens, inducit Architectum mundi, perfectum suum opus approbantem, ad quiddam aliquando ingeniis nostris manifestius, per hoc ostendere volens ipsam Exemplaris Ideæque pulchritudinem velut amabilem. Quoties enim aliquis admiratur opus ad exemplar aliud fabricatum, exemplar ipsum potius admiratur. Neque mirum videri debet si interim quod patiatur ignoret; quandoquidem et amatores et omnino quicunque hanc nostram *(corporalem)* pulchritudinem admirantur, ignorant se propter supremam Pulchritudinem sic affectos esse; et profecto propter illa ita sunt affecti. »

« Quod autem ad divinum Exemplar Plato referat, quod dicit Architectum mundi opus suum amavisse, ipso spectaculo delectatum declarat, ubi deditâ operâ ita subjungit: *Delectatus quidem est opificio suo, atque etiam magis ad Exemplar ipsum reddere simile voluit;* hoc ipso demonstrans, qualis pulchritudo sit exemplaris, propterea quod ait, opus hoc ex illo pulchrum esse, quia sit illius imago; nempe nisi illud esset mirifice pulchrum, inæstimabili pulchritudine pollens, quidnam universo hoc oculis manifesto pulchrius esse posset? Quamobrem non recte sentiunt, qui mundi hujus pulchritudini detrahunt, nisi forte in detrahendo id sentiant, videlicet mundum hunc *(visibilem)* non esse supernum *(id est, supernum et invisibile exemplar)*. » (Ennead. 5, lib. 8, cap. 8).

3°) Bonum et Pulchrum ab omnibus appetitur tanquam finis, ita ut sit commune centrum motus universi.

510. — a) « Necessarium est igitur, Bonum ipsum appetendum esse; non tamen quia sit appetendum, idcirco fieri bonum; sed potius, quia sit bonum, ideo appetibile fieri... Uniuscujusque appetitus et stimulus testatur, esse aliquod unicuique bonum. Rebus quidem inanimatis ab alio fit largitio ipsius boni; in eo autem, quod habet animam, appetitus ipse suum prosequitur bonum: quemadmodum corpora naturaliter vita carentia a viventibus curantur atque coluntur, viventia vero sibimet pro viribus provident. Credi autem procul dubio potest, quod aliquis bonum suum jam fuerit consecutus, quando se habet melius, nec afficitur pœnitentia, sed impletur, et in eo permanet, neque aliud expetit. » (Ibid., cap. 36).

b) In sequentibus verbis docet Plotinus, puros spiritus, quos deos appellat, nos vero angelos nuncupamus, propius gravitare spirituali motu circa primum Bonum et Pulchrum, velut circa centrum; humanas autem animas circa idem centrum remotius chorum agere in orbes plus minusve ab eo distantes, juxta gradum conformitatis suæ cum summo Bono, et exemptionis a materia; bruta circa idem centrum longissime moventur motu sensitivo. In loco præcedenti, latius ostendit ipsa corpora animata naturali appetitu moveri circa bona sua particularia, quæ ad Bonum universale ordinantur; et ipsa corpora inanimata accepisse varia bona quæ similiter a summo Bono derivant, atque ad illud reducenda sunt. Omnia igitur quæ non sunt Deus, circulariter sunt, vel circulariter sunt ac moventur circa divinum Bonum et Pulchrum, a quo, secundum quod, et ad quod sunt et operantur omnia entia ab eo diversa.

« Si quis igitur animus seipsum aliquo tempore moverit, agnoscet motum suum non esse rectum, nisi forsan quando aliquam patitur fractionem; naturalem vero motum esse tanquam circularem, circa aliquid non externum quidem, sed circa centrum; centrum autem id esse a quo circulus proficiscitur. Is profecto animus circa hoc ipsum *(primum bonumque Principium)* a quo exstat, movebitur, atque ad id se undique conferens, ipsum ad illud penitus applicabit, ad quod animas omnes se conferre decebat. »

« Feruntur autem illuc *deorum animæ* semper; et idcirco dii sunt, quoniam feruntur ad illud; Deus enim est, quidquid est illi conjunctum. Quod autem procul dubio distat, *homo* est; homo, inquam multiplex, atque *brutum*. Igitur quod est velut animæ centrum, num hoc ipsum est, quod est studiose quæsitum? Sed profecto aliud quiddam esse censendum *(primum Principium)* in quod omnia quasi centra concurrunt. »

« Meminisse vero oportet appellationem centri hujus et circuli, hîc adduci secundum quamdam analogiæ comparationem. Anima enim non sic est circulus ut figura; sed quoniam in ea

et circa eam est antiqua *(æterna)* principalisque Natura *(Dei)* atque a tali quodam *(scilicet a Mente divina)* anima pendet, magisque etiam quando totus est animus separatus *(a suo corpore)*. Nunc vero, postquam pars aliqua nostri *(scilicet animæ pars sensitiva et vegetativa)* corpore mergitur; perinde ac si quis in aqua pedes habeat, reliquo autem corpore superet aquam, nimirum eo ipso *(seu parte intellectiva)*, quod corpore non est submersum, erecti sublimius, per nostrum centrum *(nempe per hanc intimam et summam animi partem)* cum ipso *(primo Principio)* velut omnium Centro conjungimur; sicut sæpe solemus circulorum multorum *(inscriptorum ac concentricorum)* centra prorsus affigere centro sphæræ eos circumscribentis et continentis. »

« Si igitur animarum orbes corporei essent, certe, quadam conditione loci, inniterentur communi centro, et circa ejusmodi centrum alicubi situm orbes animi volverentur. Quoniam vero et animæ ipsæ intelligibiles sunt, et illud *(bonum intelligibile)* est intellectu superius, existimandum est, copulam ejusmodi *(animæ cum summo Bono)* confici aliis quibusdam viribus, qua videlicet ratione intelligens ad id *(Bonum)* atque quod intelligitur, naturaliter admoveri potest *(illud conjunctionis medium quod est Mens divina)* etiam propinquius quam anima intelligens, adesse similitudine et identitate quadam, ut ita dixerim, cognatoque copulari, nullo interim sejungente *(seu immediate)*. Corpora enim propter corpora conjungi aliis prohibentur, at incorporea corporum obstaculo disjungi non possunt. Non igitur loco inter se incorporea distant, sed alteritate potius et differentia quadam. »

« Quando igitur diversitas hæc et alteritas, ut ita loquar, abest, tunc quæ propterea diversa non sunt, sibi invicem adsunt. Illud sane *(Verbum divinum seu Mens divina)* cum nullam in se admittat diversitatem *(a summo Bono, cujus perfecta imago est)*, semper adest *(ei)*; nos autem tunc præsentes illi sumus, quando diversitatem nullam prorsus habemus. Illud rursus non appetit nos, ut inde circa nos versari cogatur; at nos illud appetimus, ideoque circa illud ipsi versamur. Jam vero semper revolvimur circa idem; non tamen assidue aspicimus ipsum; sed quemadmodum cantantium chorus, quamvis circa coryphæum se revolvat, diverti tamen alicubi potest ab ipso ducis aspectu, atque dissonare; sed quando ad ipsum vertitur, recte admodum concinit, ac circa ipsum tunc se revera convertit: ita et nos semper revolvimur circa Deum, etiam quando inde solvemur omnino, neque illum ulterius cognoscemus; non tamen in ipsum semper convertimur, sed quando in eum prorsus inspicimus; tunc denique nobis finis optatus requiesque contingit, neque amplius dissonamus, dum scilicet divinum revera chorum agimus circa illum. » (Ennead. 6, lib. 9, cap. 8).

III.

De divinæ Mentis, Pulchri archetypi imaginis, perfectione et sapientia.

In Plotini theoria, Bonum et Pulchrum per essentiam, seu divina Natura per se bona et pulchra, Centrum est ordinis universi, scilicet supremum Principium, Exemplar et finis omnis boni et pulchri. Jam vero Natura per se bona nequit esse sterilis; sed per se fecunda est; et cum sit spiritualis, aliquod spirituale producere debet; prima autem productio seu emanatio naturæ spiritualis est Intellectus purissimus, perfecta paternæ Naturæ imago, Bonum et Pulchrum archetypum ex quo oritur intelligens, atque in eo simul intelligens, omnes modos quibus unum et summum Exemplar imitabile et imitandum est. Hic Intellectus Boni non est ipsum Bonum intellectum, sed ab eo differt tanquam intelligens ab intelligibili; totus a Bono informatur et totus bonus est per Bonum quod intelligendo cupit; verumtamen ipso Bono inferior est, quia Bonum non formatum superius est intellectui quem informat, quantumvis perfecte ac plene illum informet. Falsam istam divini Intellectus inferioritatem a Plotino affirmari jam ante vidimus. Nunc ulterius inspiciamus quid doceat sublimis, sed interdum obscurissimus auctor de perfectione et sapientia divinæ Mentis, summi Archetypi imaginis.

1°) Divina Mens est Verbum, Filius et Imago supremi Pulchri archetypi.

511. — « Anima *(mundi)* est verbum et actus quidam Mentis *(divinæ)*, sicut Mens est *(Verbum Dei)*... Omne vero genitum appetit genitorem, in cujus consecutione sit contentum, præcipue autem quando soli sunt *Genitor* atque *Genitus*. At ubi, quod genuit *(Genitor)* est omnium optimum, necessario Genitum ipsi cohæret usque adeo, ut quadam solum alteritate, ut ita dixerim, videatur ab eo distinctum. »

« *Imaginem* vero illius *(Patris seu Boni)* esse, dicimus Intellectum. Oportet autem apertius illud explicare: Primo quidem oportet id Genitum esse, servareque multa in se Genitoris, similitudinemque ferme ad Ipsum habere, qualem lumen habet ad solem; Genitorem vero Illum non esse Mentem. Quomodo igitur gignit Mentem? Quia videlicet Genitum conversione quadam ad Genitorem inspicit; haec autem ipsa visio est Intellectus; quod enim percipit aliud,

vel sensus est, vel intellectus. Comparari vero solet sensus quidam lineæ *(rectæ, quia res sensibilis percipit directe)*; quod vero reliquum est in cognoscendo *(nempe intellectus)*, circulo comparatur *(quia homo, dum intelligit, operationem suam incipit a speciebus intelligibilibus directe cognitis, et deinde per rationis discursum redit ad easdem species, quas melius et reflexe hoc circulari discursu cognoscit)*. Verum ejusmodi circulus *(intellectionis humanæ)* est quasi partibilis; divinus autem Intellectus non ita se habet. »

« Fortasse hic quoque divina Mens est aliquid unum, sed unum quod est virtus omnium. Quorum igitur est virtus, hæc ab ipsa virtute conspicit Intellectus intelligentia quasi partita, alioquin intellectus minime foret; quandoquidem et ipse per se habet jam velut virtutis suæ consensum animadvertentem quantum valeat, in quo quidem ipsius consistit essentia. Ipse igitur per se ipsum *(per suam voluntatem)* sibimet definit esse *(eorum quæ intelligit)*, virtute quadam ab Illo *(scilicet a Summo Bono quod intelligit)* prorsus accepta. Ubi sane animadvertitur essentiam *(rerum ab eo intellectarum ad Archetypi imitationem)* esse velut partem quamdam unam eorum quæ sunt illius *(intellectus, sive eorum quæ intelligit)*, atque ex illo, et corroborari ab illo, ab eodemque et ex eodem perfici in essentiam. »

« Videt autem inde in seipso, velut in quodam partibili *(cum multas variasque imitationes intelligat)* ex impartibili *(scilicet ex Pulchro archetypo, quod unum et simplex manet, etsi diversimode imitabile intelligatur)*, tum vivere, tum intelligere, ac prorsus omnia, quoniam ille nihil est omnium *(imitationum quas intelligit, sed illas omnes infinita perfectione sua superat)*. Ob hoc enim a divina Mente fiunt omnia, quoniam ipsa per unam determinatam formam minime circumscribitur. Illud enim *(Pulchrum Archetypum)* est solummodo unum, Intellectus autem *(Archetypi)* in ordine rerum *(juxta unum ipsum imitandarum)* est omnia. Ob hoc itaque illud *(pulchrum Archetypum)* nihil est eorum *(modorum imitationis Ipsius)* quæ sunt in Mente, sed ex Ipso cuncta in rerum ordine manant, quamobrem hæc *(quæ ex Ipso manant)* essentiæ sunt. Determinata enim jam sunt *(a divina Mente)*, et unumquodque *(ens futurum)* habet jam velut formam *(prædefinitam)*; ens enim non est quasi in quodam indefinito *(vagans)* considerandum, sed termino quodam statuque firmatum; status autem in rebus intelligibilibus determinatio est atque forma, quibus etiam suam substantiam sortiuntur. »

« Hic igitur Intellectus *(divinus)* purissimæ Mentis appellatione dignus, non aliunde, quam ex primo Principio *(quod est Bonum archetypum)*, nasci judicandus est; atque hunc jam Genitum cuncta secum simul entia genuisse, universam pulchritudinem idearum, intelligibiles deos omnes. Existimandum præterea hunc esse plenum *(idealiter)* omnium quæ progenuit, et quasi genita prorsus absorbentem *(in sua infinitate)*,... quatenus sic et plenus sit, et purus cum plenitudine Intellectus. » (Ennead. 5, lib. 1, cap. 7).

2° Divina Mens immediate informatur ac tota impletur a summo Bono, ex quo gignitur.

512. — « Alia circa Bonum et propter Bonum habent actum; ipsum vero Bonum nullo penitus indiget; quamobrem nihil ipsi erit præter ipsum. Cum ergo Bonum pronuntiaveris, nihil ulterius addas excogitando; si quid enim adjunxeris, statim id, cui aliquid addidisti, suapte natura declarabis egenum. Idcirco neque adjungere debes intelligentiam, ne sic adjungas aliquid alienum, duoque reddas, Intellectum scilicet atque Bonum. »

« Intellectus quidem Bono, Bonum autem Intellectu non indiget; itaque Mens Bonum consequens, fit boniformis ac perficitur a Bono, dum videlicet forma *(seu species)*, quæ est in Mente, procedit a Bono, atque efficit boniformem. Quale vero inspicitur in Mente vestigium ipsius Boni, tale quoque Exemplar (τὸ Ἀρχέτυπον) decet excogitare, existimantes scilicet veritatem ejus per impressum in Mente vestigium. Hoc itaque vestigium impressum est Intellectui, per quod videret et possideret *(ipsum Bonum)*. Quapropter in Intellectu quidem est appetitio; est semper appetens, est semper et consequens. Ipsum vero Bonum neque desiderat quidquam; quid enim desideraret? Neque consequitur aliquid, nunquam enim desideravit, neque igitur est Intellectus; in hoc enim est appetitio et quædam ad ipsius formam applicatio. »

« Intellectus sane pulcher est, omniumque pulcherrimus, in lumine puro spendoreque simili constitutus, entiumque naturam in se comprehendens; cujus quidem noster hic mundus pulcher umbra est et imago; ille vero superior mundus *(idealis)* in omni claritate positus est, ubi nihil intellectu vacans, nihil tenebrosum, nihil immoderatum, sed in seipso beatam agit vitam. Quem si quis aspexerit, protinus obstupescet, præsertim si, quatenus oportet, ille se ipsum insinuet, jurisque illius evadat. Nempe qui cœlum diligentius suspicit, stellarumque splendorem impensius contuetur, protinus Auctorem mundi cogitat, atque perquirit; sic oportet et eum, qui mundum idealem intuetur, cernit, admiratur, Effectorem ejus diligenter inquirere:

quisnam ille sit, qui talem mundum idealem genuit; vel ubi, vel quomodo talem genuit Filium, Intellectum, puerum purum atque formosum; Filium, inquam a Patre plenum. » (Ennead. 3, lib. 8, cap. 10).

3°) Divina Mens est ipsa Sapientia.

513. — « Quæcumque vel arte vel natura fiunt, sapientia quædam facit, et ubique factionem dirigit. Si vero aliquis sapientiam facit, oportet ut arte hoc faciat. At artifex ipse rursus in naturalem sapientiam revocatur, secundum quam ars et quodlibet opus efficitur; secundum quam, inquam, non amplius ex speculationibus congregatam, sed totum unum quiddam; neque compositam ex multis in unum, sed ab uno potius in multa se resolventem. »

« Si quis igitur Sapientiam hanc primam esse posuerit, jam sufficiet; cum enim non sit ex alio, neque etiam erit in alio. Sin autem rationem *(seu sapientiam)* quidem in Natura *(divina)* esse, ita ut hujus principium Naturam esse dicat, interrogabimus undenam ipsa Natura habeat rationem. Quod si habere dicatur ab alio, de alio rursus illo quæremus; sed si ex seipso habeat, jam ipsi conquiescemus. »

« Proinde, si in Mentem ipsam confugiant, ibi rursus investigandum erit, numquid Mens genuerit Sapientiam. Quod si fateantur, quæremus undenam. Si autem ex seipsa conceperit, non potuit hoc fecisse, nisi Mens ipsa Sapientia sit. Vera igitur Sapientia est essentia; ac vero vicissim essentia Sapientia est, ipsaque essentiæ dignitas a Sapientia vindicatur; constat enim essentiam veram a Sapientia esse. Quamobrem, quæcunque essentiæ Sapientiam non habet ex eo quidem quod per sapientiam quamdam factæ sunt, essentiæ sunt; ex eo autem quod in se ipsis nullam possident Sapientiam, non sunt essentiæ veræ. »

« Nemo igitur extimare debet in mundo intelligibili vel deos, ipsos *(puros spiritus)*, vel habitatores illic alios plus quam felices, ibi quasdam propositionum regulas contemplari, sed singula quæ illic esse dicuntur, velut exemplaria quædam et spectacula pulchra intuentibus se offerre, qualia forsan imaginetur aliquis in animo sapientis existere; dico autem non simulacra depicta, sed existentia; quapropter ideas antiqui entia et essentias appellabant. » (Ennead. 5, lib. 8, cap. 5).

IV.

De divinis Ideis, seu de variis modis imitationis Pulchri archetypi, a divina Mente conceptis.

514. — Divina Mens Pulchrum archetypum intelligendo prout diversimode imitabile est, in eo intelligit tum ideas specierum rerum juxta Archetypum producendarum, tum ideas rerum individuarum, tum ideam et ordinem totius mundi ex variis rerum speciebus et individuis compositi, quam ideam appellant Platonici mundum intelligibilem, idealem, typicum.

Profecto rerum omnium ideas ponit Plotinus in Mente divina, quæ mundi Artifex est, sed tamen eas considerare videtur tanquam essentias spirituales a divina Mente productas, in ea simul contentas, in seipsis subsistentes atque realiter ab invicem distinctas, sed conjunctas in mundi anima, quæ et ens et universum animal a Platone et discipulis ejus appellatur, et plura efficere dicitur in modum essentiæ viventis.

Brevitatis causa, compendium tantum Plotinianæ doctrinæ de natura idearum lectori præbebimus, transcribendo argumenta præcipuorum, hac de re, Capitum ab editoribus addita.

1°) De divinarum idearum natura in genere.

515. — *Ennead. 5, lib. 9, cap. 3.* Formæ, quæ sunt in materia tanquam in subjecto, dependent a formis, quæ sunt in anima mundi, velut earum fonte; atque hæ rursus a formis, quæ sunt in Mente prima, tanquam fonte formarum animæ mundi.

Cap. 5. Intellectus naturâ perfectus, per se semper intelligit, quoniam ex seipso intelligit, videlicet in se conversus. Est rursum talis, quoniam per essentiam ipse est hæc ipsa entia, quæ intelligit.

Cap. 6. Ideæ in intellectu sunt proprie quædam potestates ejus, per quas ipse est aliter aliterve definitus.

Cap. 8. Intellectus quidem absolute sumptus, est omnes ideæ. Idea vero quælibet non est intellectus absolute sumptus, sed intellectus ejusmodi. Item, idea quælibet differt ab intellectu ratione quadam intellectuali tantum; ideæ vero inter se differunt ex natura rei et ratione formali.

Cap. 9. Necesse est enim, differre ideas ratione formali, ne alioquin distinctio formarum ordoque in rebus proveniat ex materia, vel accidat ex fortuna, vel contingat ex diversis agentibus fortuito concurrentibus. Sin autem Deus extra se agit libera voluntate, more architecti et geometræ, rerum habet ideas.

Cap. 10. Quælibet idea communiter et similiter est essentia viva intellectualis, species, actus. Cæteris autem inter se proprietatibus differunt.

Cap. 12. Res quælibet materialis ad suam ideam se habet, ut imago picturaque ad substantiam vivam.

2°) De singularium rerum ideis in Mente divina.

516. — *Ennead. 5, cap. 1.* Quot numero homines nascuntur in anno mundi magno *(scilicet in completione cujusdam circuli perfectionis mundanæ a divino Artifice præfixi)*, totidem seminales rerum rationes sunt in natura universali, totidem ferme ideæ hominum in Mente divina.

Cap. 2. Quælibet anima naturaque particularis seminales in se rationes continet omnium, quæ inde generanda sunt.

Cap. 3. Natura, quoniam non per aliquid additum essentiæ, sicut ars, sed per essentiam agit *(saltem radicaliter)*, ideo in essentialibus rationibus varietatem generandorum merito continet. Tota igitur singularum rerum dispositio, in anno mundi transigenda, designata est ab initio in mente Opifice mundi, et in mente Animæ mundanæ ejusque natura.

3°) De totius mundi idea in Mente divina.

517. — *Ennead. 2, lib. 9, cap. 17.* Super mundum corporeum existit mundus animalis *(seu triplici vita vivens)*, mobilis quodammodo, et dimensiones corporum suæ virtutis magnitudine possidens, et producens mundum hunc ipsa suæ virtutis stabilitate, et pulcherrimus ipse pulcherrimum.

Ennead. 6, lib. 4, cap. 2. Mundus intelligibilis *(idealis, seu exemplaris)*, id est ens, primum est verum, universum atque magnum, quoniam et cuncta entia est, et est in quolibet sui totum, nec est in universo *(juxta eum exemplato, cum exemplar sit extrinseca perfectionis mundanæ causa)*. Et cum dicitur ubique esse, est ipsum quod appellatur ubique. Mundus vero sensibilis *(et exemplatus)* est vere parvus, quia ubique constat ex parvis. Atque est in mundo superiore, non tanquam in loco continente, nec tanquam in intervallo quodam vacuo, sed tanquam in efficiente, servante, sistente, movente, comprehendente in essentia sua. Mundus hic ubique per quamlibet sui partem attingit illum totum; ideo non movetur in rectum ad illum inveniendum, sed circa illum ubique repertum revolvitur in eodem *(motu circulari)*.

Ibid. cap. 3. Mundus intelligibilis, excellentiâ potestatis, vires suas per omnes mundi partes diffundit, et unicuique parti totus adest, inter eas supereminens. Sicut omnibus participare potentibus vires communicat, ita viribus suis ipse adest; atque ubi plures impartit vires, evidentius adest; ubi omnes, evidentissime. Neque fit propriâ alicujus formâ, vel loco proprio circumscribitur; alioquin nec ulterius universum foret, nec omnibus communiter esset præsens. Corpus non in specie, sed in quantitate dividitur; ideo facta divisione, etsi eadem non restat quantitas, eadem tamen species remanet; cum vero essentia, vita, mens prima sit species quantitatis expers, si dividatur secundum speciem, divisa ipsam speciem permutabit.

V.

De divina Mente Artifice mundum pulcherrime formante.

1°) Divina Mens est mundi Artifex.

518. — *In Ennead. 5, lib. 1, cap. 8, legitur:* « Plato dicit Bonum esse causæ Patrem, causam quidem Intellectum appellans; nam mundi Artifex apud Platonem est Intellectus; hunc vero ait Animam *(mundi)* in illo cratere *(seu in perfecta et quasi sphærica forma ideæ suæ, sive mundi intelligibilis)* mundum formare. »

Passim in Enneadibus apparet hæc essentialis et falsa perfectionis differentia inter Deum, seu Bonum Archetypum, quod est Principium sine principio, et Mentem divinam, seu Boni Intellectum, qui est secundum principium, a supremo Principio emanans eique inferius. Doctrina christiana nullam prorsus essentiæ perfectionisque differentiam admittit inter Principium sine principio, et Principium de principio; docet, Patrem et Verbum, seu Filium ejus, esse unam eamdemque Essentiam seu formam perfectissimam, quæ est supremum Bonum per se, nec inter se distingui, nisi mutuarum suarum relationum oppositione; docet, totam Trinitatem, quæ est ipsa Forma divina, una et trina, omnia operari ad extra juxta rationem operationis suæ ad intra, scilicet per divinum Intellectum et divinam Voluntatem, quæ sunt ipsa Forma divina intelligens ac diligens seipsam et alia a se, atque ab ea non distinguuntur nisi virtualiter. Ergo mundi Artifex est tota Trinitas, quia omnia ad extra operatur Pater per Verbum in Spiritu sancto. Verumtamen Mens et Ars rectissime a Patribus appropriantur Verbo, quoniam generatur per divinum Intellectum Paternitate connotatum. Sublimem illam doctrinam a Christianis audivit Plotinus, sed male intellexit eam, atque suo errore fuit pater Arianismi.

2°) Divina Mens mundum formavit libere ac facile, juxta Pulchrum archetypum, immediate et simul totum a se intellectum.

519. — « Numquid putemus, hoc universum, quod ab alio confitemur esse, taleque existere, eo modo a Fabro suo fuisse compositum, ut ille excogitaverit apud se terram, eamque in medio quiescere oportere? Deinde aquam terræ continuam, cæteraque deinceps usque ad cœlum ordinate disposita? Tum vero excogitaverit

animalia omnia, talesque et tot singulorum viventium formas, quales et quot nunc habent singula, dispositionemque tum viscerum, tum exteriorum partium atque membrorum? Deinde sicut apud se singula disposuerat, sic aggressum fuisse ipso jam opere disponere? Sed profecto consideratio apud illum talis esse non potuit; unde enim incidisset in eum qui nondum talia viderat? Nec fieri poterat, ut ille ab alio quodam accipiens fabricaret, quemadmodum artifices nostri nunc fabricant, manibus et instrumentis utentes; posterius enim manus et pedes accedunt. »

« Reliquum est igitur omnia in alio esse *(scilicet in Bono archetypo)*, et cum nihil se medium interponat *(inter Bonum et Intellectum ejus)*, ipsa propinquitate ipsius Entis *(intelligentis)* ad aliud *(Bonum intellectum)*, velut subito illius *(Archetypi)* imaginem et similitudinem emicare, sive ex Ipso *(Bono)* per se dumtaxat; sive per Animam *(mundi)* ministrantem, nihil enim in præsentia interest; sive per animam proprie quamdam; sed cuncta hæc omnino inde manarunt, et pulchrius ibi *(in Archetypo)* se habent; hic enim composita sunt, ibi vero sunt simplicia. »

« Universum autem hoc inde profectum, a principio ad finem comprehenditur speciebus *(seu formis a divino Artifice productis)*. Primo quidem materia accedit ad formas elementorum, ad quas et aliæ accedunt formæ; atque ad alias illas formas similiter aliæ, adeo ut difficile sit invenire materiam sub totidem formis occultam. Quoniam vero et ipsa *(materia)* speciem quamdam habet ultimam *(vel potius sit potentia indifferens ad omnem speciem accipiendam)*, omnem speciem facile subire potest. Ille autem Faber, penes quem est exemplaris species operis, omnes efficit species *(secundum exemplar)*, et has quidem absque difficultate et violentia ulla, quoniam cuncta ab eo fiebant, et substantia et species. Quamobrem, hac quoque ratione, facilis et sine labore fabricatio fuit, et fabricatio totius exstitit, sicut et ipse Faber est omnia (πᾶν). Nihil igitur erat impedimenti, et nunc etiam in fabricando libere dominatur. Et quamvis alia passim aliis impedimento sint, ipsi tamen fabricæ universi ne nunc quidem obstare quidquam potest, nam tanquam universum (ὡς πᾶν) permanet. » (Ennead. 5, lib. 8, cap. 7).

3°) Divina Mens totum simul fecit mundum.

520. — « Undenam primo ignem fieri cogitavit, existimans oportere id fieri primum? Cur non similiter aliud? Sed si potuit facere ex eo, quod cogitatio ejus insignita est igne, cur non insignita mundo, mundum simul totum effecit? Prius enim oportuit insigniri toto, quum in ipso excogitato totius signaculo *(seu in tota mundi idea)*, illa quoque *(particularia)* sint consignita. »

« Ita certe naturalius judicabitur effecisse, neque putandum est, artificum more fabricavisse mundum, quippe cum artes sint et natura et mundo posteriores. Quandoquidem quæ in singulis quotidie speciebus naturaliter generantur, non ita fiunt, ut primo quidem fiat ignis, deinde reliqua sigillatim, denique mixtura cunctorum; imo vero totius simul viventis configuratio, necessariam membrorum ad totum complectens connexionem, in menstruis coalescit. Quidnam igitur obstat, quin in ipso rerum typo, materia simul insignita sit totius mundi figurâ? In qua quidem figura, et terra et ignis, et cætera connexa necessario fuerint. Forsan illi *(hujus doctrinæ adversarii)* ita *(nempe successive per partes)* mundum procreavissent, utpote qui meliorem *(quam divina Mens)* nacti sint animam. Faber vero mundi ita mundum facere nesciebat, quamquam enim teneatur prævidere magnitudinem cœli, certamque mensuram, et Zodiaci obliquitatem, et motus sub illis actos, et terram; atque ita hæc omnia prævidere, ut singulorum Ratio, per quam ita se habeant; hoc tamen non simulacri *(ideæ)* ullius est munus, sed alicujus potius virtutis *(scilicet divinæ Mentis)*, quæ proficiscatur ab optimis *(scilicet a summo Bono)*; quod quidem ipsi quoque vel inviti confitebuntur. » (Ennead. 2, lib. 9, cap. 12).

VI.

De divina Mente mundum pulcherrime gubernante.

Passim de hoc argumento loquitur Plotinus, sed præsertim in Enneade 2, lib. 2 et 3, qui integri de divina agunt Providentia.

1°) Divina Mens mundum gubernat per æternam Providentiam suam, cujus decretis res divina similitudine sigillat.

521. — Nam universalis effectus divinæ gubernationis est assimilatio ad summum Bonum, sive per conservationem in bono creatione adepto, sive per motionem ad bonum, sicut docet S. Thomas (1. q. 103, art. 4).

« Quod essentiam compositionemque universi committere casui atque fortunæ irrationabile sit, propriumque hominis neque intellectum neque sensum habentis, perspicuum est, etiam ante quamlibet rationem, quamquam et de hoc ipso multæ sufficientesque adductæ sunt rationes. »

« Oportet autem a Principio disputationem assumentes, considerare modum ipsum, quo hæc omnia *(mundana)* fiant factaque fuerint, præsertim cum in quibusdam, quasi non recte fiant,

accidit de Providentia dubitare; unde nonnullis *(accidit)* Providentiam omnino negare, nonnullis autem affirmare mundum fuisse a malo artifice constitutum. Missam in præsentia faciamus Providentiam illam quæ in singulis faciendis est ratio quædam ante opus, describens quomodo oporteat fieri, et quo non fieri, quidquam eorum, quæ facere non expediat; item quomodo nobis adsit aliquid, vel non adsit; quam vero universi Providentiam appellamus, hanc in præsentia supponentes, quæ deinceps sequuntur congrue connectamus. »

« Si igitur mundum ex quodam tempore, cum prius non fuisset, factum arbitraremur, eamdem Providentiam poneremus, quam et in singulorum affectione posuimus, prævisionem videlicet quamdam ratiocinationemque Dei deliberantis qua conditione potissimum fieret universum, et qua ratione quam optime quod fieri posset, construeretur. Quoniam vero mundum hunc arbitramur esse merito divinitus prævisum, consequenter mundum assignare debemus hoc ipsum, quod secundum Mentem sit, Mensque sit ante ipsum, non quasi præcedens tempore sed quoniam mundus est a Mente, priorque natura Mens est quam mundus, causaque Mens existit mundi, ac veluti principalis forma atque exemplar mundi hujus, velut imaginis per exemplar illud existentis, eodemque modo inde perpetuo subsistentis. »

« Est autem modus ejusmodi: Ipsa Mentis entisque natura mundus est *(exemplaris)* et verus et primus, a seipso non distans, neque conditione ulla dividua debilis, neque ob defectum ullum etiam in partibus indigens, quippe cum nulla pars sit a toto divisa, sed tota ipsius vita, totoque Mens in uno vivens simulque intelligens, etiam partem reddat ut totum, et omne sibimet amicum, ubi aliud non est ab alio segregatum, neque aliquid solitarium, vel a cæteris destitutum; quo fit ut alterum non noceat alteri, neque etiamsi sit contrarium. » (Ennead. 2, lib. 2, cap. 1).

2°) Divina Mens facile providet universo mundo, quia omnia ad unum in eo ordinantur.

522. — « Fortasse et mala simul et bona complectitur Ratio universa, cujus hæc quoque sunt partes. Non enim universa Ratio hæc gignit, sed una cum his existit tota. Etenim actus ipsius animæ mundi sunt rationes, actus autem partium animæ mundi sunt partes. Cum vero una anima differentes habeat partes *(scilicet particulares animæ intellectivæ, sensitivæ et vegetativæ)*, simili quadam proportione rationes distribuuntur; quapropter et opera quæ ultimæ rerum genituræ sunt, similiter disponuntur. Concordes vero inter se sunt animæ, consona quoque sunt opera; consona, inquam, ita ut unum quoddam totum componatur ex ipsis vel contrariis. Cuncta enim ex uno quodam fonte *(scilicet a summo Bono)* manantia, in unum quoque confluunt necessitate naturæ. »

« Quamobrem varia germina, vel contraria denique facta, ex eo quod ex uno pullulant, in unum nihilominus ordinem contrahuntur. Sicut enim in singulis animalibus, seu in equorum genere, quamvis pugnent invicem, quamvis inter se mordeant, quamvis certatim agant, æmulationeque irascantur, reliquaque sigillatim genera pariter, similiterque homines agant; cunctæ tamen hæ species in unum congregandæ sunt animalium genus; deinde et inanimata secundum species iterum; deinde in unum non animal; postea hæc simul, si placet, ad ipsum esse; postremo ad Ipsum, quod esse unicuique tribuit *(scilicet ad Deum)*. »

« At rursus hæc explicans, dividendo descende et contemplare unum ipsum quasi discerptum, propterea quod per omnia currat, simulque cuncta uno quodam ordine complectatur, adeo ut velut unum animal sit multiplex atque distinctum, unoquoque eorum quæ in ipso sunt, agente quod naturæ ipsius est proprium, existente tamen in universo, velut igne quidem comburente, equo autem equi opera peragente. Homines vero, sicut naturâ instituti sunt, singuli propria munera exsequuntur, differentesque differentia; sequuntur autem secundum naturas opera, rursusque vivere, tam bene quam male. » (Ennead. 3, lib. 3, cap. 1).

Divinæ Mentis Providentia, omnibus præsens, omnia in mundo connectit, curat, dirigit ad finem.: « Casus igitur atque fortunæ non habent auctoritatem bonæ vitæ; consequuntur autem hæ quoque, quatenus præcedentibus consentaneum est; tum vero consequentiæ rerum annexæ procedunt ordinate. Connectit vero cuncta Ipsum principale, quod omnia ducit, conferentibus ad hæc, quæ utrimque vergunt secundum naturam; quemadmodum in exercitu fit ducente quidem imperatore, conspirantibus autem qui ordine certo commilitant. Totus namque mundus providentia quidem imperatoria est institutus, cernente actiones et passiones, et quæ adesse oporteat alimenta, arma, machinas; et profecto quotcumque ex his inter se connexis conspirantibusve consequuntur, sunt prævisa; ut, quodcumque ex his evenit, locum nanciscatur, ubi bene situm sit. Procedunt quidem omnia ab exercitus duce; sagaci quadam solertique ratione, quamvis etiam externa sint ab eoque aliena, quæ hostes sunt illaturi. Quod si tam illi quam huic exercitui similiter imperare valeret, imo vero si maximus Imperator esset, cui

subjecta sint omnia, quidnam ulterius ordine carere posset? Quidve connexione vacaret? (Ibid., cap. 2).

3°) Divina Mens specialiter homini providet.

523. — Non oportet autem ita Providentiam esse, ut nos omnino nihil simus; alioquin si Providentia ipsa sit omnia, ipsaque sola, non erit amplius Providentia; cujus enim ulterius Providentia foret? Profecto sola divinitas esset. Nunc vero divinitas quidem est, seque confert ad aliud, non tamen ut ipsum aliud conferat; sed accedens, exempli gratia ad hominem, servat in eo quod est esse hominem. Id autem est servare Providentiæ lege viventem; lex enim Providentiæ præscribit, ut sicut aliquid est, ita et operetur. Præscribit autem, hominibus qui boni facti sunt, manere deinceps vitam bonam etiam post obitum constitutam; malos autem, contrariam vitam. Nefas enim est existimare eos, qui evasere mali, servatoribus aliis custodiri *(nisi malis)*, dum ipsi desides, votis dumtaxat confidunt; quamobrem neque fas est, deos, vita propria interrupta, malis negotia singula dispensare; neque etiam decet probos viros, aliam agentem vitam humanæ naturæ meliorem, deterioribus gubernandis incumbere; quandoquidem neque hi aliquando curaverunt, quomodo boni principes aliorum fierent, meditantes qua ratione bonum eis adsit, sed invident etiam, si quis sponte bonus fiat; quoniam plures facti jam essent boni, si hos *(sponte bonos)* præsides statuissent. »

Humanum itaque genus factum est animal quidem, non tamen rerum omnium præstantissimum, sed medium obtinens eligensque ordinem; simul tamen quo in loco positum est, Providentiæ beneficio perdi nequaquam permittitur, sed ad superna revocatur assidue omnibus ubique mediis, quibus divinitas utitur, virtutem continue reddens potentia prævalentem. Quo quidem factum est, ut genus humanum rationalem nunquam amiserit facultatem; imo particeps, etsi non summopere, sapientiæ sit, mentisque et artis atque justitiæ, quam singuli inter se exercent; atque ubi injuria nonnullos afficiunt, se juste idem iis reddere opinantur; eos enim dignos esse judicent, qui ab ipsis afficiantur injuria. »

« Homo profecto tam pulchrum opificium est, quam pulchrum esse potest, atque ita in mundo constitutus est, ut sortem habeat potiorem quam cætera animalia, quæ in terra sunt; tamen nemo prudens vituperat animalia, quamvis homini inferiora, nam et ipsa mundi ornamenta sunt. Ridiculum namque foret, si quis animalium naturæ detraheret, quia hominem mordeant, quasi deccat homines secura prorsus ignavia vivere. Necessarium est autem hæc etiam esse; atque utilitates, quæ ab illis provenire possunt, partim quidem per se evidentissimæ sunt, partim vero, si minus manifestæ sunt, temporis longitudo demonstrat, adeo ut nihil in eis vel quoad ipsa animalia, vel etiam quoad homines frustra sit. Risu vero dignum est, si quis propterea improbet, quod pleraque animalium fera sint, quippe cum etiam homines sint feri. Quod si multa non parent homini, sed diffidentia reluctantur, nihil mirum videri debet. » (Ennead. 3, lib. 2, cap. 9).

VII.

De mundo juxta Pulchrum archetypum inæqualiter, seu variis gradibus, exemplato.

1°) Totus mundus inæqualibus partibus suis divinam Pulchritudinem repræsentat.

524. — « Quod autem quæri solet, quam ob causam Deus fecit mundum? idem est, ac si quæratur: quare est Anima *(mundi)*, et quare ipse Opifex facit? Hæc questio prima eorum est, qui sempiternitatis ipsius Principium apprehendere moliuntur; deinde putant Opificem mundi conversum permutatumque ab aliquo ad aliquid, evasisse causam fabricandi. Docendi itaque sunt, si modo dociles se præstiterint, quæ eorum natura sit, ut desinant aliquando vituperare quæ veneranda sunt... Et quisnam dispositionem mundi jure vituperat, quæ in primis magnitudinem intelligentis naturæ demonstrat? Si enim ita processit in vitam, ut vitam non habeat indistinctam atque confusam, qualia sunt quæ in mundo sunt minima, quæ per vitæ mundanæ abundantiam assidue gignuntur die ac nocte, sed est continua perspicuaque et multa et ubique vita, sapientiam inæstimabilem præ se ferens: quidnam prohibet eam affirmare manifestam, et pulcherrimam deorum intelligentium statuam? Quodsi mundana hæc statua, cum supernum imitatur exemplar, non est ei æqualis, profecto hoc ipsum naturaliter habet; alioquin imitatio illius minime foret. »

« Quod autem objiciunt dissimiliter imitari *(ita ut pulchra non sit)* falsum est. Nihil enim prætermissum est eorum, quæ pulchra naturalisque imago posset habere; siquidem necessarium erat, imitationem hanc exstare, et non ex quadam cogitatione vel cura artificiosa. Neque enim fieri poterat, ut substantia intelligens in universo postrema esset, quippe cum actum ejus geminum esse oportuerit: alterum quidem in seipso manentem *(scilicet operationem ad intra)*, alterum in aliud prodeuntem *(scilicet operationem ad extra)*. Oportuit igitur post ipsum aliud insuper esse; solum enim quod omnium infirmis-

simum est *(nempe materia prima)*, ita se habet ut nihil ipsius ad inferiora descendat *(cum ultimum gradum in mundum occupet)*, sed mirabilis potentia *(passiva et perfectibilis indefinite)* in ea sit. Quapropter et opus *(artificiosum)* inde emicuit *(dum materia per formam naturalem aut artificialem informatur)*. Et si alter mundus *(exemplaris)* est hoc melior, quisnam ille? » (Ennead. 2, lib. 9. cap. 8).

In alio loco sic loquitur Plotinus de trino et inæquali rerum ordine. « Qui ergo naturam mundi vituperat, prorsus ignorat quid agat, neque intelligit quo temeraria arrogantia sua eum deducat. In hoc autem errant plerique, quia nesciunt, perpetuum ordinem a primis per media ad tertia, atque ita semper usque ad extrema descendentem, neque considerant non decere vel inferiores incusare superiora, vel superiora improbare inferiora, sed oportere naturæ universi, ut inferiora semper æquo animo superioribus obtemperent, atque ut superiora ad inferiora se conferant. » (Ibid. cap. 13).

2°) Generalia rerum principia sibi invicem sunt contraria, et ex eorum unione oritur harmonia universa.

525. — « Procedens igitur hæc ratio *(sive hic universus ordo)* ex una Mente *(divina)* atque ex una vita *(scilicet ex Anima mundi)*, ex ambabus scilicet plenis *(formarum)*, non est vel vita una, vel mens quædam una; neque est ubique plena, neque tradit seipsam quibus impertit totam atque omnem. Cum vero partes in se habeat inter se oppositas ideoque indigas, certe belli seditionisque profert originem, atque ita est una omnis, si non sit unum. Facta enim sibimet per partes hostis, sic unum quiddam est et amicum, proinde ac si fabulæ, tragicæ sive comicæ, ratio una sit totius, multa in se prælia continens. Fabula quidem ipsa cuncta quæ dissident, in unam concordem redigit temperantiam, ceu pugnantium dispositionem omnem conficiens; ibi autem ex una ratione distantium dissidentiumque pugna deducitur. Quapropter quispiam harmoniæ ex pugnantibus resultanti assimilabit, perquiretque curnam in rationibus ipsis repugnantia comprehendantur. »

« Si igitur et hic acutum et grave faciunt ipsæ rationes conspirantque in unum, cum harmoniæ rationes sint, in ipsam videlicet harmoniam, quæ alia est ratio major, cum ipsæ minores sint et partes: profecto videmus similiter in universo contraria: album, nigrum; calidum, frigidum; item alatum, non alatum; pedatum, non pedatum; rationale, irrationale. Singula vero animalis unius universi sunt partes. Jam vero totum secum ipso consentit, partibus passim inter se pugnantibus, secundum rationem vero totum. Itaque necesse est, hanc quoque rationem unam, ex rationibus contrariis unam esse; adeo ut talis oppositio ipsi afferat constitutionem et quasi essentiam. Etenim nisi esset multiplex, non esset etiam omnis, non esset etiam ratio. Ratio vero existens, differens est etiam ad seipsam, maximaque differentia contrarietas esse videtur. Quapropter si alterum quiddam omnino est, ipsum vero alterum agit aliquid, non tamen alterum minus, sed magis alterum efficiet; sequitur ut alterum quiddam ad extremum efficiens necessario contraria faciat. Perfectaque erit ratio, si modo non differentia quædam, sed etiam contraria multa efficiat semetipsam. » (Ennead. 8, lib. 2, cap. 16).

3°) Deus non est causa mali.

526. — In doctrina Platonicorum, Deus est summum ac purum Bonum, quod producere non potest nisi bonum; Deus est suprema Forma efficiens et exemplaris, omnia opera sua formans secundum seipsam; ergo fons est boni tantum, omnisque boni præter ipsum, et nullum malum causare potest. At materia prima, cum sit de se prorsus informis, seu privatio omnis boni actualis, causa est omnis mali, tam physici quam moralis. Hoc late docet Plotinus in *Ennead. 1, lib. 8*, præsertim *Cap. 4:* Quomodo materia nihil boni habet. *Cap. 5:* Quomodo materia sit ipsum malum; quomodo fiat malum in anima. *Cap. 8:* Quomodo materia sit causa mali, primo quidem formis suis, deinde animo. Item quod omnia bona ad unum Bonum; omnia mala ad unum malum denique referantur. *Cap. 14:* Quomodo malum in anima sit debilitas. *Cap. 15:* Probatur materiam esse prorsus informem; item quomodo malum fiat in anima; quomodo materia intus mala.

Sequentia verba ex duobus ultimis Capitibus transcribemus: « Materia igitur et debilitatis et pravitatis animæ causa est; quare ipsa prius est mala primumque malum... Si quis autem materiam esse negaverit, monstrandum erit illi ex disputationibus de materia tractantibus, quam necessarium sit esse materiam; multa enim illic in sententiam illam adducuntur. Præterea si quis malum in ordine rerum esse omnino negaverit, bonum quoque tollere compelletur, et quidquid usquam est appetendum, ipsumque appetitum, item declinationem, atque rursus intelligentiam. »

« Appetitus enim ad bonum est; declinatio autem ad malum; intelligentia denique et prudentia, boni simul est atque mali, ipsaque in bonorum numero collocatur. Oportet igitur esse bonum, rursusque bonum purum, et quoddam mixtum ex bono atque malo. Item oportet, quod plus mali participat, ad id jam declinare quod

est totum malum; quod vero minus habet mali, hoc ipso, quod minus habet, ad bonum spectare. »

« Jam vero, quidnam animæ malum erit? Et cuinam animæ, nisi naturam attingat deteriorem? Alioquin neque cupiditates, neque dolores, neque iræ, neque timores exorirentur. Etenim timore composita resolvuntur. Rursusque dolores et cruciatus oriuntur ubi compositum dissolvitur. Præterea concupiscentiæ inolescunt ubi aliquid compositionem ipsam disturbat; vel, ne quid perturbet, insurgunt quasi remedio consulentes. Phantasia vero impulsio quædam est animæ irrationalis ab externis illata; suscipit autem impulsionem, per ipsum quod non est indivisibile *(scilicet per res materiales et sensibiles)*. Falsæ tandem opiniones animæ accidunt extra verum positæ; extra autem ponitur, eo quod non est pura *(a phantasmatibus materialibus)*. At vero instinctus ad intellectum vergens, aliud quiddam est; oportet enim intellectui dumtaxat hærere, atque animam in eo locatam firmiter permanere, neque ad id unquam, quod est deterius, declinare. »

VIII.

De omni pulchritudine in formis idealibus et realibus fundata.

527. — 1°) « Repetamus iterum a principio, quærentes quid sit ipsa in corporibus pulchritudo? Principio quidem est aliquid primo intuitu sensui se patefaciens; idque animus apprehendens familiariterque agnoscens suscipit, et quasi sibi convenientissimum *(et conforme)* approbat et amplectitur; at contra in turpe incidens sese retrahit, et velut abhorrens ob difformitatem, respuit ut alienum *(sibique dissimile)*. Etenim cum anima sit naturaliter, et intrinsece et secundum essentiam in rerum ordine præstantissima, quandocunque aspexerit cognatum sibi quoddam vestigium, congratulatur et stupet, illudque in seipsam referens, sui suorumque recordatur. »

« Quænam autem iis, quæ apud nos pulchra videntur, similitudo est ad illa pulchra, quæ supra nos sunt. Etenim si qua similitudo est, similia quidem sunt; sed quomodo pulchra simul sunt et hæc et illa? Participatione utique Formæ *(divinæ)* hæc dicimus esse pulchra. Omne namque informe, quod natura aptum est ad formam speciemque recipiendam, turpe est atque a divina Ratione semotum, quatenus rationis et speciei expers est; idque omnino turpe est, quod omnino semotum; quin etiam id turpe est, quod a forma rationeque minime superatur, dum materia videlicet formationem integram minime sustentat. Accedens itaque forma, id quod ex multis partibus unum compositione futurum est, simul ordinat invicemque conciliat, atque ipsa consensione unum efficit; quandoquidem et ipsa forma erat aliquid unum; ideoque formatum oportuit esse unum, quatenus id quod ex multis componitur, unum effici potest. Fundatur ergo pulchritudo in composito, quando jam fuerit in unum *(per formam suam)* redactum, atque seipsam partibus totique impertit. At quando pulchritudo invenit unum quiddam similibusque partibus constitutum, seipsam eidem tradit in totum. Quandoque enim, exempli gratia, toti ædificio simul partibusque sese communicat, quandoque autem unico lapidi, et tunc quidem id arte fit, alterum vero fit natura. Hac itaque ratione corpus efficitur formosum communione videlicet Rationis a Deo desuper venientis. » (Ennead. 1, lib. 6, cap. 2).

2°) « Sed in præsentia missas faciamus artes, et divina consideremus opera, quæ ars imitari dicitur, pulchra scilicet naturaliter effecta, sive cuncta animalia tam rationalia quam irrationalia, et præsertim quæcumque inter hæc exactius absoluta sunt; ubi nimirum Fictor ac Faber ipsorum, materiæ dominatus, formam adhibuit quam optabat. Quidnam igitur in his est pulchritudo? Non utique sanguis et menstrua, sed color et figura ab his diversa, aut nihil, vel aliquid deforme, vel tale quale quod continet simplex aliquid *(formam)*, sicut est materia? Undenam orta est pulchritudo Helenæ, pro qua tam ingens certamen suscitatum est? Unde illuxerunt cæteræ pulchritudines Veneri similes? Unde et ipsa Veneris pulchritudo surrexit? Aut si quis hominum ex integro pulcher, vel Deus, sive eorum qui non veniunt, sed tamen conspicuam in se habent pulchritudinem, nonne igitur pulchritudo ubique hæc est, descendens in illud, quod nascitur ex ipso quod generat *(scilicet ex divino Intellectu)*, sicut in artibus dictum est, pulchritudinem ab arte in artificia derivari. »

« Quid ergo? pulchrane opera quidem sunt, ratioque *(forma)* in ipsa materia? Ratio autem, quæ non est in materia, sed in agente *(artifice)*, Ratio prima et libera a materia, non esset pulchritudo, quamquam in unum *(scilicet ad summum Pulchrum)* hæc ipsa redigitur? Cæterum si moles, inquantum est moles, pulchra foret, sequeretur certe Rationem ipsam agentem, quoniam non est moles, non esse pulchram; sin autem, sive in parva sive in magna mole sit eadem forma, similiter vi sua movet afficitque animum intuentis, certe pulchritudo non est magnitudini molis attribuenda... Præterea

ipsam causam pulchri effectûs oportet aut esse deformem, aut indifferentem, aut pulchram. Si deformis esset, certe contrarium *(nempe pulchrum)* non efficeret. Si indifferens, curnam pulchrum aliquid potius faceret quam deforme? Sed profecto natura, rerum tam pulchrarum artifex, multo prius magisque est pulchra. Nos autem, cum nihil intimum inspicere soleamus, et intima penitus ignoremus, extrinseca sequimur, ignorantes interea, illud quod movet, intrinsecus latere; perinde ac si quis suam videns imaginem, et ignorans unde venerit, eam ipsam sequatur. »

« Quod autem sit aliud quiddam, ad se attrahens persequentes, et quod pulchritudo in magnitudine *(seu mole)* non consistat, testatur nobis pulchritudo, quæ scientiis inest ac officiis, ac prorsus est in animo; ubi certe maxime viget pulchritudo, quando scilicet in quodam animo sapientiam contemplaris, et contemplando delectaris et diligis, tunc non aspiciens corporis faciem, quæ fortasse non est formosa; sed posthabita tota corporis forma, interiorem pulchritudinem sequens. Sin autem animus ille te nondum ita movet, ut hunc appelles pulchrum, tunc nec teipsum interiorem intuendo, te velut pulchro delectaberis. Itaque sic affectus, frustra indagabis veram intimamque pulchritudinem; sic enim non puro, sed turpi modo pulchrum perquires; ideoque verba de rebus ejusmodi *(scilicet de turpi pulchritudinis amore)* non ad omnes habenda sunt. Quod si et tu teipsum inspexeris pulchrum *(animo, non corpore)*, hinc jam pulchritudinis reminiscere. (Ennead. 5, lib. 8, cap. 2).

IX.

De Pulchro divino a nobis contemplando.

1°) PULCHRUM DIVINUM DEBET ESSE NOSTRÆ CONTEMPLATIONIS CENTRUM.

528. — « Cum animus de justis pulchrisque consultet, inquiratque num hoc sit justum, numquid hoc sit pulchrum, necesse est stabile quiddam justum esse, similiterque pulchrum, unde ratiocinatio in animo ducat exordium; alioquin discurrere nunquam posset. Ac si animus interdum circa hæc discurrit, interdum vero minime, oportet in nobis esse, non naturam quidem hanc discurrentem, sed mentem, quæ justum pulchrumque semper habeat. Oportet præterea adesse mentis Principium et Causam atque Deum *(seu Pulchrum per se)*, qui nullo modo partiatur, sed penitus consistat, non in loco manens, sed in seipso; atque interim hoc Principium *(archetypum)* multifariam quoque considerandum est in singulis eorum, quæ ipsum participant velut quiddam *(scilicet velut supremum Exemplar)* præter illa *(exemplaria, seu varios rerum typos, qui sunt diversæ ejusdem Archetypi imitationes)*. Simili modo centrum cujusvis circuli est in seipso; singula autem *(nempe singuli radii et orbes circa centrum dispositi)* quæ sunt in circulo, signum suum habent in centro, et lineæ *(radii)* punctum proprium centro afferunt. Sic enim in nobis fit: nos quoque Pulchrum divinum tanquam centrum tangimus, ad illud congredimur, cum illo unimur, tantumque ipso innitimur ac figimur, quantum intentione ad illud conferimur. » (Ennead. 5, lib. 1, cap. 11).

2°) MENS NOSTRA REQUIEM INVENIRE NEQUIT NISI IN SOLA PULCHRI DIVINI CONTEMPLATIONE.

529. — « Quænam igitur hæc regio est *(nempe regio superna, de qua sermo est in fine paragraphi præcedentis)?* Et quomodo ad eam quis ascendere potest? Profecto huc ille potest ascendere, qui naturâ potissimum ad amandam trahitur pulchritudinem, et natus est revera philosophus *(nempe sapientiæ amator)*; qui sane, velut amator, circa pulchrum ipsum quasi partus labore vexatur, neque tamen pulchritudine corporis est contentus, sed ab hac confugit ad animi pulchritudinem, videlicet ad virtutes, scientias, officia, leges; atque inde rursus ad causam ascendit eorum pulchrorum, quæ in anima sunt; et si quid adhuc superius exstat, quousque tandem usque ad primum pervenerit, quod a seipso sit Pulchrum; quo sane perveniens vexari jam desinit, prius vero nequaquam. »

« At quomodo illuc ascendet, et unde facultas ejusmodi dabitur? et quænam potissimum ratio amorem hunc quasi manu perducet ad finem? Forsan ejusmodi ratio: pulchritudo hæc corporibus indita, corporibus adventitia est, hæ namque formæ corporum in eis sunt tanquam in materia. Subjectum ergo permutatur, et ex pulchro fit turpe; unde ratio corpus participatione quadam pulchrum esse convincit. Quidnam igitur illud est, quod corpus efficit pulchrum? Aliter quidem id pulchrum facit præsentia pulchritudinis, aliter autem anima, quæ corpus formavit, talemque formam ei contulit. Quid ergo? Numquid anima suapte natura pulchrum ipsum est? Minime; alioquin non alia quidem foret sapiens et pulchra, alia vero sapiens atque turpis. Per sapientiam igitur animo contingit pulchritudo. Sed quisnam est potissimum, qui tradit animo sapientiam? Hic sane necessario est intellectus: intellectus, inquam, qui non alias quidem intellectus sit, alias vero expers intelligentiae, sed verus potius Intellectus *(nempe divinus)*, qui hanc ob causam ex seipso sit pulcher. Sed numquid in hoc, velut in primo *(Principio)* nobis est quiescendum? an potius super

Mentem quoque progrediendum? Nempe Mens ipsa nobis in altum progredientibus prior decurrit quam Principium omnium primum, *(scilicet Bonum; seu Pulchrum per se)*, quasi in ipsius Boni vestibulo constituta, omnia in se nuntians et significans, velut quædam ipsius Boni imago (τύπος) in multitudinem potius distributa, cum Illud prorsus in unitate consistat ». (Ibid., cap. 2).

3°) In beata vita, mens nostra seipsam et Deum clare videbit, atque sic Deo perfecte assimilabitur.

530. — a) « Jam vero, in hoc beato vivendi statu, videre licet Deum atque seipsum, quemadmodum fas est videre: seipsum quidem intueri illuminatum, intelligibili jam lumine plenum; imo vero lumen ipsum purum, leve, sublime, deum tunc effectum *(deiformen similitudine)*, imo jam existentem; et tunc quidem amore accensum, sin autem gravatus animus rursus inde labatur, jam quasi rursus extinctum. »

« Curnam igitur animus ibi non permanet? Profecto, quia hinc nondum omnino emigravit. Dabitur autem continuitas intuendi, quando corpus nullo modo intuitum perturbabit. Etenim qui videt *(scilicet intellectus noster)* non est illud quod proprie perturbatur *(scilicet anima sensitiva)*, sed aliud quoddam. Ipse autem qui videbat, tunc præcipue a visione vacat, quando non vacat ab ea scientia, quæ in demonstrationibus, conjecturisque, et rationis discursu versatur; nam ipsum videre *(seu mentis intuitus)* et ipse videns, non ulterius ratio quædam *(discurrens)* est, sed aliquid ratione excellentius, rationemque antecedens *(nempe simplex principiorum intelligentia)*... Quisquis igitur seipsum videt, certe dum videt, se inspicit sic affectum; imo vero sibi se disposito cohærebit, talemque persentiet, simplicem jam prorsus effectum... Hoc spectaculum dictu admodum difficile est; quomodo enim dicet aliquis quod cum aliquid videt, non videt ut alterum, sed secum penitus unum? (Ibid., cap. 9 et 10).

b) « Hoc porro indicat talium mysteriorum institutio, dum ea patefacere vetat hominibus nondum initiatis et expiatis. Vetuit enim divinum, tamquam explicatu nefas, alteri cuiquam revelare, nisi dumtaxat ei, cui et videre contigerit... »

Sequentibus verbis describit Plotinus hominem Deo prorsus unitum, Deumque immediate intuentem, et intellectualiter in eo transformatum.

« Tamquam raptus, sive Deo penitus occupatus, animus in tuto quodam secessu habituque tranquillo et prorsus immobili jam constitutus est, a divina Essentia nullo modo declinans, neque etiam circa seipsum se reflectens, quippe cum penitus conquiescat, et in beato statu suo confirmatus sit. Jam vero, neque versatur ulterius circa pulchra, sed ipsum pulchrum *(mente conceptum)* visu transgrediens, ipsum quoque virtutum superat chorum; perinde ac si quis, sacri cujusdam templi penetralia jam ingressus, statuas omnes in eo dispositas a tergo relinquat, quæ quidem egressuro mox e templo primæ rursus occurrunt; postquam intimum sanctuarium spectatus est, atque commercium habuit, non cum statuis nec cum imaginibus, sed potius cum ipso Deo, quem statuæ repræsentant. Hæc secundaria imaginum spectacula æstimari possunt, sed ipsius Archetypi spectaculum æstimari nequit, at diversi actus quibus perficitur sunt exstasis *(mentis excessus)* et studium unitatis et suiipsius traditio, et desiderium tangendi, et tandem quies, ita ut ibi adsint omnia quæ ad unionem excogitari possunt, si quis recte perspiciat, quod in templi sanctuario agatur; qui vero prospicit aliter, nihil inde reportat. »

« Sapientes quidem vates tenebris involvunt istæ rerum divinarum imitationes, indicantes quomodo cernitur ille Deus; sapiens vero sacerdos mysterium involutum explicans adytumque ingressus, veram contemplationem ibi assequitur. Qui, si nondum ingressus fuerit, tunc adytum ipsum existimans esse rem quamdam invisibilem *(nempe divinam naturam)* et fontem atque principium, cognoscet admodum ut principium; at vero adytum ingressus, Principium ipsum videt eique conjungitur, similisque simile percipit *(nimirum animus spiritualis Deum spiritualem intuetur)*, nullum negligens divinorum, quotcumque animus consequi possit. Jam vero, ante visionem ipsam, desiderat quod visioni superest; ei vero qui omnia transcendit, superest Ipsum *(Bonum seu Pulchrum)* quod omnia superat... »

« Si quis igitur seipsum quandoque viderit id effectum *(nempe in sui ipsius contemplatione consistentem)*, erit velut quædam Dei imago; ac si a seipso pertranseat *(ad Deum)*, tanquam imago usque ad Archetypum traducta, jam ipsum itineris finem consecutus erit. At quando a contemplatione ceciderit, tunc rursus virtutem sibi insitam excitando, et seipsum prorsus ornatum animadvertendo, ad sublimia iterum attolletur, dum per virtutem procedet in mentem, ac per sapientiam progredietur ad Deum. Hæc igitur est deorum, divinorumque et felicium hominum, vita a terrenis libera, humanas omnino contemnens voluptates, fugaque solius *(mentis)* ad solum *(Deum)*. » (Ibid., cap. 11).

X.

De Pulchro divino a nobis per virtutes imitando.

531. — 1°) IPSE DEUS A NOBIS IMITANDUS EST. « Ad deos enim, non ad homines, nobis est similitudo proposita. Similitudo quidem nostra ad homines bonos est veluti si imago assimiletur imagini, cum utraque sit exemplata; sed similitudo nostra ad Deum, perficitur per aliud, velut ad Exemplar.» (Ennead. 1, lib. 2, de Virtutibus, cap. 7).

« Ipsum studium ac votum nostrum, non est sine peccato esse, sed esse deum *(nempe Dei similem per virtutes).* » (Ibid., cap. 6).

« Cum mala in terra sint, et circa hunc locum necessario revolvantur, atque velit anima fugere mala, hinc est procul fugiendum. Sed quænam est hæc fuga? Deo, inquit Plato, similem fieri. Hoc autem fiet, si justi et sancti cum prudentia efficimur, et omnino cum virtute vivamus. Si itaque virtute assimilemur, nonne ergo virtutem habenti? At cuinam? Deo. »

532. — 2°) DEUS EST EMINENTER OMNIUM VIRTUTUM EXEMPLAR, ita ut earum actus non exerceat sicut nos, sed ipsarum exemplaria in sua Mente habet.

« Sed numquid assimilamur illi Deo, qui magis videatur virtutes habere? Nempe Animæ mundi et intimo ipsius Duci *(scilicet Intellectui, seu Verbo divino)*, cui mirabilis inest *prudentia.* Sane probabile est nos hic prudenter viventes, ei similes fieri. — Sed fortasse primo ambiguum est, num Deo omnes virtutes adsint, veluti *temperatum et fortem* esse, cui nihil timendum est; nihil enim ab externis accidit, neque accedit jucundum quidquam, cujus absentis desiderium lacessat, ut habeatur vel apprehendatur. Si autem et ipse Deus intelligibilia sic appetit, ut anima nostra, patet nobis quoque inde decus virtutesque contingere. Numquid et ipse has habet? Forte non probabile est, virtutes civiles habere, videlicet *prudentiam* in consultando; et *fortitudinem* circa iracundiæ impetum; et *temperantiam* in naturæ concupiscentis consensione quadam ac concordantia cum ratione; et *justitiam* præter propriam uniuscujusque horum actionem, consentientem in eo quod est gubernare atque gubernari. An forte Deo assimilamur, non secundum virtutes civiles, sed secundum excellentiores eodem nomine præditas? Et si secundum alias, num nullo modo secundum civiles?... — Utroque modo contingere videtur Deum habere virtutes, etsi non tales... Neque enim sensibilis domus eadem est intelligibili, quamvis similis: etenim domus sensibilis ordinem ornatumque accipit, in ipsa vero Ratione divina non est materialis ordo, neque ornatus, neque commensuratio. Sic igitur eum moralem ordinatum et ordinem et consensionem a divino Intellectu participamus, atque hæc apud nos ad virtutem attinent, dum ipse Dei Intellectus consensione, ornatu, ordine non indigeat, nimirum in divina Mente non erit virtute opus, sed nihilominus similes ei evademus per virtutis præsentiam. Hæc utique sic dicta sint præsertim ad ostendendum, quod non necesse est virtutem esse quoque accidentaliter ac more nostro in divino Intellectu, ex eo quod virtute illi assimilemur. » (Ennead. 1, lib. 2, cap. 1).

533. — 3°) VIRTUTES SUNT IN DIVINA MENTE UT EXEMPLARES, ET IN ANIMA NOSTRA UT EXEMPLATÆ.

« Quod apud nos quidem *exemplatum*, virtus est, in divina Mente velut *Exemplar* exstat, neque est virtus sicut in nobis. Duplex autem significatur similitudo: una quidem naturam eamdem exigit in rebus similibus, quotcunque ab eodem similes fiunt æqua mutuave ratione; in his rebus, hæc quidem assimilatur ad alteram; altera vero est prima, neque ad seipsam convertitur, neque sibi ipsi similis dicitur. Sed nunc alio modo similitudinem accipere oportet, requirendo non eamdem speciem *(in rebus similibus)*, sed potius alteram, nam similitudo fit secundum alteram rationem *(nempe genericam aut analogicam)*... Fortasse mensuræ quæ sunt in anima velut in materia *(perficienda)*, similes fiunt mensuræ *(exemplari)* quæ est in Mente divina, et sequuntur summi Pulchri vestigia, quæ in ea est. Quod autem omnino immoderatum est, cum sit ipsa materia, est omnino dissimile *(ab Exemplari)*; quatenus vero speciem *(seu formam)* participat, eatenus fit simile speciem non habenti *(nimirum Pulchro per se, quod speciem determinatam non accipit, sed ipsum est Forma infinita, extra et supra omnem speciem finitam)*; quæ sunt huic propinqua, magis similitudinem ejus participant; anima autem summo Bono propinquior et cognatior est quam corpus, ideoque magis particeps Boni evadit, ita ut deus appareat et quasi tota divina videatur. Sic igitur fit similitudo *(exemplatorum ad Exemplar).*» (Ibid., cap. 2).

« Igitur virtutes in anima imitantur virtutes exemplares, quæ sunt in divino Intellectu ante virtutes exemplatas. Etenim in Eo, *prudentia est* scientia et sapientia *(seu supremi Boni cognitio)*; ad ipsum *(Bonum)* vero converti, *temperantia est;* proprium opus ejus est propria *(æqua, perfecta)* actio *(seu justitia)*; denique *fortitudo* illius est segregatio a materia et pura permansio in seipso. — In anima autem nostra, intuitus in divinum Intellectum est virtus sa-

pientiæ et prudentiæ; non enim anima ipsa est virtus quam habet, sicut divinus Intellectus *(qui ipsa virtus est, cum in eo sint omnes virtutes exemplares)*. Cæteræ virtutes nostræ simili modo *(ac diximus de prudentia)* imitantur virtutes exemplares; similiter quoque purificatio. » (Ibid., cap. 7).

534. — 4°) EXEMPLATÆ VIRTUTES DIVIDUNTUR IN VIRTUTES PURGATIVAS ET IN VIRTUTES PURGATI ANIMI.

« Necesse vero est, siquidem omnes virtutes sunt quædam purificationes, ut in purificatione aliqua perfecta consistant *(seu terminentur)*: alioquin nulla perfecta foret. Præterea quicumque majores *(excellentiores)* habet virtutes *(scilicet virtutes purgati animi)*, minores quoque potentiâ *(nempe virtutes purificativas)* habeat necesse est; e contra qui minores habet virtutes, non necessario et majores habet. » (Ibidem).

« Sed quoniam manifestum est, aliam esse cum Deo conformitatem, quæ ad majorem virtutem pertinet, de illa dicendum est. Sic autem melius patebit, et quæ sit civilis virtutis essentia, et constabit esse virtutem essentialiter excellentiorem, atque omnino aliam præter civilem. Itaque Plato, cum dicat similitudinem ad Deum esse quamdam a rebus inferioribus fugam; et cum virtutes civibus convenientes appellet, non simpliciter virtutes, sed virtutes civiles; ac tandem cum alibi omnes virtutes nominet purificationes; plane videtur duplices ponere virtutes, et docere ipsam ad Deum assimilationem non consummari per civilem virtutem. » (Ibid., cap. 3).

§ III.

De divino Exemplarismo et trino ordine in Porphyrio.

Porphyrius, Plotini discipulus, fidem catholicam amplexus est, sed postea negavit, et contra christianam religionem scripsit opus impiissimum, quod a prioribus Ecclesiæ apologistis refutatur, at usque ad nos non pervenit. Doctrina ejus omnino consonat theoriæ sui magistri. — Referemus quid in *Sententiis suis* doceat 1°) de tribus rerum principiis in genere; 2°) de divina Mente in specie; 3°) de rerum omnium ordinatione ad primam Causam; 4°) de divina perfectione a nobis contemplanda; 5°) de divina perfectione a nobis per virtutes imitanda.

I.

De tribus rerum principiis in genere.

535. — « Deus ubique est, quia nullibi est *(diffinitive)*; et Mens *(divina)* ubique, quia nullibi; et Anima *(mundi)* ubique *(in mundo)*, quia nullibi *(in particulari loco mundi)*. »

« Sed Deus quidem ubique est, et nullibi *(tanquam contentus)* in eis omnibus, quæ post ipsum sunt, sed ibi tantum est eo modo, quo Ipse est et vult *(et intelligit, scilicet infinite et immense)*. Mens autem est in Deo quidem, sed ubique, et nullibi in eis quæ sunt post ipsam. Et Anima est in Mente et in Deo ubique *(in mundo)*, et nullibi in corpore *(particulari)*. Corpus autem *(particulare)* est in Anima, et in Mente, et in Deo. »

« Et sicut omnia entia *(actu)* et non entia *(actu, sed entia potentiâ)* sunt ex Deo, etiam sunt in Deo; nec tamen Ipse est entia, vel non entia, nec in iis. Nam si solummodo ubique esset *(et non in Seipso infinite)*, ipse utique esset omnia et in omnibus; at quia idem etiam nullibi est *(tanquam contentus)*, omnia fiunt per ipsum, et in ipso, quia ipse est ubique *(tanquam omnia continens)*; sunt autem omnia diversa ab eo, quia ipse nullibi *(in eis continetur)*. »

« Ita etiam Mens ubique et nullibi existens, causa est animarum, et eorum quæ post animas sequuntur; nec ipsa Mens est Anima, nec ea quæ sunt post Animam, nec in illis; quia non tantum est ubique in eis quæ sunt post ipsam *(Mentem)*, sed et nullibi *(in eis continetur)*. »

« Et Anima nec est corpus, nec in corpore *(particulari)*, sed causa corporis; quia dum ubique per corpus *(seu molem mundi)* diffunditur, et nullibi *(in nullo corpore particulari)*. »

« Atque hic progressus universi procedit usque ad illud, quod nec ubique simul, nec nullibi esse potest, sed utriusque particeps est *(nempe usque ad animas particulares, quæ non sunt ubique in tota mundi mole, nec extra molem, sed sunt ubique in proprio corpore, in quo continentur, et quod informant, et non sunt alibi)*. » (Sentent., cap. 31).

II.

De Mente divina in specie.

536. — In sequenti loco, Porphyrius tollit realem distinctionem, quam falso ponebat Plotinus inter Deum intelligibilem ac intellectum, et Mentem quæ illum intelligit. Porphyrius Mentem divinam considerat ut Deum intelligentem seipsum, et omnia in seipso, æterno ac simplici intuitu, sine ullo discursu.

« Intellectus et intelligibile est aliud quam sensus et sensibile. Intellectui quidem affine conjunctumque est intelligibile, sicut sensui sensibile; sed nec sensus semetipsum comprehendere potest, nec sensibile; intelligibile autem,

cum intellectui sit affine et intellectu intelligatur, nequaquam cadit sub sensum, sed intellectus intelligitur intellectu. Si vero intellectus intellectu cognoscitur, intelliget utique intellectus semetipsum. Si ergo intellectus cognoscitur intellectu, non sensu, erit utique aliquid intelligibile. Si vero intelligibilis est intellectui, non autem sensui, erit etiam intelligens. Idem ergo est intelligens et intelligibile, totus toti, non ut is qui terit, et is qui teritur. Neque igitur alia parte intelligitur, et alia intelligit; impartibilis enim est, et totus toti intelligibilis; nihil enim non intelligens in eo cogitandum. Ideoque non quidem unam sui partem intelligit, alteram vero non intelligit: quatenus enim non intelligit, intellectu destitutus erit, neque ergo discedens ab uno ad alterum transit; a quocumque enim non intellecto discedit, secundum id intellectu destitutus erit. Si vero non successive unum post alterum ab eo intelligitur, intelligit simul semelque omnia. Si ergo omnia simul, neque hoc quidem nunc, illud vero postea intelligit, omnia simul ei adsunt, et instans et sempiternum. Si ergo præsens illi adest, tollitur et præteritum et futurum, in indivisibili hujus instantis momento, ita ut illud simul, et secundum multitudinem, et secundum temporis intervallum ei adsit. Ideo omnia secundum unum, et in uno eoque nec loci nec temporis intervallo diviso instanti. Quod si ita sit, nec intellectus intelligens hic inde discurrit; quare nec motus ejus est, sed actus, qui secundum unum in uno, et incrementum, et mutationem, et discursum omnem tollit. Quod si multitudo adsit secundum unum, simulque operatio nulli temporis intervallo obnoxia, necessario hujusmodi substantiæ id quoque tribuendum est, quod semper in uno existit. Id vero est æternitas. Adest ergo Intellectui *(divino)* æternitas. » (Cap. 44).

Sed quamvis hoc loco doceat Porphyrius Mentem divinam idem esse ac Deum, quem intelligit, alibi asserit Mentem non esse primum Principium, quia multa præter Deum intelligit, ac proinde ipsa multa est, quum idem sit ac illa, quæ intelligit. « Mens non est omnium Principium: Mens enim multa est; atqui, ante multa necessarium est esse unum. Sed Mentem multa esse liquet. Semper enim conceptus suos intelligit, qui non unum sed multi sunt, nec alii sunt ab ea. Quare si Mens una eademque est cum suis conceptibus *(seu ideis)* et illi multi sunt, utique et Mens ipsa multa erit. » (Cap. 15). — Inde liquet Porphyrium rite non intellexisse Exemplarismum, nec potuisse idearum pluralitatem conciliare cum unitate divinæ Mentis, et ipsius Dei unici omnium rerum Archetypi.

III.

De omnium rerum ordinatione ad primam Causam, et de inordinatione ex peccato exorta.

537. — « Quidquid substantia generat, deterius semetipso generat, et omne genitum naturâ ad suum genitorem convertitur. Generantium autem alia nullo modo convertuntur ad ea quæ genuerunt; alia partim convertuntur, partim non convertuntur; alia autem tantum ad producta a se conversa, ad semetipsa non convertuntur. » (Cap. 13).

« Universalium perfectarumque substantiarum nulla ad progeniem suam convertitur; sed omnes perfectæ substantiæ ad auctores suos reducuntur, etiam usque ad corpus mundanum. Cum enim perfectum sit, ad Animam *(mundi)* intellectu præditam subrectum est; ideoque movetur in orbem, Anima autem ejus ad Mentem subrigitur; Mens vero ad primum Principium *(Deum, seu Bonum per se)*. Ad hoc itaque Principium, exordio inde ducto ab ultimo *(gradu)*, pro suis quodque viribus pervenit. » (Cap. 30).

« Reductio autem illa ad primum Principium fit vel ex propinquo, vel ex longinquo. Propinqua ergo dici possunt, non solum appetere Deum, sed etiam illo frui, pro viribus. Divisibilibus autem *(seu compositis, imperfectioribus atque a Deo longinquioribus)* substantiis, quæ vergere ad multa possunt, innatum quoque est, ut ad progenies suas se convertant. Unde et in hisce substantiis peccatum existit; in hisce probrosa perfidia. Has enim materia malo inficit, quoniam in eam deflecti possunt, cum ad Deum quoque converti queant, ita ut perfectio *(seu virtus)* quidem substituat secunda *(scilicet substantias physica dignitate secundas)*, primis *(nempe substantiis dignitate prioribus)*, conservans ea conversa ad prima *(scilicet ad digniores substantias, quæ in suo gradu fideliter permanserunt)*: imperfectio vero *(seu peccatum)* prima quoque ad postrema deflectit, et efficit ut ament ea, quæ ante ipsa deflexerunt. » (Cap. 30).

In hoc loco Philosophus apostata clare indicat inordinationem ortam ex peccato et lapsu creaturæ rationalis; sed falso peccatum materiæ attribuit, asseritque solas substantias materia et forma compositas posse a Deo averti; nam in Ecclesia didicerat ipsos angelos, et quidem supremos superbia sua corruisse. Atque utinam ipse Porphyrius eodem vitio non corruisset!

IV.

De Deo a nobis contemplando.

1°) De infinita perfectione Dei a nobis contemplanda.

538. — « Quando mente conceperis substantiam in semetipsa inexhaustam præ infinita potentia, et cogitare cœperis subsistentiam indefessam ac insuperabilem, nunquam deficientem, sed præ omnibus aliis præditam vita purissima, et semetipsa plenam, in se fundatam, et semetipsa plene contentam, nihilque extra se quærentem: tunc si supremæ huic substantiæ superaddas locum et relationem ad aliud, statim eo ipso, quod in eo indigentiam loci et relationis ad aliud cogitas, ipsam quidem non imminuis *(realiter)*, sed teipsum a vera ejus cognitione avertis, cogitationi tuæ subeuntem imaginationem sicut velum obducendo. Neque enim Deum supergredi et excedere poteris, neque in suo statu confirmare, nec imperfectiorem reddere, nec vel minimum mutare, quippe qui nec minimum deficere potest. Indeficiens enim est, multo magis quam ullus fons semper ac indeficienter scaturiens cogitari possit. Hunc si mente assequi nequeas, nec universo (τῷ παντί) assimilari, nihil quæras quod sit ipsius entis *(ab eo producti)*, aut si quæsieris, digredieris ad aliquid aliud contemplandum. Sed si nihil præter Ipsum quæsieris, persistens in temetipso et in tua substantia, assimilaberis *(mente)* universo (τῷ παντί, *ipsum solum cogitando)*; nec hærebis in ulla re, quæ sit post Ipsum. Ergo nec ipse dicas: tantus sum *(sive aliquid sum)*. Omittendo illud aliquid; fies totum (γέγονας πᾶς), cum et antea fueras totum *(scilicet antequam de teipso cogites)*. Sed aliud quid tibi cum toto aderat *(quando teipsum cogitabas)*, et minor evasisti *(mente)* hac oppositione, cum illa appositio non provenerit ex Ente *(supremo)*; nihil enim illi apponere poteris. Ubi autem aliquid additur ex non ente, comitatur paupertas et omnium rerum egestas. Relinque ergo non ens, et tunc tibi ipsi eris omnium sufficientissimus; hic enim recuperat seipsum, qui dimittit ea, quæ abjectiorem et viliorem ipsum faciunt, præsertim cum aliquid eorum, quæ de se exigua sunt, esse putat, et non Eum qui revera Est; simul enim a seipso et ab Ente recedit.» (Cap. 41).

2°) De Deo nobis intime præsente, et intra nos contemplando.

539. — « At quando quis præsens adest Deo, qui est præsens in ipso, tunc etiam adest Enti, quod ubique est; sed quando teipsum negligis, recedis etiam ab illo. Tanti enim momenti est, hominem adesse Deo, qui ipsi est præsens, et abesse ab illo, qui est extra seipsum. Si quidem Ens nobis adest, abest non ens; sed non adest nobis Ens, dum nos adsumus aliis rebus. Non accedit Ens ut adsit, at nos ab illo recedimus, cum non adest. Et quid mirum? nam tu ipse Enti præsens, non es ab eo absens; nec tamen ei ades *(mente)*, quamquam ades *(essentia)*; esque simul et ipsi præsens et absens, ubi alia respiciens, teipsum inspicere negligis. Si ergo tibi ipsi præsens, tibi tamen non ades *(mentis attentione)*, ideoque tecum ignoras, et omnia tam vicina quam a te remota potius invenis quam teipsum, qui natura tibi ipsi præsens es: quid miraris, si Deus qui non est præsens *(menti tuæ)*, procul absit a te, qui longius ab illo abes, eo quod longius abes a temetipso *(quum a Deo atque a temetipso sis mente distractus)?* Quantum enim tibimetipsi, licet præsenti et inseparabiliter conjuncto *(physice, cum sis individuum)*, præsens aderis *(mentis attentione)*, tantum et Deo præsens eris; quoniam secundum essentiam suam minus potest a te disjungi et separari, quam tu a temetipso; ita ut omnino cognoscere possis, et quid adsit Enti, et quid ab eodem absit; licet ipsum ubique sit præsens *(essentialiter)*, et idem quoque sit nusquam *(diffinitive)*. Nam qui seipsos in propriam suam essentiam intellectu penetrare ac cognoscere possunt, hac ipsa cognitione, et cognitionis scientia, semetipsos recuperare *(seu invenire et possidere)* queunt; illa scilicet unione qua cognoscens et cognitum uniuntur. Et hisce sibi præsentibus, Ens quoque ipsum est præsens. » (Ibid.).

V.

De Deo a nobis per virtutes imitando.

540. — In sequenti loco, Porphyrius sic loquiquitur de virtutum divisione et scopo, qui est moralis assimilatio nostra ad Deum.

« Aliæ sunt virtutes politici (civiles); aliæ tendentis ad contemplationem, quem idcirco contemplationem, vel etiam contemplantem vocant; et aliæ mentis, inquantum mens est, et ab animæ *(sensitivæ)* consortio pura... »

Tres illi virtutum gradus a Porphyrio nuncupantur quoque inferius *activæ, purgativæ seu theoreticæ, et intellectuales*. Constituunt autem initium, progressum et terminum perfectionis nostræ, juxta doctrinam platonicam, sed non juxta integram veritatem intellectæ. Sunt virtutes exemplatæ, quæ nos perficiunt juxta virtutes exemplares in divina Mente existentes. Tribus enim prædictis virtutum generibus, quartum genus addit Porphyrius: « Quatuor ergo virtutum genera ostendimus, quarum aliæ quidem erant Mentis, *(divinæ)*, exemplares sci-

licet, quæ cum ipsa Essentia ejus concurrunt; aliæ vero animæ, prout jam ad Mentem respicit, et ab ea repletur; aliæ autem hominis in purgando occupatæ, aut jam a corpore brutisque passionibus purgatæ; aliæ vero animæ exornantis hominem, eo quod irrationali facultati terminos modumque præstituit, et passionum moderationem inducit. Et is quidem qui majores virtutes obtinet, obtinet etiam necessario minores; sed non vice versa; neque enim majoribus instructus, quia et minores possidet, ideo primo et præcipue secundum minores operabitur, sed tantum secundum mortalis conditionis circumstantias. »

« Scopi autem *(virtutum)* secundum genera differunt: scopus enim *politicarum* est modum adhibere affectibus, ad actiones ex naturæ præscripto obeundas; *purgativarum* vero, affectuum penitus memoriam delere; aliarum vero, *nempe intellectualium)*, consentanea intellectui agere, ac ne quidem de affectibus deserendis cogitare; cæterarum *(exemplarium)* autem scopi, pro ratione *(exemplari)* eorum quæ diximus. Ideoque qui secundum *practicas (seu civiles)* virtutes operatur, vir probus est; qui secundum *purgativas*, homo dæmonius, sive divinus, seu genius bonus; qui vere secundum solas *intellectuales*, deus; at qui secundum *exemplares*, deorum Pater. »

« Habitus secundum virtutes theoreticas *(seu purgativas)* consistit in carentia seu vacuitate affectionum, cujus finis est similitudo cum Deo. » (Cap. 34).

§ IV.

De divino Exemplarismo et trino ordine in Proclo.

Proclus, ardens Platonismi fautor, et simul Paganismi acerrimus defensor contra Christianos, profundissime sed satis obscure scripsit 1°) de primæ Causæ necessitate; 2° de primæ Causæ perfectione; 3°) de prima omnium rerum ordinatione ad primam Causam. Textus, quos transcribemus, omnes desumpti sunt ex ejus *Institutionibus theologicis*, ita ut in illis citandis, solum Caput indicare sufficiet.

I.

De primæ Causæ necessitate.

541. — 1°) NECESSARIO STATUENDUM EST ENS NIHIL PARTICIPANS, A QUO CÆTERA ENTIA PARTICIPANT OMNIA.

a) « Ens totum, nihil participans, constituit participata a seipso; et omnes substantiæ participatæ contendunt ad essentias *(vel potius ad essentiam)* nihil participantes. »

« Ens enim nihil participans, cum rationem Unitatis *(simplicissimæ)* habeat, tanquam a seipso existens et ab omnibus participantibus exemptum, ea producit quæ participari possunt. Si enim infecundum esset, staret in se, et nullum honorem haberet; si vero aliquid a se daret, ens, quod datum acciperet, ipsum participaret; datum autem subsisteret per participationem. Quandocumque vero aliquod ens particeps factum fuerit alterius, ipsum ens a quo participat, posterius est Enti, quod omnibus pariter adest, et omnia a seipso replet; nam id quod in uno tantum est, in aliis non est. »

« Ens autem, quod omnibus pariter adest, ut omnibus illucescat, non est in uno omnium, sed ante omnia. Etenim vel est in omnibus, vel in uno omnium, vel ante omnia; sed illud quidem quod est in omnibus, cum sit in omnia partitum, rursus alio indiget unitrino quod est partitum; et hoc modo non amplius idem omnia participabunt; sed hoc quidem participabit aliud, illud vero aliud, si ipsum Unum partitum fuerit. Si vero sit in uno tantum omnium, non amplius erit omnium, sed unius tantum. — Si vero commune sit etiam iis quæ participare possunt, et idem omnibus, erit ante omnia; hoc vere nihil participat. » (Cap. 23).

b) « Omne participans inferius est participato ab ipso, et omne participatum inferius est nihil participanti. Nam participans, cum ante participationem sit imperfectum, et ipsa participatione perficiatur, participato prorsus posterius est, inquantum perfectum est postquam illud participavit; inquantum autem prius imperfectum erat, in hoc etiam inferius est participato, a quo perfectum est. »

« Præterea participatum ab aliquo tantum, et non ab omnibus, rursus inferius est participato ab omnibus, et non ab aliquo tantum; nam hoc quidem est cognatione conjunctius cum prima omnium Causa, illud vero minus est cognatum. »

« Igitur Ens nihil participans antecedit participata ab eo; participata vero præcedunt participantia. Atque, ut summatim loquar, Ens nihil participans est Unum ante plura; participatum vero a pluribus est unum simul *(in seipso)* et non unum *(in participantibus ipsum)*; et omne participans est non unum *(in participatione, quia nequit omnia participare, sed alia etiam cum illo participant, seu partem capiunt totius boni participati)* simul et unum *(in seipso sive in eo quod singulariter participat.)* » (Cap. 24).

2°) NECESSARIO STATUENDA EST PRIMA MENS, A QUA CÆTERÆ MENTES IDEAS SUAS PARTICIPANT.

542. — a) « Omnis mens vel nihil participat, vel ab ea *(quæ nihil participat)* participata est. Et si participata est, participatur vel a

supermundanis animabus, vel a mundanis. Nam omni multitudini præest Mens nihil participans, primam habens substantiam. Illarum vero mentium, quæ ab ea participantur, aliæ quidem illuminant supermundanam animam, nihil a mundo participantem; aliæ vero collustrant animam mundanam; mundana enim multitudo non immediate manat a Mente nihil participante, nam progressus per similia fiunt. Jam vero mens a mundo separata similior est Menti nihil participanti, quam substantiæ mundanæ, quæ compositæ et divisibiles sunt; non enim solum existit supermundana multitudo, sed etiam mundana, siquidem est etiam deorum multitudo in mundo, et ipse mundus est animatus simul et mente præditus. Et illa participatio supermundanorum deorum, qua fruuntur animæ mundanæ, fit propter medium mentium mundanarum. » (Cap. 166).

b) « Omnis particularis mens particeps est illius Unitatis, quæ est supra Mentem *(divinam, summo Bono inferiorem juxta Platonicos)* et quæ prima est; hanc autem participat per ipsum universale et per ipsam unitatem, quæ cum ipsa Mente simul est collocata. » (Cap. 109).

c) « Omnis cognitio a Mente manat in omnibus qui cognoscunt. » (Cap. 93).

« Omnis anima habet omnes ideas, quas ipsa Mens *(divina)* primo habet. Nam si a Mente progreditur anima, et si Mens fundatrix est animæ, et si omnia Mens producit per ipsum suum Esse, cum immobilis est, dabit etiam animæ per ipsum subsistenti essentialia principia omnium, quæ in ipsa *(Mente)* insunt. Omne enim quod Mens per suum esse producit et primo, hoc *(scilicet ideas suas)* animæ quæ fit, secundo impertit. Anima igitur secundo habet species expressas idearum divinæ Mentis. » (Cap. 194).

« Omnis anima est omnis res *(quam intelligit)* : nam per modum exemplaris, est omnes res sensibiles *(quarum ideas in se habet inditas, juxta Platonicos)*, et per modum imaginis, est omnes res intelligibiles *(quibus per naturam similis est)*... Ergo anima est omnia entia; alia per participationem *(naturæ)*, nimirum prima *(spiritualia)* : alia vero per modum exemplaris, scilicet quæ sunt animæ inferiora. » (Cap. 195).

« Tria sunt animarum genera : primæ quidem sunt divinæ; secundæ non divinæ, sed tamen semper Mentem *(supremam)* participantes; tertiæ vero sunt, quæ modo in Mentem, modo autem in amentiam mutantur. » (Cap. 184).

II.

De primæ Causæ perfectione.

1°) De primæ Causæ simplicitate, inquantum est Actus purus, omnem potentiam actuans.

543. — « Omne quod est potentiâ, ab eo manat quod est actu. Quod autem est potentiâ, ad illud, quod est actu progreditur. Id quidem quod est aliquo modo potentiâ, manat ab eo quod aliquo modo est actu, quatenus illud ipsum est potentia *(activa)*. »

« Quod vero potentiâ est omnia *(scilicet materia prima)* manat ab eo, quod actu est omnia *(scilicet a Deo)*. Quod est potentia *(passiva)*, seipsum perducere in actum nequit naturaliter, quia imperfectum est. Si enim causa, quæ est imperfecta, sibi ipsi esset causa sui finis *(seu perfectionis)*, et actu *(talis esset)*, ipsa causa esset imperfectior effectu ab ea producto. Non igitur quod est potentia, quatenus est potentia, sibi ipsi est causa illius quod est actu; secus enim esset, quatenus est imperfectum, causa ipsius finis. Siquidem omne quod est potentia, quatenus est potentia, est imperfectum; quod vero est actu, est perfectum. Si igitur quod est potentia erit actu, ab aliquo alio finem suum habebit; et profecto vel illud ipsum erit potentiâ, sed sic quoque rursus, id quod imperfectum est, vim habebit perfecti generandi; vel erit actu, et aut aliquid aliud erit, vel erit hoc ipsum quod potentiâ erat, id quod actu fit et est. Sed si aliquid aliud, quod est actu, facit aliquid, secundum suam proprietatem id faciens, neque potentiâ faciet id, quod in altero est actu, neque hoc ipsum igitur erit actu, si non eatenus sit, quatenus est potentiâ. Restat igitur, ex eo quod actu, illud quod potentiâ aliquid est, in id mutari quod est actu. » (Cap. 77).

« Omnis potentia vel perfecta est, vel imperfecta; nam illa quidem Potentia actionis ferax *(et productrix)* est perfecta; etenim alia facit perfecta per suos actus; et quod rerum aliarum perficiendarum potentia *(activa)* præditum est, illud perfectius est, quam id quod in se solo perfectum est. Illa vero potentia *(passiva)*, quae indiget aliquo alio, quod actu præexistat, secundum quam est quoddam potentiâ, imperfecta est. Indiget enim illo fine *(seu perfectione)*, qui est in alio, ut illius facta particeps, perfecta fiat. Per se igitur hujusmodi potentia est imperfecta. Itaque perfecta quidem est hæc potentia rei quæ actu est, quod sit actus *(sive actionis)* ferax; illa vero potentia, quæ perfectionem habet illius quod potentiâ manat ab eo fine qui est in alio, est imperfecta. » (Cap. 78).

« Omne quod fit, ex duplici potentia fit *(activa scilicet ac passiva)*. Etenim ipsum *(quod fit)* oportet aptum esse *(ad actum seu formam accipiendum)*, et imperfectam *(ac perfectibilem)* potentiam habere. Et ens quod facit actu, cujusque potentiæ sit, antea potentiam perfectam *(nempe actu existentem et activam)* sumpsisse oportet. Omnis enim actio ab insita potentia procedit. Nam si ens quod facit aliquid, non habet potentiam *(activam ei insitam)*, quomodo aget ac faciet? Et si ens, quod fit, non habet potentiam *(passivam)* aptam ut fiat, quomodo fiet? Ens enim, quod facit, facit in omne quod pati potest, non autem in quidlibet fortuitum, nec in illud quod ab ipso naturaliter pati non potest. » (Cap. 79).

Ex hac doctrina concludendum est, quod omne quod fit, ab alio factum est, et sic in infinitum progrediendum esse, nisi admittatur Ens supremum, quod non factum est, et omnia fecit, seu Actus purus, qui cæteris entibus tribuat et potentiam passivam ac innatam, et simul actum, quibus fiunt.

2°) De primæ Causæ bonitate et unitate.

544. — a) « Omnium entium Principium et prima Causa est ipsum Bonum. Si enim ab una causa omnia progrediuntur, illam causam dicere oportet, vel ipsum Bonum esse, vel aliquid ipso Bono melius. Sed si illa causa est ipso Bono melior, quæro utrum aliquid, etiam ab illa causa, manat in entia et in entium naturam, an nihil? »

« Si quidem nihil, erit absurdum; non enim amplius ipsum in causæ ordine servabimus, quoniam oportet ubique causatis aliquid adesse *(nempe effectum)*, quod manat a causa, et precipue a prima, ea qua omnia pendent, et propter quam singula entia sunt. »

« Si vero hæc causa, sicut et ipsum Bonum, aliquid communicat ipsis entibus, erit in entibus aliquid ipsa Bonitate melius, manans a prima Causa. Etenim si melior sit, et supra Bonum sita, nullo modo dat secundis aliquid deterius iis, quæ dat Bonum, quod post ipsum est. »

« Et quidnam fuerit Bonitate melius? quoniam et illud ipsum quod est melius *(in rebus productis)*, majorem in modum Boni particeps esse dicimus. Si vero ne melius quidem dicatur id, quod non est Bonum, prorsus hoc erit ipso Bono posterius. Si vero etiam omnia entia ipsum Bonum expetunt, quomodo etiam ante primam Causam *(quæ supponitur Bono superior)* aliquid esse potest *(quod omnia expetunt)?* Et si illud expetunt, quomodo ipsum Bonum maxime expetunt? Et si non expetunt, quomodo non expetunt suppositam omnium Causam, cum ab ipsa sint progressa? Si igitur Bonum est illud ex quo omnia entia pendent, ipsum Bonum est omnium Principium et Causa prima. » (Cap. 12).

b) « Omne bonum vim habet uniendi ea, quæ participant ipsum. Et omnis unio bonum est, et ipsum bonum est idem cum ipso uno. Si enim ipsum bonum vim habet omnia conservandi, ac propterea omnibus optabile est; et si illud, quod conservandi vim habet, ac singulorum substantiam continere potest, est ipsum unum, quia per unum *(sive per unionem partium vel elementorum cujusque compositi)* omnia conservantur, et dissipatio unumquodque expellit ex sua substantia; ergo ipsum bonum, ea, quibus adfuerit, unum efficit et continet per unionem. Et si ipsum unum vim habet congregandi et continendi entia, unumquodque eorum per suam præsentiam perficit. »

« Bonum igitur etiam est, hoc modo unitum esse cum omnibus. Si vero et ipsa unio bonum est per se, et si ipsum bonum est unificum, ergo illud quod est simpliciter Bonum, et ipsum simpliciter Unum est idem, quoniam et unit simul et bona facit entia. Itaque ea, quæ quodam modo a bono exciderunt, ipsa quoque unius communione simul privantur. Et ea quæ sunt unius expertia, et intervallis repleta, etiam ipso bono privantur eodem modo. Est igitur et ipsa bonitas unio, et ipsa unio bonitas, et ipsum bonum unum, et ipsum unum primo bonum. » (Cap. 13).

« Omnis divinus numerus unicus est. Si enim divinus numerus tanquam causam antecedentem habet ipsum Unum, sicut intellectualis numerus ipsam Mentem, et animalis numerus Animam habent causam, et ubique multitudo est suæ causæ similis, perspicuum igitur est quod et ipse divinus numerus est singularis et unicus, siquidem Unum est Deus. Hoc autem verum est, quoniam bonum et unum est idem. Etenim Bonum et Deus est idem; Ens enim, quo nihil superius, et quod omnia expetunt, est Deus. Et Ens a quo omnia manant, et ad quod omnia contendunt, est Bonum. » (Cap. 113).

« Omnis Deus est Unitas perfecta, et omnis perfecta Unitas est Deus. Si enim unitatum *(supremam Unitatem participantium)* duplex est numerus, et earum aliæ quidem perfectæ sunt, aliæ vero sunt illuminationes ab illis manantes; et si divinus numerus cognatus est ipsi Uni et ipsi Bono, et cum eo natus, ergo dii sunt unitates perfectæ *(sed tamen participatæ)*: et rursus si est perfecta Unitas, est Deus. » (Caput 114).

3°) De primæ Causæ veritate et pulchritudine.

545. — a) *De omnium rerum veritate in Mente divina, mundi Artifice.*

Prima Causa est ipsa Veritas, quia prima Causa est intelligens, et seipsam intelligit et quod facit intelligit in seipsa, et quod intelligit est ratio, exemplar ac mensura omnium quæ facit, ita ut omnes ejus effectus sint veri, prout divinæ Mentis conformantur.

α) « Omnis divina Mens est uniformis et perfecta. Et prima Mens est ex seipsa, et cæteras mentes producit. Si enim est Deus, repletus est divinis unitatibus, et est uniformis. Si vero hoc concedatur, ergo Deus etiam primo Mens est, quippe quod cum ipsis diis sit unita. Nam illa Mens, quæ deificatur, est omni Mente præstantior. Primo autem cum sit Mens, cæteris etiam mentibus dat substantiam; nam a Primo entium omnia secunda entia suam essentiam manantem habent. » (Cap. 160).

« Et prima Mens est una sola, non autem duæ primæ mentes. Et prima Anima *(scilicet anima mundi)* una est, et in unaquaque formarum est idem id quod primo Pulchrum est, et quod primo æquale est, et in omnibus aliis formis similiter. Sic et ipsius animalis forma *(idealis)* prima est una, et hominis item. » (Cap. 22).

β) « Omnis mens seipsam intelligit, sed prima Mens seipsam tantum intelligit. Et in ista prima Mente, unum numero simul est Mens et intelligibile. Sed unaquæque mentium, quæ sunt post primam Mentem, intelligit simul seipsam et ea quæ sunt ante seipsam, et harum intelligibile est partim quod est ipsa mens, et partim a quo est. Etenim quælibet mens vel cognoscit seipsam, vel illud quod est supra seipsam, vel illud quod est post seipsam. » (Cap. 167).

γ) « Omnis deus est ipsorum entium mensura; nam si Deus est unicus, omnes entium multitudines definit et metitur. Omnes enim multitudines cum sint naturâ suâ indefinitæ, per ipsum Unum finiuntur *(ita ut adsit certus numerus, quoniam numerus est multitudo mensurata per unum)*. Illud autem, quod est unicum, metiens ac finiens illa quibus adfuerit, vult circumducere ad finem *(scilicet ad numerum)* illud quod per suam potentiam non est tale. Fit enim et illud uni simile *(uniforme)* propter communionem cum Uno. Tunc namque ab indefinitione et ab infinitate recedit; et quo magis est Uni simile (ἐνοειδές), eo minus est indefinitum et immensuratum. Omnis igitur entium multitudo a divinis unitatibus mensuratur. » (Cap. 117).

b) *De amabilitate divinæ Pulchritudinis supremum Bonum manifestantis.*

546. — Sequentia loca desumpta sunt, non ex *Institutionibus theologicis*, sed ex *Theologia platonica.*

α) « Divina Pulchritudo divinam lætitiam et familiaritatem et amicitiam suppeditat. Etenim propter eam ipsi dii inter se uniuntur, et inter se gaudent, et admirantur, et delectantur mutuis inter se communicationibus et complementis. » (Cap. 24).

β) « Quoniam igitur Pulchritudo omnia ad se convertit ac movet, et quodam furore *(enthusiasmo)* divino rapefacit, pulchritudo est amabilis. » (Ibid.).

γ) « Pulchritudo invehi solet omnibus formis, et est quasi forma formarum, quæ occultam Boni naturam patefacit, et amabilem ipsius vim manifeste ostendit, atque ad sui splendorem attrahit desiderium, quod circa Bonum ipsum occultatur. Nam boni quidem omnium tacitum et arcanum desiderium habent; ad pulchrum autem cum stupore et motu excitamur; ipsius enim splendor et acerrima vis agendi acute pervadit per omnem animam, totamque convertit ad contemplationem pulchritudinis, tanquam ejus quæ ipsi bono simillima est. Et quemadmodum in mysteriorum initiis stupent illi qui initiantur, sic in intelligibilibus, ante ipsius Boni communicationem, ipsa Pulchritudo semet ostendendo, intuentes stupore afficit, et animam ad se convertit, et apparet in Boni vestibulo collocata, et demonstrat quale sit in adytis latens et occultum Bonum. » (Cap. 18).

III.

De trina rerum omnium ordinatione ad primam Causam.

1°) De universæ multitudinis reductione ad supremæ Causæ unitatem.

547. — « Omnis ordo ab unitate ducens initium, progreditur in multitudinem unitati cognatam, et omnis ordinis multitudo ad unitatem reducitur. Nam unitas, habens rationem principii, cognatam sibi multitudinem parit. Quamobrem etiam una series et unus ordo totaliter habet ab unitate suam descensionem in multitudinem. Non enim amplius erit ullus ordo, vel ulla series, si unitas infecunda secundum se maneat; ipsa vero multitudo rursus reducitur ad unam causam, communem omnibus quæ sunt ejusdem ordinis. »

« Nam quod idem est in omni multitudine, progressum non habet ab uno eorum, quæ sunt in illa multitudine. Quod enim ab uno solo multarum manat, non omnibus commune est, sed propria et particulari excellentia pollet. Quo-

niam igitur in unoquoque ordine est quædam communio, et connexio, et identitas, propter quam alia quidem dicuntur ejusdem ordinis (ὁμοταγῆ), alia vero alterius ordinis (ἑτεροταγῆ), hinc patet quod ipsum idem *(sive identitas)* ab uno principio per totum ordinem derivatur. Est igitur in unoquoque ordine, ante omnem multitudinem, una unitas, quæ rebus in ipso ordinatis præbet unam rationem, et mutuam inter se et cum ipso toto connexionem.... »

« Ex his igitur perspicuum est, quod et in *corporali* natura inest et unum et multitudo, et una natura multas habet ex se simul pendentes, et multæ naturæ pendent ex una ipsius totius natura. Et hoc *animarum* quoque ordini adest, ut et ab una prima Anima *(nempe ab anima mundi)* ducat initium, et in animarum multitudinem succedat, et multitudinem ad unam unitatem reducat; et ut in *intellectuali* natura sit intellectualis. Unitas et mentium multitudo ex una Mente progrediens, et in illam Unitatem revertens; et in Uno, quod est ante omnia, continetur ipsa unitatum multitudo, et hæ unitates ad ipsum Unum simul tendunt. Igitur post hoc primum Unum sunt unitates, et post illam primam Animam sunt animæ, et post universalem naturam sunt particulares naturæ. (Cap. 21).

2°) De similitudine, per quam res omnes a prima Causa progrediuntur, atque ad eam regrediuntur.

548. — a) « Deus, quatenus est Unitas, eatenus est Bonitas; et quatenus est Bonitas, eatenus est Unitas. Et qui ab hoc Primo progressi sunt, et sunt post hoc Primum, sunt Bono similes et Uni similes, quoniam hoc Unum est etiam ipsum Bonum. Itaque dii omnes sunt unitates et bonitates. » (Cap. 119).

b) In sequenti loco, obscure docet Proclus supremum Patrem, seu Deum, esse *efficientem* omnium substantiarum causam; et Mentem seu Verbum Patris, ad imaginem ejus primo procreatum, sed illo inferiorem, *esse exemplarem* cæterarum rerum causam. Pater dat esse Menti et cæteris substantiis; Mens autem, imago Patris, dat cæteris rebus varias formas, seu species, arte sua excogitatas. Pater et Mens eumdem *finem* in creando ac formando intendunt, ita ut eumdem causalitatis ordinem constituant, nempe ordinem qui naturaliter existit inter causam efficientem, exemplarem et finalem. Doctrina ista clare indicat creationem substantiarum a Deo diversarum; sed perperam tradit divinam Mentem ipsam esse creatam, Patrique inferiorem, et proinde falsam inæqualitatem statuit inter primam Causam efficientem et exemplarem, quum revera sit una tantum suprema Causa, simul efficiens, exemplaris et finalis, quæ est ipsa Dei Essentia. Nec intelligi potest quomodo Pater det esse rebus, et Mens det illis formam, nam forma dat esse rei, seu res sunt per formam suam, ita ut eidem causæ competat tribuere simul rebus formam, et esse, quod formam actuat, et per formam definitur, utrumque enim requiritur ad substantiam creandam. Male igitur distinguit Proclus causam *uniformem*, quæ rerum essentiam efficit, et causam *multiformem*, quæ rerum formam efficit.

Sic ipse loquitur Proclus: « Paterna causa omnibus suppeditat ipsum *esse*, et ipsas entium substantias constituit. Id vero *(nempe Mens, omnium rerum Artifex)*, quod ipsam *formæ* procreationem efficit, existit ante ea quæ sunt composita, et ante ipsum eorum ordinem, et distinctionem per numerum, et est ejusdem cum paterna causa ordinis in particularibus productionibus. Utrumque enim est ejusdem ordinis, cujus est ipse finis; atque et substantia, et numerus. et forma omnes habent speciem finis *(seu fini similes sunt,* πὲρατοειδῆ). Igitur, hac ex parte, sunt ejusdem ordinis. Sed illud quidem *(nempe Mens)* quod rerum fabricandarum potentia præditum (τὸ δημιουργικὸν) est, effectionem producit in multitudinem *(propter specierum varietatem);* quod vero est uniforme *(nempe supremus Pater, seu summum Bonum* ἑνοειδὲς) præbet entium progressus; et alterum quidem efficit formam (εἰδοποιὸν ἔστι), alterum vero efficit essentiam (οὐσιοποιὸν). Quantum igitur hæc ab invicem differunt, scilicet forma et ens, tantum paterna causa distat a rerum Artifice, nam forma *(quam rebus inducit Artifex)* est causa *(exemplaris in Mente ejus, et formalis in rebus ipsis).* Igitur paterna causa, quæ universalior ac potior est, superat causam ex arte procedentem, sicut ipsum ens superat formam. » (Cap. 157).

c) « In omni ordine, quæ prima sunt, formam habent eorum, quæ sunt ante ipsa. Genera enim, quæ sunt in unaquaque summitate, cum superioribus conjunguntur propter similitudinem et cohærentiam progressus rerum universarum. Idcirco qualia sunt illa primo, talem et ista sequentia formam sortita sunt cognatam cum illorum natura; et propter substantiæ proprietatem talia esse videntur, qualia sunt ea quæ sunt ante ipsa. » (Cap. 112).

« Omnis progressus perficitur per similitudinem secundorum cum primis. Si enim ipsum producens constituit similia ante dissimilia, similitudo a producentibus manans constituit ea, quæ ab ipsis producentur; nam similia per similitudinem perficiuntur, non autem per dissimilitudinem. Si igitur progressus in suo decremento servat similitudinem rei generatæ, et si quale est illud primo, tale producit id quod post ipsum

est secundo, tunc profecto per similitudinem habet substantiam suam. » (Cap. 29).

« Omnis conversio et reversio ad aliquid, perficitur per eorum, quæ convertuntur ac revertuntur, similitudinem cum illo ad quod fit conversio et reversio. Omne enim quod convertitur et revertitur, conjungi properat cum omni ad quod convertitur, atque cum ipso communionem et consortium appetit. Omnia vero conjungit similitudo, sicut dissimilitudo omnia dividit atque disjungit. Si igitur conversio et reversio est quædam communio et conjunctio, et si omnis communio et omnis conjunctio fit per similitudinem, profecto omnis ad aliquid conversio et reversio per similitudinem perficietur. » (Cap. 32).

« Omnium eorum quæ per progressum multiplicantur, prima sunt perfectiora secundis, et secunda iis quæ sunt post ipsa et deinceps eodem modo... Nam quæ causis sunt proprinquiora, et arctiore cognationis vinculo cum eis conjuncta, sunt perfectiora. Etenim causæ sunt perfectiores causatis. Quæ vero remotiora sunt a causis, illa sunt imperfectiora, quia causis dissimilia sunt. » (Cap. 36).

3°) De trina et circulari omnium rerum ordinatione ad centrum divinæ Causæ.

549. — a) « Omne quod ab aliquo progreditur atque ad idem regreditur, circularem habet actionem *(motum)*. Si enim a quo progreditur, ad illud regreditur, cum principio finem conjungit, et est unus ac continuus motus. Nam ab immobile incipit *(scilicet a Deo, primo Motore);* et deinde revertitur ad illud, quod immobile permansit. Quamobrem etiam omnia circulariter progrediuntur a causis ad causas. Majores autem et minores sunt circuli reversionum, quarum aliæ quidem fiunt circa supra sita, aliæ vero circa superiora, et usque ad ipsum rerum omnium Principium *(ac centrum);* omnia enim ab illo manant, atque ad illud revertuntur. » (Cap. 33).

b) « Omnis ordo divinus trifariam secum conjunctus est, et a summitate, quæ est ipsius, et a medio et a fine. Nam ille ordo, qui unicam prorsus habet potentiam, in ipsam totam immittit unionem, et totam super unit, manens in seipso. ».

« Medium vero, ad utramque extremitatem pertinens, totam potentiam circa seipsum conjungit, primorum ordines trajiciens, ultimorum potentias extendens, et omnibus imponens communionem ac mutuam aliorum cum aliis connexionem. »

« Sic enim unicus est totus ordo, constans et ex rebus alias implentibus et ex rebus impletis, quæ in ipsum medium vergunt velut in quoddam centrum. Finis autem iterum revertens ad Principium, et potentias ab eo progressas ad ipsum reducens, toti ordini præbet similitudinem et conspirationem. Et ita totus ordo est unus per unificam primorum potentiam, per cohærentiam in ipso medio existentem et per reversionem finis ad Principium progressuum. » (Cap. 148).

c) « Omnium divinarum progressuum fines assimilantur principiis suis, circulum sine principio et sine fine servantes, per conversionem ad principia. Si enim unumquodque progressorum ad proprium principium revertitur, multo magis integri ordines a summitate sua progressi, rursus ad illam convertuntur. »

« Ipsa autem reversio finis ad principium efficit unam totam et finitam et vergentem ad seipsam ordinationem, et in multitudine demonstrantem uniformitatis genus per istam conspirationem. » (Cap. 146).

« In omnibus divinis ordinibus, ea quæ sunt extrema, per suos fines similia sunt iis, quæ super orta sunt. Si enim oportet cohærentiam esse in divino progressu, et unumquemque ordinem cum suis mediis esse conjunctum, necesse est secundorum extremitates conjungi cum primorum limitationibus. Ita vero conjunctio fit per similitudinem. Erit igitur similitudo inter principia inferioris ordinis et ipsos fines superioris ordinis. » (Cap. 147).

CAPUT II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN PATRIBUS GRÆCIS.

Prænotanda. — *De Platonis influxu in philosophiam Patrum græcorum.*

550. — Maximus fuit Platonismi influxus in priorum Patrum græcorum *philosophiam.* Quidam enim eorum, scilicet S. Dionysius Areopagita, S. Justinus, Tatianus, Athenagoras, S. Theophilus Antiochenus, erant Academiæ membra antequam fidem christianam amplecterentur. Itaque luculenter in scriptis ipsosum apparet transitus a pagana sapientia ad christianam. Fidei lumine cognoscentes dogmata Trinitatis divinæ, divinitatis Verbi et creationis mundi, plane rejiciunt Platonismi errores. qui Gnosticismum et Arianismum genuerunt in primis Ecclesiæ sæculis, sed retinent quæcumque vera, pulchra et sublimia in Academia dicerunt; retinent præsertim divini Exemplarismi doctrinam mendis suis expurgatam, et in naturali philosophiæ fundamento extruunt totam supernaturalis Theologiæ ædificium, cujus

ideam non a Platone, sed ex christiana revelatione acceperunt.

Perperam igitur Petavius, et quidam alii auctores, putaverunt Platonismum influxisse in ipsam supernaturalem *Theologiam* Patrum græcorum, quasi notitiam divini Verbi et Spiritus sancti a Platone didicerint, licet imperfecte. Falsa est hæc allegatio, nam Plato Trinitatem personarum in Deo penitus ignoravit, sicut demonstravimus, n.° 498.

Jam diximus in n.° 492 S. Justinum, S. Irenæum, S. Gregorium Nazianzenum et S. Cyrillum Alexandrinum rejecisse ideas male a Platone intellectas, tanquam ab æterno subsistentes extra Mentem supremi omnium rerum Artificis; in præsenti autem Capite videbimus ipsos rerum ideas agnovisse tanquam in divina Mente, seu in divino Verbo, a Patre conceptas, et ab utroque in Spiritu sancto intentas.

Agemus de divino Exemplarismo et trino ordine 1°) in S. Dionysio Areopagita, qui præ cæteris Patribus, hanc doctrinam sublimiori et extensiori modo explicavit; 2°) in aliis Patribus græcis.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN S. DIONYSIO AREOPAGITA.

551. — S. Dionysii opera, quæ supersunt, tractant 1°) de Divinis Nominibus; 2°) de Cœlesti hierarchia; 3°) de Ecclesiastica hierarchia; 4°) de Theologia mystica; 5°) quibus tractatibus adjunguntur decem Epistolæ de rebus mysticis. — Cum autem multi critici nostris diebus asserant hæc opera falso tribui S. Dionysio, illos ante omnia refutare nobis incumbit.

Unde in hoc Articulo 1°) probabimus librorum areopagiticorum authenticitatem; 2°) ostendemus, totam S. Dionysii doctinam divino Exemplarismo informari in genere. Deinde referemus quid sanctus auctor doceat in specie; 3°) de supremæ Causæ perfectione, unitate et Trinitate; 4°) de supremæ Causæ veritate, bonitate et pulchritudine; 5°) de Deo unitrino, inquantum est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis; 6°) de operativis Dei attributis; 7°) de omnibus Dei opificiis juxta ipsum exemplatis, quantum ad esse; 8°) de Dei opificiis juxta ipsum exemplatis, quantum ad operationem; 9) de hierarchia, per quam angeli et homines trine ad Dei unitrini assimilationem ordinantur.

§ I.

Probatur authenticitas librorum areopagiticorum.

552. — Primo exponemus hujus authenticitatis argumenta, et refellemus objectiones, quæ directe eis opponuntur; deinde cæteras refutabimus objectiones.

I.

Exponuntur et defenduntur argumenta authenticitatis.

Duo sunt argumenta: intrinsecum et extrinsecum.

A. *Argumentum intrinsecum* triplex est, nempe: 1°) testimonium ipsius auctoris, qui se Dionysium Areopagitam esse profitetur; 2°) doctrinæ ejus excellentia, et 3°) styli pulchritudo, quæ vere S. Dionysio dignæ sunt. Trinum hoc argumentum invicte probat, ex ipsis scriptis areopagiticis, illa esse genuina S. Dionysii opera, nisi valida adsint argumenta contraria. — Atqui, desunt talia argumenta, sed difficultates tantum opponuntur facile solubiles. — Ergo areopagitica opera S. Dionysio attribuenda sunt.

Major sequentibus rationibus demonstrabitur. *Minor* probabitur refellendo objectiones, et inconcussa stabit *Conclusio.*

553. — **Probatur authenticitas I.** *Ex testimonio ipsius auctoris.*

Auctor in suorum operum initio se nominat Dionysium. Etenim in exordio Capitis 1^{m}: *de Cœlesti hierarchia,* et *de Ecclesiastica hierarchia,* et *de Divinis Nominibus,* legitur Τῷ συμπρεσβύτερῳ Τιμοθεῷ Διονύσιος πρεσβύτερος; quæ verba, fatentibus adversariis, integra reperiuntur in omnibus veteribus manuscriptis, tam græcis quam latinis. — Præterea nomen Dionysii adhuc legitur in Epistola ad Polycarpum.

Atqui, hic Dionysius pluries affirmat se esse S. Pauli discipulum (De Div. Nom., cap. 2, § 11; cap. 3, § 2; cap. 7, § 1); et quis foret nisi Areopagitam, qui Athenis ab Apostolo ad christianam fidem conversus est? *Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita* (Act. 17, v. 31). — Hic Dionysius asserit insuper se paganam sapientiam coluisse, et a Gentilibus fuisse ob id accusatum, quod philosophia ad ipsorum religionem impugnandam sacrilege abusus esset. (Epist. 7, ad Polycarp., § 2). — Hic Dionysius scribit se solis eclipsim in morte Christi vidisse (Ibid.), et narrat se cum Apostolis ad B. V. Mariæ obitum adfuisse (de Div. Nomin., cap. 3, § 2). — Tandem hic Dio-

nysius opera sua et epistolas ad Apostolorum coævos direxit, videlicet ad Timotheum et Titum, S. Paulis discipulos; ad Polycarpum, S. Joannis discipulum, atque ad S. Joannem ipsum.

Ergo hic Dionysius vel revera est, vel simulat se esse S. Dionysium Areopagitam. — Talis autem simulatio rationabiliter imputari nequit gravissimo auctori, cujus doctrina tam sublimem sapientiam, quam humilitatem et sanctitatem testatur. — Ergo hic Dionysius est vere S. Dionysius Areopagita.

Istud argumentum videtur prorsus peremptorium doctissimo Lessio. « Hæc ratio, inquit, ita convincit, ut nihil de auctore hujus operis (nempe de Div. Nomin.) possim dubitare; nec quisquam opinor dubitabit, qui lecto diligenter opere, ista expenderit. » (Epist. ad Lanssel., Patr., gr., edit. Migne, T. 3, col. 1002).

Objiciunt ad Minorem. Multa scripta apocrypha in Ecclesiæ initio prodierunt, quorum auctores, non ad decipiendos, sed potius ad ædificandos lectores, doctrinam et sanctitatem suppositi scriptoris simulaverunt. Talia igitur esse possunt scripta S. Dionysio attributa.

Respondemus negando Consequentiam. Areopagitica enim opera nullatenus assimilari possunt scriptis apocryphis, de quibus loquitur objectio. Nam scripta ista solent esse historica, et facta suppositicia, potius quam doctrinam sancto cuidam viro attribuunt; vel si ejus doctrinam simulare volunt, excellentiam ejus attingere nequeunt, et hoc defectu simulationem suam produnt. — Atqui, areopagitica opera non sunt historica, et eorum doctrina est sancto auctore, cui attribuuntur, dignissima, sicut mox ostendetur; sublime ingenium sanctitati conjunctum manifestat; tota fundatur in divina Scripturæ sacræ sapientia, sicut passim asserit horum operum auctor (Vide Hier. cœl., cap. 1, § 1; Hier. eccles., cap. 1, § 1 et 2; de Div. Nom., cap. 1, § 1 et 2). — Ergo non intelligitur quare tantus vir indigne simulasset S. Dionysii auctoritatem incomparabiliter verbi divini ponderi inferiorem. — Ergo S. Dionysii nomen non usurpavit, sed ipse est S. Dionysius Areopagita.

554. — Probatur II. *Ex convenientia et excellentia doctrinæ in libris areopagiticis contentæ.*

1°) Hæc doctrina S. Dionysio prorsus convenit. Omnino enim certum est S. Dionysium fuisse doctum quemdam Areopagi judicem, Athenis ad fidem christianam a S. Paulo conversum, sicut patet ex Actibus Apost. 17, v. 31. Prætcrea auctor librorum areopagiticorum asserit se paganam sapientiam coluisse (Epist. ad Polycarp.) et certum est, tempore S. Dionysii, philosophiam Platonis in Græcia apud viros doctos invaluisse, quemadmodum doctrina Aristotelis in medio ævo prævaluit. — Atqui, libri areopagitici sunt evidenter opus sapientis cujusdam platonici, a Platonis erroribus per veritatem catholicam emendati, et lumine fidei usque ad Theologiæ supernaturalis apicem elevati. — Ergo, horum librorum doctrina prorsus S. Dionysio convenit.

Probatur Minor. Platonis philosophia in divino Exemplarismo et in trino ordine universali fundatur, sicut ex toto Capite præcedenti manifestum est. — Atqui, opera areopagitica naturali simul et supernaturali Exemplarismo tota informantur. Nam simul sumpta constituunt synthesim admirabilem, quæ trinitatem ordinis universalis, tam increati quam creati complectitur. Ordo increatus et exemplaris est Trinitas personarum divinarum, quæ ab æterno per seipsam subsistit, et est prima Causa efficiens, exemplaris ac finalis omnium rerum ab ea aliarum. Ordo creatus et exemplatus continet omnes creaturas mundum universum componentes, scilicet creaturas materiales, quæ sunt divinæ Trinitatis vestigia; creaturas spirituales, quæ sunt Trinitatis imagines; et hominem materia et spiritu compositum, ita ut sit majoris mundi compendium, seu minor mundus. — Medium harmonicum inter Ordinem increatum et totum ordinem creatum, est Verbum incarnatum, seu Jesus Christus, qui Caput est hierarchiæ cœlestis et hierarchiæ terrestris, vel aliis verbis Caput Ecclesiæ triumphantis in cœlo, et militantis in terra. — Archetypum, seu supremum Exemplar trinæ hierarchiæ cœlestis ac terrestris est divina Trinitas. Finis utriusque hierarchiæ est perfectio creaturarum rationalium, quæ consistit in libera et supernaturali ipsarum cum divino Exemplari assimilatione per gratiam et gloriam. — Præcipua media hierarchica perveniendi ad sublimem illam assimilationem sunt Ecclesiæ Sacramenta, ab episcopis, presbyteris et diaconis administrata, quibus fideles spiritualiter purgantur a peccatis, illuminantur lumine fidei et perficiuntur charitate. Sacramenta autem sunt symbola mysterio plena, quæ sensibiliter significant gratiam ab eis collatam. — In genere, ratione mixtæ naturæ nostræ, res spirituales nobis in præsenti vita non cognoscuntur, nec communicantur nisi mediantibus rebus sensibilibus, quæ sunt eorum symbola. Hujus universalis symbolismi fundamentum est rerum visibilium analogia cum rebus invisibilibus, et hæc analogia ipsa fundatur in divino Exemplarismo; nam cum creaturæ materiales et creaturæ spirituales idem divinum Exemplar habeant, necessario sequitur quod etiam similitudinem aliquam inter se habent.

Quis in pulcherrima ista synthesi non agnosceret philosophicum Platonis Exemplarismum theologico S. Pauli Exemplarismo conjunctum? Nonne magnus Apostolus Deum nobis ostendit tanquam primam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem? *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* (Rom. 11, v. 36). Nonne Christum contemplatur tanquam Caput cœlestis terrestrisque hierarchiæ? *Constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum et potestatem, et virtutem et dominationem... Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam.* (Eph. 1, v. 20-23, et Coloss. 1, v. 15-20) Nonne judaicam Ecclesiam præbet tanquam christianæ Ecclesiæ figuram? *Hæc in figura facta sunt nostri* (1. Cor. 10, v. 6); et ipsam Christi Ecclesiam sicut umbram Ecclesiæ cœlestis? *Qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium... Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* (Hebr. 8, v. 5). Nonne indicat rerum visibilium cum invisibilibus analogiam? *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* (Rom. 1, v. 20).

Concludimus igitur doctrinam librorum areopagiticorum optime convenire S. Dionysio Areopagitæ, qui fuit simul Platonis et S. Pauli discipulus.

2°) Hæc doctrina est S. Dionysio dignissima, ratione ipsius excellentiæ et auctoritatis, qua in Ecclesia gaudet. Hæc enim auctoritas fuit unanimiter in antiquo et in medio ævo invocata a Summis Pontificibus, Conciliis, Patribus, Doctoribus; atque etiam in moderno ævo a doctissimis theologis et historicis agnita, quemadmodum in extrinseco argumento patebit. Quædam testimonia citare nunc sufficiat.

S. Gregorius Magnus ait: « Fertur Dionysius Areopagita, antiquus et venerabilis Pater, dicere quod ex minoribus angelis, etc. » (Homil. 34 in Luc.).

S. Maximus, in Ecclesia græca ob scientiam suam celebris, et pro fide catholica in carcere mortuus, scripsit: « A sanctissimo vereque divino interprete Dionysio Areopagita... ex quæ in sacra sanctæ synaxeos celebratione occurrunt symbola, pro eo ac celsum ejus ingenium omnique prudentia ornatum decebat, observata sunt et seposita. » (Procem. ad Mystagog.).

S. Joannes Damascenus similes laudes multiplicat: « Quemadmodum Dionysius Areopagita divinarum rerum peritissimus docet. » (De Imaginib., orat. 39). — « Ut autem sanctissimus, et sacratissimus, et maxime theologus ait Dionysius Areopagita. » (De Fide orthod.) — « Divinum Areopagitam, sanctissimum et eloquentissimum Dionysium... Divinis rebus abundantem profundumque Dionysium. » (Orat. de his qui in fide dormierunt).

In medio ævo, libri areopagitici fuerunt citati, commentariis explicati ac certatim laudati a præcipuis Scholæ doctoribus. Quapropter doctissimus P. Corderius S. J. in præloquio commentarii sui in S. Dionysium, asserere non timet illum fuisse doctrinæ scholasticæ patriarcham, non quidem quoad stylum, sed quoad sententias ab eo prolatas. Omnes norunt, S. Thomam, quando de rebus divinis loquitur, præ cæteris Patribus allegare S. Dionysii auctoritatem. Soli numeri harum citationum a P. Corderio collectarum, implent quinque paginarum columnas voluminis in-4°. Idem auctor insuper probat, sanctum Areopagitam jam docuisse præcipua philosophiæ et theologiæ scholasticæ puncta.

Præterea S. Dionysius merito vocari potest patriarcha Theologiæ mysticæ; omnes enim qui secreta sublimis hujus scientiæ scrutari voluerunt, primo loco doctrinam suam in librorum areopagiticorum fundamento exstruxerunt. Tales sunt, in medio ævo, Hugo et Richardus a S. Victore, S. Bonaventura, et in recentioribus Dionysius Carthusianus, Philippus a SS. Trinitate, Alvarez de Paz, Ludovicus Granatensis, S. Franciscus Salesius, etc. Atque in genere, mystici et ascetæ a S. Dionysio didicerunt distinctionem vitæ purgativæ, illuminativæ et unitivæ.

Hoc argumentum concludimus quibusdam verbis auctorum moderni ævi. A Pico Mirandulano, cujus amplissimum ingenium omnibus notum est, S. Dionysius nuncupatur: « nostræ post Apostolos princeps theologiæ. » (De Ente et Uno, oper. T. 2, p. 78) — Consonat doctus piusque Lessius S. J. dicendo: « Constat auctorem illius operis (De Div. Nomin.) tanta fuisse sapientia et rerum divinarum cognitione, ut summis theologis, ex quo in lucem prodiit, fuerit admirationi, et nemo post Apostolos ei putetur præferendus, vel etiam æquandus. » (Epistola ad Lansel). — Adjuvit non parum S. Dionysii Areopagitæ cœleste opus, cujus lectione, in sua præsertim lingua, jam inde a quadraginta annis plurimum fui semper delectatus; de quo auctore nemo dubitare poterit, qui sublimissimam ipsius doctrinam, et plus quam humanum dicendi modum intellexerit. » (Dedicat. operis de Perfect. moribusq. div.).

Objiciunt I. Excellentia librorum areopagiticorum non est peremptorium ipsorum authenticitatis argumentum, sed tantummodo argumentum convenientiæ.

Respondemus. Hoc concederemus, si sola ista excellentia spectaretur; sed si auctoris ipsius

testimonio adjungatur, invictum sane argumentum constituit. Etenim si auctor operum tam sublimium, tam sanctorum, tam divinorum, clare asserit se esse Dionysium Areopagitam, testimonium ejus est omni fide dignum; nec rationabiliter neque æquiter recusari potest, nisi ob gravia falsitatis ipsius argumenta.— Atqui, talia argumenta non existunt, sed solummodo opponi possunt difficultates, quæ non ægre solvi possunt, sicut postea videbimus. — Ergo tanti auctoris testimonio credendum est.

Objiciunt II. Doctrina librorum areopagiticorum simillima est doctrinæ Plotini et Procli, quæ sæpe est sublimissima. — Ergo a duobus istis philosophis mutuari potuit; tanto magis, quod juxta Patrem Lequien O. P. aliosque modernos scriptores, non exempta est ab erroribus paganæ scholæ Alexandrinæ, et a quibusdam primorum Ecclesiæ sæculorum hæresibus.

Respondemus negando totum. Doctrina librorum areopagiticorum necessariam cum doctrina Plotini, Procli, aliorumque philosophorum Alexandrinorum similitudinem præbet, quia utraque in philosophico Platonis Exemplarismo fundatur, quemadmodum ex præcedenti Capite apparet. Præterea, in utraque reperiuntur non solum ideæ Platonis, sed etiam ipsius stylus; imo plures loci ex Platonis *Dialogis* verbotenus transcripti sunt. Verumtamen maxima inter utramque doctrinam differentia ex eo provenit, quod Plotinus et Proclus renovarunt Platonis errores, quibus alios addiderunt, dum auctor librorum areopagiticorum lumine fidei emendavit atque supernaturaliter complevit platonicam doctrinam.

Ille igitur errat qui errores detegere putat in operibus, quæ per tot sæcula admirationem excitaverunt Patrum et Doctorum subtilitate ingenii atque orthodoxia præcellentium. Pater Lequien a suo confratre P. De Rubeis plene confutatus est in egregia Dissertatione, quæ legi potest in Patrol. gr., edit. Migne, T. 4, p. 1026. — Alii scriptores moderni, qui libris areopagiticis errores imputaverunt, illosque turpiter vilipenderunt sunt Protestantes, ac præcipue Lutherus eorum caput. Fatendum est ad hæreticos non pertinere judicium de orthodoxia operum cujusdam Patris Ecclesiæ; nec mirum est si Lutherus ejusque sequaces unanimiter suas injurias et irrisiones collegerint ad destruendam auctoritatem Patris, qui primo Ecclesiæ sæculo, dilucide de ecclesiastica hierarchia loquitur... Nonne horum hæreticorum convicia libros areopagiticos tam commendant, quam catholicorum laudes?

Veteres quidam auctores *extrinsecam* quoque tradunt rationem analogiæ, quæ inter doctrinam Platonicorum Alexandrinorum et opera S. Dionysii. S. Maximus, in fine sui Prologi in ista opera, citat sequentia antiqui scholiastæ verba: « Sciendum aliquos profanorum philosophorum, et maxime Proclum, sæpe usum speculationibus Beati Dionysii: imo ipsis etiam nudis dictionibus. » (Patr. gr., T. 4, p. 22). Idem dicit Georgius Pachymæra (ibid., T. 3, p. 115). Cum enim S. Dionysius fuerit Atheniensis Episcopus, uterque auctor suspicatur gentiles philosophos ipsius opera occultasse sibique vindicasse, et hoc modo simul explicant obscuritatem in qua hæc opera usque ad sæculum VI manserunt, et eorum similitudinem cum scriptis alexandrinis.

Hæc ratio *extrinseca* addi potest argumento *intrinseco*, quod ex ipsa platonica doctrina eruimus, et multo validius est.

555. — Probatur III. *Ex convenientia et pulchritudine styli librorum areopagiticorum.*

In his libris, modus loquendi excellentiæ doctrinæ respondet, sanctoque Dionysio prorsus convenit; nam in eis evidenter agnoscitur magnificentia et elegantia styli Platonicorum. Quapropter viri in lingua græca peritissimi, tam moderni quam veteres, sylum areopagiticum summis laudibus extulerunt.

Photius ait in sua Bibliotheca: « Dionysius ille sermone quidem magnus, sed major contemplatione, Pauli discipulus et Christi martyr, et Atheniensium Episcopus. » (Codex 231).

Suidas eodem modo loquitur: « Si quis ejus spectat elegantiam orationis et profunditatem sententiarum, ea nequaquam naturæ humanæ fœtus, sed immortalis cujusdam ac divinæ usu facultatis existimabit. » (Patrol. gr., T. 1, col. 888). — Gulielmus Budæus (Adnotat. ad opera S. Dionysii); Cardinalis Bessarion (Adversus calumniator. Platonis, lib. 1, cap. 7); Marsilius Ficinus (De Relig. christ., cap. 22), aliique celebres hellenistæ similiter S. Dionysii stylum admirati sunt.

Objiciunt. Stylus librorum areopagiticorum profecto convenit philosopho platonico, sed minime decet S. Pauli et Evangelii discipulum. Id enim quod aliis sublime videtur, aliis turgidum apparet. Auctori non satis est usitata superlativa adhibere, sed nova fabricavit mediante præpositione ὑπερ, quam multis verbis anteponit. — Atqui, iste exaggeratus loquendi modus omnino contrarius est stylo simplici S. Pauli et Evangelii. — Ergo.

Respondemus ad Majorem. S. Dionysius de rebus divinis loquendo, præpositione ὑπερ uti solet, ad significandum eas infinite omnem substantiam omnemque intelligentiam creatam superare. — Atqui, hunc inusitatum loquendi modum ipse non invenit, nec a Platone didi-

cit, sed a S. Paulo ipsoque Evangelio. Etenim S. Paulus, S. Petrus et Evangelistæ, ut rem vel cognitionem supernaturalem exprimant, pluries utuntur præpositione ἐπί, quæ idem sonat ac præpositio ὕπερ. Legatur textus græcus locorum sequentium: Eph. 1, v. 17 et 19; cap. 4, v. 13; — Coloss. 2, v. 2, cap. 3, v. 10; — 1. Cor. 13, v. 12: — 2. Petr. 1, v. 2 et 3; — Matt. 11, v. 27; — Matth. 6, v. 11 et Luc. 11, v. 3.

Citabimus præterea quasdam locutiones in latina versione conservatas, et omnibus notas: *Ut sciatis... quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus* (Eph. 1, v. 18 et 19). *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi* (Eph. 3, v. 19) *Superabundavit gratia* (Rom. 5, v. 20; Eph. 1, v. 8 et 1. Tim. 1, v. 14). *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie* (Matt. 6, v. 11).

Inde concludendum est superlativa in libris areopagiticis adhibita, omnino convenire S. Pauli atque Evangelii discipulo, et vituperari non posse, quin prius vituperetur loquendi modus sacræ ipsius Scripturæ.

B. *Argumentum extrinsecum traditionis.*

556. — Trinum authenticitatis argumentum intrinsecum, quod hucusque exposuimus, tam completum, clarum et validum est, ut libri areopagitici, ex ipso momento quo divulgati sunt, unanimiter et per novem sæcula S. Dionysio fuerunt in Ecclesia catholica attributi. Hanc attributionem agnoscere coguntur adversarii. Ipsis enim fatentibus, ab anno 532, quo congregata est synodus Constantinopolitana contra Severianos, usque ad sæculum XV, quo prædictorum librorum authenticitas a Laurentio Valla atque ab Erasmo negata est, existit series non interrupta gravissimorum testimoniorum in favorem ejusdem authenticitatis. Series ista legi potest in Dissertatione prævia Tomi 3 Patrologiæ græcæ, edit. Migne. Nobis sufficiet referre aliqua virorum doctissimorum ac piissimorum verba, quibus probatur grave pondus hujus argumenti ex catholica traditione desumpti.

Baronius sic loquitur: « Cum ante tot sæcula, eadem scripta fuerint ut Dionysii Areopagitæ cognita, examinata, probata, ac totius Ecclesiæ usu atque auctoritate recepta, et jam, ut ita dicamus, præscripta penitus videantur: in re adeo probata atque confessa, erubescit oratio sic versari, ut in quæstione recens oborta, ad utrumlibet quid ipsa sentiret liberas laxare habenas eloquii debeat. » (Annal., anno 109, n.° 51-65).

Suaresius idem putat: « Operæ pretium duxi, in hujus tractatus initio, admonere cavendam esse Erasmi et aliorum audaciam, qui hos libros Dionysii Areopagitæ esse negant, quos Cajetanus (Act. 17 in fine) ex parte imitatur, id in dubium revocans. Apud viros autem prudentes nulla potest in hoc cadere dubitatio, nam antiqua traditio satis veritatem confirmat. » (Præfat. tractatus de Angelis).

S. Alphonsus, similiter ait: « Quelques-uns ont douté que l'auteur de ce livre de la Hiérarchie ecclésiastique fût réellement S. Denis l'Aréopagite; mais on trouve dans les Saints Pères et dans les Conciles, des preuves nombreuses et solides qui en constatent l'authenticité. » (Défense des Dogmes cath., trad. du P. Jacques, T. 2, chap. 4, § 3).

Ergo, etiam post sæculum XV^{m}, et non obstante Vallæ et Erasmi critica, auctores gravissimi, catholica traditione innixi, sine ullo dubio agnoverunt librorum areopagiticorum authenticitatem.

Objiciunt. Vis argumenti ex catholica traditione desumpti, pendet ex traditionis antiquitate et universalitate. — Atqui, traditio circa librorum areopagiticorum authenticitatem non est *antiqua*, quia Patrum testimonia ante sæculum VI allegata valde dubia sunt; et hæc traditio non est *universalis*, quia hodie prædicta authenticitas communitur rejicitur. — Ergo argumentum ex traditione desumptum in favorem hujus authenticitatis valde infirmum est.

Respondemus negando utramque Minoris partem.

Quoad *priorem partem*, etiamsi admittatur testimonia ante sæculum VI esse dubia, tamen traditio, de qua agitur, antiqua dici potest, quia incepit ab eo antiquitatis momento, quo in Ecclesia divulgati sunt libri circa quorum authenticitatem quæstio versatur. — Atqui, libri areopagitici non divulgati sunt nisi anno 532 in synodo Constantinopolitano, sicut supra diximus. — Ergo traditio, quæ illos unanimiter S. Dionysio attribuit, vere antiqua est, licet ab ipsius S. Dionysii tempore non inceperit. Hæc autem prompta et communis attributio, tam a catholicis quam ab hæreticis facta, evidenter supponit authenticitatis argumenta, quæ Patres prædicti Synodi convicerunt. Quæ argumenta sunt vel intrinseca argumenta a nobis allegata, vel aliquod factum historicum, cujus memoria ad nos non pervenit.

Quoad *alteram Minoris partem*, respondemus traditionem, quam propugnamus, esse universalem, licet rejecta sit a plerisque hodiernis criticis. Etenim traditio universalis dicenda est, si usque ad nostros dies in multis viris catholicis doctrina et pietate conspicuis perseveret, etiamsi forent numero minores Protestantibus, Rationalistis et criticis exageratis, qui illis contradi-

cerent; nam in præsenti controversia, non majorem minoremve opinantium quantitatem, sed qualitatem et valorem argumentorum ab eis allatorum attendere oportet. — Atqui, nostra traditio hoc modo perseverat. — Ergo etiam nunc universalis dicenda est.

Probatur Minor. A sæculo XV, et non obstante Laurentii Vallæ et Erasmi oppositione, multi doctissimi ac piissimi viri perrexerunt in agnoscenda, sine ullu dubio, librorum areopagiticorum authenticitate. Jam citavimus Baronium, Picum Mirandulanum, Gulielmum Budæum, Cardinalem Bessarionem, Lessium, Suaresium, S. Alphonsum, quibus adjungendi sunt S. Franciscus Salesius (Amour de Dieu, liv. 1, Map. 1); Dionysius Carthusianus (Commentaria in S. Dionys.); Sixtus Senensis (Bibliothec., lib. 2 in Dionys.); Matthæus Galenus (in Areop.); Natalis Alexander (Hist. eccl., sæc. 1, dissert. 22). — Inter scriptores Societatis Jesu, Bellarminus (De Scriptorib. eccl.); Lorinus (In Act. apost. cap. 17); Corderius (Comment. in S. Dionys.); Lansellius (Dissert. de S. Dionys. ejusque scriptis); Delrio (Vindiciæ Areopag.): Halloix (Quæstiones de S. Dion. vita et operib.) — Inter Patres Benedictinos, Claudius David (Dissertat. sur S. Den. l'Aréop.) et Adrianus Septem Fonfium. — Nostris diebus citandi sunt Henrion, Rohrbacher, Darras, in sua Historia eccles.; Darboy (Introduct. à la traduct. des œuv. de S. Denis): Freppel (Les Pères des prem. siècl., S. Irénée, 5e Leçon).

Instant. His auctoribus opponuntur plures viri non minus docti, præsertim ab hodierno tempore, quo crisis historica quæstionem, de qua agitur, clarius elucidavit.

Respondemus, adversariorum auctoritatem nullo modo comparari posse toti catholicæ traditioni. Quinam enim sunt Antiareopagitarum antesignani? Sunt Laurentius Valla, qui se Aristotelis inimicum, et Epicuri discipulum aperte profitebatur, et Erasmus, de quo rectissime dictum est: « Damnatus in plerisque, suspectus in multis, caute legendus in omnibus. » Plura utriusque opera in Concilii Tridentini indice prohibentur. — His addendi sunt Lutherus (De Captivitate babylonica Eccl.); Centuriatores Magdeburgenses (Centur. 1, liv. 2, cap. 10, et Cent. 4, cap. 20) aliique protestantes. Deinde plures gallicani scriptores, inter quos Launoy (De duob. Dionysiis); Fleury (Hist. eccl., T. 26); Tillemont (Hist. eccl., Tom. 1); Ellies du Pin (Biblioth. des. Ant. ecclés., 1er et 5e siècl.). Tandem multi Rationalistæ, sicut Montet, etc. — Inter orthodoxos Lequien, Ord. Præd. (Dissertat. damascenica 2a, n.° 12 et 13); Bosch. S. J., continuat. Bollandi. (Acta Sanct., T. 52, p. 802); Le Nourry, O. S. Ben. (Apparat. ad Biblioth. maxim.). Duo alii Benedictini scilicet Cellier (Hist. génér. des ant. eccl., 5 et 6e siècl.) et Lumper (De vita, scriptis et doct. SS. Patrum), quæstionem insolutam relinquunt. — Denique Fessler (Institut. patrot., T. 1); Alzog (Manuel de Patrot.) et critici hodierni communius negant librorum areopagiticorum authenticitatem.

Et quasnam novas rationes opponunt catholicæ traditioni? Si legantur eorum impugnationes, nullæ aliæ inveniuntur objectiones, quam prima Vallæ et Erasmi argumenta, quæ neutiquam mutaverunt mentem gravissimorum auctorum catholicorum superius citatorum. Itaque crisis hodierna nullam novam in præsenti quæstione lucem spargere valuit, sed priorum Antiareopagitarum rationes iterando, multa subjugavit ingenia, nostro sæculo ad Rationalismum prono.

Objectiones, quæ utrique nostro argumento intrinseco et extrinseco directe opponuntur, jam refutavimus. Superest ut cæteras refellamus.

II.

Refelluntur cæteræ adversariorum objectiones.

557. — Objectio I. Nulla ratione intelligi potest, quomodo scripta tanti momenti, quanti sunt opera areopagitica, manserint usque ad sæculum VI incognita in Ecclesia, sicut probatur ex silentio Eusebii Cæsariensis et S. Hieronymi, qui nec verbulum de iis proferunt in suo scriptorum ecclesiasticorum catalogo.

Respondemus, hoc argumentum esse mere negativum, et duobus modis ab Areopagistis refutari.

Plerique contendunt illud directe refellere, ipsam negando obscuritatem in qua latuerunt prædicta opera per quinque prima Ecclesiæ sæcula; idcirco varios allegant textus, quibus probare existimant Origenem, S. Dionysium Alexandrinum, S. Joannem Chrysostomum, S. Gregorium Nazianzenum et S. Cyrillum Alexandrinum hæc scripta cognovisse.

Sed cum horum textuum authenticitas ab adversariis negetur, præferimus eis non inniti, et objectionem alio modo refutare per rationem ex operum areopagiticorum indole desumptam. Hæc enim scripta, ex ipsius auctoris intentione, nequaquam ad publicitatem destinata erant. Res mysticæ ac sublimes, de quibus in eis agitur, non sunt ad omnium captum accommodatæ; itaque S. Dionysius illas scripsit, non ad populum Atheniensem, cujus primus fuit episcopus, sed ad viros privatos, imo ad spirituales

intimosque amicos, scilicet ad S. Timotheum, ad S. Titum, ad S. Polycarpum, etc., quos sedulo admonet ne tales materias divulgent. Admonitio ista repetitis vicibus invenitur in exordio Hierarchiæ cœlestis, cap. 2, § 5; Hierarchiæ ecclesiasticæ, cap. 1, § 1; Divinorum Nominum, cap. 1, § 8. — Satis erit primum locum transcribere ex Hierarchia cæl. desumptum: « Tu vero, fili, juxta sanctam hierarchicæ traditionis nostræ sanctionem, prout sancta decet, unde quæ sacrosancte proferuntur, ipsemet divinus divina doctrina factus, atque animi secreto sancta recondens, tanquam uniformia, a profana multitudine conserva; neque enim fas est, ut Eloquia testantur (Matth. 7, v. 6) porcis projicere spiritualium margaritarum purum illum ac lucidum pulchrificumque ornatum. » — Parca autem ista doctrinæ suæ communicatione, sanctus auctor non solum Evangelii consilium secutus est, sed etiam exemplum S. Pauli, magistri sui, qui de seipso dicebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* (1, Cor. 2, v. 6); *Spiritualia spiritualibus comparantes* (ibid., v. 13); præterea fideliter servavit disciplinam secreti, quæ in primis Ecclesiæ sæculis vigebat; et hoc est validum argumentum remotissimæ librorum areopagiticorum antiquitatis. Aperte de disciplina ista agitur in Hier. eccl., cap. 1, § 5, et cap. 7, § 10.

Non igitur mirandum est, talia scripta diu abscondita et ignota permansisse. Non mirandum est, multa ipsorum fuisse omnino deperdita; nam in libris conservatis auctor alios nominat, qui ad nos non pervenerunt; tales sunt *Informationes theologicæ*, et *Theologia symbolica*, de quibus loquitur S. Dionysius in libro *De Divinis Nominibus*, Cap. 1, § 1 et 8; item liber *De Anima*, et liber *de Justo divinoque judicio* (In Div. Nom., cap. 4). Eadem ratione, mystica Hierothei scripta, quæ suis multo superiora S. Dionysius existimat, et quorum locos aliquos citat, similiter perierunt.

Quid mirum si etiam S. Dionysii opera, quæ possidemus, fuerint Eusebio et S. Hieronymo incognita? Eusebius ipse fatetur, auctores sibi ignotos, esse plures iis, quos citat in suo Catalogo. Et de facto nullam mentionem facit de S. Pantæno, nec de Athenagora, cujus tamen Apologia in Christianorum favorem, erat publico destinata; nec complete recenset opera Origenis et S. Dionysii Alexandrini. Ad S. Hieronymum autem quod attinet, ipse asserit se præsertim Eusebium secutum esse, et adjicit: « Quod aliis forsitan fuit notum, mihi in hoc angulo latitanti fuit ignotum. »

Ipse Dom. Le Nourry O. S. B., qui librorum areopagiticorum authenticitatem non agnoscit, in suo *Apparatu ad Bibliothecam maximam*, cap. 1, asserit pauca primæ Christianorum ætatis opera ad nos pervenisse. Si igitur scripta omnibus fidelibus destinata penitus perierunt, mirum sane non est libros S. Dionysii ad intimos quosdam amicos exclusive directos, per sex sæcula latuisse. Duæ S. Clementis Romani epistolæ ad Virgines, tempore S, Dionysii conscriptæ, nonnisi anno 1751 inventæ sunt. Ciceronis fragmenta *De Republica*, nostris tantum diebus fuerunt reperta. Ergo obscuritas in qua S. Dionysii opera usque ad sæculum VI manserunt, nullum validum affert argumentum contra eorum authenticitatem.

558. — **Objectio II.** Circumstantiæ in quibus libri areopagitici fuerunt divulgati, ad eorum honorem certissime non concurrunt. Sunt enim Severiani, Monothelitarum sectatores, qui in aliquo synodo contra illos Constantinopoli congregata anno 532, hos libros, tanquam a S. Dionysio conscriptos, allegarunt ad suam hæresim confirmandam, Hypatius vero, episcopus catholicus, qui huic cœtui præerat, eis respondit ipsos debere authenticitatem testimoniorum, quæ afferebant, probare.

Respondemus, librorum areopagiticorum excellentiam nullatenus ex eo minui, quod fuerint a Severianis in publicum producti et falso ab eis allegati; nam hæretici sacra ipsamet abutuntur Scriptura, quam in erroneos pravosque sensus detorquere solent.

Imo hæc circumstantia, quæ nobis objicitur, peremptorium subministrat argumentum authenticitatis operum de quibus agitur. Ex historia enim certum est, ista opera post annum 532 fuisse cito S. Dionysio a catholicis attributa, sicut agnoscere coguntur ipsi adversarii; nam hoc eodem sæculo VI, in ista attributione consentiunt Joannes Scythopolitanus (Comment. in S. Dionys.); Leontius Byzantinus (lib. 2 cont. Nestor. et Eutych.); Ephræm, patriarcha antiochenus; S. Gregorius Magnus (Homil. 34 in Luc.). Non loquimur de sequentibus sæculis, in quibus librorum areopagiticorum authenticitas unanimiter in Ecclesia agnita est, usque ad tempora Vallæ et Erasmi. — Atqui, catholici authenticitatem librorum hucusque ignotorum, atque ab hæreticis in lucem productorum, profecto non admiserunt, et quidem tam cito, sine evidentibus argumentis, quæ fuerunt vel a Severianis allata, vel a seipsis post seriam investigationem inventa. — Ergo, circumstantiæ divulgationis librorum areopagiticorum, ab adversariis objectæ, directe contra illos retorquentur; nisi malint, etiam contra suam opinionem, admittere hos libros fuisse in Ecclesia ante sæculum VI divulgatos.

559. — **Objectio III.** In Div. Nomin., cap. 2, auctor citat Apocalypsim S. Joannis, et in cap. 4

refert aliqua verba Epistolæ S. Ignatii Martyris ad Romanos. — Atqui, Apocalypsis, et ista S. Ignatii epistola, post obitum S. Dionysii conscriptæ sunt. — Ergo liber areopagitici non possunt ipsi attribui.

Respondemus primo, negando Minorem; nam juxta probabiliorem opinionem, quam cum aliis gravissimis scriptoribus tenet ipse P. Bosch Bollandista, licet sit Antiareopagista (Vide Acta Sanctor., T. 52, p. 790), S. Dionysius martyrium subiit primo regnantis Adriani anno, id est, anno 117 post Christum natum. — Atqui, secundum hanc supputationem, S. Dionysius obiit centenario major, ita ut evidenter potuit utrumque scriptum cognoscere ac citare, cum Apocalypsis calamo fuerit exarata anno 95, et Epistola S. Ignatii ad Romanos anno 107. — Ergo posita objectio nihil probat contra librorum areopagiticorum authenticitatem.

Respondemus secundo, quod etiam Minore concessa, logice non sequitur Conclusio. Nam latior est, quia ex Minore stricte concluditur solum librum de Div. Nomin. non esse authenticum, vel hunc ipsum librum esse interpolatum in duobus tantum textibus allegatis. — Atqui, nullibi possibilior ac probabilior est interpolatio, quam in libris areopagiticis, quæ tamdiu latuerunt, ac de rebus mysticis ad intimos amicos scripta sunt. Non igitur mirum esset, si varii viri, qui hos libros successive ac privatim ad usum proprium detinuerunt, aliqua sacræ Scripturæ vel Patrum verba textui originali addidissent, sive ad sensum confirmandum, sive ad propriam ædificationem.

560. — Objectio IV. In eodem libro de Div. Nomin., cap. 5, § 8, ubi agitur de divinis ideis, auctor dicit: « Si autem vult Clemens philosophus, etc. » — Atqui, hic Clemens philosophus non potest esse nisi Clemens Alexandrinus, qui de divinis ideis expresse loquitur in Stromat. lib. 5, cap. 14. Clemens autem Alexandrinus multo posterior est S. Dionysio. — Ergo tantus anachronismus probat prædictum librum non esse genuinum.

Respondemus primo, negando Minorem; nam hic Clemens philosophus potest esse S. Clemens Romanus, papa et S. Dionysii coætaneus, de quo scribit Cardinal Villecourt, in Dissertatione prævia ad duas S. Clementis litteras de Virginitate: « Certum est S. Clementem Romæ natum fuisse...; a parentibus Athenis, ubi tunc maxime florebant studia, ad discendam philosophiam missus est; brevique tempore scientiæ princeps fuit existimatus.» (Patr. gr., T. 1, p. 360). Nec minus certum est, philosophiam platonicam, in divinis ideis fundatam, tempore juventutis S. Clementis in schola Atheniensi regnasse, et sanctum hunc philosophum opera scripsisse, quorum plura perdita sunt. Præterea juxta doctum Hefelé, Clemens Alexandrinus in suis Stromatibus, multos S. Clementis locos refert, quin ipsius nomen proferat. — Ergo quid obstat textum S. Clementis circa ideas divinas, ad quem alludit S. Dionysius, esse ipsa Clementis Romani verba, quæ ab adversariis objiciuntur; vel esse locum Epistolæ 1 ad Virgines, cap. 6 et 6, ubi explicat verba Apostoli, 1. Cor. 11, v. 1: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi;* vel alium locum ex perditis S. Clementis operibus desumptum? Nam probabilissime, in his operibus, platonicum Exemplarismum lumine fidei emendatum professus est, sicut ipse S. Dionysius.

Respondemus ad Consequentiam, tantum anachronismum verisimiliter committi non potuisse a viro magni ingenii prædito, qui S. Dionysii personam fingere voluisset, sicut contendunt adversarii. — Ergo, etiamsi existeret prædictus anachronismus, non ipsi auctori, sed interpolationi rationabiliter foret attribuendus, sicut diximus in responsione 2ª ad objectionem præcedentem.

561. — Objectio V. Plerique libri areopagitici inscribuntur ut directi ad Timotheum, tanquam ad condiscipulum communis magistri S. Pauli. — Atqui, iste Timotheus non est sanctus S. Pauli discipulus, tum quia in his libris citantur Apocalypsis et Epistola S. Ignatii martyris ad Romanos, quæ post S. Timothei mortem scriptæ sunt; tum quia auctor Timotheum vocat puerum, seu filium suum, quod nomen prorsus convenire nequit S. Timotheo, Ephesino episcopo, et laborum S. Pauli socio. — Ergo inscriptio librorum areopagiticorum ad S. Timotheum non probat, sed infirmat eorum authenticitatem.

Respondemus ad Minorem, Baronium perperam admittere Timotheum, ad quem directi sunt libri areopagitici, non esse S. Timotheum, sed alium virum, seu potius juvenem ejusdem nominis. Cæteri autem Areopagistæ merito affirmant, hunc Timotheum esse vere S. Pauli discipulum. Etenim duo textus, quos objiciunt adversarii, potuerunt ab aliquo transcriptore aut adnotatore interpolari sicut proxime ostendimus.

Quoad nomen pueri, seu filii S. Timotheo dati, recordari oportet libros areopagiticos non fuisse publicitati destinatos, sed intimo amico scriptos, sicut supra jam diximus. — Insuper S. Dionysius erat ætate multo provectior S. Timotheo, qui adhuc juvenis ordinatus est a S. Paulo episcopus, ut patet ex 1. Tim. 4, 12: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* — Cæterum sanctus auctor ad eum loquitur, non tanquam magister ad discipulum, sed tanquam amicus ad amicum junio-

rem, ipsumque in mysticis rebus versatissimum, ita ut mutua fuerit sanctæ doctrinæ communicatio; quod manifestum est ex Div. Nom. cap. 13, § 4, et ex Eccl. hier., cap. 7, § 11, ad fin.

562. — Objectio VI. In libris areopagiticis passim fit sermo de *traditione*, imo in Eccl. hier., cap. 7, § 11, auctor loquitur de *antiqua traditione*. — Atqui, talis traditio nondum existebat tempore adeo Apostolis vicino. — Ergo prædicti libri non sunt authentici.

Respondemus ad Majorem: Ex contextu luculenter apparet *traditionem*, de qua loquitur S. Dionysius, esse communicationem doctrinæ, quam ipse et S. Timotheus a S. Paulo acceperant. Magnus enim ille Apostolus eadem locutione utitur, ad primos Christianos scribens: *Tenete traditiones, quas didicistis* (2. Thess. 2, v. 15). — Deinde vox ἀρχαίος in loco citato adhibita, derivatur ab ἄρχη, initio, et significat non solum aliquid *antiquum*, sed etiam aliquid *primitivum*. — Atqui, ex contextu liquet auctorem accepisse in secundo sensu prædictam vocem. — Ergo ruit adversariorum Conclusio.

563. — Objectio VII. Auctor eorumdem librorum quibusdam theologicis locutionibus utitur, quæ nonnisi postea fuerunt ab aliis Patribus adhibitæ, atque in Ecclesia usitatæ. Talis est vox ὑποστασις divinis personis applicata; nam hic loquendi modus in Ecclesia non invaluit nisi post Concilium Nicænum, quod anno 325 celebratum est. — Ergo areopagitici libri sunt hoc anno posteriores.

Respondemus negando Consequentiam. Etenim auctor horum librorum seipsum profitetur esse Dionysium Areopagitam, et huic testimonio credendum est, donec adversarii vere demonstraverint opera ipsi attributa non esse authentica. — Atqui, S. Dionysius Areopagita fuit vir in græca philosophia versatus, et S. Pauli discipulus. — Ergo ad morem Platonis et Aristotelis, potuit per ὕποστασιν designare personam ab essentia distinctam, et accuratius de divinis personis et de aliis rebus theologicis loqui, quam cæteri priorum sæculorum Patres, qui a magno Apostolo edocti non fuerunt.

564. — Objectio VIII. Ritus sacri, qui in libro de Eccl. hier. describuntur, manifeste pertinent ad publicam solemnemque temporis Constantini Magni liturgiam; non autem ad occultam sacrorum mysteriorum celebrationem, quæ primis Ecclesiæ sæculis in Catacumbis, vel in ædibus particularibus fiebat, ob metum persecutionum. In prædicto enim libro agitur de throno episcopali, de variis ministrorum gradibus, de candelabris, de thurificationibus, de sacris picturis, etc. — Ergo liber de Eccl. hier. nequit esse anterior regno Constantini, qui solemnem Religionis cultum in basilicis a se exstructis inauguravit.

Respondemus negando Consequentiam. Nam ex Archæologia sacra evidenter probatur, omnes cæremonias a S. Dionysio descriptas, peragi potuisse etiam in christianis primorum sæculorum catacumbis. Etenim jam ab Ecclesiæ exordio, in loco sacro existebant separatio clericorum a laicis, et variorum Ordinum distinctio. In romanarum Catacumbarum sacellis, adhuc conservantur sedes marmorea episcopi, candelabra, thuribula, murales picturæ, de quibus fit mentio in libro de Eccl. hier. — Præterea in persecutionum intervallis, fideles ad sancta celebranda mysteria congregabantur in amplis aulis patriciorum ad fidem conversorum, vel etiam in sacris ædibus ad hunc usum exstructis, sicut docent omnes archæologi. — Demum Athenis, ubi S. Dionysius fuit episcopus, persecutio non sæviit sicut Romæ. Jam vero, in omnibus istis circumstantiis, non impediebatur etiam solemne cultus exercitium. — Ergo adversariorum Consequentia nullo solido fundamento innititur.

Instant. In Eccl. hier., cap. 7, § 11, agitur de Baptismo rationabiliter infantibus collato. — Atqui, omnes norunt primis Ecclesiæ sæculis Baptismum non parvulis, sed adultis fuisse administratum. — Ergo liber de Eccl. hier. S. Dionysio attribui nequit.

Respondemus distinguendo Minorem. Baptismus in Ecclesiæ initio adultis conferebatur *ordinario*, concedimus; sed quod *etiam parvulis* non conferebatur, negamus, nam juxta doctissimum Catalanum, Comment. in Rituale roman.: « Ipsi infantes parvulique semper æstimati sunt recipiendo Baptismo idonei, ut patet ex constanti Ecclesiæ traditione, cujus inter alios testis est *Origenes*, scriptor sæculi II, lib. 5 in Epist. ad Roman., sic inquiens: *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare;* quibus verbis nihil hanc in rem afferri luculentius potest. — S. Cyprianus in Epist. 50 ad Fidum, mentionem facit Concilii, quod habuit de infantibus baptizandis, in ejusque sententiam sexaginta sex episcopi in Concilium, cui præerat, coacti, unanimi voce consenserunt, eoque consensu non rem novam, sed præcedenti usu receptam probarunt. »

Ergo doctrina Eccl. hier., quæ nobis objicitur, nullatenus antiquis Ecclesiæ usibus opponitur, sed veterem ejus traditionem confirmat. Ergo optime S. Dionysio convenit.

565. — Objectio IX. In Eccl. hier., cap. 6, auctor loquitur de monachis, et de solemni eorum consecratione, seu religiosa professione. — Atqui, vitæ monasticæ fundatores sunt S. Paulus eremita et S. Antonius, qui multo post S. Dio-

nysium vixerunt. — Ergo prædictus liber non est opus S. Dionysii.

Respondemus distinguendo Minorem. S. Paulus et S. Antonius sunt quidem fundatores vitæ *eremiticæ*, seu anachoreticæ, quæ est species vitæ monasticæ, opposita vitæ *cœnobiticæ*, secundum quod eremitæ sunt monachi viventes in solitudine, dum cœnobitæ vivunt in societate. Sed duo isti sancti non sunt fundatores ipsius vitæ monasticæ, seu religiosæ, quæ in trium votorum professione essentialiter consistit, atque ab ipso Jesu Christo instituta est. — Atqui, ab Ecclesiæ initio, exstiterunt fideles utriusque sexus, qui Deo se consecrabant per professionem votorum ab Ecclesia acceptatam, præcipue per votum castitatis, et qui nec in eremo, nec in monasteriis, sed in propriis domibus vivebant, ac locum reservatum in sacris ædibus occupabant inter clericorum presbyterium et laicos, a quibus non distinguebantur vestimento particulari, sed solum majori modestia ac simplicitate in toto habitu exteriori, comam non nutriendo, cæterisque vanis ornamentis renuntiando. Porro de his Religiosis loquitur S. Dionysius, illosque therapeutas et *monachos*, seu solitarios vocat, quia servare tenebantur non *exteriorem*, sed *interiorem* solitudinem, affectus suos a creaturis retrahendo, eosque in supremam Creatoris unitatem seu Monadem colligendo, sicut expresse dicitur in Eccl. hier., cap. 6, part. 2, § 2. — S. Clemens Papa, S. Dionysii coætaneus, duas epistolas scripsit ad virgines utriusque sexus, qui castitatem Deo devoverant, quemadmodum patet in Epist. 1, cap. 1, 2 et 3 (Patrol. gr., T. 1, p. 381 et seq.). Legitur in exordio Capitis 2: « Quicumque vir aut femina, propter regnum cœlorum, vere ac sine dolo intemeratæ virginitati se devovere constituit... » — Sæculo sequenti S. Ignatius Martyr., in sua Epist. ad Philippenses, salutat collegium virginum hujus Ecclesiæ. — Ergo ruit adversariorum Consequentia.

566. — Conclusio totius paragraphi. Putamus valida argumenta, quibus librorum areopagiticorum authenticitatem demonstravimus, non infirmari omnibus Antiareopagistarum objectionibus a nobis sine magna difficultate refutatis.

Intrinsecum enim nostrum argumentum positive et complete ex ipsis libris eam probat. Ostendimus eorum auctorem aperte profiteri se esse Dionysium Areopagitam; quod testimonium plenam fidem meretur, quia ille auctor est vir gravissimus, cujus doctrina sublimitate, sanctitate et eloquio est S. Dionysio dignissima. — Accedit *extrinsecum* argumentum, quod intrinsecum solidissime confirmat; nam a sæculo VI quo divulgati sunt, libri areopagitici cito et communiter in Ecclesia orientali atque occidentali fuerunt S. Dionysio attributi, summaque æstimatione digni habiti sunt ab omnibus sanctis Patribus ac Doctoribus, aliisque auctoribus pietate ac doctrina conspicuis usque ad sæculum XV.

Tunc autem viri novitatum amatores, vel dubia orthodoxia notati, horum librorum authenticitatem negare inceperunt, objectionibus specie magis quam re validis. His successerunt Protestantes, et Protestantibus Rationalistæ; utrique opera a Catholicis tam laudata, non solum ut apocrypha, sed etiam ut erroribus plena omnique vituperio ac contemptu digna judicaverunt. Inter orthodoxos vero, multi, iique sanctiores et doctiores, non obstante hæreticorum atque incredulorum impugnatione, catholicam traditionem usque ad nostrum tempus continuaverunt, agnoscendo prædictorum operum authenticitatem et excellentiam; alii autem nimiæ criticæ addicti, Protestantium et Rationalistarum opinionem secuti sunt, quin tamen, sicut illi, doctrinam despiciant librorum, quorum authenticitatem non admittunt.

Nos vero divinam horum operum sapientiam admirantes, et venerandam Ecclesiæ traditionem recipere gloriantes, plus æquo non attendimus hodiernam criticam, negativam potius quam positivam, materialem potius quam formalem, propriæ rationi potius quam auctoritati innitentem, et apparenter potius quam realiter solidam. Quapropter sine dubio S. Dionysium agnoscimus tanquam verum auctorem operum quæ illi attribuuntur, et quorum Exemplarismum in sequentibus paragraphis ostendemus.

§ II.

Probatur totam S. Dionysii doctrinam divino et trino Exemplarismo informari.

567. — S. Dionysius Deum in sua *Essentia*, seu Forma, summe unum, verum, bonum ac pulchrum, et trinum *personis* contemplatur tanquam primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem omnis perfectionis et ordinis, in creaturis spectatis in linea essendi, vel in linea operandi; singulariter in individuis, vel collective in toto mundo et in universali Ecclesia.

Si perdita sancti hujus Patris opera conjungantur operibus adhuc exstantibus, efformant Summam theologicam, seu completam synthesim in divino Exemplarismo fundatam. Hæc synthesis perfectionem trini Ordinis increati nobis proponit sicut supremum *Exemplar* trini

ordinis creati juxta illum *exemplati*, secundum æterna *exemplaria*, seu secundum varios modos, quibus divinus Artifex ab æterno in sua Mente intendit proprii Ordinis sui imitationem.

I.

Scripta S. Dionysii de Deo uno et trino, seu de Ordine increato ac exemplari.

568. — In mystica sua Theologia, cap. 3, S. Dionysius ipse docet se quatuor de Deo tractatus scripsisse, videlicet 1°) de theologicis Informationibus; 2°) de divinis Nominibus; 3°) de symbolica Theologia; 4°) De mystica Theologia.

Porro in tribus primis tractatibus, Dei cognitio traditur per viam *affirmationis*, et in quarto tractatu traditur per viam *negationis*.

1°) De cognitione Dei per viam affirmationis.

a) « In *theologicis Informationibus*, inquit, ea quæ affirmantis theologiæ maxime propria sunt, celebravimus: quomodo divina bonaque Natura unica dicatur, quomodo trina; quænam secundum illam Paternitas dicatur, et quænam Filiatio, quidve velit sibi illa divina Spiritus denominatio; quomodo ex immateriali et individuo Bono, cordialia ista bonitatis lumina pullularint, et in seipso, et in seipsis, et in se mutuo coæternâ processionibus mansione nusquam digrediendo permanserint; quomodo Jesus, supersubstantialis, humanæ naturæ veritatibus substantiatus sit, et quæcumque alia a Scripturis exposita in theologicis Informationibus celebravimus. »

In hoc igitur opere loquitur S. Dionysius de Dei Forma, una in se et trina personis, atque de Verbo incarnato, qui cum in Forma Dei esset, humanam ac servilem formam accepit.

Liber ille ab auctore inscribitur Θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις. Vox ὑποτυπώσις proprie significat formatio ad exemplar. Derivatur ab ὑποτυπόω, formo ad exemplar alicujus rei (ὑπό, per, præ, juxta, propter, et τυπόω, formo, figuro, signum imprimo). Radix est τύπος, forma, exemplar, norma. Ergo hic titulus indicat lectoris mentem informandam esse Dei cognitione, qui supremum omnium Archetypum est, juxta quod omnia formantur.

b) In opere *de Divinis Nominibus*, auctor sublimi modo explicat varia nomina Deo in sacris Scripturis attributa. Ipsum audiamus:

« In libro autem *de Divinis Nominibus*, quomodo bonus nominetur, quomodo ens, quomodo vita et sapientia et virtus, et quæcumque alia spiritalem Dei concernant appellationem. »

Quando S. Dionysius disserit de Divina Bonitate et de ente, loquitur quoque de æternis Dei ideis.

c) In opere *de symbolica Theologia*, agit de figuris sensibilibus, sive de humanis analogiis, quibus utitur S. Scriptura, ad Deum resque divinas significandum hominibus, qui spiritualia non intelligunt, nisi sensibilibus involuta.

« In *symbolica* vero *Theologia*, quænam nomina divina e rebus sensibilibus translata sint, quæque divinæ formæ, quæ figuræ, quæ membra, quæ instrumenta, quæ divina loca, qui ornatus, qui furores, quæ tristitiæ et iræ, quænam ebrietates et crapulæ, quæ juramenta, quæ maledictiones, qui somni, quæ evigilationes, et quotquot aliæ sunt symbolicæ effigiationis Dei sacræ formationes, ac figurationes. — Arbitror etiam te deprehendisse, quomodo extrema sint prolixiora prioribus. Decebat enim *Informationes theologicas*, et *Divinorum Nominum* explicationem, minus verbosa esse *Symbolicâ theologiâ*. Quanto enim ad altiora contendimus, tanto magis sermones nostri rerum intellectualium aspectibus contrahuntur; sicut etiam modo, dum caliginem illam, quæ intellectum superat, ingrediemur, non in breviloquentiam duntaxat, verum etiam in silentium perfectum, et intelligentiæ defectionem incidemus. Atqui, in illis quidem a Supremo ad infima derivans oratio, pro mensura descensus ad proportionatam latitudinem extendebatur; nunc vero ab inferioribus ad id quod Supremum eminet ascendens, juxta modum ascensionis contrahitur, et post omnem ascensum penitus obmutescet, atque ineffabili *(Deo)* tota conjungetur. »

2°) De cognitione Dei per viam negationis.

Hanc sublimem cognitionem docet S. Dionysius in *Theologia* sua *mystica*, cap. 4 et 5.

Etenim *in Capite IV* docet, quod nihil rerum *sensibilium* sit is, qui omnis rei sensibilis secundum excellentiam est Auctor.

« Dicimus ergo, Causam omnium, et quæ supra omnia est, nec essentiæ, nec vitæ, nec rationis, nec mentis expertem esse; neque corpus existere, neque figuram, neque qualitatem aut quantitatem, aut molem habere; neque in loco esse, neque videri, neque tactum sensilem habere, neque sentire, ne sub sensum cadere; nec inordinationem admittere aut perturbationem a passionibus materialibus excitatam, nec imbecillem esse et sensilibus casibus obnoxiam; neque lucis indigam existere; neque mutationem aut corruptionem, neque fluxum, neque quidquam sunt, vel esse, vel habere. »

In Capite V docet, quod nihil rerum *intellectilium* sit is, qui omnis rei intellectilis secundum excellentiam est Auctor.

« Rursus autem ascendentes dicimus, quod nec anima sit, neque mens, nec imaginationem, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam ha-

beat; neque sermo est, neque intelligentia, neque dicitur, vel intelligitur... quia supra omnem positionem est perfecta et singularis omnium Causa, et supra omnem ablationem exsuperatio omnium simpliciter abstracta, et supra omnia. »

3°) De utriusque cognitionis Dei compendio.

Ex paucis quæ diximus, apparet quatuor prædictos S. Dionysii tractatus, efformare completissimam de Deo, uno et trino ac de Christo, doctrinam.

A. *Per viam affirmationis*, auctor docet

1°) Propriam Dei *naturam* seu formam, ejusque ordinem, atque duplicem Christi naturam.

2°) *Nomina* Deo attributa.

3°) *Figuras* sensibiles Deo applicatas.

B. *Per viam negationis*, docet Deum infinite superare omnes creaturas, tam corporales quam spirituales, atque omnia quæ de ipso possumus imaginari, dicere et intelligere; ita ut infinita ejus Essentia nequeat melius a nobis cognosci quam per sublimem ignorantiam, nec laudari quam per silentium admiratione plenum.

Ex quatuor S. Dionysii de Deo operibus, libri *de Theologicis informationibus*, et de *Symbolica theologia* non amplius exstant. Quædam tamen fragmenta *Symbolicæ theologiæ* ab ipso auctore citantur in Epistola 9, ad Titum.

II.

Scripta S. Dionysii de rebus creatis, sive de trino earum ordine juxta Deum exemplato.

569. — In variis locis librorum suorum quæ supersunt, citat sanctus Pater alia opera nunc perdita, De angelicis proprietatibus, De anima, De intellectilibus et sensibilibus, De justo ac divino judicio. (Vide Proæmium Georgii Pachymeræ in opera S. Dion., Patr. gr., T. 3, p. 114, inf.). — Atqui, si hæc scripta addantur libris de Hierarchia cœlesti, et de Hierarchia ecclesiastica, quos habemus, Summam theologicam complebunt in divino Exemplarismo fundatam.

1°) De rebus creatis singulariter spectatis.

a) In libro *De angelicis proprietatibus* agebatur de perfectioribus Dei unius et trini imaginibus, nempe de puris spiritibus singulariter consideratis. Angeli sunt formæ substantiales a materia prorsus expertes. Hunc librum citat in Div. Nom., cap. 4, § 2.

b) In libro *De anima* singulariter spectabatur alia divinæ Trinitatis imago, scilicet anima humana, quæ medium tenet inter formas angelicas mere spirituales, et formas mere corporales. Hic liber citatur in Div. Nom., cap. 4, § 2.

c) In libro *de Intellectibus et sensilibus* agebatur de analogico ordine inter res spirituales et corporales, quæ sunt divinæ Trinitatis sive imagines, sive vestigia. In hac analogia fundatur Symbolismus, de quo S. Dionysius passim loquitur.

2°) De rebus creatis collective spectatis, et trine ordinatis.

a) In libro *de Cœlesti hierarchia*, iterum considerantur angeli, non vero singulariter ut antea, sed prout ad mundi gubernationem ordinantur a Deo, uno et trino, supremo omnium rerum Gubernatore.

Eodem modo processit D. Thomas in 1ª parte Summæ suæ theologicæ.

b) In libro *de Ecclesiastica hierarchia*, spectantur homines angelis subordinati, et ad perfectionem suam supernaturalem in Ecclesia christiana ordinati, mediantibus Sacramentis aliisque ritibus, quibus purgantur, illuminantur atque Deo uniuntur, ita ut tam humana quam angelica hierarchia gubernentur a supremo Hierarcha, qui Deus est, unus et trinus, omnis ordinis Causa efficiens, exemplaris ac finalis.

c) In libro *de Justo divinoque judicio*, agebatur de suprema Justitia, qua Deus mundum juxta Legem suam gubernat, atque ordinem universum in ultimo ac universali judicio consummabit, reddendo unicuique præmium æternum vel pœnam æternam, juxta opera sua. Hic liber citatur in Div. Nom., cap. 4, § 35.

§ III.

De supremæ Causæ perfectione, Unitate et Trinitate.

I.

De infinita supremæ Causæ perfectione.

Dicit S. Dionysius: « Theologia *(in Scriptura contenta)* rerum omnium Auctori cum *omnia*, tum *simul omnia* tribuit *(i. e. hæc nomina tribuit)*, et ipsum ut *perfectum*, et ut *unum* laudat. »

« *Perfectus* itaque est, non tantum seipso perfectus, et per se a seipso uniformiter definitus, totusque secundum se totum perfectissimus; verum etiam ut supreme perfectus secundum omnem excessum; atque omnem quidem infinitatem definiens, super omnem vero finem expansus, et a nullo comprehensus aut contentus, sed ad omnia pariter et super omnia indeficientibus largitionibus et nunquam finiendis operationibus pertingens. Perfectus item dicitur, ut qui nullum accipiat incrementum, semperque perfectus sit, nec minui possit, omnia in seipso præhabens, et exuberans una et eadem incessabili et su-

perplena et imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, et unumquodque congrua sibi perfectione adimplet. » (De Div. Nom. cap. 13, § 7.).

« Causa omnium et quæ omnia implet, est Jesu divinitas, quæ servat partes toti consentientes (σύμφωνα); et neque pars *(mundi)*, neque totum est *(substantialiter)*; et est totum et pars *(exemplariter)*, quatenus omne et totum et partem in seipsa comprehendit, et suprahabet *(eminenter)*, et præhabet *(ab æterno)*. Perfecta quidem est in imperfectis *(rebus juxta ipsam infimo gradu exemplatis)*, tanquam principalis Causa perfectionis; imperfecta autem in perfectis *(finite illam repræsentantibus)*, tanquam supraperfecta et præperfecta; Forma formæ effectrix in iis quæ carent forma, tanquam principalis Causa formæ; sine forma *(quia substantialiter res non informat)* in ipsis formis *(ab illa productis)*, utpote supra formam substantia totis substantiis insistens impollute *(sine ulla commixtione)*, et ab omni substantia supra substantiam abstracta; tota principia et ordines definiens, supra omne principium, et ordinem collocata. » (Verba S. Hierothei, in Div. Nom. relata, cap. 2, § 10). — In eodem loco sublimiter loquitur de Verbi incarnatione.

II.

De supremæ Causæ Unitate.

570. — « Bonorum Causa una est. » (de Div. Nom., cap. 4, § 31). « Unus autem *(rerum omnium Auctor in Scriptura nominatur)*, quia est omnia unice, secundum unius *(simplicissimæ)* Unitatis excellentiam, et est unitatis omnium Causa inegressibiliter *(ex sua unitate non egrediens)*... Hac itaque ratione, Scriptura totum Deum, tanquam omnium Causam, sub *unius* appellatione laudat; et hoc modo unus est Deus et Pater, et unus Dominus Jesus-Christus, atque unus idemque Spiritus, per superabundantem totius divinæ Unitatis indivisibilitatem, in qua omnia unice sunt conjuncta, et superunita, et præexistunt supersubstantialiter. Quapropter etiam ad ipsam omnia referuntur, eisque attribuuntur *(tanquam ad supremam Causam)*. » (Ibid., cap. 13, § 2 et 3).

« Siquidem in unitate omnis numerus uniformiter præexistit, habetque unitas in seipsa singulariter omnem numerum; et omnis numerus in unum copulatus est, et in unitate est, et quanto longius ab unitate procedit, tanto magis dividitur et multiplicatur. Et in centro omnes linæ circuli una copulatione simul existunt; et punctum habet omnes rectas lineas uniformiter copulatas inter se, et cum uno principio a quo exierunt, et in ipso centro prorsus copulatæ sunt; et parum ab eo distantes parum dividuntur, magis autem distantes magis dividuntur; et, ut semel dicam, quanto sunt centro propinquores, tanto magis cum eo et inter se copulantur; et quanto magis a centro distant, tanto magis et inter se distant. » (Ibid., cap. 5, § 6).

« Non est absurdum ex parvis et minutis imaginibus et exemplis ad Causam omnium ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in Causa omnium, et quæ sunt inter se contraria, uniformiter et copulate. Siquidem Principium est rerum, a quo tam ipsummet esse, quam omnia quæ quomodocumque sunt, omne *principium*, omnis *finis*, omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis *ordo*, omnis *harmonia*, omnis potentia, omnis custodia, omne firmamentum, omnis permansio, omnis intelligentia, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus, omnis status, omnis motus, omnis unio, omnis complexus, omnis amicitia, omnis discrepantia, omnis distinctio, omnis definitio, et cætera quæcumque essendo sunt entia, universa insignit (χαρακτηρίζει). » (Ibid., cap. 5, § 7).

III.

De supremæ Causæ Unitate et Trinitate.

571. — « Hinc in omni ferme theologica tractatione *(in omnibus fere S. Scripturæ libris)*, divinitatem ipsam canimus sancte celebratam, tanquam *Monadem quidem et unitatem*, propter individui sui omnem naturam superantis, simplicitatem et unitatem, ex qua, velut unifica virtute, aliquid unum sumus, atque dividuis nostris diversitatibus supermundane coagmentatis, redigimur ad monadem quamdam deiformem, et unionem Deum imitantem; tanquam *Trinitatem* vero, propter manifestationem supersubstantialis fecunditatis in tribus personis, ex qua omnis paternitas in cœlo et in terra est ac nominatur; tanquam autem *Causam* entium, quia omnia producta sunt per Bonitatem ejus rerum effectricem; tanquam sapientem quoque et pulchram, quia res omnes, dum naturam suam servant incorruptam, divinæ omnis harmoniæ sacræque pulchritudinis sunt plenæ. » (De Div. Nom., cap. 1, § 4).

« Unum illud, ignotum, supra *(omnem creatam)* substantiam, seipso bonum, quod Est, *trinam unitatem dico*, eumdem Deum, idem bonum, neque verbis eloqui, neque cogitando assequi valemus. » (Ibid., § 5).

Postquam affirmavit Deum esse unum et trinum, S. Dionysius explicat, quantum fieri potest, quomodo Deus sit unus et trinus. « Ea, inquit,

quæ in Scripturis prædicantur copulatim, id est ratione Essentiæ, non sunt distinguenda, et quæ distincte seu personaliter dicuntur, non sunt confundenda. » — Exponit quænam sint illa quæ copulatim, et quæ distincte prædicantur. — Ait, *uniones* in Deo vocari attributa essentialia, *distinctiones* vero dici processiones, seu relationes; et sensibiliter ostendit quomodo tres personæ divinæ sine confusione inter se unitæ sint; ad hoc adhibet comparationem luminis trium lampadarum in eodem conclavi lucentium: illarum enim lumen est unum et trinum. — Docet divinas personas sola relationum oppositione distingui.

Asserit opera Christi non esse communia Trinitati, quia nostræ naturæ assumptio non est communis toti Trinitati, sed propria personæ Verbi. Affirmat omnem paternitatem ex Deo esse. — Dicit quomodo ratio mysterii Incarnationis omnibus ignota fuit. — Docet quomodo divinitas Jesu Christi est omnia in omnibus, et super omnia, et quomodo Christus naturam nostram participaverit modo supra naturam nostram. (De Div. Nom., cap. 2, § 2-6 et § 8-10).

§ IV.

De supremæ Causæ Veritate, Bonitate et Pulchritudine.

I.

De supremæ Causæ Veritate.

572. — « Deus quoque *Ratio* (λόγος) prædicatur a Scripturis, non solum quia rationis et mentis et sapientiæ largitor est, sed quia causas omnium in se ipso uniformiter anticipavit, et quia per omnia meat, pervadens, ut ait Scriptura, usque ad finem omnium: et potissimum, quia Ratio Dei super omnem simplicitatem simplex est, et super omnia omnium, juxta supersubstantialitatem suam absoluta. Hæc Ratio est veritas simplex et vere existens. » (Ibid., cap. 7, § 4).

S. Maximus hunc locum sequenti modo explicat: « Nominatur, inquit, Verbum Dei λόγος, id est Ratio, quia habet omnium causas in se; rationes enim omnis naturæ in Ipso sunt, tanquam in Causa omnis creationis; per Ipsum enim omnia. Ideæ namque et exemplaria in Ipso, non alia in alio, sed æternæ notiones sunt, et rationes facientes omnia. »

II.

De supremæ Causæ Bonitate.

573. — « Age ergo, jam ad ipsum nomen *boni* progrediamur, quod eminenter divinitati, quæ est super omnem divinitatis participationem, attribuunt theologi *(scriptores sacri)* vocantes, ut arbitror, Bonitatem ipsam Essentiam divinam, divinitatis (*participatæ*) originem; et quia sic Essentiâ suâ bonus est Deus, tanquam substantiale Bonum in omnia entia porrigit bonitatem. Quemadmodum enim sol ille noster, non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat universa quæ quovis modo lucis ejus sunt capacia, sic etiam ipsum Bonum, quod non secus præstat soli, quam primæva species imagini obscuræ, ipsâmet substantiâ suâ, rebus omnibus, pro cujusque captu, totius Bonitatis suæ radios effundit. » (de Div. Nom., cap. 4, § 1).

« Omnia Bonitas ad se convertit, primaque quæ dispersa sunt, colligit, tanquam unifica divinitas et Principium unitatis, omniaque ipsam ut Principium, ut complexum, ut finem appetunt; Bonumque illud est, ut Scriptura sacra testatur, ex quo omnia constiterunt, et veluti a perfectissima Causa producta sunt, et in qua consistunt universa, tanquam in fundo cuncta continent custodita, contentaque, et ad quod omnia, tanquam ad finem quæque suum convertuntur, quodque appetunt universa, spiritalia quidem rationeque utentia scienter, sensilia vero sensibiliter; quæ autem sensu sunt expertia, innato motu vitalis appetitionis; et quæ vita carent, ac tantummodo existunt, vi quadam ad solius esse participationem propensa sunt. » (Ibid., § 4). — De divina Bonitate nostro soli comparata (ibid.).

III.

De supremæ Causæ Pulchritudine.

574. — « Hoc item Bonum laudatur a sacris theologis *(scriptoribus)*, ut *pulchrum*. et ut *pulchritudo;* et ut dilectio, et ut dilectum; et quæcumque alia sunt divina nomina, quibus ipse speciosus decor et effector pulchritudinis decenter nominatur. Pulchrum autem et pulchritudo non sunt distinguenda *(realiter)* in Causa *(suprema)* quæ omnia in uno complectitur *(propter simplicitatem perfectionis suæ);* sed hæc distinguentes in omnibus rebus *(a Deo causatis)*, tanquam participationes et participantia, *pulchrum* quidem dicimus quod pulchritudinis particeps est; pulchritudinem vero, participationem Causæ omnia pulchra efficientis. Ipsum autem Pulchrum superessentiale *(nempe Deus) Pulchritudo* quidem appellatur, propter illam pulchritudinem quam rebus omnibus, pro cujusque modulo, communicat, inquantum est Causa omnis pulchritudinis ac venustatis, dum rebus omnibus pulchrificas fontalis sui radii distributiones, lucis in morem, afflat, omniaque ad se καλεῖ, id est

vocat, unde et καλὸς, id est pulchritudo, dicitur, tanquam tota in totis in seipso colligens. *Pulchrum* vero vocatur, quoniam ex omni parte pulchrum est, et superpulchrum, et tanquam semper existens pulchrum, secundum eadem et eodem modo pulchrum, neque factum, neque destructum; neque augescens, neque decrescens; nec ex parte una pulchrum, et ex aliâ turpe; neque alias quidem pulchrum, alias vero non; neque ad hoc pulchrum et ad illud inconcinnum; neque hîc quidem ita, alibi vero aliter; nec ut aliis formosum, aliis vero deforme; sed ut ipsum secundum se, atque secum uniforme, semper existens Pulchrum, atque fontanam universi pulchri Pulchritudinem in seipso eminenter anticipans atque præhabens. In ipsa enim natura simplici ac supersubstantiali, pulchrorum universorum omnis pulchritudo, et omne pulchrum uniformiter secundum causam præexistit. » (Ibidem, cap. 4, § 7).

Immediata hujus pulchritudinis contemplatio erit suprema angelorum et electorum beatitudo, quorum mentes « contemplatrices non quasi symbolorum, quæ vel sensu, vel mente percipiuntur, sed tanquam omni cogitatione simplici altioris luminis expletæ, et contemplatione illius Pulchritudinis, quæ est origo et effectrix pulchritudinis, et quæ supersubstantialis est, et in tribus splendet, quantum fas est, ordinata. » (De Cœl. hier., cap. 7, § 2).

Plura ex S. Dionysii doctrina de Pulchro divino referemus in Tomo IV, Parte I.

§ V.

De Deo unitrino, inquantum est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis.

I.

Deus est suprema Causa efficiens, exemplaris et finalis.

575. — « *Pulchrum* est omnium principium, ut *causa efficiens*, et movens, et universa propriæ pulchritudinis amore continens; et ut finis omnium, atque id quod appetitur tanquam *causa finalis*, nam pulchri gratia cuncta fiunt; et *exemplaris*, quia secundum illud omnia definiuntur. Quamobrem idem est pulchrum atque bonum *(realiter, sed non ratione, ut docet D. Thomas 1. Q. 5, art. 4, ad 1^m et in Comment. in hunc loc. de Div. Nom.)* quoniam omnia secundum eamdem causam pulchrum et bonum appetunt. » (De Div. Nom., cap. 4, § 7).

Docet S. Dionysius, angelos, homines et creaturæ sensiles Bonitate ac Pulchritudine divina productæ ab eodem Bono et Pulchro, atque ad idem et juxta idem Bonum et Pulchrum moventur triplici motu: recto, circulari et curvo, ita ut Bonitas ac Pulchritudo divina sit trina Causa existentiæ et operationis omnium rerum creatarum. « Harum igitur *(mentium angelicarum ac hominum)*, uti et sensilium, trium in hac rerum universitate motuum, statuumque ac firmitatum Causa, et conservatio, et finis, est Bonum illud pulchrum *(divinum)* quod est supra statum omnem ac motum, *per quod*, et *ex quo*, et *ad quem*, et *cujus gratia*, status omnis ac motus existit. Etenim *ex ipso*, et *per ipsum*, et substantia, et vita omnis et mentis et animæ etc... Et simpliciter omne quod *ex* pulchro et bono existit, et *in* pulchro et bono est, et *ad* pulchrum et bonum convertitur; et quæcumque sunt et fiunt, *propter* pulchrum et bonum sunt et fiunt, et cuncta in ipso intuentur, et *ab* ipso moventur et conservantur; et ipsius gratia et *propter* ipsum et *in* ipso omne principium *exemplare, finale, efficiens;* formale, materiale; et denique *omne principium*, omnis conservatio, *omnis finis;* et, ut summatim dicam, omnia quæ sunt, ex pulchro et bono existunt, et omnia quæ non sunt, in pulchro et bono sunt superessentialiter *(scilicet eminenter et exemplariter);* et est omnium *Principium* superprincipale, et *finis* supraperfectus; quoniam *ex* ipso, et *per* ipsum, et *in* ipso, et *ad* ipsum sunt omnia, sicut ait Scriptura. (Rom. 11, v. 36) » (de Div. Nom., cap. 4, § 10).

« Ad ipsam *(unicam et supremam Causam)* omnia jure merito referuntur, eique attribuuntur, *a* qua, et *ex* qua, et *per* quam, et *in* qua, et *ad* quam omnia sunt, et componuntur, et manent, et continentur, et complentur, et convertuntur: neque quidquam reperies eorum quæ sunt, quod non ex Uno illo, secundum quod omnis divinitas supraessentialiter nominatur, et sit id quod est, et perficiatur, et conservetur. » (Ibid., cap. 13, § 3).

« Omnia est *(Deus)*, ut omnium Auctor, et in se omnia principia, omnes omnium rerum terminationes continens et præhabens; et supra omnia Est, utpote ante omnia suprasubstantialiter superexistens. Quamobrem omnia de ipso et simul dicuntur, nihilque est omnium; est omnis figuræ, omnis formæ, sine forma, sine pulchritudine *(participatâ ad morem creaturarum, a quibus differt sicut forma exemplaris ab omnibus formis juxta illam exemplatis); principia, media* et *fines* rerum solute et abstracte in seipso præhabens, et omnibus pure illucens, largiendo ut sint secundum Causam unam, et supercopulatam *(quum omnem perfectionem in sua simpliciter habeat).* » (Ibid., cap. 5, § 8).

« Omnium igitur Principium et finis est, qui rebus præexistit: Principium quidem ut causa, finis vero ut cujus causa... Neque principium *(initium existentiæ)*, vel finem *(ita ut existere desinat)*, vel medium *(seu motum successivum a principio ad finem)* habens; nec est in quopiam eorum quae sunt, neque quidquam eorum est. » (Ibid., § 10).

II.

Quomodo Deus sit suprema Causa efficiens, exemplaris et finalis.

576. — 1°) Deus omnia causat *in quantum est unus et trinus*, nam omnia Dei opera ad extra communia sunt toti Trinitati, seu toti Divinitati. Itaque S. Scriptura et S. Dionysius illi attribuunt omnes primæ Causæ qualitates, nempe bonitatem, pulchritudinem, veritatem seu sapientiam, et trinam ipsam causalitatem. « *Bonitas per se* (ἡ αὐτοαγαθότης) a sacris Eloquiis celebratur definivisse et explanasse totam thearchicam Essentiam *(nempe Essentiam supremi divinique Principii, unius et trini)*... *Pulchrum* quoque et *sapiens* de tota divinitate prædicatur, uti et *lux (veritas)*, et id quod divina efficit, et *causa*, et quæcumque tandem sunt totius divinitatis, ad omnem divinam laudem transferunt sacræ Litteræ, summatim quidem, cum dicunt: *Omnia ex Deo* (1. Cor. 11, v. 12); fusius vero, ut cum quidam ait: *Omnia per ipsum et in ipso facta sunt* (Joan. 1, v. 13), et: *In ipso cuncta consistunt* (Rom. 11, v. 36. » (De Div. Nom., cap. 2 § 1).

2°) Divina Trinitas cuncta causavit *libere*, non necessario. « Omnium *Principium* est tanquam causa, et *finis* tanquam cujus causa; nam omnia propter Deum sunt, verum non propter necessitatem, sed propter Bonitatem; et finis omnium est, tanquam continens ac terminans universa. » (Ibid., cap. 5, § 10).

3°) Divina Trinitas omnia causavit, *ita ut omnes effectus ejus ipsam varie repræsentent.* Ergo creaturæ non participant substantiam divinam, quum propriam habeant substantiam a Deo creatam, sed varie participant divinam similitudinem juxta diversas formas suas substantiales, quæ intrinsece determinant illarum perfectionem. — « Et hoc commune, et copulatum, et unum est toti divinitati, ipsam participari *(per similitudinem)* ab unoquoque participantium, et a nullo nulla parte *(participari substantialiter)*: sicut punctum centri, in medio circuli, participatur ab omnibus lineis rectis *(radiis)*, quæ sunt in circulo circumpositæ; et sicut multæ figuræ sigilli expressæ, participant sigillum archetypum, et in unaquaque figura sigilli totum sigillum est *(similitudine)*, et in nulla figura secundum ullam partem *(substantiæ suæ)*. Vincit autem ista exempla imparticipabilitas divinitatis, quæ omnium Causa *(exemplaris)* est, quoniam ejus nulla est tactio *(non tangit sensibiliter res ipsam participantes)*, neque alia mixtionis communio cum participantibus. » (De Div. Nom., cap. 2, § 5).

4°) Differentia similitudinis creaturarum cum Deo, non oritur ex aliqua inæqualitate in in divina Forma exemplari, sed ex diversitate formarum substantialium in creaturis; his enim formis creaturæ varie disponuntur ad participandam Dei similitudinem. « At dicet aliquis, sigillum in totis expressis figuris non esse unum et idem. » — Huic objectioni respondet S. Dionysius: « Verum hujus rei *(dissimilitudinis)* causa non est sigillum, nam illud se totum et idem unicuique communicat; sed participantium differentia dissimiles facit effigies unius, et totius, et ejusdem archetypi; ita ut si materia earum sit mollis, et formatu facilis, et plana, et infigurata, nec resistens, nec dura, nec fluxa et inconstans, puram habebit, et distinctam et permanentem figuram; sin autem aliquid dictæ aptitudinis defuerit, hic defectus utique causa erit, cur figura minus expressa sit, et clara, et cætera accidant, quæ ex participandi ineptitudine solent evenire. » (Ibid., § 6).

5°) Multiplicatione creaturarum multiplicantur tantum divina exemplata, et Dei similitudo; sed divinum Exemplar manet unum et idem. « Donans enim omnibus entibus, et superinfundens totorum bonorum consortia, conjuncte distinguitur *(nempe unica et totalis ejus perfectio varie participatur ac manifestatur)*; amplicatur unice, et multiplicatur *(ejus similitudo)* ex uno *(Exemplari)* inegressibiliter *(quin a sua unitate discedat, aut suam simplicitatem amittat)*. Nimirum, quoniam Deus est supersubstantialiter, dat esse entibus, et producit totas substantias; ideo multiplicari *(quodammodo)* dicitur illud unum Ens, propter productionem multorum entium ex seipso; nihilominus tamen manet, et unum *(substantialiter)* in multiplicatione *(rerum)*, et unitum in processione *(ad extra)*, et totum in divisione, quia est supersubstantialiter Exemplar quoad esse omnium entium, sive unica omnium productione *(creatione)*, sive indiminuta profusione indeficientium sui communicationum. Quin etiam, quum unum sit, omnique parti et toti, unique et multitudini unitatem communicat, hoc quoque modo unum est supersubstantialiter, quia neque pars est multitudinis, neque ex partibus totum; et sic neque est unum *(partiale aut compositum)*, neque unum participat, neque

habet unitatem, sed longe ab his Unum est *(simplicissimum)*, supra unum, entibus unum, et totum individuum, inexplebilis superplenitudo, quæ omne unum ac multitudinem producit, et perficit, et complectitur. » (Ibid., § 11).

6°) Effectus sunt causis suis similes, sed non vicissim.

« Non est perfecta et absoluta similitudo causatorum et causarum: sed habent causata acceptas causarum imagines *(sive vestigia, quum omnis effectus repræsentet causam suam)*; ipsæ vero causæ a causatis exemptæ sunt, et supra illa fundatæ; et ut illorum, quæ sunt apud nos, utar exemplis, voluptates et dolores dicuntur efficere ut lætemur vel doleamus; ipsæ tamen non lætantur, nec dolent. Ignis quoque calefaciens et comburens, non dicitur comburi et calefieri. Et si quis dicat, ipsam vitam vivere aut ipsam lucem illuminari, non recte dicit juxta meam sententiam, nisi forte hæc alio modo dicat, quod præstantius, et essentialius, et prius causis insint, quam causatis *(effectibus)*. » (Ibid., § 8).

§ VI.

De operativis Dei attributis.

Scilicet de Dei Sapientia, Amore, Potentia et Providentia.

I.

De divina Sapientia.

577. — « Age porro, ipsam, si placet, veram æternamque vitam, etiam *ut sapientem ipsamque Sapientiam* celebremus, imo vero tanquam omnis sapientiæ procreatricem, supraque omnem sapientiam et intelligentiam eminentem. Non enim Deus tanquam superplenus est sapientia, et intelligentiæ ejus non est numerus, sed supra omnem rationem et mentem, et sapientiam collocatur... Hanc igitur... Sapientiam superlate laudantes, dicamus Causam esse omnis mentis et rationis, omnisque sapientiæ et intelligentiæ; et ipsius esse omne consilium, et ab ea omnem scientiam et intelligentiam proficisci, et in ea omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos esse. Etenim, convenienter iis quæ antea dicta sunt, Causa supersapiens et omnisciens, per se sapientiæ et totius sapientiæ est universalis effectrix. », (De Div. Nom., cap. 7, § 1).

« Est omnium effectrix, quæque semper erat cuncta componens, et indissolubilis rerum omnium connexionis ordinisque Causa, semper fines præcedentium cum principiis sequentium *(rerum inæqualiter coordinatarum)* unicamque totius universi symphoniam et harmoniam concinnans. » (Ibid., § 3).

« Igitur Mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua, secundum ipsammet omnium Causam, in se omnium cognitionem præhabet; priusquam Angeli fierent cognoscens angelos, eosque creans, cæteraque omnia intus et ab ipso, ut ita dicam, exordio noscens, et in rerum naturam producens. Idque arbitror Scripturam significare, cum ait: *Qui novit omnia priusquam fiant.* (Dan. 13, v. 42). Non enim ex rebus ipsis res discens, novit eas divina Mens, sed ex seipsa, et in seipsa, secundum causam, omnium scientiam, et notionem, et essentiam præhabet, et ante comprehendit, non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam Causæ *(exemplaris)* complexionem cuncta sciens et continens; sicut et lux, secundum causam, tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras cognoscens. Seipsam igitur divina Sapientia noscendo, scit omnia: materialia *(scit)* sine materia, et indivise divisibilia, et unice multa, ipso uno omnia et cognoscens, et producens. Nam si secundum unam Causam Deus omnibus esse *(existentiam)* impertit, secundum eamdem unicam Causam scit omnia tamquam ex se existentia, et in seipso ante præexistentia, et non ex rebus accipit rerum notionem, sed ex ipsis singulis ipsarum aliisque aliarum notitiam largitur. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero communem res omnes complectentem; ipsa enim omnium Causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa, et quorum Causa est, ignorabit. Has igitur Deus res cognoscens, non scientiâ rerum sed scientiâ suiipsius ipsos novit; etenim angelos quoque Scriptura testatur ea scire quæ in terra sunt, non secundum sensus illa cognoscendo quæ sensibilia sunt, sed secundum virtutem ac naturam mentis deiformis ». (De Div. Nom., cap. 7, § 2.).

II.

De æternis rerum ideis in divina Sapientia intellectis.

578. — « Si sol ille noster rerum sensilium substantias ac qualitates, quantumvis multæ sint ac diversæ, simul ille, cum sit unicus et uniformiter diffundat lumen suum, omnes renovat, et nutrit, et servat, et perficit, et distinguit, et unit, et refovet, et fecundat, et auget, et immutat, et firmat, et producit, et suscitat, et vegetat, et quodlibet ex iis, modo cuique proprio, unius ejusdem solis particeps existit, et plurimorum se participantium causas sol unicus in seipso uniformiter anticipavit: potiori utique ratione concedendum est, in ipsius solis ac

rerum omnium Causa, secundum unicam suprasubstantialem unionem, rerum omnium *exemplaria* præextitisse, quandoquidem hæc *(Causa)* ipsasmet substantias producat, secundum excessum substantiæ. »

Exemplaria (παραδείγματα) vero dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum, et unice præexistentes *(in supremo Exemplari, quæ est Essentia seu Forma divina)*, quas divinus sermo *(Scriptura sacra)* vocat prædefinitiones, et divinas atque bonas voluntates *(inquantum a Deo intenduntur)*, rerum definitrices et effectrices; secundum quas *(Deus)* qui Est super substantiam, omnia quæ sunt prædefinivit et produxit. »

« Si autem vult Clemens philosophus *(Vide supra n.° 560)* quodammodo dici exemplaria, quæ sunt in rebus principaliora *(et exemplata sunt juxta divina exemplaria, ipsa vero sunt exemplaria secundaria relate ad res imperfectiores)*, progreditur quidem, cum sic loquitur, non per propria, et perfecta, et simplicia nomina *(quæ divina exemplaria designant)*; sed si concedamus etiam hoc recte dici, oportet meminisse Scripturæ, quæ ait: Non ostendi illa *(exemplaria secundaria)* tibi, ut vadas post illa *(ut colas illa culto divino. Loquitur de textu Exod. 25, v. 40, cujus sensum tantum refert:* « *Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* » *Agitur enim de exemplaribus tabernaculi variique ejus supellectilis)*; sed ut per proportionem cognitionis horum, ad cognoscendam omnium Causam, quoad possumus, adducamur. »

« Quamobrem universa ipsi *(Causæ supremæ)* entia, secundum unam omnibus eminentem copulationem, sunt attribuenda; quandoquidem, dum ab ipsamet Essentia substantificæ promanationis ac bonitatis exordiens, per omnia dimanat *(per similitudinis participationem)*, et universa per seipsam implet, ac in rebus omnibus delectatur, omnia quidem in se præhabet excellentiâ simplicitatis, quæ omnem refugit duplicitatem; cuncta vero similiter continet secundum suprasimplicem infinitatem suam, et ab omnibus singulariter participatur *(per analogicam variamque similitudinem)*, quemadmodum et vox *(humana)* cum una sit et eadem, a multis quoque auribus ut una percipitur. » (De Div. Nom., cap. 5, §-8 et 9).

III.

De divino Amore.

579. — « Universis Pulchrum et Bonum desiderabile et amabile est, et ab universis diligitur, et propter ipsum et ipsius causa, et inferiora amant superiora, convertendo se ad ea; et quæ sunt ejusdem ordinis amant similia, communicando; et majora amant minora, providendo eis; et singula seipsa, conservando se; et omnia, pulchrum et bonum expetendo, faciunt et volunt quæcumque faciunt et volunt. Quin et hoc vere audemus dicere, quod Ipse *(Deus)*, qui est omnium Causa, propter excellentiam Bonitatis *(suæ)* omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, omnia convertit ad se; et est divinus Amor bonus Boni propter Bonum. Ipse enim Amor divinus, qui bonitatem in entibus operatur, quia prius exstitit in Bono superlate, *(scilicet in Bono supremo)* non sinit ipsum in se sine fœtu manere, sed potius movit eum ad operandum *(ad extra)* secundum excellentiam virtutis *(Omnipotentiæ)* suæ, omnium rerum effectricis. » (De Div. Nom., cap. 4, § 10).

« Est *(enim)* divinus Amor exstaticus, qui non sinit esse suos, eos qui sunt amatores, sed eorum quos amant. — Atque hoc declarant quidem superiora, quæ inferiorum fiunt, per eorumdem providentiam; et quæ ejusdem generis sunt, per mutuam cohærentiam; et inferiora, per diviniorem ad superiora conversionem... Audendum est hoc etiam pro veritate dicere, quod ipsemet omnium Auctor, pulchro et bono omnium Amore, propter excellentiam summam amatoriæ Bonitatis, extra se per providentias omnium rerum exsistit, et bonitate atque dilectione et amore veluti delinitur et oblectatur; et cum sit supra omnia et ex omnibus exemptus *(ab omnibus independens)*, ad omnia demittitur, secundum potestatem suprasubstantialem, qua extra se non egrediendo, exit *(amorem suum ad res creatas terminando, et seipsum creaturis suis communicando per gratiam, ac maxime per Verbi incarnationem)*. » (Ibid., § 13).

« Quid porro tandem significare volunt theologi *(sacri Scriptores)*, cum aliquando quidem Deum vocant *Amorem et Dilectionem*, quando que vero *amabilem et dilectum?* Illius quidem *(scilicet Amoris et Dilectionis)* Auctor, et tanquam productor ac generator est; hoc autem *(id est amabilis et dilectus)* ipse est. Illo quidem *(amore)* movetur; hoc autem *(ut amabilis)* movet; quia se ipse adducit, et sibi adducit, et movet. Hac autem ratione illum *dilectum et amabilem* vocant, tanquam pulchrum et bonum; *Amorem vero rursus et Dilectionem*, tanquam vim motricem, et sursum trahentem ad se, qui solus est ipsum per se Pulchrum et Bonum, et tanquam manifestationem suiipsius per seipsum, et ut benignum processum eximiæ illius unionis, et amatoriam motionem simplicem, per se mobilem, per se operantem, præexistentem in Bono *(divino)*, et ex Bono in entia re-

dundantem, ac rursus ad Bonum revertentem, Qua in re, et fine et principio se carere divinus Amor excellenter ostendit, tanquam sempiternus circulus, propter Bonum, ex Bono, in Bono et ad Bonum indeclinabili conversione circumiens, in eodem, et secundum idem, et procedens semper, et manens, et remeans.» (Ibid., § 14).

IV.

De divina Potentia omnia producente.

580. — «Quomodo theologi tamquam potentiam laudant *(divinam Potentiam)* quæ extra omnem potentiam posita est? aut quomodo in ea nomen potentiæ accipiemus?»

«Dicimus igitur Deum esse Potentiam, ut qui præhabet in se et superhabet omnem potentiam; et ut omnis potentiæ Auctor, et ut omnia inflexibili et incircumscripta potentia producens, et ut Auctor ipsius esse potentiæ, tam universalis, quam cujusque particularis; et ut infinipotens, non solum omnem potentiam producendo, sed etiam supra omnem potentiam, et supra ipsam per se potentiam existendo; et quod desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias producere; et quod infinitæ infinito numero productæ potentiæ nunquam possent superinfinitam potentiæ ejus potentificæ effectionem infirmare; quodque ineffabilis et incognoscibilis et inexcogitabilis sit omnia transcendens ejus potentia, quæ exuberantiâ potestatis potentem reddit infirmitatem, cujus extremos quoque terminos continet penetratque.»

«Hæc igitur Potentia Dei infinipotens in omnia entia meat et progreditur, nullumque ens sic omnino nudatum est, quin aliquam potentiam habeat; quia potius potentiam habet vel intelligentem *(ut angeli)*, vel ratiocinantem *(ut homo)*, vel sentientem *(ut animalia)*, vel viventem *(ut plantæ)*, vel propriam substantiæ *(ut entia quæ vita carent)*; et ipsum esse *(ipsa rerum existentia)*, si fas est dicere, potentiam habet, ut sit ab ipsa superessentiali Potentia.»

«Ex ipsa sunt deiformes angelicorum ordinum potentiæ..... Indeficientis istius potentiæ munera in homines quoque emanant, et in animalia, et plantas, totamque naturam universi..... Nihil est in totalitate entium, quod Omnipotentis tutela et conservatione divinæ Potentiæ privatum sit. Quod enim universe nullam habet potentiam *(sive ad existendum, sive ad operandum)*, nec est, nec quidquam est, nec est omnino ullum ejus fundamentum.»

«Nos autem Theologum *(S. Paulum)*, inquantum fieri potest imitantes, collaudamus Deum præpotentem ut omnipotentem, ut beatum, solumque potentem, utpote qui potestatis suæ principatu ipsimet æternitati dominetur, nullaque unquam re frustratus; quinimo, ut qui desuper habeat et præhabeat omnia quæ secundum potentiam suam superessentialem existunt, omnibusque rebus, tàm ut esse possint quam ut sint, secundum affluentiam superabundantis potestatis copiosa effusione largiatur.» (De Div. Nom., cap. 8, passim).

V.

De divina Providentia omnia ad finem gubernante, et de supremo Dei regno.

581. — *Providentia* divina est æterna ratio ordinis rerum in finem; *gubernatio* autem est hujus ordinis exsecutio in tempore; dirigit omnem omnium rerum operationem ad earum finem. Finis vero divinæ gubernationis omnium rerum est varia illarum assimilatio ad supremum Bonum, quod Deus est.

«Omnibus Providentiâ suâ Deus adest, et propter omnium conservationem fit omnia in omnibus *(per similitudinis suæ participationem)*, dum in semetipso propriaque identitate inemananter permanens, et secundum unam incessantem operationem sibi ipsi inhærens, virtute quadam indeficiente semetipsum tradit, ad divinam Formam entibus ad se conversis imprimendam.»

«Quid porro, quando iterum theologi tradunt Eum qui immobilis est, ad universa procedere ac moveri, nonne id etiam ratione quadam Deo congrua intelligendum est? Sic siquidem putandum est Ipsum moveri, non secundum translationem, vel immutationem, vel alterationem, vel conversionem, vel localem motum, vel rectum, vel circularem, vel ex utroque constantem *(nempe motum curvum)*, vel intellectilem, vel animalem, vel naturalem; sed secundum quod Deus omnia in rerum natura producit continetque, atque omnibus modis rebus omnibus providet, omnibus adest, incomprehense omnia complectendo; idque omnibus Providentiæ viis et operationibus. — Quin et immobilis Dei motus, ratione quadam Deo conveniente, potest prædicari. Ac rectus quidem *(motus)* intelligendus est de inflexibilitate et indeclinabili progressu operationum, eoque, qui ex Ipso est, rerum omnium ortu; curvus autem *(motus)* de rerum stabili progressu ac fecundo statu; circularis denique *(motus)* de identitate ac complexione mediorum atque extremorum, quæ continent atque continentur, et de illorum quæ ab Ipso prodierant, ad Ipsum conversione.» (De Div. Nom., cap. 9, § 5 et 9).

« *Regnum* autem est omnis termini, ac mundi, et legis, et ordinis distributio..... *Deitas* autem (θεότης α θεάομαι, *specto, contemplor*) idem est atque omnium conspicax Providentia, omnigena Bonitate cuncta circumspiciens continensque, et seipsâ complens atque transiliens *(superans)* omnia quæ ipsius Providentia fruuntur. — Hæc itaque de Causa illa transcendentali *(quæ Deus est)* absolute prædicanda sunt, addendumque ipsam esse Regnum omnium supremum, simplicissimamque Deitatem. Siquidem ex ipsa singulariter et ubertim emanavit atque diffusa est... omnis rerum dispositio atque distinctio, quæ inconcinnitatem, et inæqualitatem, ac disproportionem destruit, et ad bene ordinatam identitatem ac rectitudinem informat, ac continet illa quæ jam digna fuerunt ejus participatione. Quin etiam est perfecta, et omnis omnium quæ pulchra sunt possessio, et omnis divina Providentia, quæ contemplatur et conservat ea quibus consulit, seque benigne effert, ad formandam in eis, qui ad Ipsum convertuntur, divinitatem *(scilicet per divinam assimilationem et imitationem).* » (Ibid., cap. 12, § 2 et 3).

§ VII.

De omnibus Dei opificiis juxta Ipsum exemplatis, quantum ad esse.

582. — Omnia divini Artificis opificia, ab Illo ante omnia participant *esse*, non quidem ipsum *Esse* divinum, sed a Deo accipiunt, in propria forma sibi concreata, *esse* particulare, atque analogicum *Esse* divino. Analogice quoque participant divinæ Causæ unitatem, veritatem, bonitatem et pulchritudinem, juxta formam suam substantialem, ac formas accidentales a forma substantiali emanantes, aut ei superadditas. Divini autem Artificis opificia æternis ejus ideis, sive exemplaribus, conformia sunt. Unicum ac supremum omnium Dei operum Exemplar est essentialis ac uniformis ejus Perfectio, quæ multiformiter ab aliis a se repræsentanda intelligitur a Deo; variæ illæ repræsentationes, seu imitationes possibiles et futuræ, a Deo intellectæ, sunt rerum rationes et ideæ. Inde liquet variam omnium rerum similitudinem cum supremo Exemplari, ac proinde omnium rerum perfectionem, ordinem, atque harmoniam fundari in æternis Sapientiæ divinæ ideis.

I.

Omnia Dei opificia ab Ipso participant esse proprium, et divino Esse analogicum.

583. — « Altius itaque repetentes, dicamus, omnibus entibus et ævis esse, ab Eo qui ante Est *(i. e. omnia entia et æva esse ab Eo, qui ante Est);* atque omne ævum ac tempus ex Ipso *(sunt).* Omnis vero ævi ac temporis *(quæ rebus concreantur),* reique cujuslibet Principium et Causa is est, qui præexistit (ὁ προῶν); et cuncta ipsum participant, et a nullo entium recedit; et Ipse est ante omnia, et omnia in Ipso consistunt, et simpliciter, si quid quovis modo est, in Ipso præente tum est *(exemplariter),* tum intelligitur, tum salvatur. Et ante alias ejus *(supremi Entis)* participationes, præsupponitur ipsum Esse, et est ipsum per se Esse *(nempe ipsum Esse et subsistere)* antiquius *(ratione et natura prius)* quam esse per se vitam *(quam esse vivens ex seipso)* et per se sapientiam *(quam esse intelligens ex seipso),* et per se similitudinem divinam *(quam Deo actione propria conformari);* et quæcumque alia participant entia, ante omnia suum esse participant; verum etiam ipsa secundum quæ *(nempe exemplaria creata et secundaria)* sunt omnia quæ ab entibus *(cæteris)* participantur, ipsum per se esse, *(essentiam et subsistentiam)* participant *(a Deo analogice);* et nihil est cujus ipsum per se esse, non sit essentia et ævum *(essentia quæ est in ævo, quum continuo a Deo accipiat esse, sive actum essendi).* » (De Div. Nom., cap. 5, § 5).

« *Similem* vero Deum si quis dicat ut eumdem, et ut totum per totum sibi immutabiliter et individue existentem sibi similem, non est nobis improbandum nomen divinum *similis (quia tunc exprimit perfectam Dei cum seipso identitatem).* »

« Theologi tamen Deum, qui Est super omnia, quatenus Ipse est, nulli similem esse ajunt *(quum sit supremum omnium Exemplar);* sed Ipsum divinam similitudinem dare iis, qui ad eum convertuntur, dum pro viribus imitantur Eum *(qui est perfectus)* super omnem finem et rationem *(creatam).* Atque hæc est vis divinæ similitudinis, ut omnia quæ producta sunt, ad Auctorem suum convertat *(quia omnis effectus causam suam repræsentat).* Ista igitur dicenda sunt similia Deo, atque ad divinam imaginem et similitudinem *(effecta);* minime autem illis Deus similis dicendus est, quia neque homo est propriæ imagini similis. Nam quæ æqualia sunt, possunt quidem sibi invicem esse similia, et reciprocari ad utraque potest ista similitudo, et esse ambo invicem similia, secundum principalem similitudinis speciem; in causa vero ad effectus nequaquam admittimus talem reciprocationem. Non enim solis his, aut illis, dat Deus ut similia sint, sed Causa est cur similia sint omnia, quæ similitudinem ejus participant, et est ipsius cum Ipso similitudinis fundamentum *(cum sit omnium Causa exemplaris);* et quod

est in omnibus simile, vestigio cuidam divinæ similitudinis simile est, et unionem eorum complet. *(Nam universa harmonia oritur ex communi omnium similitudine cum Deo).* »

« Sed quare hæc dicuntur? Ipsa enim Theologia *(Scriptura) dissimilem* Deum esse confitetur, et extra omnium ordinem, tanquam ab omnibus diversum, et, quod magis mirandum est, nihil Ei esse simile dicit. Verumtamen non est contrarius hic sermo similitudini *(omnium cum Deo);* ipsa enim et similia Deo, sunt dissimilia; similia quidem secundum acceptam imitationem *(imperfectam)* Dei, qui perfecte imitari nequit; dissimilia vero secundum causatorum *(effectuum)* a causis differentiam, modis infinitis et incomparabilibus distantem. » (De Div. Nom., cap. 9, § 6 et 7).

II.

Omnia entia creata participant divinæ Causæ Unitatem.

584. — « Nullum est ens expers unitatis, sed quemadmodum omnis numerus unitatem participat, atque unus binarius denariusque dicitur, et dimidium unum, et una pars tertia decimaque, similiter etiam omnia et omnium particula unitatem participat; et quia sunt unum, omnia sunt entia... Neque unquam multitudo *(rerum)* expers est unius, sed ea quæ sunt multa partibus, sunt quid unum toto; et quæ sunt multa accidentibus, sunt unum subjecto *(substantia);* et quæ sunt plura numero vel virtutibus, sunt unum specie; et quæ sunt multa speciebus, sunt unum genere; et quæ sunt multa processionibus, sunt unum principio: et nullum est entium quod non participat unitatem illius *(Dei)*, qui secundum omnia unicus est, et omnia atque tota omnia, et opposita, unice ac antea complexus est. Et sine uno non erit multitudo, sed sine multitudine erit unum, sicut et unitas ante omnem numerum multiplicatum, et si omnibus omnia unita *(omnia inter se collecta)* quis supposuerit, omnia erunt in toto unum *(sicut est mundus universus).* »

« Illud præterea sciendum est, quod secundum uniuscujusque præconceptam *(a Deo)* speciem, uniri dicuntur ea quæ unita sunt, et quod unum *(unitas)* est omnium quasi elementum; et si sustuleris unitatem, neque totalitas, neque particula, neque aliud quidquam in rebus erit; omnia enim in seipsis unum uniformiter præhabent et complectuntur. » (De Div. Nom., cap. 13, § 2).

III.

Omnia entia creata participant divinæ Causæ Veritatem, Bonitatem et Pulchritudinem.

585. — *Veritas* est æquatio rei et intellectus. Ergo veritas omnium rerum consistit in earum æquatione, seu conformitate cum ideis divini Intellectus. Supremus enim Artifex omnia ad extra operatus est juxta æterna Mentis suæ exemplaria. Ergo omnia Dei opificia ideas ejus fideliter repræsentant, ac divinis exemplaribus conformantur. Ergo omnia Dei opificia sunt vera quantum ad *physicum esse* suum. Sed quantum ad *operationem*, creaturæ intelligentes ac liberæ possunt a veritate deficere, non conformando intellectum suum, sive rebus, sive Intellectui divino, in quo sunt omnium rerum rationes. Et sic falli, sive errare possunt. S. Dionysius passim loquitur de hac omnium rerum conformitate cum suprema Forma exemplari, quantum ad esse et operari. Jam vidimus doctrinam ejus de communi similitudine omnium rerum cum Deo, et plura adhuc videbimus, quando agetur de varia ac particulari similitudine rerum cum supremo Exemplari.

Ex omnium entium, sive realium, sive logicorum *veritate*, oritur illorum *bonitas et pulchritudo*, ita ut omnium entium veritas sit fons et fundamentum bonitatis et pulchritudinis eorum. Etenim entia ideo bona sunt et pulchra, quoniam fideliter conformantur bonis ac pulchris supremi Artificis ideis. Multa scripsit S. Dionysius de Bonitate et Pulchritudine Causæ exemplaris ab omnibus suis exemplatis participata. Quædam tantum referemus de hac participatione in genere, sive de universi ordinis et pulchritudinis principiis, quæ ex una eademque Causa profluunt.

« Super omnia entia est Bonum, et quod informe est format... et quæcumque in bono *(creato inveniuntur)* sunt ex rerum informium *(secundum earum materiam, seu potentiam passivam)* supereminente efformatione *(per formas suas intrinsecas, juxta æternas Dei ideas exemplares).* » (De Div. Nom., cap. 4, § 3).

1°) « Nihil est in rerum natura, quin pulchrum et bonum participet... *(Etenim)* hoc unum Bonum et Pulchrum *(divinum)* unice est omnium multorum pulchrorum et bonorum Causa. Ex hoc fluunt rerum omnium substantiales existentiæ; uniones, distinctiones; identitates, diversitates; similitudines, dissimilitudines; communiones contrariorum, rerum unitarum impermixtiones; providentiæ superiorum, mutua consortia rerum quæ sunt ejusdem ordinis, conversiones inferiorum; omnium suimetipsarum conservatrices immuta-

bilesque mansiones ac firmitates *(in suo ordine seu gradu)*; et rursus omnium in omnibus convenientes unicuique communiones, et congruentiæ, inconfusæque amicitiæ, et harmoniæ totius, et in toto proportiones, indissolubilesque entium complexus, et perpetuæ receptiones fiendorum; status omnes motusque mentium *(angelicarum)*, animarum *(humanarum)*, et corporum. Status enim omnibus atque motus *(est illud Bonum)*, quod super omnem statum, et super omnem motum exstans, constituit unumquodque in propria ratione, et movet juxta propriam cujusque motionem. »

« ...In hoc universo, motionum statuumque ac firmitatum causa, et conservatio et finis, est Bonum illud et Pulchrum, quod est super omnem statum ac motum, per quod, et ex quo, et ad quem, et cujus gratia, status omnis et motus existit. Etenim ex ipso, et per ipsum *(sunt)* et substantia, et vita omnis mentis et animæ, atque universæ naturæ parvitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ omnes; et entium analogiæ, et harmoniæ, et proportiones; totalitates, partes, omne unum et multitudo, conjunctiones partium, omnis multitudinis copulationes, perfectiones totorum; qualitates, quantitates; finitum, infinitum; convenientiæ, differentiæ; omnis infinitas, omnis finis, definitiones omnes; ordines, excellentiæ, elementa, formæ; omnis substantia, omnis potentia, omnis actio; omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intelligentia, omnis tactus, omnis scientia, omnis unio; et simpliciter omne quod ex Pulchro et Bono existit *(efficienter)*, etiam in Pulchro et Bono est *(exemplariter)*, et ad Bonum et Pulchrum convertitur *(finaliter)*. » (De Div. Nom., cap. 4, § 10).

2°) In § 2 ejusdem Capitis, docet S. Dionysius angelorum ordines et functiones; item hominum animas earumque facultates; similiter res animatas et inanimatas, esse divinæ Bonitatis participationes, non quod ipsam Dei substantiam participent, sed ejus similitudinem in propriis substantiis, per formas suas.

Idem docet in Cap. 5, § 8: « Atque ex hac omnium Causa sunt intellectiles ac intelligentes deiformium angelorum animarunque essentiæ, ac totius mundi naturæ *(substantiæ)*, et quæcumque vel in aliis existere *(accidentia)*, vel per cogitationem esse dicuntur *(entia logica)*. Equidem sanctissimæ illæ antiquissimæque virtutes *(angelicæ, seu ipsi angeli)* quæ meræ sunt formæ substantiales, et quodammodo in atriis supersubstantialis Trinitatis constitutæ, ab ipsa et in ipsa, tum esse, tum deiformiter esse habent, et post eas inferiores esse inferius *(habent)*, et infimæ esse infimum, quoad angelos quidem *(infimum)*, quoad nos vero supermundiale *(esse superius omnibus rebus, quæ mundum corporeum constituunt)*. Animæ quoque, cæteraque omnia entia, secundum idem Verbum *(per quod Deus omnia intelligit et facit)*, tam esse quam bene esse habent, et sunt et bene sunt, quia ab Eo qui prius Est, et esse et bene esse habent, et in ipso sunt et bene sunt, et ex ipso incipiunt, et in ipso conservantur, et ad ipsum terminantur. »

3°) Subtilissime probat *ipsam primam materiam* non esse malam, sed participare divinam Bonitatem, per formam suam, quæ est et bona est.

« Sed neque tritum illud proverbium *(valet)*: « In materia malum, ut ajunt, quatenus materia est, » nam etiam ipsa pulchritudinis, et ornatus, et formæ habet consortium. Si autem absque his, suapte natura, materia iners est atque informis, quomodo agit aliquid materia, quæ nec pati posse per seipsam habet? Præterea, quomodo materia malum est? Si enim minime et nullo modo est (εἰ μεν γαρ οὐδαμη οὐδαμῶς ἐστιν), neque bonum, neque malum est; sin vero quomodocumque est, quum omnia entia ex bono sint, etiam ipsa ex bono erit, atque ita vel bonum efficit malum; vel malum, quatenus ex bono est, bonum erit; vel malum bonum facit; vel bonum, quatenus ex malo est, malum est. »

« Vel iterum, duo sunt principia, quæ ipsamet ab alio uno dependent capite. Jam vero, si necessariam esse dicant materiam ad completionem universi mundi, quomodo materia malum est? Aliud enim est malum esse, aliud esse necessarium. Quomodo autem ille qui bonus est *(Deus)* aliqua ex malo producit in origine *(rerum)*? aut quomodo malum sit id, quod bono necessarium est? Fugit enim malum naturam boni. Quomodo vero materia naturam gignit ac nutrit, si mala est? Malum enim, inquantum malum est, nihil generat, vel nutrit, vel omnino efficit, vel salvat. Quod si dicant eam quidem in animabus malitiam non progignere, sed ad malitiam eas instigare, quomodo id verum erit? Multæ enim earum versus bonum intuentur. — Quomodo autem id fieri potuisset, si materia prorsus illas ad malum inclinaret? Quamobrem malum in animabus non existit ex materia, sed ex inordinato quodam et peccante motu. Quod si dicant eas omnino sequi materiam, atque materiam illam instabilem iis esse necessariam, quæ in semetipsis consistere non possunt, quanam ratione malum sit necessarium? vel quomodo id, quod necessarium est, sit malum? » (De Div. Nom., cap. 4, § 28).

IV.

De malo in entibus creatis.

1°) De mali origine et natura.

586. — « Bonorum causa una est. Si bonum malo est contrarium, malorum causæ multæ sunt, non tamen efficientes sunt malorum, rationes et potentiæ; sed impotentia, et infirmitas, et permixtio rerum dissimilium incongrua. Neque immobilia, et semper eodem modo se habentia, sunt mala; sed indefinita et indeterminata, et in aliis vagantia, iisque indefinitis. Omnium etiam malorum principium et finis est bonum: boni enim causâ sunt omnia, et quæcumque bona sunt, et quæcumque mala: etenim et hæc agimus bonum cupientes, nam nemo malum sibi proponens *(intendens)* facit quæ facit. Quapropter neque proprium fundamentum habet malum, sed quasi fundamentum, quum boni causâ et non suiipsius fiat. »

« Malum ponitur per accidens, et propter aliud, et non ex proprio principio; ita ut, dum fit, rectum quidem esse videatur, quia boni causâ fit; revera autem rectum non sit, quoniam id quod bonum non est, bonum opinemur. Ostensum est aliud esse quod imperatur *(sive intenditur a voluntate)*, et aliud quod agitur *(præter intentionem)*. Sic ergo malum fit præter viam, et præter scopum, et præter naturam, et præter causam, et præter principium, et præter finem, et præter terminum, et præter voluntatem *(quum fiat sub specie boni)*, et præter subsistentiam. Malum igitur privatio est, et defectus *(boni)*, et infirmitas, et disproportio (ἀσυμμετρία), et error, et frustratio scopi, et pulchritudinis, et vitæ, et mentis, et rationis, et perfectionis, et fundamenti, et causæ, et est interminatum, et sterile, et iners, et imbecille, et inordinatum, et dissimile *(bono)*, et indefinitum, et tenebrosum, et sine subsistentia, et ipsum nullo modo, nulliter, nihil est. »

« Quomodo autem malum omnino potest esse aliquid, etiamsi bono misceatur? Nam quod boni penitus expers est, neque est aliquid, neque aliquid potest. Etenim si bonum (τὸ ἀγαθὸν) et ens est, et appetendum, et validum, et efficax, quomodo potest aliquid id quod bono contrarium est, quum et essentia careat, et voluntate, et potentia, et actione? »

« Non omnibus omnia, et omnino eadem secundum idem mala sunt. Dæmoni malum est contra deiformem mentem esse *(et operari)*; animæ, contra rationem esse; corpori, contra naturam physicam esse. » (De Div. Nom., cap. 4, § 31 et 32).

« Quare nec in dæmonibus, nec in nobis, ita malum est, quasi malum sit res aliqua; sed ut defectus, et carentia perfectionis bonorum propriorum. » (Ibid., § 24).

« Universim malum, ut sæpe diximus, infirmitas est et imbecillitas, et defectus sive scientiæ, sive claræ cognitionis, sive fidei, sive volitionis, sive operationis boni. » (Ibid., § 35).

2°) De mali conciliatione cum divina Providentia.

« Quomodo omnino sunt mala exstante Providentia? Malum, qua malum, neque ens est, neque in entibus. Nullum enim ens Providentiam effugit; neque enim est malum, quod non sit admixtum bono. Quod si nullum ens sit expers boni, malum autem sit defectus boni, et nullum ens omnino privatum sit bono, in omnibus ergo entibus divina quoque Providentia est, nec ens ullum Providentiam effugit; quin etiam iis qui mali facti sunt Providentia benigne utitur ad ipsorum aut aliorum, sive privatam sive communem utilitatem, et proprie singulis entibus providet. Quamobrem vanum sermonem plurimorum non approbamus, qui dicunt Providentiam debere nos, vel invitos, ad virtutem impellere; nam non est Providentiæ naturam violare. Quapropter tanquam Providentia, quæ cujusque naturæ conservatrix est, libero motu præditis, sicut libere se moventibus providet, et similiter universis ac singulis *(prospicit)*, modo qui universo et cuilibet convenit, inquantum eorum, quibus providetur, natura accipit universæ atque omnigenæ Providentiæ beneficia, quæ cuique pro captu suo dantur. » (Ibid., § 33).

§ VIII.

De Dei opificiis juxta ipsum exemplatis, quantum ad operationem.

Scilicet de modo, quo creaturæ rationales, quæ sunt Dei imagines, ab Eo cognitionem et amorem participant.

I.

De intellectu, quem angeli et homines a divino Intellectu participant.

Angeli et homines Intellectui divino conformantur, non solum quoad *esse* suum, inquantum realiter repræsentant ideas divini Artificis; sed possunt quoque *intellectus sui operatione* conformari divino Intellectui, participando ejus ideas, quibus et res et ipsum Deum cognoscunt. Illæ ideæ, a creaturis intelligentibus participatæ, dicuntur in schola *species intelligibiles*, quæ in angelorum intellectu naturaliter inditæ sunt, et ab homine ex rerum sensibilium phantasmatibus abstrahuntur.

1°) De intellectu angelico.

587. — S. Dionysius docet angelos, quum sint puri spiritus, res naturaliter intelligere modo mere spirituali, per species intelligibiles suo intellectui inditas.

« Hierarchia sui participes perficit *(operatione)* divinas imagines, specula clarissima et immaculata receptiva supremæ lucis et supremæ deitatis radii; cujus *indito splendore* sacro plena (της ἐνδιδομένης αὐγῆς ἱερῶς ἀποπληρούμενα), eumdem vicissim sine invidia, in ea quæ ordine sequuntur lucide transfundunt, juxta supremæ Providentiæ leges. » (De Cœl. hier., cap. 3, § 2).

« Quemadmodum sol ille noster, non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat universa quæ quovis modo lucis ejus sunt capacia; sic etim ipsum Bonum *(divinum)*, quod non secus præstat soli, quam archetypum imagini obscuræ, omnibus entibus analogice effundit totius Bonitatis suæ radios. His *(radiis)* constiterunt omnes intellectiles ac intelligentes substantiæ *(angelicæ)*, et virtutes *(earum potentiæ)*, et operationes *(actus)*; per hos *(radios)* sunt, vitamque habent sempiternam et indeficientem, ab omni corruptione ac morte, et materia generationeque expertes, necnon ab instabili fluxaque, quæ in diversa diversimode fertur permutatione semotæ, et tanquam incorporeæ et immateriales intelliguntur, et ut mentes supermundialiter intelligunt *(sine rerum sensibilium adminiculo)*, atque *propriis rerum rationibus illustrantur* (καὶ τοὺς τῶν ὄντων οἰκείως ἐλλάμποντι λόγους), rursumque in ea, quæ illis cognata sunt, sua munera derivant. Mansionem *(quietem)* quoque a Bonitate habent; quin et eorum firmitas hinc pendet, et stabilitas, et conservatio, bonorumque pabulum; et dum illam appetunt, tam ut sint, quam ut bene sint, habent, et juxta illam inquantum possunt *(per formam suam)* exemplantur, et bono conformes sunt, et sibi inferioribus communicant, sicut divina Lex mandat, dona ex supremo Bono in scipsas promanantia. » (De Div. Nom., cap. 4, § 7).

« Angelicæ purgationes, supermundanæ illuminationes, totiusque angelicæ perfectionis consummatio, ex universali Causa fontalique Bonitate proficiscuntur, ex qua etiam ipsa forma bonitatis eis data est, concessumque ut latentem in se Bonitatem *(divinam)* valeant enuntiare, sintque angeli velut interpretes divini silentii, et tanquam clara lumina, quæ in adytis latentem *(Deum)* interpretatione indicant. » (De Div. Nom., cap. 4, § 2).

« Certe angelus est imago Dei, et arcani luminis declaratio, speculum purum, clarissimum, integrum immaculatum, intaminatum, totam in se recipiens, si dicere fas est, pulchritudinem perfectissimi exemplaris (ἀγαθοτύπου) deiformitatis, pureque, quoad fieri potest, in seipso resplendere faciens secretissimi illius silentii Bonitatem. » (Ibid., § 22).

2°) De intellectu humano.

588. — a) S. Dionysius in genere docet, hominem viatorem, et sensibus utentem, res non intelligere nisi modo naturæ ejus compositæ accommodato. Ergo homo non intelligit modo mere spirituali, sicut angeli, sed cognitio ejus est partim materialis et partim spiritualis, inquantum intelligibiles Dei et creaturarum species abstrahit ex rerum sensibilium phantasmatibus, ita ut res spirituales non intelligamus, nisi per res materiales. Ideo Scriptura variis utitur figuris, ut spiritualia facilius a nobis intelligantur.

« Etenim non potest aliter divini Principii radius nobis illucescere, nisi varietate sacrorum operimentorum anagogice *(mystice)* obvelatus, et nobis paterna Providentia connaturaliter et convenienter accommodatus. »

« Quapropter supremus mysteriorum sacrorum Institutor, sanctissimam nostram hierarchiam supermundanâ cœlestium hierarchiarum imitatione dignam censens, prædictas immateriales hierarchias, materialibus figuris et formativis compositionibus variegando transcripsit *(in Libris sacris)*, ut pro nostra cum illis analogia, a sacratissimis fictionibus ad simplices figurarum expertes elevationes et similitudines evehamur; quoniam fieri non potest, ut mens nostra ad immaterialem illam cœlestium hierarchiarum imitationem ac contemplationem intendat, nisi e propinquo, materiali usa fuerit manuductione... Hujus igitur nobis proportionatæ deificationis gratiâ, homines amans (φιλάνθρωπος) et supremus sacrorum mysteriorum Institutor, sive cœlestes hierarchias nobis exhibendo, sive nostram hierarchiam pro captu nostro, deiformis illarum sacrique principatus assimilatione, cooperatricem earumdem initiando, descripsit supercœlestes illas mentes sensibilibus imaginibus, in sacrorum Eloquiorum compositionibus, ut nos per sensilia ad spiritualia eveheret, atque ex sacre effectis symbolis *(elevaret)* ad simplices cœlestium hierarchiarum apices. » (De Div. Nom., cap. 1, § 3).

b) Sanctus auctor speciatim explicat quomodo Deum homo cognoscit. In genere, affirmat hominem non intelligere res divinas, nisi a posteriori, et ex creaturis quæ illum analogice participant. (De Div. Nom., cap. 2, § 7). Deinde docet duos modos quibus Deum cognoscimus.

« Prætera quærendum est, quomodo nos Deum cognoscimus, qui neque sensu percipitur, neque intelligentia, et nihil omnino est ex *(aliis)* entibus. Nonne potius vere dicatur, quod Deum

non cognoscimus ex natura ejus, quæ *(naturaliter nobis)* incognita est, et omnem rationem et mentem superat? Sed ex omnium rerum ordinatione, tanquam ab Ipso nobis proposita, atque imagines quasdam et similitudines divinorum ejus exemplarium habente, ad illud *(Bonum)* quod est ultra omnia, via et ordine, pro viribus ascendimus in omnium ablatione et superlatione, usque ad omnium Causam. Quapropter et in omnibus Deus cognoscitur *(tanquam supremum omnium Exemplar)*; et per scientiam Deus cognoscitur, et per ignorantiam; et est de eo cognitio, ratio, et scientia, et tactus, et sensus, et opinio, et cogitatio, et nomen, et alia omnia *(propter omnium analogiam cum eo)*; et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur *(prout Ipse est)*; nec est aliquid *(aliorum)* entium, nec ex aliquo entium cognoscitur *(prout est)*: et in omnibus omnia est *(eminenter et exemplariter)*, et in nemine nihil *(tanquam forma substantialis)*: et ex omnibus ab omnibus cognoscitur *(tanquam Causa)*, et ex nulla re a nullo *(sicuti Est)*. Etenim hæc recte de Deo dicimus, et ex entibus universis celebratur, secundum omnium analogiam, quorum est Auctor. » (De Div. Nom., cap. 7, § 3). Hæc doctrina latius explicatur in *Mystica theologia*.

c) Tandem loquitur S. Dionysius de supernaturali, simplici et infallibili rerum cognitione per fidem.

« Ratio hæc *(divina)* simplex est, ac vere existens Veritas, circa quam, ut puram et infallibilem universorum notionem, fides divina versatur, quæ est constans fidelium fundamentum, illos fundans in veritate, et veritatem *(fundans)* in ipsis, dum indissuasibili identitate simplicem veritatis cognitionem habent rerum credendarum. Si enim cognitio unit res cognitas cum cognoscentibus, ignorantia vero ignoranti causa est ut semper mutet, atque a seipso discrepet: eum qui credit in veritate, juxta sacrum verbum, nihil a vero fidei fundamento dimovebit, in quo constantiam habebit immobilis et immutabilis identitatis. Probe namque novit quisquis unitus est veritati, quam bene se habeat, quamvis eum multi ut amentem arguant; latet enim illos, ut decet, eum per veræ fidei veritatem ex errore discessisse; ipse autem vere novit se non, ut illi fabulantur, insanire; sed ab instabili mutabilique motione omnimode errantis varietatis, per simplicem veritatem, circa eadem semper et eodem modo se habentem, esse liberatum. — Hoc modo, primi divinæ sapientiæ præceptores nostri pro veritate quotidie moriuntur, testificantes, ut decet, et omni sermone et opere, singularem illam Christianæ veritatis agnitionem, omnium esse et simplicissimam et divinissimam, ipso potius hanc solam esse veram atque unicam simplicem Dei notitiam. » (De Div. Nom., cap. 7, § 4).

II.

De amore, quem creaturæ a divino Amore participant.

1°) De amore a creaturis participato.

589. — In locis sequentibus, S. Hierotheus, a S. Dionysio citatus: a) amorem definit; b) omnes amores distinguit in spiritalem et animalem; c) omnes motu circulari reducit ad supremam omnis amoris Causam.

a) « Amorem, sive divinum, sive angelicum, sive spiritalem, sive animalem, sive physicum *(in rebus sensu destitutis)* dixerimus, unitivam quamdam et commiscentem intelligamus esse vim, *superiora* quidem moventem ad providentiam inferiorum; ea vero quæ sunt ejusdem ordinis *(nempe æqualia)* moventem ad mutuam communicationem; et novissime *inferiora*, ad convertendum se ad præstantiora et præposita. » (Ibid., cap. 4, § 5).

b) « Quoniam ex uno *(Amore divino)* multos amores ordinavimus, ordine dicendo quales sunt mundialium *(creaturarum corporalium)* et supermundialium *(angelicorum)* amorum notiones ac vires: inter illos præcellunt ordines ac distinctiones amorum spiritalium et intellectu præditorum; horum autem illi, qui seipsos *(directe)* intelligunt *(nempe angeli)* et divini sunt *(Deo propinquiores)*, veris pulchrisque amoribus præficiuntur, et a nobis proprie laudantur. — Nunc iterum altius repetentes omnes *(amores)* in unum conjunctumque amorem, et eorum omnium parentem colligamus simul, et conferamus ex multis; primum contrahentes in duas eorum amatorias omnino vires *(spiritales scilicet ac animales)*, quibus omnibus præstat et antecellit incomprehensa illa omnis amoris Causa, quod est omnibus superior, et ad quam tendit, connaturaliter unicuique enti, totalis amor entium universorum. » (Ibid., § 16).

c) « Age vero, his iterum in unum collectis, dicamus amorem unam esse simplicem virtutem, a seipsa moventem ad unitivam quamdam mixtionem ex Bono usque ad extrema entia, et ab illis rursus ordinatim per omnia *(entia)* ad Bonum, ex seipsa, per seipsam, et in seipsa seipsam circulariter revolventem, et ad seipsam semper eodem modo revertentem. » (Ibid., § 17).

2°) De triplici creaturarum ad pulchrum et bonum motu ex amore procedente.

590. — Docet S. Dionysius, omnes creaturas amore compulsas moveri, sive circulariter, sive directe, sive curve ad bonum et pulchrum.

a) « *Divinæ mentes (angelorum)* dicuntur moveri *circulariter* quidem, dum uniuntur principio fineque carentibus splendoribus Pulchri et Boni; *directe* autem, quando ad inferiorum providentiam procedunt, recte omnia dirigendo; curve (ἑλικοειδῶς, *cochleæ seu spiræ instar*) vero, dum inferioribus providentes, inegressibiliter manent in eodem statu contemplationis, indesinenter *(mente)* gyrantes circa ejusdem status causam, quæ est Pulchrum et Bonum *(divinum)*. »

b) « *Animæ* autem *(humanæ)* motus *circularis* est in semetipsam introitus a rebus extraneis, spiritualiumque ipsius potentiarum uniformis convolutio, quæ inerrantiam in quodam motu circulari ipsi tribuit, et a multis rebus extraneis ipsam convertit ac colligit, primum ad seipsam, deinde quasi uniformem effectam simplificat unice unitis potentiis *(in eodem objecto)*, et sic ad Pulchrum ac Bonum manuducit, quod super omnia entia, et unum et idem, et sine principio et fine est. — *Curve* vero anima movetur, inquantum convenienter sibi divinis illustratur notionibus, non simplici mentis intuitu, sed per modum ratiocinationis et explicationis, quasi colligatis et transeuntibus *(successive)* operationibus. — *Directe* autem movetur, quando non ad seipsam ingreditur, neque unico *(simplici)* mentis motu movetur; nam hic motus circularis est, ut dixi; sed ad ea quæ sunt circa seipsam progreditur, et a rebus externis, quasi a quibusdam symbolis diversificatis ac multiplicatis, ad simplices et unitas revocatur contemplationes. »

c) Docet non angelos tantum, et animas humanas, sed etiam *animalia* triplici motu ferri in Bonum et Pulchrum.

« Horum igitur *(nempe angelorum et hominum)*, et etiam *sentientium (animalium)*, in hac universalitate trium motuum, et multo prius unoquoque *(entium creatorum existens)*, et motionum, et statuum, et fundamentorum causa, et conservatio, et finis, est Pulchrum illud et Bonum, quod est supra omnem statum et motum; et ex quo, et ad quem, et cujus gratia, status omnis ac motus existit. » (Ibid., § 10).

§ IX.

De hierarchia, per quam angeli et homines tripliciter ad Dei unitrini assimilationem ordinantur.

591. — *Prænotanda.* Hucusque in libris areopagiticis spectavimus singulas partes operis divini Artificis, juxta pulchras ejus ideas productas, et secundum illius perfectionem exemplatas. Nunc totius Dei operis pulchritudinem contemplemur, atque singulas creaturas admiremur collectas et unitas in mundo universo ad Dei assimilationem ordinato. Supremus Hierarcha est Deus, unus et trinus, supremus Artifex seu prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis, omnia bona in omnibus operans, omniaque opera sua, juxta uniuscujusque naturam perficiens, eaque ipsis cooperantibus dirigens ad suæ Pulchritudinis assimilationem, per triplicem naturæ, gratiæ et gloriæ perfectionem.

Mundus ab uno Hierarcha gubernatus, in præsenti vitæ statu, generalissime dividitur in duas hierarchias, juxta modum quo creaturæ intelligentes divinam Legem et gubernationem, secundum propriam naturam, recipiunt, et ipsæ creaturas sibi inferiores ad bonum gubernant. — Atqui, puri spiritus lumen divinæ Legis accipiunt, et a Deo gubernantur, modo pure spirituali; homines autem, spiritu et corpore compositi, lumen divinæ Legis accipiunt, et a Deo gubernantur, modo spirituali simul et materiali. — Ergo, duplex in mundo nunc distinguitur hierarchia: angelica nimirum et humana. Creaturæ mere materiales, cum intellectu careant, nequeunt divinum principatum participare. Idcirco hierarchiam non constituunt, sed hierarchiæ subjiciuntur, et ad totius mundi perfectionem gubernantur ab entibus intelligentibus. Post mundi consummationem, una tantum ac trina erit hierarchia, nempe cœlestis, composita angelis et hominibus divinam Pulchritudinem contemplantibus, eodem modo, scilicet facie ad faciem.

Quædam referemus ex iis, quæ S. Dionysius sublimiter docet: 1°) de trina hierarchia in genere; 2°) de trina hierarchia angelica; 3°) de trina hierarchia terrestri, seu ecclesiastica.

I.

De trina hierarchia in genere.

1°) De hierarchiæ definitione, continente trinum ejus elementum et scopum.

592. — « Est hierarchia, meo quidem judicio, *ordo* sacer, et *scientia*, et *actio* ad deiformitatem pro viribus assimilata, et juxta inditas ipsi divinitus illuminationes, analogice ad Dei imitationem evecta. — Equidem ea, quæ Deum decet Pulchritudo, ut simplex, ut bona, ut perfectionis Principium, nulli omnino est admixta dissimilitudini *(inæqualitati)*, sed secundum cujusque dignitatem lumen conveniens impertitur, et in mysterio divinissimo *(per gloriam)* consummat eos, qui ad suiipsius exemplar har-

monice perficiuntur immutabili formatione. » (De Cœl. hier., cap. 3, § 1).

« Principium hujus hierarchiæ est fons vitæ, essentia Bonitatis, una entium omnium Causa Trinitas, ex cujus Bonitate entia sunt et bene sunt. » (De Cœl. hierarch., cap. 1, § 3).

In secunda parte prioris loci, docet S. Dionysius divinam Pulchritudinem, sive Essentiam esse unicum omnium rerum Exemplar, quia nulla est in ea inæqualitas nec diversitas, sed diversimode rebus creatis, juxta variam earum formam, communicare analogicam similitudinem unicæ Perfectionis suæ, ad instar solis, cujus unica lux varie recipitur in corporibus, juxta naturam eorum, ita ut corpora eadem luce varie illuminentur.

Tandem pergens indicat *finem* hierarchiæ. « Scopus igitur hierarchiæ est assimilatio et unio cum Deo, pro cujusque captu. » (Ibid., § 2). Et alibi: « Satis superque jam a nobis dictum existimo, omnis hierarchiæ scopum ex divina deiformitatis imitatione constanter dependere. » (Ibid., cap. 7, § 2).

Quærit D. Thomas, in 2 Sent., dist. 9, art. 1, utrum hierarchiæ definitio data a S. Dionysio sit conveniens. — *Respondet:* « Cum hierarchia significet sacrum quemdam Principatum, in omni autem principatu requiratur gradus potestatis et finis, in sacro Principatu oportet hujusmodi sacra esse et divina. Et ideo, sicut in sæculari principatu, finis est ut subjecta multitudo pacifice disponatur ad bonum a principe intentum, (sicut patet in exercitu, qui, secundum Philosophum, ordinatur ad bonum ducis, sicut ad ultimum finem, 12 Metaph., text. 2): ita oportet in sacro Principatu finem esse assimilationem ad Deum. Hunc autem finem non possunt angeli consequi, nisi per ordinatam actionem, ad quam ordinatur ordinata potestas, et scientia dirigens; et ideo in definitione hierarchiæ ponitur *ordo*, in quo exprimitur gradus potestatis; et *scientia*, sicut dirigens; et *actio* sicut ad finem inducens, et *Dei similitudo*, sicut finis intentus. Cum autem finis sit causa causarum, ideo definitio, quæ sumitur ex fine, formalior est inter omnes demonstrationes, et medium demonstrans eas; et ideo illa descriptio: hierarchia est *ad Deum unitas et similitudo*, est quasi definitio, quæ est medium demonstrationis. Hæc autem: *hierarchia est ordo, et scientia, et actio*, si nihil addatur, est quasi demonstrationis conclusio, quia includit principia essentialia hierarchiæ; unde Dionysius eam ex prædicta concludit. Sed illa, quæ posita est hîc initio Capitis, perfecta est, quia comprehendit utramque, unde est quasi demonstratio positione differens. »

2°) De hierarchiæ ordinatione ad Dei assimilationem, et de trino ejus actu, scilicet purgatione, illuminatione ac perfectione.

593. — « Satis superque jam a nobis dictum existimo, omnis hierarchiæ scopum ex divinæ deiformitatis imitatione pendere, omnemque functionem hierarchicam dividi in sacram participationem *(passivam)*, et collationem *(activam)* purissimæ *purgationis*, et divini *luminis*, et *perfectivæ scientiæ*. » (De Cœl. hier., cap. 7, § 2).

« Scopus igitur hierarchiæ est assimilatio et unio cum Deo, pro cujusque captu: quæ *(hierarchia)* cum habeat omnis sacræ scientiæ et operationis ducem *(Deum)*, ad divinissimam ejus Pulchritudinem constanter intuendo, eam quoad potest repræsentat, et sui participes perficit *(operatione)* divinas imagines speculaque clarissima et immaculata *(angelos)*, quæ primæ lucis summæque deitatis radium excipiunt, et in ea quæ ordine sequuntur, sine invidia transfundunt. Neque enim licet sacris initiatoribus *(membris hierarchiæ superioribus et illuminantibus)*, vel sacris initiatis *(membris inferioribus et illuminatis)*, quidquam prorsus operari contra sacras proprii ordinis sui constitutiones; imo nec aliquid contra moliri, si divinam ejus appetant claritatem, et ad illam sancte, ut decet, aspiciant, atque exemplentur juxta cujusque sacrarum mentium analogiam. »

« Itaque qui hierarchiam nominat, aliquam omnino sacram designat dispositionem, divini principii Pulchritudinis imaginem, ordinibus scientiisque hierarchicis propriæ illuminationis mysteria celebrantem, atque proprio principio conformem, juxta divinam Legem. Etenim cujuslibet divinam hierarchiam participantium perfectio in hoc consistit, ut juxta propriam analogiam, ad divinam imitationem promoveatur, et quod omnium divinius est, Dei cooperator fiat, quemadmodum Eloquia *(libri sancti)* loquuntur, et ostendat divinam operationem in seipso, quoad potest, apparentem: quippe cum in hoc sit hierarchiæ ordo, ut hi *purgentur*, et illi *purgent;* — hi *illuminentur*, illi *illuminent;* — hi *perficiantur*, et illi *perficiant*, juxta modum, quo unicuique congruit Dei imitatio. »

« Divina autem Beatitudo, ut more hominum loquar, expers quidem est omnis dissimilitudinis *(quum perfecta in ea sit æqualitas et identitas)*; plena vero lucis sempiternæ, perfecta et nullius indigens perfectionis, *purgans* et *illuminans*, et *perficiens;* vel potius est ipsa *purgatio* sacra, et *illuminatio* et *perfectio (quum divina operatio sit ipse Deus)*, supra purgationem *(a causis secundis procuratam)*, supra illuminationem, præperfecta, Principium per se perfectionis, et universæ quidem hierarchiæ Causa,

sed tamen ab omni re sacra secundum excellentiam suam exempta.» (De Cœl. hier., cap. 3, § 2).

3°) De trium actuum hierarchicorum effectibus et exercitio.

594. — « Oportet igitur, ut arbitror, eos qui *purgantur*, puros effici omnino, atque ab omni dissimilitudinis *(a Deo)* commixtione liberari; eos vero qui *illuminantur (oportet)* divino lumine repleri, ad contemplativum ordinem *(statum)* et virtutem castissimis mentis oculis evehendos; denique eos qui *perficiuntur (oportet)* ab imperfectione translatos, participes fieri perfectivæ scientiæ sacrarum rerum, quas contemplati sunt. »

« *Purgatores* vero oportet abundantiâ purgationis aliis communicare propriam puritatem; *illuminatores* autem, utpote præditos mentibus perspicacioribus, et ad recipiendum vel communicandum lumen idoneis, et beatissime sacro completos splendore, *(oportet)* exundans undique lumen in ea dignos transfundere; denique *perfectores*, tanquam perficientis scientiæ peritissimos, *(oportet)* perficere perficiendos sacrosancta doctrina scientiæ rerum sacrarum, quas contemplati sunt. »

« Quilibet igitur hierarchicæ distinctionis ordo, juxta propriam analogiam *(cum Deo)*, elevatur ad divinam cooperationem, ea perficiens, per gratiam et virtutem a Deo datam, *(opera)* quæ supremæ deitati naturaliter *(Deo)*, et supernaturaliter *(creaturis)* insunt, et ab illa supra-substantialiter aguntur, et ad cuique congruam mentium Dei amicarum *(angelorum)* imitationem hierarchice in lucem eduntur. » (Ibid., § 3).

Notandum est, tres actus hierarchicos a S. Dionysio descriptos, producere tres pulchritudinis conditiones a S. Thoma indicatas. *Purgatio* enim producit integritatem ab omni macula, sive defectu; *illuminatio* producit claritatem; *perfectio* consistit in unione, sive in harmonia cum Deo. Angeli igitur et homines, qui hierarchiam participant, gradatim et miro ordine, pulchri efficiuntur, ad imitationem supremæ Dei Pulchritudinis, omnium Exemplaris.

II.

De trina hierarchia angelica.

1° De novem angelorum ordinibus, qui terni in tribus hierarchiis distribuuntur.

595. — Sublimis Areopagita docet: 1°) solum Deum exacte nosse, quæ ad omnes angelorum ordines spectant; 2°) novem ordines angelorum in tres hierarchias esse distributos; 3°) loquitur de tribus ordinibus, quos complectitur quælibet hierarchia.

a) « Quanti sint, et quales supercœlestium substantiarum completi ordines, et quomodo secundum illos hierarchiæ perficiuntur, solum exacte nosse dico divinum et supremum perfectionis earum Principium; insuper *(dico)* ipsos *(solos angelos)* in se intelligere proprias vires et illustrationes; atque sacram suam et supermundialem ordinationem. Impossibile est enim nos scire supercœlestium mentium mysteria, et sanctissimas illarum perfectiones, nisi illa explicet aliquis quæ suprema deitas nobis revelavit, per ipsos *(angelos)* propria bona pulchre cognoscentes. Igitur nos quidem nihil proprio motu dicemus, sed quæ de angelicis spectaculis sacri theologi contemplati sunt, hæc nos edocti, pro viribus exponemus. » (De Cœl. hier., cap. 6, § 1).

b) « Divinus sermo omnes cœlestes substantias appellavit novem nominibus illas manifestantibus: has divinus noster ad sacra mysteria initiator *(S. Paulus, vel S. Hierotheus)* in tres ternarias distinxit distributiones *(scilicet in tres hierarchias, quæ tres ordines singulæ continent)*. Et primam quidem illam esse dicit, quæ circa Deum assiduo versatur, et propius ei, et præ cæteris immediatius uniri traditur: sanctissimos enim *Thronos*, et pluribus oculis, alisque præditos ordines, *Cherubim* et *Seraphim* hebraico vocabulo nominatos, immediate circa Deum, ante alios eminenti propinquitate locatos esse, sacrorum Eloquiorum asserit *(S. Hierotheus)* explanatione comprobari. Hanc igitur ternariam distributionem, ut unam, et æqualem, et vere primam hierarchiam, inclytus dixit præceptor noster, qua non est altera deiformior, et primoribus supremæ Deitatis illuminationibus immediata conjunctione propinquior. — Secundam vero esse dixit illam, quæ *Potestatibus*, et *Dominationibus*, et *Virtutibus* completur. — Tertiam denique, eamque cœlestium hierarchiarum ultimam esse dicit *Angelorum*, et *Archangelorum*, et *Principatuum* distributionem. » (Ibid., § 2).

c) Docet primo: Quid *Cherubim*, *Seraphim* et *Throni* significent; — quanta sit primæ hierarchiæ dignitas, contemplandi vis, atque perfectio; — quomodo inferiores a superioribus, et supremi ab ipso Deo initientur, et quanta reverentia suas quisque illustrationes excipiat; — quid supremi illi spiritus agant. (Ibid., cap. 7).

Secundo explicat quid significent *Dominationes*, *Virtute* ac *Potestates*; et quanam ratione media ista hierarchia initietur, seu illustretur. — Exemplo declarat quomodo illustratio a superioribus spiritibus ad inferiores derivetur.

Tertio exponit quid significent *Principatus*, *Archangeli* et *Angeli*, et quodnam sit horum officium. — Ostendit Angelis non imputandum esse, quod aliqui sub illorum directione non profi-

ciant: illos enim et Deum, ex parte sua, nemini deesse exemplis probat.—Declarat divinam erga nos Providentiam, et quo sensu Israel peculiariter pars Domini dictus sit.

2°) De trina et hierarchica angelorum actione ad invicem, videlicet de purgatione, illuminatione et perfectione.

596. — a) « Sed objicies in cœlestibus hierarchiis non esse omnino ordines qui purgantur; nefas enim et falsum est dicere cœlestem quampiam distinctionem esse sceleri obnoxiam. — Ego vero, nisi a sanctissima mente prorsus aberrem, omnino affirmo cœlestes ordines esse penitus immaculatos, atque supramundialiter omnem habere puritatem. Nam si quis angelorum in malitiam prolapsus est, continuo etiam a cœlesti illa purissimaque divinarum mentium harmonia defecit, atque ad obscuram apostaticarum turbarum pertinet. Sancte tamen dicere licet de cœlestibus hierarchiis, quod purgantur inferiores substantiæ divina illustratione rerum, quas hactenus ignorarunt; hac enim, et ad perfectiorem rerum divinarum scientiam adducuntur, et a rerum, quarum hucusque scientia caruerunt, ignoratione quodammodo purgantur, dum a primis et divinioribus substantiis ad sublimiores clarioresque divinarum contemplationum illustrationes promoventur. »

« Sic et in cœlesti hierarchia, ordines sunt, qui purgantur, qui illuminantur et qui perficiuntur, sicut ordines qui purgant, et qui illuminant, et qui perficiunt, ita ut substantiæ, quæ supremæ sunt ac cæteris diviniores, *purgent* subordinatos sibi sacros cœlestesque gradus, ab omni quidem ignoratione, juxta ordines et analogias cœlestium hierarchiarum; impleant vero ipsos divinissimis *illustrationibus; perficiantque* sanctissima thearchicarum intelligentiarum scientia. »

« Etenim jam a nobis dictum est, et ab Eloquiis divinis pronuntiatum, non eosdem esse omnes cœlestes ordines, in omnibus istis sacris divinarum illustrationum scientiis, sed ex Deo quidem immediate primas, per illas autem rursum ex Deo inferiores, modo sibi analogico illuminari lucidissimis thearchici radii splendoribus. » (De Eccl. hier., cap. 6, § 6).

b) « Conclusum est igitur a nobis, quomodo illa antiquissima, quæ Deo præsto est, mentium *(angelicarum)* completa distributio, ab ipsa primitus initiante illuminatione *(divinâ)* consecrata, immediate illi intendendo, secretiore simul et manifestiore divini Principii illustratione *purgetur*, et *illuminetur*, et *perficiatur*. *Secretiore* quidem, tanquam spiritaliore, et simplifica, et unifica; *manifestiore* autem, tanquam primo datâ, et primo lucente, et universaliore, et intimius infusâ utpote translucidiori. »

« Ab hac *(primâ)* autem iterum secunda analogice, et a secundâ tertia, et a tertiâ nostra hæc hierarchia promovetur, per divinam harmoniam et analogiam, ad supremum omnis bonæ ordinationis Principium et terminum, juxta ipsam pulchræ constitutionis *(mundi)* Legem *(æternam)*. »

« Singuli autem ordines sunt interpretes et nuntii eorum, qui illos præcedunt *(superiorum)*: primi quidem illi *(sunt nuntii)* Motoris sui Dei; cæteri autem analogice *(nuntii sunt)* motorum a Deo. Tantopere enim illa supersubstantialis omnium harmonia *(divina)* providit pulchro rationalium *(hominum)* et intelligentium *(angelorum)* ordini et constitutæ gubernationi, ut et ipsa sanctos singularium hierarchiarum ordines statuerit, atque omnem hierarchiam videamus in primas, et medias, et postremas virtutes distributam. Quinimo ipsum quemlibet, ut proprie dicam, ordinem iisdem divinis harmoniis distinxit; propterea ipsos etiam divinissimos Seraphim theologi alterum ad alterum clamare dicunt, manifeste per hoc, ut puto, volentes declarare, quod primi secundis communicant divinas suas cogitationes. » (De Cœl. hier., cap. 10, § 1 et 2).

3°) De angelicæ hierarchiæ relatione cum hierarchia terrestri, seu humana.

597. — « Si quis autem asserat immediatas factas fuisse quibusdam Sanctis theophanias, discat etiam hoc aperte ex sacrosantis Eloquiis, ipsum illud, quod Dei est occultum, neminem vidisse (I. Joan. 4, v. 12), neque visurum esse; theophaniæ vero Sanctis factæ sunt secundum manifestationes Deo dignas, per aliquas visiones sacras, et videntibus analogas. Omnisapiens autem Theologia visionem illam, quæ in seipsa manifestatam ostendebat divinam similitudinem, tanquam in figura eorum quæ figura carent, propter intuentium adductionem ad Deum, convenienter vocat theophaniam *(Dei apparitionem)*; quoniam divinam illuminationem videntibus immittit, et aliquid eos de divinis sacre docet. His visionibus præclari illi Patres nostri ad divina mysteria initiabantur mediantibus cœlestibus virtutibus *(angelis)*. Nonne etiam sacram Legis dispositionem inde *(per angelos)* a Deo fuisse Moysi revelatam, divina Eloquia tradiderunt? (Numer. 9 et Act. 7, v. 53) ut vere nos docerent, illam esse divinæ et sacræ Legi *(æternæ, et legi angelicæ hierarchiæ)* conformem? »

« Docet quoque sapienter Theologia, Legem per angelos ad nos dimanasse, quasi id ordo divinæ Legis sanxerit, ut per priora, posteriora ad divinum numen adducantur. Etenim non solum superioribus et inferioribus mentibus, sed etiam

æqualibus lex ista definita est a suprasubstantiali supremoque omnis ordinis Principio, ut secundum quamlibet hierarchiam essent primi, et medii, et ultimi ordinis ac potentiæ *(perfectibiles et perfectivæ)*, atque diviniores minoribus mystæ *(initiatores)* essent ac manuductores ad divinum accessum, et illuminationem, et communionem. » (De Cœl. hier., cap. 4, § 3).

Accessus ad Deum fit per purgationem; deinde homo purgatus illuminatur; et demum perficitur in unione cum Deo.

S. Dionysius idem argumentum de relatione angelorum cum hominibus prosequitur in § 4, ostendendo mysterium Incarnationis Verbi ab angelis primum fuisse B. Mariæ annuntiatum, et Christum ipsum, qua hominem, fuisse subjectum angelorum gubernationi.

III.

De trina hierarchia terrestri, seu ecclesiastica.

598. — Supremus Princeps omnis hierarchiæ, tam humanæ quam angelicæ, est Deus, unus Essentiâ, et trinus personis: Pater, Verbum incarnatum et Spiritus sanctus. Divina illa Trinitas est Ordo per se, perfectissimus et æqualis, a quo, per quem et ad cujus assimilationem analogice atque inæqualiter ordinantur omnes creati ordines, ita ut in omnibus distinguantur supremi, medii et ultimi gradus perfectionis, seu similitudinis cum Deo, uno et trino, per naturam, gratiam et gloriam. — Cuncti creaturarum ordines, in præsente mundi statu, reducuntur ad tres angelorum hierarchias, in tres ordines inæqualiter subdivisas, et ad unicam hierarchiam humanam, sive *Ecclesiam*, in qua omnes homines ad perfectionem et beatitudinem *supernaturalem* ordinantur, mediantibus angelis in cœlo, atque Pontificibus, Sacerdotibus et Ministris in hac terra. — Ad *naturalem* vero ac temporalem beatitudinem in societate obtinendam, homines ordinantur in *Civitate*, mediantibus in terra ministris civilis potestatis, qui a Deo obligantur Ecclesiæ jura tueri contra violentiam, eique subordinari, non in rebus mere civilibus, sed in omnibus rebus ad fidem et mores pertinentibus. Vicissim Ecclesia jura principum tuetur contra errores sociales. Socialis progressus obtineri nequit, nisi per distinctionem et unionem Ecclesiæ ac Civitatis.

S. Dionysius non loquitur nisi de hierarchia Ecclesiæ in hac terra *militantis*. In hierarchia ecclesiastica, sicut in hierarchia angelica, tria distinguit principia: ordinem, scientiam et actionem. Actio autem est trina, atque ad divinam similitudinem ordinata: scilicet purgatio, illuminatio et perfectio. Actio illa hierarchica est penes Ministros Ecclesiæ, qui vi potestatis supernaturalis, qua pollent, homines purgant, illuminant et perficiunt exercitio ministerii sui, et præsertim Sacramentorum dispensatione.

Sanctus auctor hanc materiam tractat in septem Capitibus. Agit primo de ipsa hierarchia, et dein de præcipuis hierarchiæ Sacramentis, scilicet de Baptismo, Eucharistia, de sacro Unguento et variis unctionibus, de Ordine ac demum de cura mortuorum.

Paúca tantum referemus: 1°) de trino hierarchiæ ecclesiasticæ ordine in genere; 2°) de trina hierarchiæ ecclesiasticæ actione.

1°) De trino hierarchiæ ecclesiasticæ ordine in genere.

599. — a) **De hierarchiæ ecclesiasticæ notione et origine.**

« Omnis hierarchia est, juxta venerandam nobis sacrosanctam traditionem, universalis rerum sacrarum ei subjectarum ratio, seu generalissima summa rerum sacrarum, quæ sub ordinem cadunt... Principium hujus hierarchiæ est fons vitæ, essentia Bonitatis, una entium omnium Causa Trinitas, ex cujus Bonitate entia sunt et bene sunt. Huic autem omnibus supremæ divinissimæque beatitudini, huic trinæ Unitati, quæ per Essentiam est, modo quidem nobis incomprehenso, ipsi autem notissimo, Voluntas est rationalis *(et libera)* salus substantiarum, quæ juxta nos et supra nos sunt *(nempe vult salutem hominum et angelorum)*; hæc vero salus non aliter obtingere potest nisi deificentur salvati. Illa autem deificatio est assimilatio et unio cum Deo, inquantum fieri potest. Omnis ergo hierarchiæ hic est finis communis, attenta erga Deum et res divinas *dilectio*, divinitus infusa et in unione cum Deo consummata; et antea omnimoda et irrevertibilis *aversio* ab iis quæ huic unioni contraria sunt, *cognitio* entium qua entia sunt *(nempe rerum cognitio juxta scientiam divinam, quæ est Causa rerum)*, sacræ veritatis visio et scientia, uniformis perfectionis intima et divina *participatio (analoga)*, *intuitionis fruitio* nutriens mentaliter et deificans eum omnem, qui in ipsam intentus est. » (De Eccl. hier., cap. 1, § 3).

Ibidem, § 2, asserit Verbum incarnatum, esse Principium et finem omnis hierarchiæ; nam, in Ordine increato, supremo et æquali, Christus tenet medium, ad quod omnes creaturæ ordinantur. Omnia enim a Patre facta sunt per Verbum, et juxta Verbum suum, in Spiritu sancto. In ordine autem creato, Christus tanquam homo spectatus, tenet medium, ad quod referuntur creaturæ superiores et inferiores, quas in sua

substantia conjungit analogice. Jure igitur illum invocat S. Dionysius, de ecclesiastica hierarchia locuturus.

« Nunc vero nostram hierarchiam, ejusque originem et essentiam, prout potero, exponere conabor, omnium hierarchiarum Principio et consummatione Jesu invocato. »

b) **De triplici hierarchiæ ecclesiasticæ ordinatione in genere.**

« Nunc opportunum est exponere ipsos sacros ordines et completiones, potentiasque eorum et actiones et perfectiones, et triadem superiorum ordinum, ut ostendatur nostræ hierarchiæ pulchritudo, quæ ex una parte, quidquid inordinatum est, et incompositum, et confusum, pure segregat et ablegat; atque ex altera parte decorem, et ordinem, et constantiam exhibet in sacrorum ordinum suorum analogiis cum ipsa. » *(Omnes enim ordines analogiam inter se habent et cum Ordine divino).*

« Hanc quoque trinam omnis hierarchiæ divisionem pulchre, ut opinor, exposuimus in hierarchiis jam a nobis celebratis, quando diximus quomodo omnis hierarchica operatio traditionis sacrorum apud nos dividitur in divinissima mysteria, et in sapientes ad illa initiatores a Deo inspiratos, et in eos qui ab illis sacre initiantur. » (De Eccl. hier., cap. 5, § 1).

Divisionem illam, ab ipso auctore indicatam, adhibuimus in hoc Capite, quod doctrinam ejus de Ecclesiastica hierarchia refert.

c) **De analogica hierarchiæ Ecclesiæ Christianæ, in hac terra, relatione cum hierarchia mosaica et angelica.**

Sanctus auctor docet quomodo fiat divinorum mysteriorum initiatio in *cœlesti* hierarchia, modo scilicet mere spirituali; atque in *mosaica* hierarchia facta sit mediantibus angelis, modo sensibili et figurante nostram hierarchiam, quæ illius erat archetypum. Deinde asserit hierarchiam *Christianam* medium tenere inter utramque, quoniam sacrorum initiatio fit in ea, modo spirituali simul et sensibili. Ipsum audiamus loquentem de Mosaica, seu legali, et de Christiana hierarchia.

« Hac autem secundum Legem hierarchiâ, fiebat sacra ad spiritalem cultum evectio: manuductores *(initiatores)* apud eam fuerunt ii, qui sacri illius tabernaculi ritum a Moyse didicerunt, primo Legis pontificum doctore ac duce. Hic sacri illius tabernaculi cultum instituendum describens secundum Legem hierarchicam: ad imaginem exemplaris *(typi)* sibi monstrati in monte Sina, revocabat omnia sacra quæ juxta Legem fiebant. Initiabantur autem ii, qui a legalibus symbolis analogice ad sacratiorem scientiam promovebantur. »

« Sacratiorem vero scientiam Theologia *(Sacra Scriptura)* nostram vocat hierarchiam, hanc illius completionem nominando et sacrum finem. Est autem *(nostra hierarchia)* et cœlestis, et legalis communione quadam mediæ conditionis suæ, qua communicat extremis: cum illa *(hierarchia cœlesti)* vero sensibilium varietate symbolorum, per quæ etiam ad divinum Numen evehitur. Triplicem etiam habet hierarchicam distributionem, quatenus dividitur in sanctissimas mysteriorum cæremonias, et in deiformes sacrorum ministros, et in illos qui ab his ad sacra cuique congruentia promoventur. »

« Quælibet autem ex tribus hierarchiæ nostræ partitionibus, ad similitudinem hierarchiæ legalis, et ejus quæ nostra hac divinior est, statuitur prima, et media, et extrema, fundata in virtute sacræ analogiæ, et pulchri universorum ordinis, et harmoniæ in ordine, et connectentis omnia communitatis. » (De Eccl. hier., cap. 5, § 2).

Etenim in legali, et cœlesti, et ecclesiastica hierarchia inveniuntur purgatio, illuminatio et perfectio; purgantes illuminantes et perficientes; purgati, illuminati et perfecti.

Omnis hierarchia tripliciter et inæqualiter ordinatur ad varie repræsentandam æqualem perfectionem Dei, unius et trini, qui supremum est omnium Archetypum.

Perfectior illius repræsentatio est hierarchia cœlestis, deinde hierarchia ecclesiastica in hac terra, denique hierarchia legalis.

Ergo cœlestis hierarchia est exemplar secundarium ecclesiasticæ; et ecclesiastica, legalis.

2°) De trina hierarchiæ ecclesiasticæ actione.

600. — a) **De purgatione, illuminatione et perfectione,** quæ per hierarchiæ ministros superiores, medios ac inferiores, peragitur in favorem suorum subditorum.

« Sanctissima *mysteriorum sacrorum* operatio *primam* quidem deiformem potestatem habet, quæ profanos sacre purgat; *mediam* vero, quæ purgatos illuminando initiat *(ad divina mysteria); postremam* demum et priorum recapitulationem *(sive summam)*, quæ initiatos in scientia propriarum initiationum perficit. »

« Itaque *sacrorum ministrorum* ordo, in *prima* quidem potestate, per sacra purgat profanos; in *media* vero, illuminat purgatos; in *ultima* demum ac suprema sacrorum ministrorum potestate, divini luminis participes consummat in perfecta visarum illuminationum scientia. »

« Eorum vero *qui initiantur*, potentia *prima* quidem est quæ purgatur; *media* vero, quæ post purgationem illuminatur, et quædam sacra contemplatur; *ultima* tandem, cæterisque divinior, quæ sacrarum illuminationum, quarum facta

est contemplatrix, consummante scientia resplendet. »

« Nunc autem exponenda est distinctio sacerdotalis, quæ in ordinem purgantem, et illuminantem et perficientem dividitur. »

« Hæc est lex sacrosancta divini Principatus, ut per prima, ad divinissimam summi Principii lucem, adducantur ea quæ sequuntur. Nonne etiam sensibiles elementorum substantias videmus primum ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, et per illa propriam efficacitatem ad alia derivare? Merito igitur Principium et fundamentum *(nempe divina perfectio)* omnis invisibilis et visibilis pulchritudinis, deificos suos radios primum pervenire concedit ad eos qui deiformiores sunt, atque per illos, tanquam translucidiores spiritus, et ad accipiendum ac transmittendum lumen magis idoneos, analogice illucescit et manifestatur inferioribus. Istorum igitur est, qui primi divina contemplantur, sequentibus ostendere sine invidia, juxta cujusque capacitatem, divina spectacula sibi sacrosancte perspecta; docere quoque res hierarchicas, eorum est, qui per scientiam perficientem pulchre initiati sunt ad divina sacri ordinis sui mysteria omnia, et consummatam initiandi alios virtutem acceperunt; tradere vero pro dignitate sacramenta, illorum est, qui scite atque integre participant sacerdotalem initiationem. » (De Eccl. hier., cap. 5, § 3 et 4).

b) **De tribus Pontificum, Sacerdotum et Diaconorum ordinibus, qui subditos sibi fideles purgant, illuminant atque perficiunt.**

601. — « Demonstrandum est igitur *Pontificum* quidem ordinem perfectivum esse et perficientem; *Sacerdotum* autem, esse illuminativum et illuminantem; *Diaconorum* tandem, esse purgativum et discretivum. Si quidem *ordo pontificius*, non perficiendi tantum, sed et illuminandi simul atque purgandi potestatem habet, ac potestas *Sacerdotum*, præter illuminandi scientiam, purgandi quoque continet facultatem. »

« Verum inferiores ordines ad superiorum functiones transilire nequaquam possunt, quia non licet eos ad tantam arrogantiam devenire; ordines vero qui diviniores *(superiores)* sunt, præter proprias facultates, inferiorum quoque sacras scientias perfectione sua continent. Et quum sacerdotales ordines sint analogice imagines divinarum operationum, quia in se exhibent graduas illustrationes pulchri et distincti ordinis divinarum operationum *(ad extra)*, distributæ sunt in primas, et medias, et ultimas functiones sacras et ordines in hierarchicis distinctionibus; quoniam, sicut dixi, in seipsis manifestant divinarum operationum ordinem et distinctionem. Quum enim illa suprema Deitas mentes eas, in quibus illabitur *(per gratiam)*, primum purgat, deinde illuminat, ac demum illuminatas ad deiformem promovet perfectionem: similiter hierarchia divinarum imaginum seipsam distinguit in diversos ordines et potestates, aperte demonstrans thearchicas operationes in sanctissimis ac purissimis ordinibus constanter atque distincte consistere. » (Ibid., § 7).

c) **De triplici ordine fidelium, qui purgantur, illuminantur et perficiuntur.**

602. — *Primo purgantur ministerio Diaconorum* cathecumini, peccatores, energumeni et pœnitentes, qui a sacris arcebantur, ut cap. 3 de Eccl. hier. declaratum est, donec sufficienter a Diaconis fuerint expiati. Etenim ex hoc loco S. Dionysii, D. Thomas docet (3. q. 64, art. 1, ad 1^{um} et q. 67, art. 1) quod in Ecclesiæ initio ad Diaconos pertinebat munus expiandi, id est ejicere immundos, et fideles disponere per exhortationes, ut a Sacerdotibus illuminarentur, ac digne Sacramenta perciperent.

Quomodo autem fiebat purgatio illa, tradit S. Dionysius in Cap. 6 de Eccl. hier., § 1.

Secundo, illuminantur ministerio Sacerdotum laici, qui Baptismo tantum initiati sunt: hi enim medii sunt inter eos qui purgantur ad Baptismum, et inter Communicantes qui perficiuntur. Hunc autem ordinem plebis sanctæ et contemplativæ vocat S. Dionysius; quia nimirum ad contuitum divinorum symbolorum admittebatur, cum sit ad illuminandum Sacerdotibus commissus, ut fiat aliquarum intelligentiarum pro captu suo et dignitate particeps, quod etiam nunc per Sacerdotes in concionibus et catholicis institutionibus fit, quæ non debent nimis esse sublimes, sed ad piæ plebis captum accommodatæ, ut sic S. Dionysius commendat. Hæc Corderius in cap. 1 de Eccl. hier., § 2.

Tertio perficiuntur ministerio Episcoporum præcipue Monachi, qui sublimiorem doctrinam a Pontifice edocebantur, quamvis non a Pontifice, sed a Sacerdote consecrarentur. Ipsum S. Dyonisium audiamus.

« Supremus vero omnium qui perficiuntur est ordo sacer Monachorum, quum et omni purgatione, tota vi et omni actionum sanctimonia sit purgatus, et omnis mysterii, quod ei licet aspicere, spectatur ac particeps sit factus, et perficienti Pontificum potestati commissus, et divinis illuminationibus pontificiisque institutis eruditus ad consecrationes mysteriorum ad se spectantium, et a sacra Pontificum scientia ad perfectissimam perfectionem analogice erectus. — Hinc sancti præceptores nostri divinis appellationibus eos prosecuti sunt: alii quidem Therapeutas *(cultores)* nominantes, alii vero Monachos; sive a sincero Dei zelo atque cultu, sive ab in-

divisa et simplici vita, quippe quæ sanctis rerum divisarum reductionibus *(ad primam Causam)*, ipsos simplificat in deiformi quadam unitate, et Deo grata perfectione; quapropter quoque sacræ legis dispositio perficientem ipsis concessit gratiam, eisque consecrantem quamdam adhibet invocationem, non quidem pontificiam *(quæ illos in hierarchia constituat)*; hæc enim in solis sacris ordinibus adhibetur; sed consecratoriam aliquam, quæ a sanctis Sacerdotibus in hierarchica initiatione secundario adhibetur. » (De Eccl. hier., cap. 6, pars. 1, § 3).

Sanctus auctor dicit quoque de Monachis in Part. 2, § 2 ejusdem Capitis: « Multa ex iis, quæ a medio ordine *(laicorum baptizatorum)* sine reprehensione fiunt, simplicibus illis Monachis omnimodo interdicta sunt, quam juxta unum *(Deum)* unifieri *(simplificari)* debeant, et ad sacram Unitatem (Μονάδα) colligi, et juxta sacerdotalem, quantum licet, vitam efformari, tanquam in plurimis cum hoc ordine convenientes, præ cæteris initiatis, majoremque affinitatem habentes. »

Liquet S. Dionysium religiosos vocasse monachos (μόνος, *unus, totus, simplex sejunctus)* propter solitudinem *internam*, qua soli Deo similes esse atque uniri tenebantur, non vero propter solitudinem *externam*, seu vitam eremiticam, quæ postea a S. Paulo et S. Antonio instituta est. Vide n.^{m} 565.

Compendium doctrinæ suæ de triplici initiantium et initiatorum ordine, tradit sequentibus verbis: « Conclusum est igitur a nobis, quod sanctæ quidem initiationes sunt purgatio, et illuminatio, et perfectio. — Ministri *(Diaconi)* vero sunt ordo purgativus; Sacerdotes, illuminativus; Pontifices deiformes, perfectivus. — Ordo autem qui purgatur, a sacrorum mysteriorum aspectu et communione arcetur, tanquam adhuc purgationi vacans. Ordo cui sacrorum aspectus indulgetur, est plebs sacra. Ordo perfectus est simplicium Monachorum. »

« Sic enim nostra hierarchia, ordinibus a Deo traditis sancte pulchreque composita, cœlestibus hierarchiis conformis est, quum Deum imitantes ac deiformes illius characteres salvos retineat, modo hominibus conveniente. » (De Eccl. hier., cap. 6, part. 2, § 5).

d) **De Sacramentis, quibus fideles purgantur, illuminantur et perficiuntur in genere.**

603. — α) *Quoad Baptismum.* S. Dionysius hoc Sacramentum tripliciter explicat: dogmatice, liturgice, mystice.

Dogmatice, ostendendo quo ordine perveniatur ad vitæ sanctitatem, et quomodo Baptismus sit quædam nativitas spiritualis, atque principium operum supernaturalium, et simul monet, solos sanctos ad Sacramentorum aspectum esse admittendos.

Liturgice, describendo cæremonias symbolicas, quæ olim in Baptismi administratione adhibebantur.

Mystice, explicando spiritualem horum symbolorum significationem. (De Eccl. hier., cap. 2).

604. — β) *Quoad Eucharistiam* eodem ac trino modo procedit. Audiamus *dogmaticam* sancti auctoris doctrinam de augustissimo altaris Sacramento, quod asserit esse cæterorum Sacramentorum consummationnem, et præ cæteris synaxim dici atque communionem, quia singulari ratione nos Deo conjungit, ita ut sit simul centrum unicum cultus catholici, et unionis nostræ cum Deo.

« Primum itaque illud sancte videamus, quam ob causam id, quod præcipuis quoque aliis Sacramentis commune est, huic per excellentiam præ cæteris sit attributum, ita ut singulariter appelletur communio et synaxis *(congregatio)*, quamvis unumquodque Sacramentum divisas vitas *(operationes)* nostras colligat quoque ad uniformem deificationem, et conferat communionem et unionem cum uno *(Deo)*, per deiformem dissitorum congregationem. »

« Dicimus igitur quod cæterorum hierarchicorum symbolorum participationibus, perfectio oritur ex divinis illius muneribus. Vix enim licet ullam hierarchicam functionem obire, nisi divinissima Eucharistia, in initio cujuslibet consecrationis, perficiat conjunctionem subjecti initiandi cum illo uno *(Deo)*, et dono perficentium mysteriorum divinitus tradito, ipsi conferat illam cum Deo communionem. Itaque si, ex una parte, quælibet hierarchicarum consecrationum imperfecta manet, quia non perficit nostram cum illo Uno communionem aggregationemque ad illum, et non perficit quia imperfecta est; et si, ex altera parte, finis et caput omnis Sacramenti est communicatio thearchicorum mysteriorum ei qui initiatur *(Sacramenta suscipit)*, jure merito hierarchica sapientia adinvenit nomen huic Sacramento *(Eucharistiæ)* proprium ex rerum veritate. — Sic quoque sacram divinæ regenerationis initiationem *(nempe Baptismum)*, quia primum lumen confert, omniumque divinarum illuminationum principium est, vero illuminationis nomine ex effectu celebramus. Quamvis enim aliis quoque functionibus hierarchicis commune sit initiatos consortes sacræ lucis facere, attamen hæc functio *(Baptismus)* primum mihi visum impertivit, et per principaliorem illius lucem, lumen accipio ad cætera quoque sacra intuenda. » (De Eccl. hier., cap. 3).

In parte mystica hujus Capitis exponit, inter multa alia mysteria, quomodo divina Pulchritudo, in se immutabilis, se omnibus communi-

cet, et quomodo Pontifex Deum imitatur inferioribus sacra ministrando. « Oportet igitur nos pervenire intra sacrosancta, ut opinor, et intelligibilem sensum primæ imaginis detegentes, deiformem ejus pulchritudinem intueri, et Pontificem divina inspiratione videre a divino altari procedentem cum odoris suavitate, usque ad templi extremitates, atque ad ipsum altare revertentem ad sacrum perficiendum. »

« Sic enim suprema Deitas, cujus beatitudo cuncta superat, etsi divina Bonitate procedat *(ad extra)* ut sacra ipsam participantia communicet, nequaquam tamen ex immobili statu et immutabilitate naturæ suæ egreditur, sed omnibus rebus deiformibus analogice illucet *(ut suam illis similitudinem varie communicet)*, secum essentialiter manens, et a propria identitate omnino non dimota. Similiter divinum Synaxeos (Eucharistiæ) Sacramentum, quamvis unicum, et simplex, et collectum habeat principium, quod symbolorum varietate ob hominum amorem multiplicatur, et ad omnem supremi divinique Principii imitationem se extendat, uniformiter tamen denuo se colligit ad propriam unitatem atque unificat eos qui sancte ad se ducuntur. Juxta eumdem modum deiformem, divinus Pontifex, etsi unicam suæ hierarchiæ scientiam *(sapientiam)* in subditos derivet ad imitationem supremæ Bonitatis, sacrorum ænigmatum multitudine utendo, rursus tamen, tanquam exemptus ac liberatus a rebus inferioribus, ad proprium Principium suum integre revertitur, et spiritalem in Unum ipsum *(Deum)* introitum faciens, videt pure uniformes sacrorum rationes, finiendo benignum humanumque progressum suum ad secundaria *(ad creaturas)*, ut diviniorem ad prima *(nempe divina)* reversionem faciat. » (§ 3).

605. — γ) *Quoad Unctiones, S. Dionysius dogmatice* docet unguenti mysterium affine esse venerabili Eucharistiæ; *liturgice* describit ritum consecrandi sacrum unguentum; *mystice* explicat varia hujus ritûs symbola. (De Eccl. hier., cap. 4).

Triplicem quoque hunc ordinem sequitur quando postea loquitur de Sacramento Ordinis, sive de Ordinibus initiantibus, et dein de Ordinibus initiatis. Nos autem utrosque illos Ordines præmisimus, juxta alium ordinem ab ipso auctore indicatum.

In parte mystica Capitis 4, sequenti modo explicat sacri unguenti obvelationem.

« Introductoria et mentem elevans significatio perfectivæ hujus consecrationis *(unctionis)*, incipiendo ab eis, qui divino unguento sancte perficiuntur, ostendit, arbitror, obvelandam esse spiritualem justorum virorum sanctitatem atque fragrantiam *(quum sint bonus odor Christi, ut dicit S. Paulus 2. Cor. 2, v. 75)*; quum divinitus præscribatur sanctis viris non ostendere ad vanam gloriam, pulchras et bene olentes similitudines, quas cum arcano Deo per virtutem habent. Intemeratæ enim sunt perfectiones Dei arcanæ, et super intellectum fragrantes, et spiritualiter manifestantur solis spiritualibus, quia Deus sibi conformes et incorruptas habere vult imagines in animabus per virtutem. Incircumscriptum *(immateriale)* enim illud virtutis deiformis simulacrum *(sive exemplum)* bene imitandum est, ut ad ejus exemplar referatur spiritualis et fragrans pulchritudo, atque seipsum formet ac effingat ad pulcherrimam illius imitationem. Et quemadmodum in sensibilibus imaginibus, si pictor ad archetypam speciem immobiliter intueatur, nulla re alia visibili distractus, neque secundum quidquam divisus *(in sua visione)*, tunc quodammodo duplicabit, si ita dicere liceat, illum ipsum qui depingendus est, atque ipsam realitatem exprimet in ejus similitudine, et archetypum in imagine, alterumque in altero referet, excepta substantiæ differentia. Sic, in spiritualibus ac pulchrum amantibus pictoribus, intenta et indeclinabilis contemplatio bene olentis atque arcanæ Pulchritudinis, infallibilem in ipso producet maximeque deiformem imaginem. »

« Merito igitur divini pictores, quando mentem suam ad suprasubstantialiter fragrantem spiritualemque Dei Pulchritudinem indeclinabiliter efformant, nullum actum virtutum, quæ sunt in ipsis ad imitationem Dei, faciunt, ut videantur ab hominibus, sicut scriptum est, sed sacratissima quæque Ecclesiæ mysteria, velata sancte contemplantur in divino unguento *(velato)*, velut in imagine; itaque, quidquid in virtute sacrum ac maxime deiforme est, intra mentem suam, quæ ad imaginem et similitudinem Dei facta est, abscondentes, ad solam Mentem archetypam intuentur, neque enim solum non vident dissimilia, sed ne inclinantur quidem ad eorum aspectum. Quamobrem, sicut eos decet, non ea quæ videntur pulchra et justa diligunt, sed ea quæ revera sunt talia, neque ad gloriam *(vanam)* aspiciunt, quæ a multis beata irrationabiliter prædicatur; sed bonum vel malum per se judicantes ad Dei imitationem, divina quædam simulacra fiunt istius fragrantiæ divinæ, quæ vere bonum odorem in se continens, ad illud quod multis dissimiliter videtur, numquam se vertit, in veris suis imaginibus exprimens veritatem. » (De Eccl. hier., cap. 4, § 1).

Conclusio doctrinæ S. Dionysii.

« Ista sunt, ô fili, tanta et tam pulchra hierarchiæ nostræ spectacula uniformia mihi ma-

nifestata, sed aliis sane mentibus perspicacioribus, non solum hæc contemplata sunt, verum etiam alia multo illustriora atque deiformiora. Tibi quoque, ut opinor, clariores divinioresque pulchritudines collucebunt, si prædictis gradibus conscendas ad sublimiorem radium. Communica et tu mihi perfectiorem illustrationem, meisque oculis exhibe præstantiores formas, quæ Unius *(Dei)* speciem magis exprimant. Confido enim quod dictis meis ego scintillas divini ignis in te repositi excitabo. » (Ibid., § 11).

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN ALIIS PATRIBUS GRÆCIS.

Præter S. Dionysium Areopagitam, cujus tota sapientia in divino Exemplarismo fundatur, plures Ecclesiæ græcæ Patres platonicum, vel potius christianum Exemplarismum tradiderunt. Hujus igitur doctrinæ testimonia videamus in S. Irenæo, in Clemente Alexandrino, in Origene, in S. Methodio, in Eusebio Cæsariensi, in Sanctis Athanasio, Basilio, Gregorio Nysseno, Gregorio Nazianzeno, Ephræm, Cyrillo Alexandrino, Anastasio Sinaita, Maximo, Joanne Damasceno, Theodoro Studita et Nicephoro.

§ I.

De divino Exemplarismo in S. Irenæo. (*Patr. gr.*, T. 7).

Sic probat antiquus ille Pater mundum fuisse fabricatum a divino Artifice unitrino, ex nihilo, atque ad sui ipsius exemplar:

I.

Mundus fuit fabricatus a divino Artifice, uno et trino.

606. — « Non angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt; nec angeli potuerunt imaginem facere Dei; nec alius qui præter Verbum Domini, nec Virtus longe absistens a Patre universorum. Nec enim indigebat horum Deus, ad faciendum quæ ipse apud se prædefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplar factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens. » (Cont. hæres., lib. 4, cap. 20, n.° 1, p. 1032).

« Pater omnium dicitur Artifex hujus mundi, et non angeli, neque alius quis mundi fabricator, præter illum qui fuit prolator *(Verbi)*, et prima Causa factionis hujusmodi et præparationis existens. Si fortasse hic sermo suasorius, sive seductorius apud eos qui ignorant Deum, et qui hominibus illud assimilant inopibus, et his qui non possunt statim aliquid fabricare, sed indigentibus multis instrumentis ad eorum fabricationem; non autem verisimilis in totum apud eos, qui sciunt, quoniam nullius indigens omnium Deus, Verbo condidit omnia et fecit, neque angelis indigens adjutoribus ad ea quæ fiunt, neque virtute aliqua valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem; neque aliqua labe, neque ignorantia, ut is, qui inciperet eum cognoscere homo fieret; sed ipse in semetipso, secundum id quod est inenarrabile et inexcogitabile nobis, omnia prædestinans fecit quemadmodum voluit; omnibus harmoniam, et ordinem suum, et initium creationis donans; spiritualibus quidem spiritalem et invisibilem, et supercœlestibus cœlestem, et angelis angelicam, et animalibus animalem, et natantibus aquatilem, et terrigenis terrigenam, omnibus aptam qualitatis substantiam: omnia autem quæ facta sunt, infatigabili Verbo fecit. » (Ibid., lib. 2, cap. 2, n.° 3 et 4, p. 714).

II.

Mundus fuit a Deo factus ex nihilo.

607. — « Attribuere enim substantiam eorum, quæ facta sunt, Virtuti et Voluntati ejus qui est omnium Deus, et credibile, et acceptabile, et constans, et in hoc bene dicitur, quoniam quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. (Luc. 18, v. 27). Quoniam homines quidem ex nihilo non possunt aliquid facere, sed ex materia subjacenti; Deus autem hominibus hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suæ, cum ante non esset, ipse adinvenit. » (Ibid., cap. 10, n.° 4, p. 736).

III.

Mundus fuit a Deo factus ad sui ipsius exemplar.

608. — S. Irenæus contra Valentinianos hæreticos negat, creaturas esse imagines Æonum, qui sursum sunt intra Pleroma, et præcipue Bythi, qui est Æonum perfectissimus; sed as-

serit Deum ipsum esse omnium operum suorum Exemplar.

« Si secundum similitudinem hæc *(opera demiurgi)* illorum *(Æonum)* facta sunt, illa rursus ad quorum similitudinem erunt facta? Si enim mundi Artifex non a semetipso facit hæc, sed quemadmodum nullius momenti operarius, et quasi primum discens puer, de alienis archetypis transtulit, Bythus ipsorum unde habuit formam ejus, quam primam emisit, dispositionis? Consequens est igitur, illum ab altero quodam, qui super eum est, exemplar accepisse; et illum rursus ab altero. Et nihilominus in infinitum excidet de imaginibus sermo, quemadmodum et de diis, si non fixerimus intellectum in unum artificem, ut in unum Deum, qui juxta semetipsum fecit ea quæ facta sunt. Aut de hominibus quidem, aliquis permittit juxta semetipsos utile aliquid ad vitam adinvenisse: ei autem Deo qui mundum perfecit, non permittit juxta seipsum fecisse formam eorum quæ facta sunt, et adinventionem ornatæ dispositionis? » (Ibid., cap. 7, n.° 5, p. 730).

§ II.

De divino Exemplarismo in Clemente Alexandrino. (*Patr. gr.*, T. 7, 8 et 9).

609. — Prænotanda. Doctissimus ille vir potest, post S. Pantænum, cujus scripta perierunt, considerari tanquam fundator christianæ partis scholæ Alexandrinæ. Platonis Exemplarismum in celebri illa schola emendavit, atque ad christianam doctrinam accommodavit. Primo etenim docet divinum Exemplarismum in genere sequentibus verbis Stromat., lib. 5, cap. 14:

« Similiter barbara *(nempe christiana juxta mentem paganorum)* philosophia duplicem mundum agnoscit: alterum intelligentiâ, alterum sensu perceptum; e quibus archetypus ille sit, hic vero pulchri exemplaris imago. Ac priorem quidem illum, qui mente percipitur, unitati, hunc vero qui sensus movet, senario attribuit *(in Genesi I)*. Nam et apud Pythagoræos, senarius tamquam genitalis numerus, conjugium vocatur. »

Deinde in specie docet, moralem hominis perfectionem, seu pulchritudinem, consistere in assimilatione ad Deum et Verbum ejus, seu Christum Jesum, per cognitionem atque amorem Dei, sive per sapientiam, qua Deo et Christo conformamur intellectu ac voluntate.

Eloquentissime disserit: 1°) de Verbo incarnato, harmoniæ universæ præcentore, omnisque perfectionis Exemplari; 2°) de perfectione, quæ in assimilatione ad Deum consistit; 3°) de vera pulchritudine, quæ in Dei imitatione constat; 4°) 5°) et 6°) de vera sapientia, quæ consistit in Deo et Jesu Christo cognoscendo, diligendo et imitando.

I.

De Verbo incarnato, harmoniæ universæ præcentore, omnisque perfectionis Exemplari.

« Verbum Dei, quod ex David natum est, ante eum fuit lyra et cithara, contemptis quæ inanima sunt instrumenta, mundum hunc et hominem, qui parvus quidem mundus est, ejusque animam et corpus divino Spiritu attemperans, multarum vocum instrumento Deum celebrat, et huic instrumento, nempe homini accinit: *Tu enim es cithara, et tibia, et templum meum;* cithara propter harmoniam, tibia propter Spiritum, templum autem propter Verbum, ut illa resonet, ista inspiret, hoc vero contineat Dominum... Nec solum hominem, pulchrum et spirans instrumentum Dominus ad sui imaginem effecit, sed supramundana Sapientia cœlesteque Verbum est instrumentum Dei, numeris omnibus instructum, concinnum et sanctum... »

Omnium igitur hominum harmonia cum Deo consistit in eorum similitudine cum Jesu Christo, qui illos ita alloquitur in eodem Clementis loco: « Universum hominum genus voco, quorum ego Voluntate Patris, Opifex sum: Venite ad me, sub uno Dei et uno Dei Verbo ordinandi... Verbum vobis largior, Dei scilicet cognitionem, memetipsum integrum largior. Hoc sum ego, hoc vult Deus, hoc symphonia est, hoc harmonia Patris, hoc Filius, hoc Verbum Dei... Quarum quidem rerum olim exhibitæ sunt imagines; verum illæ nequaquam omnes similes. Proinde volo vos ad primigenium Exemplar corrigere, ut similes etiam mihi efficiamini. » (Cohort. ad gentes, Cap. 1).

II.

De platonici Exemplarismi concordia cum sacra Scriptura.

610. — « At vero Plato philosophus finem dicit esse duplicem: unum quidem, id quod est participabile et primum in ipsis formis, quod quidem nominat bonum; alterum autem id, quod est illius particeps, ejusque accipit similitudinem, quod quidem est in hominibus, qui virtutem et veram philosophiam sibi vindicant... Ipse autem Plato dicit beatitudinem esse perfectissimum bonum et plenissimum. Aliquando eam vocat vitam sibi consentientem et symphonam, et nonnunquam id quod est ex virtute

perfectissimum. Id autem ponit in scientia boni, et in ea, quæ est cum Deo similitudine, similitudinem pronuntians in eo consistere, ut quis sit justus et sanctus cum prudentia. Annon sic quidem ex nostris illud *ad imaginem* quidem, statim in ortu accepisse hominem; *ad similitudinem* autem, per perfectionem postea esse accepturum, intelligunt? » (Stromat, lib. 2, cap. 22, T. 8, p. 1079).

III.

De vera pulchritudine.

611. — « Est ergo, ut videtur, disciplinarum omnium pulcherrima et maxima, seipsum nosse; si quis enim seipsum norit, Deum cognoscit. Quod si Deum cognoscat, ei assimilabitur, non aurum gestans, nec talarem vestem ferens, sed benefaciens, et quam paucissimis fieri poterit indigens. Solus autem Deus nulla re omnino indiget, et maxime quidem gaudet, quando videt mentes nostras ornatu mundas; deinde et eo, qui casta corporis veste, nempe temperantia, indutus est... »

« Homo ille, cui Verbum (ὁ Λόγος) cohabitat, non variatur, non fingitur, formam habet Verbi, Deo assimilatur, pulcher est; non ut pulcher videatur se exornat, vera est pulchritudo; est enim deus *(scilicet similitudine, seu deiformis est.)*. Deus autem ipse fit homo *(incarnatione)*, quoniam Deus vult. Recte ergo dicit Heraclitus: *Homines dii, dii homines.* Verbum enim *(Christus)* ipsum est evidens hoc mysterium: Deus in homine, et homo Deus; et voluntatem Patris intercessor efficit. Intercessor enim est Verbum, quod est commune ambobus; Dei quidem Filius, Salvator autem hominum; et illius quidem minister *(quatenus homo est)*, noster autem pædagogus... Misericors Deus carnem ipse effecit liberam. Cumque ab interitu, acerbaque et lethifera servitute liberasset, incorruptionem ei adjunxit, sanctum hoc et æternum ornamentum carni, immortalitatem videlicet, apponens. »

« Est autem alia quoque hominum pulchritudo, charitas... »

« Quis enim Domino formosior? sed non carnis pulchritudine *(nam Christum in vita sua mortali deformem fuisse Clemens putabat)*, quæ visione apprehenditur; sed veram animæ et corporis ostendit pulchritudinem; animæ quidem, rectam operationem *(virtutem)*; carnis vero, immortalitatem. » (Pædagog. iib. 3, cap. 3, T. 8, p. 555).

Et in *Cohort. ad Gentes*, cap. 4. (T. 8, p. 142). « Turpis est pulchritudo, quæ per contumeliam emarcuit. Ne tyranidem exerceas, o homo, in pulchritudinem; ne probrum inferas florenti adolescenti; ipsam puram serva, ut sit pulchra. Liber maneat; sic tuam pulchritudinem agnoscam, quia puram servaveris imaginem. Sic veram adorabo Pulchritudinem, quæ primigenium pulchrorum omnium Exemplar est et Forma (ὅ Ἀρχέτυπον). »

IV.

Gnosticus verus id agit, ut Deo ejusque Filio sit quam simillimus.

612. — Notandum est quod sub *gnostici* nomine intelligit Christianum, et præcipue ascetam. Γνοστικὸς, intelligens, sapiens derivatur a γνῶσις, sapientia, scientia.

« Mansuetudo autem, ut ego quidem opinor, et benignitas, et eximia in Deum pietas, sunt regulæ assimilationis gnosticæ... Imago enim valde divina et Deo similis, et viri justi anima, in qua per præceptorum obedientiam ædificatur et collocatur dux mortalium et immortalium omnium, rexque et genitor bonorum, qui vere est lex et præceptum, et Verbum æternum; et privatim singulis, et communiter omnibus est unus Salvator. Hic est revera Unigenitus, et omnium regis et omnipotentis Patris gloriæ figura, quæ gnostico imprimit perfectam contemplationem ad sui imaginem, ut sit jam tertia divina imago, quæ, quoad ejus fieri potest, assimilatur secundo auctori, eique qui est revera vita, per quam veram vitam vivimus. » — Docet quoque verum gnosticum, sive sapientem, bene agere neque metu pœnæ, neque spe præmii, sed solius boni et pulchri intuitu. (Stromat. 4, cap. 22, T. 8, p. 1346).

Illumque boni melioris, seu spiritualis, intuitu abstinere a bonis sensilibus. (Ib., cap. 23, p. 1355)

V.

In cognitione et amore Dei sita est vera perfectio.

« Merito Plato eum « qui ideas contemplatur » dicit « victurum esse deum inter homines; mens autem est locus idearum, mentis vero est Deus. » — Eum qui Deum invisibilem contemplatur, dixit « deum viventem inter homines » Porro autem in *Sophista* quoque Eleatem hospitem, cum esset dialecticus, Socrates « deum » nominavit « quales sunt dii externis hospitibus similes, qui in urbes ventitant. Quando enim anima transcendit generationem, et per se fuerit, et cum formis seu ideis versatur »; qualis est, qui *Coryphæus* dicitur in *Theæte*. Is factus tanquam angelus, erit cum Christo, versabitur in

contemplatione, semper Dei voluntatem considerans; revera hic solus prudens, isti volitant velut umbræ. » (Stromat., lib. 4, cap. 25, T. 1, p. 1363).

VI.

Quæ sit vera sapientia, et unde dicatur.

613. — « Fundamentum autem non dicimus eam, quæ in unaquaque hæresi suscipitur, vitæ institutionem; sed id quod vere est philosophia, vere artificiosam sapientiam, quæ præbet experientiam eorum quæ sunt in vita. Sapientiam autem (dicimus) solidam rerum divinarum et humanarum cognitionem, firmam quamdam et stabilem, et immutabilem, et quæ continet ea quæ sunt, et præterita, et futura; quam nos docuit per suam præsentiam et per Prophetas Dominus, estque immutabilis, quum a Verbo sit tradita. Ideo quoque omnino vera est Voluntate *(divina)*, quum sit cognita per Filium: et partim quidem est æterna, partim autem tempori utilis; et partim quidem una est et eadem, partim autem multæ et indifferentes; et partim quidem est absque ullo motu patibili, partim autem cum patibili appetitione; et partim quidem perfecta, partim vero indigens. — Hanc ergo sapientiam concupiscit philosophia animæ et verbi rectitudinis, et vitæ puritatis, quæ est benevole affecta in sapientiam, et omnia facit ut eam consequatur. Philosophi autem apud nos quidem dicuntur qui amant sapientiam, quæ est omnium artifex et magistra, hoc est Filii Dei cognitionem. » Stromat. lib. 6, cap. 7, T. 9, p. 275).

§ III.

De divino Exemplarismo in Origene. (*Patr. gr.*, T. 11-17).

Prænotanda. — Origines est præcipuus Clementis Alexandrini discipulus, qui christianam Alexandriæ scholam præclaro ingenio suo stupendisque laboribus illustravit. Ex multis illius scriptis pauca tantum transcribemus, quibus diserte docet divinum Exemplarismum in prædicta schola constanter traditum, tam a Christianis, quam a Judæis et Paganis; sicut supra ostendimus agendo de Exemplarismo Philonis, Plotini, Porphyrii et Procli.

Audiamus quid dicat: 1°) de exemplari omnium creaturarum præexistentia in Verbo Dei; 2°) de modo, quo futuræ omnes creaturæ erant vita in Verbo; 3°) de mundo visibili facto ad exemplar mundi invisibilis et intelligibilis.

I.

De exemplari omnium creaturarum præexistentia in Verbo Dei.

614. — « Unigenitus Filius Dei... *Sapientia* dicitur, sicut et Salomon dixit: *Dominus creavit me initium viarum suarum, et opera sua antequam aliquid faceret, ante sæcula fundavit me. In initio, priusquam terram faceret, priusquam produceret fontes aquarum, antequam firmarentur montes, ante omnes autem colles generat me.* (Prov. 8, v. 23 etc.). — Dicitur autem et *primogenitus*, sicut dixit Apostolus: *Qui est primogenitus omnis creaturæ.* (Coloss. 1, v. 15). Nec tamen alius est primogenitus per naturam suam quam Sapientia, sed unus atque idem est. Denique et Apostolus Paulus dicit: *Christus Dei virtus et Dei sapientia.* (1. Cor. 1, v. 24). »

« Quærendum esset præterea utrum Unigenitus et Primogenitus omnis creaturæ dicendus sit Substantia substantiarum, Idea idearum, et Principium. » (Cont. Cels., lib. 6, n.° 64, T. 11, p. 1395).

... « Extra omne ergo quod vel dici, vel intelligi potest initium, generatam esse credendum est Sapientiam. Quia ergo in hac Sapientiæ substantia inerat omnis virtus ac formatio futuræ creaturæ, vel eorum quæ principaliter existunt *(nempe substantiarum)*, vel eorum quæ accidunt, consequenter virtute præscientiæ præformata atque disposita, pro his ipsis creaturis quæ in ipsa Sapientia velut descriptæ ac præfiguratæ fuerant. Sapientia seipsam per Salomonem dicit creatam esse initium viarum Dei, continens scilicet in semetipsa universæ creaturæ vel initia, vel formas, vel species. »

« Quali autem modo intelleximus Sapientiam initium viarum Dei esse, et quomodo creata esse dicitur, species scilicet in se et initia totius creaturae præformans et continens, hoc etiam modo *Verbum Dei* eam esse intelligendum est, per hoc quod ipsa cæteris omnibus, id est universæ creaturæ mysteriorum et arcanorum rationem, quæ utique intra Dei Sapientiam continentur, aperiat; et per hoc, Verbum dicitur, quia sit tanquam arcanorum Mentis interpres. » (Periarch., lib. 1, cap. 2, T. 11, p. 130 et 131),

« Quid vero opus est verba facere, si Sapientia, *quam condidit Deus in initio viarum suarum in opera sua*, (Prov. 8, v. 22), qua congaudebat Pater ipsius, oblectatur in multifaria ipsius Pulchritudine intelligibili, quæ solis oculis intellectualibus cernitur, quæque considerantem divinam Pulchritudinem ad amorem cœlestem invitat. » (Comment. in Joan., T. 14, p. 39).

II.

Quomodo omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vita erant.

615. — Sequenti modo legit et explicat verba S. Joannis: — *Omnia per Ipsum* (Verbum) *facta sunt, et sine Ipso factum est nihil. Quod factum est in Ipso, vita erat:*

« Potest autem et sic distingui sine errore: *Quod factum est in Ipso,* et postea dicatur *vita erat,* ut sit sensus: Omnia quæ per Ipsum et in Ipso facta sunt, in Ipso vita sunt, et unum sunt. Erant enim, hoc est in ipso subsistunt *causaliter,* priusquam sint in ipso *effective.* Sed si quæris quomodo, et qua ratione, omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter, et uniformiter, et causaliter subsistunt, accipe exempla ex creaturarum natura. Conspice quomodo omnium rerum, quas hujus mundi globositas comprehendit, causæ simul et uniformiter in isto sole, qui est maximum mundi luminare, subsistunt (*inquantum sol influit in omnem vitam vegetativam);* quomodo numerositas herbarum et fructuum in singulis seminibus simul continentur; quomodo multiplices regulæ in arte artificis unum sunt, et in animo disponentis vivunt; quomodo infinitus linearum numerus in uno puncto unum subsistit; et hujusmodi varia perspice exempla, ex quibus, velut physicæ theoriæ *(rerum sensibilium contemplationis)* pennis, poteris arcana Verbi, mentis acie inspicere, et quantum datur humanis rationibus, videre quomodo omnia, quæ per Verbum sunt facta, in ipso vivunt et facta sunt. »

III.

De mundo visibili facto ad exemplar mundi invisibilis et intelligibilis.

616. — « Paulus Apostolus nos docet, quod invisibilia Dei ex invisibilibus intelligantur, et ea quæ non videntur, ex eorum quæ videntur, ratione et similitudine contemplentur (Rom. 1, v. 20), ostendens per hoc, quod visibilis hic mundus de invisibili doceat, et exemplaria quædam cœlestium contineat positio ista terrena, ut ab his quæ deorsum ad ea quæ sursum sunt possimus ascendere, atque ex his quæ videmus in terris, sentire et intelligere ea quæ habentur in cœlis. Ad quorum similitudinem quamdam, quo facilius colligi per hæc ac sentiri possent diversitates, creaturarum quæ in terris sunt similitudinem Conditor dedit. Et fortassis sicut hominem Deus ad imaginem et similitudinem suam fecit, ita etiam cæteras creaturas ad alias quasdam cœlites imagines per similitudinem condidit; et fortasse in tantum singula quæque, quæ in terris sunt, habent aliquid imaginis et similitudinis in cœlis. » (In Cantic. Cantic., lib. 3, in cap. 2, v. 9, T. 13, p. 173).

Fatemur Origenem hoc in loco non certe affirmare universitatem Exemplarismi, nec unitatem supremi Exemplaris. Prædicta doctrina catholice intelligi posset de terrestrium rerum cum cœlestibus analogia, quæ in communi ambarum similitudine cum divino Exemplari fundatur. At clare loquitur, in numero IV sequenti, de divino Exemplarismo considerato in homine.

IV.

De homine, Dei et Christi imagine.

In homil. 1, in Genes., n.° 13, p. 157, præclare juxta Scripturam explicat quomodo homo ad imaginem Dei creatus, et peccato deformatus, Christum perfectam Dei imaginem imitando, reformatur ac transformatur ad divinam similitudinem: « Quicumque ergo veniunt ad Eum, et rationabilis imaginis participes effici student, per profectum suum juxta interiorem hominem renovantur quotidie ad imaginem ejus qui fecit eos; ita ut possint *conformes* corpori claritatis ejus effici, sed unusquisque pro viribus suis. — Apostoli se ad ejus similitudinem *reformarunt...* Semper ergo intueamur istam imaginem Dei, ut possimus ad ejus similitudinem *reformari...* Matthæus publicanus erat, et utique imago ejus diabolo similis erat, sed veniens ad imaginem Dei, Dominum et Salvatorem nostrum, et sequens eum, *transformatus* est ad imaginem similitudinis Dei... Paulus ipsius Dei imaginis persecutor erat. Ut autem potuit Decorem ejus et Pulchritudinem contueri, vitâ eâ, intantum ad ejus similitudinem *reformatus est,* ut diceret: *An documentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (2. Cor. 13, v. 5). »

§ IV.

De divino Exemplarismo in S. Methodio. (*Patr. gr.,* T. 18).

Referemus quid S. Methodius doceat: 1°) de divino Artifice unitrino; 2°) de homine a divino Artifice formato ad Dei imaginem; 3°) de homine a divino Artifice reformando in resurrectione; 4°) de Ecclesia a divino Artifice ordinata ad divinam assimilationem.

I.

De divino Artifice unitrino.

617. — S. Methodius docet, Deum omnia creasse per Verbum suum et Voluntatem, illumque artifici comparat, sive pictori, sive statuario.

« *In principio creavit Deus cœlum et terram* (Gen. 1, v. 1). Non errat qui *Principium* Sapientiam esse dicit. Sic enim apud quemdam e sacro cœtu, fertur ipsa *(Sapientia æterna): Dominus creavit* (sensu lato sumitur pro *generavit*, ut vox hebraica indicat) *me initium viarum suarum, in opera sua; ante sæculum fundavit me.* (Prov. 3, v. 22). Par enim erat et congruum, ut creata omnia, quippe facta per illam, essent eâ posteriora. Nam vide num illud evangelicum: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum* (Joan. 1, v. 1) istis concordet. *Principium* enim est Pater ille et factor universorum, ex quo ortus est, quod erat in ipso, Verbum rectissimum. Illud autem: *Hoc erat in principio apud Deum* significare videtur illum Verbi splendorem, quem apud Patrem habuit, priusquam mundus crearetur, splendore Principium designante. Igitur ex Principio per se, absque principio, quod Pater est, gignitur ipsum aliorum Principium, per quem omnia opere complentur. » (Fragment. ex libro de Creatis, n.° 8, T. 18, p. 342).

Opus creationis per appropriationem attributur Omnipotentiæ Patris; opus distinctionis et ornatus, Sapientiæ Verbi, divinam perfectionem imitanti. « Et hic Filius est, omnipotens illa firmaque Patris manus, qua materiam prius ex nihilo creatam, postmodum ordine exornat. » (Ibid., n.° 7). — « Deus omnia arte distinguendo *(mira varietate)* confecit, velut eximius pictor e multis coloribus unam exprimens ideam. (Ibid., n.° 4, p. 338). — « Comparandus est artifex Deo, et statua mundo. » (N.° 5, p. 339).

II.

De homine a divino Artifice formato ad Dei imaginem.

618. — Hoc argumentum tractat S. Methodius in opere *de Resurrectione*, cujus fragmenta reperiuntur partim inter opera S. Methodii (Patrol. gr., T. 18, p. 266), partim in opere S. Epiphanii adversus hæreses. (Ibid., T. 41, p. 1087-1178). S. Epiphanii textum citabimus, quia complétior est. Fragmentum quod referemus non est Procli, ut falso inscribitur, sed S. Methodii, ut patet ex notis. (T. 41, p. 1095, not. 32, et p. 1087, not. 31).

« Postquam Artifex rerum omnium, Deus, totam hanc universitatis machinam, velut ingentem aliquam civitatem, præclaro ordine condidit, ac Verbi imperio constituit, in eoque elementa singula aptissime composuit, ac variis animantium generibus complevit omnia, ut hic mundus perfecte ad omnem pulchritudinem adolesceret, cum in eo omnimodas naturæ formas vivas animatasque procreasset, atque et in cœlo sidera, et in aere volucres, et in terra quadrupedes, et in aquas natantia collocasset; postremum omnium hominem, cui totum hunc mundum velut pulcherrimam quamdam domum præparaverat, sic tanquam imaginem quamdam sibi similem in mundum introduxit, ac velut pulchrum signum manibus suis elaboratum præclaro in templo constituit... »

« Homo autem, si ejus naturam inspicias, verissime esse dicitur non corporis expers anima, neque corpus anima destitutum; sed id quod in unam pulchri formam ex animæ et corporis unione componitur... Huic inest aliquid deiforme et Deo simile, et omnino accurate expressum juxta illam prototypam Patris et unigenitam imaginem, « *Fecit enim Deus hominem; ad imaginem Dei fecit illum.* » Genes. 1, v. 27).

« Unde et simulacrum suum, ut quam maxime firmum et stabile esset, curam adhibuit, neve corruptione labefactari posset, sicut effictis a se statuis consulere artifices solent. Non enim solum simulacrorum suorum pulchritudini ac decori student, ut eximia specie ac magnifica sint, sed etiam immortalitatem, quoad possunt, iisdem ipsis tribuere conantur, ut quam longissimum in tempus integra minimeque dissoluta permaneant... »

« Cum igitur in iis operibus, quæ manibus elaboraverint, opifices ista moliantur, nonne præstantissimus ille Artifex (ὁ ἀριστοτέχνας) Deus, qui etiam ex nihilo potest procreare omnia, suam illam rationalem effigiem, videlicet hominem, multo magis sempiternam et immortalem penitus necessarioque fabricavit? An potius ignominiose adeo dissolutam corrumpi et interire permisit illam effigiem, quam manibus suis efficere singulari quadam cura dignatus est, atque ad imaginem suam et similitudinem efformare, velut mundi alterum mundum, cujus causa mundus factus est? *(loquitur de mundo materiali, qui ad hominis utilitatem proxime ordinatur).* Hoc dicere non licet. Proxime enim ad insaniam accederet, qui id vana opinione inflatus auderet asserere. » (Loc. cit., p. 1098 et 1099).

III.

De homine a divino Artifice corporaliter reformando in resurrectione.

619. — S. Methodius docet Deum erga hominem lapsum egisse sicut artifex, seu figulus, qui opus suum invidia deturpatum delet ac fundit, ad illud reformandum. Divinus enim Artifex hominem peccatorem morte delet sive substantialiter deformat, sed illum in generali resurrec-

tione reformabit. Omnes quidem homines in resurrectione substantialiter reformabuntur, sed non per gloriam transformabuntur, ut conjecit Origenes. Nam electi gloriose resurgent tanquam vasa ad honorem destinata; reprobi autem ignominiose resurgent, tanquam vasa apta ad contumeliam atque interitum. Sequentia tantum S. Methodii verba transcribemus.

« Idem igitur in nobis fecisse mihi Deus et administrasse videtur. Cum enim hominem, elegantissimum opificium suum, fraudulentis consiliis atque invidia pessime affectum videret, talem pro sua benignitate (φιλάνθρωπος ὤν) relinquere noluit, ne hoc in omnem æternitatem macula esset infectum, cum sempiternam in sese labem illam retineret; sed in materiam denuo resolvit, ut quidquid in eo vitiosum erat, reformatione ipsa velut eliquatum atque extinctum periret. Quod enim illic est statuæ conflatio, idem hîc mors est et dissolutio corporis; et quod illic est iterum conformari materiam atque in pristinum nitorem restitui, idem hîc est post obitum resurgere. Cui et propheta Jeremias adstipulatur. Hic enim eadem omnino docet his verbis: *Et descendi in domum figuli; et ecce ille faciebat opus super lapidibus, et excidit vas, quod fingebat in manibus suis, et rursum finxit ille vas alterum quemadmodum placuit illi, ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me dicens: Si quemadmodum figulus, ipse non potero hoc facere vobis, domus Israel? Ecce lutum figuli vos estis in manibus meis.* (Jerem. 18, v. 3-6). »

« Velim illud attendas, ut dixi, quemadmodum, post hominis delictum, ingens illa manus opus suum tanquam adulterinum in tanta contumelia probroque relinquere noluerit, cum eum nefarius hostis ex invidia violasset. Sed rursus eliquatum, et in lutum subactum, figuli more fecerit, ut ea reformatione, quodcumque in eo fœdatum ac contusione deformatum erat, penitus tolleretur; ipsius vero opificium, ut antea erat, reprehensionis expers ac jucundum existeret. *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere vas, aliud ad honorem, aliud ad contumeliam?* (Rom. 9, v. 21). Quod idem est ac si diceret: Nonne potestatem habet Deus, ex eadem cujusque materia, singulorum formam rĕficiens et instaurans, alium ad honorem et gloriam, alium ad infamiam et damnationem resuscitare? Ad ignominiam quidem eos, qui in peccatorum consuetudine turpiter vixerunt; ad honorem vero eos, qui vitam ad justitiam accommodarunt. Quod et a Daniele declaratum est: *Quoniam multi dormierunt in terræ aggere resurgent, hi ad vitam æternam, et hi ad probrum et dedecus sempiternum.* (Dan. 12, v. 2) » (loc. cit., p. 1111 et 1114, n.° 27 et 28).

IV.

De Ecclesia a divino Artifice ordinata ad divinam assimilationem.

620. — 1°) S. Methodius affirmat, sicut S. Dionysius Areopagita, Ecclesiam Christi sic ordinari ad divinum Exemplar imitandum, ut medium locum teneat inter umbras Synagogæ et plenum veritatis lumen, quod splendet in cœlesti Jerusalem.

« Cum lex juxta Apostolum, spiritualis sit, imagines *(umbram)* continens futurorum bonorum (Hebr. 10, v. 1), hanc age, reducto quod illi injectum est velo litteræ, enucleatam intueamur ad nudum veritatem. »

« Tabernaculum, quod vario cultu affabre ornare Hebræi jussi sunt, fuit Ecclesiæ imitatio, ut haberent per sensibilia imaginem divinarum rerum prænuntiatarum. Nam illud quod in monte ostensum est exemplar, ad quod intuens Moyses tabernaculum fabricatus est, exacta quædam idea erat habitationis cœlestis, cui nos clarius quidem figuris, obscurius vero veritate nunc deservimus. Necdum enim ipsa pura veritas, sicuti est naturaliter, ad homines venit, qui nec ferre quidem nunc valemus tantam incorruptibilitatem contemplari, sicut neque solis radios intueri portamus. »

« Judæi porro umbram imaginis, tertiam a veritate *(exemplari)* annuntiaverunt, nos vero imaginem cœlestis ordinationis *(hierarchiæ)* clare celebramus. Ipsa enim veritas exacte post resurrectionem manifestabitur, quando Sanctum tabernaculum, cœlestem nimirum *Civitatem cujus Artifex et Conditor Deus est* (Hebr. 11, v. 10), facie ad faciem videbimus, non autem amplius in ænigmate et ex parte (1. Cor. 13, v. 12). » (In Convivio decem Virginum, T. 18, p. 110).

Eamdem tradit doctrinam, p. 179, cap. 2, ubi loquitur de figura, imagine, veritate; sive *de lege, gratia* et *gloria.*

2°) Docet, Ecclesiam esse Christi uxorem, quæ a viri sui verbo, tanquam divino semine fecundata, parturit ac parit ei per Baptismum filios, ipsi Christo patri suo similes, donec impleatur numerus civium cœlestis Jerusalem a Deo prædefinitus, et electi per gloriam perfecte Christo conformentur. « Ecclesia cooperante ut Christiani in Verbo clare illuminentur ac transformentur (συμβαλλούσης τὴν ἐν τῷ Λόγῳ τράνωσιν αὐτῶν καὶ μεταμόρφωσιν). » (Ibid., cap. 5, 9, pag. 146, etc.).

Cum Verbum Dei veritate sua illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, et cum omnes justi, ab initio mundi, veritatem in mente concipiant, quasi divinum semen, per quod intellectualiter informantur, et Verbo con-

formantur, S. Methodius asserit omnes justorum animas omnium temporum, casto Verbi connubio fuisse fecundatas, sed non eodem modo. Justos etenim, qui ante diluvium vixerunt, *reginis* comparat, de quibus agitur in Cantic. 6, v. 7, 8; eos autem qui post diluvium vixerunt, et potissimum prophetas, assimilat *concubinis;* illos tandem qui post Christum vixerunt, comparat *filiabus.* Sunt enim filii Ecclesiæ, quæ est unica et dilectissima *Christi uxor.* (Ibid., cap. 3-8, p. 127, etc.).

§ V.

De divino Exemplarismo in Eusebio Cæsariensi. (*Patr. gr.*, T. 18-24).

Eusebius docet, Moysem divinas ideas ante Platonem cognovisse. Sic enim loquitur in Præparat. Evang., lib. 11, cap. 23, *De Platonicis ideis.*

621. — I. « Cum igitur, inquit Plato, procreatus ita fuerit mundus, sequitur ipsum ad exemplaris alicujus, quod ratione tantum ac mente capiatur, quodque eodem se modo semper habeat, imitationem elaboratum fuisse. Id quod si semel conceditur, mundum etiam hunc alicujus imaginem esse concedatur necesse est. Nam exemplar quidem illud vim spiritualium animantium universam, uti nos iste mundus, in sese complectitur. Hæc Plato in *Timæo* ».

« Cujus ego loci sententiam, ex iis, quæ *Didymus* de Platonis opinionibus conscripsit, in medio proferam. Sic autem ipse loquitur: Eorum, inquit, quæ pro naturæ suæ ratione, sensibus usurpantur, certa quædam in quoque genere ac definito exemplaria, quas ideas vocabat, Plato constituit, quibus proprie cum scientiæ, tum definitionis ratio conveniat. Etenim præter omnes homines, hominem; præter equos, equum; atque in universum præter animantes omnes, animantem quemdam ortu simul interituque carentem animo cogitari. Et quemadmodum unius ejusdem sigilli expressæ complures formæ, virique unius imagines permultæ esse possunt; ita prorsus ex unaquaque sensu perceptorum corporum idea, vim naturalem ingentem existere; verbi causa ex hominum idea, homines universos; quod ipsum de cæteris omnibus sit, pro sua cujusque natura, statuendum. Ideam porro sempiternam quamdam essentiam esse vult, quæ rebus singulis causa principiumque sit, ut qualis ipsa est, tales esse possint. Ut igitur peculiares ideæ sensu percepta corpora, tanquam archetypus aliquis, antegrediuntur; ita pulcherrimam illam atque perfectissimam ideam, quæ cæteras omnes sinu suo complectitur, mundi hujus exemplar esse defendit, quod ejus ad imitationem, Auctoris sui Molitorisque Dei providentia conditus, atque omni ex naturarum genere conflatus exstiterit. Hactenus *ex Didymo.* »

II. « At enimvero totum etiam hoc philosophiæ genus Moses ille sapientissimus occupavit, dum ante solem istum, quem cernimus; ante astra cætera, et cœlum aspectabile, quod firmamentum vocat; ante nostram hanc sicciorem terram; ante diem nostrum, nostramque noctem: aliam quamdam lucem, ab solis distinctam lumine, atque abs die, nocte, cæterisque omnibus diversam, a summo totius universi Moderatore ac Molitore Deo factam esse docet. Quin etiam sicuti Mosem Hebræi, solem quemdam esse statuunt, qui corpore careat, nec ab omnibus spectari possit, imo nec sub mortales oculos omnino cadat, ut cum propheta, Dei personam sustinens: *Timentibus me*, inquit, *orietur sol justitiæ.* (Malach. 4, v. 2)... Hominem certe quidem spiritalis exemplaris imaginem conceptis verbis appellant, et vitam hominum universam in imagine pertransire pronuntiant. Quippe ita Moses: *Et fecit*, inquit, *Deus hominem; ad imaginem Dei fecit illum* (Genes. 1, v. 27). Hebræus item alius, patris et ipse ritu philosophans: *Verumtamen*, inquit, *in imagine pertransit homo.* (Psal. 38, v. 7). »

§ VI.

De divino Exemplarismo in S. Athanasio. (*Patr. gr.*, T. 25-28).

Præclari hujus Patris sanctitas et sapientia omnem laudem superant. Audiamus quid dicat: 1°) de omnibus rebus a Patre, per Verbum mira arte formatis et ordinatis; 2°) de homine a Patre, per Verbum formato et ordinato.

I.

De omnibus rebus a Patre, per Verbum mira arte formatis et ordinatis.

1°) Expositio dogmatica.

622. — « Necesse est omnino apud nos tantum piam esse religionem, illumque quem colimus et prædicamus, solum verum Deum esse, qui idem et rerum creatarum Dominus, et omnis substantiæ Opifex (δημιουργός). Quis ergo alius ille est, quam totus Sanctus atque omni productæ substantiæ superior Christi Pater, qui tanquam optimus gubernator propriâ Sapientiâ et proprio Verbo, Domino nostro et Salvatore Christo, omnia ubique salutariter gubernat, et disponit, et facit, prout pulchrum esse viderit? Pulchrum autem est illa esse sicut facta sunt, et

facta conspicimus, quoniam ita hoc voluit, et hoc nemo negaret. Nam si absque ratione fieret rerum creatarum motus, temereque mundus volveretur, jure merito nulla fides dictis esset adhibenda; si autem Ratione, et Sapientia, et Scientia conditus atque omni pulchritudine ordinatus est, necesse est hujus Conditorem et Ordinatorem non alium esse quam Rationem seu Verbum Dei. Rationem autem intelligo, non quæ in singulis rebus *(materialibus)* concreta et connata est, quam etiam aliqui rationem *(seu virtutem)* seminalem vocare solent (Conf. D. Thom. 1, q. 115, art. 2), quæ inanimata est, nec rationalis est, aut intelligens, sed externa tantum arte operatur secundum inserentis scientiam; neque etiam verbum intelligo, quale est rationalium hominum, quod nempe ex syllabis constat, et in aere exprimitur; sed illud boni Dei Verbum, vivum et efficax, quo omnia vivunt et operantur, imo ipsum Deum dico, qui per se Verbum est, (αὐτολόγον) a singulis rebus creatis et a tota creatione diversum, proprium et solum boni Patris Verbum, quod totum hoc universum pulchre ordinavit atque illuminat Providentia sua. »

« Quum enim sit boni Patris bonum Verbum, universorum ordinationem ipsum disposuit, contraria contrariis coaptando *(medio aliquo in quo conveniunt)* et ex eis unam componendo harmoniam. Ipsum quoque, quum sit Dei Virtus et Dei Sapientia (1. Cor. 1, v. 24), cœlum circumvolvit, terramque suspensam ac nulla re innixam, proprio nutu fundavit et firmavit. Ab illo sol lucens universum orbem illuminat, et luna lumen mensuratum habet. Per ipsum aqua in nubibus suspenditur, pluviæ terram irrigant, mare limitibus circumscribitur, terra variis plantis frondescit et viret. Denique si quis infidelis ea quæ diximus in quæstionem vocare voluerit, an omnino sit Verbum, seu Ratio Dei, is certe sana mente non esse censendus est, qui de Dei Ratione audeat dubitare. Sed habet ex his rebus quæ videntur demonstrationem, quod omnia Verbo Dei et Sapientia condita sunt, et quod nulla creatura subsisteret, nisi Verbo facta fuisset, et quidem Verbo divino, ut dictum est. » (Oratio Cont. gentes, n.° 40, T. 25, p. 79 et 82).

2°) Comparatio lyricinis.

623. — « Quemadmodum enim *musicus*, lyram ad harmoniam accommodando, et gravia cum acutis, mediaque cum oppositis arte temperando, unum melos intentum perficit: sic Dei Sapientia, universum mundum velut lyram tenens, et res aerias *(medias)* cum terrenis, cœlestesque cum aeriis conjungendo, et tota partibus coaptando, et sua Mente ac Voluntate circumducendo, unum mundum unumque mundi ordinem pulchre atque harmonice perficit; ipsum autem Dei Verbum immobile manet apud Patrem, dum omnia movet propria naturæ suæ constantiâ, prout Patri suo bonum videtur. Illud enim in ejus divinitate admirabile est, quod uno eodemque nutu omnia simul et non separatim, sed tota simul, sive recta et rotunda; sive superiora, media et inferiora; sive humida, frigida et calida; sive visibilia et invisibilia circumducit ac miro ordine gubernat, juxta singulorum naturam. Simul enim eodem ipsius nutu, rectum recte et rotundum rotunde fertur; medium vero, sicuti est, movetur; calidum calescit, siccum arescit; denique universa, secundum naturæ suæ captum, ab eo vivificantur et sustentantur, ita ut admirabilis ac vere divina harmonia per ipsum perficiatur. » (Ibid., n.° 42, p. 83 et 86).

3°) Comparationes chori, animæ et civitatis.

624. — « Atque ut tanta res exemplis adhuc magis intelligatur, adhibeamus imaginem magni cujusdam *chori*. Sicut igitur in choro ex variis hominibus, pueris, mulieribus, senibus et adolescentibus composito, atque uno directore gestibus moderante, unusquisque juxta propriam naturam et potentiam cantat, vir ut vir, puer ut puer, senex ut senex, adolescens ut adolescens, omnes autem unum et harmonicum perficiunt concentum. »

« Vel sicut *anima nostra* ita nostros sensus juxta cujusque operationem movet, ut præsente objecto uno, illos omnes simul moveat, oculum ad videndum, aurem ad audiendum, manum ad tangendum, odoratum ad olfaciendum, gustum ad gustandum, et sæpe alia quoque membra moveat, verbi gratia pedes ad ambulandum. »

« Vel, ut tertio exemplo res sensibiliter explicetur, videtur maxime similis esse magnæ *civitati* conditæ et administratæ in præsentia principis ac regis, qui illam condidit. Illo enim præsente et statuente, atque oculum ad omnia intendente, omnes obediunt: hi properant ad colendos agros, illi ad aquæductus ut hauriant aquam festinant; hic ad cibum comparandum progreditur; venatum petit ille, alter in conventum intrat; judex ad judicandum; princeps ad jus dicendum se parat; artifex similiter statim in opus incumbit; nauta ad mare excurrit, faber ad fabricandum, medicus ad curandum, et architectus ad ædificandum se confert; alter in agrum exit, ex agro redit alter; alii circum urbem versantur, alii ex urbe egrediuntur, iterumque in eam revertuntur; et hæc omnia unius principis præsentia et imperio geruntur ac fiunt. »

« Ita profecto rem quoque se habere in universo mundo condito a Deo, quamvis exiguum sit exemplum, altiori sensu intelligere oportet.

Nam uno ictu Dei Verbi nutûs, omnia simul sic administrantur, ut propria a singulis fiant, et ab omnibus simul unus ordo perficiatur. » (Ibid., n.° 43, p. 86).

II.

De homine a Patre, per Verbum formato et reformato.

1°) Homo per Verbum formatus est ad Dei imaginem, quæ peccato deleta est.

625. — Deus non solum nos ex nihilo fecit, sed etiam divini Verbi gratiâ secundum Deum vivere concessit. At homines ab æternis rebus aversi, et ad res corruptibiles consilio diaboli conversi, sibi ipsis corruptionis mortis auctores facti sunt.

Erant quidem ex natura mortales, ut dixi, sed per gratiam, qua Verbi erant participes, naturæ conditionem *(mortalitatem)* effugissent, si pulchri *(boni)* permansissent. Etenim propter Verbum, quod cum illis fuisset, naturalis corruptio ad eos non accessisset, quemadmodum ipsa Sapientia his verbis testatur: *Deus creavit hominem ut incorruptus esset* (in Vulgata: *inexterminabilem), et imaginem propriæ æternitatis* (Vulgata: *ad imaginem similitudinis suæ fecit eum); invidiâ autem diaboli mors introvit in mundum.* (Sap. 2, v. 23 et 24). Quo quidem facto, homines mori cœperunt, ac deinceps contra illos viguit corruptio, et magis in totum genus humanum invaluit quam naturaliter fecisset, quoniam Dei minitantis jussionem contra homines accepit ob violatam legem. » (Oratio de Incarn. Verbi, T. 25, p. 104, n.° 5).

« Quamobrem morte magis magisque invalescente, et corruptione contra homines persistente, peribat hominum genus: homo factus rationalis ad divinam imaginem interibat, et opus a Deo patratum destruebatur... Inconveniens autem erat res rationis compotes, et semel factas Verbi Dei participes, interire, et rursus ad non esse per corruptionem reverti. Non enim Bonitate dignum erat res a Deo factas destrui, ob fraudem qua diabolus homines circumvenit. In primis vero dedecebat, Dei artem in hominibus deleri, vel propter illorum incuriam, vel propter dæmonum dolum. Itaque corruptis ac pereuntibus operibus illis rationalibus, quid Deum, qui bonus est, facere conveniebat? » (Ibid., p. 106, n.° 6).

« Si solum fuisset peccatum, nec corruptio subsecuta fuisset, recte hîc locum habuisset pœnitentia; sed ubi præeunte transgressione, homines in corruptionem naturæ debitam incurrerunt, et divinæ similitudinis gratia spoliati sunt, quid aliud, quæso, fieri oportuit? vel quonam opus erat ad hujusmodi gratiam et instaurationem præstandam, nisi Dei Verbo, a quo ex nihilo omnia in principio facta sunt? Ipsius enim erat corruptum rursus reddere incorruptum, et super omnia id quod conveniebat erga Patrem servare. Cum enim sit Verbum Patris, et super omnes sit, solus convenienter poterat, et universa instaurare, et pro omnibus pati, et digne pro omnibus apud Patrem intercedere. » (Ibid., n.° 7).

2°) Homo per Verbum, Dei Imaginem, reformatus est ad divinam imaginem.

626. — a) « Itaque hujus rei gratia, incorporeum et corruptionis ac materiæ expers Verbum in nostram regionem advenit, quanquam antea non procul aberat: nulla enim pars mundi illo unquam vacua fuit, sed ipse suo Patri coexistens omnia per omnia *(ubique)* implebat; venit autem sese accommodando suæ erga nos benignitati (φιλανθρωπίᾳ) et juxta illam nobis apparendo... Etenim quum omnes homines mortis reos esse videret, nostri ipse generis et infirmitatis misertus, nostraque motus corruptione, nec mortem in nobis dominari ferens, ne scilicet quod factum fuerat periret, suique Patris opus in homine formando vanum fieret, sibi ipsi corpus accepit, idque nostri non dissimile. Nec tantum voluit in corpore fieri, aut solum apparere; nam si tantum apparere voluisset, potuisset sane aliud præstantius corpus assumere; sed nostrum corpus accepit, idque non quovis modo, ast ex inviolata et incorrupta ac viri experte Virgine corpus purum vereque nullius viri consortio inquinatum accepit. Nam cum ipse potens sit et rerum omnium Artifex, sibi in Virgine templum, corpus scilicet exstruxit *(Sapientia ædificavit sibi domum. Prov. 9, v. 1)*, illudque tanquam instrumentum sibi proprium fecit, in quo se notum faceret atque habitaret. »

« Sic ergo simili corpore e nostro accepto, quia omnes mortis corruptioni subjecti erant, illud pro omnibus morti traditum, Patri summa cum benignitate obtulit, sive ut, omnibus in ipso morientibus, lex de corruptione contra homines lata solveretur, utpote quæ in dominico corpore suam vim complevisset, nec proinde locum amplius adversus similes homines haberet; sive ut homines in corruptionem reversos, iterum incorruptos redderet, atque a morte ad vitam revocaret, per corpus quod sibi assumpserat, et gratiâ resurrectionis mortem ab eis penitus amovendo, sicut stipula ab igne consumitur. » (Ibid., p. 110, n.° 8).

b) « Quapropter Dei Verbum per seipsum advenit, ut tanquam Imago Patris, hominem ad hanc imaginem factum reficeret. Præterea id quoque fieri non potuisset, nisi morte et cor-

ruptione deletis. Unde valde congruenter mortale corpus assumpsit, ut et mors in ipso deleri, et homines ad divinam imaginem facti refici possent. Nemo igitur alius ad hoc negotium fuit idoneus, nisi sola Imago Patris. »

« Nam quemadmodum si cujusdam effigies depicta in tabula, injectis sordibus fuerit deleta, necesse est eum, cujus illa est effigies, iterum adesse, ut ejus imago in eadem materia possit restitui; ipsa enim materia in qua depingitur, non projicitur, sed deleta effigies in ea rursus exemplatur; sic et totus Sanctus Patris Filius, qui Patris Imago est, ad nos advenit, ut hominem ad sui similitudinem factum reficeret, et tanquam perditum recuperaret; concessa peccatorum venia, ut ipse in Evangeliis ait: *Veni ut quod perierat invenirem, et salvum facerem.* (Luc. 19, v. 10). Unde etiam ad Judæos dixit: *Nisi qui renatus fuerit.* (Joan. 3, v. 5). Quibus verbis non generationem ex mulieribus significabat, ut illi suspicabantur; sed animam denotabat, quatenus ad imaginem Dei renascitur. » (Ibid., p. 119, n.° 13).

c) « Qui exstitit ante sæcula Verbum Deus, ex Nazareth homo visus est: natus ex Maria Virgine et Spiritu sancto, in Bethleem Judææ, ex semine Abrahæ, David et Adæ, uti scriptum est, omniaque assumpsit ex Virgine, quæcumque ab initio Deus ad hominis constitutionem efformavit et condidit, excepto peccato, ut Apostolus quoque ait: *Pro similitudine per omnia, præter peccatum.* (Hebr. 4, v. 15); nec divinitatis mutationem, sed humanitatis innovationem arbitrio suo effecit, quo Gentes Christo concorporales et comparticipes fierent (Eph. 3, v. 6); utque homo revera Deus, et Deus revera homo foret; essetque ille vere homo et vere Deus, non quod homo apud Deum esset, ut vos calumniantes, Christianorumque mysterio obtrectantes dicitis; sed quod Unigenito placuerit, plenitudine suæ divinitatis formam hominis archetypi *(Adami)* instaurare, et novum opificium in seipso suscitare per naturalem generationem et indissolubilem unionem, ut opus salutare pro hominibus operaretur, in passione, et morte, et resurrectione salvationem hominum absolvendo. » (De Incarn. Christi cont. Apollinar. Lib. 2, T. 26, p. 1139, n.° 5).

§ VII.

De divino Exemplarismo in S. Basilio. (*Patr. gr.*, T. 29-32).

Magnus et sanctus ille Pater studio philosophiæ Athenis incubuit, ibique platonicum Exemplarismum hausit, quem per christianam theologiam correxit atque complevit, sicut ex sequentibus propositionibus ejus patebit.

1°) Deus Pater omnia fecit, per Verbum suum in Spiritu sancto. 2°) Divinus Artifex est ipse omnium opificiorum suorum Exemplar pulcherrimum et amabilissimum. 3°) Mundus trino rerum ordine constat, nempe superiorum, inferiorum et mediorum.

I.

Deus Pater omnia fecit, per Verbum in Spiritu sancto.

627. — S. Basilius divinam increatamque Trinitatem sæpe affirmat, præsertim in sua expositione fidei, T. 30, p. 331, et illam doctissime propugnat, potissimum in libris 5 contra Eunomium (Patr. gr., T. 29).

Docet quoque Deum Patrem omnia fecisse per Verbum in Spiritu sancto, ita ut omnia Dei opera ad extra, sint toti Trinitati communia. Sed per appropriationem Verbo attribuit artem; et Spiritui sancto, boni communicationem, atque operum perfectionem, vivificationem et operationem.

« Etsi creatura in multis multiplici ratione diversa est, non tamen diversi sunt opifices, sed unus Filius, per quem omnia facta sunt. » (Advers. Eunom., lib. 4, T. 29, p. 694). — Filius non est prima creatura, per quam Deus cætera creavit, ut dicebant hæretici; secus ipse non crearet, et non esset nisi Patris instrumentum; sed Filius est increatus, Patri consubstantialis, atque omnia cum illo creavit.

« Si Pater potentiâ per Filium *(quem creatum asserunt hæretici)* creavit, Pater creator est, et non Filius, sicut neque instrumentum artifex est. » (Ibid., p. 690).

« Spiritus omnia, quæ a Deo per Filium sunt, perficit sicut in nova creatura. » (Ibid., lib. 5, p. 727). — « Spiritus viventi Verbo ad creandum conjunctus est, vivâ potentiâ, et vivâ naturâ, quæ ineffabilis ex ineffabili ore effulsit. » (Ibid.).

« Sic creat Deus, non manuum corporalium motu, sed vivi Verbi operatione, ac vivifici Spiritus communicatione. Itaque, si etiam ab initio in Spiritu facta sunt omnia, et rursus renovantur in Spiritu, una et eadem plane operatio Dei, per Filium in Spiritu apparet; nec Trinitas separationem accipit, sed secundum veram Pauli doctrinam: *Divisiones donorum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministeriorum sunt, et idem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* (1. Cor. 12, v. 46). Atque, postquam omnes divinas operationes recensuit: *Omnia autem hæc*, inquit, *operatur unus et idem Spiritus, dividens privatim unicuique, sicuti vult.* (Ibid., v. 11).

Sanctus doctor explicans verba: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ait: « Sapiens consilium init, Artifex secum cogitat. *Faciamus* enim inquit. Nosti itaque duas esse personas in Deo, alteram quæ loquitur, alteram ad quam est sermo. Cur non dixit *Facito*, sed *Faciamus* hominem?... Ut scires Patrem fecisse per Filium, et Filium paterna creasse voluntate; laudaresque Patrem in Filio, et Filium in Spiritu sancto. In hunc modum commune es opus; ut et communis trium cultor sis et adorator; non adorationem scindens, sed copulans Deitatem... *Et fecit Deus hominem* et non dixit: *Et fecerunt*, ne plurium deorum erroris ansam inde arriperes. *Faciamus* autem dixit, ut Patrem nosceres, et Filium et Spiritum sanctum. » (De homin. formatione, orat. I, 1, T. 30, p. 14).

« Qui dixit Opificem, non simul etiam opificium dixit. Non enim simul cum ædificatore ædificium existit, neque navis simul cum navium fabricatore. Est enim operatio in Opifice: ipsum autem opificium post operationem. Sed Pater dici non potest, nisi sit Filius. Et qui Patrem dixit, non simpliciter Patrem, sed alicujus Patrem dixit. » (Ibid., lib. 4, p. 678).

II.

Divinus Artifex est ipse omnium opificiorum suorum Exemplar pulcherrimum et amabilissimum.

628. — 1°) S. Basilius explicans verba Geneseos: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, varias indicat rationes propter quas Moyses usus est voce *in principio*, quæ in diversis sensibus intelligi potest. Sequentem vero rationem inter alias docet: « Tum quia existit aliqua ratio artificiosa (τις τεχνικός λογός, *scilicet Ratio divina)* quæ, sicut tibi vox *principii* indicat præest pulchræ rerum visibilium ordinationi... » Etenim « Ars est principium operum artificialium, sicut Beseleelis sapientia principium erat pulchritudinis tabernaculi. » (Homil. 1 in Hexæm., T. 29, p. 15, n.° 6, et 5).

2°) Atqui exemplar, juxta quod divina Ratio, sive Ars, omnia opera sua facit, reficit ac perficit, est ipsa Dei Pulchritudo, quam cunctæ res creatæ participant, sive per modum imaginis, sive per modum vestigii. Et hæc participatio per appropriationem Spiritui sancto attribuitur, sicut et Bonitas communicativa, quæ dat omnia bona omnibus. S. Basilium audiamus:

« Quod si hæc intelligerent, ac recte percipererent illi qui contra semetipsos sapientes sunt, non utique Spiritum sanctum a deitate alienarent, ne se ipsi a deitate resecarent, et mundum a Deo separarent, et Deum a propria creatura sua dirimerent. Quæ enim facta sunt a Deo, et Artificis gloria *(seu pulchritudine)* destituuntur, juxta naturam suam creatam *(quæ est de se potentia a Deo actuanda)*, misera *(indigentia)* sunt, nisi divinitatem *(actum divinum)* participent *(per analogicam similitudinem)*. Indignum autem Deo foret dicere, illum nudam et quasi sui vacuam despicere creaturam. Sed nec creatura sic misera est, nec Deus sic impotens, ut sanctam participationem *(similitudinis suæ)* non transmittat in sua opificia (ποιήματα). Ad suiipsius igitur imaginem statim facere hominem voluit. Omnino autem imago quæ ab artifice efficitur, dum ab exemplari (πρωτοτύπου) transfertur, similitudinem ejus in materiam accipit, et participat illius characterem, per Artificis mentem et manum ei impressum. Sic pictor, sic lapidem sculptor, sic aurearum vel ænearum statuarum fictor, sumit materiam, aspicit in exemplar, assumit speculati exemplaris similitudinem, illamque velut sigillo imprimit materiæ. »

« Atqui, si hominibus non possibile est ad cujusdam exemplaris similitudinem informare materias, nisi formas earum mente accipiant ab exemplari, quomodo ad Dei similitudinem ascendisset creatura, nisi accepisset divinum characterem *(a supremo Artifice)?* Divinus vero character non talis est qualis humanus, sed vivens, et essentialiter est imago imaginum effectrix, quam participando omnia constituuntur Dei imagines *(sive vestigia)*. Imago quidem Dei *(Patris)* est Christus, *qui est*, inquit (Apostolus), *Imago Dei invisibilis.* (Coloss. 1, v. 15); imago vero *(nempe æqualis persona)* Filii est Spiritus, et qui hujus participes fiunt *(similitudine)*, filii Deo conformes efficiuntur, juxta illud quod scriptum est: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* (Rom. 8, v. 29). » (Adversus Eunom., lib. 4, p. 723).

3°) De divini Archetypi pulchritudine, et charitate qua diligenda est.

629. — Præclare loquitur S. Basilius, Homil. in Psalm. 44, n.° 6, T. 29, p. 402. « *Sagittæ tuæ acutæ.* Vulnerata charitate ego sum (Cantic. 2, v. 5). Inexplicabilis profecto et ineffabilis Verbi Pulchritudo, et Sapientiæ species, et Forma Dei in ipsius imagine. Beati qui contemplatione inardescunt veræ illius Pulchritudinis! Hi enim quasi eidem adstricti vinculis charitatis, cœlestem illum et plane beatum amantes amorem, domesticorum obliviscuntur et amicorum, imo familiæ quamlibet opulentæ. »

Item in *Regulis fusius explicatis*; interrog. 2, T. 31, p. 910 et 911. « Quum igitur præceptum

nobis sit, ut charitatem in Deum habeamus, in ipso confestim ortus nostri initio, vim quamdam nanciscimur, per quam nostra sponte ad Ipsum diligendum impellimur. Ad quam rem confirmandam, nihil est cur argumenta foris petamus, quum per se quisque, atque adeo in seipso, facillime illud possit intelligere. Nam et rerum pulchrarum naturâ appetentes sumus; neque hoc impedit quod inter homines de rerum pulchritudine opiniones sint variæ... Verum quid est, quæso, Pulchritudine divina admirabilius? Quæ notio Dei majestate excogitari potest gratiosior? Quod ejusmodi desiderium quis secum comminisci potest, cujusmodi est illud quod animæ vitiis omnibus perpurgatæ divinitus ingeneratur adeo vehemens, adeoque intolerandum? Inexplicabilis prorsus, nec ulli pro dignitate enarrabiles, quæ e fulgurantissimo illo divinæ Pulchritudinis fonte intermicant ac prosiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio digne repræsentet, nullus percipiat auditus... Sic igitur, duce natura, sua sponte hominum animi ad rerum pulchrarum expetitionem excitantur. Illud autem vere proprieque pulchrum est, atque expetendum et amabile, quidquid est bonum. At bonus est Deus. Quod autem est bonum, id ab omnibus appetitur. — Ergo Deum expetunt omnia. »

III.

Mundus trino rerum ordine constat, nempe superiorum, inferiorum et mediarum.

630. — « Neque causam mundo præbuit *(vel mundum effecit Deus)* ut esset tantum, sed tanquam bonus fecit quod utile est; tanquam sapiens, quod pulcherrimum est; tanquam potens, quod maximum est. Etenim Moyses ostendit tibi Deum tanquam Artificem tantum, qui rerum omnium substantiam non invadit *(quum substantialiter differat ab omnibus creaturis)*, sed partes singulas inter se conjungentem, et ita perficientem mundum, ut sit totum sibi consentiens, et consonum, et harmonia plenum. *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Duobus extremis designavit totius mundi substantiam, cœlo quidem tribuens ortus prærogativam, terram vero origine secundam esse astruens. »

Agitur de ordine operis distinctionis et ornatus, nam quoad creationem, seu productionem ex nihilo, cœlum et terra simul in principium facta sunt, ut ipse supra docuit p. 15, n.° 6, et sequentibus verbis confirmat: « Si quid autem inter ista medium est, id utique simul cum ipsis extremis factum est... Etenim quum profecto cœlum naturaliter locum supernum occupet, terra vero infima sit, ideoque levia (corpora) in cœlum ferantur, gravia vero ex se vergant in terram; et quum maxime contraria sint inter se supernum et infimum, Moyses rerum longissime ab invicem natura diversarum mentionem faciens, etiam ea quæ regionem inter hæc mediam replent, per synecdochen indicavit. Quare ne singulorum exquiras narrationem, sed ea quæ sunt silentio præterita, intellige per ea quæ indicantur (Homil. 1. in Hexæm., p. 19).

§ VIII.

De divino Exemplarismo in S. Gregorio Nyss. (*Patr. gr.*, T. 44-46).

Frater S. Basilii natu minor, S. Gregorius divini Exemplarismi doctrinam, quam ab illo acceperat, homini specialiter applicavit in eximio opere suo *de Hominis opificio*, ex quo sequentes propositiones referemus: 1°) Divina Trinitas hominem ad sui ipsius imaginem formavit prædefinito consilio. 2°) Deus est Artifex infinitæ Pulchritudinis. 3°) Divinus hominis Artifex comparatur figulo, sculptori et pictori.

I.

SS. Trinitas hominem ad suiipsius imaginem formavit prædefinito consilio.

631. — « Hoc consideratione nostra dignum est, quod cum mundus iste, talis ac tantus, omnesque ejus partes ad machinam universitatis rerum constituendam ordine congestæ essent, nullo ut ita dicam negotio, natura rerum a Deo creata sit, et continuo ad ejus nutum exstiterit. Sed hominis fabricationem deliberatio præcedit, et forma futuri operis ab Artifice delineatur orationis picturâ. Qualem videlicet hominem esse oporteat, qualisque exemplaris imaginem referre, quam ob causam creandus, et quæ creati futuræ sint actiones, quibus cum imperio sit dominaturus; hæc omnia prius Verbo intenduntur, ut homo præstantiam dignitatemque suam obtineret, ac prius rerum universarum principatum obtineret, quam ortus esset. *Dicit enim Deus*, teste Moyse: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ.* (Genes. 1, v. 26)... Solius ad hominis fabricationem Creator ille universitatis rerum, quadam cum consideratione accedit: veluti enim præparatâ opificii materiâ, ejusque formâ juxta pulcherrimum Archetypum designatâ, fineque proposito ad quem efficiendum esset, Deus fabricat naturam sibi consimilem et propriis operationibus affinem, quæ fini

cui destinatur aptissima sit. » (De Hominis opificio, cap. 3, T. 44, p. 134).

« Cum dicatur: *Faciamus hominem ad nostram imaginem*, numeroque plurali Sacrosancta Trinitas indicetur, non erat singulari numero facienda imaginis mentio, si personæ archetypæ essent inter se dissimiles. Fieri enim minime poterat, quod exemplaria inter se non convenientia, in una eademque repræsentarentur imagine; sed si diversa essent natura, diversas quoque omnino imagines constituissent, ad uniuscujusque similitudinem confectas. Sed cum una tantum imago sit, nec unum tamen sit imaginis Archetypum, quis adeo mentis privatus est, ut ignoret quod uni rei similia inter se quoque similia sunt? Itaque sic loquitur, fortasse ut in ipsa hominis fabricatione pravam horum hæresim præcideret. » (Ibid., cap. 6, p. 139).

Sanctus doctor ibi loquitur de hæresi Eunomii, qui Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse natura diversos et inæquales asserere audebat. Sed quum tres personæ divinæ, sint ejusdem naturæ seu Formæ, quæ est archetypa omnium perfectio, non proprie dici possunt esse tria similia sive æqualia rerum exemplaria. Stricte loquendo, unum tantum est Archetypum, nempe Forma divina, cui tres personæ identificantur.

II.

Deus est Artifex infinitæ Pulchritudinis.

632. — « Quum omnium pulcherrimum et præstantissimum Bonum sit Deus ipse, ad quem omnia respiciunt quæ boni desiderio tanguntur, idcirco et mentem dicimus factam ad Boni pulcherrimi imaginem, quamdiu similitudinis cum Archetypo particeps est, haud dubie pulchri præstantiam tueri. Porro, quemadmodum indicatum est, similitudine principis Pulchritudinis ornatam esse mentem, perinde ac speculum figurâ faciei ex ipso relucentis insignitur; eadem ratione, et naturam quæ a mente administratur, erga eamdem affectam esse statuimus, ut scilicet et ipsam ornari propinqua pulchritudine dicamus, et quasi speculum esse... Pulchrum vero censeri debet, quodcumque ad princeps Bonum congruit. Quod consentaneum autem ei non est, omnino pulchritudinis expers est. » (De Hominis opificio, cap. 12, T. 44, p. 162 et 163).

« Hic profecto et amore et desiderio ad illud ipsum solum honestum pulchrumve trahetur, quod non aliunde existere potest, neque aliquando, neque ad aliquid ejusmodi refertur, sed quod ex se, et per se, et in se pulchrum est, hoc sane et semper pulchrum, neque aliquando non fuit, aut aliquando non futurum, sed perpetuo se uno eodemque modo habet; neque omnino augeri, neque amplificari, neque ulla mutatione mutari potest... Nam proprie et primum et solum pulchrum Deum esse, nemo tam cæca mente est, quin per se intelligat. » (De Virginit., cap. 11, T. 46, p. 367 et 370).

« *Ecce tu pulcher es, patruelis meus, et formosus.* (Cantic. 1, v. 15). Ex quo mihi nihil aliud videtur esse pulchrum, sed aversatus sum omnia quæ antea reputabantur in bonis pulchris, non amplius mihi aberrat de bono judicium, ut aliquid præter te existimem esse bonum ac pulchrum, non ullum honorem humanum, non gloriam, non splendorem mundanum, non potentiam. Hæc enim iis qui aspiciunt ad sensum, boni quidem specie sunt illita, sed non sunt id quod putantur. Quomodo enim fuerit pulchrum, quod nullo modo consistit? Nam quod in hoc mundo est honoratum, suam habet essentiam in existimatione eorum qui esse existimant. Tu autem vere pulcher, non solum pulcher, sed ipsa Boni essentia, semper talis es omnino id quod es, nec in tempore florens, nec in tempore rursus florem abjiciens, sed cum vitæ æternitate simul extendens speciem ac decorem. » (In Cantic., homil. 4, T. 44, p. 835).

III.

Divinus hominis Artifex comparatur figulo, sculptori et pictori.

1°) Comparatio figuli.

633. — « Omnibus antecellit hominis productio...; manu propria Deus dignatur corpus nostrum formare...; non Potestatibus illi ministrantibus hoc faciendum mandavit, sed manu sua benevolus Artifex terram accepit... Si materiam quæ sumpta est, aspicis, quid homine vilius? Si vero Plasmatorem consideras, quid homine majus?... Pulverem sumpsit e terra, hominemque propriis manibus formavit. Cogita quemadmodum formatus sis, homo: naturæ tuæ artificium considera. Dei manus est illa, quæ te formavit. Opus a Deo plasmatum flagitio ne inquinetur, peccato ne pervertatur, ne excidas e manu Dei. Vas es a Deo plasmatum, a Deo factum: glorifica Factorem tuum. Neque enim aliam ob causam factus es, nisi ut organum sis ad gloriam Dei celebrandam accommodatum. Etenim mundus hic universus tanquam liber aliquis scriptus est, divinas laudes tibi suggerens: absconditam et invisibilem Dei magnitudinem per seipsum tibi annuntiat mente prædito, ut veritatem agnoscas. Prorsus igitur horum memento dictorum. » (In verba *Faciamus hominem*, orat. 2, T. 44, p. 279 et 282).

2°) Comparatio sculptoris.

634. — « Licet simile quiddam in sculptorum arte perspicere. Artifex intendit formam cujusdam animalis in lapide exprimere: hoc sibi proposito, primo lapidem ex naturali materia abscindit; deinde superfluis resecatis, primam aliquam figuram inducit ad imitationem præconceptæ ideæ suæ, ita ut artis imperitus possit scopum artificis per ea quæ apparent conjicere. Ille autem iterum laborando, accedit magis ad similitudinem rei, quam repræsentare studet. Denique perfectam accuratamque formam industria manu materiæ insculpendo, opificium ad finem producit; et lapis antea informis, est leo, vel quidquid ab artifice factum contingit; non quod materia sit per formam *(substantialiter)* commutata, sed quod forma sit *(accidentaliter)* materiæ inducta. »

Tunc S. Gregorius hanc similitudinem applicat, non substantiali hominis formationi a Deo, quæ physicam naturalemque Dei imaginem in nobis constituit, sed accidentali et graduæ formationi seu perfectioni intellectuali ac morali, qua magis magisque Deo similes efficiamur. Sic igitur pergit: « Si aliquid tale etiam de anima quis cogitet, a vero non aberrabit. Dicimus enim naturam *(divinam)* omnium Artificem, ex homogenia materia, quæ pars est hominis, statuam fabricare. Sicut autem *(in comparatione proposita)* parva primum arte exsculpitur saxi forma, quæ initio parum quidem determinata est, sed perfectior evadit post operis completionem; sic etiam in sculptura organi humani, animæ forma, secundum subjecti hujus analogiam, imperfecta apparet in homine imperfecto, et perfecta in perfecto. Ast in initio sane perfectus esset homo *(sed tamen adhuc perfectibilis)*, nisi per malum natura mutilata fuisset. Propterea, ob vitiosæ et animalis originis participationem, divina similitudo non statim in humano plasmate illucescit, sed via quadam et ordine homo ad perfectionem ducitur, per materiales et animaliores animæ proprietates. Similem doctrinam magnus ipse Apostolus docet in Epistola ad Corinthios, dicendo: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* » (1. Cor. 13, v. 11).

3°) Comparatio pictoris.

635. — Hac similitudine ostendit S. Gregorius quomodo divinus Artifex, per gratiam et virtutes, auget suam similitudinem in animabus nostris, quæ sunt naturales ejus imagines. « Divina Pulchritudo nullâ figurâ, nec bene sortitâ formâ, per quemdam coloris nitorem resplendet, sed in occulta *(et invisibili)* beatitudine secundum virtutem spectatur. Quemadmodum igitur pictores, dum humanas figuras per colores quosdam in tabulis repræsentant, propria et convenientia pigmenta exemplato suo operi inducunt, ut accurate exemplaris pulchritudinem transferant in imaginem: sic mihi videtur Formator noster imaginem suam juxta propriam Pulchritudinem quibusdam coloribus, quasi floribus circumornasse, virtutes illi immittendo, ut supremam Perfectionem suam in nobis ostenderet. Multiplices enim et varii sunt hi divinæ imaginis quasi colores, quibus vera Dei Forma ad vivum depingitur: non rubor, vel splendor, vel aliqua horum inter se commixtio, vel nigri ad fucum usus, quo supercilia obliniuntur...; sed contra hanc vanitatem puritas, passionum tranquillitas, beatitudo, alienatio ab omni malo, et alia ejusdem generis, quibus formatur in hominibus divina similitudo. Ejusmodi floribus supremus Artifex ornavit propriæ imaginis naturam, videlicet nostram. Si vero et alia perquiras, quibus divina Pulchritudo exprimitur (χαρακτηρίζεται), invenies, etiam quoad illa, divinam similitudinem in imagine nostra *(nempe in anima nostra)* accurate servatam esse. »

Tunc loquitur de cogitatione, sermone et charitate, quibus homo est analogice Deo similis. Potest quoque relatio inveniri, inter hæc tria et tres divinitatis personas.

Alibi animam, essentia ac potentiis operativis constantem, comparat *materiæ*, seu subjecto perfectibili, et gratiam atque virtutes comparat *formæ* perficienti. Etenim anima nostra accidentaliter informatur, seu perficitur gratia et virtutibus, atque vitiis accidentaliter deformatur. (De Hominis opificio, p. 162, et 163).

In alio opusculo docet, perfectionem nostram consistere in conformitate cum Jesu-Christo, qui supremum nostrum Exemplar est, atque *Dei Virtus et Dei Sapientia* (1. Cor. 1, v. 24). (De perfecta Christiani forma, T. 46, p. 251, etc.).

§ IX.

De divino Exemplarismo in S. Gregorio Naz. (*Patr. gr.*, T. 35-38).

Intimus S. Basilii et S. Gregorii Nysseni amicus, atque eorum doctrinæ ac virtutis particeps, S. Gregorius Nazianzenus præclara tam soluta oratione quam metrica scripsit de rerum ordine exemplari in Verbo Dei, et exemplato in ipsis rebus. — Præclare loquitur: 1°) de divini Artificis existentia et ratione, ex miro opificii sui ordine demonstratis; 2°) de rerum ordine generatim, sive in Dei Ratione, seu Verbo, sive in ipsis rebus; 3°) de ordine constitutionis et gubernationis rerum in specie.

I.

De divini Artificis existentia et Ratione, ex miro opificii ejus ordine demonstratis.

1°) Demonstratur Dei existentia.

636. — « Etenim quod Deus sit, ac princeps quædam Causa, quæ res omnes procreaverit, atque conservet, tum nostri oculi ipsi, tum lex naturalis docent: illi *(oculi)*, dum rebus visibilibus aciem affigunt, easque et pulchre fixas et stabiles esse, et progredi, atque immote, ut ita dicam, moveri volvique perspiciunt; hæc autem *(lex naturalis)*, dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas, Auctorem earum certo quidem ratiocinando assequimur. Quonam enim modo universa hæc rerum moles, vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum natura protulisset atque conservaret? »

« Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrime confectam et elaboratam conspiciens, ejusque concinnitatem et constitutionem, aut etiam ipsius citharæ cantum audiens, nihil aliud quam ipsum citharæ opificem et citharædum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum: eodem quoque modo nobis, is qui res effecit, effectusque movet atque conservat, manifestus est, etiamsi mente minime comprehendatur. Ac nimis profecto hebes et stolidus est, quisquis non hucusque sponte sua progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigiis insistit, atque adeo hoc sibi persuadet, ne id quidem Deum esse, quod vel imagine quadam animi concepimus, vel formavimus, vel orationis penicillo utcumque descripsimus. » (T. 36, oratio 28, p. 31, 6°).

2°) Demonstratur Dei Ratio.

637. — « Quid enim tandem illud est, quod cœlestia et terrestria, quæque, vel per aerem, vel per aquam feruntur, vel potius ea, quæ his priora sunt, cœlum, terram, aerem, aquam certo ordine collocavit? Quis hæc miscuit ac sejunxit? Quæ mutua horum societas naturæque cognatio et conspiratio?... Nonne eorum Artifex (τεχνίτης)? Quis vero est horum Artifex? Nonne is qui hæc fecit, et in esse produxit? Neque enim sane casui attribuenda est talis potentia. Atque si rerum factio casui concedatur, cujusnam erit earum ordinatio? Et hoc, si tibi videtur, casui concedamus, cujusnam erit rerum conservatio ac tuitio juxta rationes *(leges)* quibus primum constitutæ sunt? Alterius cujusdam, an casus? Alterius profecto, non casus. Hoc autem *(alterum)* quid tandem aliud esse potest, quam Deus? Sic ratio, quæ ex Deo est, et omnibus insita, et prima in nobis et in cunctis condita lex *(naturalis)* ad Deum ex rebus visibilibus nos subvexit. » (Ibid., p. 47, n.° 16).

II.

De rerum ordine generatim, sive in Dei Ratione, seu Verbo, sive in ipsis rebus.

1°) De ordine mundi naturalis.

638. — « Ordo est omnium rerum pater *(omnia producens)* et præsidium *(omnia conservans)*; atque *de solo Verbo*, rerum omnium Artifice, pulchre dicendus est, si rite capiatur hæc divina vox: *Cum totum a Deo creabatur et sustentabatur, ego aderam cuncta componens; cum adornabat thronum suum supra ventos, ac supernas nubes roborabat; cum fundamenta terræ jaciebat, et stabiles (juges) constituebat fontes, qui sub cœlo sunt, ac Spiritu oris sui virtutem omnem elargitur....* (Prov. 8, v. 30, 27, etc. Psalm. 32, v. 6) » (Orat. 32, p. 186, n.° 10).

« Ordine omnia pulchre disposita sunt, et *dispositor est Verbum;* non quod omnia simul produci non possent, per modum unius; ille enim qui non entibus dedit ut essent, atque entibus tribuit formas et figuras, non erat impotens totum mundum simul producendi et exornandi; sed propterea aliud primum, aliud secundum, aliud tertium numeratur, et sic deinceps, ut ordo statim et simul cum rebus creatis mundum ingrediatur. »

« Ordo itaque *totum mundum* constituit; ordo cœlestia et terrestria continet; ordo regnat in rebus spiritalibus; ordo est in sensilibus; ordo in angelis; ordo in astris atque in eorum motu, et magnitudine, et mutua relatione, et splendore. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate.* (1. Cor. 15, v. 41). Ordo est in anni partibus et temporibus, successive progredientibus ac recedentibus, et per mediam temperiem mitigantibus asperitatem *(extremi frigoris, et caloris)*. Ordo in diei et noctis mensuris et intervallis. Ordo in elementis, quibus corpora componuntur... » (Ibid., p. 182, n.° 7 et 8).

« Ordo *cunctis animantibus* originem et alimentum, et regiones unicuique aptas certa lege statuit... »

« Ordo, ex compositione elementi rationalis et elementi irrationalis, *hominem* animal rationale constituit, atque modo arcano et ineffabili conjunxit terram menti *(animæ rationali)* et mentem animæ *(vegetativæ et sensitivæ)*... Ordo nos a creaturis irrationalibus distinxit, et *civitates condidit*, et leges statuit, et virtutem honoravit, et vitium punivit, et artes invenit,

et conjugia univit, et alliciente progeniei amore vitam lenivit, et divinum amorem infima et carnali libidine meliorem cordibus nostris infixit. » (Ibid., p. 183, n.° 9).

2°) De ordine mundi supernaturalis, seu Ecclesiæ.

639. — « Sed, ut ad illam rem veniamus, cujus gratia hæc omnia disserui, et ad quam jampridem oratio nostra festinat, ordo in Ecclesiis quoque definivit, ut alii quidem sint oves pastæ, alii vero pastores; et ut alii quidem regant, alii vero, regantur; et ut alius quidem sit velut caput, alius vero pes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum, ad pulchram totius Ecclesiæ harmoniam et utilitatem, sive superiorum, sive inferiorum. Et quemadmodum in corporibus, nec membra ab invicem separantur, sed omnia unum corpus sunt ex diversis membris compositum; nec idem omnium munus est, quamvis alia aliorum opera indigeant ad concordiam servandam: neque enim oculus ambulat, sed viam dirigit; nec pes prospicit, sed progreditur et loca permutat; nec lingua voces accipit, quod aurium est; nec auris loquitur quod linguæ officium est; et nasus quidem est odoratus organum; guttur autem, ut ait Job, cibos degustat (Job. 34, v. 3); manus porro dandi atque accipiendi instrumentum est; mens denique omnibus præest atque imperat, nimirum a qua vis sentiendi proficiscitur, et ad quam sensus omnes referuntur; sic etiam apud nos, hoc est in communi Christi corpore, res se habet. »

« Omnes enim unum corpus sumus in Christo, singuli autem Christi, atque alii aliorum membra. Alii enim regunt et præsunt, alii vero reguntur et subsunt. Et quamvis non eadem sit utrorumque actio, siquidem regere et regi non est idem, fiunt tamen unum in uno Christo, ab eodem Spiritu coaptata et constituta. » (Ibid., p. 186, n.° 10 et 11).

III.

De ordine constitutionis ac gubernationis rerum in specie.

1°) Divinus Artifex majorem mundum miro ordine constituit.

640. — Refelluntur Platonis, Aristotelis, Idololatrarum et Manichæorum errores circa mundi auctorem, videlicet falsus Exemplarismus, mundi æternitas, Polytheismus, ac dualitas principii boni et mali. Deinde evolvitur doctrina catholica, seu verus Exemplarismus.

« Jam nunc et magni Dei opus celebremus,
Contra falsas opiniones litigando.
Unus est Deus; materia et formæ *(exemplares extra Dei mentem)*, quas Græcorum
Sapientes Deo coæternas existimant, inanis est fabula
Ac illæ quidem, quos deos effingunt, formæ ab eis adoratæ,
Non erant, sed factæ sunt, magno Deo volente.
Quis autem materiam unquam vidit sine forma, aut sine materia
Formam; etsi mentis evagationibus multum laboraverit?
Neque enim ego corpus reperi sine colore, aut sine corpore
Colorem. Quis ea dissociavit, quæ natura in unum junxit?
Sed tamen dissociemus: mecum considera, si separata
Erant omnino, quomodo in unum venerunt? aut quis ille mundus
Stetit in duas partes omnino divisus? *(Nempe materiam et formam)* Si non mixta erant,
Quomodo mixta sunt? Quis sine Deo miscuit? Si miscuit
Deus, hunc omnium Conditorem agnosce.
Formam etiam faber affingit luto, dum rotam versat,
Aurifex auro, lapicida suis lapidibus.
Defer Deo plus quam menti nostræ, o anarchiæ amator.
Materia enim est aliquid plus cum formis mobilibus *(viventibus)*.
Cogitavit et factæ sunt res informatæ. Divina intentio
Est omnium fecunda genitrix: non enim videtur
Deus, instar pictoris, ex forma *(exemplari)* similem formam expressisse,
Intuendo Exemplar *(externum)*, et manu imitando quod sola Mens non pinxisset.

His versibus ostenditur supremus Artifex opus suum multum potentius confecisse quam pictor, quum sola Voluntate exsecutioni mandarit, quæ juxta propriam Pulchritudinem facere intellexerat et decreverat. — Deinde S. Gregorius refellit dualismum Manichæorum et æternitatem mundi, quam docuit Aristoteles. Et sequentibus versibus mirabiliter explicat quomodo Deus omnia ex nihilo produxit per Verbum suum, et juxta verbum in quo propriam Pulchritudinem ab æterno contemplatur.

« . . . . . Consideremus quo movebatur divina Mens,
Antequam hoc universum staret et formis ornaretur;
Non enim mihi Deus est non agens, nec imperfectus.
Sæculis vacuis *(id est ante tempus)*, supremus Rex, in seipso regnans,
Movebatur propriæ Pulchritudinis dilectum contemplando splendorem,
Trine lucentis deitatis similem æqualemque fulgorem,
Sicut soli deitati, iisque quorum Deus est, clare apparet.
Movebatur et mundi exemplaria intuendo, quæ statuerat
Suis in magnis cogitationibus Mens creatrix mundi
Postea futuri, sed jam Deo præsentis.
Omnia sunt in conspectu Dei, et quæ futura sunt, et quæ fuerunt,
Et quæ nunc adsunt. Mihi autem tempus sic res exhibet,
Ut aliæ priores sint, aliæ posteriores; sed Deo omnia sunt in unum
Collecta, magnæque deitatis sinu continentur.
Propterea quid mea mens repererit, audite.
Divina Mens parturiebat omnia, prorupitque postea partus
Opportunus, quando magnum Dei Verbum hunc manifestavit.
Voluit intelligentem condere naturam, tum cælestem, *(angelicam)*
Tum terrestrem, *(humanam)* primi luminis splendida specula:
Alteram in superis fulgentem, Regis ministram,
Lucis plenam, magnam; alteram hîc decus habentem.
Sic enim voluit diffundere divinitatem *(nempe per similitudinis participationem)* ut plurimis imperaret
Cœlestibus *(mentibus)*, et lux esset fons beatitudinis plurimorum.
Hæc enim est Regis mei natura, ut beatitudinem largiatur.
Sed ne Deo appropinquando creatura æquale illi
Appetens decus, lumen et decus amitteret;
Mensuram *(seu modum)* enim tenere optimum est, non autem tenere, pessimum;
Idcirco his qui futuri erant benevole consulens, Verbum sublime
Longe statuit a Trinitate omne lumen *(creatum)* illam circumdans,
Et ab angelicis choris elongavit humanam naturam. Non tamen angelicam
Jam procul sejunxit, cujus ministerio utitur; nostram vero
Longissime distare fecit, quoniam ex terra facti sumus
Mixta deitati *(per analogiam)*; sed simplex natura *(angelorum)* præstantior est. »

(Ibid., p. 415–423).

2°) Divinus Artifex minorem mundum, seu hominem, miro ordine formavit.

641. — « Mens jam *(in angelis)* et sensus *(in brutis)*, sic inter se discreta, finibus suis se continebant, opificisque Verbi magnificentiam in seipsis ferebant, taciti laudatores magni Opificii et celebres prænones. Nondum autem utriusque temperatio ulla erat, aut contrariorum mixtura, quæ majoris sapientiæ, et variæ naturæ perfectionis manifestatio esset; nec omnes Bonitatis divitiæ manifestæ erant. Tale igitur opus volens Artifex Verbum (ὁ τεχνίτης Λόγος) ostendere, etiam animal unum fabricat ex utraque natura, invisibili et visibili natura compositum, nempe hominem; atque a materia, quæ jam formata erat, corpus accipiendo, a seipso autem spiraculum inserendo, quod intelligentem animam Deique imaginem Scriptura vocat, in terra constituit velut alterum quemdam mundum, in magno parvum *(sic legendum esse patet ex commentario S. Maximi T. 91, p. 686, nota 35, et ex lectione S. Joannis Damasceni T. 94, p. 922, textus et nota)*, angelum alium *(spiritu)*, mixtum adoratorem, visibilis creationis spectatorem, mysticum rerum intellectilium cognitorem, terrestrium regem, superioribus *(cœlestibus)* autem subditum, terrenum et cœlestem, caducum et immortalem, visibilem et intelligentem *(ac proinde invisibilem sub hoc respectu)*, medium inter altitudinem et humilitatem; eumdem spiritum et carnem, spiritum propter gratiam, carnem propter superbiam; illud *(spiritum)* ut maneat et benefactoris gloriam prædicet, hoc *(carnem)* ut patiatur, et patiendo admoneatur, et de magnitudine glorians castigetur; animal hîc *(in terra)* gubernatum, et alio *(in cœlum)* migrans, et quod mysterii extremum est, per mentis ad Deum inclinationem deificatum. Ad hoc enim me elevat præsens splendoris veritatis mensura, ut Dei claritatem videam et sentiam, dignam eo *(divino Artifice)* qui conjunxit *(corpus et animam hominis)* et dissolvit *(morte)* et iterum sublimius conjunget *(in resurrectione)*. »
(Oratio 38, p. 322, n.° 11).

« Ut enim missa alia faciens, meipsum omnemque humanam naturam et compagem intuear,

quæ hæc mixtio nostra est? Quis motus? Quomodo immortale mortali copulatur? Quomodo deorsum fluo, et sursum feror? Quomodo anima circumscribitur? Quomodo vitam dat et passiones participat?... Quomodo cum sensibus communicat, et rursus seorsim a sensibus sese colligit?... Multa de hominis membris et partibus adhuc philosophari potes, atque de mutua earum harmonia, quum naturæ lege ac ratione, ad utilitatem simul et pulchritudinem conjunguntur et distinguuntur, superiores sunt et inferiores, uniuntur et separantur, contineant et continentur... Multa etiam de vocibus et auditu... Multa de oculis... Multa de cæteris sensibus... Multa denique de reliquis, ut omnia uno verbo complectar, quibus parvus hic mundus, id est homo, gubernatur. » (Orat. 28, p. 55, n.° 22).

Præclara quoque cecinit S. Gregorius de anima humana seorsim considerata, in carmine 8° poematum dogmaticorum (T. 37, p. 446).

Orationem 29 his verbis concludit: « Hæc si pro rei dignitate a nobis prædicta sunt, Trinitati atque uni in tribus personis divinitati gratia habenda est; sin autem propter spem præmii imperfectius factum est, sic quoque orationi palma parata est. In hoc enim, omni dicendi contentione incubuimus, ut ostenderemus ne ipsam quidem secundarum rerum *(nempe creaturarum)* naturam hominis mente atque ingenio comprehendi posse, nedum primam illam ac solam naturam, ne dicam omnibus rebus excelsiorem. »

642. — « Sic igitur lata fundamenta fixit immensi mundi
Mens magna *(Dei)* intus omnia portans, quæque ipsa est
Super omnia; quomodo autem caperetur Ars ejus qui capi nequit?
Postquam autem mundum fabricavit, illum sub prima motione,
Veluti trochum, qui semel ictus in orbem torquetur,
Dirigit magnis immobilibusque motum rationibus.
Non enim fortuita est natura tanti mundi,
Ac talis cui nihil simile excogitare possumus.
Ne tantum tribuite fortuitis opinionibus.
Quis domum unquam vidit, quam manus non fabricaverit?
Quis navem, aut celerem currum? quis clypeum aut galeam?
Nec tamdiu permaneret, si careret principio.
Desineret certe chorus sine ductore.
Neque alium quemquam videtur mundus habere Rectorem
Præter eum qui hunc fabricavit. »

Deinde contra astrologos et fatalistas docet Deum regere motum circularem ipsorum siderum, quæ inferiora regunt corpora, sed non hominum voluntatem. Et addit:

« . . . . . Deus hæc omnia gubernat,
Regens hic et illic Dei Verbum, quæcumque supra,
Et quæcumque infra posuit rationibus suis. His quidem dedit
Harmonicum et perennem cursum, semperque stabilem;
Istis vero vitam mutabilem, et multiplices formas habentem,
Quarum partem nobis manifestam fecit, partem in arcanis servat
Sapientiæ suæ, vanam mortalium gloriationem arguere volens;
Atque alia quidem hîc posuit, alia diebus postremis
Occurrent. Carpit agricola matura omnia:
Sic et Christus, optimus meæ vitæ judex.
Hæc mea est doctrina, sine astris, spontanea et libera.
Tu vero (*ô astrologe*) mihi horarum speculatores et minutas enarra
Partitiones, et Zodiacum circulum et vitæ mensuras;
Solve leges vitæ; aufer pavorem improbis,
Et spem bonis in posterum adimplendam.
Nam si circulus *(siderum)* omnia rapit, illius impetu
Volvor ego, mihique voluntatem ipsam circulus inferet;
Nec ulla mihi est voluntas flectens ad id quod præstantius est,
Aut mentis propensio, atque polus *(cœlum)* sic me volutat *(necessario)*.

(Ibid., n. 5., p. 423-427).

S. Gregorius aliud carmen composuit contra divinæ Providentiæ adversarios (n.° 6, p. 430-438).

§ X.

De divino Exemplarismo in S. Ephræm.

Prænotanda. — Quamvis ille Pater ex Nisibe in Mesopotamia sit oriundus, et Syriacam linguam in scribendo adhibuerit, græcis tamen Doctoribus eum adnumeravimus, tum quia ad orientalem saltem Ecclesiam pertinet, tum quia usus est amicitia sanctorum Basilii, Gregorii Nysseni et Gregorii Nazianzeni, tum quia ejus opera, jam ab antiquis temporibus, ex syro in græcum translata sunt, et a græcis Patribus celebrata atque adhibita. Ephræm enim a S. Gregorio Nysseno doctor mundi universi, et a Theodoreto lyra Spiritus sancti nuncupatus est. Ex præclaris ejus operibus pauca tantum excerpemus, quæ divini Exemplarismi doctrinam confirmant.

Referemus quid dicat: 1°) de homine a divino Artifice formato et reformato; 2°) de Trinitatis divinæ vestigiis in anima humana.

I.

De homine a divino Artifice formato et reformato.

643. — « Ex omnibus honorabilissimis Dei creaturis, intelligens ac rationale animal, homo solus secundum imaginem est et similitudinem Dei. » (De virtutib. et passionib. Vers. græco-lat., T. 3, p. 433).

« Providit sapientissimus *Artifex*, ut in ipsa protoplasti molitione, majestas Unigeniti sui patesceret et agnosceretur. Scilicet præsciebat, reliquis in sua integritate perseverantibus, solam Adæ sobolem a propriæ conditionis generositate degeneraturam. Claram idcirco sui Filii notitiam ab initio præmisit, ut Adæ filius Filium Dei olim negaturus, a proprio parente Ada revinceretur, ipso affirmante, si Unigeniti manu de limo fictum, cumque nihil esset, de nihilo ejusdem Voluntate creavisse; rursus, cum post lapsum erraret, ipsius cura fuisse reductum, et gradu repositum pristino. » (Contr. Scrutatores, Serm. 6, Vers. syr.-lat., T. 3, p. 14).

« Quid hoc morbi est? Adeone insanire homines, ut propriæ conditionis obliti, Conditorem adoriantur, et incomprehensum comprehendere obtinet pulvis et umbra? Quam oppido magis consentaneum foret, ut terrenæ concretionis conscii, divino *Archetypo*, ad cujus imaginem formati fuerunt, se modeste submitterent! » (Ibid., serm. 6, p. 128).

II.

De Trinitatis divinæ vestigiis in anima humana.

644. — « Anima in tria dividitur: rationale, irascibile et concupiscibile... Triplex itaque cum sit anima, sicut antea explicatum est, tres sunt partes illius, ut dictum fuit: intellectio, irascibilis ac concupiscibilis. Si sit in irascibili dilectio et benignitas, et in concupiscibili puritas ac temperantia, intellectus lumine perfusus remanet. Si in irascibili sit hominum odium cupidoque, atque intemperantia in concupiscibili, intelligendi vis tenebris perfunditur. »

« *Ratiocinium* tunc recte valet, suique est compos ac luce illustratur, quando affectiones pravas subjectas tenet, et rationes operum Dei spiritualiter speculatur, et ad beatam sanctamque Trinitatem perducitur. »

« At *irascibilis* tunc rursus movetur secundum naturam *(rationalem)*, quando universos homines diligit, et contra nullum eorum aut mœrorem, aut injuriæ memoriam tenet. »

« *Concupiscibilis* vero, cum continentia et humilitate, ac voluntaria paupertate affectiones mortuas reddit; id est voluptatem carnis ac pecuniarum, gloriæque transeuntis cupiditatem, atque erga divinum ac cœlestem amorem convertitur. — Etenim cupiditas ad tria movetur: aut ad carnis voluptatem, aut inanem gloriam, aut pecuniarum deceptionem; et propter hunc irrationabilem appetitum, Deum spernit ac divina præcepta, propriæque nobilitatis obliviscitur, ac contra proximum ferox evadit, et intellectum obscurat, neque sinit ad veritatem aspicere; quibus qui superiorem mentem possidet, ex hoc tempore, cœlorum regno perfruitur, beatamque vitam vivit, exspectans repositam diligentibus Deum beatitudinem, qua etiam nos digni efficiamur per gratiam Christi... »

« Ita igitur a prædictis malis affectionibus mens liberata, atque in Deum erecta, dein vitam beatam vivit, pignus recipiens Spiritus sancti; atque a præsentibus discedens, sine perturbatione et cum vera cognitione sistitur ante lumen sanctæ beatæque Trinitatis, cum divinis angelis per infinita sæcula resplendens. » (De Virtutib. et Passion., Vers. græco-lat., T. 3, p. 430).

§ XI.

De divino Exemplarismo in S. Cyrillo Alexandrino. (*Patr. gr.*, T. 68-77).

645. — **Prænotanda.** In *Thesauro de SS. Trinitate*, T. 8, operum, S. Cyrillus omnia tradit scholasticæ scientiæ principia. Tota ejus doctrina

informatur divino Exemplarismo, qui passim in libris illius apparet, et quidem sub iisdem vocabulis, quibus ipsi usi sumus, juxta Scripturæ ac Patrum loquendi modum. Passim occurrunt verba sequentia: Exemplar (τύπος, Ἀρχέτυπον); — forma (εἶδος, χαρακτὴρ, μορφή); — formatio (μόρφωσις, πλάσις); — reformatio (ἀναμόρφωσις, ἀνάπλασις); — transformatio (μεταμόρφωσις, μετάπλασις); — figmentum, species formata (μόρφωμα, πλάσμα); — formator, figulus (πλάστης)..

Decem S. Cyrilli Tomos, et potissimum omnia in Joannem commentaria, transcribere possemus, ad Exemplarismum, tam naturalem quam supernaturalem, in præclaro illo Patre ostendendum, sed doctum lectorem ad egregia ejus opera remittimus, et pauca tantum ex eis transcribemus de mundi ad exemplar divinæ Formæ archetypæ 1°) formatione, 2°) reformatione et 3°) transformatione a Patre, per Verbum in Spiritu sancto.

I.

De mundo ad divinam similitudinem formato a Patre, per Verbum, in Spiritu sancto.

1°) De divina Trinitate omnium rerum Artifice.

646. — « Theologus *(nempe S. Joannes)* factorem (ποιητήν) rerum et opificem (δημιουργόν) secundum naturam suam esse persuadet Unigenitum, dicens, omnia per ipsum facta esse... Hoc enim pacto ex pulchritudine creaturarum Artificem (τεχνίτην) similitudine quadam cernere licet, et illum qui Est in veritate (τὸν Ὄντα κατ' ἀλήθειαν) Deum agnoscere, per quem omnia facta sunt, et facta conservantur. » (T. 73, p. 78).

« Omnia quippe facta sunt per Ipsum *(Verbum)* tanquam per virtutem et sapientiam Dei ac Patris... Atqui, cum sit ipse solus virtus Dei ac Patris, qua Filius et Unigenitus omnia operatur, cooperante nimirum et coexistente ipsi (συνόντος αὐτῷ) Patre et Spiritu sancto, omnia igitur sunt ex Patre, per Filium, in sancto Spiritu. » (Ibid., p. 79).

« Non enim seorsim et solum aliquid operari circa res existentes Deum ac Patrem, dicit Filius, in Joan. 5, v. 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, et seipsum vicissim operari sine Patre, et ea quodammodo cessante substantia ex qua procedit. Sic enim duo essent, non unus Opifex, si vicissim ac seorsim operatur uterque. » (Ibid., p. 82).

« Quemadmodum est in omnibus quæ facta sunt, Verbum vita, vivificans nempe ea quæ vitæ sunt capacia, ita quoque in eis, quæ intelligentiæ et prudentiæ sunt capacia, est lux id quod sunt efficiens. Omnia enim est in omnibus Pater, per Filium, in Spiritu *(ut omnia sint, conserventur et operentur)*. » (Ibid., p. 102).

« Cuncta enim divina opera a Patre fiunt, per Filium, in Spiritu sancto. » (T. 74, p. 819).

« Creavit enim, et ad esse cuncta vocavit Pater, per Filium, in Spiritu sancto. » (Ibid., p. 499).

2°) De omnibus creaturis exemplariter ac vitaliter in Dei Verbo præexistentibus.

647. — Dicitur in Evangelio S. Joannis: « *Quod factum est in Ipso (Verbo) vita erat.* » S. Cyrillus hæc verba intelligit de omnibus creaturis, quæ exemplariter ac vitaliter in Verbo, sive in Ratione Dei, præexstiterunt, et quæ virtute Verbi productæ sunt atque continuo conservantur, juxta illud D. Pauli « *portansque omnia Verbo virtutis suæ.* » (Hebr. 1, v. 3).

« Creatorem et opificem Filium esse secundum naturam, paulo ante nobis ostendit *(S. Joannes)*, dicendo omnia per Ipsum facta esse, et sine Ipso nihil ad existentiam fuisse vocatum. Cum autem creaturæ non solum esse largiatur, sed eam quoque a se creatam contineat, seipsum immiscendo quodammodo iis quæ æternam durationem secundum propriam naturam non habent, et vita rebus existendo, ut creatæ maneant ac serventur, juxta convenientem uniuscujusque naturæ modum, necessario subjicit Evangelista: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Non solum ait: *Per ipsum omnia facta sunt,* verum etiam: quidquid factum est *in ipso vita erat;* hoc est unigenitum Dei Verbum, omnium Principium *(exemplare et efficiens)* ac fundamentum visibilium et invisibilium; cœlestium, terrestrium et infernorum. — Ipse enim, cum sit Vita secundum naturam *(sive per Essentiam)*, esse et vivere, et moveri diversimode entibus *(rebus)* elargitur, non per divisionem aut sui immutationem quamdam, singulas res natura dissidentes permeando, sed creatura per ineffabilem sapientiam et virtutem Opificis juxta ipsum variatur. Una autem Vita est omnium *(scilicet Verbum per se vivens ac suprema omnium Causa exemplaris et efficiens)*, singulis pro cujusque modo ac potentia se communicans *(per similitudinis participationem)*. — Quum enim illud, quod a non esse in esse productum est, necessario etiam corrumpatur, et quod initium prorsus habet, ad terminum tendat; uni enim divinæ ac supremæ naturæ convenit initio et fine carere; ideo summus Opifex creaturarum infirmitati consulit, ac perpetuitatem quamdam eis arte sua fabricat. Nam successiones et physicæ vicissitudines rerum genere vel specie similium, eumdem semper et continuum cursum tenendo, efficiunt ut

creatura perpetua videatur, eamque Creatori Deo stabilem et constantem servant. Atque illud est nimirum, quod ineffabili Opificis voce pronuntiatum est, unamquamque rem seminare in seipsa semen juxta speciem suam, et similitudinem. Verbum igitur erat in omnibus Vita... Itaque si Verbum est per participationem in creatis rebus, quoniam eas vivificat, ipsum non est inter ea quæ illud participant, sed aliud nimirum ab eis. Quod si hoc, non igitur creatum est, sed est in illis tanquam vita per naturam (per essentiam). » (Ibid., p. 86, cap. 6).

3°) De homine ad Dei imaginem formato, et per peccatum deformato.

648. — « Ad imaginem et similitudinem supremi omnium Dei factum esse hominem divina Scriptura testatur. Moyses quippe, ille Deo notus præ omnibus hominibus, in primo libro Geneseos: *Et fecit*, inquit, *Deus hominem; ad imaginem Dei fecit eum.* (Gen. 1, v. 27). Quod autem per Spiritum ad imaginem Dei fuerit obsignatus, ipse nos docuit his verbis: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* (Gen. 11, v. 7). Simul enim et vitam plasmati Spiritus indidit, et suos characteres divinitus impressit. Sic postquam in terra animal ratione perfecit, ille optimus Artifex (ὁ ἀριστοτέχνης) Deus salutare mandatum ei dedit. Et erat in Paradiso, sicut scriptum est (Gen. 2, v. 21), servans adhuc mandatum, et divina Creatoris imagine conspicuus per inhabitantem Spiritum. »

« Sed cum diaboli fraude seductus, Opificem contempsisset, et imposita sibi lege conculcata, benefactorem offendisset, gratia sibi data spoliatus est, atque tunc primum audiit: *Terra es, et in terram reverteris.* (Gen. 3, v. 19), qui factus erat ad vitam: adulterata est similitudo Dei in occursu peccati, nec jam characteres amplius erant in ipso clari et splendidi, sed subobscuri, ac tenebris involuti, ob transgressionem. Sed humano genere in immensum propagato, cum peccatum regnaret in omnes, et uniuscujusque animam deprædaretur, primitivâ quidem gratiâ natura destituebatur; recedit penitus ab eis Spiritus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* (Gen. 6, v. 2), et in extremam rationis penuriam labitur homo rationis ille particeps, ipsum etiam ignoscens Creatorem. » (Ibid., p. 203).

II.

De mundo ad divinam similitudinem reformato a Patre, per Verbum in Spiritu sancto.

1°) Dogmatica hujus reformationis expositio.

649. — a) « Sed universorum Opifex, diuturna usus patientia, denuo misertus est corrupti orbis, et fugitivum in terra gregem superis aggregare, cum sit ipse bonus, impulsus est, et humanitatem ad pristinam imaginem per spiritum reformare statuit. Non enim in ea elucere poterant divini characteres aliter, quam prius erant. Quid ergo ad hoc molitus sit Deus, quomodo gratiam in nobis integram inseruerit, aut quomodo rursus in hominibus radicem Spiritus egerit, quove pacto natura in pristinum statum reformata sit, exponendum est deinceps... »

« Quoniam igitur primus Adam gratiam sibi a Deo datam non servaverat, destinavit nobis cœlitus secundum Adam Deus ac *Pater*. Misit enim in similitudinem nostri proprium suum naturâ *Filium*, mutationis et corruptionis nescium ac peccati prorsus expertem, ut sicut per inobedientiam primi Adam, divinæ iræ subjecti fuimus, ita per obedientiam secundi, maledictionem illam fugiamus, ejusque mala desinant. (Rom. 5, v. 13). Cum autem homo factum sit Dei Verbum, *Spiritum* a Patre accepit, tanquam unus ex nobis, non sibi aliquid proprie accipiens, quum sit Ipse largitur Spiritûs, sed ut acceptum naturæ nostræ conservaret tanquam homo, et rursus in nobis radicaret gratiam quæ recesserat, ipse qui peccatum non novit. » (Ibid., p. 206).

b) « In principio quippe, sicut nobis divino Spiritu afflatus Moyses scripsit, accepto pulvere de terra, quum formasset hominem universi Opifex, *insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ* (Genes. 2, v. 7). Quodnam autem est spiraculum vitæ? nisi Spiritus Christi, qui ait: *Ego sum resurrectio et vita.* (Joan. 11, v. 35). — Postquam vero ex humanitate aufugit et evolavit sanctus Spiritus, qui nos ad divinum characterem conformare atque servare poterat, hunc rursus nobis Salvator elargitur, humanitatem in antiquam restituendo dignitatem, et in suam ipsius imaginem transformando. Idcirco Paulus ad quosdam ait: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* (Galat. 4, v. 19). » (Ibid., p. 755).

« Quum autem totius creationis Opifex omnia in Christo instaurare pulcherrimo sane ordine statuisset (Eph. 1, v. 10), et hominis naturam denuo in antiquum statum restituere, pollicetur, una cum cæteris bonis, se ipsi largiter redditurum quoque Spiritum sanctum, quum aliter in pacatam stabilemque bonorum possessionem redintegrari non posset. « (Ibid., p. 751).

c) « Fieri enim non poterat, ut nos qui semel excideramus, ob prævaricationem in Adam, aliter in statum pristinum revocaremur, quam si ineffabilis illius participationis et unionis cum Deo compotes efficeremur; sic enim initio natura hominis in hac terra decorata fuit. Unio

autem cum Deo non aliter in quoquam esse potest, quam per sancti Spiritus participationem, propriam nobis sanctificationem inserentis, et naturam corruptioni subjectam ad suam vitam reformantis, atque sic gloria ista privatos revocantis ad Deum, et ad illius formam. Imago enim Patris perfecta Filius est, naturalis autem similitudo Filii est Spiritus ejus. Itaque hominum animas aliquatenus in seipsum transformando, divinam eis similitudinem (μόρφωσιν) imprimit, et supremæ omnium substantiam effigiem insculpit. »

Deinde docet hanc animarum nostrarum conformitatem ac unionem cum Deo fieri in intellectu et voluntate per fidem et charitatem, atque addit: « Neque vero tantam vim, tantumque charitatis et consensionis in nobis vinculum esse posse dicimus, ut identitate substantiæ per omnia æqualiter uniti, modum unionis Patris et Filii exprimamus. Hæc enim naturalis est, ac vera, et hypostatice considerata; illa vero unitatis formam imitatur. Quomodo enim fieri potest ut exempla (ἀντίτυπα) penitus æqualia sint exemplaribus (ἀρχετυποις)? Nam veritatis imitatio non censetur eadem cum ipsa veritate, et quamvis specie tenus eædem appareant, non parum tamen inter se differunt. » (Ibid., lib. 11, T. 74, p. 554 et 555).

2°) Comparatio sculptoris.

650. — « Supponamus igitur hominem quemdam nobis similem, eumque fingamus esse peritum artis ærariæ: is ad fingendam statuam, aut mutilam emendandam aggreditur. Quomodo, quæso, operabitur, aut quo pacto quod intendit perficiet? Mandando nimirum virtuti manuum suarum, et sapientiæ artis suæ, ut quod decreverit opere perficiant. — Atqui, licet sapientia et virtus ejus a ratione concipiantur tanquam aliud ab ipso, tamen nullatenus ab ipso aliæ sunt; unum enim et hæc cum eo habentur in substantiæ unitate. Tale quid de Deo intelliges; non tamen per omnia exemplo similem esse vim et rationem ejus putaveris. Deus enim qui cuncta exsuperat, supra omne exemplum intelligi debet... Tale quid igitur de Deo ac Patre intelliges, et de Verbo, quod ex ipso secundum naturam est genitum, quum aliquid ei humanum demandari dicitur. Clarificavit ergo in terra Patrem ac Deum Sapientia et Virtus ejus. (1, Cor. 1, v. 24), id est Christus, perfecto opere quod dedit ei. (Joan. 17, v. 4 et 5)... »

« Cum Deus sit verus, Voluntate ac beneplacito Patris factus est homo, totum orbem salvare volens, et lapsum genus humanum ad vitam æternam ac veri Dei cognitionem instaurare cupiens. Quod utique factum est virtute et potestate divina Christi, qui mortem quidem destruxit, ac diaboli tyrannidem evertit, deletoque peccato, charitatem erga nos incomparabilem exhibuit, omnibus remittendo peccata, et in errore positos illuminando unius ac veri Dei cognitione. Cum ergo sua vi talia Christus egerit, clarificatus est Pater ab omnibus, agnoscentibus videlicet sapientiam et virtutem, ejusque bonitatem ac misericordiam ergo homines. Refulsit enim, et manifestatus est in Filio, utpote in imagine et charactere naturæ suæ, et a fructu arbor est agnita, sicut scriptum est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* » (Matth. 7, v. 20). (Ibid., p. 494).

3°) Reformamur Christum imitando.

651. — « Typus *(Exemplar)* nobis, et principium, et imago divinæ conversationis Christus constitutus est, et quomodo nos vivere deceat clare exhibuit. Subtilissime enim istud explicant Evangelistæ. Docet igitur *(S. Joannes)* his verbis unumquemque nostrum, si traditum nobis ministerium impleamus, et jussa Dei perficiamus, tunc nostris operibus eum nos clarificare, non quasi addamus aliquid non habenti: nam plena est gloriæ divina et ineffabilis natura; sed quia facimus ut a spectatoribus, atque ab iis qui utilitatem hinc percipiunt, glorificetur. Et quidem Salvator: *Luceat lux vestra*, inquit, *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* (Matth. 5, v. 16). Nam quando fortiter ac bene propter Deum agimus, gloriam quæ hinc oritur nequaquam capitibus nostris arcessimus, sed omnipotentis Dei honori et gloriæ celebritatem conciliamus. » (Ibid., lib. 11, p. 490).

« Seipsum igitur imaginem ac typum istius rei exhibens, et in medium proferens quod erga nos peregerat, suadet ut Magistrum suum imitentur, ac similibus operibus clareant, dicendo: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* et quæ sequuntur. Finge enim eum ita loqui: Præcingimini dilectione mutua, o discipuli. Hæc enim profecto sapere et facere alii in alios ipsi debetis, ac vehementissimo studio operari atque eniti quæ prius in vos ego perfeci. Ego enim elegi vos, non vos me. » (Ibid., lib. 10, p. 390).

III.

De mundo ad divinam similitudinem transformato a Patre, per Verbum in Spiritu sancto.

652. — « *In eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam* (Vulgata: a claritate in claritatem), *tanquam a Domini Spiritu.* » (2. Cor. 3, v. 18).

S. Cyrillus hæc verba intelligit vel de fidelium transitu a figuris veteris revelationis, ad

veritatem novæ revelationis, per gratiam et Spiritum Christi; vel de transitu a gloria christianæ revelationis ad completam gloriam mentis in visione beatifica, et corporis in beata resurrectione. Duplex autem transitus ille, seu transformatio fit juxta supremum Exemplar, quod Christus est, perfecta Patris Imago.

1°) Fideles spiritualiter transformantur per Christianam revelationem.

« Transfiguratur quodam modo credentium mens ex legalibus rudimentis ad evangelicam scholam, et transformatur, ut ita dicam, in spiritalem speciem, umbræ jam atque figurarum impatiens, sed e legali gloria ad aliam in Christo gloriam per Spiritum demigrare gestit. Ergo in eamdem imaginem transformamur: convertendo enim figuras in veritatem, et ex Legis umbra mysterium Christi efformando per subtile mentium nostrarum ratiocinium, eamdem gloriam tanquam in specie inveniemus. Si enim gloria data fuit Legis ministris, major profecto, et priorem incomparabiliter superans, est gloria sanctorum Sacerdotum, qui a Deo facti sunt idonei ministri novi Testamenti, non littera, sed spiritu. (2. Cor. 3, v. 6). Exploratum enim est neminique obscurum, eos qui a legali disciplina ad evangelicam perfectionem transeunt, hos omnino credendum esse tanquam ex gloria priore in aliam transiisse, atque ad meliora fuisse transgressos. Qui autem illos sic transfert, ipse Spiritus est, qui a legis servitute liberat; in ipso enim clamamus: Abba, Pater, (Rom. 8, v. 15), ut filii et liberi... »

2°) Fideles complete transformabuntur per gloriam, et corporis resurrectionem.

« Quod si quis forte velit alio quoque sensu intelligere imaginis nostræ transformationem de gloria in gloriam, hoc apud se reputabit, nos quicumque Christum cognovimus, et relati fuimus inter filios Dei, in gloria prorsus versari; verumtamen tempore resurrectionis eamdem nostram imaginem de gloria in gloriam transformatum iri, tanquam a Domini Spiritu. Ipse enim Christus, qui pignus Spiritus elargitus est, quod nunc deest, tunc addet, atque ipsum corpus humilitatis nostræ transformabit ad conformitatem cum corpore gloriæ suæ. (Philip. 3, v. 21). » (Tom. 74, p. 930).

3°) Totus mundus per gloriam, cum homine resuscitato transformabitur. *Exspectatio enim creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat.* (Rom. 8, v. 19).

« Exspectatio quidem spes est, et præstolans rerum eventûs observatio. Porro creatura *(mundus materialis)* revelationem filiorum Dei exspectat, non sane quod ipsa futuri sit præscia; quomodo enim, vel undenam id fieri potest? Sed quia per arcanam Dei dispositionem, cuncta ad melius gubernantis, ad hunc finem perveniet. Translatis enim tanquam ex dedecore in gloriam, et ex corruptela in incorruptionem, Dei filiis, eis nempe qui honestam vitam delegerint, ipsa quoque creatura plane in melius transformabitur. Qua de re divus Petrus nos dubitare non sinit dicens: *Novos cœlos et novam terram, secundum promissa ipsius, exspectamus.* (2. Pet. 3, v. 13.) » (Ibid., p. 822).

§ XII.

De divino Exemplarismo in S. Anastasio Sinaita. (*Patr. gr.*, T. 89).

S. Anastasius mysticam edidit explicationem Hexæmeron in divino Exemplarismo fundatam. Mundi enim ad exemplar divini Artificis formationem applicat formationi Ecclesiæ christianæ in sequentibus propositionibus: 1°) Narratio formationis mundi ad exemplar divini Artificis, potest mystice intelligi de Christo ejusque Ecclesia; 2°) Principium, sex dies et terminus productionis mundi applicantur SS. Trinitati et Christo; 3°) Laudatur pulchritudo Ecclesiæ, Christi conjugis, ad divinam imaginem formatæ.

I.

Narratio formationis mundi ad exemplar divini Artificis, potest mystice intelligi de Christo ejusque Ecclesia.

653. — In præfatione prædicti Commentarii in Hexæmeron, S. Anastasius docet divinum Artificem unum et trinum, ad propriæ Pulchritudinis exemplar magna duo condidisse opificia: mundum universum condidit, per invisibile Verbum suum, in opere Creationis, seu productionis rerum; et Ecclesiam Christi condidit, per Verbum suum incarnatum, in opere Redemptionis, sanctificationis et glorificationis. — Atqui, mundum creando atque ornando, Ecclesiam et Christum, Caput ejus, jam intendebat, tamquam perfectius opificium, seu tanquam finem prioris operis sui, ita ut imperfectius opificium fecerit juxta exemplar perfectioris, et utrumque juxta propriam Perfectionem. — Ergo, Moyses mundi productionem et perfectionem enarrando in sensu litterali, Ecclesiæ quoque fundationem, continuationem et consummationem descripsit in sensu prophetico et allegorico. S. Anastasius asserit multos doctores Alexandrinos hoc sensu intellexisse Moysis cosmologiam, verbi gratia S. Pantænus, Clemens, Ammonius, S. Papias, S. Cyrillus. Addemus, S. Augustinum

inter Patres latinos, eadem mente interpretatum fuisse Geneseos initium.

Aliqua S. Anastasii verba audiamus:

« Ab ipso Deo, universorum Effectore, effecta sunt duo opificia: unum quidem quo produceretur homo, et, ut semel dicam, omnis res creata; alterum autem quo bene esset et homo et universa res creata, quum ipse carnem suscepit, liberatis omnibus ab interitu, quando acceperunt ut bene essent. Divinus autem propheta Moyses prævidit etiam productionem et opificium creaturæ ad hoc ut bene sit, et scribens quasi creatura jam ad hoc deducta esset, in ipsa etiam Scriptura inseruit ejus reformationem per Christum, ad hoc ut bene sit, sed stylo quodam prophetico, obscuro et allegorico. Omnia enim quæ sunt in cœlis et in terra, Deus prius construxit in Sapientia ad ejus formam et priorem descriptionem, *(nimirum juxta æternas Sapientiæ suæ ideas.)*... »

Deinde docet divinam Sapientiam ante omnia opera sua intendisse Christum ejusque Ecclesiam, quæ est corpus ejus. Ipsius autem Ecclesiæ in terra militantis exemplar est Ecclesia in cœlo triumphans, quæ prima est in ordine intentionis supremi Artificis. Sed militans Christi Ecclesia est exemplar Synagogæ, et totius mundi visibilis ac invisibilis. Unio quoque Christi et Ecclesiæ est exemplar unionis Adami et Hevæ, sive viri et mulieris, sicut scribit Apostolus ad Eph. 5, v. 32. Itaque sanctus abbas dicit de Moyse, mundi originem narrante: « Per omnem creaturam cœli et terræ, Christum qui in ipsa et per ipsam loquitur, prædicat et magnifice commendat. Hæc discens Ecclesia exsultat et lætatur... quoniam universa quæ cernitur et intellectu percipitur creatura, ad ejus imaginem et Sponsi sui Christi prius constructa fuit et præformata. »

De Christo supremo omnium exemplari intelligit verba Apostoli: « *Ut notum faceret nobis sacramentum Voluntatis suæ... instaurare* (græce: recapitulare) *omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso.* » (Ephes. 1, v. 9 et 10.) « Quid est, inquit, in caput redegisse et instaurasse, quam ea quæ rationibus in ipso prius erant figurata et adumbrata, reipsa factis in ipso esse impleta? »

In eodem sensu explicat textum ad Coloss. 1, v. 16, etc.: *Primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia... omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Ad hæc ait S. Anastasius: « Dei autem Apostolus, dicendo omnia et visibilia et invisibilia in Christo esse creata, aperte ostendit et docet, quod ipsa etiam invisibilis creatura prius exemplata et facta fuit in Christo et Ecclesia *(exemplaribus)* ».

II.

Principium, sex dies et terminus productionis mundi applicantur SS. Trinitati et Christo.

654. — Hoc probat S. Anastasius in corpore præfati operis:

1°) *De principio* dicit: « Omnium rerum, quæ intellectu percipiuntur Principium, est omnia principia superans Deus, qui fecit omnia, et non ex ea, quæ prius fuit materia, sed ex nihilo produxit, et ea quæ solo intellectu percipiuntur *(nempe spiritualia)*, et elementa *(materialia)*. » (P. 858).

In verba: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, inquit: « Veluti per synecdochen quodam termino complexus est, per duas dictiones, opificium et creationem mundi qui aspicitur, et mundi qui intelligitur *(nempe mundi invisibilis)*, quem in principio fecit Deus; in Principio, inquam, paterno, nempe Ratione seu Verbo: *In ipso enim, et per ipsum omnia facta sunt.* » (Coloss. 1, v. 16). (P. 861).

2°) *Senarii numeri* perfectionem Christo applicat, qui omnia in se recapitulat. « Adverte autem tu, qui Dei pulchra facientis res pulchras contemplaris, ut cognoscas quod ipse quoque sex dierum creaturæ Opifex Christus, constat quodam modo ex numero senario; nempe ex carne quæ constat ex quatuor elementis, et ex intelligente anima, et ex divinitate. — Ergo si omnia per ipsum, et in ipsum tendentia creata sunt, tam quæ sunt in cœlis, quam quæ in terra, ut clamat Paulus (Coloss. 1, v, 16, etc.) omnino significant senarium qui est in Ipso, et Eum significat omnis numerus senarius qui est in veteri et novo Testamento... » (P. 942).

Ternarium numerum, qui ubique in divinis operibus invenitur, refert ad Trinitatem, omnium Artificem. Sic verbi gratia, loquitur de luce, quam Deus fecit prima die, atque de luce solis, lunæ et stellarum, quæ mundum quarta die illuminavit, et quam suo modo sic explicat: « Primo quidem die, Deus creaturam illuminavit per unam quamdam singularem et individuam lucem, antequam adessent sol, et luna, et stellæ; revelans scilicet et ostendens illuminationem divinitatis in mundo. In hoc autem primum perfecto quarto die, in quo præsentia solis super terram e cœlo apparuit, cognovit mundus trinam illuminationem et trinam lucem ejusdem simul naturæ, in typum Sanctæ Trinitatis. In

illa quidem prima luce, docemur unitatem divinitatis; in hac autem trina luce significatur trinitas earum, quæ simul sunt ejusdem naturæ, personarum.» (P. 895).

3°) Præterea invenit vestigium SS. Trinitatis *in septenario numero*, qui ternario perficitur. «Die ergo septimo, quiescere facit ac implet creaturam Opifex, ut ostendat increatam Trinitatem: septem enim et tria fiunt decem. Denarius autem numerus est qui continet et implet omnes numeros, ut dixerunt qui sunt exculti disciplinis arithmeticis.» (p. 950).

Novenarius tandem numerus exprimit adorandam Trinitatem, quia tribus ternariis similibus componitur. Triplicem autem hunc ternarium invenit S. Anastasius in triplici revelatione: primitiva, mosaica et christiana, qua divinum Verbum eamdem Trinitatem docuit hominem, quamvis non eodem modo: «Novenarius autem numerus, ut qui in tribus similibus prædicarit mysterium Trinitatis: nempe naturali, scripto et mystico; ter autem tria, sunt novem.» (Ibid.).

III.

Laudatur pulchritudo Ecclesiæ, Christi conjugis, ad divinam imaginem formatæ.

655. — *In conclusione* contemplationum suarum in Hexæmeron, auctor admiratur ac magnifice celebrat Ecclesiam tanquam pulcherrimam *Dei Patris* filiam, ab illo creatam ad suam imaginem, atque ad similitudinem novi Adam; et tanquam dilectissimam novi Adæ uxorem, vel mysticum corpus *Christi*, qui redemit eam sanguine suo; et tanquam purissimam columbam *Spiritus sancti*, qui sanctificavit eam omnibus gratiæ donis, quibus sancta Ecclesia filios suos parit, illuminat, fovet, nutrit et multiplicat.

1°) «Benedicta tu in posterum inter mulieres, sola vita, et genitrix vitæ, mater fidelium, illustris Christi mater Ecclesia, conjux spiritualis Adæ Dei... Solam enim te vir tuus *(tanquam Deus)* ad imaginem suam et similitudinem fecit conformem gloriæ Dei, veluti reliquis omnibus synagogis ad imaginem inimici serpentis formatis et effectis... Te ædificavit sibi in domum et mulierem, reliquis omnibus mulieribus tibi dissimilibus.»

«Ecclesiis, quæ in orbe sunt, relictis, in errore manentibus... Te Deus, utpote pulcherrimam ad Filium suum mulierem adduxit, cum reliquæ omnes mulieres, quasi meretrices et adulteræ, foras vagentur, et inquinentur. Tibi soli evangelizavit dicens, te ad virum tuum Christum conversum iri: quasi reliquæ synagogæ eum minime respiciant, et ad eum minime convertantur... Tu sola os ex ossibus solidæ divinitatis ejus, in qua abscondit divinitatem suam, os enim non comminuetur ex eo...»

2°) «Tui amore correptus Amator tuus bellacem Judæorum populum, et eorum matrem adulteram Synagogam reliquit, tibique adhæsit, et agglutinatus est uxori suæ omnino incorruptæ, et facti estis in unam carnem, in unum corpus, in unum sanctum corpus, in unum Christum, in unam fidem, in unum gregem, in unum pastorem, cæteris omnibus gregibus et populis multos pastores et impostores habentibus... Te Dominam, Principem et Reginam constituit avium cœli, sanctorum angelorum; pecorum, nationum, mutorumque piscium; subditaque mancipia infidelia, fidelia concinnavit... Quare benedicta iterum inter mulieres tu sola, o multis redimita coronis, multos filios enixa, et multa luce fulgens Ecclesia Dei Christi, tu sola inter mulieres benedicta, nulla alia; tu enim sola a Domino tuo dominaris, cæteris omnibus populis sub draconis imperio manentibus... Tu sola adjutrix facta es homini, adjutori et protectori tuo Deo, *(nempe Christo Deo-Homini)* laborando, docendo, prædicando, illuminando, convertendo, ad illum vocando quasi ad lucem, omnes eos qui jacent in tenebris et in umbra mortis gignendo et pariendo, pane nutriendo et calice potando; augendo et fructificando, inserendo, plantando et quotidie curando hortum tuum paradisum, tuique gregis parvulos...»

3°) «Ne desinas, incorrupta sancti Spiritus columba, Ecclesia Dei, in corde meo manere, et inambulare, ibique multos per me pullos parere. Ne dedigneris, o viri amans et uno viro contenta, Christi turtur, ex ore tuo cibum satiantem in ore meo infundere, ut inde te tuique niduli pullos vicissim nutriam. Ne cesses, o cœlestis luscinia, suavi cantu tuo et modulatione aures meas demulcere, ut semper nidulo tuo circumvolitans, pullos tuos oblectem. Ne moreris, o perennis fons vitæ Paradisi, e tui contemplationis Eden, scaturire nobis æternos et limpidos tuos latices, ut aquâ vivâ saturare possint rationales istos et animatos ovium greges. O pulchra et coronis redimita horti cultrix, ne defatigeris nos inoculando et emplastrando, ut vicissim propagines tuas pulchre disponere et inoculare possimus. O luna semper lucida, ne cesses præire nobis, et facem præbere per noctem impietatis et scripturarum tenebras atque difficultates. O conjux et comes te circumradiantis viri tui solis Christi, ne desinas radios ex eo nobis infundere, ut ita per te multis luminaribus accensis, ea tibi rursus appendam. Eia Dei thesaure, oro te et obtestor, puram et regiam

veræ tuæ imaginis pecuniam abunde nobis suppedita, ut illud in nummulariorum tuorum animas demittendo, ita te divitiis abundantem, per eos ditemus! » (P. 1071-1075).

§ XIII.

De divino Exemplarismo in S. Maximo. (*Patr. gr.*, T. 90 et 91).

S. Anastasii Sinaitæ coævus, S. Maximus sublimia S. Dionysii Areopagitæ opera commentatus est, et divinum ac trinum Exemplarismum aperte docuit loquendo: 1°) de divina Trinitate omnium rerum Artifice et Archetypo; 2°) de natura rerum juxta Deum exemplatarum; 3°) de creaturarum analogia cum Deo et inter se.

I.

De divina Trinitate, omnium rerum Artifice et Archetypo.

656. — 1°) S. Maximus divinitatem Filii et Spiritus sancti, contra Arianos, Macedonianos et Apollinaristas propugnavit, *in tribus de Sancta Trinitate dialogis*, qui a quibusdam auctoribus S. Athanasio attribuuntur, ab aliis autem et probabilius S. Maximo. Dialogi isti in Patrologia græca reperiuntur inter opera S. Athanasii, T. 28, p. 1114. Auctor divinitatem Filii et Spiritus sancti probat, præcipue ex eo, quod sint Patri ac inter se consubstantiales, et quod simul cum Patre mundum creaverunt, redemerunt et sanctificaverunt.

Ostendit Filium esse imaginem, seu characterem Patris perfectum, consubstantialem et hypostaticum, dum creaturæ omnes sint imagines vel vestigia imperfectissima et substantialiter diversa divini Artificis, cujus perfectionem analogice repræsentant, non vero personam. (P. 1123).

Affirmat verba S. Pauli: *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia*, (Rom. 11, v. 36), dici de natura seu Forma divina, et proinde de tribus simul personis, quæ in Forma divina identificantur. (P. 1215). Etenim hæc tria de tribus personis indifferenter prædicari possunt, et nonnisi per appropriationem singillatim eis attribuuntur.

Alibi dicit: « Dei natura, Filii et Spiritus sancti et universæ creaturæ Principium est: at Filii ut Verbi; Spiritus vero sancti ut flatus: flatus enim Omnipotentis est, qui me docuit; creaturarum autem, ut operis *(ita ut res creatæ ad Deum referantur tanquam ad Causam, sive ad Opificem)*. Ex magnitudine enim et ornatu creaturarum, quadam proportione Opifex illarum conspicitur. Neque vero Verbum prolatitium est, per vocalia organa emissum, neque etiam Flatus ille diffusus est et per organa spiritus vehicula emissus: quin potius Verbum illud vivens est et efficax: *Omnia enim per illud facta sunt.* (Joan. 1, v. 3). Et Spiritus quoque ille vivus est et operans: *Omnia enim hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* (1. Cor. 12, v. 11). » (p. 1194).

Alio in loco legitur: « Dei quidem opus est creare, sed non majus quam sanctificare. Nam et ipsa sanctificatio est Dei opus. Scriptum est enim: *Pater, sanctifica eos in veritate.* (Joan. 17, v. 17). Sanctificare vero majus quiddam esse quam creare, cognosce ex ipso eventu, cum quis sanctificationem amiserit. Audit enim infelix ille Judas: *Bonum esset homini illi, si natus non fuisset.* (Matth. 26, v. 24) ». (P. 1239).

« Enimvero hoc illud est quod dico, omnia videlicet opera esse Patris, Filii et Spiritus sancti, ideoque modo Patris dici, modo Filii, modo Spiritus sancti. » (P. 1242).

2°) Eamdem tradit doctrinam *in Libro ambiguorum*, ubi explicat difficilia loca S. Gregorii Nazianzeni et S. Dionysii Areopagitæ.

Sic loquitur de aliqua S. Gregorii concione: « Quemadmodum in sermone in adventum Ægyptiorum habito, theologice de Essentia, increata et divina, et de natura creata, suæque existentiæ initium sortita hoc modo enarrans: *Vocatur autem*, inquit, *illa quidem Deus, et in tribus maximis consistit: in causa, in opifice, in perfectore; hoc est in Patre, Filio et Spiritu sancto.* — Et iterum in sermone de Baptismate, de uno eodemque sancto in tribus hypostasibus Deo disputans, ait: *Undequaque æqualem, undequaque eamdem, non secus ac una cœli pulchritudo et magnitudo, trium infinitam conjunctionem.* » (T. 91, p. 1303).

Dicit de divinitate Verbi, per quod Deus nos creavit atque redemit: « Hominem liberare et ad beatitudinem divinam reducere volens Verbum, naturæ humanæ Artifex, homo ex hominibus vere fit atque generatur corporaliter... Cum igitur qui nos fecit, quique solus Patri cum Spiritu par est et deitate et gloria, Filius et Verbum, propter nos, apud nos, ex nobis vere homo fit. » (P. 1347).

3°) In responsionibus *ad Quæstiones ad Thalassium* (T. 90, p. 271) docet SS. Trinitatem esse Causam exemplarem, efficientem et finalem omnium rerum.

En quæstionem secundam: « Si formas *(species)* omnes, quæ mundum complent, sex dierum spatio condidit mundi Opifex, quidnam postea Pater operatur? Ait enim Dominus: *Pa-*

ter meus usque modo operatur, et ego operor. (Joan. 5, v. 17). Numquid specierum semel productarum conservationem dicit? »

Respondet hanc continuam Dei operationem esse rerum juxta divinas æternasque rationes creatarum conservationem, quæ est continuata creatio, et gubernationem ad finem a Deo intentum, scilicet ad communem omnium rerum assimilationem ad Deum et inter se. Præterea asserit rerum creationem, conservationem et gubernationem esse opus commune tribus divinis personis. — Atqui, divinæ rationes, seu æterna exemplaria referuntur ad Causam exemplarem, creatio et conservatio referuntur ad Causam efficientem, gubernatio refertur ad Causam finalem. — Ergo divina Trinitas est omnium Causa exemplaris, efficiens et finalis.

Ipsum audiamus: « Postquam Deus primas creatarum rerum rationes, universasque rerum essentias, sicut novit ipse *(ab æterno)* semel complevit *(res omnes juxta æternas rationes illas producendo)*, semper adhuc operatur, non tantum rerum conservationem quantum ad esse, sed etiam actu operatur operationem, progressum et augmentum partium, quæ rebus potentiâ insunt. *(Id est non tantum rerum naturam actuat, ut existat, sed etiam potentias operativas ex natura emergentes actuat, ut ad actum transeant, sive actu operentur, et hoc actu perficiantur).* Adhuc quoque per Providentiam profecto operatur rerum singularum assimilationem *(convenientiam)* ad omnes. »

« Itaque ipse ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, Pater quidem opus approbando, Filium autem opus ipse exsequendo, et Spiritu sancto substantialiter complente tum Patris in omnibus approbationem, tum propriam Filii operationem, ut fiat per omnia et in omnibus unus in Trinitate Deus, pro convenientia et dignitate, secundum gratiam, in singulis atque in omnibus spectatus, sicut anima naturaliter inest omnibus et singulis corporis membris, sine imminutione *(est enim tota in toto corpore, et tota in qualibet parte).* »

II.

De natura rerum juxta Deum exemplatarum.

Videlicet de creaturarum 1°) substantia; 2°) de substantiarum distinctione et ordine.

1°) Aperte profitetur corporum naturam, sive *substantiam*, consistere in materia et forma. « Natura enim nihil aliud est, quam materia cum formis, sive materia informata. Nam forma materiæ adjecta naturam efficit. » (Ambiguor. lib., T. 91, p. 1398). Jam vero res assimilantur divinæ Formæ per formam substantialem sibi concreatam.

Tenet quoque principium individuationis corporum esse materiam signatam quantitate: « *In materia:* hoc est, universarum rerum substantia, potentiâ existunt quæ singillatim ex materia fiunt singularia; quorum, ait, ortum Dominus operatur. » (T. 90, p. 271).

2°) Antiquam sanctamque sequens traditionem, sicut ipse ait, quinque generales docet substantiarum *distinctiones.*

a) Distinctio inter Substantiam increatam ac creatricem, et substantiam ab illa ex Bonitate creatam, quæ hanc Bonitatem repræsentat et manifestat.

b) Distinctio, qua omnes substantiæ creatæ dividuntur in spirituales et materiales.

c) Distinctio, qua omnes substantiæ materiales dividuntur in cœlestes et terrestres.

d) Distinctio, qua omnes substantiæ terrestres dividuntur in primitivas, et ante lapsum hominis, sicut fuerunt in Paradiso; et actuales, prout sunt post peccatum originale.

e) Distinctio, qua homo, spiritu et corpore compositus, in seipso conjungit, tanquam in medio seu centro universali, substantias spirituales et corporales extreme oppositas. In ipsa autem natura humana, invenitur distinctio sexuum ad speciei propagationem ordinata. Verbum Dei, naturam humanam assumendo in castissimis B. Virginis Mariæ visceribus, in divina persona sua conjunxit increatam Substantiam et substantiam humanam, quæ cæteras creaturas in se continet. Ergo Verbum incarnatum est medium seu centrum harmoniæ universæ.

(Ambiguorum liber, T. 91, p. 1303 etc.), explicatio verborum S. Gregorii: *Innovantur naturæ, et Deus homo efficitur).*

III.

De creaturarum analogia cum Deo, et inter se.

Hanc analogiam exponit S. Maximus in sua Mystagogia. Opus illud, ipso testante, continet senis alicujus sapientissimi et sanctissimi, doctrinam, quæ veluti complementum est Ecclesiasticæ hierarchiæ S. Dionysii Areopagitæ.

657. — 1°) GENERALIA PRÆDICTÆ ANALOGIÆ PRINCIPIA.

Omnium rerum analogia cum Deo et inter se, quam docet, fundatur in communi ac varia omnium conformitate cum divino Exemplari. Sequentibus verbis de Deo loquitur, quem vocat *Archetypum*, sive supremum omnium Exemplar, cunctas rerum formas seu perfectiones eminenter in se continens: « Omnia in omnibus Ens,

infinitis modis super omnia Deus, unus et simplicissimus puris mentibus apparet, quando mens entium rationibus per contemplationem collectis, in ipso Deo conquiescit, tanquam in Causa, et Principio, et fine productionis et ortus universorum, et in fundo indiviso omnia comprehendente. » (T. 91, p. 666).

Mundus invisibilis et visibilis, juxta divinum illud Exemplar exemplati sunt, ita ut primus sit Dei imago, et alter Dei vestigium. Ergo mutuam analogiam cum Deo et inter se exhibent. Ergo mundus invisibilis, et ipse Deus, intelliguntur per mundem visibilem; et vicissim ac multo melius, mundus visibilis intelligitur per mundum invisibilem, ac per Deum. Itaque S. Maximus utrumque mundum comparat rotæ in rota, quam vidit Ezechiel. (1, v. 16). Ambo enim circulariter a Deo, juxta Deum, et propter Deum perficiuntur.

Generalibus istis principiis innixus, explicat in specie analogiam Ecclesiæ Christi cum Deo, supremo Exemplari, et templi christiani cum majore mundo, et cum minore mundo qui homo est. Deinde admirabilem analogiam ostendit inter majorem et minorem mundum, necnon inter hominem et Scripturam sacram.

2°) De christianæ Ecclesiæ analogia cum Deo, mundo et homine.

658. — Sanctus ipse Maximus hanc analogiam sequenti compendio iudicat: « Ut autem memoriæ consulatur, si libet, eorum quæ tradita sunt vim breviter percurrentes, ita in summam redigamus. »

a) « Est igitur Sancta Ecclesia, uti dictum est, Dei quidem figura et imago. Illam enim inconfusam unionem, quam Deus, per infinitam Potentiam ac Sapientiam suam, operatur inter distinctas rerum substantias, eas tanquam Opifex supreme per seipsum connectendo, hanc quoque Ecclesia inter fideles operatur, illos ad invicem per unam fidei gratiam et vocationem, uniformiter coaptando: eos quidem, qui virtutem in vita activa exercent, conjungit per unum consilium; eos autem, qui vitæ contemplativæ et scientiæ vacant, unit per firmissimam ac indissolubilem consensum. »

b) « Mundi autem, sive intelligibilis, sive etiam sensibilis, Ecclesiæ ædificium figura est, ita ut sanctuarium habeat symbolum mundi intelligibilis, et navis *(gallice: la nef)* symbolum mundi sensibilis. »

c) « Rursus vero templum christianum imago est hominis, ita ut animam per sanctuarium imitetur, corpus vero per navem repræsentet. Ipsius quoque animæ, in seipsa consideratæ, figura est et imago, ita ut intellectûs speculativi claritatem per sanctuarium referat, practici autem intellectûs ornatum per navem habeat. » (T. 91, p. 706).

3°) De analogia inter majorem ac minorem mundum, atque inter hominem et Scripturam sacram.

a) Capite VII Mystagogiæ, p. 683, animadvertit Sanctus Maximus majorem mundum esse minori sive homini similem, quia spiritibus et corporibus constat; et hominem vicissim esse mundo majori similem, quia spiritu et corpore componitur.

Minor mundus est pars media mundi majoris, et in eo continetur; sed simul mundum majorem in se continet, quia duas extremas illius partes in seipso conjungit.

Materialis pars mundi, tam minoris, quam majoris, deformabitur, sive per mortem, sive in ultima universi perturbatione et conflagratione; sed uterque mundus reformabitur, vel transformabitur, sive in resurrectione generali, sive in cœli et terræ innovatione.

b) In Capite VI, p. 683, dicit S. Scripturam homini similem esse. Constat enim veteri testamento, quod corpori sive materiæ assimilatur, et novo Testamento, quod animæ similis est. Præterea S. Scriptura continet sensum litteralem et sensum mysticum, qui corpori et animæ, seu spiritui comparari possunt.

§ XIV.

De divino Exemplarismo in S. Joanne Damasceno. (*Patr. gr.*, T. 94-96).

S. Damascenus adnumerandus est præcipuis doctrinæ scholasticæ Patribus cum S. Cyrillo Alexandrino et S. Dionysio Areopagita, quem magnis laudibus extollit. In rebus philosophicis, ideas Platonis fide emendatas conjungit logicæ Aristotelis methodo. Fortissimus sanctarum imaginum contra Iconoclastas propugnator, egregie ac subtiliter de imaginibus in genere plura scripsit, quæ ad divini Exemplarismi doctrinam valde conferunt, et utilissime a nobis transcribenda sunt, videlicet: 1°) de notione similitudinis, exemplaris et imaginis; 2°) de imaginum scopo; 3°) differentiis; 4°) objectis; 5°) Auctore Deo.

I.

De notione similitudinis, exemplaris et imaginis.

659. — 1°) De similitudine. Inter varias similitudines, Sanctus noster recenset eam, quæ inter exemplar et imaginem intercedit. Sic loquitur:

« *Simile* est species quæ reperitur in imagine et exemplari, quale intercedit inter hominem pictum et vivum; qua ratione Deo similes dicimur, etsi rem diligentius investiganti immensa protinus appareat diversitas. Illa enim *(quæ depinguntur)* nomen *(rei depictæ)* dumtaxat, solamque figuram participant; sed homo reapse Dei particeps est; ejus, inquam, Bonitatis, Sapientiæ et Virtutis, quamvis non eadem ratione. Deus quippe hæc suapte natura habet, nos vero Dei concessione, et alius alio modo; ita ut non immensa solum inter Deum et homines intersit disparitas, verum et inter homines ipsos secundum analogiam. Est igitur *similitudo* tanquam in his quæ sunt ab uno et ad unum. » (T. 94, p. 599).

Notanda sunt ultima verba, et breviter explicanda. Res quæ sunt ab una causa efficiente, et ad unam causam finalem, sunt inter se similes, quia omnis causa efficiens producit effectum sibi similem ac perficiendum ad sui similitudinem. Insuper causa exemplaris medium tenet inter causam efficientem et finalem. — Atqui, omne medium ordinatum debet suo principio ac suo fini per aliquam similitudinem consentire. Omnia autem in toto Dei opificio ad ipsum unum ordinata sunt, tanquam ad primum suum Principium et ultimum finem. — Ergo, omnia et singula Dei opificia debent cum illo per aliquam similitudinem consentire.

2°) De exemplari. « *Exemplar* est id cujus effigies exprimitur ex quo fit forma. Quamobrem Mosaicus populus, circulariter dispositus, adorabat tabernaculum, quod cœlestium rerum, imo universæ creaturæ imaginem et figuram gerebat. Ait enim Deus Moysi: *Vide, omnia facito secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* » (Exod. 33, v. 10, et 25, v. 40. Hebr. 8, v. 5). (Ibid., p. 1170).

3°) De imagine. « *Imago* est similitudo, exemplatum et effigies cujuspiam, in qua ille cujus est imago ostenditur. Neque tamen imago exemplari, hoc est rei quam exhibet, per omnia similis est. Nam aliud est imago et aliud id quod imagine repræsentatur; ac necesse est ut nonnihil inter utrumque discriminis animadvertatur; siquidem nec istud alia res esset, nec illud alia. Exempli gratia, *hominis imago*, etsi corporis figuram exprimit, potentias tamen animæ non complectitur. Non enim vivit, nec loquitur, nec sentit, nec membrum movet. Quin etiam filius, cum naturalis sit *imago patris*, nihilominus aliquantum ab ipso discrepat *(nempe personalitate)*. Nam filius est, non pater. » (P. 1338).

S. Joannes Damascenus citat insuper aliorum Patrum doctrinam circa imagines.

S. Cyrillus Alexandrinus: « Tales sunt imagines quales et archetypi: oportet enim sic illas, et non aliter se habere. » (Alloc. ad Theodos. imperat).

« Imagines enim semper juxta archetypos *(exemplaria)* similitudinem habent. » (Ex Thesauris).

« Omnino necessarium est, ut ex archetypis pingantur imagines. » (Ex libro: « Quod in omnibus Moysis voluminibus Christi mysterium designatur. De Abraham et Melchisedech, cap. 6).

S. Gregorius Nazianzenus. « Ea quippe est imaginis natura, ut sit imitatio archetypi, cujus esse dicitur. » (Orat. 2, de Filio).

S. Chrysostomus. « Ipsa invisibilis rei imago, invisibilis est; alioquin imago non esset. Imaginem enim inquantum imago est, etiam apud nos, nequaquam ab exemplari variam esse oportet, ut characterem similitudinis habeat. » (Homil. 3 in epist. ad Coloss.).

« Quemadmodum in imaginibus, imago hominis figuram refert illius, cujus est imago, non item virtutem; atque adeo veritas et figura mutuam inter se societatem habent. Figura enim similis est veritati. » (Enarrat. in Epist. ad Hebr., cap. 17). (Ibid., p. 1338 et 1367).

II.

De imaginis scopo.

660. — « Omnis imago rem latentem prodit et manifestat. Verbi gratia: cum homo, propterea quod animus a corpore obtegitur, cognitionem non habet invisibilis rei, et eorum quæ post eum futura sunt, quæve longe distant et procul absunt, quia loco et tempore circumscribitur; idcirco, ut in rerum cognitione dirigeretur, necnon ut occulta declararentur et manifesta fierent, excogitata est imago. Quin etiam utilitatis, beneficentiæ et salutis causa; ut nempe ex rebus monstratis et manifestatis, ea quæ latent dignoscamus, atque tum bona prosequamur et æmulemur, tum contraria, sive mala, vitemus et fugiamus. »

III.

De imaginum differentiis.

661. — S. Joannes Damascenus sex enumerat imaginum differentias, sive genera: 1°) imago naturalis; 2°) imago mentalis; 3°) imago in rebus producta; 4°) imago scripta; 5°) figura rei futuræ; 6°) monumentum rei præteritæ, vel hominis defuncti. Ipsum audiamus.

« Hæ porro sunt imaginum differentiæ. »

1°) « Prima quidem *naturalis* est. Nam in omni re primo necesse est ut ipsa sit secundum na-

turam, deinde vero secundum institutionem et imitationem. Sic oportet prius esse suâ naturâ hominem, et deinde institutione per imitationem. »

« Quamobrem prima naturalis, nihiloque discrepans Dei invisibilis imago Patris, est Filius, in seipso Patrem referens... *Nemo enim Deum vidit unquam* (Joan. 1, v. 18). — Et rursum: *Non quia Patrem vidit quisquam* (Joan. 6, v. 46). — Filium autem Patris imaginem esse docet Apostolus: *Qui est imago Dei invisibilis* (Coloss. 1, v. 15). — Et ad Hebræos: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* (Hebr. 1, v. 2). — Et quod in seipso Patrem ostendat, Joannis Evangelium testatur, ubi Dominus Philippo dicenti: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, respondet: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem.* (Joan. 14, v. 8 et 9). Quamobrem Filius est naturalis, nihilque differens Patris Imago, Patri similis per omnia, præter hoc unum, quod ipse nec ingenitus, nec Pater sit. Nam Pater est genitor ingenitus; Filius autem genitus, et non Pater. — *Spiritus sanctus* vero est imago Filii. *Nemo enim potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* (1. Cor. 12, v. 3). Itaque per Spiritum sanctum agnoscimus Christum Dei Filium et Deum, et in Filio Patrem intuemur. Verbum enim, ex sua natura, nuntius est cogitationis, index autem verbi spiritus est. Quapropter Spiritus est similis nihilque discrepans imago Filii, eo dumtaxat differens, quod procedat: quia et uniuscujusque patris imago naturalis, est filius. Atque primum istud imaginum genus, est *imago naturalis.* »

S. Damascenus ait Spiritum sanctum esse Filii imaginem. Sed notandum est cum D. Thoma « quod Damascenus et alii doctores Græcorum communiter utuntur nomine imaginis, pro perfecta similitudine. » (1. q. 35, art. 2, corp. et ad 1[m]).

2°) « Secundus modus imaginis est illa, quæ in Deo est notio *(ideæ)* rerum ab ipso futurarum; hoc est consilium ejus æternum, quod eodem semper modo se habet. Deus enim immutabilis est, et ejus consilium omni initio caret; per quod scilicet ea quæ ab ipso determinata sunt, præfinito tempore fiunt, quemadmodum ipse in æternitate constituit. Imagines *(ideæ)* enim et exemplaria futurarum rerum, quas ipse facturus est, nihil sunt aliud, quam cujusque earum notio, atque a S. Dionysio prædefinitiones nominantur (Div. Nom., cap. 5, § 8 et 9). In ejus namque consilio expressæ erant formæ (χαραχτηριξετο) et imagines *(ideæ)* eorum quæ, priusquam fierent, ab ipso prædefinita erant, et immutabiliter futura. »

Notandum est æterna rerum exemplaria in Mente divina, lato tantum sensu nuncupari posse imagines; imago enim non est proprie exemplar, sed exemplata. Ideæ autem divinæ sunt ipsa Dei Essentia, inquantum a Deo cognoscitur tanquam varie imitabilis a rebus creandis, vel creatis. — Ergo proprie sunt rerum exemplaria, et res juxta illas exemplatæ sunt.

3° « Tertius modus imaginis est eorum quæ per imitationem a Deo facta sunt; puta homo. Quomodo ille qui creatus est, ejusdem naturæ *(nempe similis esse posset)* increato *(Deo)*, nisi per imitationem? Nam veluti Pater, qui est Mens, et Filius, qui est Verbum, et Spiritus sanctus sunt unus Deus; sic mens, verbum et spiritus sunt unus homo. Præterea secundum liberum arbitrium et imperium, homo Deum imitatur. Ait quippe Deus: « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* » Subditque: « *Et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universæ terræ, et subjicite eam.* » (Genes. 1, v. 26).

4° « Quartum imaginis genus est ipsa Scriptura, quæ figuras, et formas, et exempla rerum invisibilium et incorporearum, corporeo modo expressarum fingit et efformat, ut obscuram saltem Dei angelorumque notitiam percipiamus; eo quod, sine figuris conditioni nostræ congruentibus, res incorporeas intueri neutiquam possumus, quemadmodum docet Dionysius Areopagita, divinarum rerum peritissimus. » (De Cœl. hier., cap. 1, § 3).

« Quod enim formæ et figuræ rerum forma et figura carentium consulto fuerint editæ, hanc unam quis assignaverit causam, ut nimirum naturæ nostræ ratio haberetur: quippe cum sine medio quodam, ad rerum intelligibilium considerationem nemo possit assurgere; ac propriis, sibi a natura concessis auxiliis, quibus attollatur, indigeat. Quod si igitur Scriptura pro nostro captu, undequaque ea suggerit, quæ nos sublimius provehant, atque iis quæ simplicia sunt nulliusque formæ capacia, formas quasdam accommodat; cur nec illa quoque per imagines exprimat, quæ suapte natura figuris sunt informata, quorum quidem ardemus desiderio, sed quæ videri propter absentiam non possunt? »

« Istuc spectant hæc Gregorii Theologi verba (Orat. 34): Quantumvis laboret mens nostra, res corporeas transilire nequaquam valet, sed *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* (Rom. 1, v. 20). Cernimus autem in rebus creatis imagines, quæ divinas manifestationes subobscure nobis indicant, uti cum dicimus sanctam et omni anteriorem principio Trinitatem per solem, et lucem, et radium designari; aut per fontem, et rivum e fonte ma-

nantem, et fluenta; aut per mentem, et rationem et voluntatem nostram; aut per rosæ plantam, et florem et odorem. »

5° « Quintus modus imaginis ille dicitur, quo futura præfigurantur, et antea describuntur; cujusmodi fuit rubus (Exod. 3, v. 2) pluviaque in vellus decidens (Judic. 6, v. 40), quibus Virgo et deipara præmonstrabatur; itemque virga et urna. Sic serpens æneus eum olim figurabat, qui serpentis malorum auctoris morsum postea sanavit. (Numer. 21, v. 9). Sic demum mare, baptismi aquam et nubes (Exod. 14, v. 20) ejusdem spiritum præfigurabant. »

6° « Sextus modus imaginis ille est, quo signum in rei gestæ memoriam constituitur, sive illa miraculum quoddam, sive etiam præclarum facinus fuerit; ad gloriam nimirum, et honorem, et monumentum illorum, qui tum animi magnitudine, tum in virtutibus excolendis præcelluerunt... Consimili modo nunc quoque virorum virtute præstantium imagines summo studio delineamus, quibus sive ad eos æmulandos excitemur, sive ut eorum perfricetur memoria... » (T. 94. p. 1338-1343).

IV.

De objectis per imagines repræsentandis.

662. — Corporum quidem, tanquam figuras limitesque corporeos habentium, imagines non incongruenter efformantur. Angelus vero et anima et dæmones, licet corporeum crassumque nihil admittant, suapte tamen natura figurantur et circumscribuntur *(cum spiritus creati, finito modo sint et operantur)*. Nam quia intellectuales sunt, intellectuali modo in locis intelligibilibus adesse creduntur et agere. Ad instar itaque corporum effinguntur, uti Moyses Cherubim designavit, et ipsi se conspiciendos eo favore dignis hominibus præbuerunt; ita ut imago corporea incorpoream quamdam, et quæ intellectu solo perspiciatur, contemplationem objiciat. »

« At vero sola Dei natura circumscripta non est, nulliusque formæ aut figuræ capax, nec comprehensibilis *(est enim infinita)*; etsi divina Scriptura formas quasdam corporales, ut nobis videtur, Deo circumponat, ita ut figuræ quidem aspectabiles sint, cum formæ ipsæ corpore careant. Neque enim corporis oculis, sed mentis solummodo a prophetis videbantur, necnon ab iis quibus revelabantur; omnibus quippe visibiles non erant. »

« Atque ut paucis absolvam, omnium quas videmus figurarum imagines effingere possumus; illas autem, prout visæ fuerunt, mente intelligimus. Nam, etsi rationis ope ad figuras rerum excogitandas venimus, nihil tamen prohibet, quin ad earum considerationem, ex iis quæ vidimus, adducamur. Quod etiam in singulis sensibus locum habet, ut ex iis quæ vel olfactu, vel gustu, vel tactu percipimus, rationis ope ad eadem contemplanda evehamur. » (Ibid., p. 1343).

V.

De imaginum Auctore Deo.

663. « Deus ipse primus unigenitum Filium, et Verbum suum genuit, vivam suam Imaginem, naturalem, nulla ex parte discrepantem æternitatis suæ characterem. Insuper hominem fecit ad imaginem et similitudinem suam. » (Genes. 1, v. 26).

« Adam quoque vidit Deum, pedumque ejus post meridiem deambulantis strepitum audivit, et abscondit se in paradiso. » (Genes. 3, v. 8).

« Jacob quoque vidit, et luctatus est cum Deo. Perspicuum autem est se illi humana specie cernendum tribuisse. » (Genes. 32, v. 24).

« Moyses item tanquam hominis posteriora conspexit. » (Exod. 33, v. 18-23).

« Isaias, hominis instar in solio sedentem. » (Isai. 6, v. 1).

« Daniel denique hominis similitudinem vidit, et quasi Filium hominis, qui ad antiquum dierum progressus est. » (Dan. 7, v. 11).

« Nec quisquam est, qui Dei naturam contuitus est, sed formam dumtaxat et imaginem ejus, quod aliquando futurus erat. Futurum quippe erat, ut Filius ac Verbum Dei invisibile, vere fieret homo, quo naturæ nostræ copulatus, in terris esset conspicuus. Figuram igitur et imaginem aspicientes adoraverunt. » (Ibid., p. 1346).

§ XV.

De divino Exemplarismo in S. Theodoro Studita. (*Patr. gr.*, T. 99).

Varia contra Iconoclastas scripsit opera, ex quibus pauca circa imagines referemus.

I.

De differentia inter imaginem naturalem et artificialem.

664. — Omnis imago similis est suo prototypo, sive exemplari, sed non eodem modo. Etenim distinguenda est imago naturalis, ab imagine artificiali: imago *naturalis* prototypo similis est substantialiter, cum eamdem naturam cum illo habeat per viam generationis. Imago autem *artificialis* prototypo similis est accidentaliter,

cum illius figuram tantum repræsentet per artificiosam imitationem. Sed ipsum Theodorum audiamus.

I. « Imago similitudinem habet archetypi, sed *naturalis (imago)* naturaliter, *artificialis* artificialiter. Atque illa quidem *(nempe imago naturalis)*, simul cum substantia et similitudine *(prototypi)*, sine discrepantia *(specifica)* ab eo cujus est signaculum; ita Christus, juxta divinitatem suam similis est Patri suo; juxta humanitatem vero similis est matri suæ. — Hæc vero *(nempe imago artificialis)* similitudine quidem *(accidentali, seu figura)* eadem est, substantiâ autem ab archetypo diversa est; ita imago Christi differt a Christo ipso. Est enim artificialis imago Christi, juxta quem similitudinem suscepit. » (Autirrhetic. III, T. 99, p. 358).

II. Eadem doctrina latius in sequenti loco evolvitur: « Aliud est porro imago *naturalis*, aliud *per imitationem*. Illa quidem diversam a sua causa *(sive a suo principio)* naturam non habet, sed *personam;* ita se habet Filius ad Patrem. Alia est enim Filii, alia Patris persona, natura vero una est. — Contra autem altera secundum *naturam* differt, non secundum *personam;* ita imago Christi se habet ad Christum. Alia enim est picturæ natura, alia vero Christi; sed persona alia non est, ast una eademque, Christi scilicet, etiam ut in imagine expressa est. Nam divinus Basilius dicit: Quod igitur illic imago est per imitationem, istud ibi Filius est per naturam, et quod est in artificialibus similitudo formæ *(figuræ)*, id ipsum est in divina et simplici natura divinitatis communitas et unitas. »

« Vide igitur discrimen: scilicet in imagine naturali, sicut in ipsius causa *(seu potius principio)*, puta in Filio et Patre, cum natura una sit, una quoque veneratio est, secundum identitatem *naturæ*, non *personæ*. Etenim quemadmodum naturam unam, sic et unam venerationem et glorificationem sanctæ Trinitatis confitemur; tres vero personas, Patris et Filii et Spiritus sancti. — In imagine autem artificiali sicut in ipsius exemplari, puta in Christo et imagine Christi, cum unica sit persona, Christi scilicet, ibi unica etiam veneratio est, secundum unius nempe personæ identitatem, quantumvis diversæ sint Christi et imaginis naturæ. » (Epist. ad Platonem Abbatem, p. 502).

II.

Honor imagini artificiali exhibitus, refertur ad ejus prototypum.

665. — 1°) Argumentum philosophicum. « Omnis itaque *artificialis imago*, similitudo est illius cujus imago est, et in seipsa formam exemplaris (τὸν χαρακτῆρα τοῦ ἀρχετύπου) imitando repræsentat in imagine, alterum in altero, excepta solum substantiæ differentia. Itaque imaginem venerans, illum veneratur quem imago repræsentat. Non enim substantiam colit ipsius imaginis, sed id quod in ipsa expressum est; neque porro, quoad venerationem illam attinet, imaginem ab exemplari sejungit: idem quippe sunt, similitudine nimirum, imago et exemplar. Sic et magnus itaque Basilius ait imaginem etiam regis appellari regem, nec tamen duos esse reges, neque enim aut potentia scinditur, aut honor dividitur; atque sicut una est potestas ac dominatio cui subjicimur, ita unus est et non multiplex honor qui a nobis exhibetur; nam honor imaginis ad ipsum exemplar transit. Si autem ad exemplar transit, non est alius atque alius, sed unus et idem honor ac veneratio, sicut etiam unum idemque est exemplar quod in imagine colitur. » (Ibid., p. 499).

« Nequaquam igitur ipsam imaginis substantiam colimus: hoc enim a nobis alienum est, ac eorum proprium qui serviunt creaturæ potius quam Creatori. Sed quando in imagine Christi colitur Christus, imaginis materia manet prorsus expers illius honoris, qui Christo in ipsa exhibetur, propter similitudinem, quæ propria est personæ Christi, et quæ a materia illa discrepat, quamvis in ipsa conspiciatur. »

2°) Comparatio speculi. « Et mihi videtur ista res cum speculi exemplo congruere. Nam ibi etiam spectantis vultus quodammodo depingitur, manetque similitudo extra materiam *(speculi);* etenim si quis ibi suam imaginem apprehendat, materiam ipsam minime apprehendit, cum nec ipsius causa accedat, sed ob sui ipsius similitudinem in illa expressam et materiæ adhærentem. Nimirum amoto speculo, statim ex ipso effigies excedit, tanquam nihil habens commune cum speculi materia. Sic ergo et in imaginis materia res se habet. »

Si enim apparere desinat similitudo quæ in ipsa conspicitur, et ad quam veneratio refertur, materia manet absque honore, tanquam nihil cum illa similitudine communicans. »

3°) Comparatio sigilli. « Rursum, sit annulus imagine regis insculptus; deinde imprimatur in cera, in pice, in argilla. Signum quidem unum et idem erit in qualibet horum materia consimile; ipsæ autem res illæ inter se discrepant. Signum vero nonne idcirco idem prorsus est, quamvis in materia diversa? Quia cum illis rebus non communicat, sed manet in annulo, ab illis rebus ipsa specie separatum. Sic igitur et Christi similitudo, quacumque tandem in materia sit expressa, minime communicat cum ma-

teria in qua conspicitur, manens in ipsa Christi persona, cujus nempe propria est. Atque, ut verbo dicam, latriæ cultus minime exhibetur imagini Christi, sed Christo qui in ipsa colitur; ac imaginem venerari oportet secundum identitatem personæ Christi, quantumvis substantia ipsius diversa sit. » (Ibid., p. 503).

III.

Iconoclastæ imagines artificiales spernendo, omnia divini Artificis opificia Ipsumque contemnunt.

666. — S. Theodorus ostendit Iconomachos spernere ambo Testamenta, quorum vetus est umbra, novum autem est figura divini Exemplaris; spernere hominem et angelum, qui sunt creatæ Dei imagines, atque non venerari nisi Dei Filium, qui solus est increata Patris Imago. Imo addi potest Iconoclastas ipsum Deum spernere, cum opificia ejus contemnant.

Sequenti modo loquitur in Refutatione poematum ab Iconomachis compositorum, p. 466.

« Quomodo ergo, vir egregie, omnium imaginum confectionem et adorationem spernens, Apostolorum et Patrum doctrinam sequi te dicis? Apostolo sic dicente: « *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* » (Hebr. 10, v. 1). Quibus verbis declarat legem veterem esse umbram, legem novam esse figuram, futura bona esse realitatem. Gregorius item Theologus, congruenter cum Apostolo dixit, legem et gratiam esse alterum alterius exemplar; sæpe enim his verbis vicissim utuntur. Unde manifestum est illos imaginem appellare exemplar, et umbram exemplar. *Vide enim*, inquit, *omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* (Hebr. 8, v. 5). Mox et *exemplaria verorum* ea quæ sunt legis, appellantur ab eodem Apostolo, ita ut umbra, figura et exemplar, unum idemque sit *(similitudine quidem, sed non causalitate, nam inter se differunt sicut causatum a causa).* — Et rursum sapientissimus Dionysius alicubi dicit: « Imaginem exemplaris quod ipsi ostensum est in monte Sina, appellabat omnia quæ secundum legem sacro ritu peragebantur. » (De Cœl. hierarch., cap. 1, n.° 2). — Et ut cum Davide loquar: *In imagine in hac vita pertransimus.* (Ps. 33, v. 7). — Cum Dionysio iterum: « Per sensibiles imagines assurgimus in divinas, quoad fieri potest, contemplationes. » Imaginem vocat sacrum altare; imaginem, divinum unguentum; imaginem, crucis figuram. Nam et eos qui sic vivunt, ut sint ei conformes, qui illos signavit imagine *(sigillo)* propriæ impeccantiæ cruci simili *(nempe illos qui carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, ut sint Christo crucifixo similes)*, imagines, sicut et sacros Ordines idem auctor appellat. Imagines denique omnia dicit, quæ in mysticis cæremoniis conspiciuntur. »

« Quid ergo? Numquid omnia ista sunt imaginum confectio et veneratio? Maxime. Quando igitur hæc spernis, spernis manifeste non Apostolorum simpliciter et Patrum doctrinam, sed et novum Testamentum; si vero novum, utique et vetus. Video insuper et te spretum a teipso, angelosque spretos. Homo est imago Dei, quoniam imitari potest Eum, qui non est imitatione ab ullo exæquandus. Dicit enim Scriptura: *Ad imaginem Dei fecit hominem.* Angelus quoque est imago Dei, inquit Dionysius. Ambas igitur imagines esse confectas et honoratas esse concesseris, etiam invitus; etenim et angelus honoratur, et homo. Sprevisti ergo et terrena, ut videtur, et cœlestia. Neque enim segregasti hanc imaginem ab illa, pictam scilicet a naturali, sed omnem collective imaginis confectionem et venerationem spernendam esse dixisti, nihil specialiter excipiens, præter sanctam Trinitatem. Ipsa enim sola non est imago confecta, quoniam neque creata, sed increata. Neque aliter posset intelligi dilucide tua propositio. »

§ XVI.

De divino Exemplarismo in S. Nicephoro. (*Patr. gr.*, T. 100).

667. — **Prænotanda.** S. Nicephorus præclare loquitur de analogia inter trinam Thearchiam increatam et varias hierarchias creatas. — Supremum enim et commune omnis hierarchiæ sive ordinis creati Exemplar est divina Thearchia, sive Ordo increatus et æqualis trium personarum divinarum, quem inæqualiter ac trine imitatur primo hierarchia angelica, quæ est exemplar secundarium omnis hierarchiæ humanæ, tam judaicæ, quam christianæ. Hanc enim Deus imitandam Moysi proposuit, quando jussit eum tabernaculum fabricare, quod totius judaici cultus centrum erat. Sed Synagoga non fuit nisi imperfecta cœlestis hierarchiæ imitatio; umbra tantum illius fuit, et umbra christianæ hierarchiæ, quæ perfecte cœlestem hierarchiam imitatur. Igitur Deus, unus et trinus, est primum omnis hierarchiæ Exemplar; cœlestis hierarchia est secundum judaicæ et christianæ hierarchiæ exemplar; christiana vero hierarchia est tertium judaicæ hierarchiæ exemplar.

Audiamus quomodo S. Nicephorus, sequens S. Dionysium aliosque Patres præcitatos, analogiam docet inter divinam Thearchiam et tri-

plicem hierarchiam creatam. Hanc autem directe et ex professo, sicut illi, non explicat, sed de ea loquitur ad Iconoclastas refutandos. Pulcherrime disserit: 1°) de analogia inter divinam Trinitatem et hierarchiam angelicam; 2°) de analogia inter judaicam et angelicam hierarchiam; 3°) de analogia inter judaicam et christianam hierarchiam.

I.

De analogia inter divinam Trinitatem et hierarchiam angelicam.

668. — Sanctus auctor loquens de Cherubim, quæ sculpturâ repræsentabantur in utraque propitiatorii parte, agit modo de eorum natura, et modo de illorum imagine.

« Excelsum gradum tenent super mundialium mentium, utpote Deo maxime similes. Unde a suprema Dei Essentia, una et trina, (παρὰ τῆς θεαρχικῆς ὑπερουσιότητος) theologicæ scientiæ participes in primis facti, eamdem ad infra se positos transmittunt. Sunt ergo divini silentii manifestatores, dum in seipsis patefaciunt supremi omnium arcani ineffabilem naturam, atque incessabili ac melodi voce divinam Bonitatem celebrant sacro illo trisagio theologiæ hymno. »

« Hi autem nostri, utpote manu facti, nudam solamque habent appellationem *(dum Cherubim nominantur)*, nullaque sacra initiatione, aut scientia, aliisve, quæ dictæ sunt, dotibus pollent. »

« Insuper illi *(nempe Cherubim naturales)* supremæ Thearchiæ imagines sunt, arcanam et invisibilem lucem in se demonstrantes, et ad divinam Formam, quoad fieri potest, assimilati et totum divini splendoris radium mirabiliter in se recipientes; idque fiunt per participationem et consequenter, quod est per Essentiam et principaliter ille *(Deus)* a quo omnia participant. Sunt lumina secunda, hominum amantissima, supremo Bono conformia, primariæ Lucis splendores puri et immaculati, similitudinem cum prima ac splendidissima Dei Forma egregie præ se ferentes. Et quidem cognoscunt se, non sua solum spiritualia, sed etiam sensibilia, etsi non sensibiliter, comprehendant secundum propriam scientiam deiformis virtutis sibi inditæ, rerum speciebus immaterialiter et intellectualiter sibi impressis. »

« Ast hi *(nempe Cherubim artificiales)* ex auro facti, imagines sunt imaginum *(Dei)*, vanæ prorsus et dissimiles, et multum a suo exemplari deficientes. Nihil itaque sciunt. Quomodo enim scire possunt, cum tales sint atque ita se habeant? Quamvis pulchre sint elaboratæ, et politæ, et lucidos splendores et fulgores emicantibus radiis emittant. Unde igitur et quare illæ imagines Cherubim a te dictæ sunt, etsi nullo substantiali modo supermundiales illas virtutes participent? (Apologetic. pro sacris imaginibus, p. 774).

II.

De analogia inter judaicam et angelicam hierarchiam.

669. — « Non meus est hic sermo, neque a me primo talis appellatio *(nempe Cherubim)* his *(imaginibus)* excogitata fuit atque imposita. Moysis Deum videntis et legislatoris est illa vox olim inventa, et antiquitatis testimonium a sacris Litteris habens, quæ fidem ei facile faciunt. Et si verius loqui oportet, Dei vox est proprio famulo mandantis, quando veteris illius tabernaculi ædificium ei delineabat ac demonstrabat. Nam quia tabernaculum figuris expressas habebat cœlestium aliquot ordinum vanas quasdam imitationes, et umbratiles similitudines: *Cura enim*, inquit, *ut omnia facias juxta exemplar tibi in monte ostensum.* (Exod. 25, v. 40), ut se Cherubinorum quoque Dominum communis Deus demonstraret. Et quemadmodum absque ullo intermedio ac primitus illuminati, ministeria famulanter in cœlestibus exhibent, et beneficos divinæ Providentiæ fluxus communicant cæteris infra se positis, eodem modo, in his quoque terrestribus, divina dispensante Providentia factum est, per imitationem illorum *(nempe angelicorum ordinum)* quibus assimilantur. Hoc a legislatore constitutum est; hac ratione opus illud *(nempe Synagoga)* fuit ordinatum. Illinc enim visiones is *(Moyses)* excipiebat, quasi Dei videndi compos fiebat. Etenim ei jam commissa erat administrandi populi cura, atque gentis ducatum et principatum gerebat. Scriptum est itaque in editis post arcam conditam mandatis, apud sacrum librum, cui Exodi filiorum Israel titulus est, sic præcipiente Domino: *Facies et propitiatorium de auro mundo... duosque Cherubim aureos et productiles facies, eosque impones utrique lateri propitiatorii...* (Exod. 25, v. 17 et 18). (Ibid., p. 775).

III.

De analogia inter judaicam et christianam hierarchiam.

670. — « Christi gratia religiosam in nobis perfectionem et cumulum innovavit, legis *(mosaicæ)* defectum supplendo. *Non veni, ait Christus, solvere legem, sed adimplere.* (Matth. 5, v. 17).

Jam vero id quod perficit, quantum superet id quod perficitur nemo non videt. Sine dubio enim, quod est deterius a meliore benedicitur, et hic qui dignitate præeminet excellentior est illo qui ministrat, quantum præstat factor facturæ *(auctor operi)*, et architectus domui, et figulus luto. Clamat Joannes, magna veritatis vox: *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* (Joan. I, v. 17), qui nos sibi filios fecit, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo genitos in Spiritu (ibid., v. 12 et 13). (Apologet., p. 759).

« Cur porro hæc dicimus? Quia nempe si lex *(mosaica)* est sancta, juxta divinam Pauli locutionem, et mandatum sanctum (Rom. 7, v. 12), quæ multo gratiæ inferiora videmus, gratia ipsa quanta est! Et si lex præstat idololatriæ, quomodo gratia, quæ legem longe superat, ad idololatriam revertetur? Quomodo qui potestatem acceperunt filios Dei fieri, idololatriæ criminationem perferent?... Lex sancta est, et mandatum sanctum, justum et bonum. Recte. Porro si hæc sancta sunt, quæ divinam notitiam obscurius, et arctius, et tanquam sub velo, littera et umbris ægre nobis ostendunt, quanto sanctior diviniorque erit gratia, quæ nobis a Dei Verbo confertur? Nam incomparabiliter legi superior est, expressioremque et distinctiorem Trinitas revelationem in spiritu et veritate nos docet, et unius ac solius Dei veram integramque notitiam et cultum tradit atque elucidat, et in meliorem adoptionem per Spiritum regenerat, et regni cœlorum spem aperte annuntiat. Sed gratiæ hostes cuncta hæc idololatriam declarant. Tanta enim est improbitatis illorum absurditas! »

« Insuper lex umbram futurorum bonorum gerens, non propriam rerum imaginem (Hebr. 10, v. 1), annuis ipsis sacrificiis, perpetuo oblatis, nunquam potuit oblatores efficere perfectos; quare non desinebant offerri. Sed tamen lex sancta erat, etiamsi suos asseclas perficere non poterat; et mandatum sanctum, etsi umbram tantum habebat futurorum, non propriam rerum imaginem. Res vero ipsæ, quarum lex umbra erat, id est gratia et veritas, quæ per Jesum Christum contigerunt, quid sint novi Græciæ ethnici obganniunt. Deinde lex nihil perfecit, sed sancta tamen erat; Christus autem, qui una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos (Hebr. 10, v. 14); is fidei nostræ est consummator, in quem respicimus (ibid., 12, v. 2); Christus, inquam, quid? Hunc novi Judæi crucifigunt! » (Apologet., p. 759 et 762).

CAPUT III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN PATRIBUS LATINIS.

Patres latini græcis concordant in tradendo divino Exemplarismo, nam platonicæ ideæ per fidem correctæ magnum in eorum philosophiam influxum exercuerunt. — Divinum igitur Exemplarismum ostendemus: 1°) in S. Augustino; 2°) in aliis Patribus Ecclesiæ latinæ.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN S. AUGUSTINO.

671. — Prænotanda. In toto Articulo I exponemus doctrinam S. Augustini, qui præcipue inter Patres latinos, sicut S. Dionysius Areopagita inter Patres græcos, divinum Platonis Exemplarismum lumine fidei emendatum atque completum docuit; nam juxta S. Thomæ testimonium, Platonem semper sequitur quando potest salva fide; quapropter merito cognominatus est Plato christianus. Omnia enim sapientissime ordinat ad supremam Causam exemplarem et unitrinam, atque ad æternas rerum ideas in divino Verbo conceptas. Maximus autem fuit ingenii ejus influxus in omnes medii ævi doctores, quorum magister in Theologia jure dicendus est.

Referemus: 1°) S. Augustini doctrinam in genere circa scientiam ordinis universi, et divinum Exemplarismum; 2°) doctrinam ejus in specie de divina Trinitate omnium rerum Artifice; 3°) de ordine intentionis in Mente divini Artificis; 4°) de Dei unitate, veritate et bonitate per analogicam similitudinem participatis ab omnibus creaturis; 5°) de trino creaturarum ordine trinum personarum divinarum Ordinem repræsentante. *(Patrol. lat. T. 32-47).*

§ I.

De S. Augustini doctrina in genere circa scientiam ordinis universi, et divinum Exemplarismum.

Primo audiamus quid doceat Sanctus doctor Hipponensis: 1°) De præstantia et raritate scientiæ ordinis universalis, quæ est sapientia. 2°) De obstaculis et mediis, quæ hanc scientiam impediunt, aut promovent. 3°) De ordinis universalis amplitudine, quæ bona et mala complectitur. —

Deinde probabo; 4°) S. Augustinum in sua sapientia amplexum fuisse ordinem universalem; 5°) totam S. Augustini sapientiam in divino Exemplarismo fundari.

I.

De præstantia et raritate scientiæ ordinis universalis, quæ est sapientia.

672. — In duobus libris *de Ordine*, quos ad Zenobium scripsit in suæ conversionis initio, S. Augustinus loquitur de ordine Providentiæ, quo divinus Artifex omnes res a se productas ac dispositas gubernat ad finem sibi propositum. « Ordo est, inquit, per quem aguntur omnia quæ Deus constituit. » (Lib. 1 de Ord., cap. 10, T. 32). Igitur, juxta sanctum Doctorem, ordo omnium rerum creatarum complectitur earum *constitutionem* in esse, et *gubernationem* operationis earum ad finem quem intendit Deus. Jam vero asserit scientiam universi hujus ordinis esse præstantissimam et rarissimam. Sic enim loquitur.

« Ordinem rerum, Zenobi, consequi et tenere cuique proprium, tum vero universitatis quo coercetur ac regitur hic mundus, vel videre, vel pandere difficillimum hominibus atque rarissimum est. Huc etiam accedit quod etiamsi quis hæc possit, non illud quoque valet efficere, ut dignum auditorem tam divinis obscurisque rebus vel vitæ merito, vel habitu quodam eruditionis, inveniat. Nec tamen quidquam est quod magis avide expetant quæque optima ingenia, magisque audire ac discere studeant, qui scopulos vitæ hujus et procellas, velut erecto quantum licet capite, inspiciunt, quam quomodo fiat, ut et Deus humana curet, et tanta in humanis rebus perversitas usquequaque diffusa sit, ut non divinæ, sed ne servili cuipiam procurationi, si ei tanta potestas daretur, tribuenda esse videatur. Quamobrem illud quasi necessarium iis quibus talia sunt curæ, credendum dimittitur, aut divinam Providentiam non usque in hæc ultima et ima pertendi, aut certe mala omnia Dei voluntate committi. Utrumque impium, sed magis posterius. Quamquam enim desertum Deo quidquam credere, cum imperitissimum, tum etiam periculosissimum animo sit... »

« Sed quis tam cæcus est mente, ut quidquam in movendis corporibus rationis, quod præter humanam dispositionem ac voluntatem est, divinæ potentiæ moderationique dare dubitet? Nisi forte aut casibus tam rata subtilique dimensione, vel minutissimorum quorumque animalium membra figurantur; aut quod casu quis negat, possit nisi ratione factum fateri, aut vero per universam naturam, quod in singulis quibusque rebus nihil arte humana satagente ordinatum miramur, alienare a secretissimo Majestatis arbitrio ullis nugis vanæ opinionis audebimus. At enim hoc ipsum est plenius quæstionum, quod membra pulicis disposita mire atque distincta sunt, cum interea humana vita innumerabilium perturbationum inconstantia versetur ac fluctuet. Sed hoc pacto si quis tamen minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius tessellæ modulum acies ejus valeret ambire, vituperaret artificem, velut ordinationis et compositionis ignarum; eo quod varietatem lapillorum perturbatam putaret, a quo illa emblemata, in unius pulchritudinis faciem congruentia, simul cerni collustrarique non possent. Nihil enim aliud minus eruditis hominibus accidit, qui universam rerum coaptationem atque concentum imbecilla mente complecti et considerare non valentes, si quid eos offenderit, quia suæ cogitationi magnum est, magnam putant rebus fœditatem... » (De Ord. lib. 1, c. 1).

Hæc autem scientia ordinis universi est vera sapientia, quam S. Augustinus definit: « Rerum humanorum divinarumque scientiam. » (Contra Academic., lib. 1, cap, 6, T. 32, p. 914). Juxta D. Thomam sapientia est rerum omnium judicium et ordinatio juxta altissimam Causam, quæ Deus est. (I. q. 1, art. 6, Corp.).

II.

De obstaculis et mediis, quæ scientiam ordinis impediunt, aut promovent.

673. — Cum ordo universus omnia reducat ad primam Causam, quæ Deus est, præcipuum scientiæ ejus obstaculum est multiplex cogitationum et affectionum nostrarum diffusio in res varias sensibus objectas; e contra maximum medium ordinem cognoscendi, est mentis et voluntatis revocatio a rebus sensibilibus, atque interna recollectio ad nosmetipsos et ad Deum. Etenim per potentiarum dissipationem, mente elongamur a Deo qui omnis ordinis Principium est; dum per recollectionem ad Deum mente reducimur, eique conformamur.

Hoc docet S. Augustinus sermonem præcedentem confirmando: « Cujus erroris maxima causa est, quod homo sibi ipsi est incognitus. Qui tamen ut se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi a sensibus, et animum in seipsum colligendi atque in seipso retinendi. Quod ii tantum assequuntur, qui plagas quas-

dam opinionum, quas vitæ quotidianæ casus infligit, aut solitudine inierunt, liberalibus medicant disciplinis. » — In Retract., lib. 1, cap. 3, n.° 2, improbat se nimiam tribuisse efficaciam liberalibus disciplinis.

« Ita enim animus sibi redditus, quæ sit pulchritudo universitatis intelligit; quæ profecto ab uno cognominata est. Idcircoque illam videre non licet animæ quæ in multa procedit, sectaturque aviditate pauperiem, quam nescit sola segregatione multitudinis posse vitari. Multitudinem autem non hominum dico, sed omnium quæ sensus attingit. Nec mirere quod eo egestatem patitur magis, quo magis appetit plura complecti. Ut enim in circulo, quantumvis amplo, unum est medium quo cuncta convergunt, quod centrum Geometræ vocant, et quamvis totius ambitus partes innumerabiliter secari queant, nihil tamen est præter illud unum, quo cætera pariliter dimetiantur, et quod omnibus quasi quodam æqualitatis jure dominetur; hinc vero in quamlibet partem si egredi velis, eo amittuntur omnia, quo in plurima pergitur: sic animus a seipso fusus immensitate quadam diverberatur, et vera mendacitate conteritur, cum eam natura sua cogit ubique unum quærere, et multitudo invenire non sinit. »

« Sed et hæc quæ dixi qualia sint, et quæ causa exstet erroris animarum, quoque modo et in unum congruant atque perfecta sint cuncta, et tamen peccata fugienda sint, assequeris profecto, mi Zenobi. Sic enim mihi notum est ingenium tuum, et pulchritudinis omnimodæ amator animus, sine libidinis immoderatione atque sordibus. Quod signum in te futuræ sapientiæ perniciosis cupiditatibus divino jure præscribit, ne tuam causam deseras falsis voluptatibus illectus; qua prævaricatione nihil turpius et periculosius inveniri potest. Assequeris ergo ista, mihi crede, cum eruditioni operam dederis, quia purgatur et excolitur animus, nullo modo ante idoneus cui divina semina committantur. Quod totum cujusque sit, et quem flagitat ordinem, quid studiosis et bonis ratio promittat, qualemque vitam nos vivamus charissimi tui, et quem fructum de liberali otio carpamus, hi te libri *(De ordine)* satis, ut opinor, edocebunt, nomine tuo nobis quam nostra elaboratione dulciores, præsertim si te in ipsum ordinem, de quo ad te scribo, meliora eligens inserere atque coaptare volueris. » (De Ord., lib. 1, cap. 2, p. 979).

« Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum; et quem, nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum. » (Ibid., cap. 9, p. 990).

III.

De ordinis universalis amplitudine, quæ bona et mala complectitur.

674. — In sequenti dialogo docet S. Augustinus ordinem divinæ Providentiæ bona et mala complecti, quamvis mala a Deo non diligantur, sed ab illo permittantur ad distinctionem et pulchritudinem totius universi.

« Quid censes, inquam, (Augustinus) ordini esse contrarium? — Nihil, ait ille (Licentius). Nam quomodo esse contrarium potest ei rei quæ totum occupavit, totum obtinuit? Quod enim erit ordini contrarium, necesse erit esse præter ordinem. Nihil autem esse præter ordinem video. Nihil igitur ordini oportet putare esse contrarium. — Ergone, ait Trygetius, contrarius ordini error non est? — Nullo modo, inquit. Nam neminem video errare sine causa. Causarum autem series ordine includitur. Et error ipse non solum gignitur causâ, sed etiam gignit aliquid cujus causa sit. Quamobrem quo extra ordinem non est, eo non potest ordini esse contrarium... Et bona et mala in ordine sunt. » (Ibid., cap. 6).

Trygetius objicit: « Certe enim et mala dixisti ordine contineri, et ipsum ordinem manare a summo Deo, atque ab eo diligi. Ex quo sequitur ut et mala sint a summo Deo, et mala Deus diligat. »

Licentius respondet: « Non diligit Deus mala, nec ob aliud, nisi quia ordinis non est ut Deus mala diligat. Et ordinem ideo multum diligit, quia per eum non diligit mala. At vero ipsa mala quî possunt non esse in ordine, cum Deus illa non diligat? Nam iste ipse est malorum ordo, ut non diligantur a Deo. An parvus rerum ordo tibi videtur, ut et bona Deus diligat, et non diligat mala? Ita nec præter ordinem sunt mala, quæ non diligit Deus; et ipsum tamen ordinem diligit: hoc ipsum enim diligit et non diligere mala; quod est magni ordinis et divinæ dispositionis. Qui ordo atque dispositio, quia universitatis congruentiam ipsa distinctione custodit, fit ut mala etiam esse necesse sit. Ita quasi ex antithetis quodammodo, quod nobis etiam in oratione jucundum est, id est ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur. »

« ... Quaero ex te justusne sit Deus? Tacebat ille (Trygetius)... Quo tacente, ille (Licentius) ita secutus est. Si enim Deum justum non esse responderis, tu videris quid agas, qui me dudum impietate arguebas. Si autem, ut nobis traditur, nosque ipsius ordinis necessitate sensimus, justus est Deus, sua cuique distribuendo utique justus est. Quae autem distributio dici

potest, ubi distinctio nulla est? Aut quae distinctio, si bona sint omnia? Quidve praeter ordinem reperiri potest, si Dei justitia bonorum malorumque meritis sua cuique redduntur? Justum autem Deum omnes fatemur. Totum igitur ordine includitur.» (Ibid., cap. 7, p. 986).

S. Augustinus: « Semper erat ordo apud Deum: et aut semper fuit nihil quod dicitur malum; aut si aliquando invenitur cœpisse, quia ordo ipse aut bonum est, aut ex bono est, nunquam aliquid sine ordine fuit, nec erit aliquando. »

S. Monica huic disputationi praesens, sapienter addidit: « Ego, inquit, non puto nihil potuisse praeter Dei ordinem fieri, quia ipsum malum quod natum est, nullo modo Dei ordine natum est; sed illa justitia id inordinatum esse non sivit, et in sibi meritum ordinem redegit, et compulit.» (Lib. 2, cap. 7, n.° 23, p. 1005).

IV.

S. Augustinus universalem ordinem in sua sapientia amplexus est.

675. — Hoc patet ex solo indice operum ejus philosophicorum ac theologicorum, quæ agunt de toto naturali et supernaturali rerum ordine physico, intellectuali, artistico, morali ac sociali ad Deum unitrinum relato, tanquam ad supremam omnis ordinis Causam efficientem, exemplarem et finalem.

In docto opere, cui titulus est: *Défense de la tradition et des saints Pères.* Part. 1, liv. 4, chap. 16, praeclarus Bossuetus, qui tanto labore doctrinæ S. Augustini studuerat, ostendit quam completa et alta fuit hujus Patris sapientia ex sacro Scripturæ fonte avidissime hausta.

« Le dernier effet de la connaissance des Ecritures dans S. Augustin, c'est la profonde *compréhension de toute la matière théologique.* Je ne veux point élever un Père au-dessus des autres par des comparaisons odieuses; mais c'est un fait qu'on ne peut nier, que S. Athanase, par exemple, qui ne le cède à aucun des Pères en génie et en profondeur, et qui est, pour ainsi parler, l'organe de l'Eglise dans les disputes contre Arius, ne s'étend guère au-delà de cette matière. Il en est à peu-près de même des autres Pères, dont la théologie paraît renfermée dans les matières que l'occasion et les besoins de l'Eglise leur ont présentées. Dieu a permis que S. Augustin ait eu à combattre toutes sortes d'hérésies. Le *Manichéisme* lui a donné occasion de traiter à fond de la nature divine, de la création, de la Providence, du néant dont toutes choses ont été tirées, et du libre arbitre de l'homme, où il a fallu chercher la cause du mal; enfin de l'autorité et de la parfaite conformité des deux Testaments, ce qui l'obligeait à repasser toute l'Ecriture, et à donner des principes pour en concilier toutes les parties. Le *Donatisme* lui a fait traiter expressément et à fond l'efcace des Sacrements et l'autorité de l'Eglise. — Il a plu à M. Simon *(contre lequel écrit Bossuet)* de décider par sa puissance absolue, qu'il n'a rien dit sur la Trinité « qui n'ait été traité plus à fond par les auteurs grecs. » Rien ne serait plus facile que de le confondre par lui-même; mais en lui laissant cette affectation de décider sur les Pères et de les commettre, je dirai que S. Augustin, ayant eu à combattre les Ariens en Afrique, il a si bien profité du travail des Pères anciens dans les questions importantes sur la Trinité que les disputes d'Arius avaient rendues célèbres par toute l'Eglise, que par sa profonde méditation sur les Ecritures, il a laissé cette importante matière encore mieux appuyée et plus éclairée qu'elle n'était auparavant. Il a parlé de l'Incarnation du Fils de Dieu avec autant d'exactitude et de profondeur qu'on a fait depuis à Ephèse, ou plutôt il a prévenu les décisions de ce concile dans la profession de foi qu'il dicta à Léporius et dans deux ou trois chapitres de ses derniers livres, en sorte qu'il n'a pas été besoin qu'il assistât à cette sainte assemblée, comme il y avait été nommément appelé, puisqu'il en avait expliqué d'avance toute la doctrine. — Nous allons parler dans un moment de la *secte pélagienne* entièrement renversée par S. Augustin. Sans prévenir ce qu'on en doit dire plus amplement dans la suite, on sait qu'elle a donné lieu à ce docte Père de soutenir le fondement de l'humilité chrétienne, et en expliquant à fond l'esprit de la nouvelle alliance, de développer par ce moyen les principes de la morale chrétienne, en sorte que tous les dogmes, tant spéculatifs que pratiques de la Religion, ayant été si profondément expliqués par S. Augustin, on peut dire qu'il est le seul des anciens que la Providence a déterminé, par l'occasion des disputes qui se sont offertes de son temps, à nous donner tout un corps de théologie, qui devait être le fruit de sa lecture profonde et continuelle des livres sacrés. »

« Il faut encore ajouter la manière dont il manie la sainte doctrine, qui est d'aller à la source et au plus sublime, puisque c'est toujours aux principes. Quand il prêche, il les fait descendre, comme par degrés, jusqu'à la capacité des moindres esprits; quand il dispute, il les pousse si vivement qu'il ne laisse pas le loisir aux hérétiques de respirer. De là viennent deux manières de les expliquer: l'une plus libre et plus étendue; l'autre si pressante qu'il

ne laisse jamais languir son discours. Mais il est dans l'un et dans l'autre également concluant. On en peut faire l'essai principalement dans ses sermons sur les paroles de Notre Seigneur et sur celles de l'Apôtre, dont notre critique n'a pas daigné parler, où l'on trouve le même fond que dans les autres traités, mais d'une manière si différente, qu'on sent d'abord une main habile et un homme consommé qui, maître de la matière comme de son style, la manie convenablement suivant le genre de dire ou plus serré, ou plus libre, où il se trouve engagé. J'en dirai autant, malgré le critique, des traités sur S. Jean, qui ne diffèrent des livres dogmatiques et polémiques de S. Augustin, que par la différence naturelle de ces sortes de livres d'avec les sermons. C'est donc d'un maître si intelligent, et pour ainsi dire si maître, qu'il faut apprendre à manier dignement la parole de vérité, pour la faire servir, dans tous les sujets, à l'édification des fidèles, à la conviction des hérétiques et à la résolution de tous les doutes, tant sur la foi que sur la morale.»

« Et pour aller jusqu'à la source des grâces de Dieu dans ce Père, il lui avait imprimé dès son premier âge, un amour de la vérité, qui ne le laissait en repos, ni nuit ni jour, et qui l'ayant toujours suivi parmi les égarements et les erreurs de sa jeunesse, est enfin venu le rassasier dans les saintes Ecritures, comme dans un océan immense, où se trouve la plénitude de la vérité, qu'il avait si ardemment et si inutilement recherchée, avant que l'autorité de l'Eglise catholique l'eût enfin amené à cette étude. »

V.

Tota S. Augustini sapientia, seu scientia ordinis universi, fundatur in divino Exemplarismo.

676.—1°) PROBATUR EX DOCTRINÆ EJUS SYNOPSI. S. Augustini doctrina in divino Exemplarismo fundatur, seu ab eo informatur, quia cuncta ordinat ad primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem, et cuncta Dei opera explicat per æternas ideas in Mente divini Artificis atque Rectoris mundi præconceptas.

Etenim: a) Deum unum et trinum sæpissime comparat artifici humano et supremum Artificem appellat, sicut postea videbimus n.° 679. Æternum autem Verbum dicit esse Artem omnipotentis Dei (De Trinit., lib. 6, cap. 10, T. 42).

b) Sapientiam præcipue reponit in theoria divinarum idearum. « Siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit. » (In 83 Quæst., q. 46, De ideis., T. 40).

c) Asserit omnia divina opificia tripliciter posse considerari: 1°) in æterno Dei Verbo, sive in divinis rerum exemplaribus; 2°) in mundi productione, qua res in esse suo constituuntur; 3°) in mundi gubernatione, qua res productæ conservantur in esse, disponuntur inæqualiter et moventur ad operandum, sive aguntur ad meliorem et divinitus præfinitam assimilationem cum summo Bono.

d) Docet omnes creatas res esse analogice similes summo Bono, quod variis gradibus participant, ita ut sint varie Deo et inter se similes. Vide n.° 695 et 701 præsentis Tomi. Ordinem loci seu dignitatis definit: « Parium dispariumque sua loca cuique tribuens dispositio. » (De Civit. Dei., lib. 19, cap. 13).

e) In magno suo de Trinitate opere, longe et late loquitur de divinæ *Trinitatis vestigiis*, quæ in omnibus Dei operibus reperiuntur, et de *Trinitatis imagine*, quæ invenitur in homine Vide n.° 706 et 707 hujus Tomi.

f) Passim utitur verbis Exemplarismo propriis, quæ ad ejus instar ipsi adhibuimus. Sic Deum nuncupat supremam *Formam*, unam et trinam, non formatam, *ex qua*, *per quam*, *in qua* omnia formantur, reformantur et transformantur. — *Formantur* enim per naturam et gratiam originalem in opere creationis, ac peccato originali *deformata*, *reformantur* per gratiam Christi in opere Redemptionis, atque *transformantur* per gratiæ augmentum in opere sanctificationis, et per gloriam æternam in opere glorificationis. Ab hac gloriosa transformatione excipiuntur omnes reprobi, sive angeli sive homines. Omnia ista vocabula passim recurrent in locis quos postea citabimus.

2°) PROBATUR EX EO, QUOD S. AUGUSTINUS PHILOSOPHIAM ET IDEAS PLATONIS AMPLEXUS EST. Ipse docet se Platonem cæteris philosophis antiquis prætulisse, quoniam ille secutus est methodum syntheticam, et Exemplarismum naturalem professus est; sic loquitur: « Hæc itaque causa est cur istos cæteris præferamus, quia cum alii philosophi ingenia sua studiaque contriverint in requirendis rerum causis, et quisnam esset modus discendi atque vivendi, isti Deo cognito repererunt ubi esset Causa constitutæ universitatis, et lux percipiendæ veritatis, et fons bibendæ felicitatis. Sive ergo isti Platonici, sive quicumque alii quarumlibet gentium philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sentiunt. » (De Civit. Dei, lib. 8, cap. 10, T. 41). — « Quicumque philosophi de Deo summo et vero ista senserunt, quod et rerum creatarum sit Effector, et lumen cognoscendorum, et bonum agendorum; quod ab Illo nobis sit et principium naturæ, et veritas doctrinæ, et felicitas

vitæ, sive Platonicis accommodatius nuncupentur, sive quodlibet sectæ suæ nomen imponant... aliique reperiuntur qui hoc viderint et docuerint, eos omnes cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur. » (Ibid., cap. 9).

Platonem approbat quia Exemplarismum docuit: « Nec Plato in hoc erravit, quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum, quod ecclesiasticæ consuetudinis in re illa non usitatum est, sed ipsam rem velimus attendere. Mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit ipsam Rationem sempiternam atque incommutabilem qua fecit Deus mundum. » (Retract., lib. 7, cap. 3). — « Si Plato Dei imitatorem, cognitorem, amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione sit beatus, quid opus est excutere cæteros *(philosophos)?* Nulli nobis, quam isti, proprius accesserunt. » (De Civit. Dei, lib. 8, cap. 5).

Sed probabile putat S. Augustinus Platonem præcipua doctrinæ suæ puncta ex Judæis addidicisse. (Ibid., cap. 11).

§ II.

De divina Trinitate, omnium rerum Artifice.

Ostendemus: 1°) indolem et momentum magni operis S. Augustini de Trinitate; 2°) hoc opus divinum Exemplarismum continere; 3°) divinam Trinitatem esse, juxta S. Augustinum, rerum omnium Artificem.

I.

Indoles et momentum magni operis S. Augustini de Trinitate.

677. — Passim in operibus suis loquitur Sanctus Doctor de adoranda Trinitate, quæ præcipuum contemplationis suæ objectum erat; sed præterea integrum longumque de ea tractatum composuit.

Cassiodorus senator, scientia non minus quam nobilitate conspicuus, in Institut. divinar. litterar., cap. 16; Patrol. lat., T. 70, p. 1132, laudat quindecim libros, « quos Augustinus de Sancta Trinitate mirabili profunditate conscripsit, curiosa intentione meditandos. »

Ipse auctor, opus suum ad Aurelium Papam mittens, scripsit ei in Epistola, quam in librorum capite anteponi voluit: « De Trinitate, quæ Deus summus et verus est, libros juvenis inchoavi, senex edidi... Multorum fratrum vehementissima postulatione et maxime tua jussione compulsus, opus tam laboriosum, adjuvante Domino, terminare curavi: eosque *(libros)* emendatos, non ut volui, sed ut potui, ne ab illis qui subrepti jam in manus hominum exierant, plurimum discreparent, Venerationi Tuæ per filium nostrum condiaconum charissimum misi, et cuicumque audiendos, describendos, legendosque permisi: in quibus si servari mea dispositio potuisset, essent profecto, etsi easdem sententias habentes, multo tamen enodatiores atque planiores, quantum rerum tantarum explicandarum difficultas et facultas nostra pateretur. » (Admonitio in libros de Trinitate, T. 42, p. 818).

Addit humiliter in operis initio: « Nec pigebit me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, discere. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est: *Quærite faciem ejus semper.* (Psalm. 104, v. 4). Et hoc placitum pium atque tutum coram Domino Deo nostro cum omnibus inierim, qui ea quæ scribo legunt, et in omnibus scriptis meis, maximeque in his ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti; quia *nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur.* » (Lib. 1, cap. 2 et 3, p. 822).

« Oportet autem, et donabit Deus, ut eis ministrando quæ legant, ipse quoque proficiam, et eis cupiens respondere quærentibus, ipse quoque inveniam quod quærebam. — Ergo suscepi hæc, jubente atque adjuvante Domino Deo nostro, non tam cognita cum auctoritate disserere, quam ea cum pietate disserendo cognoscere. » (Ibid., cap. 5, p. 825).

Opus suum terminat sanctus Doctor oratione, fidei, humilitatis ac amoris plena, cujus sequentia tantum verba citabimus: « Domine Deus noster credimus in te Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Coram te est firmitas et infirmitas mea: illam serva, istam sana. Coram te est scientia et ignorantia mea: ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrum... Sapiens quidam cum de te loqueretur in libro suo, qui Ecclesiasticus proprio nomine jam vocatur: *Multa,* inquit, *dicimus, et non pervenimus, et consummatio sermonum universa est Ipse.* (Eccli. 43, v. 29). Cum ergo pervenerimus ad te, cessabunt multa ista quæ dicimus, et non pervenimus, et manebis omnia in omnibus (1. Cor. 15, v. 28): et sine fine dicemus unum, laudantes te in unum, et in te facti etiam nos unum. Domine, Deus une, Deus Trinitas, quæcumque dixi

in his libris de tuo, agnoscam, et tui; si qua de meo, et tu ignosce, et tui. Amen. » (Lib. 15, cap. 28, p. 1098).

II.

Divinus Exemplarismus in opere S. Augustini de Trinitate continetur.

678. — Magnum opus de Trinitate in quindecim libros dividitur.

I. **In octo primis libris,** S. Augustinus ex Scripturis demonstrat divinæ Trinitatis unitatem substantialem et trium ejus personarum æqualitatem, non obstantibus objectionibus, quas desumunt hæretici 1°) ex missione Filii et Spiritus sancti; 2°) ex divinis theophaniis; 3°) ex Filii generatione; 4°) ex hoc quod Filius ab Apostolo dicatur Dei virtus et Dei sapientia.

Docet naturæ divinæ Trinitatem præcipue cognosci per charitatem, in qua tria quædam velut Trinitatis vestigia inesse observat. (Lib. 8, cap. 10).

Alibi loquitur de aliis vestigiis SS. Trinitatis, quæ in omnibus effectibus creatis invenire necesse est. Verbi gratia dicit in libro 6, cap. 10, n.° 12, p. 932: « Oportet igitur ut Creatorem, per ea quæ facta sunt, intellectum conspicientes (Rom. 1, v. 20), Trinitatem intelligamus, cujus in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium. In illa enim Trinitate summa origo rerum omnium, et perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio. » — Dicit in lib. 15, cap. 2, n.° 3: « Ne me fidelium quispiam frustra et inaniter existimet in creatura prius per quasdam sui generis trinitates quodam modo gradatim, donec ad mentem hominis pervenirem, quæsiisse indicia summæ illius Trinitatis, quam quærimus cum Deum quærimus. »

Notandum est, quod S. Augustinus non docet Trinitatem *personarum* divinarum ex rebus creatis cognosci posse, sed tantum trinitatem *attributorum* essentialium divinis personis appropriatorum, verbi gratia potentiam, sapientiam et bonitatem; aut unitatem, speciem et ordinem; aut Essentiam, sapientiam intellectus, et amorem voluntatis. « An putandum est sapientiam, quæ Deus est, scire alia et nescire seipsam; vel diligere alia et non diligere seipsam? Quæ si dici sive credi stultum et impium est, ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet, et notitia sui et dilectio sui. Sic enim et in homine invenimus trinitatem; id est mentem, et notitiam qua se novit, et dilectionem qua se diligit. » (De Trinit., lib. 15, cap. 6, T. 42, p. 1064).

Ibid. cap. 7, ostendit quam imperfecta sunt Trinitatis vestigia in creaturis.

II. **In septem reliquis libris,** agitur in specie de SS. Trinitatis *vestigiis* et *imagine,* quæ in homine reperiuntur, licet imperfectissime: « Singulus quisque homo, qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent ejus, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, una persona est, et imago est Trinitatis in mente. Trinitas vero illa, cujus imago est, nihil aliud est tota quam Trinitas. Nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem; et tres personæ sunt unius Essentiæ, non sicut singulus homo una persona. » (De Trinit., lib. 15, cap. 6). Sequentes titulos transcribere sufficiat.

Liber IX. « Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quamdam inesse: mentem scilicet, et notitiam qua se novit, et amorem quo se notitiamque suam diligit: atque hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ. »

Liber X. « Trinitatem aliam in hominis mente inesse ostenditur, eamque longe evidentiorem apparere in memoria, intelligentia et voluntate. »

Liber XI. « Trinitatis imago quædam monstratur etiam in exteriore homine: Primo quidem in his quæ cernuntur extrinsecus; ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis; tametsi hæc tria neque inter se æqualia sint, neque unius substantiæ. — Deinde in ipso animo ab his quæ extrinsecus sensa sunt, velut introducta observatur altera trinitas, seu tria quædam unius substantiæ: imaginatio corporis quæ in memoria est, et inde informatio, cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens contentio voluntatis; quæ nimirum altera trinitas ad exteriorem quoque hominem pertinere dicitur quod de corporibus illata sit, quæ sentiuntur extrinsecus. »

Liber XIV, cap. 16: « Imago Dei quomodo reformatur in homine. »

Cap. 17: « Imago Dei in mente quomodo renovatur, donec perfecta sit in ea similitudo Dei in beatitudine. »

Cap. 19: « Joannes potius intelligendus de perfecta nostra similitudine cum Trinitate in vita æterna. Sapientia perfecta in beatitudine. »

Liber XV, cap. 22: « Quanta dissimilitudo inter repertam in nobis imaginem Trinitatis, et ipsam Trinitatem. »

Cap. 23: « Prosequitur disparitatem Trinitatis, quæ in homine est, a Trinitate, quæ Deus est. Trinitas per speculum nunc videtur auxilio fidei, ut postea clarius videri possit in promissa visione facie ad faciem. »

III.

Divina Trinitas est omnium rerum Artifex.

679. — 1°) DEUS EST SUPREMUS ARTIFEX.

S. Augustinus Deum comparat humano artifici, ipsumque Artificem, factorem, plasmatorem passim nuncupat. « Si enim statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causam deformem fecerat, conflare et pulcherrimam reddere,... quid de omnipotente Artifice sentiendum est? » (De Civit. Dei, lib. 22, cap. 19, T. 41, p. 781). — « Rerum omnium perfectus Artifex. *(Deus)* » (De Nat. boni, cap. 16, T. 42, p. 556). — « Ita enim Sapientia Dei pertendit a fine usque ad finem fortiter. (Sap. 8, v. 1). Ita illa Bonitas, a summo usque ad extremum, nulli pulchritudini quæ ab Ipso solo esse potest, invidit, ut nemo ab ipsa veritate dejiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. » (De vera Relig., cap. 39, T. 34, p. 154). — « Deus ita est Artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis. » (De Civit. Dei, lib. 11, cap. 22, T. 41, p. 335). — « En ad te clamo factura tua; vita es, refice me. En ad te respicio tuum plasma; plasmator es, restaura me. *Parce mihi, Domine; nihil enim sunt dies mei.* (Job. 7, v. 16); quid est homo, ut possit alloqui Deum Factorem suum? » (Soliloq., cap. 2, T. 40, p. 866). — « Attende etiam istum mundum: mundus fornax est; palea, homines mali; aurum, homines boni; ignis, tribulatio; artifex, Deus. Attende et vide: aurum non purgatur, si palea non uritur. » (Serm. 15, cap. 4, ad quid mali in mundo. T. 38, p. 118).

Quomodo autem divinus Artifex ab humano artifice differat, ipsumque arte sua fecerit docet in Confess., lib. 11, cap. 5, T. 32, p. 811 et 812. — Item, T. 40, p. 89, quæst. 78).

680. — 2°) OMNIA DIVINI ARTIFICIS OPERA SUNT TOTI TRINITATI COMMUNIA.

« Hoc me delectat plurimum, quod etiam in summo exordio sancti libri Geneseos, Trinitas commendatur. Cum enim ita dicitur: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, ut Pater fecisse intelligatur in Filio, sicut attestatur Psalmus, ubi legitur: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in Sapientia fecisti* (Psalmo 103, v. 24), convenientissime paulo post commemoratur etiam Spiritus sanctus. Cum enim dictum esset, qualem terram Deus primitus fecerit... mox, ut Trinitatis commemoratio compleretur: *Et Spiritus*, inquit, *Dei superferebatur super aquam.* (De Civit. Dei, lib. 11, cap. 32, T. 41, p. 345. — Item Confess., lib. 13, cap. 5, T. 32, p. 817. — De Genesi ad litt., lib. 1, cap. 6, T. 34, p. 250).

« Nec quidquam Patrem facere *(existimandum est)*, quod non et Filius et Spiritus sanctus; nec quidquam Spiritum sanctum, quod non et Pater et Filius; nec quidquam Filium, quod non et Pater et Spiritus sanctus faciat. » (Epist. 11, T. 33, p. 75).

681. — 3°) VERBUM EST IMAGO ET ARS, SECUNDUM QUAM PATER OMNIA FABRICAVIT.

« Summe unus est Pater Veritatis, Pater suæ Sapientiæ, quæ nulla ex parte dissimilis, similitudo ejus dicta est imago, quia de ipso est. Itaquè etiam Filius recte dicitur ex ipso, cætera per ipsum. Præcessit enim Forma omnium summe implens unum de quo est, ut cætera quæ sunt, inquantum sunt uni similia, per eam Formam fierent. » (De vera Relig., cap. 43, T. 34, p. 159).

« Ubi *(scilicet in Deo)* est... primus ac summus Intellectus, cui non est aliud vivere et aliud intelligere; sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia; tanquam Verbum perfectum, cui non deest aliquid, et Ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium; et omnes unum in ea; sicut Ipsa unum de uno, cum quo unum... Omnia quæ Arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem et ordinem. » (De Trinit., lib. 7, cap. 10, n.° 11 et 12, T. 42, p. 931).

« *In principio erat Verbum*, (Joan. 1, v. 1) quod græce λόγος dicitur, latine *rationem* et *verbum* significat. Sed hoc loco melius *verbum* interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt operativâ potentiâ. *Ratio* autem, etsi nihil per ipsum fiat, recte ratio dicitur. » (De 83 Quæst., q. 63, T. 40, p. 54).

« Attende fabricam istam mundi; vide quæ sint facta per Verbum, et tunc cognosces quale sit Verbum... (Tract. 1 in Joan., cap. 1, n.° 9, T. 35, p. 1384) — « Secundum Artem continet omnia, antequam fabricet omnia. » (Ibid., n.° 17, p. 1387).

682. — 4°) DE VOCABULIS EX QUO, PER QUEM, IN QUO OMNIA, QUÆ TRIBUS PERSONIS DIVINIS APPROPRIANTUR.

Hæc vocabula designant supremam atque universam Causam efficientem, exemplarem et finalem. Plures textus in quibus S. Augustinus ea applicat divinæ Trinitati, jam transcripsimus in hoc Tomo I, n. 253, II, 10°.

§ III.

De ordine intentionis in Mente divini Artificis.

Scilicet: 1°) de æterna Arte et ideis, juxta quas Deus omnia opificia sua produxit; 2°) de

æterna providentiæ suæ Lege, juxta quam Deus omnia opificia sua gubernat; 3°) de æterna Prædestinatione, juxta quam Deus creaturas rationales supernaturaliter consummat.

I.

De æterna Arte et ideis, juxta quas Deus omnia opificia sua produxit.

Locos, in quibus hoc argumentum tractat S. Augustinus, jam retulimus in hoc Tomo I, n.° 261, II.

II.

De æterna providentiæ Lege, juxta quam Deus omnia opificia sua gubernat.

683. — 1°) NOTIO LEGIS ÆTERNÆ.

« Lex vero æterna, est Ratio divina vel Voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. » (Cont. Faustum, lib. 22, cap. 27, T. 42, p. 418).

« Nullo modo est credendus *(Deus)* regna hominum earumque dominationes et servitutes a suæ Providentiæ legibus alienas esse voluerit. » (De Civit. Dei, T. 41, lib. 5, p. 154).

« Ut igitur breviter legis notionem, quæ impressa nobis est, quantum valeo verbis explicem, ea est qua justum est ut omnia sint ordinatissima. » (De Lib. arbit., lib. 1, cap. 6, T. 32, p. 1229. Ibidem de Lege æterna agitur in cap. 7 et 15).

« Lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabile Veritate præceperit. » (Quæst. in Heptateuch., lib. 2, n.° 67, T. 34, p. 618).

684. — 2°) DEUS OMNIA SECUNDUM LEGEM ÆTERNAM GUBERNAT DUPLICI MODO, PHYSICO SCILICET AC MORALI.

Æterna lex divinæ Providentiæ omnia ad finem gubernat, juxta cujusque rei naturam et ordinem. In ordine *physico*, omnes creaturas gubernat physice ac necessario ad bonum universale; in ordine autem *morali*, creaturas intelligentes et liberas gubernat moraliter ac contingenter ad bonum particulare. Quæ si male velint hoc bonum, et a divinæ Legis ordinatione in parte deficiant, per justam pœnam ad ordinem generalem reducuntur. « Summo enim Deo cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo, nihilque injustum est, sive scientibus, sive nescientibus nobis. Sed in parte offenditur anima peccatrix: tamen quia pro meritis ibi est, ubi talem esse decet, et ea patitur quæ talem pati æquum est, universum regnum Dei nulla sua fæditate deformat. Quamobrem, quoniam non omnia novimus quæ de nobis bene *agit* ordo divinus, in sola bona voluntate secundum Legem *agimus;* in cæteris autem secundum Legem *agimur;* cum Lex ipsa incommutabilis maneat, et omnia mutabilia, pulcherrima gubernatione moderetur. » (De divers. Quæst., q. 83, q. 27, T. 40, p. 18).

« Nihil casu fit in mundo. Hoc constituto, consequens videtur, ut quidquid in mundo geritur, partim divinitus geratur, partim nostra voluntate. » (Ibid., cap. 24. p. 17). Ibi quoque loquitur S. Augustinus de morali participatione nostra cum Dei Bonitate per ejus Legem expressa.

Scientia Dei providentis libertatem creatam non destruit. « Novit ergo Deus quod creat, et quale sit per ejus Bonitatem, et quale futurum sit per propriam voluntatem; novit Deus et ordinavit omnia. » (Enarr. in psalm. 70, n.° 6, T. 36, p. 796). Hic agitur de homine ejusque voluntate, sicut ex contextu liquet.

3°) S. AUGUSTINI SCRIPTA DE ÆTERNO DIVINÆ PROVIDENTIÆ ORDINE.

685. — Multa scripsit S. Augustinus de divinæ Providentiæ ordinatione, potissimum in duobus libris de Ordine (T. 32) quos in conversionis suæ initio composuit, et in magno de Civitate Dei opere, quod per annos duodecim elaboravit, atque in fine vitæ edidit.

In libris de Ordine, loquitur in genere de divinæ Providentiæ ordinatione, quæ bona et mala complectitur, et totius mundi perfectionem procurat.

In Civitate Dei agit de utriusque civitatis, bonorum scilicet ac malorum gubernatione, juxta æternas divinæ Providentiæ leges.

III.

De æterna Prædestinatione, juxta quam Deus creaturas rationales supernaturaliter consummat.

Multa de Prædestinatione scripsit S. Augustinus, potissimum in libro de Prædestinatione Sanctorum, T. 44, p. 959, et de dono Perseverantiæ, T. 45, p. 993. — Prædestinatio est æterna; donum perseverantiæ est temporalis effectus prædestinationis, ita ut non concedatur nisi prædestinatis.

Sancti auctoris doctrina de prædestinatione ad tria puncta reduci potest: videlicet ad prædestinationis, 1°) notionem et ordinem; 2°) causam et effectum; 3°) mysterium.

A. De prædestinationis notione et ordine.

686. — 1°) « An quisquam dicere audebit Deum non præscivisse quibus daturus esset ut crede-

rent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam (Joan. 18, v. 9). Quae utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. » « Hæc est prædestinatio Sanctorum, nihil aliud: præscientia scilicet, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi, nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur... Et tamen hæc prædestinatio, quæ satis aperte etiam verbis evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum, et propter incipiendum dicere, quod paulo ante commemoravi: *Credite in Deum et in me credite:* et propter perseverandum: *Oportet semper orare et non deficere.* (Luc. 18, v. 1). Audiunt enim hæc, et faciunt quibus datum est: non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. *Quia vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum.* (Matth. 13, v. 11). Quorum alterum ad misericordiam, alterum ad judicium pertinet illius, cui dixit anima nostra: *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine.* (Psal. 100, v. 1) » (De dono Persev., cap. 14, n.° 35, T. 45, p. 1014).

2°) « Præsciebat (ait Pelagius) qui futuri essent sancti et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: et ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quæ tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergo (inquit) antequam essent, prædestinans filios quos futuros sanctos immaculatosque præscivit: utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit. — Intuemur ergo verba Apostoli, atque videamus utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti et immaculati futuri eramus, an ut essemus. *Benedictus*, inquit, *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati.* (Eph. 1, v. 3 et 4). Non ergo quia *futuri eramus*, sed *ut essemus*. Nempe certum est, nempe manifestum est: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus... Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum: non quia per nos sancti et immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundum placitum Voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius erga se Voluntate glorietur: fecit hoc secundum divitias gratiæ suæ, secundum bonam Voluntatem suam, quam proposuit in dilecto Filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum (ibid. v. 5), non nostrum, sed ejus, qui universa operatur, usque adeo ut ipse in nobis operetur et velle (Philipp. 2, v. 13). Operatur autem secundum consilium Voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus. » (De Prædestin. Sanctor., cap. 18, n. 36 et 37, T. 44, p. 987).

3°) « Electi sunt itaque ante mundi constitutionem *ea prædestinatione*, in qua Deus sua futura facta præscivit; electi sunt autem de mundo *ea vocatione*, qua Deus id quod prædestinavit, implevit. Quos enim prædestinavit, ipsos et vocavit; illa scilicet vocatione secundum propositum: non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos et vocavit: nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos et glorificavit, (Rom. 8, v. 30), illo utique fine qui non habet finem. Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant. » (Ibid., cap. 17, p. 986).

« Prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud Ipsum, in ejus præscientia. Tria vero reliqua in nobis fiunt: vocatio, justificatio, glorificatio. Vocamur prædestinatione pœnitentiæ; sic enim cœpit Dominus evangelizare: *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum.* (Matth. 2, v. 3 et cap. 4, v. 17). Justificamur in vocatione misericordiæ et timore judicii; hinc est quod dicitur: *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* (Psal. 53, v. 3). Non timet judicari, qui impetraverit ante salvari. — *Vocati*, renuntiamus diabolo per pœnitentiam, ne sub jugo ejus remaneamus. *Justificati*, sanamur per misericordiam, ne judicium timeamus: *glorificati*, transimus in vitam æternam, ubi Deum sine fine laudamus. » (Enarr. in Psal. 13, n.° 3, T. 37, p. 1962).

« Numerus Sanctorum per Dei gratiam, Dei regno prædestinatus, donatâ sibi etiam usque in finem perseverantiâ, illuc integer perduretur et illic integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adhaerente sibi misericordia Salvatoris sui, sive cum convertuntur, sive cum præliantur, sive cum coronantur. » (De dono Persev., cap. 13, n.° 40, T. 45, p. 941).

B. **De Prædestinationis causa et effectu, qui libertatem nostram non cogit.** Vide n.^{m} 692.

687. — 1°) PRÆDESTINATIONIS CAUSA NON EST MERITUM PRÆDESTINATI, quum filii Adam sint omnes peccatores, sed misericordia et mere gratuita electio Dei, qui Christi meritorum intuitu, prædilectos sibi homines infallibiliter a communi perditione liberat, illos efficaciter vocando, justificando et glorificando. Equidem gloria datur electorum meritis, sed eorum merita fundantur in gratia Dei efficaci, quæ prorsus gratuita est, eisque datur quia misericorditer a Deo electi sunt.

Hanc doctrinam ubique docet S. Augustinus. « Laudet misericordiam qui liberatur; non culpet judicium qui punitur. » (Epist. 186, cap. 6,

n.° 21, T. 43, p. 824 et passim. — « Electi sumus et prædestinati, non quia futuri eramus sancti, sed ut essemus. » (De Prædest. Sanctor., cap. 17, T. 44, p. 985).

« Eligendos facit ipse Deus, non invenit; non ex operibus, sed ex vocante. » (Epist. 194, cap. 8, T. 33, p. 886). — « Quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem, sicut dicit Apostolus, et secundum suam gratiam, et secundum illorum justitiam... *Sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ, per electionem gratiæ, salvæ factæ sunt.* (Rom. 11, v. 5). Id est, idem Christus est qui tunc, et modo; qui et illi tunc Eliæ dixit: *Reliqui mihi.* Quid est: *Reliqui mihi?* Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal. Non sunt mutati, sic sunt ut a me facti sunt. Et tu qui loqueris, nisi de me præsumeres, ubi esses? Nisi gratia mea flexus esses, nonne ante Baal etiam ipse genuflecteres? Gratia autem mea plenus es, quia nihil de tua virtute, sed totum de mea gratia præsumpsisti. Noli ergo in hoc gloriari... Cave, o Christiane, cave superbiam, Licet enim imitator Sanctorum sis, totum semper gratiæ reputa: quia ut esset aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit... Si autem gratia, gratia datur... O gratia gratis data! Quid tu, juste credis te sine Deo non posse servare justitiam? Ipsius ergo totum reputa, quod justus es, pietati: quod autem peccator es, tuæ iniquitati adscribe. » (Serm. 100, cap. 2 et 3, T. 38, p. 604).

« Ipse eos facit perseverare in bono, qui facit bonos. » (De Corrept. et Grat., cap. 12, n.° 36, T. 44, p. 938).

« Unde satis dilucide ostenditur, et inchoandi, et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari: sed dari secundum ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam Voluntatem: quoniam *quos prædestinavit ipsos et vocavit* (Rom. 8, v. 30) vocatione illa de qua dictum est: *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei.* (Ibid., 11, v. 29).

688. — 2°) Sanctus Doctor asserit omnes homines a Deo vocatos esse ad justificationem per fidem Christi, et ad glorificationem, quoniam Deus *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (1. Tim., 2, v. 4) et quoniam *pro omnibus mortuus est Christus* (2. Cor., 5, v. 15). Etenim *speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* (1. Tim. 4, v. 10). Ipsum Augustinum audiamus: « Prorsus de vocatione sua nullum hominum genus desperet: pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est: *Qui vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* » Serm. 304, cap. 3, T. 38, p. 1396).

Verumtamen omnes homines ad fidem Christi non perveniunt, nec salvantur; multi enim infideles permanent; et multi, etiam fideles, in æternum pereunt. Ergo omnes homines non vocantur efficaciter et infallibiliter ad justificationem et glorificationem; hoc modo non vocantur nisi electi. Igitur cogimur cum S. Doctore duplicem distinguere vocationem: vocationem *secundum Dei propositum*, quæ infallibilis est atque efficaciter causat justificationem, perseverantiam finalem et glorificationem; et vocationem *non secundum Dei propositum*, quæ fallibilis est atque effectu suo caret, sive ob culpam voluntatis in adultis, sive ob defectum aliarum causarum secundarum in parvulis.

De utraque vocatione plura scripsit Augustinus: « Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, *non ex vocatione qua vocati sunt, et qui noluerunt venire ad nuptias* (Luc. 14, v. 16-20); illa quippe vocatione et Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est; et Gentes, quibus crucifixus stultitia est; sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, ipsis vocatis Judæis et Græcis prædicare se Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Sic enim ait: *Ipsis autem vocatis* (1. Cor. 1, v. 23 et 24); ut illos ostenderet non vocatos: sciens esse quamdam certam vocationem eorum qui *secundum propositum vocati sunt*, quos ante præscivit et prædestinavit conformes imaginis Filii sui (Rom. 8, 28 et 29) (De Prædest. Sanctor., cap. 16, n.° 32, T. 44, p. 983).

Confer quoque in eodem Tomo: Cont. Julian. Pelagian., lib. 5, cap. 4, p. 792. — De Corrept. et Grat., cap. 7, p. 923-925, cap. 9, p. 929. — De Prædest. Sanctor, cap. 3, p. 965. — Cont. duas Epist. Pelagianor., lib. 2, cap. 10, p. 586. — T. 32, Retract., cap. 23, n.° 4, p. 622. — T. 33, Epist. 186, n.° 25, p. 825. — Epist. 149, cap. 2, n.° 21, p. 639.

689. — 3°) Vocatio Dei non cogit voluntatem nostram, sed libere illi consentiendo meremur, et libere ab ea dissentiendo demeremur ac pœnam justissime incurrimus.

a) In opere de Spiritu et litt., cap. 34, T. 44, p. 240: *Voluntas credendi a Deo*, loquitur de vocatione *extrinseca* per Evangelii prædicationem, vel *intrinseca* per gratiæ suasiones sive inspirationes. Deinde addit: « His ergo modis Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos; *consentire* autem vocationi

Dei, vel ab ea *dissentire*, sicut dixi, *propriæ voluntatis est.* Quæ res non solum non infirmat quod dictum est: *Quid habes quod non accepisti?* (1. Cor. 4, v. 7), verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est: accipere autem et habere utique accipientis et habentis est. »

Vocationi Dei quomodo respondetur: (Enarrat. in Psal. 101, n.° 6, T. 37, p. 1307).

b) Ex doctrina S. Augustini concludendum *nobis videtur*, vocationem ad gloriam esse causam finalem vocationis ad fidem et ad gratiam Christi. Omnes homines ad glorificationem et justificationem vocantur ex Dei Voluntate, intuito meritorum Christi, sed non omnes eodem modo vocantur. Quidam enim, ex Dei prædilectione mere gratuita, vocantur secundum Dei propositum, ita ut infallibiliter et efficaciter, quamvis libere, justificentur ac glorificentur. Cæteri autem minus dilecti, non vocantur secundum propositum, ita ut fallibiliter tantum justificentur ac glorificentur mediante gratia sufficiente, quæ effectu suo carere potest ex humanæ voluntatis defectu. Gratia sufficiente adjuti possumus præcepta facilia actu adimplere, et præsertim præceptum orationis. Oratione autem impetrare possumus gratiam efficacem ad præcepta difficilia adimplenda, et perseverantiæ donum obtinere. « Eo ipso quod firmissime creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus. » (De Nat. et Grat., cap. 69, T. 44, p. 289). — Quos vero prævidet Deus consensuros esse gratiæ sufficienti, certissime liberat a perditione et glorificat, sed illos, quos prævidet a gratia sufficiente dissensuros, relinquit in communi damnatione, et certissime reprobat.

c) Ergo omnium electorum prædestinatio effectum suum certissime habet ex æterna supremi Artificis præscientia et intentione, sed *non eodem modo*, quoniam prædilectos suos ipse *vult absolute ac infallibiliter glorificare* et ideo infallibiliter vocare ad fidem; vult etiam illis petentibus concedere gratias efficaces et justificare, sive illis conservando Baptismi innocentiam, sive illis concedendo efficacem pœnitentiam et finalem perseverantiam.

Illos *fideles*, quos *non vult glorificare infallibiliter*, vocat quidem efficaciter ad fidem, eisque gratias sufficientes, et quasdam gratias efficaces præparat atque concedit, ut legem supernaturalem adimpleant et a peccatis convertantur; sed eorum justificatio est temporanea, et Deus non concedit eis donum perseverantiæ, nisi assidua petitione illud impetrent. — Denique *infideles* vult glorificare, vocare et justificare fallibiliter, non ex sua impotentia, sed ex minore amore atque ex voluntatis humanæ impotentia, quam adjuvare non vult plus quam sufficit ut ad salutem credat homo, et legem quam noverit impleat. — *Omnes igitur adultos*, tam fideles quam infideles, *quos fallibiliter glorificare vult si ipsi velint*, eligit aut reprobat, decreto immutabili, prout illos prævidet gratiam sufficientem eis actu externe aut interne concedendam in mensura a se prædeterminata, recepturos vel rejecturos. « Sicut enim in his quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum ut per munus Dei bene operentur; sic in his quos damnat, infidelitas et impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur... Cujus miseretur facit eum bene operari; et quem obdurat (Rom. 9, v. 18), relinquit eum ut male operetur: sed et illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, et ista obduratio præcedenti iniquitati... Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam ut esset fidelis. » (De Prædest. Sanctor., cap. 3, T. 44, p. 965).

Quoad *parvulos* ante rationis usum morientes, Deus alios elegit ad gloriam, alios autem non elegit. Quos elegit justificat, curando ut Baptismus eis conferatur; quos vero non elegit, non justificat, permittendo ut causæ secundæ deficiant relate ad Baptismum eis conferendum. « Noli credere, nec dicere, nec docere: « Quos Dominus prædestinavit ab Baptismum, prædestinationi ejus eripi posse, et ante defungi, quam in eis fuerit quod Omnipotens prædestinavit impletum, » si vis esse catholicus. Nescio enim quæ hîc potestas contra potestatem Dei casibus datur, quibus incurrentibus quod ille prædestinavit fieri non sinatur. » (De Anima et ejus origine, lib. 3, cap. 10, T. 44, p. 517).

C. **De inscrutabili prædestinationis mysterio.**

690. — 1°) DIVINA PRÆDESTINATIO EST INTELLECTUI NOSTRO IMPERVIA.

S. Augustinus passim docet æternam Dei electionem ac prædestinationem, et variam donorum supernaturalium in tempore distributionem, quæ ex æterna eorum præparatione sequitur, esse profundissimum mysterium in altissimis divini consilii secretis reconditum.

Divina enim electio, ex qua fluit ordinatus prædestinationis effectus, nempe vocatio, justificatio et glorificatio, pendet ex Dei Ratione ac Voluntate, quarum causa non quærenda est, cum divina Ratio sit suprema omnium ratio, et divina Voluntas sit prima omnium Causa. Etenim « Omne efficiens majus est quam id quod efficitur. Nihil autem majus est Voluntate Dei.

Non ergo ejus causa quærenda est. » (De divers. Quæst., q. 83, q. 28, T. 40, p. 18). — Intentio, seu ratio supremi Artificis, infinite superat omnes operum suorum rationes, et supremi Judicis judicia justificantur in semetipsa, sicut dicitur in Psal. 18, v. 10: *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* Sunt enim suprema omnis judicii regula. Sed ipsum Augustinum audiamus.

a) « Una erat massa perditionis ex Adam, cui nonnisi supplicium debebatur: facta sunt vasa inde in honorem ex eadem massa. Habet ergo potestatem figuli ex eadem massa. Qua massa? Certe jam perierat, certe jam illi massæ juxta damnatio debebatur. Gratulare quia tu evasisti: mortem quippe debitam evasisti, et vitam non debitam reperisti. *Habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.* Sed dicis: Me quare fecit in honorem, et alium in contumeliam? Quid responsurus sum? Auditurus es Augustinum, qui non audisti Apostolum dicentem: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* (Rom. 9, v. 20 et 21). Duo parvuli nati sunt: si debitum quæras, ambo tenent massam perditionis. Sed cur mater alium portat ad gratiam *(Baptismi)* alium mater dormiens suffocat? Ambo nihil boni meruerunt: sed *habet figulus luti potestatem, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Disputare vis mecum? Imo mirare mecum, et exclama mecum: *O altitudo divitiarum!* Ambo expavescamus, ambo clamemus: *O altitudo divitiarum!* Ambo in pavore concordemus, ne in errore pereamus. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Scrutare inscrutabilia, fac impossibilia, corrumpe incorruptibilia, vide invisibilia! » (Serm. 27, cap. 12, T. 38, p. 177).

b) Vide quoque De Divers. quæstionib. ad Simplicianum, lib. 1, q. 2 integram, sed præsertim n.° 22, T. 40, p. 127. Sequentia tantum verba transcribemus: « Et tamen quid dicemus? *Numquid iniquitas apud Deum,* exigentem a quo placet, donantem cui placet? Qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. *Numquid iniquitas apud Deum?* Absit. Quare tamen huic ita, et huic non ita? *O homo tu quis es?* Debitum si non reddis, habes quod gratuleris; si reddis, non habes quod quæris. Credamus tantum, etsi capere non valemus, quoniam qui universam creaturam, et spiritualem et corporalem, fecit et condidit, omnia in numero, et pondere, et mensura disponit. (Sap. 11, v. 21). Sed inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. » (Rom. 11, v. 33).

c) De gratiæ suasione efficaci aut non efficaci, dicit: « Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam non coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat: *O altitudo divitiarum!* (Rom. 11, v. 33) et: *Numquid iniquitas apud Deum?* (Ibid., 9, v. 14) Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores. » (De Spir. et litt., cap. 34, T. 44, p. 241).

691. — 2°) DIVINA PRÆDESTINATIO EST NOBIS INCERTA.

Prædestinatio est quoque mysterium in hoc sensu, quod nemo, citra specialem revelationem, infallibiliter scire potest se esse de efficaciter prædestinatorum numero.

S. Augustinus dicit de vocatione secundum Dei propositum: « Ad quam vocationem, pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cum de hoc sæculo exierit. » (De Dono Persever., cap. 13, n.° 33, p. 1012).

« Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per satanæ angelum, ne extollerctur, tantus colaphizaretur Apostolus (2.Cor.12, v. 7). » (De Corrept. et Grat. cap. 13, n.° 40, T. 44, p. 940).

692. — 3°) DE DUOBUS APPRIME NOTANDIS ut tota S. Augustini doctrina de Prædestinatione et Gratia rite intelligatur.

a) Sanctus doctor loquitur de prædestinatione, quæ originalis peccati prævisionem in Mente divina sequitur, ac proin de gratia Christi Redemptoris et gloria, quæ nonnisi peccatoribus æternæ damnationis obnoxiis misericordissime præparantur ab æterno, et effectu conceduntur. Hoc ipse monet in libro de Nat. et Grat., cap. 11, T. 44, p. 252).

b) Quemadmodum S. Paulus, cujus doctrinam secutus est, S. Augustinus totus in eo est, ut gratiæ gratuitatem, necessitatem et efficaciam adstruat. Etenim S. Paulus, in Epistolis suis ad Romanos et ad Galatas, ubi ex professo tractat gravissimum illud argumentum, Judæos ac Gentiles alloquitur nuper ad Christum conversos, qui hanc gratiam tribuere intendebant præteritæ vitæ meritis. S. Augustinus Pelagium refutat, juxta quem gratia Dei nihil est nisi revelatio Legis supernaturalis, Judæis atque Christianis a Deo concessa, et liberum arbitrium, quo hanc Legem propriis viribus adimplere possunt.

Igitur consentaneum erat, ut ambo magnificum salutis opus divinæ Voluntati, et Legis observationem gratiæ efficaci fortiter attribuerent, parce vero loquerentur de parte, quam in hoc

opere habet nostra voluntas gratia sufficiente adjuta. Inde Augustiniani et Jansenistæ, mentem sancti doctoris exaggerantes, omnem prorsus effectum salutarem gratiæ sufficienti denegarunt, et nomen illius tantum in duris systematibus suis rite retinuerunt.

Juxta S. Alphonsum, præclarum nostri sæculi doctorem, qui S. Augustinum plenius intellexit, gratia sufficiens, est actu sufficiens, ita ut habeat ex Voluntate Dei omnia mensurante, *realem* quemdam, sed *fallibilem* effectum ad præcepta facilia adimplenda, potissimum præceptum orationis, qua obtineri potest gratia efficax ad præcepta difficillima infallibiliter implenda.

Notionem doctrinæ S. Augustini et S. Alphonsi complebimus, quando ex professo de controversia circa gratiam agemus in Tomo III, Parte II.

§ IV.

De divini Artificis Unitate, Veritate et Bonitate, per analogiam participatis ab omnibus suis opificiis.

Scilicet: 1°) de Dei et mundi unitate; 2°) de mundi veritate et bonitate, ex Dei Veritate et Bonitate participatis; 3°) de analogica similitudine, per quam res creatæ conformantur Dei Unitati, Veritati et Bonitati.

I.

De Dei et mundi unitate.

1°) Notio et divisio unitatis, quæ est omnis ordinis ac pulchritudinis forma.

693. « Unitas est omnis pulchritudinis forma. » (Epist. 18, T. 33, p. 85).

« Vis ipsa formæ commendatur nomine unitatis. Hoc est enim vere formari, in unum aliquid redigi, quoniam summe Unum est omnis formæ Principium. » (De Genes., lib. imperf., cap. 10, T. 34, p. 233).

Distinguuntur unitas *simplicitatis* sive formalis, et unitas *compositionis* sive ordinationis, quæ in sequenti loco describuntur. « Hæc quæ tendunt esse, ad ordinem tendunt, quem cum fuerint consecuta, ipsum esse consequuntur, quantum id creatura consequi potest. Ordo enim ad convenientiam quamdam quod ordinat redigit. Nihil est autem *esse*, quam *unum esse*. Itaque inquantum quidquid unitatem adipiscitur, intantum est. Unitatis enim est operatio, convenientia et concordia, qua sunt inquantum sunt ea quæ composita sunt: nam *simplicia* per se sunt; quæ autem *non sunt simplicia*, concordiâ partium imitantur unitatem; et intantum sunt, inquantum assequuntur. Quare ordinatio esse cogit, inordinatio vero non esse, quæ perversio etiam nominatur atque corruptio. Quidquid igitur corrumpitur, eo tendit ut non sit. » (De morib. Manichæor., lib. 2, cap. 6, T. 32, p. 1348). — Ergo congruentia, seu proportio, plura tanquam partes concinne ordinat ad unitatem totius alicujus perfecti. Jam vero manifestatio ordinatæ hujus unitatis, seu manifestatio totius perfecti, est pulchritudo, quam S. Augustinus definit « splendorem ordinis. »

694. — 2°) Simplicissima, ordinatissima ac pulcherrima Dei Unitas est Principium exemplare omnis unitatis, ordinis et pulchritudinis.

« Datur intelligi esse aliquid quod illius Unius solius, a quo Principio unum est quidquid aliquomodo unum est, ita simile sit, ut hoc omnino impleat ac sit idipsum; et hæc est Veritas, et Verbum in Principio, et Verbum Deus apud Deum... cætera illius Unius similia dici possunt inquantum sunt; intantum enim et vera sunt; hæc est autem ipsa ejus Similitudo, et ideo Veritas. Ut enim veritate sunt vera quæ vera; ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera, quoniam intantum vera sunt, inquantum sunt; intantum autem sunt, inquantum principalis Unius similia sunt: ea Forma est omnium quæ sunt, quæ est summa Similitudo Principii; et Veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est. » (De Vera relig., cap. 36, T. 34, p. 151).

Doctrina ista confirmat verba quæ nuperrime citavimus: « Summe Unum est omnis formæ Principium. » Divina Unitas est ratio omnis unitatis, non tantum formalis, sed etiam compositionis sive ordinationis.

« Ordo est penes Ipsum, qui novit ordinare quod creavit. » (Serm. 296, cap. 5, T. 38, p. 1355, infra). Ordinationis enim unitas est aliquid rationis, quod non potest nisi a ratione oriri, nec nisi a ratione percipi. (De Vera relig., cap. 32, T. 34, p. 148). Ergo omnis rerum ordinatio oritur ex Ratione divina, quæ est Ordo per se, non ordinatus, sed omnia a se, juxta se et ad se ordinans. — Atqui, supremus omnium rerum Artifex Mente ordinat sive omnes res ipsas inquantum sunt, sive omnem omnium rerum operationem. — Inde oritur duplex ordo, scilicet ordo dispositionis seu *constitutionis* rerum, et ordo *gubernationis* rerum juxta legem æternæ Dei Providentiæ.

Ordo *constitutionis* mundi definitur: « Parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. » (De Civit. Dei, lib. 19, cap. 13, T. 41, p. 640).

Ordo *gubernationis* mundi definitur: « Illud per quod aguntur omnia quæ Deus constituit...» (De Ord., lib. 1, cap. 10, T. 32, p. 991). Finis et effectus divinæ gubernationis est assimilatio rerum cum Deo. Igitur hoc duplici ordine, omnes creaturæ a Deo procedunt tanquam a Causa efficiente et exemplari, atque ad Deum redeunt tanquam ad Causam finalem, per majorem assimilationem cum divino Exemplari.

3°) De mundi unitate, ordine et pulchritudine ex Deo participatis.

695. Universi pulchritudo pendet ab ordinationis suæ unitate, a qua nominatur. (De Ord., lib. 1, cap. 2, T. 32, p. 979). Mundi enim pulchritudo constat unitate omnium rerum diversarum, ad se invicem et ad Deum ordinatarum.— « Univers, comme qui dirait *uni, divers.* » (S. Franç. de Sal., Amour de Dieu, lib. 1, chap. 1).

Unitas ordinis universi fundatur in varia omnium rerum similitudine, seu conformitate cum suprema Dei Forma et inter se. (De Genesi, liber imperfect., cap. 16, præsertim n.° 59, T. 34, p. 242 et 243).

Unitatem appetit omnis natura, quia ad propriam, et ad totius mundi perfectionem, a Deo ordinatur. (De Musica, lib. 6, cap. 17, T. 32, p. 1191).

Pulchritudo partibus composita, multo admirabilior est in toto, quam in parte. (De Gen. cont. Manich., lib. 1, cap. 21, T. 34, p. 188).

« Videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, et ideo pulchrum.» (Confess., lib. 4, cap. 13, T. 32, p. 701).

In multitudine rerum, sola ordinationis earum unitas mentem nostram delectat. (Serm. 103, cap. 3, T. 38, p. 614). — Ad *pulchritudinem* sive corporalem, sive spiritualem, requiritur partium similitudo, sive proportio. « Tanto est pulchrius corpus, quanto similioribus inter se partibus suis constat. Jam porro animarum, non solum aliarum, cum aliis amicitiâ similibus moribus confit; sed etiam in unaquaque anima similes actiones atque virtutes, sine quibus constantia esse non potest, beatam vitam indicant. » (De Gen. ad litt., lib. imperf., cap. 16, n.° 59, T. 34, p. 243).

« Hæc igitur *pulchra numero* placent, in quo jam ostendimus unitatem appeti. Non enim hoc tantum in ea pulchritudine, quæ ad aures pertinet, atque in motu corporum est, invenitur; sed in ipsis etiam visibilibus formis, in quibus jam usitatius dicitur pulchritudo. An aliud quam *æqualitatem numerosam* esse arbitraris, cum paria paribus bina membra respondent: quæ autem singula sunt medium locum tenent, ut ad ea, de utraque parte, intervalla servantur?... Nihil enim est horum sensibilium, quod nobis non æqualitate aut similitudine placeat. Ubi autem æqualitas aut similitudo, ubi numerositas; nihil est quippe tam æquale aut simile quam unum et unum.» (De Musica, lib. 5, cap. 13, T. 32, p. 1184).

Quid est *corporis pulchritudo?* Congruentia partium cum quadam coloris suavitate: « Pulchras formas et varias, nitidos et amœnos colores amant oculi... Ipsa enim regina colorum lux ista, perfundens cuncta quæ cernimus, ubi per diem fuero, multitudo allapsu blanditur mihi aliud agenti, et eam non advertenti. Insinuat autem se ita vehementer, ut si repente subtrahatur, cum desiderio requiratur; et si diu absit, contristat animam. » (Confess., lib. 10, cap. 34, T. 52, p. 800).

Alibi, loco nobis ignoto, S. Augustinus pulchritudinem definit *ordinis splendorem.*

D. Thomas, omnibus his notionibus collectis, asserit *tres conditiones ad pulchritudinem requiri:* integritatem seu perfectionem, claritatem seu distinctionem, et proportionem, sive harmoniam. » (1. q. 39, art. 8, corp.).

Quidquid ordinatum est, quamvis in se fœdum sit, relative pulchrum est in toto cujus pars est, quia ordinatione sua concurrit ad perfectionem totius sive singularis, sive generalis. Cæterum pars quædam in toto non judicatur fœda, nisi per comparationem ad partem pulchriorem; atqui hæc gradua pulchritudinis inæqualitas, et partium inter se contrarietas, ad totius pulchritudinem ordinatur. « Ita ordinantur omnes officiis et finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat: quia nec in ædificio judicando, unum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronuntiante solum digitorum motum, nec in lunæ cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim, quæ propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, sive in statu, sive in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt, si recte volumus judicare. Verum enim nostrum judicium, sive de toto, sive de parte judicet, pulchrum est: universo quippe mundo superfertur, nec alicui parti ejus, inquantum verum judicamus, adhæremus. Error autem noster parti adhærens ejus, ipse per se fœdus est. Sed sicut niger color in pictura cum toto fit pulcher; sic totum istum agonem decenter edit incommutabilis divina Providentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis et solum Deum contemplantibus tribuens: cum in his omnibus non sit malum, nisi peccatum et pœna peccati; hoc est defectus voluntarius a summa Essentia, et labor in ultima non volun-

tarius; quod alio modo sic dici potest, libertas a justitia, et servitus sub peccato. » (De Vera relig., cap. 40, n.° 76, T. 34, p. 156). — De pulchritudine ordinis partium in toto singulari, confer De Nat. boni, cap. 14, ubi sic loquitur de simiæ corporis pulchritudine: « Nec intendunt in corpore simiæ modum proprium, parilitatem ex utroque latere membrorum, concordiam partium, incolumitatis custodiam, et cætera quæ persequi longum est. » (T. 42, p. 565).

4°) Alii textus de eodem argumento.

696. — S. Augustinus docet, totum Dei opus, seu mundum universum, esse unum et pulcherrimum, non obstante apparenti et singulari inconvenientia quarumdam partium, quæ in toto conveniunt.

a) **Mundi unitatem** tantopere agnoscit sanctus doctor, ut mundorum pluralitatem inter somnia paganæ philosophiæ, imo inter hæreses relegare non dubitet. « Nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur. » (De Civ. Dei, lib. 11, cap. 5, T. 41, p. 320).

Dicit de Anaximandro: « Quæ rerum principia singularum esse credidit infinita, et innumerabiles mundos gignere. » (Ibid., lib. 8, cap. 2, p. 226).

Scripsit in libro de Hæresibus: « Alia *(hæresis)* dicit esse innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidam philosophi Gentium. » (Hæresi 77ª, T. 42, p. 45).

b) **Mundi ordo et pulchritudo.** « Septies numerari scriptum esse, te vidisse *(Domine)*, quia bonum est quod fecisti: et ecce non solum bona, sed etiam valde bona, tanquam simul omnia. Nam singula tantum bona erant; simul autem omnia et bona, et valde. Hoc dicunt etiam quæque pulchra corpora; quia longe multo pulchrius est corpus quod ex membris pulchris omnibus constat, quam ipsa membra singula quorum ordinatissimo conventu, completur universum; quamvis et illa etiam singillatim pulchra sint. » (Confess., lib. 13, cap. 28, T. 32, p. 864).

« Dicit Plato *(in Timæo)* aliter mundum fieri non potuisse pulcherrimum atque optimum, nisi omnium animalium, id est immortalium et mortalium, generibus impleretur. » (De Civit. Dei, lib. 12, cap. 26, T. 41, p. 376).

Cur facere miracula non posset Deus « qui fecit mundum in cœlo, in terra, in aere, in aquis innumerabilibus miraculis plenum; cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio majus et excellentius, etiam ipse mundus, miraculum? » (De Civit. Dei, lib. 21, cap. 7, p. 718). — « Ipse enim est Deus, qui omnia in hoc mundo magna et parva miracula, quæ commemoravimus, et incomparabiliter plura, quæ non commemoravimus, fecit; eademque ipso mundo, uno atque maximo miraculo, inclusit. » (Ibid., cap. 9, n.° 2, p. 724). — « Quidquid mirabile fit in hoc mundo, profecto minus est quam totus hic mundus, id est cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, quæ certe Deus fecit... » (Ibid.), lib. 10, cap. 12, p. 291).

c) **De his, quibus in universitate rerum a bono Creatore bene conditarum, quædam displicent.** Hic est titulus Capitis 22, libri 11, De Civ. Dei. Pergit S. Augustinus: « ... Non attendunt, quam vel in suis locis naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur; quantumque universitati rerum, pro suis portionibus decoris, tanquam in communem rempublicam conferant, vel nobis ipsis, si eis congruenter atque scienter utamur, commoditatis attribuant; ita ut venena ipsa, quæ per inconvenientiam perniciosa sunt, convenienter adhibita, in salubria medicamenta vertantur... A terrenis usque ad cœlestia, et a visibilibus usque ad invisibilia, sunt aliis alia bona meliora; ad hoc inæqualia, ut essent omnia. Deus autem ita est Artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva non sua granditate, nam nulla est, sed Artificis sapientiâ metienda sunt. »

Omnia etiam quæ in se fœda sunt, ad mundi pulchritudinem conferunt. (De Vera relig. cap. 41, T. 34, p. 156).

5°) De pia pulcherrimi mundi contemplatione.

697. — Consideratio pulchritudinis mundi, mente et voluntate nos elevat ad pulcherrimi ejus Artificis cognitionem, amorem et laudem.

« Exceptis propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate, et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus, et factum se esse, et nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat. » (De Civit. Dei, lib. 11, cap. 4, n.° 2, p. 319).

« Interroga pulchritudinem terræ: interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilati et diffusi aeris; interroga pulchritudinem cœli, interroga ordinem siderum; interroga solem fulgore suo diem clarificantem; interroga lunam splendore subsequentis noctis tenebras temperantem; interroga animalia quæ moventur in aquis, quæ morantur in terris, quæ volitant in aere; latentes animas, perspicua corpora; visibilia regenda, invisibilia regentes; interroga ista, respondent tibi omnia: Ecce vide, pulchra sumus. Pulchritudo eorum, confessio eorum. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis Pulcher? » (Serm. 241, cap. 2, T. 38, p. 1134).

Deus est « immutabilis mutabilium, sicut Creator, ita Moderator, donec universi sæculi pulchritudo, cujus particulæ sunt quæ suis quibus-

que temporibus apta sunt, velut magnum carmen cujusdam ineffabilis Modulatoris excurrat, atque inde transeant in æternam contemplationem speciei qui Deum rite colunt, etiam cum tempus est fidei. » (Epist. 138, cap. 1, n.° 5, T. 33, p. 527).

« Revocat se (Psalmista) ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora, et dicit: *Lauda, anima mea, Dominum!* Quid tibi placet in hoc sæculo? Quid est quod vis laudare? Quid est quod vis amare? Quocumque corporeis sensibus te converteris, occurrit tibi cœlum, occurrit tibi terra; quod amas in terra, terrenum est; quidquid amas et in cœlo corporeum est. Ubique amas, et ubique laudas: quomodo laudandus est ille qui fecit ista quæ laudas? »

« Jam ergo diu occupata vixisti, et desideriorum diversitate verberata, portas plagas, saucia diverse per amores multos, ubique inquieta, nusquam secura. Colligere ad teipsam: quidquid tibi foris placebat, quære quem habeat Auctorem. Nihil melius in terra, verbi gratia, quam hoc et illud: aurum, argentum, animalia, arbores, amœnitates, totam terram cogita. Quid melius in cœlo sole, luna, sideribus? Totum cœlum cogita. Omnia ista simul, bona valde; quia fecit Deus omnia bona valde. Undique pulchritudo corporis, quæ tibi commendat Artificem. Miraris fabricam, ama Fabricatorem. Non occuperis in eo quod factum est, et recedas ab Illo qui fecit. Hæc enim quibus occuparis; sed te fecit, quia sub seipso te fecit. Si hærebis Superiori, calcabis inferiora; si autem recedis a Superiori, ista tibi in supplicium convertentur. » (In Psal. 145, n.° 5, T. 37, p. 1887).

II.

De mundi veritate ac bonitate ex Dei Veritate ac Bonitate participatis.

1°) Res omnes sunt veræ inquantum divino Verbo conformantur.

698. — In opere de Vera relig., caput 36 sic inscribitur: « Verbum Dei ipsa est Veritas, quia omnino implet id, a quo Principio unum est quidquid est unum. Falsitas non ex rebus, sed ex peccatis. »

In hoc Capite dicitur: « Sed cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est, intelligat eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. At si corpora intantum fallunt, inquantum non implent illud unum quod convincuntur imitari, a quo Principio unum est quidquid est, ad cujus similitudinem quidquid nititur naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus quidquid ab unitate discedit, atque in ejus dissimilitudinem tendit: datur intelligi esse aliquid, quod illius Unius solius, a quo Principio unum est quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit ut hoc omnino impleat ac sit idipsum; et hæc est Veritas, et Verbum in Principio, et Verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est quæ imitantur, sed inquantum implere non possunt; illa est Veritas quæ id implere potuit, et id esse quod est illud; ipsa est quæ illud ostendit sicut est: unde est Verbum ejus et Lux ejus rectissime dicitur (Joan. 1, v. 9). Cætera illius Unius similia dici possunt, inquantum sunt; intantum enim et vera sunt; hæc est autem ipsa ejus similitudo, et ideo Veritas. Ut enim veritate sunt vera, quæ vera sunt, ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera quoniam intantum vera sunt, inquantum sunt; intantum autem sunt, inquantum principalis Unius similia sunt; ea Forma est omnium quæ sunt, quæ est summa Similitudo Principii; et Veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est. »

« Unde falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quæ nihil aliud ostendunt sentienti quam speciem suam, quam pro suæ pulchritudinis acceperunt gradu; neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non alias quam suas affectiones præsidenti animo nuntiant: sed peccata animas fallunt, cum verum quærunt, relicta et neglecta veritate. Nam quoniam opera magis quam Artificem atque ipsam artem dilexerunt, hoc errore puniuntur, ut in operibus artificem artemque conquirant; et cum invenire nequiverunt (Deus enim non corporalibus sensibus subjacet, sed ipsi menti supereminet), ipsa opera existiment esse et artem et artificem. » (T. 34, p. 151).

2°) Res omnes sunt bonæ inquantum divinam Bonitatem participant, et non sunt malæ nisi per defectum.

699. — a) **De Bono per essentiam et de bono participato.** « Videte quam expedita sit sententia catholicæ disciplinæ, quæ aliud dicit bonum quod summe ac *per se Bonum est*, et non participatione alicujus boni, sed propria natura et essentia: aliud, quod *participando bonum* et habendo; habet enim de illo summo Bono quod bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente. »

« Hoc autem bonum quod postea diximus, creaturam vocat, cui noceri per defectum potest: cujus defectus Deus auctor non est, quia existendi, et ut ita dicam essendi Auctor est. Ita et *malum* ostenditur quomodo dicatur; non enim secundum essentiam, sed secundum privationem verissime dicitur: et natura cui noceri potest apparet. Non enim ipsa est summum

malum, cui bonum adimitur cum nocetur; neque summum bonum, quæ propterea deficere a bono potest, quia non existendo bonum, sed bonum habendo dicuntur bona. Neque naturaliter bona res est, quæ cum facta dicitur, utique ut bona esset accepit. »

« Ita et Deus summum Bonum est, et ea quæ fecit bona sunt omnia, quamvis non sint tam bona, quam est Ipse qui fecit. Quis enim hoc tam insanus audet exigere, ut æqualia sint Artifici opera et condita Conditori? » (De Moribus Manichæor., lib. 2, cap. 4, T. 32, p. 1347).

« Omne castum castitate castum est, et omne æternum æternitate æternum est, et omne pulchrum pulchritudine, et omne bonum bonitate. — Ergo et omne sapiens sapientia, et omne simile similitudine. Sed duobus modis castum castitate dicitur: vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate quam gignit, et cui principium atque causa est ut sit; aliter autem cum participatione castitatis quidque castum est, quod potest aliquando esse non castum; atque ita de cæteris intelligendum est. Nam et anima æternitatem vel intelligitur, vel creditur consequi, sed æterna æternitatis participatione fit. Non autem ita æternus Deus, sed quod ipsius æternitatis est Auctor. Hoc et de pulchritudine et de bonitate licet intelligi. » (De divers. 83 Quæst., q. 23, T. 40, p. 16).

b) **Nulla natura mala est, inquantum natura est.** « Non ergo mala est, inquantum natura est, uila natura; sed cuique naturæ non est malum nisi minus bono. Quod si minuendo absumeretur, non solum qualem inducunt Manichæi, ubi tanta bona inveniuntur, ut nimia eorum cæcitas mira sit; sed qualem potest quilibet inducere. » (De Natura boni, cap. 17, T. 42, p. 556).

3°) Omnia bona, sive magna sive parva, nonnisi a Deo sunt.

700. — « Hæc omnia tam perspicua, tam certa, si vellent advertere, qui aliam naturam inducunt, quam non fecit Deus; non tantis blasphemiis implerentur, ut et in summo malo tanta bona ponerent, et in Deo tanta mala. Sufficit enim, ut supra dixi, ad eorum correctionem, si velint attendere quod eos etiam invitos cogit veritas confiteri, omnia prorsus bona non esse nisi a Deo. Non ergo ab alio sunt magna bona, et ab alio parva bona: sed et magna et parva bona non sunt nisi a summo Bono, quod Deus est. »

« Commemoremus ergo bona quanta potuerimus, quæ dignum est ut Deo Auctori tribuamus, et his sublatis videamus utrum illa natura remanebit. Omnis vita et magna et parva, omnis virtus et magna et parva, omnis intellectus et magnus et parvus, omnis tranquillitas et magna et parva, omnis sensus et magnus et parvus, omne lumen et magnum et parvum, omnis suavitas et magna et parva, omnis pax et magna et parva, omnis mensura et magna et parva, omnis pulchritudo et magna et parva, et si quæ similia occurrere poterunt, maximeque illa quæ per omnia reperiuntur, sive spiritualia sive corporalia, omnis modus, omnis species, omnis ordo et magnus et parvus, a Domino Deo sunt. Quibus bonis omnibus qui male uti voluerit, divino judicio pœnas luet: ubi autem nullum horum omnino fuerit, nulla natura remanebit. » (De Nat. boni, cap. 12 et 13, T. 42, p. 555).

III.

De analogica similitudine per quam res creatæ conformantur Dei Unitati, Veritati et Bonitati.

1°) Res creatæ nonnisi analogice et inæqualiter imitantur æqualem Dei perfectionem.

701. — a) Docet S. Augustinus in Ordine increato, scilicet in divina Trinitate esse perfectam similitudinem Bonitatis et Pulchritudinis, sive æqualitatem inter Patrem et Filium, quam inæqualiter participant omnes creaturæ. « Illa quæ participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem: at ipsa Similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit ut cum Similitudo Patris Filius dicitur, quia ejus participatione similia sunt quæcumque sunt vel inter se, vel Deo similia, (ipsa est enim Species prima, qua sunt, ut ita dicam, speciata, et Forma qua formata sunt omnia); ex nulla parte Patri potest esse dissimilis. » (De divers. Quæst. 83, q. 23, T. 40, p. 16). — Item de Genesi, lib. imperf., cap. 16, n.° 57, T. 34, p. 242).

b) Docet quomodo singulæ creaturæ, sive animatæ aut inanimatæ, sive intelligentes aut non intelligentes, divinam similitudinem participant. (De 83 Quæst., q. 51, n.° 2, T. 40, p. 32). — In quibus res creatæ a divinis valde differunt. (Serm. 117, cap. 10, n.° 13 et 14, T. 38, p. 668).

c) Ergo mundus universus, ex varia similitudine cum eadem Dei Pulchritudine, unus est et pulcher. Sed præterea quodlibet corpus in mundo partibus similibus constat, quibus totum est unum et pulchrum. « Si rebus inter se similibus universitas constat, ut singulæ sint quidquid sunt, et omnes ipsam universitatem compleant, quam Deus et condidit et gubernat; per similitudinem Ejus profecto qui condidit omnia, supereminentem atque incommutabilem et incontaminabilem talia facta sunt, ut similibus inter se partibus pulchra sint; ad ipsam tamen

similitudinem *(per modum imaginis)* omnia non facta sint, sed sola substantia rationalis: quare omnia per ipsam, sed ad ipsam nonnisi anima. » (De Genesi ad litt., lib. imperf., cap. 16, n.° 59, T. 34, p. 243). — Similia enim similibus cohærent, et dissimilia refugiunt dissimilia. (Serm. 15, cap. 2, T. 38, p. 117, et Serm. 228, n.° 2. Ibid., p. 1102). — « Quantum ad speciem rebus imprimendam valeat Dei similitudo, per quam facta sunt omnia, quamquam humanas cogitationes altissime superet, licet tamen utcumque arbitrari, si consideremus omnem naturam, sive quæ sentientibus, sive quæ ratiocinantibus occurrit, similibus inter se partibus servare unitatem. » (De Gen. ad litt., loco proxime citato).

d) De divers. Quæst. 83, q. 41. « *Cum omnia Deus fecerit, quare non æqualia fecerit.* »

« Quia non essent omnia, si essent æqualia: non enim essent multa rerum genera, quibus conficitur universitas, primas et secundas, et deinceps usque ad ultimas ordinatas habens creaturas: et hoc est quod dicitur omnia. » (T. 40, p. 27). — Exemplar enim quod divinus Artifex operando ad extra imitatur, est propria Perfectio, sive perfectio Ordinis æqualis, quæ in natura sua regnat, et quæ suprema omnia regit.

Atqui, perfectio Ordinis exemplaris imperfectissime repræsentaretur pluribus creaturis finitis, quæ in uno tantum et eodem gradu finito perfectionis disponerentur. — Ergo melius et completius repræsentatur pluribus et variis gradibus ad perfectionem ordinatis et totum aliquod constituentibus, ita ut distinguantur in supremos, infimos et medios, inæqualiter æqualem Dei Ordinem imitantes.

« Unus ergo atque idem Deus est Institutor cœli et terræ, stellarum et herbarum, quidquid mensura, forma, ordine suo constat in cœlo et in terra, quidquid vivit in cœlo et in terra, quidquid sentit in cœlo et in terra, quidquid intelligit in cœlo et in terra. Quæ non solum Illi a quo condita sunt, sed nec inter se esse oportebat æqualia, et ideo sunt omnia. Nam si essent æqualia, unum genus bonorum esset, non omnia. Nunc vero ideo sunt omnia bona, quia sunt alia aliis meliora, et bonitas inferiorum addit laudibus meliorum; et in rerum bonorum inæqualitate ipsa, est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio ampliorum est commendatio. » (Cont. Adversar. legis et Prophetar., lib, 1, cap. 4, T. 42, p. 606). — « A terrenis usque ad cœlestia, et a visibilibus usque ad invisibilia, sunt aliis alia bona meliora; ad hoc inæqualia ut essent omnia. Deus autem ita est Artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis. Artificis sapientiâ metienda sunt. » (De Civit. Dei, lib. 11, cap. 22, T. 41, p. 335).

2°) HOMO IN SPECIE DEO SIMILIS EST PER MODUM IMPERFECTÆ IMAGINIS.

702. — a) « Homo *formatus* est ad Dei imaginem secundum mentem, et ad Dei similitudinem *(vel potius vestigium)* secundum corpus et cætera quæ in eo sunt. » (De div. Quest. 83, q. 51, n.° 3 et 4, T. 40, p. 33. Item de Genesi lib. imperf., cap. 16, n.° 60-62, T. 34, p. 243 et 244). — « Imago est species similitudinis ab alio expressæ natura vel arte. » (Quæst. in Heptateuch., lib. 5, n.° 4, T. 34, p. 749). — Dicit in eodem loco: « Quibusdam visum est *similitudinem* aliquid amplius esse quam *imaginem*, quod hominem reformando per Christi gratiam servaretur. »

Homo *supernaturaliter formatur*, et Deo similis efficitur per charitatem. (De Nat. et Grat., cap. 64, n.° 77, T. 44, p. 285).

b) Divinam similitudinem *(supernaturalem)* amittit homo per peccatum, et *deformatur* (Serm. 9, cap. 8, T. 38, p. 82).

« Ex eo incipimus similes Deo fieri et reformari, quando propter ipsam dissimilitudinem nobis displicemus. Factus enim es, o homo, ad imaginem Dei; per vitam vero perversam et malam perturbasti in te, et exterminasti in te imaginem Conditoris tui. Factus dissimilis, attendis in te, et displices tibi; jam ex eo cœpisti similis fieri, quia hoc tibi displicet quod displicet et Deo. » (Enarr. in Psalm. 75, n.° 3, T. 36, p. 959).

Similitudine ad Deum accedimus. Ibid., p. 337, et T. 37, p. 1217, 1273 et 1274.

Quisquis vult esse similis Deo, ut ad illum stet, non ab illo recedat. (Enarr. in Psal. 70, n.° 6, T. 36, p. 896).

c) Hominis *transformatio* per gloriam quoad *corpus*, ad similitudinem cum Christo complebitur in gloriosa resurrectione. Quoad *mentem* similitudo nostra cum SS. Trinitate complebitur in visione beatifica. (De Trinit., lib. 14, cap. 18 et 19, T. 42, p. 105 et 166).

3°) CREATURÆ AB ANGELO ET HOMINE NATURALITER COGNOSCUNTUR MEDIANTE SUA SIMILITUDINE INTELLIGIBILI.

703. — a) Perceptio similitudinis et imitationis compositæ, quum supponat judicium universale et plurium comparationem, non in sensu, sed in mente reperitur. (De Vera relig., cap. 30 et 32, T. 34, p. 145 et 148). — De perceptione corporum sensibili per phantasmata, et intellectuali per lumen rationis conforme luci divinæ rationis. (Epist. 147, cap. 17 et 18, T. 33, p. 615 et 617). Ex hoc loco et sequentibus, clare attento lectori apparet, quod homo res intellectualiter percipit, non directe in veritate divinæ Rationis, sive in divinis ideis, sed mediantibus rerum similitu-

dinibus, seu specicbus intelligibilibus, quæ divinis ideis conformantur. Imo S. Augustinus innuit hominem has species abstrahere ex rebus sensibilibus, quæ divinis ideis conformantur, non autem illas habere naturaliter inditas.

Angelus vero habet intelligibiles rerum species in mente sua naturaliter inditas.

Deus omnes res creatas et possibiles in seipso noscit, et Beati res creatas in Deo vident, absque ulla specie intelligibili.

Dei Ratio et Veritas est suprema et unica lex, juxta quam sapiens judicat omnem rerum similitudinem, unitatem et pulchritudinem, quamque non judicat. (Ibid., cap. 13, p. 147).

Similitudo rerum in mente cognoscentis est mater veritatis, dissimilitudo autem conceptuum a rebus est matér falsitatis. (Soliloquior., lib. 2, cap. 7, n.° 13, T. 32, p. 891). — Ergo sine cognitore nihil verum, nec falsum esse potest. (Ibidem, cap. 8, p. 892. Item, cap. 9 et 10).

b) Similitudines rerum nominibus appellantur quibus similes sunt. (Serm. 134, cap. 4, T. 38, p. 945 supra. Item Cont. duas epist. Pelag., lib. 3, cap. 6, T. 44, p. 599 infra).

In similitudinibus, una res potest appellari multis nominibus generícis; et res a se valde distantes, uno nomine generico. (Serm. 73, cap. 2, T. 38, p. 470).

c) Similitudinum utilitas: « Eloquentia quædam est doctrinæ salutaris, movendo affectui discentium accommodata, et usus in Scripturis a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritualia, a temporalibus ad æterna. » (Epist. 55, cap. 7, n.° 13, T. 33, p. 211).

Similitudinum imperfectio; nam omnis comparatio claudicat, quum non sit rei plane similis. (Enarrat. in Psal. 102, n.° 19, T. 37, p. 1332). — Imperfecte comparantur præsentia temporalia æternis. (Serm. 117, cap. 6, n.° 9 et 10, T. 38, p. 666).

§ V.

De trino creaturarum ordine, trinum divini Artificis Ordinem repræsentante.

S. Augustinus diserte loquitur: 1°) de trina causalitate tribus personis divinis appropriata; 2°) de trina Causa in omnibus effectibus suis repræsentata per modum vestigii; 3°) de trina Causa in mente hominis repræsentata per modum imaginis.

I.

De Causa efficiente, exemplari et finali tribus personis divinis appropriata.

704. — In lib. 1 De Doctr. christ., cap. 5: « Non facile nomen, quod tantæ Excellentiæ conveniat, potest inveniri, nisi quod melius ita dicitur Trinitas hæc, unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. » Vide plura superius n.° 253, 10°.

II.

De mensura, numero, pondere; modo, specie, ordine; principio, medio, fine, in omnibus rebus creatis.

705. — Trina existit relatio analogica inter omnem ordinem creatum, et supremam trinamque ejus Causam efficientem, exemplarem et finalem. Hoc passim docet S. Augustinus, verbi gratia, in Civitate Dei, lib. 11, cap. 24: « De Trinitate divina, quæ per omnia opera sua significationis suæ sparsit indicia. » — Item, de Trinit., lib. 15, cap. 2. « Trinitatis vestigia non frustra quæsita in creatura. »

Trina hæc analogia exprimitur variis verbis, totam rerum relationem cum Deo et inter se designantibus. Talia sunt verba: mensura, numerus, pondus; modus, species, ordo; quo constant, discernuntur, congruuntur omnia; principium, medium, finis; ad quæ reducuntur cæteræ trilogiæ.

Porro principium, mensura, modus, *quibus constant* omnia, referuntur ad causam efficientem extra res, et ad causam materialem in rebus corporalibus. — Medium, numerus, species, *quibus discernuntur* omnia, referuntur ad causam formalem extra res et in rebus. — Finis, pondus, ordo, *quibus congruunt* omnia, referuntur ad causam finalem extra res et in rebus. — S. Augustini textus has trilogias in rebus statuentes, jam retulimus in hoc Tomo I, n.° 314.

III.

De divinæ Trinitatis imagine in homine.

In lib. 11 De Civit. Dei, cap. 28, divina Trinitas dicitur impressisse sua vestigia in omnes creaturas, sed imaginem suam in homine: « Tanquam per omnia quæ fecit mirabili stabilitate currentes, quasi quædam ejus alibi magis, alibi minus impressa *vestigia* colligamus; in nobis autem ipsis ejus *imaginem* contuentes. » — De divinæ Trinitatis imagine in mente hominis multa scripsit S. Augustinus. Hanc autem ex professo et fuse explicavit: 1°) in magno suo opere de Trinitate, a libro 9° usque ad 15^{m}. Suam ipse doctrinam in libro 15° compendio redegit. (T. 42, p. 1060); 2°) In lib. 11 de Civit. Dei, cap. 26-28.

1°) Compendium desumptum ex libro 15° de Trinitate.

706. — « *In libro 9*, ad imaginem Dei, quod est homo secundum mentem pervenit disputa-

tio: et in ea quædam trinitas invenitur, id est mens, et notitia qua se novit, et amor quo se notitiamque suam diligit; et hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ. »

« *In libro 10*, hoc idem diligentius sublimiusque tractatum est, atque ad id perductum, ut inveniretur in mente evidentior trinitas ejus, in memoria scilicet, et intelligentia, et voluntate. Sed quoniam et hoc compertum est, quod mens nunquam ita esse potuerit, ut non sui meminisset, non se intelligeret, et diligeret, quamvis non semper se cogitaret; cum autem cogitaret, non se a corporalibus rebus eadem cogitatione discerneret, dilata est de Trinitate, cujus imago est, disputatio, ut in ipsis etiam corporalibus visis inveniretur trinitas, et distinctius in ea lectoris exerceretur intentio. »

« *In libro 11*, ergo electus est sensus oculorum, in quo id quod inventum esset, etiam in cæteris quatuor sensibus corporis, et non dictum posset agnosci: atque ita exterioris hominis trinitas, primo in iis quæ cernuntur extrinsecus, ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, ut utrumque copulantis intentione voluntatis, apparuit. Sed hæc tria non inter se æqualia, nec unius esse substantiæ: imaginatio corporis quæ in memoria est, et inde informatio, cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis. Sed ideo ista trinitas ad exteriorem hominem reperta est pertinere, quia de corporibus illata est, quæ sentiuntur extrinsecus. »

« *In libro 12* discernenda visa est sapientia a scientia, et in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quia inferior est, prius quædam sui generis trinitas inquirenda: quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda sit vel putanda. »

« Et hoc agitur *in libro 13*, per commendationem fidei christianæ. »

« *In libro 14* autem de sapientia hominis vera, id est Dei munere in ejus ipsius Dei participatione donata, quæ ab scientia distincta est, disputatur: et eo pervenit disputatio, ut trinitas appareat in imagine Dei, quod est homo secundum mentem, quæ renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem (Coloss. 3, v. 10) ad imaginem suam (Gen. 1, v. 27), et sic percipit sapientiam ubi contemplatio est æternorum. »

Liquet S. Augustinum in hoc compendio agere de divinæ Trinitatis *vestigio* in corporali hominis sensatione, et de trina ejusdem *imagine* in humana mente, per naturam, gratiam et gloriam.

Compendium istud a Benedictinis operum S. Augustini editoribus brevius redactum est in prævia admonitione in libros de Trinitate, sequenti modo.

In libro 9, trinitatem in homine, qui imago Dei est, inveniri docet: mentem, et notitiam qua se novit, et amorem quo se notitiamque suam diligit: et hæc tria esse æqualia, et unius essentiæ.

In libro 10, aliam in hominis mente evidentiorem reperit trinitatem, in memoria scilicet, intelligentia et voluntate.

In libro 11, etiam in exteriori homine Trinitatis aliqua vestigia, veluti in corporali visione, deprehendit.

In libro 12, præmissa distinctione sapientiæ a scientia, ostendit in ea quæ proprie scientia dicitur, quamdam trinitatem: quæ, licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei sit appellanda.

In libro 13, repertam in scientia trinitatem exponit per commendationem fidei christianæ.

In libro 14, de sapientia hominis vera dicit, qua videlicet meminit, intelligit, et diligit Deum: ostendit quod in eo ipso sit homo imago Dei secundum mentem; quæ quidem hîc renovatur in agnitione Dei, tunc vero erit in ea imagine perfecta Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio.

In libro 15, quidquid in superioribus exposuit, compendiario sermone complectitur: ac postremo Trinitatem, in cujus perfecta visione nobis beata vita promittitur, ostendit a nobis hîc videri tanquam per speculum et in ænigmate, dum videtur per imaginem Dei quod nos sumus.

2°) Loci desumpti ex Civitate Dei.

707. — In lib. 11, iterum scripsit S. Augustinus de trina summæ Trinitatis in mente nostra imagine, per naturam, gratiam et gloriam.

De imagine *per naturam* loquitur in cap. 26, quod inscribitur: « De imagine summæ Trinitatis, quæ secundum quemdam modum in natura, etiam necdum beatificati hominis, invenitur. » — Et in cap. 27: « De essentia, et scientia, et utriusque amore. »

De imagine *per gratiam* et charitatem, seu de supernaturali ac libera similitudine superaddita physicæ imagini naturali et necessariæ, agitur in cap. 28: « An etiam ipsum amorem, quo et esse, et scire diligimus, diligere debeamus, quo magis divinæ Trinitatis imagini propinquamus. »

De imagine *per gloriam* agitur in cap. 24, ubi legitur: « Universa nobis Trinitas in suis operibus intimatur. Inde est Civitatis sanctæ, quæ in sanctis angelis sursum est et origo, et informatio et beatitudo. Nam si quæratur unde sit, Deus eam condidit; si unde sit sapiens, a Deo illuminatur; si unde sit felix, Deo fruitur. Subsistens

modificatur, contemplans illustratur, inhærens jucundatur; est, videt, amat; in æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet. » — Item, cap. 28, ubi dicitur: « Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem. » — Item in cap. 29, cui titulus est: « De sanctorum angelorum scientia, qua Trinitatem in ipsa ejus deitate noverunt, et qua operum causas prius in operantis Arte, quam in ipsis operibus Artificis intuentur. »

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN ALIIS PATRIBUS LATINIS.

Doctrina divini Exemplarismi non solum fulget in sublimibus operibus S. Augustini, qui præ cæteris illum professus est. Splendet quoque in scriptis aliorum Patrum Ecclesiæ latinæ, ac præsertim Tertulliani, S. Hilarii, Claudiani Mamerti, S. Ambrosii, Boetii et S. Fulgentii.

§ I.

De divino Exemplarismo in Tertulliano. (*Patr. lat.*, T. 1 et 2).

Loquitur Tertullianus: 1°) de divina Trinitate, omnium rerum Artifice; 2°) de Verbo, in quo divinus Artifex opificia sua præordinat: 3°) De divina Trinitate mundum monarchice et hierarchice gubernante.

I.

De divina Trinitate, omnium rerum Artifice.

708. — 1°) Divina Trinitas explicatur ex sensibilibus ipsius vestigiis.

In sequenti loco, *sermo* significat Verbum, et *probolæ* designant processiones. « Sermo in Patre semper, sicut dicit: *Ego in Patre* (Joannes 14, v. 11); et apud Deum semper, sicut scriptum est: *Et Sermo erat apud Deum* (Joan. 1, v. 1); et nunquam separatus a Patre... quia *Ego et Pater unum sumus* (Joan, 10, v. 30). Hæc erit probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus Sermonem... sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istæ species probolæ sunt earum substantiarum ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere, et radicis fructicem, et fontis fluvium, et solis radium... Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice, fructus ex frutice; et tertius a fonte, rivus ex flumine; et tertius a sole, apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. » (Cap. 8, p. 163).

2°) Omnia a Deo facta sunt, per suum Verbum et per Spiritum sanctum.

« Alibi autem *per Sermonem* ostenditur *Omnia facta esse, et sine illo nihil factum.* (Joan. 1, v. 3). Sicut et rursum: *Sermone ejus cœli confirmati sunt, et Spiritu ejus omnes vires eorum* (Psal. 33, v. 6); utique eo Spiritu qui Sermoni inerat; apparet unam eamdemque vim esse nunc in nomine Sophiæ, nunc in appellatione Sermonis; quæ *initium accepit viarum in Dei opera;* et quæ cœlum confirmavit; per quam omnia facta sunt, et sine qua nihil factum est. » (Adv. Prax., cap. 7).

3°) Deus est omnium rerum Artifex.

Tertullianus Deum nuncupat, *Artificem omnium*, et *Artificem rationalem.*

Mulieres seipsas fuco pingentes increpans nimia severitate, quasi arte diabolica divinum opus corrigere vellent, in sequentia verba erumpit: « Displicet nimirum illis plastica Dei, in ipsis redarguunt, reprehendunt *Artificem omnium.* Reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adversario artifice sumentes additamenta ista, id est, diabolo... Quod nascitur opus Dei est; ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Divino operi Satanæ ingenia superducere, quam scelestum est! » (De cultu feminar., lib. 2, cap. 5, T. 2, p. 1321).

Hominem sic alloquitur: « Recognosce, ut ex imagine et similitudine Dei, quam habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale a *Rationali Artifice*... factus... (Advers. Praxeam, cap. 5, T. 2, p. 160). — « Incipiat jam tibi caro placere, cujus Artifex tantus est. » (De Resurr. carnis, cap. 5, T. 2, p. 801). — « Absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam... in æternum destituat interitum. » (Ibid., cap. 9, p. 807).

II.

De Verbo, in quo divinus Artifex opificia sua præordinavit.

709. — 1°) De Dei Verbo, seu Ratione.

« Ante omnia Deus erat solus, Ipse sibi et mundus, et locus et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum, ne tunc quidem solus *(solitarius):* habebat enim

secum quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, et Ratio in ipso prius; et ita ab ipso omnia. Quæ Ratio sensus ipsius est. Hunc Græci Λόγον dicunt, quo vocabulo etiam Sermonem appellamus. » (Adv. Prax., ibid.).

2°) De divina Sapientia omnia disponente.

« Hæc divini Sensus dispositio, apud Scripturas etiam in Sophiæ nomine ostenditur. Quid enim sapientius Ratione Dei, sive Sermone? Itaque Sophiam quoque exaudi... Primo: *Dominus creavit me initium viarum in opera sua priusquam terram faceret, priusquam montes collocarentur: ante omnes autem colles generavit me* (Prov. 8, v. 22); in Sensu suo scilicet condens et generans. — Dehinc assistentem eam ipsa separatione cognosce. *Cum pareret*, inquit, *cœlum, aderam illi simul; et cum fortia faciebat super ventos, quæ sursum nubila; et cum tutos ponebat fontes ejusquæ sub cœlo, ego eram cum illo compingens: ego eram ad quam gaudebat: quotidie autem oblectabar in persona ipsius.* Nam ut primum Deus voluit ea quæ cum Sophiæ ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem habentem in se individuas suas, Rationem et Sophiam; ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata, atque disposita; imo et facta jam, quantum in Dei Sensu. Hoc enim eis decerat, ut coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur et tenerentur. » (Adv. Prax., cap. 6, p. 161).

3) De mundo intelligibili et divina præscientia.

« Si veritates per imagines apprehenduntur, id est invisibilia per visibilia noscuntur... necesse est omnino hunc mundum imaginem esse alicujus. » (De anima, cap. 18, T. 2, p. 680).

« Opera Creatoris utrumque testantur: et Bonitatem ejus, qua bona... et Potentiam, qua tanta, et quidem ex nihilo... De Præscientia vero quid dicam? quæ tantos habet testes, quantos fecit prophetas... Præscientiæ titulus in omnium Auctore, qua universa utique disponendo præsciit, et præsciendo disposuit... » (Adv. Marcion., lib, 2, cap, 5, T. 2, p. 290).

III.

De divina Trinitate, mundum monarchice et hierarchice gubernante.

710. — « Ego... monarchiam nihil aliud significare scio, quam singulare et unicum imperium: non tamen præscribere monarchiam, ideo quia unius sit; cum cujus sit, aut filium non habere... aut monarchiam suam non per quos velit administrare. »

« Atqui, nullam dico dominationem ita unius sui esse, ita singularem, ita monarchicam, ut non etiam per alias proximas personas administretur, quas ipsa prospexerit officiales sibi. Si vero et filius fuerit ei cujus monarchia sit, non statim dividi eam, et monarchiam esse desinere, si particeps ejus assumatur et filius... Igitur si Monarchia divina per tot legiones et exercitus angelorum administratur, sicut scriptum est: *Millies millia assistebant ei, et millies centena millia apparebant ei* (Daniel 7, v. 10): nec ideo unius esse desiit, ut desinat Monarchia esse, quia per tanta millia virtutum procuratur: quale est ut Deus divisionem et dispersionem pati videatur in Filio et in Spiritu sancto... tam consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in tot angelorum numero, et quidem tam a substantia alienis. Membra et pignora, et instrumenta, et ipsam vim, ac totum censum Monarchiæ eversionem deputas ejus: non recte. Malo te ad sensum rei, quam ad sonum vocabuli exerceas. Eversio enim Monarchiæ illa est tibi intelligenda, cum alia dominatio suæ conditionis et proprii status, ac per hoc æmula, superducitur; cum alius Deus infertur adversus Creatorem. Tunc male cum plures, secundum Valentinos et Prodicos; tunc in Monarchiæ eversionem, cum in Creatoris destructionem. » (Advers. Praxeam, cap. 3, T. 2, p. 158).

§ II.

De divino Exemplarismo in S. Hilario. (*Patr. lat.*, T. 9 et 10).

Audiamus quid dicat sanctus Doctor: 1°) de divina Trinitate, majoris mundi Artifice; 2°) de divina Trinitate, minoris mundi, sive hominis Artifice.

I.

De divina Trinitate, majoris mundi Artifice.

1°) Primus S. Hilarii locus: De Trinit. lib. 4, n.° 16 (T. 10, p. 108).

711. — « Igitur cum absoluta hæc de Deo et perfecta confessio sit, secundum Apostolum ita loqui: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia* (1. Cor. 8, v. 6), videamus originem mundi, quid de ea Moyses loquatur. Ait namque: *Et dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens inter aquam et aquam: et factum est sic, et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus per medium aquæ* (Gen. 1, v. 6, 7). Habes

ergo Deum *ex quo*, habes Deum *per quem*. Aut si id negabis, necesse est id quod factum est, per quem factum sit doceas: aut certe naturam ipsam creandorum Deo obedientem esse demonstres, quæ ad id quod dictum est: *Fiat firmamentum*, seipsum Dei Verbo jussa firmaverit. Sed hæc divinæ Scripturæ ratio non recipit. Omnia enim, secundum prophetam, facta ex nihilo sunt; nec natura aliqua manens demutata in aliud est, sed id quod non erat creatum est, et absolutum est. »

« Per quem? Audi Evangelistam: *Omnia per ipsum facta sunt.* Si quæris per quem, audies eumdem Evangelistam dicentem: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* (Joan. 1, v. 1-3). Quod si negare voles a Patre dictum videri: *Fiat firmamentum*, audies rursum prophetam dicentem: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (Psal. 148, v. 5). Quod ergo dictum est: *Fiat firmamentum*, in eo quod Pater sit locutus, ostenditur. Quod autem adjicitur: *Et factum est sic*, et quod fecisse Deus dicitur; in eo persona efficientis est intelligenda qui faciat. *Dixit* enim *et facta sunt*, non utique solum voluit, et facit: *Mandavit, et creata sunt*, non utique quia complacitum ei est, exstiterunt, ut Mediatoris officium inter se, et ea quæ essent creanda, cessaret. Dicit ergo fieri Deus ex quo omnia sunt, et facit Deus per quem omnia, eodem pariquc nomine et dicentis significatione, et in efficientis operatione confessio. »

2°) Alii S. Hilarii loci, ex Libello desumpti.

712. — a) « Credendum illis, Jesum Christum Filium Dei, per quem cuncta Deus fecerit, et sine quo nihil est factum, per quem in principio Sermonem, id est Rationem universitatis accepimus, apud Deum fuisse. Sic enim gloriosus Evangelista Joannes initiat dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Deinde esse Spiritum sanctum, qui cuncta quæ Deus per Sermonem fecerit, animaverit et confirmaverit », (n.° 1, T. 10, p. 733).

b) « Christum igitur accepimus Dei Filium, initio Sapientiam veram (1. Cor. 1, v. 24); Sermonem, id est Rationem (Joan. 1, v. 1-3); viam (Joan. 14, v. 6); lucem (Joan. 1, v. 9); veritatem, vitam (Joan. 14, v. 6)... brachium (Isai. 53, v. 1), fortitudinem, virtutem (1. Cor. 1, v. 24), et alia plurima, quæ propter homines sunt, et omnes in illo vivunt: quæ unusquisque processu temporis Scriptura edocente perdiscet. Si igitur Dei Filium cognitum confitemur, per ipsum Deum Patrem scimus, et sæcula visibilia et invisibilia condidisse. Non enim fas est ex eo Deum operatum credere, ex quo mundus genituræ suæ idem nativitatis initium sumpsit, aut cessasse et desiisse credendum est post mundi fabricam, cum Dominus loquatur, et dicat: *Pater meus usque nunc operatur* (Joan. 5, v. 11). Otium illi vel antea, vel postmodum requiem illi assignat quisquis illum infatigabilem nescit, et ignorat quod nihil illi semper acciderit, sed semper sit; quod græca lingua ἀναστιτην vocat; et in omnibus semper sit Spiritus perfectus », (n.° 4, p. 725).

c) « Esse igitur plurima, quæ per Filium fecerit, quorum aut sola nobis nota sunt nomina; aut nec ipsa sunt cognita. Quanti enim sunt Throni? Quantæ Potestates? Quantæ Dominationes? Quanti Principatus? Quanti Spiritus? Quanti Angeli (Coloss. 1, v. 16)? Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (1. Cor. 2, v. 9)? Quantam etiam claritatem putamus esse in invisibilibus, nec existimare possumus, cum in his, quæ nobiscum sunt, admiranda sunt omnia. »

« Inter omnia enim etiam mundus quem conspicimus, per Filium fabricatus est. Et quidem lucem, qua cætera fierent perspicua, esse jussit, et fecit, cui *diem* nomen imposuit. Tenebris *noctis* addidit nomen. Deinde *firmamentum*, quod inter aquas depulsaret, ostendit, quod *cælum* voluit nuncupari; neve terrena visu cœlestibus miscerentur, sed esset quod inter humana et divina discerneret. Jam enim ex nihilo materias ipsas, ex quibus omnia fierent elementa, condiderat. Post hæc aquas in unum congregari et convenire præcepit, ut *arida* monstraretur. Nec quoque sunt privata nominibus. Nam congregatas aquas vocavit *mare;* separatam aridam *terræ* vocabulum voluit possidere. »

« Sed hæc minus instructa videbantur. Benignam itaque fœcunditatem his addidit et decorem. Et miro modo illam primo generare præcipiens, quæ novissime fuerant fabricata, non ordinem turbans, aut ignarus facturæ suæ; sed voluit postremum habere primum aliquid, ne in omnibus jaceret extrema; et primis secunda conjunxit, ne prima inferiora contemnerent. Sic Dei Filius, Deus Artifex, Patre jubente moderatus est, ut ordinem mutando, dispositionem melius ordinaret... » (N.° 5, p. 736).

« Sed quia jam mentionem fecimus Spiritus sancti, dicimus credendum esse in Spiritum sanctum, per quem universa quæ postmodum fierent, et inspiraret, et sanctificaret... Tamen tres unum sunt, Pater et Filius et Spiritus sanctus. » (N.° 7, p. 739).

II.

De divina Trinitate, minoris mundi, sive hominis, Artifice.

1°) TOTA TRINITAS HOMINEM FABRICAVIT AD IMAGINEM SUAM.

713. — a) Cum igitur perfecto mundo, ejus incola formandus esset, talis de eo sermo est: *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, v. 26). — Et rursum: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum* (v. 27).

« Quæro nunc, solumne sibi Deum locutum existimes, an vero sermonem hunc ejus intelligas non sibi, sed ad alterum exstitisse? Si solum fuisse dicis, ejus ipsius voce argueris dicentis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Deus enim per legislatorem (Moysen) secundum intelligentiam nostram locutus est, verbis videlicet quibus uti ipse nos voluit, cognitionem eorum nobis quæ gessit imperiens... Dicendo: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* sustulit singularis intelligentiam professione consortii. Consortium autem esse aliquod solitario, ipse sibi non potest. Neque rursum recipit solitarii solitudo: *Faciamus;* neque quisquam alieno a se *Nostram* loquitur. Uterque sermo, et *Faciamus* et *Nostram,* ut solitariam eumdemque non patitur, ita neque diversum a se alienumque significat. »

« Aut quæro, si cum audias solitarium, utrum non ipsum eumdemque esse existimes? Aut cum audias non ipsum neque eumdem, anne quod solitarius tantum sit intelligas? In solitario ergo solitarius, in non eodem vero, neque ipso, non solitarius reperietur. Solitario ergo convenit: *Faciam* et *meam;* non solitario vero: *Faciamus* et *nostram.* » (N.° 17, p. 110).

« Cum itaque legimus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quia sermo uterque, ut non solitarium tantum, ita neque differentem esse significat; nobis quoque nec solitarius tantum, nec diversus est confitendus: cognita per id, quod *nostram imaginem* dicit, non etiam *imagines nostras,* unius in utraque proprietate naturæ. Non sufficit autem solam verborum attulisse rationem, nisi dictorum intelligentiam etiam rerum operatio consequatur. Scriptum enim ita est: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* » (N.° 18).

Ex hac Doctrina apparet *solum* Deum creasse mundum, quia Deus unicus est; sed non *solitarium* Deum creasse mundum, quia Deus unicus est Essentia, et trinus personis, quæ per communem Essentiam, Intellectum ac Voluntatem omnia operantur ad extra.

b) « Adest Deo genita ante sæcula Sapientia Neque solum adest, sed etiam componit. Est ergo componens apud Ipsum. Intellige compositionis vel dispositionis officium. Pater enim in eo quod loquitur, efficit; Filius in eo quod operatur quæ fieri sunt dicta, componit. Personarum autem ita facta distinctio est, ut opus referatur ad utrumque. Nam in eo quod dicitur: *Faciamus,* et jussio exsequatur et factum; in eo vero quod scribitur: *Eram apud illum componens* (Prov. 8, v. 30), non solitarium se sibi esse in operatione significat. »

« Lætatur autem ante Eum, quem sibi significat adgaudere lætanti. *Quotidie autem lætabar in conspectu ejus in omni tempore, quando lætabatur orbe perfecto, et lætabatur in filiis hominum* (ibid., v. 30, 31, secund. Septuag.). Causam lætitiæ suæ Sapientia docuit. Lætatur ob lætitiam Patris, in perfectione mundi et in filiis hominum lætantis. Scriptum est enim: *Et vidit Deus quia bona sunt* (Gen. 1). Placere Patri opera sua gaudet, per se ex præcepto ejus effecta. Gaudium enim suum hinc esse profitetur, quod in consummato orbe et in filiis hominum Pater lætus existeret: *in filiis hominum* ob id, quia, jam in uno Adam, omne humani generis exordium constitisset. Non ergo in fabricatione mundi solitarius Pater sibi loquitur, Sapientiâ suâ secum et cooperante, et consummata cooperatione gaudente. » (N.° 21).

Jam vero gaudium Patris et Filii, est Spiritus sanctus, cui appropriatur usus, sive fruitio, ut docet D. Thomas, S. Hilarium, et S. Augustinum qui illum secutus est, explicans (1. q. 39, art. 8, corp.).

Ergo tres personæ ad mundum fabricandum cooperatæ sunt.

2°) HOMO CŒLESTIA AC TERRESTRIA IN SE CONTINET, ET QUOAD MENTEM TANTUM, DEI IMAGO EST.

714. — a) « Quoniam multum intererat subfecundare terrena, et post divina, humana deerant: hominem fecit, qui non totus esset e cœlo, nec tamen de terra totus iterum nasceretur: quippe corpus ex limo terræ formavit, spiritum concessurus e cœlo (Gen. 2, v. 7); et cum omnia, jussione Patris Sermone obsequente, formata sint, in hominis fictione etiam ipse Pater fabricator accessit, ut ad immortalitatem non præscriberet terra, si immortales manus constituerent hominem. »

b) « Concessit etiam ut homo, Dei *imaginem* portaret in terris, daturus postmodum *similitudinem, (in gloria æterna)* si imago servaretur illæsa. Ad imaginem non putes esse formam hanc hominis exterioris factam. Absit. Quis enim credat Deum, ad cujus imaginem factus est homo, habere aliquam partem, quæ non audiat, quæ non videat, quæ non omnia ope-

retur? Hominis enim exterior forma non undique videt, non undique audit, non undique potens est. Deus autem totus lux, totus oculus, totus auris, totus manus est potentissima. »

« Ergo mentiuntur Scripturæ? Absit. Sed esse in homine quiddam interius, quod *homo* quidem et ipse vocetur, Apostolus Paulus nos instruit, dicens: *Et si exterior noster homo corrumpitur, sed interior quotidie renovatur* (2. Cor. 4, v. 16). Hic est ad imaginem Dei factus, quem νοῦν, id est mentem, vocamus: qui Deo possit similis esse tunc, quando impassibilis: dum inconcussus, dum beatus, et sanctus, et sine fine *(usque in finem)* fuerit comprobatus. — Liberumque arbitrium, et capacem animum dedit non sine lege vivendi, ne magnus et solutus a lege, animantibus omnibus æquaretur: addita comminatione post legem, ut si servaret legem, in æternitatem veniret; si non servasset, mortem sibi pareret, amitteret et salutem. Est autem hominis facti nomen Adam. »

« Sed quia in omnibus animalibus ad procreationem sexus uterque processerat, homini quoque provisum est, ut et ipsi propter generationem mulier pararetur; et facta est, sicut Scriptura testatur, quæque *Heva* nomen accepit: quam æquæ legis prescriptio nec a mercede, nec a supplicio separabat. » (Libell., n.° 5 et 6, T. 10, p. 737).

c) Explicat quoque S. Hilarius quantum differat imperfectissima et analogica similitudo hominis cum Deo, a perfectâ et æquali similitudine Filii Dei cum Patre. Homo factus est ad imaginem Dei; Filius Dei ab æterno gignitur consubstantialis Imago Patris. (Contra Constant, n.° 20-22, T. 10, p. 596).

§ III.

De divino Exemplarismo in Claudiano Mamerto. (*Patr. lat.*, T. 53).

715. — In opere suo de *Statu animæ* longe explicat verba Sap. 11, v. 21: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Sicut S. Augustinus, cujus coævus erat, hæc tria invenit, sive *exemplariter* in Mente divini Artificis unitrini omnia mensurantis, numerantis ac ponderantis, sive *exemplate* in corporibus atque in anima humana, quæ sunt divini Artificis opificia, ab eo mensurata, numerata ac ponderata; et animam nostram hortatur, ut per trina Dei vestigia, quæ in se et in omnibus creaturis perspicit, ad supremum Exemplar unitrinum ascendat, eique cognitione ac amore conformetur atque conjungatur.

Quidam hodierni auctores perperam asseruerunt, Claudianum per hanc doctrinam intendisse naturaliter demonstrare mysterium SS. Trinitatis. Nihil autem in ejus opere invenitur, quod talem intentionem prodat. Sibi tantummodo proponit divinæ Trinitatis vestigia in creaturis impressa indicare, ad fidem hujus mysterii roborandam, sicut ipse monet in Præfatione ad Sidonium: « Secundus liber de mensura, numero et pondere non otiose, et ut autumo, non infructuose dissertat: ubi si cognitor adsit attentus, sub adminiculo pietatis per differentium creaturarum gradus ad usque nonnullam creatricis omnium Trinitatis, si non jam felicitate contemplandæ, certe robustius credendæ perveniet formitatem. »

Referemus quid doceat Claudianus: 1°) de mensura, numero et pondere, quæ æterne concipiuntur ab ipsa Trinitate creatrice; 2°) de mensura, numero et pondere, in omnibus rebus creatis ad exemplar Trinitatis creatricis; 3°) de amoris pondere, quo ad divinum Exemplar nostrum unitrinum ferri debemus per ipsius vestigia.

I.

De mensura, numero et pondere, quæ æterne concipiuntur ab ipsa Trinitate creatrice.

716. — Legitur in præfato opere *de Statu animæ*, lib. 2, cap. 4: « In illud nunc magis, nisi contemnis, advertas animam, ut tibi, inquantum se videri dignabitur, mensuræ, ponderis et numeri vis divina pandatur. Dici nempe de Deo legimus: *Omnia in mensura, numero et pondere disposuisti* (Sap. 11, v. 21). Mensura hæc, pondus hoc, numerus hic ubinam loci fuerint quandove esse cœperint, ut ad istorum quasi Exemplar Deus universa formaret? Si nihil increatum nisi Creator est, hæc ergo creata sunt. Si creata sunt, non igitur omnia Deus mensuris, numeris, ponderibusque disposuit; quandoquidem hæc ipsa non secundum ista formavit. Sed auctoritati divinæ obviare nefas est. Numeris ergo, ponderibus et mensuris universa creata sunt. Mensura ergo, pondus et numerus non creata sunt, quia non secundum eadem creata sunt omnia, si et ipsa creata sunt. Hîc omnibus cogitandi viribus enitendum est, ut quoquomodo possit agnosci, non hoc esse pondus principale quod penditur, sed quo penditur; nec eumdem esse numerum qui numeratur, sed quo numeratur; nec mensuram quæ metitur, sed qua metitur. Sicut item non hoc est magnitudo quod magnum est, nec hoc æquale, quod æqualitas, nec hoc pulchritudo quod pulchrum. Nihil enim creatum per se magnum est, sed ex minoris comparatione magnum aliquid

dicitur; hinc est quod montem parvum dicimus, et grande milium; grandem quoque muscam et bovem parvum. Cum vero ad ipsam creatricem venitur Magnitudinem, quia comparari non potest, nec major, nec minor est *(sed magna absolute)*. Sic et in his principalibus formis ratio par est, quas Plato ideas nominat; nam secundum eamdem quadrati legem fabricamus et quadratam tabulam, et forum quadratum; et cum forum majus quadratum sit, non tamen magis quadratum est. Hinc capias oportet indicium non pensi ponderis, et immensurabilis numeri; quæ tria simul æquiterna, semper individua, ubique et ubicumque tota, unus Deus sunt. »

Ibidem, cap. 6: « Sic et incomparabiliter cuncta supereminens unitas præcelsissimæ Trinitatis mensura est, ut aiunt, sine mensura, et pondus sine pondere, et numerus sine numero. Pondus ergo, quo hæc eadem secum ineffabiliter unum sunt, charitas est Patris et Filii, quem Spiritum sanctum Apostolus proprie insinuans, *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis;* evidenter ostendens isto pondere, divina scilicet charitate, illum ineffabilem numerum illamque mensuram illo stabiliter ferri, quo tale pondus accesserit. »

Divina Trinitas est mensura sine mensura, numerus sine numero, pondus sine pondere, inquantum omnia alia a se mensurat, numerat, ponderat seu ordinat, quin ipsa mensuretur, numeretur, ponderetur seu ordinetur. Omnia autem alia a se mensurat, numerat, ponderat seu ordinat a seipsa, juxta seipsam et ad seipsam. *Juxta se ipsam,* id est secundum finitos imitationis perfectionis suæ infinitæ modos, prædeterminatos a Patre per Verbum, seu divinam Artem, in Spiritu sancto. Porro varii isti modi imitationis ejusdem Perfectionis et Ordinis exemplaris, ab æterno præconcepti et prædeterminati a divino Artifice unitrino, sunt æterna rerum omnium exemplaria.

II.

De mensura, numero et pondere in omnibus rebus creatis ad exemplar Trinitatis creatricis.

717. — 1°) Hæc tria in uno quovis corpore et in unaquaque anima inseparabiliter unita existunt.

Claudianus ibidem pergit: « Tria hæc inseparabilia sunt in corpore, sed multo magis in anima; et individua sunt in anima, sed multo magis in se. Et sicut nihil sine uno Creatore, hoc est ipsa Trinitate, existit, ita nihil omnino esse potest, quod non et trifariam subsistat, et unum sit: Omne scilicet corpus et unum erit, et mensurabile erit, et numerabile, et ponderabile; et omnis anima rationabilis tribus individuis *(potentis vel actibus)*, memoria, consilio, voluntate subsistit, quibus capax est mensuræ, ponderis et numeri. Secundum hæc de mensurabilibus quibuscumque, ponderabilibus et numerabilibus, hoc est de corporibus judicans; quæ si corpus esset, incorporea certe non caperet, sicut corpus etiam judicari posset, et de corporibus judicare non posset. Permanet ergo a summo quod Deus est, per medium quod anima, ad imum quod est corpus, unitæ specimen Trinitatis, corporibus signa sui imprimens, animabus etiam notitiam tribuens; illa formans visibiliter, has intelligibiliter. Cum ergo nihil substantiæ nisi essentia capiat, et nihil nisi tribus, sicut supra disseruimus, unum fiat; quando tanta est unitas in corpore, hoc est in vestigio Trinitatis, quanta est in anima, hoc est in imagine Trinitatis; et item cum tanta sit in imagine, quanta est in ipsa Trinitate. »

2°) Quomodo mensura, numerus et pondus sint in corporibus.

718. — Ibidem, cap. 4, n.° 2: « Omnia etenim corpora, quibus quidquam, vel numeramus, vel pendimus, vel metimur, numerabilia sunt, et ponderabilia, et mensurabilia. Nam et numeri in corporibus certus est modus, et pondiculi trutinæ certum est pondus, et decempedæ certa mensura est. A cujus magnitudine et citra, recurri licet usque ad uncias, et semiuncias, et usque ad minimum, citra quod nihil est. Et ultra item progredi usque ad maxima, et ipsius quoque mundi inaccessa nunc sensibus spatia. Habet enim certum magnitudinis modum quidquid finale est. Proinde mundi moles universa, quoniam ex finitis est compacta corporibus, quippe cum alterum corpus alteri finem faciat, procul dubio ipsa finalis est, proptereaque mensurabilis... »

Ibidem, n.° 3: « Nunc si placet, quoniam mensuris, ponderibus et numeris omnia disposita sunt, eorumdem in creaturis signa quæramus. Imum certe elementorum omnium *terra* est: in rotundo scilicet illud imum constat esse, quod medium est, quia in rotundi extimis imum non est. Quælibet ergo terræ pars, magna vel minima, ut capillus exiguus, vel minutissimus pulvisculus, qui puncto visibili contingi non queat, habet et mensuram pro modulo sui, et numerum pro ratione partium, quibus distant superiora ab inferioribus, dextra a sinistris, a posterioribus priora. Unde etiam quamlibet minimum dividi in duo potest, quia corpus est.

Pondus vero illius hinc animadvertitur, quod ipsum minimum, ab origine sua sublatum, et in aqua, superiore videlicet elemento, dimissum, motu infatigabili non quiescit, donec naturali pondere ad solum terræ pervenerit. — Hunc ad modum, rationis tramitem in reliquis oportet tenere corporibus, quia et *aquæ* guttulam, quam digito tincto sustuleris, habentem scilicet pro magnitudinis modo mensuram, pro partium distantia numerum, lege ponderis si dimittas in aerem, non residet nisi ad sua pervenerit. — *Aeris* quoque ratio par est, cujus nihil vel sub aqua contineri, vel supra ignem ferri potest. Quod si quo pacto fiat, necessitate ponderis vel hinc naturaliter erumpat, vel inde sponte decidat. Mensurabilem vero aerem, et pro numero partium numerosum, vel hinc ut arbitror, liquet quod corporeum metiri posse mundum sciant, cujus aer tertia pars est. — Sic etiam *ignis* elementum quarto jam constitit loco, quod et pro partibus suis recipit numeros; et pro spatio, quia finale est, mensuris subditur. Pondus autem ignis iste terrenus, quasi quoddam semen ignium supremorum sursum versus habet; qui quanto majore fomento pastus, majorum fuerit virium, velut in patriam tendens, subtili natura magnas partes stipati aeris irrumpit, et nisi eumdem elementi alterius profundum vinceret, quo per naturam rapitur perveniret. »

3°) Quomodo mensura, numerus et pondus sint in anima rationali.

719. — Hoc docet Claudianus ibid., cap. 5. ubi animam nostram corpori comparans, ait *mensuram* animæ esse finitam ipsius potentiam seu capacitatem accipiendi sapientiam; *numerum* esse scientiam numerationis; *pondus* esse amoris inclinationem ad objectum amatum. Sic ipse loquitur.

« Ecce patuit nihil esse corporeum, cui non sit mensura, pondus, et numerus. Nunc quoniam eorumdem est et partibus unitas, et locale pondus, et magnitudo mensurabilis, utrum tria hæc eatenus in anima, ut in corpore, sint quæramus. »

a) **De mensura animæ.** « Magnum certe *corpus* longitudine et latitudine et altitudine dicimus, cujus utique spatium grande vel parvum, pro sui capacitate censemus. Ergo tantum quidquid corporis quodcumque corpus recepit, quantum pro amplitudine capax est. Sic equidem, transcenso inferioris creaturæ gradu, sublimiorem creaturam cerne, et animi magnitudinem sui capacitate metire. »

« Ecce capax est *anima humana* sapientiæ; capax namque est ejus, qua intelligens est. Ergo ut ante adeptam sapientiam, sapientiæ capax *(actu)* dici non potest, sic antequam particeps ejus fiat, sapiens dici non potest. Istic ergo percunctatum venio: Spatiumne loci fore judices, an illocale aliquid quo capitur sapientia? Ego sic censeo, quod si secundum spatium, sapientis anima sapientiæ capax est, ergo secundum molem magna est sapientia. Quod quia non sinit dici veritas, illocale est quod capit, ut illocale possit esse quod capitur. En tibi humani animi sine mole magnitudinem. Numeri nunc intuere rationem. »

b) **De numero animæ.** « Animadvertisti, ut arbitror, hæc esse in *corporibus* signa numerorum, quod scilicet numerosa sint corpora, quæ sibi secundum præstantissimam numeri æqualitatem, partim parilitate respondeant, ut quóniam unius ad unum, et duorum ad duo, et ad tria trium summa æqualitas est, sic ibidem illud numerosum corpus dicamus, quod rata dimensione formatum, ut verbotenus humanum, quæ sunt bina sic habeat ex diverso posita, ut sibi nec magnitudine, nec spatio, nec loco dissentiant, ut sunt aures et oculi, quæ item singula, ut nasus et os, medium locum teneant; atque ut esse pulchra possint, concinentiam summæ Æqualitatis imitentur. Quatenus igitur numeri veritatem in anima reperiamus humana, primum debet ipsa sibimet actitandi rationem pro virtutum parilitate concinere, ut sapientiæ justitia, temperantiæ fortitudo respondeat; quæ parilitas utique numerosa est, quia tanto est numeris vicinius, quanto est quidquam concinentius. »

« Sed illud in *anima* numerosum potius arbitror, quo eadem scientialiter est compos numeri, ut non partibus, sicuti corpus, numerosa sit, sed ipsum dignoscat, et secundum eumdem judicet numerum; nam tria et quatuor septem fore, et hæc tria et septem, nulla præter humanam animam, vel potest scire, vel poterit. Sicut igitur de mensura claruit, ita et de numeris satis apparet esse hos in corpore visibiliter, in anima intellectualiter. »

c) **De pondere animæ.** « Restat nunc ut de pondere disputemus. *Corporum* pondus illud esse patuit, quo eadem in regiones suas unde primordialiter existunt, naturaliter feruntnr, nec quiescunt, donec transmisso elementi alterius spatio, in sua perveniant. *Animæ* vero pondus voluntas est ejus, quæ proprie magis amor dicitur, quo scilicet vel seipsam, vel alia quælibet amat. Sive enim sibi incorporea diligat, ut est vera sapientia, sive corpori corporea concupiscat, ut pulchra sunt corpora, illocali amoris pondere rapitur, donec amatorum adeptione potiatur. »

« Igitur pondus *corporis* quocumque corpus tulerit, mensuras ejus et numeros indissociabiliter secum trahit; item pondus, hoc est amor *animæ*, in id quod diligit, et memoriam et consilium secum cogit, quia nihil aliud meminisse

vel cogitare valet, nisi illud cujus amore fervescit. Unde divinitus homini dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua* (Matth. 22, v. 37). Videlicet, ut sicut *corpus* pondere cogitur in propria, sic *anima* pondere referatur in patriam. Hoc pondere suo tamen anima non aliis jungitur, sed ipsa quoque solidatur, quia consilii ac mentis amore medio, et mens consilio, et consilium mente diligitur. »

III.

Claudianus animam hortatur, ut amoris pondere ad divinam Trinitatem referatur per trina ejus vestigia, quæ in corpore et in seipsa perspicit.

720. — In Lib. 3, cap. 15, epilog., animam sic alloquitur: « Vide ergo, anima humana, quam magnum bonum sit, dum de corporibus judicas, dum et rationi conjungeris, dum æternæ Veritatis sis particeps. Non enim a te diligenda sunt, quæ infra te sunt, et quamvis mensura insit, tu tamen mensura non es; cogitationi tuæ numerus, voluntatique tuæ pondus; tu scilicet nec numerus, nec pondus es. Refer voluntatem tui amoris ad illum numerum sine numero, de quo Psalmista dicit Psal. 146, v. 5: *Et Sapientiæ ejus non est numerus;* ad illam mensuram sine mensura, ad illud pondus sine pondere, a quo omnia ponderantur et mensurantur. Ipsum est summum Bonum, a quo facta sunt omnia corporum genera bona. Ipsum rationalium magna bona, re utique bona et magna bona, summum Bonum ama, simplexque Bonum, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus; Trinitas hæc unus Deus. Et tamen sic diligendum est corpus et spiritus, secundum quod diligenda sunt. Sicut quidam nobilissimus tractator sanctarum Scripturarum dixit, quatuor pones dilectionis regulas: quod supra nos, quod juxta nos, quod nos, quod infra nos. Diligamus ergo illud summum Bonum, quod supra nos est, non loco ordinis sed naturæ, quia non potest coæquari creatura Creatori. Solus enim Filius coæquatur Patri, similiter et Spiritus sanctus, quia non sunt creatura, sed inter eos una natura. »

Lib. 2, cap. 6: « Unus est Deus, exemplum principale formarum, quoniam formabilia ab illo formas capiunt, qui non cepit, » quia Deus est Forma a se et per se, proindeque non formata sed omnia formans; sicut non mensurata, non numerata, non ponderata seu ordinata, sed omnia alia a se mensurans, numerans, ac ponderans seu ordinans.

In lib. 1, cap. 26, Claudianus inducit divinum Verbum homini sic loquens: « Ego, et Pater, et Charitas nostra unus Deus sumus; tu mens rationalis, et verbum, et dilectio tua unus es homo, ad similitudinem Auctoris tui factus, non ad æqualitatem creatus, nempe non genitus. Formatus es ipse non formator. Recede ab his quæ infra te sunt, minus utique formata, hoc est minus formosa, quam tu es. Accede formatrici Formæ, quo possis esse formosior, eidemque semper adjungere, quia tanto ab illa speciei amplius capies, quanto te illi charitatis pondere magis impresseris. Ab illa scilicet obtinebis imaginis hujus immutabilem statum, a qua sumpsisti principium. »

§ IV.

De divino Exemplarismo in S. Ambrosio. (*Patr. lat.*, T. 14-17).

721. — **Prænotanda.** *De S. Ambrosii judicio circa Platonis Exemplarismum.* Erroneas Platonis ideas rejicit in sequentibus locis: « Tantumne opinionis assumpsisse homines, ut aliqui eorum tria principia constituerent omnium: Deum, et exemplar, et materiam, sicut Plato discipulique ejus; et ea incorrupta, et increata, ac sine initio esse asseverarent: Deumque non tanquam Creatorem materiæ, sed tanquam artificem ad exemplar, hoc est ideam intendentem, fecisse mundum de materia, quam vocant hylen, quæ gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur. » (Hexæm., lib. 1, cap. 1, T. 14, p. 123).

« Moyses sic ait: *In principio fecit Deus cœlum et terram* (Genes, 1, v. 1), initium rerum, Auctorem mundi, Creatorem materiæ comprehendens, ut Deum cognosceres ante initium mundi esse, vel ipsum esse initium universorum..., et ipsum dedisse gignendis rebus initium, et ipsum esse Creatorem mundi, non idea quadam duce imitatorem materiæ, ex qua non ad arbitrium suum, sed ad speciem propositam sua opera formaret. » (Ibid., cap. 2, p. 24).

Ex ipsis sancti Doctoris verbis manifestum est eum solummodo negare quodvis rerum principium increatum præter Deum, et quodvis exemplar supremo Artifici *extra mentem ejus* propositum, cujus perfectio, a Deo aliena, Voluntatem ejus ad operandum movisset artemque direxisset; prorsus enim infinitæ Dei pecfectioni repugnat, quod non sit prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis. Sed sanctus Doctor non negat divinum Artificem ab æterno ac necessario cognovisse propriam Perfectionem tanquam variis modis imitabilem, et propriæ Pulchritudinis amore motum libere voluisse res omnes juxta illos modos, sive has ideas

exemplares, ex nihilo producere, ut unicam Perfectionem, suam diversimode repræsentarent. Cæterum S. Ambrosius Platonicos non spernebat; de his enim scripsit ad Horontianum: « Ut illa patricia quædam prosapia Platonis disputat, vel certe ut Aristoteles acri ingenio... » (Epist. 34, T. 16, p. 1074).

Ipse docet: 1°) divinam Trinitatem esse mundi Artificem, seu supremam Causam efficacem, exemplarem et finalem; 2° Deum Patrem omnia fecisse, per Verbum suum in Spirito sancto; 3°) majorem mundum et minorem mundum, esse juxta Deum unum ac trinum exemplatos.

I.

De divina Trinitate, mundi Artifice, seu Causa efficiente, exemplari et finali.

1°) Deus est omnipotentissimus, sapientissimus et optimus omnium rerum Artifex.

722. — a) « *Fundavit terram super firmamentum ejus, non inclinabitur in sæculum sæculi.* (Psal. 103, v. 5). Non utique hic quasi tantummodo Artifex Deus, sed quasi omnipotens prædicatur, qui non centro quodam terram, sed præcepti sui suspenderit firmamento, nec eam inclinari patiatur. Non ergo mensuram centri, sed judicii divini accipere debemus; quia non artis mensura est, sed potestatis: mensura justitiæ, mensura cognitionis; quia non omnia tanquam immensa prætereant ejus scientiam, sed cognitioni ejus tanquam dimensa subjaceant. Neque enim cum legimus: *Ego confirmavi columnas ejus* (Psal. 74, v. 4), vere columnis eam subnixam possumus æstimare, sed ea virtute quæ suffulciat substantiam terræ, atque sustineat. » (Hexæm., lib. 1, cap. 6, T. 14, p. 133).

b) « Laudent alii quod ideo nusquam decidat terra; quia secundum naturam, in medio regionem possideat suam, eo quod necesse sit eam manere in regione sua, nec in partem aliquam inclinari, quando contra naturam non movetur, sed secundum naturam. Prædicent Artificis divini et Operatoris æterni excellentiam, quis enim artificum non ab illo recipit? Aut quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam? Ego tamen qui profundum majestatis ejus, et artis excellentiam non queo comprehendere, non disputationis me libramentis committo atque mensuris: sed omnia reposita in ejus existimo Voluntate, quod Voluntas ejus fundamentum sit universorum, et propter eam adhuc mundus hic maneat. Quod apostolicæ quoque licet adstruere auctoritatis exemplo. Scriptum est enim: *Quia vanitati creatura subjecta est non sponte, sed propter eum qui subjecit in spe.* (Rom. 8, v. 20). Liberabitur autem et ipsa creatura a servitute corruptionis, cum divinæ remunerationis gratia affulserit. » (Ibidem, p. 134).

c) « Est ergo hic mundus divinæ specimen operationis; quia dum opus videtur, præfertur Operator. Namque, ut harum artium aliæ sunt actuosæ, quæ sunt in corporis motu, aut sono vocis, cessavit motus aut sonus, nihil superfuit, nec remansit spectantibus vel audientibus: aliæ theoreticæ, quæ vigorem mentis exerceant; aliæ hujusmodi, ut cessante quoque operationis officio, operis munus appareat, ut ædificatio atque textura, quæ etiam tacente artifice, peritiam ejus ostendunt, ut operatori operis sui testimonium suffragetur: similiter hic mundus divinæ majestatis insigne est, ut per ipsum Dei Sapientia manifestetur. Quem videns Propheta simul et ad invisibilia oculos mentis attollens, ait: *Quam magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in Sapientia fecisti.* » (Psal. 103, v. 24).

2°) Commune est trium personarum consilium in operando ad extra.

723. — Artifex sine consilio non operatur. Supremi autem Artificis consilium tribus personis divinis commune est.

« Ipse enim Spiritus virtus est, quia legisti: *Spiritum consilii et virtutis* (Isai. 11, v. 2). Et sicut Filius magni consilii Angelus, ita etiam Spiritus consilii est, ut unum scias Patris et Filii et Spiritus sancti esse consilium. Consilium non de rebus incertis aliquibus, sed præcognitis et statutis. »

« Arbitrum autem divini consilii Spiritum etiam inde cognosce. Nam cum supra docuerimus arbitrum baptismatis esse Spiritum sanctum, baptismum autem Dei esse consilium legerimus, sicut habes: *Pharisæi autem consilium Dei spreverunt in se, non baptizati ab eo* (Luc. 7, v. 30), liquido claret cum sine Spiritu baptisma esse non possit, sine Spiritu quoque non esse consilium Dei. »

« Et ut sciamus plenius virtutem esse Spiritum, scire debemus ipsum esse promissum, quando dixit Dominus: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (Joel. 11, v. 28). Ille ergo qui promissus est nobis, ipse est virtus, sicut etiam in Evangelio, idem Dei Filius declaravit, dicens: *Et ego mitto promissa Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto.* » (Luc. 22, v. 49).

« Quomodo enim non est una virtus atque eadem potestas; cum unum opus, unum judicium, unum templum, una vivificatio, una sanctificatio, unum etiam regnum sit Patris et Filii et Spiritus sancti? » (De Spir. sanct., lib. 2, cap. 2, T. 16, p. 747).

3°) Voces ex quo, per quem, in quo appropriantur tribus personis simul ad extra operantibus.

724. — a) « *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (1. Cor. 8, v. 6)... Illi *(hæretici)* volunt *ex Deo* tanquam ex natura Dei esse materiam, ut si dicas ex ligno arcam esse factam, ex lapide statuam, ita ex Deo materiam processisse; et eamdem materiam, tanquam per instrumentum, aliquid factam esse *per Filium*, ut non tam operatorem Filium, quam instrumentum operis declarent; et omnia ita facta *in Spiritu*, tanquam in aliquo loco, vel tempore; singula singulis tribuunt, in communi omnia negant. »

« Verum nos ostendimus, ita *ex Deo Patre* esse omnia, ut nec amiserit Deus Pater, quod vel per ipsum et in ipso omnia sint, nec tanquam ex materia ex ipso omnia sint; ita quoque *per Dominum Filium* esse omnia, ut non privatus sit eo quod ex Filio sint omnia, et in ipso sint omnia; et ita omnia esse *in Spiritu*, ut doceamus omnia esse per Spiritum, et omnia esse de Spiritu. »

« Nam istæ syllabæ se invicem signant. Non enim ita dixit Apostolus: *Ex Deo* omnia, et *per Filium* omnia, ut separabilem substantiam Patris Filiique signaret; sed ut inconfusibili distinctione, quod alius Pater, alius sit Filius, edoceret. Non igitur tanquam compugnantes syllabæ istæ, sed tanquam sociæ atque concordes sunt, ut etiam uni sæpe conveniant, sicut scriptum est: *quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. 11, v. 36). »

b) « Quod si vere consideres unde translatum sit, *de Filio* dictum esse non ambiges. Dicit enim Apostolus secundum prophetiam Isaiæ: *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (Isai. 40, v. 13). Et addidit: *Quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Quod Isaias de Operatore omnium dixit, sicut habes: *Quis mensus est manu aquam, et cœlum palmo, et universam terram clausa manu? Quia statuit montes in libra, et rupes in statera? Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (Ibid., v. 12). Et addidit Apostolus: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* — Quid est, *Ex ipso?* Quod ex ipsius Voluntate natura sit omnium, et ipse sit Auctor omnium, quæ esse cœperunt. *Per ipsum* quid est? Quia per ipsum constitutio et perseverantia omnibus impertita videatur. *In ipso*, quid est? Quia omnia admirabili quodam desiderio et inenarrabili amore Auctorem vitæ, et Ministratorem gratiæ suæ ac muneris intuentur, secundum quod scriptum est: *Oculi omnium in te sperant;* et: *Aperis manum tuam, et imples omnem animam bona voluntate* » (Psal. 144, v. 15, juxta Septuag.).

« *De Patre* quoque si dicas: Ideo *ex ipso*, quia ex ipso operatrix Sapientia, quæ omnibus ex sua et Patris Voluntate dedit esse, quæ non erant; *per ipsum*, quia per Sapientiam ejus facta sunt omnia; *in ipso*, quia ipse est vivificatoriæ fons substantiæ, in quo vivimus, et sumus et movemur. »

« *Ex Spiritu* quoque, ut *per ipsum* formati, per ipsum firmati, *in ipso* roborati, vitæ capiamus munus æternæ... »

c) « Sed cum hæc vel Patri probaverimus, vel Filio, vel Spiritui sancto convenire, nec ullam ex hujusmodi syllabis nasci posse divinæ distantiam potestatis, non est dubium, quin *per quem* omnia, *ex eo* omnia: et *ex quo* omnia, *per eum* omnia: et *in quo* omnia, *per eum*, vel *ex eo* omnia esse intelligere debeamus. Omnis enim creatura est *ex* Voluntate, et *per* operationem, et *in* virtute est Trinitatis, sicut scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, v. 26); et alibi: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (Psal. 32, v. 6). » (De Spir. sanct., lib. 2, cap. 9, T. 16, p. 761, 764).

« Hoc autem quod dicimus: *Ex quo*, et *per quem*, et *in quo omnia*, non naturam secamus, sed unitatem et naturæ, et voluntatis, et operationis confitemur. Unus ergo Deus in his tribus, et hæc tria unus est Deus. Quod ita esse idem comprobat Apostolus dicens: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* » (Rom. 11, v. 35). » (De Trinit., cap. 3, T. 17, p. 511).

II.

Deus Pater omnia fecit per, seu juxta Verbum suum, in Spiritu sancto.

1°) De Principio seu Verbo Dei, quod est Ars Patris, juxta quam omnia facit.

725. — « Sequamur ergo eum *(Moysen)*, qui et Auctorem *(mundi)* novit, et Gubernatorem, nec vanis abducamur opinionibus. »

« *In principio*, inquit. Quam bonus ordo, ut illud primum assereret, quod negare consueverunt, et cognoscerent principium esse mundi, ne sine principio mundum esse homines arbitrarentur. Unde et David cum de cœlo et terra, et mari loqueretur, ait: *Omnia in Sapientia fecisti* (Psal. 103, v. 25). Dedit ergo principium mundo, dedit etiam creaturæ infirmitatem, ne anarchon, ne increatum et divinæ consortem substantiæ crederemus... Miraris opus, quæris operatorem, quis principium tanto operi dederit,

quis tam cito id fecerit? Subjecit statim, dicens quia *Deus fecit cœlum et terram.* Audisti Auctorem, dubitare non debes... »

« Principium igitur esse docet qui dicit: *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Principium autem ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum; quomodo in ædificanda domo, initium fundamentum est. Principium quoque conversionis et depravationis dici posse, Scripturarum cognoscimus auctoritate. Est et principium artis ars ipsa, ex qua artificum diversorum deinceps cœpit operatio. Est etiam principium bonorum operum finis optimus, ut misericordiæ principium est Deo placere quod facias... »

« Est etiam initium mysticum, ut illud est *Ego sum primus et novissimus, initium et finis* (Apoc. 1, v. 8). Et illud in Evangelium praecipue, quod interrogatus Dominus, quis esset, respondit: *Initium, quod et loquor vobis.* (Joan. 8, v. 25). Qui vere, et secundum divinitatem, est initium omnium, quia nemo ante ipsum; et finis, quia nemo ultra ipsum; et secundum Salomonem (Prov. 8, v. 22), initium est viarum Domini in opera ejus; ut per ipsum disceret hominum genus vias Domini sequi, et operari opera Dei. In hoc ergo Principio, id est in Christo, fecit Deus cœlum et terram; quia per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat; quia in ipso constant omnia. Et ipse est Primogenitus totius creaturæ, sive quia ante omnem creaturam; sive quia Sanctus, quia primogeniti sancti sunt... » (Hexæm., lib. 1, cap. 2-4, T. 14).

2°) Verbum est Patris Imago.

726. — « Si quæris splendorem Dei, Filius est imago Dei invisibilis. Qualis ergo Deus est, talis imago. Invisibilis Deus, etiam imago invisibilis. Est enim splendor gloriæ paternæ, atque ejus imago substantiæ. *In principio,* inquit, *fecit Deus cœlum et terram.* Factus est ergo mundus, et cœpit esse, qui non erat: Verbum autem Dei in principio erat, et erat semper. Sed etiam Angeli, Dominationes et Potestates, etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam quando hic mundus factus est. Omnia namque creata et condita sunt, visibilia et invisibilia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: *Omnia,* inquit, *per ipsum facta sunt, et in ipsum creata sunt* (Coloss. 1, v. 16). »

« Quid est: *In ipsum creata?* Quia ipse est hæres Patris, eo quod a Patre in ipsum transierit hæreditas, sicut Pater dicit: *Posce a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (Psal. 2, v. 8); quæ tamen hæreditas a Patre transit in Flium, et in Patrem revertitur a Filio. Egregie itaque Apostolus, et hoc loco, Filium dixit Auctorem omnium, et majestate sua continentem omnia. Et ad Romanos de Patre ait: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipsum sunt omnia* (Rom. 11, v. 36). *Ex ipso* principium et origo substantiæ universorum, id est, Voluntate ejus et Potestate. Omnia enim ex ejus Voluntate cœperunt; quia unus Deus Pater, ex quo omnia. Etenim tanquam ex suo fecit, quia unde voluit fecit. *Per ipsum* continuatio; finis *in ipsum.* — *Ex ipso* ergo materia; *per ipsum* operatio quæ ligavit atque constrinxit universa; *in ipsum,* quia quamdiu vult, omnia ejus virtute manent atque consistunt, et finis eorum in Dei Voluntatem recurrit; et ejus arbitrio revolvuntur. » (Hexæm., lib. 1, cap. 5, p. 131).

3°) De Spiritu sancto, in quo Pater per Verbum fecit omnia.

727. — a) « In constitutione mundi opinio malitiæ interim sequestretur, ne divinæ operationi, et pulcherrimæ creaturæ, ea quæ decolora sunt admiscere videamur, maxime cum sequatur: *Et Spiritus Dei superferebatur super aquas* (Gen. 1, v. 2). Quem etsi aliqui pro aere accipiant; aliqui pro spiritu quem spiramus, et carpimus auræ hujus vitalis spiritum; nos tamen cum Sanctorum et fidelium sententia congruentes, Spiritum sanctum accipimus, ut in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. »

« Præmisso enim quia: *In Principio fecit Deus cœlum et terram,* id est in Christo fecit Deus, vel Filius Dei fecit, vel per Filium Deus fecit, *quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* supererat plenitudo operationis in Spiritu, sicut scriptum est: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. 32, v. 6). Itaque quemadmodum in Psalmo docemur operationem Verbi, quod est Verbum Dei, et virtutem quam dedit Spiritus sanctus; ita hic propheticum resultavit oraculum, quia Deus dixit, et Deus fecit. Spiritus quoque Dei superferebatur super aquas. »

« Ornando enim polo cœli, germinaturis terris pulchre Spiritus superferebatur, quia per ipsum habebant novorum partuum semina germinare, secundum quod dixit Propheta: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (Psal. 103, v. 30). Denique Syrus *(textus),* qui vicinus Hebræo est, et sermone consonat in plerisque et congruit, sic habet: *Et Spiritus Dei fovebat aquas,* id est vivificabat, ut in novas cogeret creaturas, et fotu suo animaret ad vitam. Nam etiam Spiritum sanctum legimus Creatorem, dicente Job: *Spiritus divinus qui fecit me.* (Job. 33, v. 4). Sive ergo Spiritus sanctus superferebatur super aquas, tenebræ contrariarum virtutum super eas esse non poterant, ubi locum sibi tanta gratia vindicabat: sive, ut quidam volunt, aerem accipiant, respondeant qua ratione *spiritum Dei* dixerit, cum satis fuerit

spiritum nuncupare. » (Hexæm., lib. 1, cap. 8, p. 138).

b) « Quis vero dubitare potest, quia vivificet omnia Spiritus sanctus, quando et ipse, sicut Pater et Filius, Creator est omnium; nec quidquam, nisi cum Spiritu sancto, omnipotens Pater intelligatur operatus; quandoquidem, et in principio creaturæ, Spiritus superferebatur super aquam. »

« Itaque cum superferebatur Spiritus, nulla erat gratia creaturæ; postea vero quam operationem Spiritus, etiam creatura mundi istius suscepit, omnem hanc gratiæ meruit venustatem, qua mundus illuxit. Denique sine Spiritu sancto, universitatis gratiam manere non posse Propheta declaravit dicens: *Auferes Spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur et renovabis faciem terræ.* (Psal. 103,. v. 29, 30). Non solum igitur sine Spiritu, docuit omnem creaturam stare non posse, sed etiam Creatorem totius esse Spiritum creaturæ. » (De Spiritu sancto, lib. 2, cap. 5, T. 16, p. 749).

c) « Sed quid de Filio laboro, cum etiam Spiritum omnipotentem Scriptura testetur? Scriptum est enim: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psalmo 33, v. 6). Et de Sapientia scriptum est, quia habeat in se omnipotentem Spiritum; dicit enim Salomon: *Quia omnium Artifex docuit me Sapientia* (Sap. 7, v. 12). Est enim in ea Spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, benemobilis, disertus, immaculatus, manifestus, inviolabilis, bonum amans, acutus, providens, munificus, benignus, stabilis, integer, sine sollicitudine, qui omnia potest, omnia spectans, et per omnia penetrans spirituum intelligibilium. » (De Incarn. Dom. Sacram., cap. 10, T. 16, p. 846).

III.

De majore mundo et minore mundo, seu homine, juxta Deum unitrinum exemplatis.

1°) Major mundus visibiliter repræsentat invisibiles Dei perfectiones, et ejus perfectio ab ipso Artifice divino approbata est.

728. — a) « *In principio fecit Deus cœlum et terram...* Sunt et qui *principium* non pro tempore accipiunt, sed ante tempus; καὶ κεφαλαῖον vel caput, ut dicamus latine, quasi summum operis; quia rerum visibilium summa cœlum et terra est, quæ non solum ad mundi hujus spectare videtur ornatum, sed etiam ad indicium rerum invisibilium, et quoddam argumentum eorum quæ non videntur, ut est istud propheticum: *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Psal. 18,v. 1). Quod secutus Apostolus, aliis verbis in eamdem conclusit sententiam, dicens: *Quia invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, intelliguntur* (Rom. 1, v. 6). Auctorem enim Angelorum et Dominationum, et Potestatum facile intelligimus Eum, qui momento imperii sui, hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse, quæ non erat; et non de exstantibus aut rebus, aut causis donavit habere substantiam. » (Hexæm., lib. 1, cap. 4, n.° 16).

« *Terra autem erat invisibilis et incomposita* (Gen. 1, v. 2). Bonus artifex prius fundamentum ponit; postea, fundamento posito, ædificationis membra distinguit, et adjungit ornatum. Posito igitur fundamento terræ, et confirmata cœli substantia, duo enim ista sunt velut cardines rerum, subtexuit: *Terra autem erat invisibilis et incomposita...* Quemadmodum ergo invisibilia visibilibus, et ei qui ordinem ac decorem donavit omnibus, incomposita copulabantur? nisi forte quia dixit: *Terra autem erat invisibilis...* et ideo quia aquis operta. »

« Invisibilis etiam terra, quia nondum lux quæ illuminaret mundum, nondum sol; postea enim luminaria facta sunt cœli... Et merito invisibilis, quia incomposita, quæ figuram et speciem congruentem adhuc non acceperat a proprio Conditore. »

« Et fortasse dicant: Cur enim Deus, sicut dixit et facta sunt, non simul ornatus congruos assurgentibus donavit elementis, quasi non potuerit, cœlum insignitum stellis, subito ut creatum est, refulgere; et floribus ac fructibus terra vestiri? Potuit utique, sed ideo primo facta, postea composita declarantur, ne vere increata et sine principio crederentur, si species rerum velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur... Accedit illud, quod imitatores nos sui Deus esse voluit, ut primo faciamus aliqua, postea venustemus; ne dum simul utrumque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit. Ideo primo fecit Deus, postea venustavit; ut eumdem credamus ornasse qui fecit, et fecisse qui ornavit; ne alterum putemus ornasse, alterum creavisse, sed eumdem utrumque esse operatum, ut primo faceret, postea componeret; ut alterum altero crederetur. » (Hexæm., lib. 1, cap. 7, p. 137).

b) « *Et vidit Deus quia bonum* (Gen. 1, v.3). Facit Filius quod vult Pater: laudat Pater, quod facit Filius. Nihil in illo naturæ degeneris invenitur, cujus opus a paterna non degenerat Voluntate. Vidit utique, non oculis corporalibus intendit: sed definivit plenitudini gratiæ convenire, ut mihi ejus judicium cognoscatur...

Vidit quia bonum. Non utique cognovit quod nesciebat, sed probavit quod placebat. Non quasi incognitum placuit opus; quia nec quasi incognitus Pater qui complacuit in Filio, sicut scriptum est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui...* (Matth. 3, v. 17). Imago est enim invisibilis Dei Filius. Omnia Patris quasi imago exprimit, omnia ejus quasi splendor gloriæ illuminat, atque nobis manifestat. Videt et Filius Patris opus, sicut et Pater Filii; sicut et ipse Dominus declaravit: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit facientem Patrem...* (Joan. 5, v. 19). Vidit mihi, probavit mihi. Quod Deus probavit, tu reprehensibile ne dixeris... Ergo bonum Dei nemo blasphemet. Si firmamentum bonum, quanto magis bonus est ejus Creator. »

« *Vidit*, inquit, *Deus quia bonum.* Solent artifices singula prius facere, et postea habili commixtione connectere; ut qui vultus hominum vel corpora excudunt de marmore, vel ære fingunt, vel ceris exprimunt, non tamen sciunt quemadmodum sibi possint membra singula convenire, et quid gratiæ afferat futura connexio; et ideo aut laudare non audent, aut pro parte laudant. Deus vero tanquam æstimator universitatis, prævidens quæ futura sunt, quasi perfecta jam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione præveniens. Nec mirum si apud quem rerum perfectio, non in consummatione operis, sed in suæ prædestinatione est Voluntatis, laudat singula quasi convenientia futuris; laudat plenitudinem, singulorum venustate compositam. Illa est enim vera pulchritudo, et in singulis membris esse quod deceat, et in toto ut in singulis gratia, in omnibus formæ convenientis plenitudo laudetur. » (Hexæm., lib. 2, cap. 5, p. 154).

2°) Homo factus est ad Dei imaginem.

729. — a) « *Attende*, inquit, *tibi soli* (Deut. 4, v. 9). Aliud enim sumus nos, aliud sunt nostra, aliud quæ circa nos sunt. *Nos* sumus, hoc est anima et mens: *nostra* sunt corporis membra, et sensus ejus: *circa nos* autem pecunia est, servi sunt, et vitæ istius apparatus. »

« Tibi igitur attende, et te ipsum scito; hoc est, non quales lacertos, non quantum corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quantam potentiam; sed qualem animam ac mentem, unde omnia consilia profiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur. Illa est enim plena sapientiæ, plena pietatis atque justitiæ, quoniam omnis virtus a Deo est. Cui dixit Deus: *Ecce ego, Jerusalem, pinxi muros tuos* (Isai. 49, v. 16, juxta Septuag.), illa anima a Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriæ, et paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem quæ refulget, anima pretiosa est. Secundum hanc imaginem, Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit imaginem cœlestis, sumpsit terrestris effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem, quæ intrare civitatem Dei non potest, quia scriptum est: *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges* (Psal. 72, v. 20). Et non intrat indigna imago, et quæ intraret excluditur; quia non *intrabit*, inquit, *in eam omne commune, et faciens exsecrationem et mendacium* (Apoc. 21, v. 27); sed ille intrabit in eam, cujus in fronte Agni nomen scriptum est. Anima igitur nostra ad imaginem Dei est. In hac totus es, homo; quia sine hac nihil es, sed es terra, et in terram resolveris... Hæc est ad imaginem Dei, corpus autem ad speciem bestiarum. In hac pium divinæ imitationis insigne, in illo cum feris et belluis vile consortium. » (Ibid., p. 258. Vide quoque cap. 8, p. seq.).

« Cognosce ergo te, decora anima, quia imago Dei es. Cognosce te, homo, quia gloria es Dei. Audi quomodo gloria. Propheta dicit: *Mirabilis facta est cognitio tua ex me* (Psal. 138, v. 6); hoc est in meo opere, tua mirabilior est facta majestas; in consilio hominis tua Sapientia prædicatur. » (Cap. 8, p. 262).

Singularum animarum creationem a Deo docet S. Ambrosius: « Quotidie Deus majestatis, in plasmatis jam corporibus, animas facit et immittit, sicut Moyses legislator de mulieribus prægnantibus testatur: quæ formatum, aut necdum formatum infantem habent (Exord. 21, v. 23, 24) » (De Trinit., cap. 18, T. 17, p. 530).

b) « Pictus es ergo, o homo, et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem; non cera expressum, sed gratia. Deles picturam, mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas, si acquisito rubore perfundas. Illa pictura vitii, non decoris est; illa pictura fraudis, non simplicitatis est; illa pictura temporalis est, aut pluvia, aut sudore tergitur; illa pictura fallit et decipit; ut neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse quod placeas, et tuo displiceas Auctori, qui videt opus suum esse deletum. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris novis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognoverit? Noli tollere picturam Dei, et picturam meretricis assumere... Quod si quis adulterat opus Dei, grave crimen admittit. Grave est enim crimen, ut putes quod melius te homo, quam Deus pingat. Grave est enim ut dicat

de te Deus: Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum quem ipse formavi; rejicio ergo quod meum non est. Illum *(hominem)* quære qui te pinxit, cum illo habeto consortium, ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti. — Quid respondebis? » (Ibid., cap. 8, p. 260).

3°) Homo factus est ad physicam imaginem, et ad moralem similitudinem divinæ Trinitatis.

730. — a) Hoc argumentum tractat S. Ambrosius in libello *De dignitate conditionis humanæ*, in tria capita diviso.

In cap. 1°, asserit hominem esse præclarum opus SS. Trinitatis.

In cap. 2°, docet quomodo homo factus sit, in ordine physico, ad imaginem Creatoris sui unius et trini.

In cap. 3°, explicat quomodo homo fiat insuper Deo similis, in ordine supernaturali ac morali, per gratiam et virtutes. Sed ab hac nobilissima similitudine per vitia discedit, atque jumentis insipientibus assimilatur.

Opusculum sequentibus verbis concluditur: « Quapropter, o dilectissime, quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam, et venerandam in seipso Sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinæ ad quem creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat: ut quando appareat qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo reformavit. » (T. 17, p. 1018).

b) In opusculo *De Isaac et anima*, cap. 8, T. 14, p. 532, S. Ambrosius præclare ostendit animam nostram fieri pulchram ac Deo similem, contemplando divinam Bonitatem et Pulchritudinem illamque per virtutem imitando. « Pulchritudo animæ sincera virtus, et decus verior cognitio supernorum; ut videat illud Bonum ex quo pendent omnia, Ipsum autem ex nullo. Eo igitur vivit, atque intellectum accipit. Vitæ enim fons est Summum illud, cujus charitas nobis et desiderium accenditur, cui appropinquare et misceri voluptas est; quod ei qui non videt, desiderio est, et ei qui videt, vita est; ideoque universalia alia despicit, hoc uno mulcetur et delectatur... Hanc igitur videns pulchram imaginem, ingrediatur intus, foris relinquat vultum corporis. Nam qui intuetur corpora, non debet introrsum intueri, ne more mergentis in gurgite, rapiatur atque absorbeatur, et quasi in profundum demersus, nusquam appareat. Fugiamus ergo in patriam verissimam. Illic patria nobis, et illic Pater a quo creati sumus. Sed quæ est fuga? Non utique pedum qui sunt corporis; isti enim quocumque currunt, in terra currunt, et de solo ad solum transeunt. Fugiamus animo et oculis, aut pedibus interioribus. Assuescamus oculos nostros videre quæ dilucida et clara sunt, spectare vultum continentiæ et temperantiæ, omnesque virtutes, in quibus nihil scabrum, nihil obscurum et tortuosum sit; et seipsum spectet quis, et conscientiam suam; illum oculum mundet, ne quid sordidum habeat. Quod enim videtur, non debet dissonare ab eo qui videt; quoniam *conformes nos Deus imaginis voluit Filii sui* (Rom. 8, v. 29). Cognitum igitur nobis est illud Bonum, *nec longe est ab unoquoque vestrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus; ipsius enim et genus sumus* (Act. 17, v. 28), ut Apostolus Gentiles voluit monere. Ipsum est Bonum quod quaerimus, et solum Bonum; *nemo enim bonus, nisi solus Deus* (Marc. 10, v. 18). Hic est oculus, qui magnum illum et verum decorem intuetur. Solem nisi sanus et vigens oculus non aspicit, nec Bonum videre potest, nisi bona anima. »

4°) Homo est minor mundus, seu compendium majoris mundi.

731. — a) « Sed jam finis sermoni nostro sit, quoniam completus est dies sextus, et mundani operis summa conclusio est; perfecto videlicet homine, in quo principatus est animantium universorum, et summa quædam universitatis, et omnis mundanæ gratia creaturæ. Certe deferamus silentium; quoniam requievit Deus ab omnibus mundi operibus; requievit autem in recessu hominis, quievit in ejus mente atque proposito. Fecerat enim hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum æmulatorem, cupidum cælestium gratiarum. In his requiescit Deus, qui ait: *Super quem requiescam, nisi supra humilem, et quietum, et trementem verba mea?* (Isai. 66, v. 2) » (Hexæm., lib. 6, cap. 10, T. 14, p. 272).

b) « Primum omnium cognoscamus, humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cœlum eminet aeri, terris, mari, quæ velut quædam membra sunt mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua urbis mœnia. »

Tunc describit S. Ambrosius variorum sensuum organa, quæ in capite resident, et concludit dicendo: « Absolvimus velut quamdam corporis regiam, in qua sit licet quædam quantitas portionis, forma tamen universitatis est. » (Hexæm., lib. 6, cap. 9, p. 265, 270).

§ V.

De divino Exemplarismo in Boetio. (*Patr. lat.*, T. 63 et 64).

732. — **Prænotanda.** In sua doctrina conjunxit Boetius philosophiam Platonis et Aristotelis, quam christianis dogmatibus correxit, atque ad supernaturalis sapientiæ altitudinem elevavit. Simul enim docet ideales Platonis formas, quas extra res collocat in Mente divini Artificis, et substantiales Aristotelis formas, quibus res intrinsece perficiuntur juxta divinas ideas. Pythagoræ numeros et mensuras geometricas magni fecit ad intelligendum et explicandum universalem ordinem, quem divinus Artifex ipse disposuit in mensura numero et pondere. — Sed multo magis, S. Augustinum quam paganos philosophos secutus est, sicut ipse declarat in Præfatione opusculi sui de Trinitate: « Vobis tamen etiam illud inspiciendum est, an ex Beati Augustini scriptis, semina rationum aliquos in nos venientia fructus extulerint » (T. 64, p. 12-49).

Sufficiat nobis referre quid dicat: 1°) de divinæ Formæ simplicitate, perfectione, et beatitudine; 2°) de trina divinæ Formæ causalitate; 3.°) de circulari omnium creaturarum effectuum motu circa divinam Causam.

I.

De divinæ Formæ simplicitate, perfectione et beatitudine.

733. — 1°) « In divinis intellectualiter versari oportebit, neque deduci ad imaginationes, sed potius inspicere *(non quidem immediate sicut Beati in cœlo, sed mediante specie intelligibili)* Formam, quæ vere forma, nec imago est, et quæ Esse ipsum est, et ex qua esse est. Omne namque esse ex forma est: statua enim non secundum æs, quod est materia, sed secundum formam *(artificialem et accidentalem)*, quæ in eo insignita est, effigies animalis dicitur; ipsumque æs non secundum terram, quod est ejus materia, sed dicitur secundum æris figuram *(et magis adhuc secundum formam æris substantialem)*. Terra quoque ipsa, non secundum informem materiam, κατα τὴν ὕλην, dicitur, sed secundum siccitatem gravitatemque, quæ sunt formæ *(sunt enim primæ qualitates, et ideo formæ accidentales terræ; sed terra est magis adhuc secundum formam suam substantialem)*. Nihil igitur secundum materiam esse dicitur, sed secundum formam *(primo juxta formam substantialem; et secundo juxta formam accidentalem)*. »

« Sed divina substantia sine materia *(sine ulla potentialitate)* Forma est, atque ideo unum est, et id quod Est. Reliqua enim non sunt id quod sunt: unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, id est ex partibus suis; et est hoc atque hoc, id est partes suæ conjunctæ, sed non hoc vel hoc singulariter; ut cum homo terrenus constat ex anima corporeque, corpus et anima est, non vel corpus vel anima. In parte igitur non est id quod est. Quod vero non est ex hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere Est id quod Est; et est pulcherrimum fortissimumque, quia nullo nititur. Quocirca hoc vero Unum, in quo nullus numerus *(unitatem Essentiæ ejus dividens)*, nullum in eo aliud præterquam id quod Est, neque enim subjectum *(seu potentia passiva)* fieri potest... »

Forma quæ est sine materia *(sine potentialitate)*, non poterit esse subjectum, nec vero inesse materiæ; neque enim esset forma *(exemplaris)*, sed imago. Ex his enim formis, quæ præter materiam sunt *(nempe spiritualibus)*, istæ formæ venerunt *(efficienter et exemplariter ex Forma divina; exemplariter tantum ex cæteris formis spiritualibus)* quæ sunt in materia, et corpus efficiunt. Nam cæteras, quæ in corporalibus sunt, abutimur formas vocantes, dum imagines sunt; assimilantur enim formis iis quæ non sunt in materia constitutæ. *(Etenim quæ minus simplicia sunt assimilantur magis simplicibus, usquedum perveniatur ad Formam supremam et simplicissimam, quæ omnium rerum Exemplar est)*. Nulla igitur in eo *(in Deo)* diversitas substantialis, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidente multitudo, atque idcirco nec numerus. » (De Trinit., cap. 2, T. 64, p. 1250).

« Ea est enim divinæ Forma substantiæ, ut neque in externa dilabatur, nec in se externum aliquid ipsa suscipiat; sed, sicut de ea Parmenides ait *(in Timæo Platonis)*: πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ *(similis moli sphæræ, undique rotundæ)*, rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conservat. » (De Consolat. Philos., lib. 3, pros. 12, T. 73, p. 781).

734. — 2°) « Deum rerum omnium Principem, bonum esse communis humanorum conceptio probat animorum. Nam cum nihil Deo melius excogitari queat, id quo melius nihil est, bonum esse quis dubitet? Ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque bonum in eo esse convincat. Nam ni tale sit, rerum omnium Princeps esse non poterit. Erit enim eo præstantius aliquid, perfectum possidens Bonum, quod hoc prius atque antiquius esse videatur. Omnia namque perfecta minus integris priora esse claruerunt; quare, ne in infinitum ratio prodeat, confitendum est summum

Deum, summi perfectique Boni esse plenissimum. » (Ibid., pros. 10, p. 765).

735. — 3°) Boetius, more platonico, sequentem instituit dialogum inter se et Philosophiam dicentem: « Sed perfectum Bonum veram esse beatitudinem constituimus. Veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse necesse est. — Accipio, inquam, *(ego Boetius)*, nec est quod contradici ullo modo queat. — Sed quæso, inquit *(Philosophia)*, te, vide quam id sancte atque inviolabiliter probes quod Boni summi summum Deum esse plenissimum. — Quonam, inquam, modo? — Ne hunc rerum omnium patrem illud summum Bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit eo quod acceperit, existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum, dignissime confitemur. Quod si naturâ quidam inest, sed est ratione diversum, cum de rerum Principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit. Postremo quod a qualibet re diversum est, id non est illud a quo intelligitur esse diversum. Quare quod a summo Bono diversum est sui naturâ, id summum Bonum non est: quod nefas est de Deo cogitare, quo nihil constat esse præstantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit existere. Quare quod omnium Principium sit, id etiam sui substantia summum esse Bonum verissima rationem concluserim. — Verissime, inquam. — Sed summum Bonum beatitudinem esse concessum est. — Ita est, inquam. — Igitur, inquit, Deum esse ipsam beatitudinem, necesse est confiteri. »

Philosophia hanc argumentationem confirmat ex eo, quod nequeunt esse duo summa bona a se diversa, sed unum tantum esse potest summum Bonum. Et pergit: « Atqui, et beatitudinem, et Deum, summum Bonum esse colligimus; quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem, quæ sit summa Divinitas. » (Ibidem, p. 765-767).

II.

De trina Formæ divinæ causalitate.

Divina Forma est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis, quæ omnia opera sua a seipsa, per et juxta seipsam, et ad seipsam operatur:

« Principium, vector, dux, semita, terminus idem. »
(De Consol. Phil., lib. 3, met. 9, T. 63, p. 763).

1°) Deus est prima omnium rerum Causa efficiens.

736. — « Divina ex æterno natura, et in æternum sine aliqua mutabilitate perdurans, sibi tantum conscia Voluntate, sponte mundum voluit fabricare, eumque cum omnino non esset, fecit ut esset; nec ex substantia sua protulit, ne *(mundus)* divinus naturâ crederetur; neque aliunde molitus est, ne jam exstitisset aliquid quod ejus Voluntatem existentiâ propriæ naturæ juvaret, atque esset quod neque ab ipso factum esset, et tamen esset. Sed Verbo produxit cœlos, terram creavit, ità ut cœlesti habitatione dignas cœlo naturas efficeret, ac terræ terrena componeret. »

« De cœlestibus autem naturis, quæ universaliter vocantur angelicæ, quamvis illic distinctis ordinibus pulchra sint omnia, pars tamen quædam, plus appetens quam ei natura atque ipsius Auctor naturæ tribuerat, de cœlesti sede projecta est. »

« Et quoniam angelorum numerum, id est supernæ illius Civitatis, cujus cives angeli sunt, imminutum noluit Conditor permanere, formavit ex terra hominem, atque spiritu vitæ animavit, ratione composuit, arbitrii libertate decoravit, eumque, præfixa lege, paradisi deliciis constituit, ut si sine peccato manere vellet, tam ipsum quam ejus progeniem angelicis cœtibus sociaret: ut quia superior natura per superbiæ malum ima petierat, inferior substantia per humilitatis bonum ad superna conscenderet. » (Brevis fidei complexio, T. 65, p. 1334).

2°) Deus est prima omnium rerum Causa exemplaris.

737. — a) Deus omnes res juxta æternas ideas suas produxit, et juxta æternam Providentiæ suæ legem gubernat ad perfectionem.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique Sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri;
Quem non æternæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma Boni, livore carens: tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans,
Perfectasque, jubens perfectum absolvere partes ».
(De Consol. Phil., lib. 3, metr. 9, p. 758).

b) In alio loco, quem supra citavimus n° 733, Boetius docet simplicissimam Dei Formam esse, non imaginem, ut cæteræ formæ, sed supremum Exemplar, cui assimilantur omnes rerum creatarum formæ, tam spirituales quam materiales.

c) Docet, supremum Artificem omnia opera sua fabricasse juxta æternos exemplaresque nu-

meros in Mente sua determinatos. « Omnia quæcumque a primæva rerum natura constructa sunt, numerorum videntur ratione formata. Hoc enim fuit principale in animo Conditoris exemplar. » (De Arithm., lib. 1, cap. 2, T. 63, p. 1083).

Dicit de Arithmetica: « Hæc enim cunctis prior est... quod hanc ille hujus mundi Conditor Deus, primam suæ habuit ratiocinationis exemplar, et ad hanc cuncta constituit, quæcumque fabricante ratione, per numeros assignati ordinis invenere concordiam. » (Ibidem, cap. 1, p. 1082).

3°) Deus est prima omnium rerum Causa finalis.

738. — « Omnia bona, sufficientia, potentia, cæteraque veluti quædam beatitudinis membra sunt, an ad Bonum veluti ad verticem cuncta referuntur?... Si hæc omnia beatitudinis membra forent, a se quoque invicem discreparent. Hæc est enim partium natura, ut unum corpus diversa componant. Atqui, hæc omnia idem esse monstranda sunt. Minime igitur membra sunt; alioquin ex uno membro beatitudo videbitur esse conjuncta, quod fieri nequit... Ad Bonum vero cætera referri palam est. Idcirco enim sufficientia petitur, quoniam bonum esse judicatur; idcirco potentia, quoniam id quoque esse creditur bonum. Idem de reverentia, claritudine, jucunditate conjectare licet. Omnium igitur expetendorum summa atque causa Bonum est. Quod enim neque re, neque similitudine ullum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest. Contraque etiam, quæ naturâ bona non sunt, tamen si esse videantur, quasi vera bona sint, appetuntur. Quo fit uti summa, cardo atque causa expetendorum omnium, Bonitas esse jure credatur... Cum igitur omnia boni gratia petantur, non illa potius quam bonum ipsum desideratur ab omnibus. Sed propter quod cætera optantur, beatitudinem esse concessimus: quare sic quoque sola quæritur beatitudo. Ex quo liquido apparet ipsius Boni et beatitudinis unam atque eamdem esse substantiam... Sed Deum veramque beatitudinem unum atque idem esse monstravimus... Secure igitur concludere licet, Dei quoque in ipso Bono, nec usquam alio esse substantiam. » (De Consol. Phil., pros. 10, p. 768). Jam vero, quum bonum omnia intendunt vel appetunt, sive Deus, sive cunctæ res creatæ, sequitur divinam Bonitatem, seu Bonum per se, esse finalem omnium Causam.

« Quis esset rerum omnium finis? Id est enim profecto, quod desideratur ab omnibus; quod quia bonum esse collegimus, oportet rerum omnium finem bonum esse fateamur. » (De Consol. Phil., lib. 3, pros. 11, p. 774).

III.

De circulari omnium creaturarum motu circa divinam Causam.

1°) Mundus circulariter a Deo, ad Deum et juxta seu circa Deum, movetur ad perfectionem.

739. — Boetius divinam Formam, seu supremum Bonum, omnia a se creata ad se gubernans, considerat tanquam Centrum immobile, circa quod omnes res creatæ moventur variis orbibus a Centro communi varie distantibus.

« Ipsam boni Formam, Dei ac beatitudinis loquebaris esse substantiam: ipsumque unum id ipsum esse Bonum dicebas, quod ab omni rerum natura peteretur. Deum quoque Bonitatis gubernaculis universitatem regere... Rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conservat. » (De Consol. Phil., lib. 3, pros. 12, p. 781). — « Quo fit, uti summa, cardo atque causa Bonum est. » (Ibid., pros. 10, p. 768). — « Ut orbium circum eumdem cardinem sese vertentium, qui est intimus, ad simplicitatem medietatis accedit, cæterorumque extra locatorum, veluti cardo quidam, circa quem versantur, existit: extimus vero majore ambitu rotatus, quanto a puncti media individuitate discedit, tanto amplioribus spatiis explicatur; si quid vero illi se medio connectat et societ, in simplicitatem cogitur, diffundique ac diffluere cessat: simili ratione quod longius a prima Mente discedit, majoribus fati nexibus implicatur, ac tanto aliquid fato liberum est, quanto illum rerum Cardinem vicinius petit. Quod si supernæ Mentis hæserit firmitati, motu carens, fati quoque supergreditur necessitatem. Igitur uti est... ad puncti medium circulus, ita est fati series mobilis ad Providentiæ stabilem simplicitatem. Ea series cœlum ac sidera movet, elementa in se invicem temperat, et alterna commutatione transformat. Eadem nascentia, occidentiaque omnia per similes fœtuum seminumque renovat progressus. Hæc actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit: quæ cum ab immobilis Providentiæ proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles esse necesse est. » (Ibid., lib. 4, pros. 6, p. 816).

> Repetunt proprios quæque recursus,
> Redituque suo singula gaudent.
> Nec manet ulli traditus ordo,
> Nisi quod fini junxerit ortum,
> Stabilemque sui fecerit orbem.
>
> (Ibid., lib. 3, metr. 2, p. 731).

2°) Causa hujus circularis et universalis motus est amor.

740. — Sedet interea Conditor altus
Rerumque regens flectit habenas,
Rex et Dominus, fons et origo.
Lex et sapiens Arbiter æqui *(æquitatis)*
Et quæ motu concitat ire,
Sistit retrahens *(ad se)*, ac vaga firmat.
Nam nisi rectos revocans itus *(motus)*
Flexos iterum cogat in orbes *(in motus circulares, rectis longe perfectiores)*
Quæ nunc stabilis continet ordo,
Dissepta *(separata)* suo fonte *(Deo)* fatiscent. *(dissolventur)*
Hic est cunctis communis amor,
Repetuntque Boni fine teneri,
Quia non aliter durare queunt,
Nisi converso rursus amore
Refluant Causæ *(ad Causam primam)* quæ dedit esse *(existentiam)*.

(De Consol. Phil., lib. 4, Pros. 6, p. 822).

In editione Migne, sequens nota huic carmini additur « Amor proprie non est nisi mentis, huc, quo Deus saltem generatim impellit, propendentis. Sed propter quamdam similitudinem amor dicitur etiam corporum, quatenus illa huc etiam, quo Deus impellit, sed mente humana rectius tendunt. Quare cum Deus non agat nisi propter semetipsum, hæc corpora Deus non impellit nisi ad se: unde eadem corpora, utpote quæ student hoc pacto *Boni fine teneri*, ad Deum pariter tendunt ».

« Sicque fit circuitus causarum, primæ scilicet Causæ et finis ultimi; quatenus omnia quæ oriuntur a Deo, tanquam a Causa prima, et revertuntur ad ipsum Deum, tanquam ad finem ultimum; ita ut sine illo, cum amoris tum causarum circuitio, *cui* Deus *dedit esse, hæc aliter durare non possent.* »

« Murmelius eumdem locum commentans, dicit: Marcilius Ficinus in Commentario, oratione secunda, capite primo: *Trinitatem Pythagorici philosophi omnium mensuram esse voluerunt, ob eam arbitror rationem, quod Deus ternario numero res gubernat, atque etiam res ipsæ ternario numero terminantur.* »

« Hinc Maronis *(Virgilii)* illud: *Numero Deus impare gaudet.* — Aristoteles docet hanc trinitatem Pythagoricum esse principium, medium et finem, quæ omne totum constituunt. »

En verba Aristotelis: « Quemadmodum enim aiunt et Pythagorici, ipsum omne, et omnia tribus determinata sunt. Finis enim, et medium, et principium numerum habent eum, qui ipsius omnis est; hæc autem eum qui trinitatis est. Quapropter a natura accipientes, tanquam leges illius, et ad sacrificia deorum, hoc utimur numero. » (De Cœlo, lib. 1, cap. 1, init.).

Ex ipsius Boetii principiis, liquet amorem omnia circulariter movere. Nam, sicut vidimus, docet summum Bonum esse primam omnium Causam efficientem, exemplarem et finalem. Ergo omnis creatura bona est naturâ suâ, quum facta sit ad exemplar bonæ naturæ Creatoris. Jam vero si bona est naturâ suâ, naturaliter ac necessario appetit sive amat, bonum universale, et hoc amore movetur. Amore ergo movetur circulariter a summo Bono ad summum Bonum, quod Deus est. Ergo supremum Bonum omnia bona a se creata, juxta seipsum gubernat ad seipsum, magna sui amoris lege, qua meliora fiunt, et perfectionem ab Ipso prædeterminatam adipiscuntur.

§ VI.

De divino Exemplarismo in S. Fulgentio. (*Patr. lat.*, T. 65).

Dum in sæculo adhuc viveret, Fulgentius totus ad Deum conversus est legendo S. Augustini Enarrationem in Psalmos. Unde præclarum istum Doctorem postea scribens secutus est, ac frequenter citat. Videamus quid dicat: 1°) de divina Trinitate omnium Causa; 2° de effectibus creatis juxta divinam ac trinam Causam exemplatis.

I.

De divina Trinitate omnium Causa.

1°) Divina Trinitas omnia creavit et regit.

741. — « Deus Pater non est auctor Trinitatis, sed auctor est Filii et Spiritus sancti, in eo quod de illo natus est Filius, et de illo procedit Spiritus sanctus... Unitas autem naturalis, Creatorem Filium de Creatore Patre naturali nativitate insinuat exstitisse, et Creatorem Spiritum sanctum de Patre Filioque procedere. » (Cont. Fabian. fragm., 35, p. 822).

« Unus est Deus Creator omnium rerum, Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui ab omnibus quæ fecit, ideo digne laudatur, et ab omnibus operibus suis nihilominus benedicitur, quia ipse Creator atque Operator rerum omnium Deus dominus invenitur. Una ergo benedictio, una laus, una glorificatio, uni Deo Trinitati debetur ab omnibus operibus ejus, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus, solus Deus Factor omnium invenitur esse, non factus, et solus Deus Creator est, non creatus. » (Ibid., Fragm. 34, p. 822).

« Cœlum fecisse dicitur Deus; sed operante Patre, simul et Filius invenitur cooperator, et Spiritus sanctus. *Verbo*, enim, *Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. 32, v. 6). » (Ad Trasimund., lib. 3, cap. 35, p. 300).

« Universorum Creator est Pater, sed *omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, v. 3). — Et: *In ipso creata sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia.* » (Coloss. 1, v. 16).

(Ibid., Fragm. 35, p. 823). « Pater per Verbum omnia fecit. » (Ad Trasimund., lib. 2, cap. 4, p. 248).

« A Catholicis dicitur, ut ex ipso unitatis nomine una Essentia, et ex hoc unum regnum, et in eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas a fidelibus agnoscatur; ne putetur aut Filius, aut Spiritus sanctus secundum divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiore regnat inferior; sed illa unitas Spiritus sancti, quæ est communio Patris et Filii, dum illo regno unitatem divinitatis monstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem, unam majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat. » (Epist. 14, p. 427).

« Rex sæculorum est Pater, sed non minus Rex invenitur et Filius, cui dicit Propheta: *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum* (Psal. 144, v. 13). » (Cont. Fabian., Fragm. 85, p. 823).

2°) Divina Trinitas fideles sanctificat in una Christi Ecclesia.

742. — Regenerat Pater, regenerat Filius, regenerat Spiritus sanctus; quia cum baptisma datur *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, ex eo unusquisque regeneratur in cujus nomine baptizatur. Cum ergo in nomine Trinitatis datur baptisma, simul tota Trinitas regenerat, quæ unus et solus est Deus... — Est in nobis charitas Patris... Est in nobis etiam charitas Christi... Eadem est in nobis charitas Spiritus sancti... Habitat in nobis Pater, habitat Filius, habitat Spiritus sanctus... — Dat gratiam Pater, dat gratiam Filius, dat gratiam Spiritus sanctus... Sumus templum Patris, sumus templum Filii, sumus templum Spiritus sancti. » (Ad Trasimund., lib. 3, cap. 35, p. 300, 301).

« Hæc, ut Dominus dedit, clementissime rex *(Trasimunde)* malui pietati tuæ scribere, quam omnimodis reticere, ne silendo aut æstimarer superbus, aut de fidei nostræ veritate putarer ambiguus, cum Ecclesiam catholicam solam Christi columbam suam voluerit appellari, dicens: *Una est columba mea, una est dilecta mea* (Cantic. 6, v. 8). In quo columbæ nomine charitas et simplicitas designatur. Sola autem veram possidet charitatem, quæ Filium Dei quem diligit, non dicit in divinitate minorem, sed Patri fatetur æqualem. Sola vero possidet veritatem simplicitatis, quæ unam veram et simplicem credit substantiam Trinitatis. » (Ibid., cap. 36, p. 302).

« Subjungitur autem *(in Symbolo fidei)* et *Sancta Ecclesia*, ut agnoscatur quæ sit domus Dei conditoris æterna Civitas Redemptoris: sine cujus societate atque unitate remissio peccatorum non acquiritur, et per resurrectionem carnis, non ad æterna vitæ gaudia, sed ad æternæ mortis supplicia pervenitur. » (Cont. Fabian., Fragm. 36, p. 827). Confer quoque de Trinit., cap. 11, p. 506, et ad Monimum, lib. 2, cap. 11, p. 190: *Qui ab unitate Ecclesiæ recedunt, Spiritum sanctum amittunt.* »

In Epistola 17, p. 465, S. Fulgentius Romanam Ecclesiam nuncupat *mundi cacumen*. Dicit enim de fide baptismi in nomine Patris, Christi et Spiritus sancti: « Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique, verbis tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi cacumen est, tenet et docet Ecclesia, totusque cum ea christianus orbis, et ad justitiam nihil hæsitans credit, et ad salutem non dubitat confiteri. »

In Fragm. 16, contra Fabianum, Ecclesia dicitur *templum SS. Trinitatis*. « Hinc est quod Ecclesia catholica, quæ Sanctæ Trinitatis, id est unius Dei, unum est templum, eidem Sanctæ Trinitati, uni Deo, spiritale sacrificium offerre non desinit; quia ipsi Trinitati, uni vero et bono Deo, servitium sacerdotale certissime se debere cognoscit. » (P. 769).

Conclusio. « Sic ex unitate operis, unitas est agnoscenda virtutis; nec quisquam dubitet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, personarum Trinitate servata, unum Deum naturaliter dicere, qui potuit universa sola Voluntate condere, qui cuncta potest virtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate divinitatis implere. » (Ad Trasimund., lib. 3, cap. 35, p. 302).

II.

De creaturis juxta unitrinam Causam exemplatis.

1°) Divina natura, seu Forma, penitus a creatis naturis diversa est.

743. — « Sed jam satis sint, ad corroborandam fidem tuam, hæc pauca diximus; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus sit. Non est certe creata natura, non terra, neque aqua, neque aer, neque ignis. Ex his enim ele-

mentis animalium compacta sunt corpora. Non est certe spiritus irrationalis, sicut est in pecoribus; neque spiritus rationalis, sicut est in hominibus aut angelis; sed est Deus Trinitas immutabilis, creans omnia per Bonitatem suam, creatus a nemine. »

« Quis itaque potest, ut dignum est, et ut illa se habet illa infabricata Forma, a quo formata sunt universa, vel mente percipere, quanto magis eloquia proferre, nisi quod ita creditur ac dicitur Trinitas Deus? »

2°) Omnia corpora sunt divinæ Trinitatis vestigia.

744. — « Hæc autem Trinitas increata, creaturæ suæ indidit Trinitatis qualiacumque vestigia. Sic enim scriptum est, quod *omnia in numero, in mensura, et pondere disposuit* (Sap. 11, v. 21). Omne scilicet corpus, sive parvum, sive magnum sit, et numerum habet pro quantitate partium, et mensuram habet, et pondus. Nec esse potest numerus sine pondere, aut mensura sine pondere et numero. Ubicumque enim fuerit unum horum, sine duobus esse non potest. »

3°) Anima rationalis est imago divinæ Trinitatis.

745. — « Sed ecce in corporeis rebus facile approbantur pondus, numerus et mensura. Quomodo in incorporeis rebus reperiri queat videamus. Igitur in anima hominis memoria inest, consilium, et voluntas. Hoc enim cogitas quod vis, quod etiam memoria tua continet. Voluntas enim tua amor tuus est. Hoc enim recordaris, quod amando in cogitatione tua adducis. Tria sunt: memoria, consilium et voluntas, quam diximus esse amorem, et inseparabilia sunt, et alterum sine altero esse nequit. Quidam etiam Patrum *(S. Augustinus)* eleganter hæc tria inesse dixit animæ, cum Deum oraret: *Meminerim te, intelligam te, diligam te;* et in his Dei imaginem esse docuit. Imago quippe Dei humana anima, non genita, sed creata; non æqualis, sed similis. »

« Hæc propterea insinuavi charitati tuæ, etiam in rebus creatis, aliqua signa esse illius summæ Trinitatis, ut evidenti ratione pateat quantus sit error hæreticorum, ut cum in rebus creatis et trinitas et unitas sit, ipsam Trinitatem, quæ Deus est in unitate naturæ, esse non credant. » (De Trin., cap. 7 et 8, p. 504).

Memoria, intelligentia et voluntas realiter in una anima distinguuntur. « Cogitatio nostra, quæ in memoria nascitur et formatur, digne verbum interius dicitur. » (Cont. Fastidios., cap. 15, p. 521). Memoria Patrem repræsentat, cogitatio Filium, voluntas Spiritum sanctum.

Plura de eodem argumento habentur in Fragmento 18: *De imagine Dei,* contra Fabianum, p. 769 etc.; et in Fragm. 21: *Homo factus est ad imaginem, non unius tantum personæ, sed totius Trinitatis.* Legitur in prædicto Fragmento 18: « De consideratione imaginis conscende ad intelligentiam veritatis; et inventa hîc discreta trinitate nominum, Trinitatem illic intellige personarum; et agnoscens in una mente hominis, unam memoriæ et intelligentiæ et voluntatis individuam esse naturam, cognosce in illa vera divinitate, unam manere sanctæ Trinitatis Essentiam. Tunc profecto in perceptione hujus rationis, dabitur tibi cognitio Trinitatis, quam si in hac vita videris per speculum in ænigmate, tum in illa vita videbis facie ad faciem... In hoc igitur speculo creationis humanæ, cognosce Creatoris imaginem, si vis ipsam Creatoris postmodum cognoscere veritatem. Ambula per hanc fidem, ut pervenire possis ad speciem. »

LIBER SECUNDUS.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DOCTRINA SAPIENTIUM MEDII ÆVI.

746. — PROŒMIUM *de doctrinæ scholasticæ notione et excellentia.* Doctores medii ævi Aristotelem in *Philosophia* secuti sunt, sed in sacra *Theologia*, duces præcipuos habuerunt S. Augustinum et S. Dionysium Areopagitam, a quibus divinum Platonis Exemplarismum acceperunt, fidei lumine emendatum et supernaturaliter completum. Doctrina ipsorum, in qua ratio humana divinæ fidei subjicitur, miraque harmonia cum ea concordat, sub nomine Scholasticæ cognita est. Hæc universalem ac christianam constituit Encyclopædiam, in qua omnes scientiæ naturales subordinantur Philosophiæ, quæ ipsa famulatur Theologiæ supernaturali, sublimiter ab incarnato Dei Verbo illuminatæ; ejus loquendi modus est simplex, clarus, pressus, logicus, syllogisticus.

Doctrinæ scholasticæ excellentiam sequentibus verbis magnopere commendat Sixtus V in sua Bulla *Triumphantis*, anno 1582: « Divino illius munere, qui solus dat spiritum scientiæ et sapientiæ et intellectus, quique Ecclesiam suam per sæculorum ætates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis præsidiis instruit, inventa est a majoribus nostris, sapientissimis viris, *Theologia scholastica*, quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus *S. Thomas*, et seraphicus *S. Bonaventura*,... excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis præclare explicatam posteris tradiderunt. Et hujus quidem tam salutaris scientiæ cognitio et exercitatio, quæ ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat; semper certe maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et hæreses detegendas et refellendas; his vero novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora periculosa ab Apostolo descripta; et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in pejus, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicæ fidei dogmatibus confirmandis et hæresibus confutandis pernecessaria est. »

Leo XIII, qui præcedentem locum citat in sua Encyclica *Æterni Patris*, die 4 Augusti 1879, addit: « Quæ verba, quamvis *Theologiam* scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de *Philosophia* ejusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem præclaræ dotes, quæ Theologiam scholasticam hostibus veritatis tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex ait, *apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohærentia, ille ordo et dispositio tanquam militum in pugnando instructio, illæ dilucidæ definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimæ disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, hæreticorum mendacia multis præstigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta patefiunt et denudantur;* præclaræ, inquimus, et mirabiles istæ dotes unice a recto usu repetendæ sunt ejus philosophiæ, quam magistri scholastici, data operâ et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt. — Præterea cum illud sit scholasticorum theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent. »

Jam vero suprema ratio universalitatis, distinctionis, connexionis et ordinis doctrinæ scholasticæ est divinus Exemplarismus, qui res omnes reducit ad primam earum Causam efficientem, exemplarem ac finalem, scilicet ad divinum Artificem unitrinum, atque ad æternas ejus ideas, tam in ordine naturali, quam in ordine supernaturali gratiæ et gloriæ Unitas enim ordinis universalis in hoc fundatur, quod omnes creaturæ idem supremum Exemplar unitrinum imitantur; distinctio autem ordinis universalis in hoc fundatur, quod creaturæ idem Exemplar imitantur variis modis. Ex hac imitatione oritur varia et harmonica omnium creaturarum

conformitas analogica cum Creatore atque inter se.

Divinum igitur Exemplarismum videamus: 1°) in doctoribus scholasticis, a sæculo IX usque ad S. Thomam; 2°) in S. Thoma; 3°) in S. Bonaventura; 4°) in cæteris doctoribus medii ævi.

CAPUT I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DOCTORIBUS, A SÆCULO IX USQUE AD S. THOMAM.

Scilicet in Rabano Mauro, S. Petro Damiano, S. Anselmo, Ruperto, Hugone Victorino, S. Bernardo, Petro Lombardo, Richardo Victorino, B. Alberto Magno, et Alexandro De Ales.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN RABANO MAURO. (*Patr. lat.*, T. 107-114).

Audiamus quid dicat doctus ille auctor: 1°) de Sapientia æterna, seu de Verbo, per quod Deus Pater omnia creavit et gubernat; 2°) de Sapientia incarnata, omnium hominum Exemplari; 3°) de ternario numero in divinis operibus prælucente.

§ I.

De Sapientia æterna, seu de Verbo, per quod Deus Pater omnia creavit et gubernat.

747. — I. Dicit Rabanus in Caput 24 Eccli: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam:* « Quia Verbum Dei, id est Filius et Sapientia Dei nominatur, recte dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi,* ut intelligatur per Verbum et Sapientiam Dei omnia esse creata. *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* (Joan. 1).

« Quod autem dicit se Primogenitam ante omnem creaturam, ostendit se non esse cum creatura vel ante creaturam creatam, sed ab initio ex Patre genitam; quia Ipse est origo totius boni, qui cum Patri et Spiritu sancto, sine initio, semper existit; per quem omnem creaturam, Pater, quando voluit, et quomodo voluit, fecit... »

« *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et quasi nebula texi omnem carnem.* In cœli nomine spiritalem, in carnis vero corporalem comprehendit creaturam. Fecit ergo Sapientia Dei, ut spiritales creaturæ, hoc est, angeli et animæ hominum, lumen haberent rationis intelligentiæ; corporales vero, juxta Voluntatem et dispensationem Creatoris sui, modum haberent suæ facturæ, ut omne quod est in rerum natura, vivit, sentit, et sapit, ab ipso haberent originem, *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. 11). Et nota quod dixit eam facere in cœlis lumen oriri, et nebula omne carnem contegi, quoniam sicut lumen claritate sua præcellit obscuritatem nebulæ, ita spiritalis creatura corporalem, suæ naturæ quodammodo præcellit dignitatem. Unde sicut viventia præcedunt omnia vita carentia, ita anima ratione pollens, nobilitate suæ naturæ præcedit omne quod rationem discernendi non habet. » (T. 109, p. 924).

« Factus est homo a principio, quasi aliquod animal cognatione omnibus junctum, eo quod corpus quidem generaliter ex omnibus consistebat, id est, ex quatuor elementis; anima vero ad invisibiles virtutes propinquitatem habere videbatur. » (Ibid., p. 925).

748. — II. Sic explicat verba Sap., cap. 8: *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter:* « Unigenitus ergo Filius Dei, coæternus et coæqualis per omnia Patri et Spiritui sancto, *a fine usque ad finem,* hoc est, ab æterno usque in æternum, *attingit fortiter,* quia virtus est Dei; *et disponit omnia suaviter,* quia idem ipsius est Sapientia, qui in Apocalypsi Joannis ita ait: *Ego sum Alpha et Omega, initium et finis, dicit Dominus Deus* (Apocal. 21). *Initium,* quem nullus præcedit; *finis,* cui nullus in regno succedit, qui est, qui erat et venturus est omnipotens. Qui alibi per Prophetam ait: *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit* (Is. 43). »

« Aliter, Sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter,* cum ab initio creationis mundi usque ad adventum Domini, mirifica Dei opera atque sincera divinæ legis testimonia, per vetus Testamentum fortiter asserit, et ab Incarnatione Verbi usque ad finem mundi, dulcedinem divinorum mandatorum per Evangelium suaviter exponit. Unus ergo atque idem Conditor est utriusque Testamenti, Mediator videlicet Dei et hominum, qui in Lege sui timorem, et in Evangelio sui amorem electis suis commendavit. Unde eleganter Sapientia a fine usque ad finem pertingere dicitur, quia ubique consummatæ et perfectæ esse virtutis prædicatur; finem enim pro perfectione sæpius in Scripturis positum invenimus, ut est illud Apostoli: *Finis præcepti est charitas ex corde puro, et conscientia pura,*

et fide non ficta (1. Tim. 5). — Et rursum: *Finis legis est Christus, ad justitiam omni credenti* (Rom. 10). »

§ II.

De Sapientia incarnata, omnium hominum Exemplari.

749. — « *Et cum sit una, omnia potest, et permanens in se omnia innovat; et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.* Propterea cum pronuntiatur in Scripturis, aut narratur aliquid de Sapientia, sive dicente ipsa, sive cum de illa dicitur, Filius nobis potissimum insinuatur, cujus imaginis exemplo, et nos non discedamus a Deo; quia et nos imago Dei sumus, non quidem æqualis, facta quippe a Patre per Filium, non nata de Patre sicut illa; et nos quia illuminamur lumine, illa vero lumen illuminans, et ideo illa sine exemplo nobis Exemplum est. Neque enim imitatur quemquam præcedentem ad Patrem, a quo nunquam est separabilis, quia idipsum est quod ille de quo est; nos autem imitantes imitamur manentem, et sequimur stantem, et in ipso ambulantes tendimus ad Ipsum, quia factus est nobis via temporalis per humilitatem, quia mansio nobis æterna per divinitatem; quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt, in Forma Dei, et Deo æqualis, et Deus præbet exemplum, ut se idem exemplum redeundi etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum pœnamque mortalitatis, Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, non mutando divinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo, et formam servi accipiens, venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per ipsum factus est, ut exemplum rursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum. In omnibus ipse Primatum tenens, quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, et sentire non poterat Deum sequendo, Deum hominem factum sequeretur, simul et quem sentire poterat, et quem sequi debebat. Omnipotens quidem Pater omnipotentem Sapientiam de se genuit, quæ permanens omnia in se innovat, quia ipsa immutabilis omnia mutabilia suo nutu regit et ordinat, quæ in electorum animas se transferens, sua gratia efficit amicos Dei, et prophetas constituit. *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1). Unde dicitur: *Omnia in Sapientia fecisti* (Psal. 103), quia per Filium suum, hoc est Verbum et Sapientiam suam, omnia fecit Deus. »

In Commentario Ecclesiastici, lib. 2, cap. 13, T. 3, p. 927, dicit Rabanus: « Hoc modo Christus factus Sapientia est, qui factus est homo. An propterea non loquitur in illis libris Sapientia, vel de illa dicitur aliquid, nisi quod cum de Deo natam ostendit aut factam, quamvis sit et Pater ipse Sapientia? Quia in illa nobis Sapientia commendanda erat et imitanda, cujus imitatione formamur. »

§ III.

De ternario numero in divinis operibus relucente.

750. — « Ternarius numerus ad Trinitatis mysterium pertinet, ut in Epistola Joannis: *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant* (1. Joan. 5). — Item tres ad passionis Domini sepulturam et resurrectionis sacramentum respiciunt; unde in Osee scriptum est: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos et vivemus* (Osee 6). — Rursum tres ad fidem, spem et charitatem exprimendam valent; quarum virtutum figuram tres illæ civitates in Deuteronomio, ad quas homicida, qui nolens proximum occiderit, confugere præcipitur, habere dicuntur. — Item tres tria tempora significant, hoc est, primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia; unde in Evangelica parabola legitur: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea, et non invenio* (Luc. 13). — Iterum tres trimodam hominum operationem in bono vel in malo præfigurant, id est, cogitatione, verbo et opere, ut in Apostolo: *Si quis ædificaverit super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosas, ligna, fœnum, stipulam* (1. Cor. 3). — Rursum tres trimodam fidelium professionem demonstrant, id est, clericorum, monachorum et conjugum. De hac tripartita in Ecclesia professione, per Ezechielem loquitur Dominus, dicens: *Si tres viri isti, Noe, Daniel et Job, fuerint in medio eorum, filium et filiam non liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur.* (Ezech. 1). » (De Univ., lib. 22, cap. 3).

« Ponderum ac mensurarum juvat cognoscere modum; nam omnia corporalium, sicut scriptum est, a summis usque ad ima, *in mensura et numero et pondere* disposita sunt atque formata (Sap. 11).

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO
IN S. PETRO DAMIANO. (*Patr. lat.*, T. 144 et 145)

Sanctus ille auctor egregie loquitur: 1°) de mundi præexistentia in divini Artificis Mente ac Voluntate; 2°) de analogia inter majorem mundum et Ecclesiam; 3°) de analogia inter mundum majorem et minorem, seu hominem.

§ I.

De mundi præexistentia in divini Artificis Mente et Voluntate.

751. — I. « Ex nostra possumus infirmitate colligere quid in arcana divini operis debeamus profunditate pensare. Prius enim in architecti corde consilium nascitur, ut futuræ domus ædificium construatur. Cor ergo quod latet, consilium generat, ut domus fabrica per diversa parietum et angulorum lineamenta consurgat. Consilium ergo quasi filius est cordis humani, quod videlicet et ad construendum ædificium in exteriora prorupit, et nihilominus tamen totum in cogitantis corde permansit. Si ergo per consilium, quasi cordis filium, domus erigitur fabrica, qualem putamus Dei Filium, Verbum videlicet, per quod creata sunt universa? Cum ergo cor hominis sine matre valeat generare consilium, quanto magis omnipotens Pater de se solo gignere valuit ineffabiliter Verbum? » (Opus 1, cap. 6, p. 28).

II. « Voluntas quippe Dei omnium rerum, sive visibilium, sive invisibilium Causa est, ut existant; adeo ut condita quæque, antequam ad formarum suarum visibiles procederent species, jam veraciter atque essentialiter viverent in sui Opificis voluntate. *Quod factum est*, ait Joannes, *in ipso vita erat* (Joan. 1). Et idem in Apocalypsi, viginti quatuor seniores dixisse testatur: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter Voluntatem tuam erant, et creata sunt* (Apoc. 4). Prius dicitur quia erant, et postmodum fuisse creata. Quia quæ foris expressa sunt per conditionem operis, jam intus erant in providentia et consilio Conditoris. Porro autem sicut Voluntas Dei causa est, ut quæ nondum sunt condita, originaliter fiant; ita nihilominus efficax causa est, ut quæ sunt perdita, ad status sui ordinem redeant: *Numquid enim Voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* (Ezech. 18). » (Opus. 36, c. 2, T. 145, p. 599).

§ II.

De analogia inter majorem mundum et Ecclesiam.

752. — « *Fecit*, inquit, *duo luminaria magna* (Gen. 1). Verum quidem est quod Deus in mundi creatione, cœlum clarum solis et lunæ distinxit ornatu, ut alterum diei, alterum noctis vicissitudinem gubernaret. »

« Porro si interius perscrutemur, inveniemus nobis allegoriæ respondere secretum. Ecclesia enim mundi figuram gerit, quia sicut mundus ex quatuor elementis subsistit, ita Ecclesia ex quaternaria doctrina Evangelii coalescit. Habet autem Ecclesia suum diem, habet et lunam in nocte. Dies Ecclesiæ est tempus pacis, nox Ecclesiæ est tempestas persecutionis. Sol vero in Ecclesiæ die, est sapientia; luna autem in Ecclesiæ nocte est patientia. His luminibus Deus Ecclesiam suam pinxit, quatenus et in pace non sit improvida, et in bello non inveniatur mollis et fracta. Per sapientiam Ecclesia se protegit in pace a dæmonibus, per patientiam se tuetur in bello a persecutoribus. Non claudicat Ecclesia, non est inermis; argumenta diabolica sapienter eludit, tormenta hominum sustinet patienter. »

« Recta prorsus comparatio solis ad sapientiam, lunæ ad patientiam; quia sicut sol lunæ, ita sapientia præpollet patientiæ. Sapientia itaque sol, quia illuminat; patientia luna, quia confortat. His geminis brachiis Ecclesia pugnat, altero prosternens dæmones, altero vincens homines. Fecit itaque Deus hæc duo magna luminaria, quibus ornatur Ecclesia, quibus quasi duobus oculis munitur Christi columba. » (Serm. 71, tertius in dedicat. Eccles., T. 144, p. 907).

§ III.

De analogia inter majorem mundum et minorem, seu hominem.

753. — « Dissolutis nebulis allegoriæ, hunc etiam rivulum Scripturæ ad irrigandos mores nostros possumus trahere. Nam sicut Deus in hoc mundo duo magna luminaria fecit, ita etiam in homine duo magna luminaria ordinavit. Ne tibi videatur durum, quod dicimus; homo enim alter est mundus, unde ipsa græca lingua vocatur μικρόκοσμος, id est minor mundus, quia ad similitudinem majoris mundi est factus. Nam sicut Deus majori mundi præsidet, ita quod ubique est totus; sic anima corpori dominatur, ita quod ubique tota est in corpore. »

« Homo itaque habet diem, habet et noctem; habet solem in die, habet lunam in nocte. Dies

hominis est vita justitiæ, nox hominis est vita nequitiæ. Sol autem in vita justitiæ est charitas, quæ præest vitæ justitiæ; luna vero in vita peccatoris, est pœnitentia. »

« O quam clarus sol est charitas, cujus quindecim radios enumerat filius solis Paulus Apostolus, in epistola ad Corinthios, ubi ait: *Charitas non æmulatur, non agitur perperam, non inflatur!* etc. (1. Cor. 13). »

« O quam clarum pœnitentiæ jubar! noctem peccati removet, quod conscientiæ nubilum tergit. Lunæ hujus, scilicet pœnitentiæ, quatuor sunt radii: cognitio peccati, dolor pro peccatis, confessio pro peccatis, fructus eleemosynæ. » (Ibid.).

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN S. ANSELMO. (*Patr. lat.*, T. 158).

Prænotanda. — S. Anselmus doctrinam S. Augustini ita secutus est, ut in medio ævo dictus fuerit Augustinus redivivus. Ipse ait in Monologii præfatione: « Nihil potui invenire me dixisse, quod non catholicorum Patrum, et maxime Beati Augustini, scriptis cohæreat. » — Unde ad magistri sui instar, plura de Verbo locutus est, et alia protulit quæ ad divinum Exemplarismum pertinent. Referemus quid doceat: 1°) de Deo unitrino, rerum omnium Artifice; 2°) de homine facto ad Dei imaginem et similitudinem.

§ I.

De Deo unitrino, omnium rerum Artifice.

1°) Probat S. Anselmus, omnia Dei opera ad extra, esse tribus personis divinis communia. 2°) Deum artifici humano comparat. 3°) Loquitur de natura Verbi Artificis divini.

I.

Omnia Dei opera ad extra, tribus divinis personis communia sunt.

754. — « Quid legimus de Deo: *Quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. 11, v. 36) ut *ex quo* sunt omnia sit Pater, et *per quem* Filius, et *in quo* Spiritus sanctus;... hoc quidem quod ex Patre sint omnia, et per Filium, et in Spiritu sancto, sine scrupulo accipimus. » (De Process. Spir. sanct., cap. 15, p. 308).

— « Cum Pater facit per Verbum suum, non facit per aliud quam per hoc quod Ipse est, hoc est per essentialem potestatem, quæ est eadem Verbi. » (Ibidem, cap. 16).

II.

Deus artifici humano comparatur.

1°) De rebus in æterna Mente divini Artificis idealiter præexistentibus.

755. — « Verum videor mihi videre quiddam, quod non negligenter discernere cogit, secundum quid, ea quæ facta sunt, antequam fierent, dici possint fuisse nihil. Nullo namque pacto fieri potest aliquid rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quasi exemplum, sive ut aptius dicitur, forma, vel similitudo, aut regula. Patet itaque quoniam priusquam fierent universa, erat in Ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent. Quare cum ea quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc, quia non erant quod nunc sunt, nec erat ex quo fierent; non tamen nihil erant, quantum ad Rationem facientis, per quam et secundum quam fierent. » (Monolog., cap. 9, p. 157).

2°) De locutione, seu Verbo, in Mente divini Artificis.

756. — « Illa autem forma rerum, quæ in ejus Ratione res creandas præcedebat, quid aliud est quam rerum quædam in ipsa Ratione locutio; veluti cum faber facturus aliquod suæ artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione? Mentis autem sive rationis locutionem hîc intelligo, non cum voces rerum significativæ cogitantur; sed cum res ipsæ vel futuræ, vel jam existentes, acie cogitationis in mente conspiciuntur. Frequenti namque usu cognoscitur, quia rem unam tripliciter loqui possumus. Aut enim res loquimur signis sensibilibus, id est, quæ sensibus corporeis sentiri possunt, sensibiliter utendo; aut eadem signa, quæ foris sensibilia sunt, intra nos insensibiliter cogitando; aut nec sensibiliter, nec insensibiliter his signis utendo; sed res ipsas, vel corporum imaginatione, vel rationis intellectu, pro rerum ipsarum diversitate, intus in nostra mente dicendo... »

« Possunt etiam non absurde dici tanto veriora, quanto magis rebus, quarum sunt verba, similia sunt, et eas expressius significant. Exceptis namque rebus illis, quibus ipsis utimur pro nominibus suis ad easdem significandas, ut sunt quædam voces, velut *A* vocalis; exceptis, inquam, his, nullum aliud verbum sic videtur rei simile, cujus est verbum, aut sic eam exprimit, quomodo illa similitudo, quæ in acie mentis

rem ipsam cogitantis exprimitur. Illud igitur jure dicendum est maxime proprium, et principale rei verbum. Quapropter si nulla de qualibet re locutio tantum propinquat rei, quantum illa quæ hujusmodi verbis constat; nec aliquid aliud tam simile rei, vel futuræ, vel jam existenti in ratione alicujus, potest esse: non immerito videri potest apud summam Substantiam, talem rerum locutionem et fuisse, antequam essent, ut per eam fierent; et esse, cum facta sunt, ut per eam sciantur. » (Ibid., cap. 10).

3°) Quantum divinus Artifex ab humano differat.

757. — Sed quamvis summam Substantiam constet prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam secundum eamdem et per eamdem suam intimam locutionem conderet, quemadmodum faber prius mente concipit, quod postea secundum mentis conceptionem opere perfecit, multam tamen in hac similitudine intueor dissimilitudinem. »

« Illa namque nihil omnino aliunde assumpsit, unde vel eorum, quæ factura erat, formam in seipsa confingeret, vel ea ipsa, id quod sunt, perficeret. Faber vero penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi aut quod totum simul, aut per partes, ex aliquibus rebus aliquomodo jam didicit; nec opus mente conceptum perficere, si desit materia, aut aliquid sine quo opus præcogitatum fieri non possit. Quamquam enim homo tale aliquid animal possit vel cogitando, vel pingendo, quale nusquam sit, confingere, nequaquam tamen hoc facere valet, nisi componendo in eo partes, quas ex rebus alias cognitis in memoriam attraxit. »

« Quare in hoc differunt ab invicem illæ in creatrice Substantia, et in fabro suorum operum faciendorum locutiones, quod illæ nec assumpta, nec adjuta aliunde, sed prima et sola Causa sufficere potuit suo Artifici ad suum opus faciendum. Ista vero nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum incipiendum. Quapropter ea, quæ per illam creata sunt, omnia non sunt, quod non sunt per illam. Quæ vero per istam fiunt, penitus non essent, nisi essent aliquid quod non sunt per ipsam. » (Ibid., cap. 11).

III.

De natura Verbi Artificis divini.

1°) Summæ Essentiæ locutio est ipsa summa Essentia.

758. — « Sed cum pariter ratione docente, sit certum quia quidquid summa Substantia fecit, non fecit per aliud quam per semetipsam; et quidquid fecit, per suam intimam locutionem fecit, sive singula singulis verbis, sive potius uno Verbo simul omnia dicendo; quid magis necessarium videri potest, quam hanc summæ Essentiæ locutionem non esse aliud quam summam Essentiam? Non igitur negligenter prætereundam hujus locutionis considerationem puto. » (Ibid., cap. 12).

Cap. 29. « Quod Dei locutio idipsum sit quod ipse, et ipsi sit consubstantialis, cum non sit duo sed unus Spiritus. » (P. 182).

2°) Quid Verbo suo loquatur Deus.

759. — *Cap. 31.* « *Quod eadem locutio non constet ex pluribus verbis, sed sit unam Verbum.* — Cur igitur dubitem quod supra dubium dimiseram, scilicet utrum hæc locutio in pluribus verbis, aut in uno Verbo consistat? Nam si sic est summæ Naturæ consubstantialis, ut non sint duo sed unus Spiritus, utique sicut illa summe simplex est, ita et ista. Non igitur constat pluribus verbis; sed est unum Verbum, per quod facta sunt omnia. » (P. 183).

Cap. 32. « Quod summus Spiritus seipsum dicat coæterno Verbo. » (P. 185).

Cap. 33. « Quod consubstantiali uno Verbo dicat se, et quod facit. » (P. 186).

3°) De Verbi Dei relatione ad creaturas.

760. — *Cap. 37* « Quod quidquid ipse Deus est ad creaturam, hoc sit et Verbum ejus, nec tamen ambo simul pluraliter. » (P. 190).

Cap. 35. Quod quidquid factum est in Dei Verbo et scientia, sit vita et veritas.

« Verum cum constet quia Verbum ejus consubstantiale est illi et perfecte simile, necessario consequitur ut omnia quæ sunt in illo, eadem et eodem modo sint in Verbo ejus. Quidquid igitur factum est, sive vivat, sive non vivat, aut quomodocumque sit in se, illi est ipsa vita et veritas. Quoniam idem est summo Spiritui scire quod intelligere, sive dicere, necesse est ut eodem modo sciat omnia quæ scit, quo ea dicit aut intelligit. Quemadmodum igitur omnia sunt in Verbo ejus vita et veritas, ita sunt in scientia ejus... » (P. 189).

Cap. 31. Quod ipsum Verbum non sit similitudo factorum, sed veritas Essentiæ; facta vero sunt aliqua veritatis similatio. Et quæ naturæ magis sint et præstantiores quam aliæ. « ...Forsitan nihil remanebit ambiguitatis, si quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur, in picto vero similitudo, sive imago illius veritatis; ita existendi veritas intelligitur in Verbo, cujus Essentia sic summa est, ut quodammodo illa sola sit, in his vero quæ in ejus comparatione quodammodo non sunt, et tamen per illud et secundm illud facta sunt aliquid, aliqua imitatio illius summæ Essentiæ perpendatur. »

« Sic quippe Verbum summæ Veritatis, quod et ipsum est summa Veritas, nullum augmentum aut detrimentum sentiet, secundum hoc quod magis vel minus, creaturis sit simile; sed potius necesse erit omne quod creatum est, tanto magis esse, et tanto esse præstantius, quanto similius est illi quod summe Est, et summe magnum est. Hinc etenim fortasse, imo non fortasse, sed pro certo; hinc omnis intellectus judicat naturas quolibet modo viventes, præstare non viventibus, sentientes non sentientibus, rationales irrationalibus. Quoniam enim summa Natura, suo quodam modo singulari, non solum Est, sed et vivit, et sentit, et rationalis est, liquet quoniam omnium quæ sunt, id quod aliquo modo vivit, magis est Illi simile, quam id quod nullatenus vivit; et quod modo quolibet vel corporeo sensu cognoscit aliquid, magis quam quod nihil omnino sentit; et quod rationale est magis quam quod rationis capax non est... »

« Non est itaque dubium quod omnis essentia, eo quo magis est, præstantiorque est, quo similior est illi Essentiæ quæ summe Est et summe præstat. Satis itaque manifestum est in Verbo, per quod facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem, sed veram simplicemque Essentiam; in factis vero non esse simplicem absolutamque essentiam, sed veræ illius Essentiæ vix aliquam imitationem. Unde necesse est, non idem Verbum, secundum rerum creatarum similitudinem, magis vel minus esse verum, sed omnem creatam naturam eo altiori gradu essentiæ dignitatesque consistere, quo magis Illi propinquare videtur. » (P. 184).

4°) De modo, quo Deus uno Verbo seipsum dicit et creaturas.

761. — Cap. 34: *Quomodo suo Verbo videri possit dicere creaturam.*

« Sed quomodo tam differentes res, scilicet creans et creata essentia, dici possunt uno Verbo, præsertim cum Verbum ipsum sit dicenti coæternum, creatura autem non sit illi coæterna? Forsitan quia Ipse est summa Sapientia et summa Ratio, in qua sunt omnia quæ facta sunt; quemadmodum opus quod fit secundam aliquam artem, non solum quando fit, verum et antequam fiat, et postquam dissolvitur, semper est in ipsa arte, non aliud quam quod est ars ipsa. »

« Idcirco cum ipse summus Spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt. Nam et antequam fierent, et cum jam facta sunt, et cum corrumpuntur, seu aliquo modo varientur, semper in ipso sunt, non quod sunt in seipso, sed quod est idem Ipse. Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis, secundum immutabilem Rationem creata, in Ipso vero sunt ipsa prima Essentia, et prima existendi Veritas, cui prout magis utcumque illa similia sunt, ita verius et præstantius existant. Hoc itaque modo, non irrationaliter asseri potest quia, cum seipsum dicit summus ille Spiritus, dicit etiam quidquid factum est, uno eodemque Verbo. » (P. 188).

Cap. 36. Quam incomprehensibili modo Deus dicat, vel sciat res a se factas.

« Qua ex re manifestissime comprehendi potest quomodo dicat idem Spiritus, vel quomodo sciat quæ facta sunt, ab humana scientia comprehendi non posse. Nam nulli dubium creatas substantias multo aliter esse in seipsis, quam in nostra scientia. In seipsis namque sunt per ipsam suam essentiam, in nostra vero scientia non sunt earum essentiæ, sed earum similitudines. Restat igitur, ut tanto verius sint in seipsis, quam in nostra scientia, quanto vere sunt alicubi per suam essentiam, quam per suam similitudinem. »

« Cum ergo et hoc constet, quia omnis creata substantia tanto verius est in Verbo, id est in intelligentia Creatoris, quam in seipsa; quanto verius existit creatrix quam creata essentia: quomodo comprehendat humana mens, cujusmodi sit illud dicere et illa scientia; quæ sic longe superior et verior est creatis substantiis; si nostra scientia tam longe superatur ab illis, quantum earum similitudo distat ab earum essentia? » (P. 190).

§ II.

De homine facto ad Dei imaginem et similitudinem.

Docet S. Anselmus hominem esse Dei imaginem per mentem suam, qua Deum cognoscit, et quæ est speculum et imago divinæ Trinitatis, cui magis assimilari debemus per charitatem.

I.

Homo Deum cognoscit per mentem suam, qua illi similior est.

762. — Hoc probat S. Anselmus in Monologio, cap. 16: « Cum igitur pateat quia nihil de hac Natura *(divina)* possit percipi per suam proprietatem, sed per aliud, certum est quia per illud magis ad ejus cognitionem acceditur, quod illi magis per similitudinem propinquat. Quidquid enim inter creata constat illi esse similius, id necesse est natura præstantius. Quapropter id et per majorem similitudinem plus juvat mentem indagantem summæ Veritati propinquare; et per excellentiorem creatam essentiam plus docet quid de Creante mens ipsa de-

beat æstimare. — Procul dubio itaque tanto altius creatrix Essentia cognoscitur, quanto per propinquiorem sibi creaturam indagatur. Nam quod omnis essentia, inquantum est, intantum sit similis summæ Essentiæ, ratio jam supra considerata dubitare non permittit. Patet itaque quia sicut sola est mens rationalis inter omnes creaturas, quæ ad ejus investigationem assurgere valeat; ita nihilominus eadem sola est, per quam maxime ipsamet ad ejusdem inventionem proficere queat. Nam, jam cognitum est, quia hæc illi maxime per naturalis essentiæ propinquat similitudinem. Quid igitur apertius quam quia mens rationalis quanto studiosius ad se discendum intendit, tanto efficacius ad illius cognitionem ascendit: et quanto seipsum intueri negligit, tanto ab ejus speculatione descendit? »

II.

Mens hominis est speculum et imago divinæ Trinitatis.

763. — *Cap. 17, Monol.:* « Aptissime igitur ipsa sibimet velut speculum dici potest, in quo speculetur, ut ita dicam, imaginem ejus, quum facie ad faciem videri nequit. Nam si mens ipsa sola, ex omnibus quæ facta sunt, sui memor et intelligens et amans esse potest, non video cur negetur esse in illa vera imago illius Essentiæ, quæ per sui memoriam et intelligentiam et amorem in Trinitate ineffabili consistit. Aut certe unde verius esse illius se probat imaginem, quia illius potest esse memor, illam intelligere et amare. In quo enim major est et illi similior, in eo verior illius imago cognoscitur. Omnino autem cogitari non potest rationali creaturæ naturaliter esse datum aliquid tam præcipuum, tamque simile summæ Sapientiæ quam hoc, quia potest reminisci, et intelligere, et amare id quod optimum et maximum est omnium. Nihil igitur aliud est inditum alicui creaturæ, quod sic præferat Creatoris imaginem. »

III.

Homo divinam similitudinem in anima sua debet voluntarie imprimere, Deum reminiscendo, cognoscendo et amando.

764. — Cap. 18, Monol.: « Consequi itaque videtur quod rationalis creatura nihil tantum debet studere, quam hanc imaginem sibi per naturalem potentiam impressam, per voluntarium effectum exprimere. Etenim præter hoc quod creanti se debet hoc ipsum quod est: hinc quoque, quia nihil tam præcipuum posse, quam reminisci et intelligere et amare summum Bonum cognoscitur, nimirum nihil tam præcipue velle convincitur. Quis enim neget quæcumque meliora sunt in potestate, ea magis esse debere in voluntate? »

« Denique rationali creaturæ non est aliud esse rationalem, quam posse discernere justum a non justo, verum a non vero, bonum a non bono, majus bonum a minus bono. Hoc autem posse omnino inutile est illi et supervacaneum, nisi quod discernat, amet aut reprobet secundum veræ discretionis judicium. Hinc itaque satis patenter videtur omne rationale ad hoc existere, ut sicut ratione discretionis aliquid magis, vel minus bonum, sive non bonum judicat, ita magis aut minus id amet, aut respuat.

« Nihil igitur apertius quam rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam Essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum Bonum; imo ut nihil nisi illam, aut propter illam; quia illa est bona per se, et nihil aliud est bonum nisi per illam. Amare autem eam nequit, nisi ejus reminisci, et eam studuerit intelligere. Clarum est ergo rationalem creaturam totum suum posse et velle ad memorandum, et intelligendum, et amandum summum Bonum impendere debere, ad quod ipsum esse suum se cognoscit habere. »

ARTICULUS IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN RUPERTO. (*Patr. lat.*, T. 167-170).

765. — **Prænotanda.** Scripsit Rupertus 42 libros *de Trinitate et operibus ejus*, et in aliis operibus suis omnes effectus creatos ordinat ad divinam Trinitatem, tanquam ad supremum Artificem, seu ad primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem, ita ut mundus ab ea, juxta eam et propter eam sit *formatus* in opere Creationis appropriato Patri, *reformatus* in opere Redemptionis appropriato Filio, et *transformatus* in opere Innovationis appropriato Spiritui sancto.

Videamus igitur quid dicat: 1°) de divina Trinitate, mundi Artifice; 2°) de trino opere ejus in genere; 3°) de divina Trinitate a nobis quærenda et invenienda in hoc trino opere, quo repletur tota utriusque Testamenti Scriptura.

§ I.

De divina Trinitate mundi Artifice.

Miro modo probat Rupertus: 1°) Deum unitrinum esse revera Artificem; 2°) esse unicum omnium opificiorum Exemplar; 3°) omnia ejus

opificia exemplariter ac vitaliter in Verbo præexistere; 4°) divinum Psaltem operi suo deliciose ab æterno prælusisse in sua Sapientia; 5°) angelos et homines divinam Sapientiam participare in suo intellectu.

I.

Divina Trinitas est revera Artifex.

1°) Est Artifex perfectionis naturalis et supernaturalis.

766. — « Non ergo melior aut sapientior est Artifex Spiritus sanctus, quam Deus Pater, licet iste novus Adam qui de Spiritus sancti operatione conceptus est, melior atque dignior illo sit vetere Adam, quem fecit Pater, sed melior et divinæ Rationi vicinior a Spiritu sancto materia sumpta est. Præterea non eadem hîc atque illic utriusque figuli intentio. Illic nempe intentio Patris erat condere naturam, hîc intentio Spiritus sancti facere gratiam. »

« Legitur, ut dicere cœpimus: *Faciamus*, ait Pater, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Alio jam loco diximus, quia manifeste Trinitas loquitur, dicendo: *Faciamus.* Verumtamen proprium *(vel potius appropriatum)* erat opus Patris facere, proprium opus Filii redimere, proprium Spiritus sancti opus illuminare, et ad similitudinem Dei hominem perducere... Factus est *(homo)* ad imaginem Dei, quia factus est rationalis; non pervenit ad similitudinem Dei, quia non imitatus est donum Dei... Spiritus sanctus... venit ad partem suam operandam, ad facturam hominis perficiendam, ut perduceret hominem ad similitudinem Dei, ad quam non pervenit homo, nisi participatione ejus, id est, Spiritus sancti. » (De Trinit. et operibus ejus. De Spir. sanct., lib. 1, cap. 11, T. 167, p. 1581). — « Et hic *(homo)* et cætera quæ tantus Opifex fecerat secundum Sapientiam ejus, dicta sunt valde bona. » (Ibid. in Genes., lib. 2, cap. 11, p. 257).

2°) Explicatur comparatio figuli, quam Jeremias adhibuit.

767. — *Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis: conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* » (Jerem. 18, v. 2-6).

« Magnum reverentiæ documentum, magnum et congruum taciturnitatis et continentis linguæ instrumentum, Deus plastes noster est, nos autem lutum. Nos inquam omnes, tam Judæi quam Gentes, una massa, unum sumus lutum. Non ergo Dei judicia nos audacter discutiamus, non figuli nostri digitos reprehendamus. Monet hoc vehementi increpatione Apostolus vas electionis, placitumque æterni Figuli opus; monet, inquam nos, et mittit huc, ut cum propheta isto præsens divinæ potestatis exemplar videamus. » (Rom. 9, v. 20-23). » — (Ibid. in Jerem., cap. 10, T. 167, p. 1375).

II.

Divinus Artifex extrà se non aspexit aliquod exemplar ad mundum faciendum.

768. — « Scripturarum omnium vertex sublimis, liber Geneseos, sic incipit: *In principio creavit Deus cœlum et terram;* duobus istis, scilicet cœlo et terræ, postmodum adjicit tertium, dicendo: *Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum.* Sane *cœli* nomine, invisibilis illa sanctorum angelorum patria, *terræ* autem vocabulo visibilis iste mundus designatus est. Porro, *ornatus cœli,* angelica creatura; *terræ* autem cum cætera quæ nascuntur vel sunt in ea, tum præcipue genus humanum. »

« Quod habuit exemplar faciens hæc tria nisi seipsum, Deus unus, qui est Trinitas? Plane non ideas, id est formas, quas philosophi sæculares effinxerunt, *(scilicet formas exemplares extra divini Artificis intellectum existentes, quas Plato somniavit)* sed seipsum Pater Deus, seipsum, inquam, attendit Deus unus Pater et Filius, cum eo quo pariter uterque naturaliter ornatus est, sancto Spiritu, dum non solum cœlum incorporeum, sed etiam corpulentam creavit substantiam terræ, et utriusque simili compsit ornatu, cœlum scilicet angelicis spiritibus, terram autem implens hominibus, quos æquales angelis esset facturus.

« Cœlum quippe et terra dum crearentur, jam tunc in consilio creantis, cui non accedit consilium novum, illud placitum erat, ut Dei Filius terrenam substantiam indueret; ac proinde cœlum recte secundum personam Patris, terram autem creatam esse intelligimus secundum personam Filii; utriusque autem, scilicet cœli et terræ, ornatum eorum, secundum propriam personam Spiritus sancti esse factum, ex eo maxime liquet, quia priusquam mundi creaturam ornari cœptum esset, *Spiritus Dei,* inquit Scriptura, *ferebatur super aquas, et* exinde, septiformi ornatu expleto, *requievit,* ait, *Deus ab omni opere suo,* videlicet eo quod illam efficaciter creaturam in opere artis suæ esset asse-

cutus, super quem requiescere haberet Spiritus ejus, qualem facere vel invenire gestiens, ante super aquas ferebatur. »

« Igitur non extrinsecus quæras aut suspiceris fuisse exemplar, sive quas dixerunt sapientes hujus sæculi Creatoris adjutrices ideas; quia profecto, cum præter Deum nihil existeret, sola sibi, ut hæc tria faceret, Exemplar fuit Trinitas. » (De Trinit. et oper. ej., in Genes. lib. 1, cap. 1, T. 167, p. 199).

III.

Omnia quæ a divino Artifice facta sunt, in ejus Verbo vita erant.

769. — « *Omnia per ipsum facta sunt.* Hoc plane propter utriusque Bonitatem, quæ est Spiritus sanctus, effectum est. Nam si quæras: quis omnia fecerit? respondebitur: Deus. Si quæras: per quid? ecce habes: per ipsum, scilicet Verbum. Si interrogas: quare? respondetur: quia bonus est. Et hæc tota Trinitas est. *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt.* O quanta laude, quanta veneratione dignum est hoc Verbum, per quod omnia facta sunt! Benevoli spectatores levant oculos cordis et corporis ad pulchritudinem eorum, quæ facta sunt, visibilium et invisibilium, et attente considerantes corde et ore conclamant: Magnum atque pulchrum esse Artificis Dei ingenium, quod non est aliud, nisi hoc Verbum, per quod tanta, tam pulchra facta sunt... »

« Attende quicumque filius lucis es, et sicut telas aranearum, ea contemne quæ filii noctis, id est, philosophi hujus sæculi somniarunt. Dixerunt enim materiam ex qua cuncta fierent, (quam etiam appellaverunt *Hylen*) non a Deo creatam, sed Deo fuisse consempiternam; qua Deus sit usus, ut artifex ligno utitur, dum mundum conderet sibi coæternum. Qui etiam formulas fuisse finxerunt, quas dicunt *Ideas*, quibus intendens, ad earum cuncta faceret imitationem. Hæc ergo contemne, Verbi æterni cultor et agnitor. Quia non sic habet Veritas, sed: *Omnia per ipsum facta sunt*, et in hoc Principio, id est in hoc Verbo, creavit Deus cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt.... »

« *Quod factum est in Ipso vita erat.* Sensus iste est: Quidquid factum est, antequam fieret, in ipsius erat præscientia, quæ videlicet præscientia non est aliud quam vita. Divinitati namque non est aliud vivere, aliud scire, nec aliud est in Deo vivens Sapientia, quam sapiens Vita. Aliter autem est in anima: nam vivit quidem substantialiter, sapit autem accidentaliter; Deus vero tam vivit quam sapit substantialiter, nihil enim accidentium in Divinitate cadere potest. Igitur Vita, id est vitalis omnium quæ facturus erat, jam in ipso erat a principio Scientia. Verum est, probabile est, necessarium est. »

« Nam unde hoc habet anima rationalis, ut cum fabrili vel architectonica quidpiam componendum est structura, prius totum illud apud se intus videat in arte, quam foris exhibeat in opere? Si enim arcam vel amplæ domus fabricam struere velit, ejus apud se prius versat imaginem, jamque mens et cogitatio talis est, qualis postmodum materialis situs operis videndus est. Recte ergo dicas: quia quod faciendum est, jam in mente artificis vita est. Unde, quæso, hoc habet anima rationalis, nisi quia creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illam? Imago autem Dei splendorque, ut ait Apostolus, (Hebr. 1), et figura substantiæ ejus est hoc Verbum, hic Filius de Deo Deus, figura videlicet per similitudinem dictus. Quia Pater, sicut aurum, vel ebur; et imago regis in eo sigillum esse dignoscitur. Nec vero secundum exteriorem hominem, sicut humanoformi *(Anthropomorphitæ)* suspicati sunt, sed secundum interiorem nos hac figura signati sumus. Unde et rationales, id est doctrinæ vel disciplinæ perceptibiles sumus..... »

« Si ergo tam pulchra sunt rationis lineamenta in ea quæ formata est anima, quam clara, quam certa est ipsa Ratio divina, quæ non est formata, sed ipsa Forma? Si ideo vivaciter artis suæ compos est umbra, nonne multo magis in proposito vel opere suo, provida et constans est ipsa Veritas? Plane incomparabiliter constantius atque perfectius, omnium quæ facienda erant, in hoc Verbo vivebat ordo vel natura. Nec solum noverat ab initio, quæ vel qualiter omnia conderet, suoque statu singula disponeneret, sed etiam quænam perdita, qualiter suam gloriam recuperaret. Inde est quod suum certum servat omnis natura cursum, nihilque sit sub sole novum. (Eccle. 1). Quia videlicet semel de immutabili Voluntate posuit præceptum, semel et *simul omnia creavit, qui vivit in æternum.* (Eccle. 18). Sic omnino insuperabilis manet altitudo divini Consilii, quod habuit super salutem generis humani. Nec enim electos alios vocavit, justificavit et magnificavit, quam quos ante sæcula præscivit et prædestinavit (Rom. 8); neque tamquam præventus et circumventus a diabolo, novum aliquod excogitavit, quando hoc Verbum misit incarnari; sed sic præfinitum est, sic omnino, quia pulchrum et speciosum erat, ante Patrem complacitum est, ut inter inimicitias adversantis diaboli, semper in melius salutis nostræ prospiciens, usque ad summum bene-

ficentia divina perveniret. » (Comment. in Joan., lib. 1, T. 169, p. 210).

IV.

Divinus Artifex, seu Psaltes, antequam mundum harmonice conderet, huic operi in sua Sapientia prælusit deliciose.

670. — « Quid ergo impotentiæ vel temeritatis Deum arguis, hæretica temeritas? Quod factum est, hic subdistingue ac deinde subinfer: *In ipso*, scilicet *Verbo*, vita erat. Vel certe, ut jam secundum aliam Scripturam loquar, quod factum est, spectabilis atque deliciosus coram Deo, Sapientiæ suæ ludus erat. Sic enim dicit ipsa, quæ est hoc Dei Verbum, Sapientia: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio;* et: *Ab æterno ordinata sum.* Et post pauca: *Et delectabar*, inquit, *per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* (Prov. 8). Ludus iste ineffabilis est divinæ Bonitatis jucunditas, qua jam Creator, antequam quidquam faceret, delectabatur in Verbo suo, in Sapientia sua. Magna sunt hæc, alta sunt hæc. Et horum quidem sensuum majestas, mortalium oculos, velut claritas solis reverberat. »

« Attamen eorumdem similitudo nonnulla, tanquam solis imago, quæ perspici possit in aqua, nostræ naturæ subrutilat. Verbi gratia: Ecce musicus instrumenta quælibet ex arte componit, certisque ac sibimet cognitis dimensa numeris, vocum intervalla discriminans, flatu vel pulsu concitatum sonum inanimatæ rei, rationem sibi insitam imitari compellit. Quid ergo? Nonne antequam instrumenta componeret, aderat ludens in mente et voce ejus musica? Ludens in diversitate vel distinctione modorum; et deliciæ ejus multorum suavitate cantuum? Una fuerat, una nihilominus et nunc est musica, nihilque crescit aut se multiplicat, quamlibet multas ad canendum voluptas cantoris comportet citharas. »

« In hoc, ut dictum est, nonnulla similitudo est. Nam, quid sumus nos, nisi magni Musici Dei, quædam instrumenta? Unde et in citharis et in organis (Ps. 550), quæ profecto corda et corpora nostra sunt, Dominum laudare jubemur. Ipse quoque Dominus noster, musicum Dei Patris maxime instrumentum est, cui dicit idem Pater, dum secundum corpus in sepulchro jacet: *Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara.* (Ps. 56) Imo totus mundus divinæ laudis instrumentum est, licet solus homo vel angelus laudem Dei decantare sciat; sicut in citharis sola corda, sed non sine ligno, modum cantilenæ personat. Igitur quemadmodum naturæ musicæ in anima musici vita est, quam instrumentorum ars imitata est, sic totius mundi compositio, qui, ut jam dictum est, divinæ laudis instrumentum est, prius quam fieret, in hoc Verbo vita erat, de qua et subditur: *Et vita erat lux hominum.* »

Conf. quoque de Divinis officiis, lib. 11, cap. 8, cui titulus est: « Quod ait Sapientia: *Ludens eram coram eo* (scilicet Deo) *in principio*, idem esse quod de Verbo dictum est: *Quod factum est, in Ipso vita erat.* »

V.

Angeli et homines divinam Sapientiam in suo intellectu participant.

671. — « Hæc, inquit, vita quæ erat hoc Verbum, per quod omnia facta sunt, hæc Ratio sempiterna, lux est hominum, scilicet optimæ partis omnium quæ facta sunt, quia videlicet solam in hoc visibili mundo illuminat humanam naturam; id est, cum super omnia quæ facta sunt luceat, suam ipsius imaginem in sola exprimit hominum anima. Omnium enim quæ facta sunt, alia quidem sunt, ut lapides; alia et sunt et vivunt, ut arbores; alia vero sunt et vivunt et sentiunt, ut pecora: homo autem post angelum solus in hoc honore est positus, quod ad quærendum et inveniendum Creatorem suum, factus est idoneus. »

« Ergo quod ait: *Vita hæc erat*, vel est *lux hominum*, tale est ac si diceret: Rationalitatis lucem soli impertita est naturæ hominum. Quod cum ita sit, potuit dicere: Etsi erat vita angelorum pariter et hominum; utramque enim naturam, scilicet angelicam pariter et humanam, splendidæ rationis nobilitas illustravit; quam exinde percepimus, quod, ut supra dictum est, fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Verum non angelis, sed solis hominibus Evangelium scribitur. » (Commentar. in Joan., lib. 1, T. 169, p. 208-212).

§ II.

De trino divinæ Trinitatis opere in genere.

Rupertus 1°) docet trinum Dei opificium singulis personis appropriari; 2°) præcipuum opus suum trine dividit, et refert ad tres personas divinas; 3°) utitur verbis a voce *forma* derivatis ac divino Exemplarismo propriis.

I.

De mundi creatione, redemptione et innovatione, quæ singulis personis appropriantur.

672. — « Adorandam Sanctæ Trinitatis gloriam, in hac peregrinatione quærentes, operum ipsius speculum sensibus nostris admovemus, ut, quia pro conditione mortalitatis, infirmos adhuc oculos in splendorem majestatis ejus figere non valemus, saltem opera ejus contuentes, in lumine ejus aliquantulo, sine errore ambulemus. »

« Est autem tripartitum ejusdem Trinitatis opus, a conditione mundi usque ad finem ejus. *Primum* est ab exortu primæ lucis, usque ad lapsum primi hominis. *Secundum*, ab eodem lapsu primi hominis, usque ad passionem secundi hominis Jesu Christi, Filii Dei. *Tertium*, a resurrectione ejusdem, usque ad sæculi consummationem, id est generalem mortuorum resurrectionem. Et primum quidem Patris, secundum autem Filii, tertium vero Spiritus sancti proprium *(seu potius appropriatum)* opus est. »

« Plane inseparabilis Trinitas, unus Deus, inseparabiliter operatur. Verumtamen singulis horum, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sicut personæ proprietas, ita et in perfectione mundi, consideranda est actio propria *(appropriata)*, videlicet ut Patris creatio, Filii redemptio, sancti Spiritus proprium sit opus creaturæ innovatio. — Denique cum Pater per Verbum omnia facit, et Spiritus sanctus superfertur aquis, cooperantur quidem duæ personæ uni operanti. Verumtamen ipsa Verbi dictio, vel Spiritus emissio, propria Patris actio est. — Item cum Filius, id est Verbum Patris, ad salvandum mundum ingreditur, Pater quidem illud de corde suo eructat in uterum Virginis, et Spiritus sanctus corpusculum illi de materna substantia compingit, et sic duæ personæ cooperantur uni operanti. Verumtamen sola Filii persona est, quæ carne induitur pariterque moritur. — Nihilominus cum Spiritus sanctus per ejusdem Filii passionem in peccatorum remissionem datur, Pater quidem, ut ille protendat viscera sua super nos hactenus juste contenta, misericorditer laxat, et redivivus Filius hominibus insufflat, et sic duæ personæ uni cooperantur. Verumtamen propria Spiritus sancti persona, Patris et Filii donum vel gratia est, tota exornatio creaturæ rationalis est. »

II.

De trina divisione præcipui operis Ruperti, scilicet " de Trinitate et operibus ejus „.

673. — « Erit itaque in honorem Patris, et Filii, et Spiritus sancti hoc opus tripartitum. *Prima pars*, de primorum hebdomada dierum. *Secunda*, de hebdomada sequentium mundi ætatum. *Tertia*, de gemina resurrectione mortuorum. »

« Unde utraque hebdomada suppletur, et in octavam perficitur. Prima namque resurrectione animarum, quæ est remissio peccatorum, mors peccati, quæ est post septem dies admissa, deletur; secunda, resurrectione corporum, mors omnis carnis per septem ætates mundi mortuorum absorbetur. » (De Trinit. et operib. ej. Præfatio, T. 167, p. 198).

« Fecimus ergo de proprio Patris opere, a prima creatione, id est, ab initio quo creavit Deus cœlum et terram, usque ad id quod Adam de paradiso ejectus est, libros tres. — Deinde de proprio Filii opere, quo a justitia vel morte Abel paulatim per figuras et visiones prophetas nobis appropinquans, Verbum Domini pervenit, usque ad susceptionem carnis et mortem crucis, libros triginta. — Deinde de proprio Spiritus sancti opere, scilicet ab Incarnatione ejusdem Christi, Filii Dei vivi, quem de Spiritu sancto Virgo concepit incorrupta, usque ad finem sæculi, libros novem. Simul fiunt libri quadraginta duo. »

III.

De voce " forma „ et verbis ab ea derivatis, quæ adhibet Rupertus.

Hæc vocabula sunt doctrinæ divini Exemplarismi propria, inquantum significant, omnes creaturas supremæ Formæ exemplari divinisque ideis realiter conformari per formas suas intrinsecas.

1°) De forma et formato.

674. — « Definite oportet dici quid sit *formatum*, et quid solummodo *forma*. *Formatum* id quod constat materia simul et forma; simpliciter vero *forma*, dicitur forma carens materia. Tale autem nihil est præter unum Deum. Solus quippe ille est Forma carens materia. *(Aliquam enim materiam, seu potius potentiam passivam, in angelis admittit Rupertus, ut infra dicemus)*. Neque enim ex ulla consistit materia, quippe qui creatus vel factus non sit; unde et nullis accidentibus subjacet, et incommutabilis est. Cætera formata sunt, id est ex materia formaque consistunt, ut verbi gratia, statua. Consistit enim ex materia forte ærea vel lapidea, et forma, quamcumque artifex voluit, scilicet hominis, equi, aut cæterorum cujuslibet generis. Sed nec ipsum æs simpliciter forma est, consistit enim ex materia sua, id est terra. Terra quoque formata est, et non simpliciter forma, Dicitur enim terra quod sit gravis et sicca. Hoc

ergo formatum et forma differt, quod Forma simplex solus Deus est, qui formatus non est; formata vero cætera, quorum sine dubio formosissimum homo est. Nemini quippe dubium quia formatus est, et quia materia ejus terra est. » (De Trinit. et operib. ejus. De operib. Spir. sanct., lib. 1, cap. 15; T. 167, p. 1586).

2°) De corporali formatione Adami et Christi.

« Ambos istos *(nempe Adamum et Christum)* formavit Dominus Deus de limo terræ, sed illum quidem Dominus de limo terræ insensibilis et inanimatæ, istum autem Spiritus sanctus de limo terræ, sed animatæ, id est de humore carnis virgineæ sua formavit operatione. Et illum quidem absque patre et matre, istum autem de matre sine patre. Utraque formatio mirabilis... Mirabilius est de terra inanimata hominem fieri, quam de carne feminæ, licet virginea, hominem concipi aut nasci. Ergo ista quidem formatio venerabilior, sed illa mirabilior. » (Ibid., cap. 14, p. 1584).

3°) De spirituali et supernaturali formatione, deformatione ac reformatione.

« Recte distinguamus Patrem Deum, et Spiritum sanctum Deum, ut Pater condiderit, Spiritus sanctus reformaverit, quam voluit creaturam, et utraque persona per tertiam, sive mediam, id est per Filium. Sed Pater per Filium tantum, Spiritus sanctus per Filium jam hominem factum. Nam sicut nulla creatura facta est nisi per Filium Deum, sic nulla reformata est nisi per eumdem Filium Deum hominem factum. » (Ibid., cap. 2, p. 1573).

« Sexta *(mundi ætate)* tandem ipse per mysterium Incarnationis mundum ingreditur. Istæ sex ætates sex primis diebus respondent, de quibus hactenus dictum est. Sed quæ in illis diebus facta sunt naturalia, in istis autem doctrinalia sunt. Nec enim hîc novæ creaturæ formantur, sed deformata natura hominis, ad reformationem præparatur. Proinde et illa dierum opera, sicut jam in principio hujus operis dictum est, ad personam Patris, hæc autem proprie pertinet ad personam Filii. » (De Trinit. et operib. ejus, in Gen., lib. 3, cap. 36, p. 324).

« Ibi plane completur opus Dei, ubi isti per quem facti, eidem sunt reformati. » (Ibid., lib. 3, cap. 14, p. 259).

4°) De Conformatione.

« Igitur hic unus est *(Christus)* in quo Deus requievit, et sic super nos requiescit, nonnisi pro quanto conformamur huic, pro tanto super nos requiescit. » (Ibid., cap. 17, p. 262).

His omnibus vocabulis, sicut et verbis: similitudo, consimilis, dissimilis (ibid., lib. 2, cap. 6, p. 251) passim utitur Rupertus.

5°) De transformatione.

Hanc ipsam vocem non inveni in Ruperto, sed synonimis utitur verbis, qualia sunt *innovatio et immutatio.* « In perfectione mundi consideranda est actio propria, videlicet ut Patris creatio, Filii redemptio, sancti Spiritus proprium sit opus creaturæ innovatio, » (Ibid., Præfat. oper., p. 199). — « *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (1. Cor 15). Quid enim est *immutabimur?* Impassibiles efficiemur, impassibilia corpora resumemus. »

Porro *innovatio*, et *immutatio in melius*, idem est ac *transformatio*, nempe transitus a forma ad novam et meliorem formam.

§ III.

De divina Trinitate a nobis quærenda et invenienda in tota Scriptura sacra.

Rupertus, in lib. 1 de Glorificat. Trinit., cap. 1-4, mysterium SS. Trinitatis comparat desiderabili thesauro, qui in toto sacræ Scripturæ agro absconditur, et avide quærendus est, sed a solis dignis invenitur.

I.

" Quod mysterium Sanctæ Trinitatis thesaurus sit desiderabilis, et quod thesaurus in agro absconditus est „.

675. — « Thesaurus desiderabilis tu nobis es, o admirabile mysterium Trinitatis, et thesaurus absconditus quidem, sed taliter ut inveniri possis ab homine attento qui te quærit, illuminatos per Fidem habens suæ mentis oculos. Ubi enim thesaurus ille absconditus est? in agro. Sic etenim Dominus dicit, in Evangelio: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro* (Matth. 13). Mira res! Non in sæculo, non in diversorio, non in cubiculo, intra cubiculum ubi solent homines abscondere thesaurum suum, quia de furibus solliciti sunt; sed *in agro*, id est in propatulo. Qualis, rogo, hæc est absconsio, absconditum esse in publico? Attamen ita est, et omnibus verum est. Hoc opus nunc suscepimus, et hæc operis nostri est intentio demonstrare qualiter, vel quo thesaurus iste sit absconditus in agro. Dicamus ergo quoniam thesaurum istum solis cæcis absconditum invenimus nos, et hinc oculos habentibus, qui tamen forte nondum satis viderunt, et videre volunt, quasi prætento demonstramus digito. »

II.

" Quod sancta veteris Testamenti Scriptura ille ager sit, et quam ob causam convenienter agri nomine significata est „.

676. — « Ager iste, de quo proposuimus, sancta Veteris Testamenti Scriptura est. Et recte dicitur ager, quia profecto res publica est. Res in aperto posita, et cunctis hominibus imo populis omnibus legere, vel audire cupientibus proposita est. Hinc est illud in Psalmo veraciter dictum: *Dominus narrabit in scripturis populorum* (Psal. 86). Quid namque est quod dicit: *In scripturis populorum*, nisi ac si diceret: In scripturis quæ populis expositæ sunt, vel quæ a populis omnibus legi possunt? Quod ut diceret, non fuisset necessarium, nisi essent quædam scripturæ, sive quædam scripta quæ non sunt populorum, verbi gratia, scripta Platonicorum, scripta Aristotelicorum. Nimirum ad distantiam eorum quæ illi scripserunt, Scripturæ sacræ recte dicuntur Scripturæ populorum, quia videlicet populos, id est simplices, a suimet lectione non repellunt; quin et si mysteria non cito percipiant, ut saltem litteralem sensum et moralem quoque facile capiant intellectum... Quod hic de thesauro proposuimus... sentias... quia totum apertum vel publicum est videntibus, totum absconditum vel clausum est invidentibus. »

III.

" Quomodo vel qualibus thesaurus ejusmodi in tali agro absconditus sit, et a qualibus cito possit inveniri „.

677. — « Diximus quo in agro thesaurus iste absconditus sit, scilicet gloriosa distinctio personarum SS. Trinitatis; jam dicendum quomodo absconditus sit. Non longe pro hac demonstratione exemplum petatur... »

Citat textum: *Numquid Sion dicet: homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. 86), qui præcedit immediate verba: *Dominus narrabit in scripturis populorum*, et in quo absconditur Incarnatio secundæ personæ Trinitatis, atque addit:

« Non hoc dicet homo, non intelliget quis deditus sensui terreno. Ergo thesaurus absconditus. Similiter de omnibus sacramentis et distinctione personarum Sanctæ Trinitatis, qui thesaurus magnus est, sciendum quia modus absconsionis talis est, ut homo infidelis non inveniat; deorum autem vel filiorum Excelsi multitudo fidelis cito apprehendat. »

IV.

" Quod non in una parte agri, sed per totum agrum Sacræ Scripturæ thesaurus iste, et indignis absconditus, et a dignis sit inventus, vel cito inveniatur „.

678. — « Qua tandem in parte, vel quibus in partibus agri thesaurus iste absconditus debet inveniri? Nam fortassis hoc quispiam putet, quod in parte, seu in partibus, et non in toto agro, thesaurus iste absconditus vel demonstrandus est. Ad hæc inquam: Non in partibus, sive per partes, sed in toto, vel per totum, per omnes terminos agri hujus, thesaurus iste absconditus jamdudum inventus, et adhuc inveniendus est. »

« Quid illud totum est? Nimirum omne quod ab initio creaturæ usque nunc Deus operatus est. Breviter hîc percurrere lubet terminos agri, distinctiones operum utilium, de quibus omnis Scriptura sacra consistit, jamque promittere quod nusquam in omnibus his desit, per ipsam designata litteram, cooperatio Trinitatis. Primum est creatio cœli et terræ. — Sequens conditio creaturæ angelicæ. — Post hæc plasmatio hominis cum benedictione Plasmatoris sive Creatoris. — Deinde post diluvium benedictio reparandi generis humani de hominibus paucis. — Post hæc facta ad Abraham promissio beati seminis, quod est Christus. — Deinde descensus Dei in Ægyptum, ad liberandum populum suum. — Post hæc modus benedictionis, quo peracto Moyses filiis Israel benedicere jussus est. — Deinde sermo, qui de ædificanda domo Domini ad David factus est, simulque sacramenta psalmorum et præconia prophetarum. — Post hæc consolatio, sive reversio captivitatis de Babylone. — Deinde Machabæorum victrices pugnæ. — Per hos omnes terminos extenditur ille ager, et in his omnibus iste thesaurus absconditus est, et ut manifestius dicam, ex istis operibus Dei sancta vetus Scriptura conscripta est, et in singulis horum Sanctæ Trinitatis cooperationem non defecisse certum est, et hoc præsenti opere demonstrandum est. »

« Quod cum demonstratum fuerit, subsequetur opus clarissimum Dominicæ Incarnationis, Passionis, Resurrectionis atque Ascensionis, et adventus Paracleti Spiritus sancti, quod videlicet opus nostra quantulacumque declamatione tanto liberius, tantoque vehementius personare poterit in gloria Sanctæ Trinitatis, quæ abhinc prædicatione publica per totum mundum cœpit annuntiari, quanto pluribus corroborata fuerit testimoniis ex dictis seu rebus gestis præceden-

tium ætatum sæculi. » (De Glorific. Trinit., lib. 1, cap. 1-4, T. 169, p. 14-17).

De divinæ Trinitatis mysterii cognitione Rupertus loquitur quoque in opere *de Divinis Officiis, lib, 11, cap. 14.* « Cur ante Incarnationem Domini fides Sanctæ Trinitatis a vulgo non debuerit, aut potuerit exigi. » — *Cap. 15.* « Quod Vetus Testamentum eamdem fidem Trinitatis non tacuerit, nec sine illa veteres Sancti Deo placuerint. » (T. 170, p. 307).

ARTICULUS V.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN HUGONE VICTORINO. (*Patr. lat.*, T. 175-177).

Prænotanda. — Hugo, canonicus regularis a S. Victore in Gallia, ita secutus est S. Augustini doctrinam, ut eum coævi nimia laude cognominaverint secundum Augustinum. Insuper imitatus est S. Dionysium Areopagitam, cujus *Cœlestem hierarchiam* eximio commentario explicavit. Ab utroque magistris divinum didicit Exemplarismum, et ejus lumine illustratus, de omnibus rebus disseruit, illarumque multiplicitatem ac varietatem miro ordine reduxit ad trinam mundi Causam, scilicet ad tria attributa operativa, quæ singulis personis divinis appropriantur, nimirum ad Potentiam, Sapientiam et Bonitatem.

Referemus quid doceat: 1°) De divino Artifice unitrino, ejusque Potentia, Sapientia, et Bonitate in genere. 2°) De tribus prædictis attributis in specie. 3°) De varia divini Artificis operatione ad extra. 4°) De omnibus divini Artificis operibus, tripliciter juxta ipsum ordinatis. 5°) De angelis in specie, ad Dei unitrini imaginem formatis et ordinatis. 6°) De homine ad Dei imaginem formato, et majorem mundum in se continente.

§ 1.

De divino Artifice unitrino, ejusque Potentia, Sapientia et Bonitate in genere.

Divina Trinitas est prima omnium Causa efficiens, exemplaris ac finalis, cui competunt Omnipotentia, Sapientia et Bonitas, singulis personis appropriatæ.

I.

Divina Trinitas est mundi Artifex, et Ordo exemplaris omnium rerum.

679. — « Primus Ordo est sacramentum Trinitatis, quia et hoc Scriptura continet, quod ante omnem creaturam, trinus et unus fuerit Deus. Hic de nihilo omnem fecit creaturam, visibilem scilicet et invisibilem: ecce secundus ordo. » (Erud. Didasc., lib. 6, cap. 4, T. 176, p. 803). — « Deus ergo Trinitas, trina hac virtute, omnia opera sua consummavit, ut Perfectum perfecta sequerentur, et æmularentur Auctorem suum cuncta quæ fecerat. » (De Sacr. Christ. fed., lib. 1, pars 2, cap. 8, p. 210).

« In primo Ordine id constituimus, cui non est aliud Esse et quid Est; id est cujus causa et effectus diversa non sunt, quod non aliunde sed a semetipso subsistere habet, ut est solus naturæ Genitor et Artifex. » (Erud. Didasc., lib. 1, cap. 7. Ibid., p. 745).

« Prius siquidem Opifex Deus mundum fecit; ac deinde hominem possessorem et dominum mundi, ut cæteris omnibus jure conditionis dominaretur homo, ipsi a quo factus fuerat soli voluntaria libertate subjectus... » (De Sacr. Christ. fid., pars 2, cap. 1. Id., p. 205).

« De te fabricabis domum Deo tuo, ipse artifex eris, cor tuum locus, cogitationes tuæ materia. Nec timeas imperitiam tuam; qui hoc a te requirit peritus est Artifex, et alios quos vult artifices facit. » (De Arca Noë mor., lib. 4, cap. 1. Ibid., p. 664). — « Nosti quod malus es, et quod a bono Opifice malus factus non es. » (Erud. Didasc., lib. 7, cap. 24. Ibid., p. 834). — « Natura ipsa docet unum esse rerum omnium Opificem, unum esse Rectorem. » (Ibid., cap. 19).

« Præterea sciendum est, quod sicut Trinitas inseparabilis est, ita inseparabiliter operatur. Quidquid enim operatur *(ad extra)* Pater, hoc idem Filius et Spiritus sanctus operatur. » (Summa Sentent. Tract., 1, cap. 11., T. 176, p. 60).

II.

Divinus Artifex est unica omnium Causa, quæ omnia creavit a seipsa, juxta seipsam, et propter seipsam.

680. — « Sicut enim, dum artifex mente concipit, similitudo manet nec mutatur remota, sic Creator omnium Deus, ab æterno Sapientia sua omnia comprehendit, quæcumque facturus erat, sed immutabiliter. Unde non est omnimoda similitudo inter mentem artificis et Mentem divinam, quia in conceptu artificis motus est, quia prius et posterius, et sic variatio. In comprehensione vero divina, nullus est motus, nulla variatio, cum ipse Deus sit ipsa comprehensio. » (Allegor. in Nov. Test., lib. 5, cap. 2, in Joan., T. 175, p. 834).

« In eo quod creavit, id est de nihilo fecit mundum, miramur ejus Potentiam. In eo quod

ornavit, id est pulchrum fecit mundum, ejus Sapientiam miramur. In hoc enim differunt auctores nostri a philosophis, quod philosophi Deum opificem tantum, et tria ponunt principia: Deum, materiam, et archetypas ideas; nostri vero unicum ponunt Principium, et hoc Deum solum? (In Pentateuch., in Genes., cap. 4. Id., p. 33).

« Philosophi Gentilium tria quædam rerum principia sine principio posuerunt: opificem, materiam et formam, profitentes ea quæ facta sunt omnia ex materia quadam informi per artificem esse producta. Sed isti factorem solum, non Creatorem Deum professi sunt. Fides autem vera unum solummodo primum Principium confitetur, quod semper erat, et per ipsum solum factum est, ut esset quod aliquando non erat. Cujus ineffabilis omnipotentiæ virtus, sicut non potuit aliud præter se habere coæternum, quo in faciendo juvaretur, ita ipse cum voluit haberet, ut quod voluit, et quando, et quod voluit de nihilo crearetur. Omnia ergo, quæ facta sunt, Deus non solum ex materia fecit, sed materiam omnium ipse de nihilo creavit... » (De Sacram. Christ. fid., lib. 1, pars 1, cap. 1, T. 176, p. 187).

« Hæc prima Causa rerum omnium *(non tantum a se sola, sed etiam)* secundum se et propter se operata est opus suum; *secundum se*, quoniam extrinsecus operis sui formam *(exemplarem)* non accepit; *propter se*, quoniam aliunde causam operandi non habuit. Fecit enim ad similitudinem suam, quod disponebat ad participationem sui, ut ex ipsa eamdem formam haberet, quod cum ipsa idem bonum possidere debuisset. » (Ibid., pars 2, cap. 3, p. 207).

III.

De divini Artificis Potentia, Sapientia et Bonitate, quæ tribus personis appropriantur.

1°) De tribus prædictis attributis.

681. — *Ex opere Erudit. didasc., lib. 7, cap. 1.* « De tribus invisibilibus Dei, a quibus emanant omnia, quæ sunt Potentia, Sapientia et Bonitas. » (T. 176, p. 811).

Ex opere de Sacram. Christ. fid., lib. 1, pars 2, cap. 6. « De tribus perfectis et perficientibus omnia. » — « Erant enim tria quædam, et hæc tria erant unum; et æterna erant tria hæc; et nihil perfectum esse poterat sine his tribus et cum his nihil diminutum. Constabat enim ut si adessent tria hæc, nihil perfectum deesset; et si deesset de his tribus unum, aliquid consummatum esse non posset. Et hæc tria erant, Potentia, Sapientia, Voluntas; et ad omnem effectum concurrunt tria hæc, nec aliquid absolvitur, nisi ista adfuerint. Voluntas movet, Scientia disponit, Potestas operatur. — Etsi horum discretionem proponas, non est posse illud quod scire, nec scire illud quod velle, et tamen Deo unum sunt posse, scire et velle. Et discernit illa ratio, et natura non dividit; et venit nobis trinitas indivisa, quæ totum continet; et sine ipsa totum est nihil. Quidquid de Deo vere dicitur, aut pie credi potest in Deo, hæc tria continent; Potestas, Sapientia et Bonitas. Et plena sunt hæc tria pariter. »

« Si immensum nominas, si incorruptum dicis, si æternum, si incommutabilem, et quæcumque horum similia, totum hoc *Potestatis* est. Si scientem appellas, si providum, si inspectorem, si scrutantem, si considerantem, et discernentem, totum hoc *Sapientiæ* est. Si mitem, si mansuetum, si compatientem, et benignum, vel quæcumque hujusmodi similia sunt, vocas, totum hoc *Bonitatis* est. Et nihil est quod in istis non est; et quod in istis est, plenum est et consummatum totum. »

« Propterea tria hæc specialiter discreta sunt, et suscepit fides catholica Trinitatem, quam nec numero augeri voluit, ne extra tria aliquid confiteri videretur; nec natura confundere, ne trinum aliquid negare convinceretur. Et invenit in Deo tria esse, et in Deo tria unum esse. Nec propterea tria non esse, quia unum erant. Neque unum non esse, propterea quod tria erant; et tribus admonita, dixit tres personæ tria, quia naturaliter Deus erant, et una substantia, et ideo unus Deus; et assignavit Potestatem Patri, Sapientiam Filio, Bonitatem Spiritui sancto; et confessa est Trinitatem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. » (T. 176, p. 208).

Cap. 7. « Quod tria hæc de Deo secundum substantiam dicuntur. »

Cap. 11. « Quod tria in Deo coæterna fuerunt. »

2°) Prædicta attributa tribus personis appropriantur.

682. — *Ibid., cap. 8.* « Quare hæc tria, cum secundum substantiam dicantur, quasi propria in quibusdam locis personis attributa inveniuntur. »

Ex opere de Sacram Christ. fid., lib. 1, pars 3, cap. 26. « Quare Potentia Patri attribuitur, Sapientia Filio, Bonitas sive Benignitas Spiritui sancto. (T. 176, p. 227).

§ II.

De tribus prædictis attributis in specie.

In ordine intentionis, Sapientia divina prior est Bonitate et Omnipotentia, sed *in ordine exse-*

cutione, Omnipotentia prior est Sapientia, et Bonitate. De tribus his attributis sic speciatim loquitur Hugo Victorinus.

I.

De divinæ Sapientiæ notione et prioritate virtuali.

683. — Sapientia Dei ab Hugone Victorino definitur: « Primæva rerum Ratio, quia ad ejus similitudinem cuncta formata sunt. » (Erudit. Didasc., lib. 2, cap. 1, Id., pag. 751).

« Sapientia enim vita, et amor Sapientiæ felicitas vitæ. Quapropter cum dicitur quod Pater Sapientiæ complaceat sibi in illa, absit ab intellectu nostro ut credamus, quod Deus Sapientiam suam propter opera quæ per illam facit, diligat, quin potius omnia opera sua nonnisi propter illam amet!... Tanto enim amplius amore suo digna sunt, quanto vicinius ad ejus similitudinem accedunt. Non ergo propter opera Sapientiam, sed propter Sapientiam opera sua diligit Deus. In illa enim omne pulchrum et verum; et ipsa tota est desiderium; lux invisibilis et vita immortalis, cujus aspectus est tam desiderabilis, ut oculos Dei delectare possit; simplex et perfecta, non redundans et plena, sola non tamen solitaria, una et continens omnia. » (Ibid,, lib. 7, cap. 22, p. 832).

In eodem opere et libro, cap. 16, ostenditur: « Quod inter tria invisibilia Dei *(nempe Potentiam, Sapientiam et Bonitatem)* Sapientia sit prima investiganda. » Etenim « illud invisibile prius in contemplatione comprehenditur, quod in suo visibili simulacro, expressius et manifestius declaratur. Simulacra autem invisibilium ipsa visibilia dicuntur, utpote invisibilis Potentiæ simulacrum est creaturarum immensitas; invisibilis Sapientiæ simulacrum est creaturarum decor; invisibilis Benignitatis simulacrum est creaturarum utilitas. Omnis autem creatura quanto vicinius similitudini Creatoris appropinquat, tanto evidentius Creatorem suum declarat. Illud ergo visibile simulacrum invisibile Exemplar prius ostendere debet, quod divinæ similitudinis imaginem perfectius in se expressam retinet... Decor vero creaturarum magis pertinet ad formam... Quod formatum est, magis Deo simile est, quam id quod formam non habet. Unde constat quod plus evidens est decor creaturarum... Simulacrum ergo decoris... propterea in cognitione prius est, quia in manifestatione est evidentius. In hoc igitur simulacro primum vestigium contemplationis ponere debemus, ut dum primum inquisitionis ingressum recte tenuerimus, Ipso quem quærimus duce, pede inoffenso ad reliqua procedamus. Pulchra autem in inquirenda Sapientia, ab ipso Sapientiæ simulacro, inquisitionis exordium sumitur, quia per Sapientiam suam Pater manifestatur, non solum quando Sapientiam suam in carnem misit, sed tunc quoque quando per Sapientiam suam mundum creavit. » (P. 823).

II.

Deus in Sapientia sua, seu in Verbo, concepit mundi Exemplar.

684. — *Ex opere de Sacram. Christ. fid., lib. 1, part. 2, cap. 15:* « Quomodo omnia in Deo ab æterno erant, priusquam in semetipsis subsisterent, et eorum illic non præscientia sed scientia erat. » (T. 176, p. 212).

Sapientia divina non est aliud quam Essentia seu natura Dei, inquantum ab ipso intelligitur tanquam varie imitabilis et imitanda. « Primo modo, per hoc nomen *(scilicet naturæ)* significare voluerunt illud archetypum Exemplar rerum omnium, quod in Mente divina est, cujus ratione omnia formata sunt, et dicebant naturam esse uniuscujusque rei primordialem causam suam, a qua non solum esse, sed etiam tale esse habeat. » (Erudit. didasc., lib. 1, cap. 11. Ibidem, p. 748).

« Dicit Evangelista: *Quod factum est in Ipso vita erat.* Id est Deus, a quo omnia, quod ab æterno providit immutabiliter, tempore complevit: Deus enim per Sapientiam, quæ ipse est, omnia ab æterno disposuit, et disposita tempore complevit. Unde et a Sapientia Dei, omnia et vitam et esse habent. Unde et bene ibi vita esse dicuntur, quia inde vitam contrahunt. — Vel ibi vita fuit, quia juxta Sapientiam Dei, quæ vita omnium est, factum est omne quod factum est. Hoc enim Exemplar Dei fuit, ad cujus Exemplaris similitudinem totus mundus factus est, et hic est ille archetypus mundus, ad cujus similitudinem mundus iste sensibilis factus est. Neque enim dicendum est, quasdam rationes in Mente divina esse infra Creatorem, et supra creaturas consistentes. Nihil enim in Deo est, quod Deus non sit. Neque varietas proprietatum ibi potest esse, ubi nihil nisi Esse est. Etenim Deo idem esse et vivere. Unde et simplex Essentia, et carens partibus et proprietatibus. » (Allegor. in Nov. Test., lib. 5, cap. 2, T. 175, p. 834).

Et opere de Sacram. Christ. fid., lib. 1, part. 3, cap. 20: *De Verbo extrinseco et intrinseco.* « Sicut sapientia hominis non videtur nisi ab ipso homine, donec exeat et manifestetur per verbum, ita Sapientia Dei invisibilis fuit, et non

potuit cognosci, nisi ab ipso solo cujus erat, donec manifestata est per opus suum. Et erat ipse Sapientia Verbum. Sed quasi Verbum intrinsecum et absconditum, quod omnino sciri non posset nisi per Verbum extrinsecum manifestaretur; quemadmodum cogitatio hominis quasi intrinsecum verbum illius est, quod latet et absconditum est, donec reveletur per prolationem oris; et est ipsa prolatio vocis verbum, similiter ut verbum est cogitatio cordis. Sed verbum quod manifestum est, prodit et revelat verbum quod occultum est. Sic et in Deo, Verbum intrinsecum et occultum et invisibile, Verbum fuit cordis ejus; et Sapientia erat hoc Verbum et invisibile, donec manifestatum est per Verbum extrinsecum, quod visibile factum est, quod erat opus ejus. Sicut per verbum oris manifestatum est verbum cordis; sic loquitur omnis natura ad Auctorem suum, et indicat quod factum est Opificem intelligendi sensum habentibus.» (P. 225).

III.

De variis Sapientiæ divinæ nominibus.

685. Ibid., part. 2. *Cap. 9.* « Quod Sapientia Dei, cum et una sit in se, secundum nos diversa nomina sortitur. » — « Divina autem Sapientia et scientia vocatur, et præscientia, et dispositio, et prædestinatio, et providentia. Scientia existentium, præscientia futurorum, dispositio faciendorum, prædestinatio salvandorum, providentia subjectorum. Et totum hoc una erat Sapientia, et una dispositio, et ipsa æterna erat; et cum ipsa coæterna Voluntas erat, et secundum Voluntatem ipsa dispositio erat, et tamen Voluntate posterior non erat. » (P. 210).

Cap. 14. « De Scientia et præscentia Dei, et quod ex ea in rebus necessitas provenire videtur. » (Item, cap. 15-18).

Cap. 19. « De Providentia Dei, et quod duplex est Providentia Dei, in suis et in alienis. »

Cap. 20. « De dispositione divina. »

Cap. 21. « De prædestinatione divina. »

Item de præscientia et prædestinatione agetur in Summa Sentent., tract. 1, cap. 12, p. 61.

IV.

De divini Artificis Voluntate.

686. — Ibid., *cap. 5.* « Quod divinæ Voluntati et Bonitas adfuit et Potestas. »

Cap. 10. « Quod Voluntas Dei æterna fuit de opere temporali. » — *In parte 4* ejusdem operis præclare disserit Hugo de divina Voluntate, et de bono, quod est illius objectum.

Docet Dei Voluntatem esse primam Causam omnium rerum (p. 245). « Quidquid enim in tempore apparuit, ante tempora in æternitate dispositum fuit, et ipsa dispositio æterna, coæternam habuit Causam omnium rerum Voluntatem Creatoris, qua factum est ut fieret quidquid factum est, et ipsa facta non est. » (P. 210). — In ea distinguit beneplacitum, permissionem, operationem seu factionem, præceptionem, et prohibitionem. Deus bonum amat, sive approbat voluntate beneplaciti, seu complacentiæ, illudque facit, ac præcipit. Malum odit, prohibet, sed tamen permittit, et hæc mali permissio bona est, quia malum, quod semper particulare est, infallibiliter a Deo dirigitur ad bonum universale.

Item de divina Voluntate quæstio est in Summa Sentent., tract. 1, cap. 13, T. 176, p. 64).

V.

De divini Artificis Omnipotentia et de Optimismo.

687. — 1°) In Summa Sentent. tract. 1, cap. 14, loquitur Hugo de Omnipotentia Dei in hoc consistente, quod Deus facere potest quæcumque vult; sed non vult, nec facit, quæcumque facere potest.

Verumtamen Dei Potestas non major est ejus Voluntate. Hoc probat *in libello de Potestate et Voluntate Dei, utra major sit. (T. 175, p. 839).*

Agitur quoque de divina Potentia in opere *De Sacram. Christ. fid., lib. 1, part. 2, cap. 22.* « De Potestate Dei, et quod Potestas dupliciter consideratur in Deo esse, et utroque modo Deum omnipotentem esse. »

«...Potestas duplex est: altera ad aliquid faciendum, altera ad nihil patiendum. Secundum utramque Deus omnipotens verissime affirmatur. Quia nec aliquid est, quod ei ad patiendum corruptionem possit inferre, nec aliquid quod ad faciendum, impedimentum afferre. Omnia quippe facere potest, præter id solum, quod sine ejus læsione fieri non potest; in quo tamen non minus omnipotens est, quia, si id posset, omnipotens non esset... (P. 214).

2°) In eodem Capite subtiliter exponitur Optimismus, et subtilius refutatur. Ostendit Deum licet optimum et omnipotentissimum, non facere opificia optima absolute, quod impossibile est, quum Ipse solus sit optimus absolute, utpote infinitus; sed facere opificia bona, et quæ ipso cooperante meliora fieri possunt, juxta mensuram, numerum et pondus a seipso prædeterminata. Si Dei opificia optima, seu plene perfecta essent, perfectibilia non forent, et Deus illa perfectiora facere non posset; quod ex utraque parte fal-

sum est, quia non minus creaturarum naturæ, quam divinæ Omnipotentiæ repugnat. « Ipse melior esse non potest. Sed quod fecit omne, melius esse potest, si tamen ipse voluerit qui potest. Sed quod melius facere potest, non tamen corrigens malefactum, sed benefactum promoveat in melius; non ut ipse, quantum ad se melius faciat, sed ut quod fecit ipse, identidem operante vel in eodem perseverante, melius fiat. » (P. 216).

In Summa Sentent., tract. 1, cap. 13. De eodem argumento sic loquitur: « Quærendum est qualiter intelligant rem non posse esse meliorem. Sive ideo non potest esse melior, quia summe bona est; quod si esset, creatura suo Creatori æquaretur. Sive ideo non potest esse melior, quia majus bonum, quod ei deest, ipsa capere non potest; quod si ita est, potest esse melior, si fiat capax majoris boni, quod ipse qui fecit, potest. Illa tamem locutio est ambigua: *Deus potest melius facere.* Si enim ita opponatur: *potest melius*, id est majori sapientia aliquid facere, falsa est, quia non potest augeri sapientia ejus. Sed hoc modo vera est: *potest melius*, id est rem meliorem facere. » (T. 176, p. 70).

§ III.

De trina divini Artificis operatione ad extra.

Trina sunt attributa Dei operativa, et trinum est ejus opificium.

I.

Divinus Artifex omnia ad extra operatur per Potentiam, Sapientiam et Bonitatem.

688. — 1°) Hugo Victorinus tria opificiorum genera distinguit: « Sunt etenim triplicia opera: id est, opus Dei, opus naturæ, opus artificis imitantis naturam. — Opus Dei est, quod non erat creare; unde illud: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (Gen. 1). — Opus naturæ, quod latuit *(in potentia materiæ)* ad actum producere; unde illud: *Producat terra herbam virentem* (Ibid.). — Opus artificis est disgregata conjungere, vel conjuncta segregare; unde illud: *Consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata* (Gen. 3). (Erudit. didasc., lib. 1, cap. 10, T. 176, p. 747).

2°) Atqui, ipsa naturæ et artis opera, sunt opera Dei principaliter operantis, quum et naturæ et artifici tribuat potentiam et actum operandi. Ergo Deus est supremus omnium rerum Artifex. *Omnia per ipsum facta sunt.* — « Sunt autem tria genera operum, quæ omnia per ipsum fiunt. Sunt enim quædam quæ de nihilo creavit Deus, ut elementa quatuor, non ex materia præjacenti et forma, ut fingunt Platonici, juxta quæ proprie *Creator* dicitur. Creari enim proprie illa dicuntur, quæ de nihilo fiunt. — Sunt autem alia, quæ ipse per se, item ex materia et forma composuit, ut in principio homines, et cætera quæ de terra formata sunt animalia. Unde dictum est in Genesi: Producant aquæ pisces et volatilia, et terræ arbores et hujusmodi. Neque enim tunc aliqua natura fuit, ex qua hujusmodi formari possent; sed tunc Deus naturam inseruit, ut similia ex similibus nascerentur. Juxta hæc opera Deus proprie *Formator* dicitur. Unde formavit Adam de limo terræ. — Tertia vero opera naturæ sunt, ut quod homo ex homine, canis ex cane, arbor ex arbore, quæ tamen Deus facit mediante natura. »

« Sunt etiam opera *miraculorum*, de quibus alias dicetur. Sunt item opera *artificis* imitantis naturam: quæ omnia fiunt per Filium Dei. Facultatem enim hujusmodi faciendi contulit Deus. Unde et ipse Auctor omnium est. » (Allegor. in Nov. Test., lib. 5, T. 175, p. 832).

3°) Quomodo divinus Artifex per Potentiam, Sapientiam et Bonitatem operatur.

« Tria sunt invisibilia Dei: Potentia, Sapientia, Benignitas. Ab his tribus procedunt omnia, in his tribus consistunt omnia, et per hæc tria reguntur omnia. Potentia creat, Sapientia gubernat, Benignitas conservat. Quæ tamen tria, sicut in Deo ineffabiliter unum sunt, ita in operatione omnino separari non possunt. Potentia per Benignitatem sapienter creat. Sapientia per Potentiam benigne gubernat. Benignitas per Sapientiam potenter conservat. » (Erudit. didasc., lib. 7, cap. 1, T. 176, p. 811).

« Cum sint ergo tria in Deo: Sapientia, Potentia, Voluntas, primordiales causæ a Voluntate quidem divina quasi proficiscuntur, per Sapientiam diriguntur, per Potentiam producuntur. Voluntas enim movet, Sapientia disponit, Potentia explicat. Hæc sunt æterna fundamenta causarum omnium et Principium primum, quæ ineffabilia et incomprehensibilia sunt omni creaturæ. Sicut enim æternitatem Dei non æquat tempus, nec immensitatem locus; sic nec Sapientiam ejus sensus, nec Bonitatem virtus, nec Potentiam opus. » (De Sacram. Christ. fid., lib. 1, part. 2, cap. 22. Ibid., p. 216).

II.

Tota divini Artificis operatio ad extra reduci potest ad mundi Creationem, Redemptionem et Glorificationem.

689. — 1°) De duobus primis Dei operibus, scilicet de mundi *Conditione* et *Restauratione*,

sæpe loquitur Hugo. « Duo enim sunt opera, in quibus universa continentur quæ facta sunt: primum est opus *conditionis*, secundum est opus *restaurationis*. Opus conditionis est quo factum est, ut essent quæ non erant; opus restaurationis est Incarnatio Verbi cum omnibus sacramentis suis; sive iis quæ præcesserunt ab initio sæculi, sive iis quæ subsequentur usque ad finem mundi. Verbum enim incarnatum Rex noster est, qui in hunc mundum venit cum diabolo pugnaturus, et omnes Sancti qui ante ejus adventum fuerunt, quasi milites sunt ante faciem Regis præcedentes; et qui postea venerunt, et venient usque ad finem mundi, milites sunt Regem suum subsequentes. Et ipse Rex medius est in exercitu suo, hinc inde vallatus incedens et stipatus agminibus suis... Mundanæ sive sæculares scripturæ materiam habent opera *conditionis*. Divina Scriptura materiam habet opera *restaurationis*. Propterea tanto excelsior omnibus scripturis jure creditur, quanto dignior est et sublimior materia in qua ejus consideratio tractatioque versatur. Nam opera restaurationis multo digniora sunt operibus conditionis; quia illa ad servitutem facta sunt, ut stanti homini subessent; hæc ad salutem, ut lapsum erigerent. Propterea illa quasi modicum aliquid sex diebus perfecta sunt; hæc vero nonnisi ætatibus sex compleri possunt. Tamen sex contra sex e diversis ponuntur, ut idem *Reparator* qui *Creator* demonstretur » (De Sacram. Christ. fid. prolog., p. 183. — Item, De Vanit. mundi, lib. 2, T. 176, p. 716).

« Sapientia liber erat scriptus intus, opus Sapientiæ *(scilicet opus conditionis mundi)* liber erat scriptus foris. Voluit autem postea adhuc aliter scribi foris Sapientia, ut manifestius videretur et perfectius cognosceretur, ut oculus hominis illuminaretur ad scripturam secundam, quoniam caligaverat ad primam. Fecit ergo secundum opus post primum, et illud evidentius erat, quoniam non solum demonstravit, sed illuminavit. Assumpsit carnem non amittens divinitatem, et positus est liber scriptus intus et foris; in humanitate foris, intus in divinitate; ut foris legeretur per imitationem, intus per contemplationem... Intus: *In principio erat Verbum* (Joan. 1); foris: *Et Verbum caro factum est. (Ibid.)* Liber ergo unus erat semel intus scriptus, et bis foris. Foris primo per visibilem conditionem, secundo foris per carnis assumptionem » (De Sacram. Christ. fid., lib. 1, pars 6, cap. 5, p. 266).

690. — 2°) De tertio Dei opere, scilicet de mundi *Glorificatione*, quæ est Conditionis et Reparationis consummatio, loquitur Hugo Victorinus in locis sequentibus, ubi totum divinæ operationis ordinem describit.

« Hoc igitur ordine Scriptura sacra primum creationem mundi describit, qui propter hominem factus est; deinde commemorat qualiter homo factus, in via justitiæ et disciplinæ dispositus est; postea qualiter homo lapsus est; novissime quemadmodum est reparatus. — Primum ergo describit materiam in eo quod factus est et dispositus; deinde miseriam in culpa et pœna; deinde reparationem et misericordiam in cognitione veritatis et amore virtutis; demum patriam et gaudium beatitudinis. » (De Sacram. Christ. fid. Prolog., p. 184).

« Multis ordinibus consurgit fabrica, et quisquis suam basim habet, et multa sacramenta *(seu mysteria)* in divina pagina continentur, quæ singula sua habent principia. Vis scire qui sunt ordines isti? Primus Ordo est sacramentum Trinitatis, quia et hoc Scriptura continet, quod ante omnem creaturam trinus et unus fuerit Deus. — Hic de nihilo omnem fecit creaturam, visibilem scilicet et invisibilem: ecce secundus ordo. — Rationali creaturæ liberum dedit arbitrium, et gratiam præparavit, ut mereri posset æternam beatitudinem. — Deinde sponte labentes punivit, et persistentes, ut amplius labi non possint, confirmavit. — Quæ origo peccati, et quid sit peccatum, et quid sit pœna peccati; ecce tertius ordo: — Quæ sacramenta primum sub naturali lege, ad reparationem humani generis instituerit: ecce quartus ordo. — Quæ scripta sub lege: ecce quintus ordo. — Sacramentum Incarnationis Verbi: ecce sextus ordo. — Sacramenta Novi Testamenti: ecce septimus ordo. — Ipsius denique resurrectionis: ecce octavus ordo. — Hæc est tota divinitas, hæc est illa spiritualis fabrica, quæ quot continet sacramenta, tot quasi ordinibus in altum extollitur. » (Erudit. Didasc., lib. 6, cap. 4, p. 803).

§ IV.

De omnibus divini Artificis opificiis tripliciter juxta ipsum ordinatis.

Omnes creaturæ 1°) trinam Causam suam repræsentant; 2°) trine inter se ordinantur; et 3°) in ordine universali subordinantur supremæ Causæ unitrinæ.

I.

Omnes effectus creati Causam creantem repræsentant, nempe Dei Potentiam, Sapientiam et Bonitatem.

691. — « Verbum bonum et vita sapiens, quæ mundum fecit, contemplato mundo conspicitur. Et Verbum ipsum videri non potuit, et fecit

quod videri potuit, et visum est per id quod fecit. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* (Rom. 1). Tria sunt invisibilia Dei: Potentia, Sapientia, Benignitas. Ab his tribus procedunt omnia, in his tribus consistunt omnia, et per hæc tria reguntur omnia... Potentiam manifestat creaturarum immensitas, Sapientiam decor, Benignitatem utilitas. »

« *Immensitas* creaturarum in multitudine et magnitudine. — Multitudo in similibus, in diversis, in permixtis. — Magnitudo in mole et spatio. Moles in massa et pondere. Spatium est in longo et lato, et profundo et alto. »

« *Decor* creaturarum est in situ, et motu, et specie, et qualitate. — *Situs* est in compositione et ordine. — Ordo est in loco et tempore et proprietate. — *Motus* est quadripartitus: localis, naturalis, animalis, rationalis. — Localis est ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum, sursum et deorsum, et circum. Naturalis est in cremento et decremento. Animalis est in sensibus et appetitibus. Rationalis est in factis et consiliis. — *Species* est forma visibilis, quæ oculo descernitur, sicut colores et figuræ corporum. — *Qualitas* est proprietas interior, quæ cæteris sensibus percipitur, ut melos in sono, auditu aurium; dulcor in sapore, gustu faucium; fragrantia in odore, olfactu narium; lenitas in corpore, tactu manuum. »

« *Utilitas* creaturarum constat in grato, et apto, et commodo, et necessario. — Gratum est quod placet, aptum quod convenit, commodum quod prodest, necessarium sine quo quid esse non potest. »

« Nunc propositas partitiones a principio repetamus, et in unoquoque divisionis genere qualiter, vel ex universitate creaturarum, Creatoris manifestetur Potentia, vel ex decore Sapientia, vel ex utilitate Benignitas, perquiramus. » (Erud. Didasc., lib. 7, cap. 1, T. 176, p. 811 etc.).

Conf. quoq. opus *de Sacram. Christ. fid., lib. 1, part. 3, cap. 28.* « Quod vestigium Trinitatis *(scilicet potentiæ, sapientiæ, et benignitatis divinæ)* non solum in rationali creatura, sed etiam in corporea reperitur. » — *Cap. 29.* « Quod in his tribus omnia. »

Igitur ex mundi universi spectaculo divinam Potentiam, Sapientiam et Bonitatem repræsentantis, hæc trinitas attributorum in uno ac supremo Artifice cognosci potest, sed nullatenus cognosci potest Trinitas personarum, ut perperam docet Victorinus noster in sequenti loco Allegoriarum in novum Testamentum, si tamen opus illud illi attribuendum est, quod plures negant. « *Invisibilia enim ipsius etc.* (Rom. 1). *Tenebræ vero eum non comprehenderunt.* (Joan. 1). Quomodo dicitur, quod eum non comprehenderunt, cum hoc dicat Apostolus, quod jam posuimus. » — Et iterum: *Quod notum est Dei manifestum est in illis.* Quia philosophi Trinitatem personarum et unitatem Essentiæ comprehenderunt. Et tamen bene dicitur quod lucem illam non comprehenderunt, quia intus per amorem non incluserunt. Comprehenderunt eam igitur per cognitionem, sed non comprehenderunt per dilectionem. » (Lib. 5, T. 175, p. 835). — Divina Potentia, Sapientia et Benignitas, quæ in omnibus effectibus creatis repræsentantur, nullo modo Trinitatem personarum demonstrant, quia hæc tria attributa uni competunt Essentiæ divinæ, et non sunt tribus personis propria, sed tantum appropriata personis per fidem cognitis.

Abælardus, Hugonis coævus, similiter ac falso asseruit paganos philosophos speculative cognovisse divinarum personarum Trinitatem.

II.

De trino creaturarum omnium ordine.

692. — Hugo *extra res creatas,* distinguit exemplarem earum ordinem, ab æterno præconceptum in Mente et Voluntate divini Artificis. Deinde *in ipsis rebus creatis* atque juxta hunc ordinem exemplatis, distinguit triplicem ordinem inæqualem, nempe creaturas mere invisibiles, creaturas mere visibiles, et hominem simul visibilem ac invisibilem. Primæ sunt superiores, ultimæ sunt inferiores, homo medium tenent locum inter utrasque.

« Sic igitur constat rerum ordo, ut post prima posteriora sequantur. Prima omnium rerum est Voluntas Creatoris, quoniam ex ipsa sunt omnia... Quæ in Voluntate Dei æterna et invisibilia sunt, prima omnium sunt. Quæ ex Voluntate Dei temporalia et invisibilia sunt, secunda sunt post prima. Quæ temporalia et visibilia, tertia post secunda. — Ponuntur ergo primo loco causæ primordiales, et invisibiles, et increatæ creandorum omnium, in Mente divina; secundo loco, angelica creatura, invisibilis quidem, sed creata; tertio loco, humana, visibilis et creata; secundum aliquid invisibilis, et secundum aliquid visibilis. Quarto loco creatura corporea, in toto visibilis et in toto temporalis. — Post primas ergo causas *(seu potius Causam)* increatas et invisibiles exibit consideratio, et procedet ad angelicam naturam rationalem et invisibilem. Deinde ad humanam visibilem et rationalem, de qua propositum primum *(nobis)* fuit ut consummetur *(perficiatur).* Nam de visibilibus quidem, quæ postrema sunt, idcirco primam propositionem fecimus, ut de his quæ patent, ad

latentium cognitionem, humanam mentem commodius duceremus... » (De Sacram. Christ. fed., lib. 1, part. 4, cap. 26, p. 246).

III.

De causarum et effectuum ordinatione ad primam Causam, et connexione in mundo.

693. — « Rerum omnium ordo dispositioque, a summo usque ad imum in universitatis hujus compage, ita sese causis quibusdam, rationisque genituris prosequitur, ut omnium quæ sunt, nihil inconnexum, aut separabile natura externumque inveniatur. Quæcumque enim sunt rerum omnium, aut causæ inveniuntur subsequentium effectuum esse, aut effectus præcedentium causarum. Et rerum quidem aliæ causæ tantum sunt, non etiam effectus, sicut prima omnium Causa *(ratione Incarnationis Verbi)*. Aliæ effectus tantum, non etiam causæ, sicut ultima et postrema universorum. Aliæ autem et causæ sunt ad posteriora quæ generant, et ad priora a quibus generantur effectus. Et sicut his quæ ultima sunt, et effectus tantum priorum, nihil posterius cernitur, sic quidem iis, quæ prima sunt, et causæ tantum subsequentium, nihil prius invenitur. De mediis autem quæcumque priora sunt, magis causæ nominantur, et minus effectus; quæcumque vero posteriora sunt, magis sunt effectus, et minus causæ, et prima causalissima. Et quæ prima sunt post prima, primi sunt effectus; et quæ ultima sunt ante ultima, causæ ultimæ. Et ultima generata, et prima, generantia. Primæ autem causæ, aliæ creatæ sunt, et quæ sunt in suo genere primæ; aliæ increatæ et quæ universaliter primæ sunt *(scilicet Dei Potentia, Sapientia et Bonitas, quæ peoprie non sunt tres causæ supremæ, sed una et trina omnium Causa)*... His vero Causis quæ universaliter primæ sunt, nihil prius est, quoniam ipsæ primæ sunt omnium, nec habent alias causas ipsæ priores, quoniam omnium Causæ ipsæ sunt. »

« Hæc autem sine motu efficiunt, et generant sine traductione, quoniam æternitas nec in suo statu deseruit tempora ordinans, neque ex suo substantiam ministravit corruptilia creans; sed maneus quod erat, fecit quod non erat, in se continens potestatem faciendi, non sumens ex se materiam facti. Neque enim degeneravit inferiora condens, ut natura *(divina)* in ipsa descenderet, quibus dedit initium; quoniam et hoc ipsum omnipotentiæ ejus natura continebat, sine natura naturam creare, qua initium sumerent quæ non erant; quoniam opus et Factor naturâ idem esse non poterunt. Sicut ergo in faciendis se non minuit æternitas, sic in factis se non auxit immensitas. Sed ante facta, sine defectu plena consistit; et post facta, sine motu indeficiens permansit. Nihil novum assumens, nihil antiquum amittens, totum dans, et nihil abjiciens. Hæc prima Causa omnium rerum, secundum se et propter se operata est opus suum; secundum se, quoniam extrinsecus operis sui formam *(exemplarem)* non accepit; propter se, quoniam aliunde causam operandi non habuit. Fecit enim ad similitudinem suam quod disponebat ad participationem sui, ut ex ipsa eamdem formam traheret, quod cum ipsa idem bonum possidere debuisset. » (De Sacram. Christ. fid., lib. 1, part. 2, cap. 2 et 3, p. 206-207).

§ V.

De angelis in specie, ad imaginem Dei unitrini formatis et ordinatis.

1°) Angeli sunt imagines divinæ Trinitatis similiores naturaliter, et 2°) in trina hierarchia ordinantur.

I.

De angelorum creatione et natura Deo similiore.

694. — Primi creati sunt angeli, non tempore, sed dignitate, quia sunt puri spiritus et perfectiores Dei imagines.

« Dicimus quod creatura rationalis prior facta est, et post eam facta est corporea creatura, non tamen *tempore*, sed causa solum, et respectu et *dignitate*... Sola quippe rationalis creatura ad similitudinem Dei facta legitur; et non dicitur quod creatura aliqua, præter solam rationalem, ad similitudinem Dei facta sit, licet omnis creatura, in Ratione divina et in Providentia æterna ipsius, causam et similitudinem habuerit, ex qua et secundum quam perfecta sit in sua subsistentia... Rationali creaturæ non unum aliquid, aut hoc, aut illud in Ratione divina pro exemplari sufficere potuit, ad cujus similitudinem formaretur, sed quasi totum assumpsit Deus, ut ejus ipsius imago fieret; et expressa est ad totum æmulans perfectionem. Ut sicut Deus Spiritus erat, et unus erat, et in ipso totum erat secundum Rationem, et Providentiam et Præscientiam et Causam, sic ipse spiritualis esset capax in uno præscientiæ, et providentiæ, et rationis et providentiæ omnium... » (Ibid., lib. 1, part. 5, cap. 2 et 4).

Quod similitudo Dei in rationali creatura perfectior est quam foris. (Ibid., part. 2, cap. 13 et part. 3, cap. 21).

De angelorum formatione. (Ibid., cap. 5-7).

De angelorum potestate, sapientia et bonitate. Hugo in angelis distinguit triplicem potestatem ad operandum: potestatem virtutis ad seipsos, potestatem dominationis ad invicem inter se, potestatem administrationis ad ea quæ conditione ordinata fuerunt sub se. — Distinguit quoque triplicem cognitionem quo agnoscunt quod facti sunt, de quo facti sunt, et cum quo facti sunt. (Ibid., cap. 13-18).

De libero angelorum arbitrio. (Ibid., cap. 20-22).

II.

De trina angelorum hierarchia inter SS. Trinitatem et humanam hierarchiam ordinata.

695. — In sequenti loco docet Hugo post S. Dionysium Areopagitam, divinam Trinitatem esse supremum hierarchiæ angelicæ et humanæ Exemplar.

« Tres sunt hierarchiæ in quorum descriptione theologus et narrator hierarchiarum et potestatum sacrarum, quæ in cœlo et in terris sunt, Dionysius, opus consummatum explicuit. — *Prima* principalis omnium, et Forma, et Exemplar reliquarum, summa et ineffabilis potestas est Trinitas, simplex, et una, et uniformis, sine gradu et differentia et comparatione; summa, et æterna, et perfecta, et vera; in omnia opera sua condenda et regenda propria virtute omnipotens, nihil externum suscipiens, nihil suum amittens. — *Secunda* hierarchia in angelica natura formata est adoptione, et participatione, et dignatione, a prima, et sub prima, et ad primam secunda, similitudine sublimis, gradum habens, et differentiam suscipiens, et comparationem admittens; post summam Trinitatem secunda æmulatione, trina divisione distincta. — *Tertia* et ultima hierarchia in humana natura ordinata est, secundam primo, et primam secundo loco imitans, et imaginem summam et superexcellentem similitudinem, per mediam participantia suscipiens, et referens per idipsum, ut ab uno totum sit, et ad unum totam, et totum unum. »

« Theologia autem angelicam hierarchiam primam suscepit, quasi exemplar humanæ hierarchiæ, ad cujus similitudinem ea quæ in hominibus est, et hierarchia omnis facta est et formata, explicandam. — Et post eam quæ secundum ejus similitudinem constat, humanam. — Tertio loco summam, et ineffabilem, et superexcelsam constituens hierarchiam *(seu potius Thearchiam, ut dicit Dionysius, nam in Deo nulla est hierarchia)*, ut ex præcedentium illuminatione humanis mentibus propinquiore, quæ valde intelligibilis est et obscura, clarescat. » (In Cœlest. hierarch., lib. 1, cap. 3, T. 175, p. 929).

§ VI.

De homine ad Dei unitrini imaginem formato, et majorem mundum in se continente.

Duo hi tituli naturalis nobilitatis hominis optime ab Hugone Victorino explicantur et probantur.

I.

De homine ad Dei unitrini imaginem formato.

696. — Cum multa ex aliis auctoribus de hac materia jam transcripsimus, satis erit indicare locos in quibus Hugo illam tractavit.

De Sacram. Christ. fid., lib. 1, part. 6, cap. 1. « Quare Deus hominem ex anima et corpore fecit. »

Cap. 2. « Qualiter homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est. »

Item in Gen., cap. 7, T. 175, p. 87; et Erudit. didasc., lib. 7, cap. 21. « Ex anima rationali divinam ostendi posse Trinitatem. »

Item *de Sacram., etc., lib. 1, part. 8, Cap. 28.* « Erat enim potentia intus, et sapientia, et amor. Et tria hæc imago erant Potentiæ Creatoris, et Sapientiæ et Amoris, quia hîc erant *(in anima humana)*, et ibi erant *(in Deo)*. Sed hîc in imagine erant, ibi in veritate. »

II.

De homine majorem mundum in se continente.

697. — 1°) HOMO EST MINOR MUNDUS IN ORDINE PHYSICO.

Quia est quodammodo omnia, scilicet per analogiam corporis ejus et animæ cum mundo universo. *Ex Opusculo de medicina animæ, cap. 1*, cui titulus est: « De homine, qui microcosmos, idest, minor mundus appellatur. » — « Homo, microcosmos, idest, minor mundus appellari ab antiquis solet, quia per similitudinem, majoris mundi figuram tenet. Potest autem assignari magna convenientia in compositione corporis humani et constitutione mundi. Unde cœlum capiti, aer pectori, mare ventri, terra extremæ corporis parti assimilatur... »

Cap. 2. « De quatuor elementis mundi. De quatuor humoribus corporis humani, et de quatuor anni temporibus ad animum, vel animam applicatis. » (T. 176, p. 1183 et 1184).

Ex *Eruditione didasc.*, lib. 7, cap. 2; ibidem, p. 741. « ... Probata apud Philosophos sententia animam ex cunctis naturæ partibus asserit esse compactam. » — Et Timæus Platonicus: « Ex di-

vidua et individua mixtaque substantia; itemque eadem et diversa, et ex utroque commixta natura, quo universitas resignatur, ἐντελέχειαν *(totum perfectum)* formavit. » — Hoc intelligendum est inquantum humana anima, ratione potentiarum suarum, est simul vegetativa, sensitiva et intellectiva.

2°) HOMO EST MINOR MUNDUS IN ORDINE INTELLECTUALI, quia omnia intellectu comprehendere seu cognoscere potest. « Ipsa *(anima)* namque et capit: quia et invisibiles, per intelligentiam, rerum causas comprehendit, et visibiles actualium formas per sensuum passiones colligit; sectaque in orbes geminos motum glomerat, quia sive per sensus ad sensibilia exeat, sive per intelligentiam ad invisibilia ascendat, ad seipsam rerum similitudines trahens regyrat *(circulariter redit)*; et hoc est quod eadem mens, qua universorum capax est, ex omni substantia atque natura, quo similitudinis repræsentet figuram, coaptatur. Pythagoricum namque dogma erat: similia similibus comprehendi, ut scilicet anima rationalis, nisi ex omnibus composita foret, nullatenus omnia comprehendere possit... Neque enim hæc rerum omnium similitudo aliunde, aut extrinsecus animæ advenire credenda est, sed ipsa potius eam in se et ex se, nativa quadam potentia et propria virtute capit... Sic nimirum mens rerum omnium similitudine insignita, omnia esse dicitur, atque ex omnibus compositionem suscipere, non integraliter, sed virtualiter atque potentialiter continere. » (Erudit. didasc., lib. 1, cap. 2).

3°) HOMO EST MINOR MUNDUS IN ORDINE MORALI, quia omnia concupiscientia et voluntate appetere potest, et his objectis conformari quæ voluntarie appetit. « Duos mundos esse intelligamus, visibilem et invisibilem. Visibilem quidem hanc machinam universitatis, quam corporeis oculis cernimus; invisibilem vero cor hominis, quod videre non possumus. Et sicut in diebus Noë aquæ diluvii universam terram operuerunt, sola autem arca aquis superferebatur, et non solum mergi non poterat, verum etiam quando amplius aquæ intumescebant, tanto amplius in sublime elevabatur: ita et nunc intelligamus in corde hominis concupiscentiam hujus mundi esse, quasi quasdam aquas diluvii; arcam vero, quæ desuper ferebatur fidem Christi, quæ transitoriam delectationem calcat, et ad ea quæ sursum sunt, æterna bona anhelat. Impossibile est ut illud *(fomes peccati, incentivum vitiorum)* non sentiatis, sed non necesse est ut illi consentiatis. Igitur omnis homo quoddam intus in corde suo diluvium concupiscentiæ patitur, a quo nullus nisi per arcam fidei liberatur. » (De Arca Noë morali, lib. 4, cap. 7, T. 176, p. 672).

ARTICULUS VI.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN S. BERNARDO. (*Patr. lat.*, T. 182 et 183).

Referemus quid doceat: 1°) de unitrinæ Dei Formæ simplicitate et causalitate; 2°) de homine, inquantum est divinæ Trinitatis imago; 3°) de homine reformato per Verbum incarnatum.

§ I.

De unitrinæ Dei Formæ simplicitate et causalitate.

1°) Deus unitrinus est Forma simplicissima. 2°) Est suprema et trina omnium rerum Causa. 3°) Trine omnia facit ac disponit. 4°) Omnia ad extra operatur, seu causat, per Sapientiam et Amorem.

I.

Divina Trinitas est simplicissima Forma non formata.

698. — 1°) « Non est in Deo, nisi Deus. Quid? inquiunt: negas Deus habere divinitatem? Non, sed quod habet, hoc est. Negas divinitate Deum esse? Non, sed non alia, quam quæ ipse Est. Aut si tu aliam invenisti, adjuvet me Trinitas Deus, adversus illam tota me contumacia erigo. Quaternitas orbem determinat, non signat Deitatem. Deus Trinitas est, Deus trium singula *(individua)* personarum... »

« Meus Deus ipse catholice Est *(nempe universaliter et absolute Est)*. Tam non habet hoc et illud, quam non hæc et illa. Est qui Est, non quæ Est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quod factum est, sed neque formæ *(unicæ substat)*, ut istis *(hæreticis)* visum est. Magna laus videlicet Deo, ut se ab informitate vindicet, Forma una esse contentum... »

« Ipse sibi Forma, ipse sibi Essentia est. Non est formatus Deus: Forma est. Non est affectus: affectio est. Non est compositus: mere simplex est. Et ut liquido noveris quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus, quam unus est. Est autem unus, et quomodo aliud nihil. Si dici possit unissimus est... Idem est

semper et uno modo... Nihil in se, nisi se habet... Hinc de eo Boetius: *Hoc vere unum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod Est. Neque enim subjectum fieri potest: Forma enim est.* Compara huic Uni omne quod unum dici potest, et unum non erit. »

« Trinitas est tamen Deus. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de unitate, quia inducimus Trinitatem? Non, sed statuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum sanctum; non tamen tres deos, sed unum. Quid sibi vult iste, ut sic loquar, absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unus, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, et quid non numerem. Substantia una est, personæ tres sunt. Quid mirum? Quid vel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsum a substantia cogitentur. » (De Consideratione, lib. 5, cap. 7, T. 182, p. 797. Vide quoq., cap. 8).

2°) Nulla forma *(rebus concreata)* est id cujus est forma... Sola summa et increata Natura, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vindicat naram singularemque suæ Essentiæ simplicitatem, ut non aliud et aliud, non alibi quoque et alibi, sed ne modo quidem et modo inveniatur in ea. Nempe in semet manens, quod habet Est, et quod Est, semper et uno modo Est. In ea et multa et unum, et diversa in idem rediguntur, ut nec de numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat. Loca omnia continet, et quæque suis ordinat locis nusquam contenta locorum. Tempora sub ea transeunt, non ei. Futura non exspectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur. » (Serm. 80 in Cantic., n.° 5, T. 183, p. 1169).

3°) « Facies est non formata, sed formans. » (In Cantic., Serm. 31, n.° 6, p. 943),

II.

Deus est supremum Principium sine principio, a quo, per quod et in quo sunt omnia.

699. — 1°) « Quid est Deus? Principium: et hoc ipse de se responsum dedit (Joan. 8, v. 25). Multa in rebus dicuntur principia, sed respectu posteriorum. Alioquin, si ad aliquid præcedens respicias, ipsum potius principium dabis. Quamobrem, si quæras verum simplexque Principium, invenias oportet quod principium non habuerit. Ex quo universum cœpit, ipsum profecto minime cœpit. Nam si cœpit, aliunde cœperit necesse est. A se enim cœpit nihil. Nisi forte quis putaverit, quod non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet; aut fuisse aliquid, antequam esset. Quod utrumque quia ratio non consentit, constat nihil sibimet extitisse principium. Quod vero aliud principium habuit, primum non fuit. Verum ergo Principium nequaquam cœpit, sed totum ab ipso cœpit. »

« Quid est Deus? Cui sæcula non accesserunt, nec decesserunt; nec coæterna tamen. Quid est Deus? *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia* (Rom. 11, v. 36). Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium auctorem atque alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. — Ex quo omnia, tamquam uno Principio, Auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium artifex. In quo omnia, ne tertium indicatur locus. — Ex quo omnia, non de quo, quia non est materia Deus; efficiens Causa est, non materialis. Frustra philosophi materiam quærunt, non eguit materia Deus. Non enim officinam quæsivit, non artificem. Ipse per se omnia fecit. Unde? De nihilo; nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Absit ut de sua incorrupta incorruptibilique substantia tam multa fecerit; etsi bona, corruptibilia tamen. — Quæris si in ipso omnia, ipse ubi?... Suo illo sublimi atque incomprehensibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Denique, sicut ait Evangelista: *In mundo erat* (Joan. 1, v. 10). Alius vero, ubi erat antequam mundus fieret, ubi est. Non est quod quæras ultra ubi erat, præter ipsum nihil erat. Ergo in se ipso erat. » (De Consider., lib. 5, cap. 6, n. 14).

2°) Deus omnia facit propter semetipsum et propter electos suos. « Nec latuit eos *(sapientiores)* quoniam omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos *(scilicet propter electos)*. Aliter tamen propter se, aliter propter suos. In eo quippe quod dicitur: *Omnia propter se* (Prov. 16, v. 14), prævenient commendatur origo. In eo autem quod dicitur: Omnia propter suos, magis exprimitur fructus sequens. — Omnia fecit propter semetipsum, gratuita videlicet Bonitate; omnia propter electos suos, pro eorum scilicet utilitate; ut illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Hi sunt spirituales viri, sic utentes hoc mundo, tanquam non utentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere vestigantes, quonam modo mundialis hæc machina volveretur. » (Serm. 3 in Pentec., n.° 4, T. 183, p. 331).

III.

Deus omnia fecit in mensura, numero et pondere, ad proprias perfectiones manifestandas.

700. — 1°) « Ad differentiam divinæ Essentiæ dictum est: creaturæ enim in pondere, et men-

sura et numero factæ sunt, solus Creator his omnibus caret... » (Vide Serm. 81, de hac re, inter Sermon. de Diversis, T. 183, p. 702).

2°) « Tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes quidem quia vere sit a quo sunt, non tamen quid sit prorsus definientes? Itaque de ipso vides, sed non ipsum. Cum autem de Eo, quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Verum hoc genus videndi commune. In promptu enim est, juxta Apostolum, omni utenti ratione, invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere (Rom. 1, v. 20). » — (In Cant., Serm. 31, n.° 3, T. 183, p. 941).

Confer quoque Sermones de diversis, Serm. 9 « De verbis Apostoli ad Rom. 1, v. 20, *Invisibilia Dei a creatura mundi* etc. » (Ibid., p. 565).

3°) « Tria in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid constitutus. Et in *esse* quidem rerum inæstimabilis Potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice sunt creata. — Sane in *modo* ipso Sapientia singularis elucet: quod hæc quidem sursum, hæc vero deorsum, hæc in medio ordinatissime sint locata. — Si vero *ad quod* factus sit mediteris, occurrit tam utilis Benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine et magnitudine beneficiorum possit obruere. — Potentissime siquidem ex nihilo omnia, sapientissime pulchra, benignissime utilia creata. » (Serm. 3, in Pentec., n.° 3, T. 183, p. 331).

IV.

Deus omnia creavit et gubernat per suam Sapientiam et Charitatem, seu Amorem.

701. — 1°) « Forma Sapientia est; conformatio *(est)* ut faciat imago *(divina, scilicet anima nostra)* in corpore, quod Forma facit in orbe. Porro illa *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. 8, v. 1). — Attingit *a fine usque ad finem*, hoc est a summo cœlo usque ad inferiores partes terræ, a maximo angelo usque ad minimum vermiculum. Attingit autem *fortiter* non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subjectæ creaturæ tantum officiali administratione; sed substantiali quadam et ubique præsenti fortitudine, qua utique universa potentissime movet, ordinat, administrat. Et hæc omnia nulla sui cogitur facere Majestate. Nec enim aliqua in his laborat difficultate, sed disponit omnia *suaviter* placida Voluntate. — Vel certe *attingit a fine usque ad finem*, hoc est ab ortu creaturæ usque ad finem destinatum a Creatore, sive in quem urget natura, sive quem accelerat causa *(secunda)*, sive quem concedit gratia. *Attingit fortiter*, dum nihil horum evenit, quod non, prout vult, potenti præordinat Providentia. » (De Grat. et Lib. arb., cap. 10, n.° 33, T. 182, p. 1019).

2°) « Lex ergo Domini immaculata, charitas est, quæ non quod sibi utile est quærit, sed quod multis. Lex autem Domini dicitur, sive quod Ipse ex ea vivat, sive quod eam nullus nisi ejus dono possideat. Nec absurdum videatur quod dixi etiam Deum vivere ex lege, cum non alia dixerim quam charitate. Quid vero in summa et beata illa Trinitate summam et ineffabilem illam conservat unitatem nisi charitas? Lex est ergo, et lex Domini charitas, quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet, et colligat in vinculo pacis. Nemo tamen me existimet charitatem hîc accipere qualitatem, vel aliquod accidens, alioquin in Deo dicerem, quod absit, esse aliquid quod Deus non est; sed substantiam illam divinam, quod utique nec novum, nec insolitum est, dicente Joanne: *Deus Charitas est* (1. Joan. 4, v. 16). Dicitur ergo recte charitas, et Deus et Dei donum. Itaque Charitas dat charitatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen est substantiæ; ubi donum, qualitatis. Hæc est Lex æterna, creatrix et gubernatrix universitatis. Siquidem in pondere, et mensura, et numero per eam facta sunt universa; et nihil sine lege relinquitur, cum ipsa quoque Lex omnium sine lege non sit, non tamen alia quam seipsa, qua et seipsam, etsi non creavit, regit tamen. » (Epist. 11, n.° 4, T. 182, p. 111.

§ II.

De homine, inquantum est divinæ Trinitatis imago.

Dantur in homine: 1°) triplex divinæ Trinitatis imago; 2°) triplex libertas; 3°) variæ trinitates ad exemplar divinæ Trinitatis.

I.

Homo est divinæ Trinitatis imago per naturam, gratiam et gloriam.

702. — 1°) *Magna opera Domini*, ait Propheta David (Psal. 110, v. 2). Magna quidem omnia opera ejus, fratres, siquidem magnus est ipse. Sed ad nos maxime spectant, quæ in eis

maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem propheta, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum* (Psal. 125, v. 3). Denique quam magnifice nobiscum agat, specialiter tria quædam ejus opera clamant: primæ nostræ Creationis, præsentis Redemptionis, futuræ Glorificationis. Quam magnificata sunt in singulis opera tua, Domine! Tuum est virtutem operum tuorum annuntiare populo tuo, nos ipsa saltem opera tua non silemus. Triplicem, fratres, commixtionem in his tribus considerare est cœlestis plane operis, et divinæ virtutis. »

« Nam in primo opere conditionis nostræ, de limo terræ plasmavit hominem Deus, et inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ. Qualis Artifex, qualis Unitor rerum, ad cujus nutum sic conglutinantur sibi limus terræ et spiritus vitæ!... Quis non videat, fratres, quantum corpori præstet anima? Numquid non truncus esset insensibilis caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritas visus et sonus vocis; denique sensus omnis ab anima est. Charitatem mihi conjunctio ista commendat; charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lego; charitatem in ipso statim principio non solum prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris. »

« Et quidem magna hæc conjunctio, dilectissimi, sed si stabilis permansisset. Nunc autem, licet divino fuerit munita sigillo (ad imaginem quippe et similitudine suam creavit Deus hominem), heu! diruptum est sigillum, et unitas dissipata. Accedens pessimus ille latro, recens adhuc sigillum fregit, et sic mutata similitudine divina, *comparatus est* miser homo *jumentis insipientibus et similis factus est illis* (Psal. 48, v. 13)... Sed quid est Domine Deus? Nunquamne reparabitur opus tuum, et qui ceciderit non adjiciet ut resurgat? Non est qui reficiat, nisi qui fecit... Novam, inquit, facio commixturam, ubi et expressius et robustius pono sigillum, Eum qui non ad imaginem meam factus est, sed est ipsa Imago, splendnr gloriæ, et figura substantiæ, non factus, sed genitus ante sæcula... Hujus itaque vinculum unionis nulla omnino potest solvere creatura: siquidem nec princeps hujus mundi habet in eo quidquam... solus autem frangere potes, qui solus, ut confracta solides, stare potes; et in ipsa confractione, solus potestatem habes ponendi animam, cum volueris resumendam... Ponat anima sancta carnem immaculatam, sed resumendam tertia die, ut moriens mortem perimat, et vita hominum cum resurgente resurgat. »

« Jam quid futurum sit in unione tertia, quis loquetur? *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (1. Cor. 2, v. 9). Consummatio erit illa, cum tradiderit Christus regnum Deo et Patri: et erunt duo non jam in carne una, sed in Spiritu uno. Etenim si adhærens carni Verbum, factum est caro, multo magis qui adhæserit Deo, unus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione media, humilitas exhibetur, et humilitas magnanimis; in ea vero quam exspectamus, ad quam suspiramus, perfecta nobis, si tamen nobis, reposita glorificatio est. » (In Nativ. Dom., Serm. 2, T. 183, p. 119).

2°) « Igitur qui recte sapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrii, sed divinæ gratiæ in ipso, sive de ipso. Prima *creatio;* secunda *reformatio;* tertia est *consummatio.* — Primo namque in Christo creati sumus in libertatem voluntatis, secundo reformamur per Christum in spiritum libertatis; cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis. — Siquidem quod non erat, in Illo creari oportuit qui erat, per Formam reformari deformem, membra non perfici nisi cum Capite. Quod utique tunc complebitur, cum *omnes occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (Ephes. 4, v. 13); quando *apparente Christo, vita nostra, apparebimus et nos cum ipso in gloria* (Coloss. 3, v. 4). » (De Grat. et Lib. arbitr., cap. 14, n.° 49, T. 182, p. 1027).

3°) « Væ nobis a torpore et tepore cordis nostri! qui permittimus nos his vanitatibus occupari, et non magis ex instanti transilimus in bona Domini, sive in naturalia, sive in spiritualia, sive in æterna. Et quidem naturalia bona magna, spiritualia bona majora, sed maxima sunt æterna. In primis reparamur, in secundis excitamur, extendimur et beatificamur in tertiis. Si non potes oculum meditationis in illam sublimitatem æternorum bonorum infigere, quia distantia sunt, et omnem sensum exsuperant; in bonis gratiæ, quæ sunt in exercitia virtutum, visum reflecte... Quod si et hæc nimis sublimia sunt, et transgredientia infirmitatem tuam, dimitte oculos tuos in bona naturæ, quæ tibi tam familiaria esse debent, quantum tu familiaris es tibi... »

« *Hæc sunt bona naturæ, gratiæ, gloriæ;* bona humanitatis, bona virtutis, bona æternitatis. Hæc cogitemus, hæc ruminemus, fratres, et juxta præceptum legis revocemus ruminationem (Levit. 11, v. 3), quia sic vivitur, et in talibus vita spiritus nostri. » (De Divers., Serm. 16, T. 183, p. 579).

II.

De triplici naturæ, gratiæ et gloriæ libertate, qua Deo conformamur.

703. — 1°) « Cum igitur, prout interim potuit occurrere nobis, triplex sit nobis proposita li-

bertas: a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura, in primam restauramur a gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas *naturæ;* secunda, *gratiæ;* tertia, vitæ vel *gloriæ.* — Primo nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Dei creatura; secundo reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura; tertio sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. — Prima ergo libertas habet multum honoris; secunda plurimum etiam virtutis; novissima cumulum jucunditatis. — Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus; in secunda carnem, per tertiam, mortem subjicimus. » (De Grat. et Lib. arbit., cap. 3, T. 182, p. 1004).

In cap. 7, tres libertates a necessitate, a peccato, a miseria, nuncupat libertatem arbitrii, consilii, complaciti.

2°) In cap. 9, docet hominem esse conditum physice et indelebiliter ad Dei imaginem per libertatem arbitrii, et accidentaliter fieri ad Dei similitudinem per libertatem consilii et beneplaciti. « Cum ergo istæ duæ libertates, *consilii scilicet atque complaciti,* per quas rationali creaturæ vera sapientia et potentia ministratur, ita Deo, prout vult, dispensante, quibusque pro causis, locis, temporibus varientur, quatenus in terris modice, in cœlestibus plenarie, mediocriter in paradiso *(terrestri),* apud inferos nullatenus habeantur; *libertas vero arbitrii* de ipso, quo condita est, statu aliquatenus non mutetur, sed aliqualiter semper, quantum in se est, a cœlis, terris, inferis possideatur: merito illæ *similitudini,* hæc *imagini* deputantur. »

III.

De varia Trinitate, Dei scilicet et hominis.

704. — « Beata illa et sempiterna Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus, scilicet summa Potentia, summa Sapientia, summa Benignitas, creavit quamdam trinitatem ad imaginem et similitudinem suam, animam videlicet rationalem, quæ in eo præfert vestigium quoddam illius summæ Trinitatis, quod ex memoria, ratione et voluntate consistat. Creavit autem hoc modo, ut manens in illo, participatione ejus esset beata; aversa ab illo, quocumque se conferret, remaneret misera. »

Deinde alias trinitates spirituales enumerat, bonas vel malas, et sequentibus verbis concludit: « Hæc omnia brevius possumus colligere, ut facilius commendentur memoriæ. Dicamus ergo: Est Trinitas creatrix, Pater et Filius et Spiritus sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio et voluntas. Et est trinitas per quam cecidit, videlicet per suggestionem, delectationem et consensum. Et est trinitas in quam cecidit, videlicet impotentia, cæcitas, immunditia. »

« Rursus trinitas quæ cecidit, id est memoria, ratio, voluntas; singulæ cujusque tripartitus casus. — Memoria cecidit in tres species cogitationum: affectuosas, onerosas, odiosas.—Ratio in triplicem ignorantiam boni et mali, veri et falsi, commodi et incommodi. — Voluntas in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et ambitionem sæculi. »

« Est trinitas per quam resurgit, scilicet fides, spes, charitas, quæ trimembres habent subdivisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum; est et spes veniæ, gratiæ, gloriæ; et est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. » (Sermon. de Divers., Serm. 45, T. 183, p. 667). — Idem docet in Sententiis, n.° 25, ibid., p. 753).

Plurimas adhuc trinitates, præter istas, invenit sanctus doctor, ut liquet sola tabulæ operum suorum inspectione. Etenim sermones ejus fere omnes trifariam dividuntur atque subdividuntur.

§ III.

De homine per Verbum incarnatum reformato.

Divino modo loquitur S. Bernardus 1°) de similitudine hominis cum Deo per peccatum amissa, et 2°) per Verbum incarnatum reddita; 3°) de triplici hominis reformatione; 4°) de convenientia inter mysteria Trinitatis et Incarnationis.

I.

Peccatrix anima fit Deo dissimilis et pecoribus similis.

705. — Creator impresserat animæ hominis sigillum similitudinis suæ. Sed divinum illud sigillum peccato confractum est: homo suam similitudinem unionemque cum Deo amisit, et similis factus est jumentis insipientibus. Hæc docuit S. Bernardus in loco, quem citavimus n° 702.

Hominem lapsum ac deformatum sic alibi alloquitur: « Agnosce ergo primordia tua et erubesce comparatum te esse jumentis; memorare novissima tua, et time ne abeas etiam post jumenta. Erubesce, inquam, quod pro consortio angelorum, consortium sortitus es pecorum, non modo in necessitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis. Cum jumentis partiris cibum

terræ, quia panem angelicum, panem fastidisti cœlestem. Non solum autem, sed quod pejus est, in recto corpore curva est anima, et in corpore manet humanæ animæ similitudo, in anima vero, bestiali similitudine mutata est similitudo Dei... Ergo si in sublimi positus non intellexisti quoniam limus esses, noli infusus in limo profundi ignorare quia imago Dei es, et erubesce quod peregrinam ei superduxeris similitudinem. Memor esto nobilitatis tuæ, et pudeat te tantæ dejectionis. Ne ignores pulchritudinem tuam, ut de fœditate amplius confundaris. » (De Divers., Serm. 12, n.° 1 et 2, T. 183, p. 571).

II.

De reformatione similitudinis divinæ in homine per Christum, perfectam Dei Imaginem.

706. — « Sed neque in hoc sæculo æque inveniri uspiam posset similitudo, sed adhuc hic fœda et deformis jacuisset imago, si non evangelica illa mulier lucernam accenderet, id est, Sapientia in carne appareret, everreret domum, videlicet vitiorum, drachmam suam requireret quam perdiderat (Luc. 15, v. 8); hoc est imaginem suam, quæ nativo spoliata decore, sub pelle peccati sordens, tanquam in pulvere latitabat, inventam tergeret, et tolleret de regione dissimilitudinis; pristinamque in speciem reformatam, similem faceret illam in gloria Sanctorum, imo sibi ipsi per omnia redderet quandoque conformem, cum illud Scripturæ videlicet impleretur: *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut Est.* (1. Joan. 3, v. 2). Et revera cui potius id operis congruebat, quam Dei Filio, qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris, portans verbo universa, ex utroque facile munitus apparuit, et unde reformaret deformem, et unde debilem confortaret, dum et de splendore figuræ fugans tenebras peccatorum, redderet sapientem; et ex virtute verbi, contra tyrannidem dæmonum potentem efficeret. »

« Venit ergo ipsa Forma, cui conformandum erat liberum arbitrium; quia ut pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat et formatum. Forma autem Sapientia est; conformatio, ut faciat imago *(anima nempe nostra, quæ divinæ Sapientiæ imago est)* in corpore, quod Forma facit in orbe. Porro illa *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* (Sap. 8, v. 1). »

« Sic ergo et liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, ut præest Sapientia orbi, attingens et ipsum usque ad finem fortiter; imperans scilicet singulis sensibus et artubus tam potenter, quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore, nec membra sua det arma iniquitati, sed exhibeat servire justitiæ. Et ita jam non erit homo servus peccati, cum peccatum non fecerit; a quo utique liberatus, jam libertatem recuperare consilii, jam suam incipiat vindicare dignitatem, dum divinæ in se imagini condignam vestierit similitudinem, imo antiquam reparaverit vetustatem. — Curet autem hæc agere, non minus *suaviter* quam *fortiter;* hoc est, non ex tristitia, aut ex necessitate, quod est initium, non plenitudo sapientiæ; sed prompta et alacri voluntate, quod facit acceptum sacrificium, quoniam *hilarem datorem diligit Deus* (2. Cor. 9, v. 7). Sicque per omnia imitabitur Sapientiam, dum et vitiis resistet fortiter, et in conscientia requiescet suaviter. » (De Grat. et Lib. arb., cap. 10, T. 182, p. 1018).

III.

De triplici renovatione triplicis vetustatis.

707. — « *Sicut portavimus imaginem terreni hominis, portemus et imaginem cœlestis* (1. Cor. 15, v. 49). Duo homines sunt, vetus et novus; Adam vetus, Christus novus. Ille terrenus, iste cœlestis; illius imago vetustas, istius imago novitas. Est autem triplex vetustas, et e contrario triplex novitas. »

« Est enim vetustas in corde, in ore, in corpore, in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione et opere. *In corde* sunt desiderata carnalia et sæcularia, id est amor carnis et amor sæculi. Similiter *in ore* est gemina vetustas: arrogantia et derogatio. Item gemina *in corpore:* flagitia et facinora.—Hæc omnia sunt imago veteris hominis, et hæc omnia renovanda sunt in nobis. Si non esset vetustas in corde, non diceret Apostolus: *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* (Eph. 4, v. 23, 24). Item si non esset vetustas in ore, non diceret Scriptura: *Recedant vetera de ore vestro* (1. Reg. 2, v. 3). Et Apostolus dicit: *Omnis sermo malus non procedat de ore vestro, sed qui bonus est, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (Eph. 4, v. 29). Sed et de vetustate corporis mentionem facit, cum dicit: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem.* De cujus renovatione etiam subjungit: *Ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* » (Rom. 5, v. 19).

« Renovetur ergo cor nostrum a carnalibus et sæcularibus desideriis, ut exclusis illis in-

troducatur amor Dei, et amor patriæ cœlestis. Recedant ab ore nostro arrogantia et derogatio, et succedant pro his vera peccatorum nostrorum confessio, et bona de proximis æstimatio. Pro flagitiis et facinoribus, quæ vetustas est corporis, assumatur continentia et innocentia, ut scilicet contraria vitia depellantur. Hæc supradictam renovationem facit Christus habitans in nobis per fidem, sicut ipse ait: *Ecce nova facio omnia.* (Apoc. 21, v. 5). Unde et ad sponsam loquitur in Canticis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* (Cant. 8, v. 6). Habitans igitur in corde est sapientia, habitans in ore veritas, habitans in corpore justitia. » (De Divers., Serm. 70, T. 183, p. 690).

IV.

De convenientia inter mysteria Trinitatis et Incarnationis.

708. — Incarnatio Verbi est medium, quo genus humanum reformatum, et cum Deo reconciliatum est. Jam vero S. Bernardus aliquam invenit Trinitatem in mysterio Incarnationis, et ideo pulcherrimam videt convenientiam hujus medii cum duobus extremis per illud uniendis, scilicet cum divina et humana natura. « Dico in Christo, Verbum, animam et carnem, sine confusione essentiarum, unam esse personam; et item absque præjudicio personalis unitatis, in suâ numerositate manere. Nec negaverim hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, qua anima et caro unus est homo. Decuit quippe familiarius similiusque cum hominis convenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit et cum summa, quæ in Deo est, et Deus est, unitate congruere, ut quomodo ibi tres personæ una Essentia; ita hîc, convenientissima quadam contrarietate, tres essentiæ *(nempe Essentia divina, et duæ substantiæ incompletæ, quæ sunt corpus et anima humana)* sint una persona. — Videsne pulchre inter utramque unitatem hanc collocari, in eo utique qui constitutus est Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Pulcherrima, inquam, convenientia, ut salutare sacramentum, congrua quadam similitudine, ambobus respondent, et salvanti videlicet et salvato. Ita hæc unitas duarum consistens media unitatum, alteri succumbere, alteri præeminere cognoscitur, quantum superiore inferior, tantum inferiore superior. » (De Considerat., lib. 5, cap. 9, T. 182, p. 800).

ARTICULUS IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN PETRO LOMBARDO. (*Patr. lat.*, T. 191, 192).

709. — **Prænotanda.** Præter Commentaria in Psalterium et in omnes S. Pauli Epistolas, Petrus Lombardus scripsit quatuor libros *Sententiarum*, qui constituunt aliquod Theologiæ compendium ex doctrina Patrum compositum, sed potissimum ex principiis S. Augustini. Eximium illud opus ut Manuale theologicum in omnibus scholis medii ævi adhibitum est, et explicatum commentariis præcipuorum hujus temporis doctorum. Inde S. Augustini doctrina in divino Exemplarismo fundata, per totum medium ævum invaluit.

Pauca ex prædictis operibus transcribemus: 1°) de unitrini Artificis Scientia et Voluntate; 2°) de tribus attributis ejus causativis; 3°) de trina Causa in omnibus creatis effectibus repræsentata.

§ I.

De unitrini Artificis Scientia et Voluntate.

Divina Trinitas est suprema Causa, quæ omnia causat per suam Scientiam et Voluntatem.

I.

Deus est omnium rerum Causa unica et trina.

710. — 1°) « Creationem rerum insinuans Scriptura, Deum esse Creatorem initiumque temporis atque omnium visibilium vel invisibilium creaturarum in primordio sui ostendit, dicens Gen. 1: *In principio creavit Deus cœlum et terram.* His etenim verbis, Moyses spiritu Dei afflatus, in uno principio a Deo Creatore mundum factum refert, elidens errorem quorumdam, plura sine principio fuisse principia opinantium. Plato namque tria initia existimavit: Deum scilicet, exemplar et materiam: et ipsam increatam sine principio, et Deum quasi Artificem, non Creatorem. Creator enim est, qui de nihilo aliquid facit; et *creare* proprie est de nihilo aliquid facere; *facere* vero, non modo de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Unde et homo et angelus dicitur aliqua facere, sed non creare; vocaturque *factor*, sive artifex, sed non *creator*. Hoc enim nomen soli Deo proprie congruit, qui de nihilo quædam, et de aliquo aliqua fecit. Ipse est ergo Creator et Opifex et Factor, sed Creatoris nomen sibi proprie retinuit, alia vero

etiam creaturis communicavit. In Scriptura tamen sæpe Creator accipitur tamquam factor, et creare tamquam facere, sine distinctione significationis.» (Sent., lib. 1, dist. 1, n.° 1).

2°) « A summe æqualiter et immutabiliter Trinitate bona creata snnt omnia; nec summe nec immutabiliter bona, sed tamen bona, etiam singula. Simul vero universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. In qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum, et suo loco positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sunt, dum comparantur malis.» (Sent., lib. 1, dist. 46, n.° 8. Ex S. Aug. Enchirid., cap. 10, 11).

II.

De divina Scientia.

1°) Deus in Verbo suo omnia cognoscit, et arte disponit cum Spiritus sancti amore.

711. — « Imago, si perfecte implet illud *(scilicet Deum Patrem)* cujus imago est, ipsa coæquatur Ei; non illud imagini suæ, ubi jam est summa congruentia, et prima æqualitas, et prima similitudo, nulla in re dissidens et nullo modo inæqualis, et nulla ex parte dissimilis; sed ad identidem respondet Ei, cujus Imago est; ubi est summa et prima Vita, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed id quod est ei intelligere, hoc est vivere, et hoc esse Est.»

« Unum est hoc tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, et Ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium; et omnes unum in ea, sicut ipsa unum denuo, cum quo unum, ubi omnia novit Deus quæ fecit per ipsam, et ideo cum discedant et succedant tempora, non discedit vel succedit aliquid Scientiæ Dei. Non enim quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt. An non potius ideo facta sunt, quia immutabiliter a Deo sciuntur?»

« Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris et Imaginis, non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio. Illa igitur dilectio, delectatio, felicitas, vel beatitudo, si tamen humana lingua vel voce digne dicitur, est in Trinitate Spiritus sanctus, non genitus sed Genitoris Genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant.» (In Epist. ad Rom., cap. 11, v. 36, T. 191, p. 1495).

2°) De variis Scientiæ divinæ nominibus et effectibus.

712. — « Sciendum est, quod Sapientia vel Scientia, cum sit una et simplex, tamen propter varios rerum status et diversos effectus, plura ac diversa sortitur nomina. Dicitur enim, non tantum *Scientia*, sed etiam *Præscientia*, vel *Procidentia*. Et est Scientia sive Providentia, non de futuris tantum, sed de omnibus, de bonis scilicet et de malis; *Dispositio* vero de faciendis; *Prædestinatio* de omnibus salvandis, et de omnibus bonis, qui et hîc liberantur, et in futuro coronabuntur.»

« *Prædestinavit* enim Deus ab æterno homines, ad bona eligenda; et prædestinavit, eis bona præparanda. Quod homines prædestinavit, Apostolus ostendit, dicens, Rom. 8: *Prædestinavit quos præscivit fieri conformes imagini Filii sui*, et Eph. 1: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati.* Quod autem bona eis præparaverit, propheta Isaias, cap. 64, ostendit dicens: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus vel exspectantibus te.* Ergo ab æterno prædestinavit quosdam futuros bonos et beatos, id est, elegit ut essent boni et beati; et bona eis prædestinavit, id est præparavit.

Providentia autem est gubernandorum; quæ utique eodem modo videtur accipi, quo *Dispositio*. Interdum tamen Providentia accipitur pro *Præscientia*.

Sapientia vero vel *Scientia* de omnibus est, scilicet bonis et malis; et de præteritis, præsentibus et futuris, et non tantum de temporalibus, sed etiam de æternis. Non enim ita scit Deus ista temporalia, ut seipsum nesciat, sed ipse solus seipsum perfecte novit, cujus Scientiæ comparatione omnis creaturæ scientia imperfecta est.» (Sent., lib. 1, dist. 35, n. 1).

3°) De æternitate et immensitate divinæ Scientiæ omnia comprehendentis.

713. — « Scientia vel Sapientia, non tantum de temporalibus, sed etiam de æternis. Ideoque etsi nulla fuissent futura, esset tamen in Deo Scientia eadem quæ modo est; nec minor esset quam modo, nec major est quam esset. Scivit ergo Deus ab æterno æternum, et omne quod futurum erat, et scivit immutabiliter. Scit quoque non minus præterita et futura, quam præsentia; et suâ æternâ Sapientiâ et immutabili; scivit ipse omnia, quæ sciuntur. Omnis enim ratio supernæ et æternæ Sapientiæ, ut ait Ambrosius, in eo est, quia omnem sapientiam et essentiam capit sua immensa Scientia.»

« Propterea omnia dicuntur esse in Deo, et fuisse ab æterno. Unde Augustinus, Tom. 3, lib. 5, sup. Genes., cap. 18: Hæc visibilia, inquit, antequam fierent, quomodo ergo nota Deo erant, quæ non erant? Et rursum: quomodo ea faceret quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, erant et non erant. Erant in

Dei Scientia, non erant in sui natura. Ipsi autem Deo, non audeo dicere alio innotuisse, cum ea fecisset, quam illo quo ea noverat ut faceret, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Ecce sic habes, quod hæc visibilia antequam fierent, in Dei Scientia erant. Ex hoc ergo sensu omnia dicuntur esse in Deo, et omne quod factum est, dicitur vita esse in ipso; non ideo quod creatura sit Creator, vel quia ista temporalia essentialiter sint in Deo, sed quia in ejus Scientia semper sint, quæ vita est. »

« Inde est etiam, quod omnia dicuntur ei præsentia esse, non solum ea quæ sunt, sed etiam ea quæ præterierunt, et ea quæ futura sunt, secundum illud Rom., cap. 4: *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Quia, ut ait Ambros. in lib. de Trinit., ita cognoscit ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt. Et hac ratione omnia dicuntur esse in eo, vel apud eum, vel ei præsentia. — Unde Augustinus, lib. 5, cap. 8, tom. 8, super illum locum Psal. 49: *Et pulchritudo agri mecum est:* Ideo, inquit, mecum est, quia apud Deum nihil præteriit, nihil futurum est. Cum illo sunt omnia futura, et ei non detrahuntur jam præterita, cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabili Sapientiæ Dei. — Ecce hîc aperit Augustinus ex qua intelligentia accipienda sunt hujusmodi verba: Omnia sunt Deo præsentia, in Deo sunt omnia, vel cum Deo, vel apud Deum, vel in eo vita, quia ineffabilis omnium cognitio in eo est. » (Sent., lib. 1, dist. 35, n.° 4-6).

III.

De divina Voluntate.

1°) Dei Voluntas est suprema omnium rerum Causa, et quinque signa habet.

714. — « Voluntas Dei, ut ait Augustinus, Tom. 4 in lib. 3 de Trinit., prima et summa Causa est omnium specierum atque motionum. Nihil enim fit quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris egrediatur, secundum ineffabilem justitiam. Ubi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis Sapientia? Quæ *pertingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. 8, v. 1); et non solum facit ea quæ perseverantia consuetudinis admirationem non admittunt, sed etiam ea quæ propter raritatem et insolitum eventum mira videntur... quorum nihil fit sine Voluntate Dei, sed plerisque non apparet... Itaque nonnisi Dei Voluntas Causa prima est sanitatis, ægritudinis, præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum. Hæc ergo sola est, unde ortum est quidquid est, et ipsa non est orta, sed æterna... »

« Hîc non est præterenndum nobis, quod sacra Scriptura de Voluntate Dei variis modis loqui consuevit, et tamen non est Dei Voluntas diversa, sed locutio diversa est de Voluntate, quia nomine Voluntatis diversa accipit. Nam Voluntas vere ac proprie dicitur quæ in ipso est, et ipsius Essentia est; et hæc una est, nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem, quæ inexpleta esse non potest, de qua Propheta ait, Psal. 113: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* — Et Apostolus, Rom. 9: *Voluntati ejus quis resistit?* — Et, Rom. 12: *Ut probetis quæ sit Voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Et hæc Voluntas recte appellatur beneplacitum Dei, sive dispositio. »

« Aliquando vero, secundum quamdam figuram dicendi, Voluntas Dei vocatur quod secundum proprietatem non est Voluntas ejus: ut *præceptio, prohibitio, consilium,* nec non *permissio* et *operatio.* Ideoque pluraliter aliquando Scriptura voluntates Dei pronuntiat. Unde Propheta, Psal. 110: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Cum non sit nisi una Voluntas Dei, quæ ipse est, pluraliter tamen dicit voluntates, quia Voluntas Dei variis modis ac pro diversis accipitur, ut dictum est. » (Sent., lib. 1, dist. 45, n.° 5-7).

2°) Deus, in omnibus suis operibus ad extra, intendit propriam Bonitatem manifestandam et electorum suorum utilitatem.

715. — « Cum quæritur quare vel ad quid facta sit rationalis creatura, brevissime responderi potest: Propter Dei Bonitatem et suam utilitatem. Utile nempe ipsi est servire Deo, et frui eo. Factus ergo angelus, sive homo, propter Deum dicitur esse, non quia Creator Deus et summe beatus alterutrius indiguerit officio, qui *bonorum nostrorum non eget* (Psal. 147), sed ut serviret ei ac frueretur eo, cui servire regnare est. In hoc ergo proficit serviens, non ille cui servitur. »

« Et sicut factus est homo propter Deum, id est, ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, scilicet ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret; ut acciperet utrumque, et reflueret totum ad bonum hominis, et quod accepit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute, non Deus sed homo serviens juvaretur; et voluit ut mundus serviret homini, et exinde similiter juvaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod ipse factus est. *Omnia enim,* ut ait Apostolus, 1 Cor. 3, *nostra sunt,* scilicet superiora, et æqualia, et inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum, ut Deus Trinitas; æqualia ad con-

vivendum, scilicet angeli, qui etsi nobis modo superiores sint, in futuro erunt æquales. Qui et modo nostri sunt, quia ad usum nostrum sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio, sed quia ad usum eorum. Ipsique angeli, in quibusdam Scripturæ locis, nobis servire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur. »

« De homine quoque in Scriptura interdum reperitur, quod factus sit propter reparationem angelicæ ruinæ, non quod ita est intelligendum quasi non fuisset homo factus, si non peccasset angelus, sed quia inter alias causas, scilicet præcipuas, hæc etiam nonnulla causa exstitit. — Nostra ergo sunt *superiora* et *æqualia*. Nostra etiam sunt *inferiora*, quia ad serviendum nobis facta. » (Sent., lib. 2, dist. 1, n.° 7-9).

3°) DEUS MALUM NON VULT, SED PERMITTIT AD MAJUS BONUM PROCURANDUM.

716. — « Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. In qua etiam, illud quod malum dicitur, bene ordinatum et suo loco positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis. »

« Hinc patet quod ex malis quæ fiunt, aliquod provenit bonum, dum bona magis placent et laudabiliora existunt. — Ipsis etiam facientibus, ex malis quæ faciunt interdum bona proveniunt, si secundum propositum vocati sunt sancti. Talibus enim, ut ait Augustinus, Tom. 7, in lib. de Corrept. et Grat., cap. 9, usque adeo Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui horum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum; quia humiliores redeunt, atque doctiores. — Illa etiam mala, quæ ab iniquis fideles pie perferunt, ut ait Augustinus in lib. de Trinit., ipsis utique prosunt vel ad delenda peccata, vel ad exercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam hujus vitæ miseriam. Ideoque et Job Dei manum, et Apostolus Satanæ stimulum sensit; et uterque bene profecit, quia malum bene portavit. » (Sent., lib. 1, dist. 46, n.° 8 et 9).

Confer quoque dist. 47: « Quod Voluntas Dei semper impletur de homine, quocumque se vertat, » scilicet ad bonum, sive ad malum.

§ II.

De tribus Dei attributis causativis.

Hæc attributa sunt Potentia, Sapientia, Bonitas, seu Benevolentia; et particulæ ex quo, per quem, in quo, quæ trinam divini Artificis causalitatem exprimunt, videlicet causam efficientem, exemplarem et finalem.

I.

De divina Potentia, Sapientia et Bonitate.

717. — « Potentia enim Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto attribuitur; cum una eademque sit potentia, et sapientia, et bonitas trium personarum; et tres illi eadem bonitas, sapientia et potentia sunt: quod quare fiat non est otiosum inquirere. Sicut enim ex motibus et administratione corporis, animam quam non vides intelligis, sic ex administratione totius mundi et regimine omnium, Creatorem intellexerunt. » (Ibid., p. 1329).

« Ex prædictis constat, quod sicut Essentia, ita potentia, sapientia, bonitas de Deo dicuntur secundum substantiam. Quæ autem secundum substantiam de Deo dicuntur, tribus personis pariter conveniunt. Una est ergo potentia, sapientia, bonitas Patris et Filii et Spiritui sancti; et hi tres eadem potentia, eadem sapientia, eadem bonitas. Unde aperitur in Trinitate summa esse perfectio. Si enim ibi deesset potentia, vel sapientia, vel bonitas, non esset summum Bonum. Sed quia ibi est perfecta potentia, infinita sapientia, incomprehensibilis bonitas, recte dicitur et creditur summum Bonum. Cumque unum et idem penitus sit in Deo potentia, sapientia, bonitas, in sacra tamen Scriptura solent hæc nomina distincte ad personas referri ut Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas attribuatur. » (Sent., lib. 1, dist. 34, n.° 6).

II.

De particulis ex quo, per quem, in quo.

718. — « *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula* (Rom. 11, v. 36). Ecce Trinitas personarum hîc ostenditur, et Essentiæ unitas. Tres enim diversæ præpositiones, scilicet *ex, per, in* distinctionem personarum indicant. *Ipse* vero, id est pronomen repetitum, identitatem Essentiæ insinuat, sicut et illud quod subdit: *Ipsi gloria*, non dicit: *ipsis*... »

« Cum audimus omnia esse *ex Deo*, omnes utique naturas intelligere debemus, et omnia quæ naturaliter sunt. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturam non servant, sed vitiant; quæ peccata de voluntate peccantium nascuntur, et cum in Deo sint omnia quæ condidit, non tamen inquinant Eum qui peccant. De cujus Sapientia dicitur: *Attingit omnia propter suam munditiam, et nihil inquinatum in eam incurrit.* » (Sap. 8). »

« Attendendum est etiam quod non ait *de ipso*, sed *ex ipso* sunt omnia. Ex ipso enim non

hoc significat penitus quod: de ipso. Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso; sed non omne quod ex ipso est, potest dici de ipso, quia non est de substantia sua. Ex ipso enim sunt cœlum et terra, quia ipse fecit ea; non autem de ipso, quia non de substantia sua... »

« Illud vero diligenter intende, ne quia Patrem volens intelligi, dicis *ex ipso*, sic intelligas omnia esse ex *Patre*, ut negas omnia esse ex Filio, vel ex Spiritu sancto; cum ex Patre, et per Patrem, et in Patre omnia esse sane dici possit, similiter de Filio et Spiritu sancto dici potest. Ac per hoc dum dicitur: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*, sine dubio Patris et Filii et Spiritus sancti demonstrabitur æqualitas. Et quia non ante nominaverat Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, sed Deum et Dominum, quod ipsa Trinitas dici potest, singula horum trium referri ad singulos voluit, subdens: *Ex ipso.* » (In Epist. ad Rom., cap. 11, v. 36, T. 101, p. 1492, 1493. — Conf. quoque Sent., lib. 1, dist. 36, n.° 4-7.). Hæc omnia ex S. Augustino desumpta sunt, ut ipse indicat Lombardus.

« Et hæ sunt res quibus fruendum est, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa Res est, communisque omnibus fruentibus ea; si tamen Res dici debeat, et non rerum omnium Causa, si tamen causa. Non enim facile nomen, quod tantæ Excellentiæ conveniat, inveniri potest, nisi quod melius dicitur ita: Trinitas hæc, unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. » (In Epist. ad Rom., loco cit., p. 1494).

§ III.

De trina Causa in omnibus creatis effectibus repræsentata.

Creaturæ corporeæ Causam suam unitrinam repræsentant per modum vestigii; solæ creaturæ rationales illam repræsentant per modum imaginis, ita ut ex ista repræsentatione cognoscere possimus trinitatem attributorum causativorum, sed non Trinitatem personarum, quæ nonnisi ex divina revelatione nobis innotescit.

I.

Trina Causa in omnibus creaturis repræsentatur per modum vestigii.

719. — « Nunc restat ostendere utrum per ea quæ facta sunt, aliquod Trinitatis indicium vel exiguum haberi possit. De hoc Augustinus, in lib. 6, cap. 10, de Trin., ait: Oportet ut Creatorem per ea quæ facta sunt, intellectum conspicientes, Trinitatem intelligamus. Hujus enim Trinitatis vestigium in creaturis apparet. Hæc enim quæ Arte divina facta sunt, et *unitatem* quamdam in se ostendunt, et *speciem*, et *ordinem*. Nam quodque horum creatorum, et *unum* aliquid est, sicut sunt naturæ corporum, et ingenia animarum; et aliqua *specie* formatur, sicut sunt figuræ vel qualitates corporum, ac doctrinæ vel artes animarum; et *ordinem* aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, et amores vel delectationes animarum; et ita in creaturis prælucet vestigium Trinitatis. In illa enim Trinitate, summa Origo est omnium rerum, et perfectissima Pulchritudo, et beatissima Delectatio. »

« Summa autem *Origo*, ut Augustinus ostendit in lib. de Vera Relig., intelligitur Deus Pater, a quo sunt omnia; a quo Filius et Spiritus sanctus. — Perfectissima *Pulchritudo* intelligitur Filius, scilicet Veritas Patris, nulla ex parte ei dissimilis; quem cum ipso et in ipso Patre veneramur; quæ Forma *(exemplaris)* est omnium quæ ab initio facta sunt, et ad unum referuntur; quæ tamen omnia nec fierent a Patre per Filium, neque suis finibus salva essent, nisi Deus summe bonus esset; qui et nulli naturæ quæ ab illo bona esset, invidit; et ut in bono ipso maneret, alia quantum vellet, alia quantum posset dedit. — Quæ *Bonitas* intelligitur Spiritus sanctus, qui est donum Patris et Filii; quare ipsum donum Dei cum Patre et Filio æque incommutabile, colere et tenere nos convenit. »

« Per considerationem itaque creaturarum, unius substantiæ Trinitatem intelligimus, scilicet unum Deum Patrem, *a quo* sumus; et Filium, *per quem* sumus; et Spiritum sanctum, *in quo* sumus. — Scilicet Principium ad quod recurrimus, et Formam *(exemplarem)* quam sequimur, et gratiam qua reconciliamur. — Unum scilicet quo Auctore conditi sumus, et similitudinem ejus per quam ad unitatem reformamur, et pacem, qua unitati adhæremus. — Scilicet Deum qui dixit, Genes. 1: *Fiat lux*, et Verbum per quod factum est omne quod substantialiter et naturaliter est, et donum benignitatis ejus, quia placuit quod ab eo per Verbum factum est, et reconciliatum est Auctori, ut non interiret. »

« Ecce ostensum est qualiter in creaturis aliquatenus imago Trinitatis indicatur. Non enim per creaturarum contemplationem, sufficiens notitia Trinitatis potest haberi vel potuit, sine doctrinæ vel interioris inspirationis revelatione. Unde illi antiqui philosophi quasi per umbram et de longinquo viderunt veritatem, deficientes

in contuitu Trinitatis, ut Magi Pharaonis in tertio signo (Exod. 8). Adjuvamur tamen in fide invisibilium, per ea quæ facta sunt. » (Sent., lib. 1, dist. 3, n.° 6).

II.

Trina Causa in anima rationali repræsentatur per modum imaginis.

1°) Homo non est proprie imago, sed ad imaginem SS. Trinitatis.

720. — In Sentent., lib, 2, dist. 16, explicatur textus Genes. 1: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* « Factus est homo ad imaginem Dei et similitudinem, secundum mentem, qua irrationalibus antecellit. Sed *ad imaginem*, secundum memoriam, intelligentiam et dilectionem; *ad similitudinem*, secundum innocentiam et justitiam, quæ in mente rationali naturaliter sunt... Factus est ergo homo secundum animam, ad imaginem et similitudinem non Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti, sed totius Trinitatis. Ita et *secundum animam* dicitur *homo* esse imago Dei, quia imago Dei in eo est. Sicut imago dicitur et tabula, et pictura quæ in ea est; sed propter picturam quæ in ea est, simul et tabula imago appellatur; ita propter imaginem Trinitatis, etiam illud in quo est imago, nomine imaginis vocatur. (Aug. De Trinit., lib. 15, cap. 2, in fine). » (Loc. cit., n.° 4).

« ... Sed *in corpore* quamdam proprietatem habet quæ hoc indicat, quia est erecta statura, secundum quam corpus animæ rationali congruit, quia in cœlum creatum est (Aug., De Gen. ad litt., 6, cap. 12, et de Gen. cont. Manich., lib. 1, cap. 17). » (Ibid., n.°5).

« ... Sed quia non omnino æqualis fiebat illa imago, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, ideo ita imago dicitur quod *et ad imaginem*, quia non æquatur parilitate, sed accedit quadam similitudine. Filius autem est Imago, sed non ad imaginem, quia æqualis Patri. Dictus est ergo homo *ad imaginem*, propter imparem similitudinem (Aug. De Trinit., iib. 7, cap. 6, in fine). » (Ibid.).

2°) De memoria, intelligentia et voluntate, secundum quas homo est ad imaginem Trinitatis.

721. — « Nunc vero ad eam jam perveniamus disputationem, ubi in mente humana quæ novit Deum, vel potest nosse, Trinitatis imaginem reperiamus. Ut enim ait Aug. in lib. 14, de Trinit., cap. 8, licet humana mens non sit ejus naturæ, cujus Deus est, imago tamen illius quo nihil melius est, ibi quærenda et invenienda est, quo natura nostra nihil habet melius, id est, in mente. In ipsa etiam mente, antequam sit particeps Dei *(per gratiam)*, ejus imago reperitur. Etsi enim amissa Dei participatione *(supernaturali)* deformis sit, imago *(naturalis)* Dei tamen permanet. Eo enim ipso imago Dei est mens, quo capax ejus est, ejusque particeps esse potest. — Jam ergo in ea Trinitatem, quæ Deus est, inquiramus. Ecce enim mens meminit sui, intelligit se, diligit se. Hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Hîc enim quædam apparet trinitas memoriæ, intelligentiæ et amoris. Hæc ergo tria potissimum tractemus: memoriam, intelligentiam, voluntatem. Hæc ergo tria, ut Aug. ait in lib. 10, de Trin. cap. 21, non sunt tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens, una essentia. Memoria vero dicitur ad aliquid, et intelligentia et voluntas sive dilectio similiter ad aliquid dicitur. Vita vero dicitur ad seipsam, et mens, et essentia. Hæc ergo tria eo unum sunt, quo una vita, una mens, una essentia, et quidquid aliud ad seipsa singula dicuntur, etiam simul non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria sunt, quo ad se invicem referuntur. » (Sent., lib. 1, dist. 3, n.° 7).

« Sciendum vero est, quod hæc trinitas mentis, ut ait Aug. in lib. 14, de Trin., cap. 12, non propterea tantum imago Dei est, quia sui meminit mens, et intelligit ac diligit se; sed quia potest etiam meminisse et intelligere et amare Illum a quo facta est. » (Ibid., n.° 17).

« Verumtamen caveat ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam, ita ei comparet, ut omnino existimet similem; sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat. Quod breviter ostendi potest... Unus ergo homo est qui *habet* hæc tria *(memoriam, intelligentiam et voluntatem)*, non ipse *est* hæc tria. In illius vero summæ simplicitate naturæ, quæ Deus est, quamvis unus sit Deus, tamen tres personæ sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; et hæ tres personæ sunt unus Deus... — Rursus ista imago, quæ est homo habens illa tria, una persona est. Illa vero Trinitas, non una persona, sed tres personæ: Pater Filii, et Filius Patris, et Spiritus Patris et Filii (Aug. de Trinit., lib. 15, cap, 20, 22, 7). » (Ibid., n.° 15-17).

3°) De alia assignatione Trinitatis in anima, scilicet de mente, notitia et amore.

722. — « Potest etiam alio modo aliisque nominibus distingui trinitas in anima, quæ est imago illius summæ et ineffabilis Trinitatis. Ut enim ait Augustinus, in lib. 11, de Trin,, cap. 4, mens, et notitia ejus, et amor, tria quædam sunt. Mens enim novit se, et amat se; nec

amare se potest, nisi etiam noverit se. Duo quædam sunt mens et notitia ejus, ut habetur lib. 15, de Trin., cap. 7. Item duo quædam sunt mens et amor ejus. Cum ergo se novit mens et amat se, manet trinitas, scilicet mens, amor et notitia. Mens autem hîc accipitur non pro anima, sed pro eo quod in anima excellentius est. » (Ibid., n.° 18).

III.

Ex omnibus Dei vestigiis et imaginibus, cognoscere possumus attributa causativa, non vero divinas personas.

723. — 1°) « Ut Deus, qui natura invisibilis est, etiam a visibilibus posset sciri, opus fecit quod Opificem visibilitate sui manifestavit, ut per certum, incertum posset sciri; et ille esse Deus omnium crederetur qui hoc fecit, quod ab his impossibile est fieri *(S. Aug., de Verbo Dom.)*. Hæc philosophi nobiles quæsierunt, quasi interrogantes creaturas de Creatore; et omnium specie ac dispositione, quasi voce respondente, ex arte Artificem cognoverunt. *Invisibilia enim Ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (Rom. 1, v. 20)... Consideraverunt etiam quidquid est in substantiis, vel corpus esse, vel spiritum; meliusque aliquid spiritum esse, quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem; spiritus vero speciem intelligibilem; et intelligibilem speciem sensibili prætulerunt. Sensibilia dicimus, quæ visu, tactuque corporis sentiri queunt; intelligibilia, quæ conspectu mentis queunt intelligi. »

« Cum igitur in eorum conspectu corpus et animus magis minusque speciosa essent; si autem omni specie carere possent, nulla omnino essent, viderunt esse aliquid ubi esset prima et incommutabilis Species, ideoque incomparabilis *(S. Aug., cont. Manichæos.)*, atque ibi esse rerum Principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et in quo cuncta facta essent; atque sic invisibilia Dei, intellecta per ea quæ facta sunt, conspiciuntur. »

« Sed mirum est quod dixit esse *invisibilia*, et rursus dixit: *conspiciuntur*. Sed addendo: *intellecta*, determinatur modus visionis. Tria enim genera visionis in Scripturis inveniuntur: est enim visio corporalis, spiritualis vel imaginaria, et intellectualis *(Ex S. Aug.)*. De tertio genere est ista visio, quam hîc commemorat Apostolus. Hac enim visione videtur Deus, cum per pietatem fidei, et agnitionem morum optimorum corda mundantur. » (In Epist. ad Rom., cap. 1, v. 20, T. 191, p. 1326-1328). — (Conf. quoque Sent., lib. 1, dist. 3, n.° 1-5).

2°) « Sicut quidam volunt, potest hîc intelligi Trinitas, ut per *invisibilia* intelligatur Pater; *per virtutem* Filius; *per divinitatem* Spiritus sanctus; ut sit sensus: Invisibilia, id est Pater; sempiterna quoque virtus ejus, id est Filius; et divinitas, id est Spiritus sanctus, intellecta conspiciuntur per ea quæ facta sunt a creatura mundi. Secundum hoc, videtur, quod per ea quæ facta sunt, illius summæ Trinitatis notitiam habuerint Gentium philosophi. »

« Alibi vero dicit Augustinus philosophos non pertigisse usque ad notitiam tertiæ personæ, scilicet Spiritus sancti; in illo videlicet loco super Exodum, ubi Magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, non in primo vel secundo; quia summi Gentium philosophi, inquit, πέρι τοῦ ἀγαθοῦ, id est de summo Bono, scilicet Patre, et de Noῦ, id est de Mente ejus, scilicet Filio, philosophati sunt. Sed in tertio signo defecerunt Magi, quia usque ad tertiam personam non valuerunt pervenire philosophi. — Quomodo ergo hîc dicitur, quod tres personas per facta intellexerunt vel cognoverunt? Ad quod dicimus eos hanc distinctionem summæ Trinitatis, quam fides catholica profitetur, nullatenus habuisse, vel habere potuisse, absque doctrinæ, vel internæ inspirationis revelatione. Fit enim revelatio tribus modis: per opera, per doctrinam, per inspirationem. Revelavit eis Deus per opera veritatem, sed non per doctrinam, vel per inspirationem. Viderunt ergo de longinquo veritatem, sed non appropinquaverunt per humilitatem *(S. Aug.)*. »

« Non ergo illas tres personas ideo dicuntur intellexisse, quod eas distincte, veraciter et proprie intellexerint; sed quia illa esse cognoverunt in Deo, quæ illis tribus personis in sacra Scriptura frequenter solent distinctim ac specialiter attribui, scilicet Potentia, Sapientia, Bonitas. » (Ibid., p. 1328).

IV.

Exhortatio ad colendam unitrinam omnium Causam.

724. — « Religet ergo vos vera religio uni omnipotenti Deo, quia inter mentem nostram qua illum intelligimus, per quam illum intelligimus, Patrem et Veritatem, id est lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita est creatura. — Quare ipsam quoque Veritatem nulla ex parte dissimilem, in ipso et cum ipso Patre veneramur, quæ Forma *(exemplaris)* est omnium, quæ ab uno facta sunt, et ad unum referuntur. Quæ tamen omnia neque fierent a Patre per Filium, neque suis finibus salva essent, nisi Deus summe bonus esset, qui

et nulli naturæ, quæ ab ipso bona esset, invidit; et in ipso bono, alia quantum vellent, alia quantum possent, ut manerent dedit. — Quare ipsum donum Dei, cum Patre et Filio æque incommutabile, colere et tenere nos convenit, unius substantiæ Trinitatem Deum, a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus; a quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, a quo perire non permissi sumus; Principium ad quod recurrimus, et Formam *(exemplarem)* quam sequimur, et gratiam per quam reconciliamur *(S. Aug., de Doctr. christ.)*... Et cum talis sit, *Ipsi*, secundum substantiam singulariter uni, sit gloria, non *ipsis*, et hoc in sæcula sæculorum. Amen. » (In Epist. ad Rom., cap. 11, v. 36, T. 192, p. 1494 et 1495).

ARTICULUS VIII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN RICHARDO VICTORINO. (*Patr. lat.*, T. 196).

Richardus, Hugonis Victorini discipulus, magistri sui principia de divino Exemplarismo et trino ordine supponit, ac præsertim mysticæ contemplationi applicat, sicut apparebit ex locis sequentibus, ubi loquitur 1°) de tribus attributis causativis ad tres divinas personas appropriatis; 2°) de circulari operatione divinæ Sapientiæ in omnibus rebus consideranda; 3°) de contemplationis fundamento, quod est divinus Exemplarismus.

§ I.

De tribus attributis causativis ad divinas personas appropriatis.

725. — Sequentia scripsit Richardus ad S. Bernardum, in opusculo, quod libris de SS. Trinitate tanquam appendix additur p. 991.

« Addis adhuc ut quæras quid mihi causæ videtur cur Potentia Patri in Scripturis sanctis specialius attribuitur, Sapientia Filio, Charitas vel Bonitas Spiritui sancto. Si non dixero nisi quod in codicibus vestris invenitur, forte superfluum judicabitur; si quid aliud, forte exsufflabitur, irridebitur. Merito ejusmodi timere debuissem, si nescirem apud quem, in aure loquens, sermonem seu sensum meum effunderem. Tibi utique, tibi inquam, libenter dico quod sentio. »

« Quid sit potentia, quid sit sapientia, quid charitas vel bonitas omnes in commune novimus, et quotidiano experimento probamus. In his itaque, quæ manifesta et nobis nota sunt, erudimur, ni fallor, ad eorum notionem quæ humanæ capacitatis modum excedunt. In his enim tribus, forma quædam et imago summæ Trinitatis exprimitur, et quoddam nobis velut speculum proponitur, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur. Quæ igitur sunt in Trinitate ista, respondent his quæ sunt in trinitate illa, tria tribus, similia similibus, propria *(appropriata)* propriis singula singulis. »

« Videmus quia potest esse multiplex potentia, etiam ubi nulla est, vel esse potest sapientia. Taceo de elementis, vel quibuslibet rebus insensatis. In rebus autem animatis et brutis est potentia audiendi, videndi, potentia ambulandi, comedendi et bibendi, et cætera hujusmodi; in his vero nulla sapientia est, nulla naturaliter inesse potest. Constat ergo, quod superius jam dictum est, quia potest esse multiplex potentia, ubi nulla potest esse sapientia. E contra autem ubi nulla potentia est, nulla sapientia inesse potest. Nam posse sapere, absque dubio est aliquid posse. Dat itaque esse posse, non sapientia potentiæ, sed potentia sapientiæ. — Item constat quod Lucifer ille, qui mane oriebatur, multam habet potentiam, multam sapientiam, sed nullam omnino voluntatem bonam. Bonitatis est autem bene velle. Quid est enim bonitas, nisi bona voluntas? Testis itaque est Lucifer ille obduratus in sua perversitate, quod possit esse multiplex potentia simul et multiformis sapientia, ubi nulla manent bonitatis vestigia. E contra autem nulla bonitas inesse poterit, ubi sapientia vel potentia omnino defuerit. Nam posse bene velle, est aliquid posse. Sapientiæ vero est discernere inter bonum et malum, et sine hujusmodi discretione nescit voluntas quid sit eligendum. Ut possis ergo bonitatem habere, oportet ut scias et valeas bonum eligere. Potentia dat posse, sapientia dat nosse, sine quibus bonitas non prodest ad esse. Contrahit itaque suum esse bonitas, non tam a sapientia quam potentia. In hac itaque rerum trinitate, sola potentia non est de reliquarum aliqua, sapientia autem est de potentia sola, bonitas vero de potentia simul et sapientia. »

« Vides certe quomodo in hac rerum trinitate, expressæ sunt proprietates Trinitatis illius summæ et æternæ. Ibi est persona Ingeniti, quæ non est ab alio aliquo; ibi est persona Geniti, quæ est ab Ingenito solo; ibi est persona Spiritas sancti, quæ est tam a Genito quam ab Ingenito. Quoniam ergo in potentia exprimitur proprietas Ingeniti, speciali quodam considerationis modo, merito adscribitur illi. Sed quoniam in Sapientia exprimitur proprietas Geniti, merito et illa, juxta eumdem modum, adscri-

bitur ipsi. Item, quia in bonitate proprietas Spiritus sancti invenitur, merito et ei bonitas specialius assignatur. »

« Ecce quomodo ex hac rerum trinitate surgit consideratio, ex qua per exemplum ostenditur qualiter, quod de divinis proprietatibus legitur, intelligi valet. Sed ex eadem rerum speculatione, consideratio oritur longe ista sublimior, ex qua ratiocinando colligitur quod idem ipsum omnino fateri oportet. Sed in his metam figimus, quoniam questioni vestræ nos satisfecisse jam credimus. »

§ II.

De circulari operatione Sapientiæ Dei in omnibus rebus consideranda.

726. — Richardus Deum, unum et trinum, contemplatur tanquam supremum Artificem, qui omnes creaturas a se profectas, circulari motu ad se reducit, eas in tempore gubernando juxta æterna Sapientiæ, seu Providentiæ suæ, consilia. Sed specialiter admiratur divini Artificis artem in opere Creationis, Redemptionis et Glorificationis animæ humanæ.

I. « Vides, inquit, quomodo ille summus Artifex peritiam suæ Artis ostendit, qui in electis suis contraria ex contrariis gignit, fovet, ac nutrit... Cogita quale sit Deum... cum miro quodam artificio quandoque in electis perficere, ut fiant ex reis justi, ex servis liberi, ex miseris debitoribus meritis divites, et regni cœlestis hæredes. » (Benjamin maj., lib. lib. 2, cap 24, p. 105).

II. « Dei *Sapientia*, cum simplex et una, modo præscientia dicitur; modo scientia nominatur; nunc eam prædestinationem dicimus, nunc dispositionem vocamus. Sic res una a nobis diverso modo distinguitur, ut a nostra exiguitate qualicumque modo, vel ex parte capiatur. *Scientia* est, qua omnia cognoscit. *Præscientia*, qua ab æterno omnia prævidit. *Prædestinatio*, qua ab æterno omnes sive ad vitam, sive ad mortem præordinavit. *Dispositio*, qua omnia ubique incessanter disponendo, nihil inordinatum relinquit. Hos nostræ considerationis modos quasi in circulum flectimus, quando in omni divinæ Sapientiæ ordinatione, initium cum fine concordare videmus. Nunquam enim divina præscientia in sua providentia fallitur; nunquam divina prædestinatio in suo proposito decipitur; nusquam ejus scientia in judicio suo errat; nusquam ejus dispositio in suo consilio nutat. Dum enim circulus in semetipsum ab omni parte reflectitur: in ipso, procul dubio, sicut nec initium, sic nec finis invenitur. Illa utraque nihilominus consideratio ad hos circulos pertinet, quod in omni divinæ comprehensionis contemplatione, initium, finem vel modum mens nostra investigare non valet. Horum circulorum ambitus, ab omni parte ad unum medium punctum æqualiter circumfertur, quia omnis divina examinatio, nusquam in una re quam in alia, ab unius et simplicis Veritatis diffinitione longius evagatur. Hi circuli in seipsis omnia comprehendunt, et suo in sinu universa concludunt. » (Ibid., lib. 2, cap. 20, p. 101).

III. « Nusquam in omni ejus opere, quam in animæ *creatione, reparatione, glorificatione* apparet ejus, vel Potentia sublimior, vel Sapientia mirabilior, vel Misericordia jucundior. — Primo spiritalis natura creatur, ut sit; secundo justificatur, ut bona *(seu potius melior)* sit; tertio glorificatur, ut beata sit. — Per creationem itaque, ad bonum initiatur; per justificationem, in bono dilatatur; per glorificationem, in bono consummatur. — Bona creationis sunt ad inchoationem; bona justificationis ad promotionem; bona glorificationis ad consummationem. — Prima bona sunt Creatoris dona; secunda sunt Creatoris dona et creaturæ merita; tertia bona sunt Creatoris dona et creaturæ præmia, consummatio donorum, et retributio meritorum. » (Ibid., lib. 3, cap. 10, 11, p. 121).

§ III.

De contemplationis fundamento, quod est divinus Exemplarismus.

727. — In explicatione sex generum contemplationis, Richardus Exemplarismum non exponit, sed supponit. Etenim varii contemplationis gradus non sunt nisi mentis ascensus, incipiens a creaturis juxta Deum exemplatis, atque ad divinum Exemplar, unum et trinum terminatus. Mente ascendimus a visibilibus Dei vestigiis ad invisibiles ejus imagines, et inde ad supremum ac commune rerum visibilium atque invisibilium Exemplar.

I. Sequenti modo loquitur in primo gradu contemplationis, de visibilibus creaturis divinam Potentiam, Sapientiam et Bonitatem repræsentantibus: « In imaginatione contemplatio nostra tunc procul dubio versatur, quando rerum istarum visibilium forma et imago in considerationem adducitur, cum obstupescentes attendimus, et attendentes obstupescimus, corporalia ista quæ sensu corporeo haurimus, quam sint multa, quam magna, quam diversa, quam pulchra vel jucunda, et in his omnibus creatricis illius superessentiæ Potentiam, Sapientiam, Munificentiam mirando veneramur, et venerando miramur. » (Ibid., lib. 1, cap. 6).

II. De analogia inter visibilia Dei vestigia et invisibiles ejus imagines, atque ipsius perfectiones, dicit: « Ad hoc itaque genus *(scilicet ad tertium genus contemplationis)* pertinet quoties per visibilia mundi, invisibilia Dei cognoscimus, ut constet quod scriptum reperitur, quia *invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Recte autem hæc contemplatio quæ, ut ad invisibilia ascendat, baculo se corporeæ similitudinis sustentat, et quadam, ut ita dicam, corporalium proprietatum scala se ad alta sublevat, recte, inquam, hujusmodi speculatio per coronam arcæ designatur... Longe copiosior est bonorum invisibilium magnitudo, quam ut eam repræsentare possit similitudinum tanta multitudo. Habent tamen corpora omnia ad invisibilia bona similitudinem aliquam, sed alia infimam quamdam, et valde longinquam, et pene extraneam; alia autem viciniorem et manifestiorem, et quanto propinquiorem, tanto evidentiorem; et supra hæc alia valde propinquam et cognatam, ut sic dicam, et penitus expressam, intantum ut videantur invisibilibus non jam appropinquare, sed inhærere, et inseri potius quam accedere. Ab ipsis ergo quæ ad illa vicinius accedunt, et quæ invisibilium imaginem evidentiorem gerunt, debemus utique similitudinem trahere, ut ad ea quæ per experientiam non novimus, per ea quæ cognovimus intelligentia nostra possit ascendere. » (Ibid., cap. 12).

« Si nulla omnino bona visibilia ad invisibilia similitudinem haberent, ad invisibilium investigationem nullatenus nos adjuvare valerent, nec jam constaret quod de ipsis legitur, quia *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom., 1). » (Ibid., lib. 2, cap. 16).

III. *De creatura rationali, Dei imagine,* dicit in quarto gradu contemplationis: « Credimus rationalem creaturam, tam angelicam, quam humanam, ad imaginem et similitudinem Dei creatam. Et de homine quidem scriptum est: *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam; ad imaginem Dei creavit illum* (Gen. 1). Et pro angelica natura dictum putamus quod alias legimus: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (Ezech. 28). Ecce quod angelica natura signaculum similitudinis dicta sit, etiam pro ea parte, quæ in veritate non stetit. »

« Propheta tamen David manifeste proclamat, et dicit: *Non est similis tui in diis, Domine* (Psal. 85). Et Isaias aperte denuntiat: *Quoniam omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt* (Isai. 40). Quomodo ergo nihilum et inane, si divinum habent aliquid simile? An forte quod unus dicit, alius contradicit? Absit! Nam ecce apud David lego: *Deus, quis similis erit tibi?* (Psal. 82). Sed item apud eumdem invenio: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (Psal. 4). Quid igitur aliud ex tam diversis sententiis colligimus, nisi quod veraciter, et absque dubio, Auctori nostro ex aliquo similes, et ex aliquo dissimiles existimus? Imo quomodo ei in multis homo similis non est, de quo veraciter scriptum est: *Quoniam universa vanitas omnis homo vivens* (Psal. 38), ecce quomodo dissimilis. *Verumtamen in imagine pertransit homo* (ibid.), ecce quomodo similis. *Quis enim est homo, ut possit sequi Regem Factorem suum?* (Eccl. 2, v. 12). Sed nec angelus utique in cœlo, illam Creatoris sui similitudinem perfecte æmulatur. *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia* (Exod. 15). » (Ibid., lib. 4, cap. 8).

ARTICULUS IX.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN B. ALBERTO MAGNO.

728. — Prænotanda. B. Albertus est scholae dominicanæ in medio ævo fundator, et S. Thomæ magister. Tota ejus sapientia in divino Exemplarismo fundatur, quia ad Dei Sapientiam et ideas ordinatur. Universi enim ordinis creati rationem quærit in superna Creatoris Ratione. Hoc evidenter patet in suo opere *De Causis et processu universitatis a prima Causa* (T. 7), quod agit de toto ordine naturali, atque in tribus *Summis theologicis,* quæ totum ordinem supernaturalem evolvunt. Fidei simul et rationis lumine illustratus, Deum, unum et trinum contemplatur tanquam supremum omnium rerum Artificem, seu tanquam primam Causam efficientem, exemplarem et finalem; omnipotentem, sapientissimam, optimam, quæ perfectionis suæ vestigia vel imaginem in omnibus opificiis suis impressit, ita ut pulchritudo totius mundi, et partium ejus, divinam Pulchritudinem repræsentet, atque Dei gloriam enarret.

Videamus quid doceat: 1°) de trina omnium rerum Causa in genere, et de prima Causa exemplari in specie; 2°) de trina ejus repræsentatione in omnibus effectibus creatis, juxta illam exemplatis; 3°) de Causa unitrina ex suis effectibus nobis cognita.

§ I.

De trina omnium Causa in genere et de prima Causa exemplari in specie.

Profundissime disserit B. Albertus: 1°) de trina Causa in Deo; 2°) de Causa exemplari in specie; 3°) de divinarum idearum pluralitate; 4°) de divinarum idearum objectis; 5°) de divino Intellectu totum ordinem creatum causante; 6°) de divina Scientia, omnem scientiam et artem causante; 7°) de trina Causa singulis personis appropriata.

I.

Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis.

729. — « Deinde quæritur de hoc nomine: *causa;* quia etiam si ad actum referatur, temporaliter de Deo dicitur. De hoc igitur quæritur hîc, secundum quam rationem nomen causæ conveniat Deo? Et quia consuevit dici per Dionysium, quod Deus est efficiens Causa, et exemplaris et finalis; propter quod etiam versus sunt:

Efficiens Causa Deus est, formalis idea,
Finalis Bonitas, materialis hyle.

Quæritur ergo utrum ista triplex ratio causæ in Deo sit, et videtur quod non... Si hoc concedatur, in contrarium est quod dicitur ad Romani 11: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Et *ex ipso* dicit propter causam formalem exemplarem; *per ipsum* propter causam efficientem, quam notat præpositio *per; in ipso* autem propter finem, cujus est continere, quod notat præpositio *in;* et sic videtur quod intentiones trium causarum in Deo sint. — Adhuc, physicis in agentibus per se, et non secundum accidens, tres in unum concidunt. Cum ergo simplicitas sit in divina Causa, multo magis sit hoc in divinis. »

« Ad quæstionem ergo dicendum est, quod Deus est *efficiens Causa* omnium per Intellectum agentem universaliter, quia ipse est primus Intellectus, cujus solius est omnino et omnimode universaliter agere. Et si sunt intelligentiæ, quas posuerunt philosophi in ordinibus diversis, nullius est earum omnino et omnimode universaliter agere; nec per se agere, secundum quod *per se* opponitur ad id quod est *per aliud;* sed omnes agunt virtute Causæ primæ agentis in ipsis. Dicit enim Philosophus in libro de causis, quod secunda causa habet a prima et quod est, et quod causa est. Et in 8 Physicorum probat, quod cessante motu in primo movente, ita quod non moveat, cessabit motus in secundo, et in omnibus aliis. — Quia autem omnis intellectus movet ad formam quæ est in ipso, sicut artificiatum per formam est in artifice; et hoc est ad exemplar facere, intantum quod dicit Aristoteles in 7 primæ Philosophiæ, quod in talibus per se agentibus, domus est ex domo, sanitas ex sanitate, plaga sive ictus ex ictu: cum Deus agat Intellectu perfectissimo, oportet quod Intellectus ejus agens Exemplar sit omnium actorum, et sic oportet eum esse *Causam formalem exemplarem.* — Adhuc sicut dicit Dionysius, cum boni sit bona adducere, et nihil sit diffusivum esse nisi exstasis boni, quæ non sinit ipsum in seipso manere; bonum autem quum sit in ratione finis, oportet ipsum esse *causam finalem.* Et hoc est quod dicit Augustinus: Quia bonus est, sumus. »

« Intentio triplicis Causæ in Deo est in una Re, et in una Essentia, et per rationem relationis ad causam triplicem accipit intentionem causæ. Inquantum enim producit esse totum, accipit intentionem *causæ efficientis.* Inquantum autem producit ad seipsum respiciens, et non ad aliud, sicut operatur omnis intellectus sapientis, accipit intentionem causæ *formalis exemplaris;* propter quod semper rationabile et convenientissimum est opus suum. Inquantum autem non operatur nisi exstasi boni et nulla indigentia, accipit intentionem *causæ finalis.* Et hoc est quod dicit Boetius, 3 de Consolat. Philos.:

« Quem non externæ pepulerunt fingere causæ;
. . . . . verum insita summi
Forma Boni, livore carens, tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo . . . . . »

II.

Deus est prima omnium rerum Causa formalis extrinseca, seu exemplaris.

730. — Hoc probat B. Albertus ex Summa sua theol. tract. 13, q. 55, memb. 2, art. 1, sequentibus novem rationibus:

1°) « Dionysius de Divinis Nominibus, cap. 5, dicit sic: *Et principia sunt, et primum sunt, et postea principia sunt.* Principia ergo formabilia rerum primum sunt, et postea principium sunt. Sed si sunt primum, non possunt esse nisi in arte Mentis divinæ idealiter; quia illa est Causa prima rerum. Ergo exemplaria omnium rerum principium sunt in Mente divina. Et sic Mens divina, secundum quod Ars est, sive factivum principium rerum cum ratione (sic enim Aristoteles diffinit artem in 6 Ethic.), est Causa formalis et exemplaris rerum. »

2°) « Super idem verbum Dionysii, Maximus in Commentario dicit sic: Causæ primordiales sunt principia, quas Græci ideas vocant, hoc est species vel formas æternas, et incommutabiles rationes, secundum quas et in quibus visibilis mundus formatur et regitur. Ideoque a Græcorum sapientibus *archetypa* appellari mueruerunt, hoc est exempla principalia, quæ Pater in Filio fecit, et per Spiritum sanctum in effectus suos dividit atque multiplicat. *Porismata* quoque vocantur, id est prædestinationes. In his enim quæcumque Providentiâ divinâ et fiunt et facta sunt, simul et semel et incommutabiliter prædestinata sunt. Nihil enim naturaliter visibile vel invisibile oritur, præter quod in eis, ante omnia tempora et loca, prædefinitum et ordinatum est. Ex hoc accipitur quod ideæ omnium rerum in Mente divina sunt, et sunt principalia exempla omnium quæ in rebus oriuntur. »

3°) « Adhuc ibi Maximus post pauca: Ideæ a philosophis *divinæ voluntates* appellari solent, et præcipue a Platone; quoniam quæcumque voluit Deus facere, in ipsis primordialiter et causaliter fecit. Ex hoc arguitur ut prius, quod Deus et Mens divina primordialis et exemplaris Causa est rerum. »

4°) « Adhuc Maximus ibidem: Has formas, sive ideas, Dionysius cæterique Sancti appellant: per seipsam Bonitatem, per seipsam Essentiam, per seipsam Vitam, per seipsam Virtutem, per seipsam Sapientiam. Quæcumque enim bona sunt, participatione per se Boni bona sunt; et quæcumque sunt, participatione per se Essentiæ sunt; et quæcumque vivunt, participatione per se Vitæ vivunt, et sic de aliis participationibus et participantibus. Nulla siquidem virtus, sive generalis, sive specialis, in natura rerum invenitur, quod a primordialibus causis inæstimabili participatione non procedat. Ex hoc accipitur idem quod prius. »

5°) « Adhuc Hebr. 11: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Ibi Glossa Augustini: Ex invisibilibus significatur invisibilis mundus, qui erat in Dei Sapientia, ad cujus similitudinem factus est hic visibilis mundus; hoc est, dispositio qua disposuit omnia ista visibilia, ut fierent juxta invisibile exemplar quod erat in Mente Dei. Ex hoc iterum relinquitur, quod exemplaria rerum in Mente divina sunt; et sic Deus est Causa exemplaris rerum et formalis. »

6°) « Adhuc idem per rationem arguitur: Omnis enim artifex sapiens, apud se habet et formas et rationes operum; quas si non haberet, nec sciret opus suum, nec rationes operis dirigeret in opere, sed operaretur fortuna et casu. Dicit enim Aristoteles in libello De fortuna et eupraxia, quod fortuna est natura, præter rationem et intellectum, impetum faciens. Cum ergo Deus sit Artifex sapientissimus, omnium operum suorum formas et rationes habet apud seipsum; et sic est Causa formalis et exemplaris omnium suorum operum, sicut artifex artificiatorum. »

7°) « Adhuc hoc est, quod dicit Augustinus in libro 1 Retraction., cap. 3, sic: Mundum intelligibilem nuncupavit Plato ipsam Rationem sempiternam, qua fecit Deus mundum; quam qui esse negat, sequitur ut dicat Deum irrationabiliter fecisse quod fecit; aut cum faceret, aut antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud Eum ratio faciendi non erat. »

8°) « Adhuc Aristotelas in 2 Physicorum, dicit quod Polycletus causa statuæ est per accidens; statuarius autem causa statuæ per se. Ex hoc accipitur quod causa per se non est, nisi quæ præhabet causam formati; Deus autem Causa per se est omnis rei quam facit. Ergo causaliter præhabet et idealiter formas omnium eorum quæ facit. Quod autem præhabet formas causatorum, formalis et exemplaris, est Causa omnium creatorum. »

9°) « Adhuc Aristoteles, loquens de Causa universi esse, dicit quod in omnibus est actus ante potentiam, et ratione, et substantia, et tempore; ita quod in talibus est domus ex domo, homo ex homine, sanitas ex sanitate. Et hoc esse non potest, nisi artifex ipse idealiter et exemplariter sit Actus omnium, ad quem formatur et efficitur omne quod est in actu, hoc vel illud. Artifex ergo exemplaris Causa est omnium rerum. »

Denique concludit: « Dicendum quod ideæ sunt in Mente divina, secundum quod Ars est omnium creatorum. Sic enim præhabet, et simpliciter habet species et rationes omnium creatorum, quæ, sicut dicit Augustinus, sunt idem quod ipsa Mens divina. Non enim cognoscit Deus nisi seipso et uno et eodem, et non sicut intellectus creatus, qui medium cognitionis suæ speciem accipit a cognoscibili; sed seipso cognoscit, inquantum scilicet ipse Species est et Ratio omnis cognitionis, et omnium cognoscibilium. Rationes autem ad hoc inductæ, quod in Mente divina sunt exemplaria rerum concedendæ sunt hoc modo quo dictum est, quod scilicet sunt primordiales et fontales causæ creatorum. » (Loco citato, memb. 2, art. 1).

III.

Deus est unicum rerum Exemplar, sed cum relatione ad plura.

731. — Ibidem, art. 2, quæritur: *Si exemplaria sunt in Mente divina, utrum sint sub uni-*

tate vel pluralitate. Et respondet B. Albertus: « Dicendum quod sub unitate sunt in Mente divina, hoc est, ut unum, sed non ut multa; quia quod est Causa prima, est in ea per modum causæ, et non per modum causati. Unde, sicut dicitur in libro De causis, causatum in causa est causa. Quamvis tamen unum sint in Causa, relativam tamen habent pluralitatem, eo quod illud unum ad multa refertur, et formali relatione qua refertur ad unum, non refertur ad aliud, licet res una et eadem sit, sicut optime posuit Dionysius exemplum in unitate et centro. Una enim *unitas* est omnis numeri principium; relatio tamen qua refertur ad unam speciem numeri et ratio, non est una et eadem cum relatione et ratione qua refertur ad aliam. Et similiter est de *centro*, quod est principium linearum ductarum de centro ad circumferentiam, quod alia relatione et ratione refertur ad unam quam ad aliam; quæ rationes relationum, quia secundum Boetium non addunt, nec minuunt, nec variant aliquid in re, nullum in centro inducunt pluralitatem. »

« Et hæc est intentio Augustini. Quia tamen relationum est pluralitas, et non rei, hanc consignificando dicit: *Ideæ* sunt in Mente divina. Et ut removeat pluralitatem realem, non dicit: *Plures ideæ*, vel multæ ideæ; quia in Deo sunt ut unum, et non ut multa. Et quod dicit, quod alia ratione sit equus, alia homo, ostendit hoc quod dictum est. Ratio enim proprie respicit finem operationis, qui est opus ipsum, et diversa opera informata ad opificem una relatione referri non possunt, et per consequens nec opifex ad ipsa. Nec est simile de artifice creato et increato: quia artifex creatus exemplar operis non est, nisi per formam ab opere acceptam; et ideo per unam rem non potest esse exemplar duorum. Opifex autem increatus sicut seipso causat, ita seipso Exemplar est; et ideo per idem se multiplicatur relatione; Causa exemplaris omnium est. » (Ibid., art. 2).

IV.

Quorum idea, seu exemplar, sit causa in Deo.

732. — « *Cujus idea sit causa?*... Dicendum est, quod sicut de necessitate probatum est, et ex verbis Augustini accipitur expresse, idea non est tantum factorum existentium et futurorum, sed etiam possibilium Deo, etiamsi nunquam fierent... »

« Ad id quod ulterius quæritur: *Si mala habeant in Deo ideam.* Dicendum quod non. Secundum Dionysium enim, cujus nulla est per se Existentis participatio, illius nulla est forma. Mali autem nulla est per se Existentis participatio, quia malitia secundum se nihil est. Unde malum in Deo exemplar habere non potest. »

« ... Quæ sunt in simplici notitia, aliquando sunt in ea per formam, aliquando per formæ privationem. Simplex enim notitia intellectûs, et est de forma, et est de privatione: *de forma*, quia principium cognitionis est; *de privatione*, quia a principio cognitionis recedit. Et sic mala sunt *in simplici notitia* Dei, et *non in arte* per ideam vel exemplare, sed potius per hoc quod recedunt, ut dicit Augustinus, ab imitatione ideæ exemplaris et artis. Propter quod merito vituperantur et puniuntur non incognita, quia sunt in lumine simplicis notitiæ, sicut tenebra est in lumine, ut dicit Gregorius, quia privatione luminis manifestatur. » (Ibid., art. 3).

Confer quoque de causa exemplari Summ. Theol., tract. 1, quæst. 4, art. 1, partic. 4, T. 22, p. 41. — Item de ideis divinis, vide opus de Apprehensione, part. 12, n.° 17-19, T. 25, p. 81. — De nominibus Imaginis et Verbi, quæ Filio Dei propria sunt. (Summ. Theol., part. 1, tract. 8, q. 35, membr. 2 et 3).

V.

Divinus Intellectus est Causa universi ordinis creati.

733. « Quod autem sit *Causa ordinis universorum*, est per Intellectum secundum quod Intellectus est. Cum enim principia sint natura intellectus, nec plura sint in genere effectiva principia, constat quod natura non est nisi ad unum; unius autem ad se non est ordinatio; intellectus autem in omnibus in quibus est, plurium est, sicut in intellectu domificatoris, qui est fundamenti, parietis et tecti in domificatione... Diversitas ergo non est nisi ab intelligentia, nec ab alio potest esse principio. Aut ergo diversitas ordinata est ab intellectu, aut non ordinata. Si non ordinata, tunc privatio causam habebit efficientem; et a sapientissimo *(Deo)*, quod est Principium omnis sapientiæ, esset id quod careret ratione sapientiæ et intelligentiæ, quod omnino inconveniens est. Dicit enim Philosophus in primo Philosophiæ primæ, quod sapientis est ordinare et non ordinari, eo quod rationem ordinis habet in seipso, cum sit sapiens per intellectum — Adhuc, in his quæ confuse et sine ordine producta sunt, nullum est primum et nullum est secundum, sed omnia ex æquo procedunt, vel ordine perverso, ita quod secundum est ante primum; quod in universitate rerum non videmus observari, sed potius ordinem servari videmus. Hujus ergo ordinis causa vel est primum, vel est secundum.

Si secundum, cum secundum ordinatum sit, erit id quod ordinatum est, causa universalis ordinis, quod est impossibile. Reliquitur ergo, quod Causa ordinis universi primum (*Principium*) est; et sic habetur propositum quod a principio intendimus, scilicet quod primum est Causa ordinis, et esse universi. » (De Causis etc., lib. 1, tract. 2, cap. 8, T. 7, p. 546).

VI.

Scientia Dei est Causa omnis scientiæ et artis.

734. — « Satis facile est videre, quod intelligentia omnem suam virtutem, qua movet et comprehendit sequentia, accipit a Causa prima; Causæ enim primæ Virtus causativa est et præparativa omnium; virtus autem intelligentiæ, inquantum est intelligentia, non est creativa, sed potius creati formativa et determinativa; et similiter virtutes omnium sequentium; nihil enim sequentium virtutem creativam habere potest. Omnia enim sequentia causant, causante quodam alio præsupposito ordine causalitatis. Causant ergo ex aliquo, et non ex nihilo. Talis autem motus causalitatis non est creativæ virtutis. — Adhuc virtus causalitatis per formationem minor est, quam sit virtus causalitatis per creationem, et est casus ab illa; Virtus autem creativa non nisi primæ Causæ est; patet ergo, quod primæ causæ Virtus eminet super omnem virtutem, quam nihil secundorum attingere potest, et habet hanc Virtutem in omnibus sequentibus, et est divina, non intellectualis *(more creaturarum rationalium)*, neque naturalis, neque animalis. Et cum prima Causa per Scientiam suam causa sit, patet quod Scientia primi *(Principii)* quæ est divina, nec intellectualis est, nec animalis, nec naturalis. Scientiam autem dico formam scientiæ practicæ, quæ est Intellectus universaliter Agentis, ut probatum est in ante habitis, quod primum Agens est agens per intellectum. Non enim propria verba de primo Agente habere possumus propter excellentiam Ipsius. Jam enim habitum est, quod est supra sermonem, et supra linguam; et propter hoc a secundis nominatur, cum tamen nihil secundorum sibi conveniat nisi secundum excellentiam. Talis enim modus in omnibus est. »

« Impossibile ergo est, quod causæ non recurrant usque ad primam, sicut probat Aristoteles in principio primæ Philosophiæ, et in omnibus illis, primum in quo stat resolutio, scipso causa est. Secundum autem virtute primi causa est, et tertium virtute secundi et primi, et sic deinceps. Et hoc est in *(causis)* efficientibus, et formalibus, et finalibus, et etiam materialibus secundum suum modum. Et in his omnibus, semper præcedens non tantum virtus substantialis est causata, sed etiam princeps virtutum substantialium. Et in artificialibus similiter est, eo quod ars, quantum potest, naturam imitatur; et hoc modo, primum Principium est creans animam, et formans ad intelligentiam; propter quod dicitur creare naturam per intelligentiam et animam, et sic descendendo creans et formans est, usque ad ultimum. » (De Causis etc., lib. 2, tract. 2, cap, 17, T. 7, p. 599).

VII.

Trina Causa, et tria attributa causativa singulis personis divinis appropriantur.

735. — 1°) Trina Causa indicatur verbis Apostoli: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom., 11); de quibus dicit B. Albertus: « Si attendatur *substantia* causalitatis, tunc procul dubio, sicut dicit Ambrosius, hæc ad omnes tres personas referuntur æqualiter; quia sic omnia sunt ex Patre, per Patrem et in Patre; et omnia sunt ex Filio, per Filium et in Filio; et omnia sunt ex Spiritu sancto, per Spiritum sanctum et in Spiritu sancto. — Si autem attendatur *modus* causalitatis, tunc *ex* dicit rationem Principii primi, quod non est ab alio, sed ab ipso est alius; et cum Pater, in Ordine naturæ *(divinæ)*, sit Principium non de alio, de quo alius, per hunc modum significandi appropriatur ei *ex*. — Et similiter cum *per* dicat habitudinem mediæ causæ et quasi instrumentalis, sicut dicimus: iste percutit per baculum, vel ædificat per securim; media autem causa mota sit ab alia, et moveat illud; sic accedit ad Filium, qui est ab alio, a quo alius. — Et cum præpositio *in* dicat continentiam vel conservationem; continentia autem et conservatio, Bonitatis sint et Amoris, quæ appropriantur Spiritui sancto; sic habitudo præpositionis *in* accedit ad Spiritum sanctum. Ideo dicit Augustinus, quod *ex ipso* dicit propter Patrem; *per ipsum* propter Filium; *in ipso* propter Spiritum sanctum. Quod autem *ipso* dicit, et non *ipsis*, notat unitatem Essentiæ. » (Ibid., membr. 4).

2°) « Cum principium in genere potentia sit, eo quod principia omnibus potentiora sunt; et quo priora et simpliciora sunt, eo potentiora sunt; Pater autem solus in Ordine naturæ habet rationem perfectam Principii, sicut is in quo est Principium totius divinitatis, ut dicit Augustinus, lib. 4 de Trinitate, cap. 20; est enim Principium non de principio, Filius autem Principium de Principio, et Spiritus sanctus Prin-

cipium de utroque Principio; esse autem de Principio, non est de ratione principii; merito *(igitur)* Patri attribuitur Potentia, et non Filio, vel Spiritui sancto. — Similiter cum Filius per generationem procedat a Patre sicut notitia a mente, ut dicit Augustinus, 15 de Trinit., cap. 7; notitia autem sapientia sit, formata a mente sive intelligentia, habens in se et sapere et saporem (est enim, ut dicit Augustinus, notitia amata), merito attribuitur Filio Sapientia. — Similiter cum Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit per modum amoris; amor autem intimus et optimus affectus sit voluntatis, quando non est privatus, et est honesti; merito attribuitur Voluntas Spiritui sancto. De Spiritu enim dicitur, Sap. 7, quod est amans bonum actum, qui nihil vetat bene facere. » (Summ. theol., part. 1, tract. 12, q. 50, membr. 1, T. 21, p. 290).

§ II.

De trina Causæ divinæ repræsentatione in omnibus suis effectibus.

Scilicet: 1°) de SS. Trinitatis vestigiis in omnibus creaturis; 2°) de SS. Trinitatis imagine in creaturis rationalibus; 3°) de SS. Trinitatis Pulchritudine in trino mundi ordine repræsentata.

I.

De Trinitatis divinæ vestigiis in omnibus creaturis.

736. — 1°) VESTIGIUM CREATORIS EST IN CREATURA.

« *Vestigium* dupliciter dicitur: proprie, scilicet, et per translationem. *Proprie* est impressio pedis in pulvere, vel via molli. Et quia omnis impressio secundum tactum fit; omnis autem tactus secundum ultimum tangentis; ideo vestigium similitudo est ad ultimum, quod est in pede; et hoc est planta pedis et digitorum. Quia autem hoc imperfecte repræsentat pedem, et imperfectius eum cujus est pes; spissitudinem enim pedis non repræsentat neque lineamenta et figuras superiorum pedis, nec interiorum; ideo sub hac similitudine, ad *signum quodcumque transfertur*, quod cum causa non est convertibile, secundum quod dicit Aristot. in 2 Priorum, quod ex iconibus et signis proceditur dialecticis et rhetoricis argumentationibus; icon enim vel iconis similitudo est imperfecta. Et ex talibus etiam naturæ rerum cognoscuntur, ut ibidem dicit, quod si quis concedat simul mutare corpus et animam, quæcumque sunt naturales passiones. — Et secundum hoc dicitur *vestigium Dei in creaturis*, signum scilicet quo probabiliter aliquid Dei cognoscitur. Et deficit ab *imagine* in hoc, quod imperfecta est similitudo exteriorum, et secundum partem. Convenit autem cum eadem in hoc, quod alicujus exterioris est similitudo, et dicitur in aliquid ejus cujus est similitudo, et etiam aliquo modo in distinctionem partis illius, cujus similitudo est, quamvis confuse et imperfecte. »

Hoc Creatoris vestigium in creaturis probat B. Albertus sequentibus argumentis: « Augustinus, lib. 11 de Civit. Dei, cap. 24: *Per omnia opera sua significationis suæ sparsit indicia.* Indicium autem significationis signum est. Ergo vestigium Dei est in creaturis. — Adhuc Job 11: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies.* Hoc incassum diceretur, nisi vestigium esset in creaturis. — Adhuc Job 23: *Vestigia ejus secutus est pes meus.* Quod non diceret nisi vestigium in creaturis cognovisset. »

737. — 2°) CREATORIS VESTIGIA TRINA SUNT ET VARIA, ATQUE REDUCENDA AD QUINQUE CAPITA.

« *Secundo quæritur quid sit vestigium?* Ut videtur quod numerus, pondus et mensura uniuscujusque rei, propter illud Sap. 11: *Omnia in mensura et numero, et pondere disposuisti.* — Adhuc Augustinus in libro de Natura boni, cap. 3, distinguens vestigium, dicit quod modus, species et ordo in omnibus rebus creatis inventa, vestigium sunt; et sic videtur quod triplex sit vestigium. — Adhuc Augustinus in libro 83 Quæstionum, tertio modo inducit vestigium dicens, quod in omni re invenitur quod est, quod discernitur, et quod congruit, et sic videtur quod multa sunt vestigia. — Adhuc in Commentario libri Causarum, ponuntur ista tria: ens, verum, bonum. Et dicitur ibidem, quod in omnibus inveniuntur ut causæ formales primæ. — Adhuc Dionysius in Cœlesti hierarchia, cap. 11, videtur ista ponere: substantia, virtus et operatio. Unaquæque enim res est id quod est, et subsistens; et sic substantia est, sive quid. Dicit etiam quod nihil destituitur propria operatione; non autem aliquid habet operationem, nisi habeat ad operationem virtutem; et sic propria virtute non destituitur. In omni ergo est substantia, virtus et operatio... »

Tunc B. Albertus tria omnia hæc vestigia reducit ad quinque capita sequentia: « Dicendum quod in tribus, quæ sunt partes vestigii, assignatur perfectio boni naturæ omnis creati...; et quod assignationes vestigii diversæ sunt, propter diversam creaturæ, in qua sunt, considerationem. Creatum enim potest considerari in fieri, et in esse, et in perfecto esse. Potest etiam considerari prout cognoscibile est, et prout dis-

ponitur ad operationem. Et penes ista quinque, quinque assignationes accipiuntur quæ inductæ sunt. Si enim consideratur *in fieri*, sic ponitur illa de libro Sapientiæ: Mensura, numerus et pondus... — Si autem consideretur creatum in *esse* constituto, iterum tria sunt in ipso... et sic omne quod est, modum habet, speciem et ordinem... — Si vero in *perfecto esse* consideretur... omne quod est perfectum, est ens, verum et bonum... Licet ens, verum, bonum convertantur secundum supposita, tamen non convertuntur secundum esse et rationem. Ens enim dicitur per comparationem ad causam efficientem, verum ad causam formalem, et bonum ad causam finalem, et per talem diversitatem, sunt de vestigio non synonima... — Si autem consideretur res *ut cognoscibilis est*, tunc aliquid in ea est cognitum, aliquid cognitionis principium; et illud idem, ut determinate cognoscatur secundum convenientiam et differentiam, refertur ad alia. Per primum ergo est; per secundum habet quo discernitur; per tertium, quo congruit, vel opponitur; per unum enim oppositorum intelligitur reliquum. — Si autem consideratur *in perfectione ad opus*, tunc necesse est in eo aliquid esse quod est operans, ut potentia opus faciens; in hoc dicitur substantia. Et necesse est in ipso aliquid esse, quod potens in ultimo suæ potentiæ constituat, ut operari possit, et hoc vocatur virtus. Et necesse est operationem essentialem egredi inseparabiliter, ut dicit Damascenus, ut ab intellectu intelligere, secundum quod intelligere intelligentis est esse, a sensu sentire, a vegetabili vegetare, a luce lucere, ab homine hominare, ab asino asinare, secundum quod asinare est asini esse, et sic est in omnibus aliis. Et sic in omni creato est substantia, virtus et operatio. »

738. — 3°) VESTIGIUM TRINITATIS CREANTIS EST IN OMNI CREATURA.

« Dicendum quod hæc *(modus, species et ordo)* in omni creatura inveniuntur; quod creatum, est terminus actûs creantis, vel secundum fieri, vel secundum esse. »

« *Quæritur de eorum ordine:* Utrum scilicet secundum sit ex primo, et tertium ex secundo et primo, sicut videtur Filius ex Patre, Spiritus sanctus ex utroque? — Dicendum, quod hæc procul dubio ordinata sunt, ut dicit objectio. Bonum enim quod constituitur ex his, constituitur ut totum potestativum, quod in parte habet similitudinem cum toto universali, et in parte cum toto integrali. Cum toto universali convenit, inquantum per essentiam est in qualibet parte: bonum enim est modus, et bonum species, et bonum est ordo. Cum toto autem integrali convenit, inquantum per partem suæ potestatis est in uno, et per aliam partem est in alio, et per tertiam in tertio; et per totum suæ potestatis non est nisi in omnibus simul, et in nullo singillatim. Et hoc modo, secundum procedit de primo ut actus de potentia, et tertium procedit de duobus simul, et in tertio supponitur secundum et primum, quia non est ordo nisi habentis speciem et modum; et in secundo supponitur primum, quia non est species nisi ejus quod habet modum. Et sic *modus* attribuitur Patri, in quo est Principium totius processionis personarum; *species* Filio, in quo est processus Spiritus sancti; *ordo* Spiritui sancto, in quo stat processio. Unitas autem substantiæ in qua sunt hæc tria, respondet unitati Essentiæ divinæ in tribus personis. » (Summ. theol., part. 1, tract. 3, q. 12, membr. 2, art. 1).

II.

De Trinitatis divinæ imagine in creaturis rationalibus.

739. — 1°) NOTIO IMAGINIS.

« *Imago*, ut est res terminata per actum creantis, in se habet *vestigium*. Et quando dicitur similitudo Dei per *imaginem* et *vestigium*, non dicitur divisio per oppositas res, sed per oppositos modos et rationes; per hoc scilicet, quod *imago* est similitudo perfectior; *vestigium* autem imperfectior. » (Ibid., partic. 3).

« Dupliciter assignatur *(imago):* primo in potentiis, secundo in actibus. » (Ibid., art. 2, partic. 1). — « Imago dupliciter dicitur: *Potentiâ* scilicet, et sic mens ipsa secundum seipsam dicitur imago: habet enim in se quibus configuratur unitati et trinitati. *Actu* autem et immediate dicitur imago, quando per conceptum veri et boni configuratur ei quod simile est Deo uni et trino; et hoc est, quando concipit seipsam in tribus viribus quæ sunt partes ejus, ita quod meminit sui, intelligit se, vult se. Et hoc modo videtur Augustinus in 14 de Trinit. Dei loqui de imagine. — Omnibus autem dictis modis semper imago est *in mente:* nihil enim est in anima, quod totum toti commensuretur objecto, nisi mens; non sensus, nec aliqua pars sensitivi; nec vegetativum, nec aliqua pars ejus. Et hæc est causa quæ compulit Augustinum imaginem ponere in mente. » (Ibid., sub partic. 1).

740. — 2°) IMAGO TRINITATIS DIVINÆ IMPRIMITUR IN MENTE ANGELICA ET HUMANA.

« Dionysius in lib. de Divin. Nomin., cap. 4 dicit quod angelus est imago Dei. Quod etiam dicit Gregorius. Itaque Ezech. 28, dicitur *signaculum similitudinis Dei*. Et dicit Gregorius, quod eo dicitur signaculum, quo imago Dei magis in

eo est impressa; quia signaculum dicitur sigillum profundatum... »

« Dionysius et Gregorius accipiunt imaginem *pro similitudine*, quæ expressior est in angelo quam in homine, secundum quod similitudo, ut dicit Boetius, est rerum differentium eadem qualitas essentialis vel accidentalis. Sic enim intellectuale, quod est in Deo essentialiter, in angelo est per analogiam propinquiorem, et in homine per analogiam remotiorem. Sed si imago dicatur *ab imitando trinum et unum*, secundum originem et Ordinem naturæ, quæ sunt trinum in uno, expressius est imago in homine quam in angelo; eo quod intellectualis creatura simplicior et deiformior est in angelo, quam in homine, et ideo minus distinguibilis. » (Ibid.).

741. — 3°) IMAGO TRINITATIS DIVINÆ IN MENTE ATTENDITUR SECUNDUM MEMORIAM, INTELLECTUM ET VOLUNTATEM.

« Dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in memoria, et in intelligentia, et in voluntate est imago; nec plures potest habere potentias nec pauciores. Ex memoria enim informatur intelligentia; nec aliud est ex quo formetur intelligentia, nisi memoria, secundum quod memoria est notitiam rei apud se habere. Nisi enim apud animam sit notitia, non est quo formetur intelligentia. Intelligentia autem extendente se, et notitiam accipiente de eo quod verum est in ratione boni et conveniens, statim ex memoria et intelligentia sic extensis, formatur appetitus qui est voluntas. Primus enim impetus animæ in bonum conveniens, est voluntas. Et sic intelligentia ex memoria formatur, sicut ex Patre dante formatur Filius. Et voluntas ex memoria et intelligentia extensis, et quasi spirantibus bonum; sicut Spiritus sanctus a Patre et Filio, uno Principio existentibus spirandi Bonum, quod est Spiritus sanctus. Et in hoc stat processio. » (Ibid., sub partic. 2).

Qui plura habere velit, adeat Summ. theol., part. I, tract. 3, q. 15, integram: *De medio cognoscendi Deum*, T. 21, p. 42, etc., — et Summ. de Creaturis, part. 2, De homine, tract. 1, q. 71-73, T. 23, p. 326, etc.

III.

De SS. Trinitatis Pulchritudine repræsentata in pulcherrimo et trino mundi ordine.

742. — 1°) DE PULCHRITUDINE MUNDI UNIVERSI.

a) **Quomodo differant bonum, pulchrum, decorum et aptum.** « Pulchrum, et bonum, et decorum secundum supposita ad idem determinantur et per idem, sed secundum intentiones non sunt idem. *Bonum* enim dicitur per comparationem ad causam finalem; *pulclrum* autem per comparationem ad causam formalem; ..... *decorum* autem differt ab his duobus, sicut dicit Aristoteles, eo quod consistit in commensuratione et proportione eorum ad invicem quæ pulchritudinem faciunt, sicut figura et color; ut verbi gratia, color respondeat figuræ, et sicut formositas est in figura, ita decentissimo colore venustetur. — In hoc ergo differunt ista secundum intentiones nominum, quod *pulchritudo universi* consistit in specie formæ, quæ turpitudinem materiæ in formis operit; *bonum universi* in adeptione finis, quo unaquæque res perfecta est secundum esse. »

« *Aptum* autem consistit in exterioribus adhibitis, sufficienter pertinentibus ad bene esse.... Sic ergo omnis res *pulchra* est in seipsa; *decora* in commensuratione congruente ad alia; *apta* eo, quod non deficit in aliquo, et quod juvat ad consequendum esse beatum, sive divinum. » (Summ. theol., part. 2, tract. 11, q. 62, memb. 1, T. 22, p. 324).

743. — b) **Quomodo ipsum malum conferat ad universi pulchritudinem.** « Malum culpæ *per se* turpe et fœdum est, et maculat, et vitiat, et deturpat esse id in quo est; sive hoc sit actus, sive habitus; sive angelus, sive anima. *Per accidens* tamen dupliciter operatur ad decorem universi, scilicet quia Deus qui permittit malum fieri, non permittit illud fieri, nisi sciret quæ bona ex ipso eliceret; sicut ex crudelitate Decii resplenduit, et melior et laudabilior facta fuit patientia Laurentii. Et quia malum juxta bonum positum, eminentius et commendabilius facit bonum, sicut oratio pulchrior est in rhetoricis quæ per antithesin oppositorum componitur, quam illa quæ continuata serie bona pronuntiatur; et symphonia in musicis, silentiis interpositis, dulcior redditur, quam illa quæ continuato sono cantatur. » (Ibid., memb. 2).

« Nulla propago mali relicta est in universo a Creatore, sed malum obortum a creata voluntate, quod est *malum culpæ*, et malum inflictum a justitia puniente, quod est *malum pœnæ*, ab optimo Opifice ordinata sunt ad pulchritudinem universi, in quo malum non bonum nec pulchrum efficitur, sed ordo mali ad bonum pulcher est et bonus. » (Ibid.).

« Malum pœnæ vitiat bonum in quo est, et adimit; hoc est, bonum particulare. Tamen quia, sicut dicit Augustinus, ordinat culpabilem ad locum competentem sibi secundum culpam, et sic resplendere facit decorem justitiæ universalis, facit ad pulchritudinem ordinis universi. » (Ibid.).

744. — 2°) DE ORDINE MUNDI UNIVERSI.

a) « **Ordo est in universo,** nec Deus permitteret rem inordinatam fieri, nisi ante disposuisset

et prævidisset qualiter reduceretur et revocaretur ad ordinem. Unde duplex est ordo, scilicet rei ordinatæ, et sapientiæ ordinantis. Quantum *ad ordinem rei ordinatæ*, si ordinis ratio ex ipso accipiatur, quantum ad debitum naturæ vel meriti absolute, multa sunt inordinata et per errorem facta. Si autem accipitur ratio ordinis *ex ratione sapientiæ ordinantis*, nihil penitus est inordinatum, vel confusum in mundo, sed omnia decentissime ordinata; quia etiam mala quæ a Deo permittuntur, ordinantur optime, vel ad exercitium virtutis, vel ad ampliorem commendationem boni, vel ad commendationem justitiæ, vel pulchritudinem.—Et ordo, qui est secundum congruentiam rei ordinatæ, est ordo *secundum quid;* ordo autem qui est ex dispositione sapientiæ, est *simpliciter.* » (Ibid.).

b) **Quis sit ordo partium in universo?** « Super hoc dicit Augustinus, sup. Genes. 8, cap. 23: Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, et naturas, et voluntates, ordinavit naturas quidem ut sint, voluntates autem, ut nec infructuose bonæ, nec impune malæ. Subdidit primitus omnia sibi, deinde creaturam corporalem creaturæ spirituali, irrationalem rationali, terrestrem cœlesti, femineam masculinæ, minus valentem valentiori, indigentiorem capaciori. In voluntatibus autem bonas sibi, cæteras vero ipsis servientibus sibi, ut hoc patiatur voluntas mala, quod ex jussu Dei fecerit *(voluntas)* bona, sive per seipsam, sive per malam. » (Ibid., q. 63, memb. 1).

c) **Ordo universus trinus est.** « Tribus ordinibus ordinatum est universum, scilicet in se, et ad hominem, et ad Deum creantem. — *In se* autem triplicem habet ordinem generaliter loquendo, scilicet locati ad locum, et moventis ad motum, et potentiæ ad actum. — *Ad hominem* autem creaturarum multiplex est ordo. Dicit enim Apostolus, quod omnia nostra sunt. Superiora enim *(nimirum angeli)* nostra sunt ad ministerium, in custodiendo hîc, et ad jucunditatem societatis in futurum. Inferiora autem bona, nostra sunt ad necessitatem vitæ in cibo, et ad juvamentum laboris, vel ad exercitium sapientiæ in ipsis, vel ad exercitium virtutis. Et huic ordini subjacet etiam malum. — Tertius ordo universi est *ad Deum*, sicut dicit Dionysius, quod Deus omnibus æqualiter adest, sed non omnia sibi æqualiter adsunt, eo quod non æqualiter bonitates suas participant, seu percipiunt. Bonitates autem suæ sunt esse, et vivere, et cognitio sensibilium et intelligibilium. Et entia, quæ plura de his percipiunt et nobiliori modo, sunt ei propinquiora; quæ vero pauciora et modo minus nobili, sunt remotiora per convenientiam essentiæ; ut existentia tantum *in ultimo gradu;* existentia autem viva, et cognitiva et immortalia *in primo;* existentia autem et viva, et existentia viva, et sentientia rationabilia mortalia *in mediis gradibus*, eo quod sunt causæ entitatis participativæ a Causa prima, et sunt ordinatæ ita quod *esse* est a prima Causa, quæ sola influit super creatum, sed nulla alia sine ipsa; *vivere* autem est secunda, quæ non influit sine prima, sed bene influit sine tertia, et sic de aliis. » (Summ. de creaturis, part. 2, q. 89, art. 3, T. 23, p. 356).

745. — 3°) OMNIA IN UNIVERSO AD HOMINEM SECUNDARIO ORDINANTUR.

« Si est ordo talis in universo, sicut dictum est, utrum omnia ad hominem ordinentur? Et videtur quod sic. »

a) « Dicit enim Gregorius super illud Marci, ultimo: *Prædicate Evangelium omni creaturæ;* quod omnis creaturæ nomine intelligitur homo, per convenientiam quam habet cum omni creatura. Ergo videtur, quod omnia ordinentur ad hominem, sicut ad finem. »

b) « Adhuc, Augustinus in primo de Doctr. christ. dividit omnia quæ sunt in terra, et ponitur a Magistro in primo Sententiarum, Dist. 1, scilicet in summa bona, media bona, infima bona. Et dicit, quod *summa bona* sunt Deus Trinitas, quibus fruendum est. *Infima* sunt res hujus mundi, quibus utendum est, ut ad id perveniatur quo fruendum est. *Media bona*, homo qui fruitur summis, et utitur infimis; et ideo inter utraque constitutus est. Ergo tam summa referentur ad hominem quam infima, et sic omnia sunt propter hominem et ad hominem ordinata. Homo igitur est finis omnium. »

c) Adhuc Augustinus, in libro 83 Quæstionum, q. 30, distinguit inter *uti* et *frui;* et dicit, quod *uti* aliqua re non potest, nisi quod rationis est particeps. Uti enim est aliquid in facultatem voluntatis accipere, et ad aliud referre; quod sine collatione rationis esse non potest. *Utilia* autem distinguit sic: Perfecta ratio, quæ virtus vocatur, primo utitur seipsa ad intelligendum Deum. Utitur cæteris rationabilibus ad societatem, irrationabilibus ad eminentiam. Utitur etiam corporibus vivificandis ad beneficentiam; sic enim utitur suo corpore, utitur quibusdam assumendis vel respuendis ad valetudinem; utitur quibusdam tolerandis ad patientiam; quibusdam ordinandis ad justitiam; quibusdam considerandis ad veritatis documentum, sive prudentiam. Utitur etiam his a quibus abstinet per temperantiam. Et sic omnes partes mundi ad usum hominis ordinatæ sunt; et quod ordinatum est ad hominem, propter hominem est, sicut propter finem; omnes partes mundi ordinatæ sunt sicut ad hominem, ut utatur eis.

Ergo omnes partes mundi ad hominem sunt ut ad finem. »

« *Solutio.* Dicendum quod omnia ordinantur ad hominem, ut ad finem universæ creaturæ. Unde omnia ad ipsum ordinantur ut ad finem, sicut expresse dicit Gregorius, et sicut probant primæ inductæ rationes. » (Summ. theol., part. 2, tract. 11, q. 63, membr. 2).

Liquet omnes creaturas *secundario* tantum ad materialem vel spiritualem hominis utilitatem a Deo ordinari, sed *primario* ad Dei gloriam per variorum attributorum ejus manifestationem.

§ III.

Prima Causa unitrina a nobis cognoscitur ex illius effectibus.

746. — B. Albertus indicat novem vias, per quas naturaliter pervenire possumus ad cognitionem Dei ejusque perfectionum, sed non ad cognitionem divinarum personarum.

I.

Possumus per novem vias naturaliter pervenire ad Dei cognitionem.

Per vias ex B. Alberto indicandas, philosophi, naturali rationis ductu, ex operibus ejus cognoscere potuerunt divinum Artificem unum et trinum, non personis quidem, sed attributis operativis, quorum trinitas in omnibus rebus creatis veluti sigillo imprimitur. — 1ª via desumitur ex Causa omnium efficiente, quæ ipsa fieri non potuit. — 2ª Ex omnis imperfectionis et impotentiæ ablatione, per quam ratione pervenitur ad Actum primum, sive ad Ens universaliter dativum et motivum. — 3ª Ex comparatione causæ particularis agentis ad Causam efficientem universalem. — 4ª Ex comparatione rei ad rem, secundum formam et præeminentiam. — 5ª Ex eminentia proprietatis Creatoris ad proprietatem creaturæ. — 6ª Ex necessitate primi Motoris. — 7ª Ex determinatione omnis causæ secundæ, quæ necessario supponit primam Causam determinantem. — 8ª Ex trinitate quæ in omnibus Dei vestigiis et imaginibus invenitur, et quæ supponit quamdam trinitatem in supremo Exemplari. — 9ª Ex processione Intellectus et Voluntatis, quam supponit supremi Artificis operatio. (Summ. theol., part. 1, tract. 3. q. 18, membr. 1).

II.

Per istas vias possumus cognoscere unius Dei perfectionem.

Referemus tantum quintam viam supra dictam. « Quintam viam innuit Magister in Sentent. ex verbis Augustini super illud Rom. 1: *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Et est sumpta per eminentiam proprietatis Creatoris ad proprietatem creaturæ, sicut dicit Aristoteles, 1 De Cœlo et mundo, quod Creator eminet proprietatibus eorum quæ sunt creata; et sic durationem temporis, quæ in creatura non est nisi ex Creatore, non potest extendere nisi æternitate, sicut Boetius in lib. de Consol. philos. dicit: *Qui tempus ab ævo ire jubes.* — Et magnitudinem molis et virtutis in creatura non potest extendere, nisi infinitate omnipotentiæ, et sic a magnitudine creaturæ intelligitur Creator omnipotens. — Similiter species est in creatis ex Creatore. Et cum omnia creata per speciem ad Creatorem se habeant, sicut omnia artificialia opera ad intellectum artificis, et ex artificialium specie intelligitur artifex sapiens, sequitur quod ex dispositione et specie creaturarum, Creator summe sapiens intelligatur esse, et supereminens omnem sapientiam. — Et iterum, unumquodque bonum est in eo quod attingit finem. Tam moralia quam naturalia, et rationalia, et artificialia diriguntur in finem et gubernantur. Et hæc gubernatio non est in ipsis nisi ex Creatore, et est bonum in ipsis. Cum ergo ex eodem emineat Creator, ex hoc ipse Creator intelligitur summe bonus, et summum Bonum eminens bonitatibus omnium. — Et hæc via manifestat Deum, secundum attributa diversa, quæ differunt secundum connotata in creaturis, quorum connotatorum speciem præhabet et eminenter habet, ut dicit Dionysius de Divin. Nomin., cap. 4. » (Ibidem).

III.

Per istas vias possumus aliquam trinitatem, non autem personarum, in Deo cognoscere.

1°) De octava via sic loquitur B. Albertus Magnus: « Una adhuc via est, per quam venerunt philosophi in cognitionem unitatis et trinitatis; et hoc est per vestigium et imaginem. Et hanc viam ponit August. in lib. 9, de Trinit., et fundatur super duas propositiones, quarum una est, quod nihil quod ad nobilitatem pertinet, invenitur in creaturis, quod non supereminenter et exemplariter invenitur in

Creatore. In creaturis autem invenitur unum in tribus, et tria in uno, in vestigio et in imagine. Ergo tria in uno, et unum in tribus, supereminenter invenitur in Creatore. Per hoc ergo aliquam potuerunt habere cognitionem trinitatis et unitatis. »

« Et huic viæ addo ego istam, quod omne operans per intellectum proprium, et non per habitum aliunde conceptum, operari non potest nisi formando ex se rationem operis et speciem. Deus autem sic operans est per Intellectum universaliter agentem. Ergo format ex se rationem operis et speciem, quæ est sicut proles ipsius Intellectus, per omnia Intellectui agenti similis, inquantum agens est. Scitur autem, quod species operis est, et ratio in opus ab agente non procedit, nisi vehente spiritu agentis, quem necesse est simplicem esse, et ejusdem substantiæ cum Agente primo, si primum Agens tantæ simplicitatis sit, ut esse, et quod est, et actio ejus in ipso unum sint. — Cum igitur hoc in creaturis esse non possit, nisi per Exemplar Creatoris, in quo hæc primo sunt et eminenter, ex creaturis cognoscere potuerunt in Deo esse aliquid simile formanti in speciem et rationem, et aliquid simile formato, et aliquid simile spiritus vectoris formæ, quem necesse fuit a primo Formante procedere, et formæ quam defert connaturalem esse. Et sic trinitatis et unitatis aliquod, licet exiguum, potuerunt habere judicium. Non enim deferret spiritus formam primi Formantis, nisi a primo Formante procederet, nec iterum deferret formam, cui connaturalis non esset. Super hanc rationem fundat Anselmus intentionem suam, in hoc quod dicit, quod processio personarum, ut causa, præcedit processionem creaturarum a Deo. » (Ibidem).

2°) In Summa theol., pars. 1, tract. 3, q. 15, membr. 2, art. 1, sequentem proponit objectionem: « Vestigium cum in tribus distinctis sit, quæ sunt in substantia unum relatione differentia, similitudinem videtur ponere ad distinctionem personarum. Trinitas ergo in creaturis per vestigium investigabilis est. Philosophi ergo per creaturas potuerunt cognoscere Trinitatem, quod improbatum est. »

Ad hanc objectionem sic respondet B. Albertus: « Dicendum quod licet vestigium in tribus sit, quæ substantiâ sunt unum differentia relatione, tamen quia nec per substantiam unam, nec per tria differentia refertur ad propria et intrinseca Essentiæ divinæ, nec ad propria personarum, sed confuse ad appropriata et attributa, quæ per habitudines quasi exteriores attribuuntur Essentiæ et personis divinis; ideo per ea quæ sunt vestigii, Trinitas sub propriis personarum non potest cognosci. »

ARTICULUS X.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN ALEXANDRO DE ALES.

Prænotanda. Alexander De Ales, a coævis suis cognominatus *doctor irrefragabilis*, scholam franciscanam medii ævi fundavit, sicut B. Albertus Magnus dominicanam. S. Bonaventuram discipulum habuit, sicut B. Albertus S. Thomam.

Summam theologicam composuit, quam distribuit in quatuor partes, scilicet I. De Deo uno et trino. — II. De prima rerum productione a Deo, de lapsu angelorum et hominis, atque de hujus lapsus sequelis. — III. De Christi Incarnatione, vita, passione, morte; necnon de ipsius lege, gratia, et de virtutibus. — IV. De Sacramentis veteris et novæ legis.

Plura de divino Exemplarismo in hac Summa dicuntur juxta S. Augustini doctrinam. Nobis satis erit 1°) referre compendium hujus doctrinæ; 2°) ex hoc compendio duos locos in extenso transcribere, ut lector de auctoris methodo et stylo judicare possit.

§ I.

Compendium doctrinæ Alex. De Ales de divino Exemplarismo.

747. — In parte II suæ Summæ, doctor irrefragabilis in quæstione II et sequentibus tractat: 1°) De prima trinaque Causa efficiente, exemplari et finali in genere. 2°) De prima Causa exemplari in specie. 3°) De mensura, numero et pondere, quibus trina Causa divina in omnibus creaturis necessario repræsentatur. 4°) De aliis primæ Causæ unitrinæ vestigiis. 5°) De divinæ Trinitatis imagine in creaturis rationalibus. 6°) De mundi universi pulchritudine. 7°) De mundi universi ordine.

Alexander De Ales quatuor *Partes* operis sui dividit in *Quæstiones;* Quæstiones in *Membra;* Membra in *Articulos;* Articulos in *Paragraphos.* — In qualibet autem divisione, exponit rationes *pro* et *contra.* Deinde dat brevem quæstionis *resolutionem*, et tandem respondet ad contrarias objectiones.

I.

De prima Causa efficienti, exemplari et finali in genere.

« Pars II, Q. 2: *De rationibus causarum in genere.* »

« **Membr. I.** An rationes Causæ efficientis, exemplaris et finalis ab æterno sunt? »

« Resolutio. Rationes Causæ efficientis, exemplaris et finalis, si sumantur actualiter *(seu in Deo actu operante)*, non ab æterno, sed ex tempore in Deo sunt; si autem habitualiter *(seu potius in divina Omnipotentia)*, e contra. »

« **Membr. II.** An rationes Causæ efficientis, exemplaris et finalis ejusdem Essentiæ sint, vel diversæ ? »

« Resolutio. Tametsi in causis naturalibus, vel artificialibus, propter nimiam sui imperfectionem, diversæ sint secundum substantiam rationes causæ efficientis, exemplaris et finalis: in Causa tamen prima, cum perfectissima sit, non ita contingit, sed unius ejusdem Substantiæ sunt. »

« **Membr. III.** An hujusmodi causarum rationes, scilicet finalis, exemplaris et efficientis, ordinem habeant ad invicem? »

« Resolutio. Hujusmodi causarum rationes utique in creaturis aliquo ordine *prioritatis* ordinantur; at in Creatore nequaquam, sed cum unius ejusdemque Essentiæ sint, simul ab æterno in Illo existunt. »

Verumtamen *secundum rationem*, inter eas distinguuntur duo inversi ordines: *intentionis* in Mente divini Artificis, et *exsecutionis*.

II.

De prima Causa exemplari in specie.

« Pars II, Q. 3. *De Causa exemplari* ».

« **Membr. I.** An Causa exemplaris necessario ponenda est ? »

« Resolutio. Ne Deum aut perperam, aut inconsulto fecisse quidquid fecit, adstruere cogamur, Causam exemplarem omnino statuere compellimur. »

« **Membr. II.** An Causa exemplaris una sit, vel plures ? »

« Resolutio. Causa exemplaris est perfectissima et simplicissima, et eadem in Essentia *(divina)* cum Causa efficiente. Una tantum est et indivisa secundum Essentiam, tametsi plures secundum exemplata. *(Scilicet secundum varios modos, quibus imitabilis est ab aliis entibus a se).* »

« **Membr. III.** Respectu quorum dicatur Causa exemplaris? »

« Artic. 1. An Causa exemplaris sit respectu productorum tantum, vel etiam possibilium produci? »

« *Resolutio.* Respectu utrorumque, scilicet et productorum et possibilium produci. »

« Artic. 2. An Causa exemplaris sit et respectu malorum, et corruptibilium? »

« *Resolutio.* Quidquid sit de Scientia Dei, quæ et bona et mala æque cognoscit, Causa exemplaris, sive Ars divina, inquantum hujusmodi, nullatenus respectu malorum esse potest, cum Deus nequaquam mala agere queat. »

III.

De mensura, numero et pondere, quibus omnes creaturæ trinam Causam necessario repræsentant.

« Pars II. Q. 7. *De proprietatibus creaturarum in comparatione ad Causam.* »

« **Membr. I.** Quid his tribus designatur, scilicet mensura, numero et pondere? »

« Resolutio. Mensura dicitur dispositio, secundum quam res est in se finita, quantum ad esse et virtutem; numerus, inquantum habet formam et speciem, qua ab alia re secernitur; pondus, dispositio secundum quam ordinatur ad finem. »

« **Membr. II.** An tria hæc, scilicet mensura, numerus et pondus unicuique creaturæ conveniant ? »

« Resolutio. Mensura, numerus et pondus, si intelligantur eo modo, quo in superiori Membro explicatum est, non est res cui illa non insint. »

« **Membr. III.** An mensura, numerus et pondus creaturæ solum conveniant? »

« Resolutio. Formaliter sumpta *(scilicet inquantum causantur)*, soli creaturæ conveniunt; effective vero *(scilicet inquantum sunt Causa in se infinita, sed omnia mensurante, numerante et ordinante)* etiam Creatori convenire possunt. »

« **Membr. IV.** Unde tria hæc, mensura, numerus et pondus in creaturis accipiuntur ? »

« Resolutio. In relatione ad rationes Causæ *(trinæ)* quæ sunt in Creatore. »

« **Membr. V.** Cur hæ proprietates creaturæ, in comparatione ad divinam Causam, tres sint, nec plures? »

« Resolutio. Quia trium tantum causarum rationes Deo conveniunt *(scilicet ratio Causæ efficientis, exemplaris et finalis).* »

« **Membr. VI.** An creaturæ sine his conditionibus, scilicet mensura, numero et pondere, vel fieri, vel esse, vel intelligi possint? »

« Resolutio. Utique simpliciter et absolute, sed minime in comparatione ad causas exteriores. »

« **Membr. VII.** An hæ creaturarum proprietates, in comparatione ad Causam, scilicet mensura, numerus et pondus a cæteris hujusmodi et differant, et ordinem cum eis habeant? »

« Resolutio. Et quidem, tametsi in Scripturis quandoque invertantur. »

IV.

De aliis trinæ Causæ vestigiis in creaturis.

« Pars. II, Q. 8. *De vestigio.* »

« **Membr. I.** An vestigium æquivoce, vel univoce dicatur? »

« Resolutio. Univoce, tametsi secundum prius et posterius. »

Vestigia enim repræsentant ipsa et varia Dei attributa et sub eisdem nominibus, sed inquantum causata sunt ab attributis, tanquam a Causa æterna ipsis anteriore.

« **Membr. II.** Quid significetur nomine vestigii in creaturis? »

« Resolutio. Vestigium proprie dicitur pedis impressio, vel in pulvere, vel in alio hujusmodi. Per translationem autem dicitur impressio Trinitatis in creaturis, non quidem in se, cum illa figurari non possit, sed per quasdam rationes. »

« **Membr. III.** An vestigium omnibus creaturis conveniat? »

« Resolutio. Vestigium Dei omnibus creaturis inest, quia omnes creaturæ ipso donante essentiam participant, qua sunt; idoneam speciem, qua ab invicem differunt; et congruum usum, quo proficiunt. »

« **Membr. IV.** An vestigium conveniat creaturis secundum magis et minus? »

« Resolutio. Vestigium secundum magis et minus creaturis inesse dicimus, ideo quia ens, pulchrum et bonum illiusmet Causæ, secundum magis et minus dicuntur. »

« **Membr. V.** An vestigium dicatur proprie Trinitatis, vel Essentiæ *(divinæ)*, vel utriusque? »

« Resolutio. Trinitatis profecto; tametsi nihil prohibeat ut et divinæ Essentiæ, sicut ipsius Dei dicatur. »

« **Membr. VI.** An a creatura tolli potest ratio vestigii? »

« Resolutio. Nisi de medio et ipsa res creata tollatur, vestigium tolli non potest, sed manente natura illius, necessario manet et ratio hujus. »

« **Membr. VII.** An per vestigium manuducamur ad id cujus est vestigium? »

« Resolutio. Nisi abusi fuerimus, isthac methodo vestigii, semper eâ ad Eum, cujus est vestigium, adducemur. »

V.

De Dei unitrini imagine in creaturis rationalibus.

« Pars. II, Q. 62. *De anima in se.* — Membr. 5: *An et quomodo anima rationalis sit ad imaginem et similitudinem divinam.* »

« **Artic. I.** An anima rationalis imago, vel ad imaginem Dei sit? »

« Resolutio. Si imago propriissime dicatur, nequaquam homo vel anima imago, aut ad imaginem Dei dicitur; secus, si non ita propriissime. »

« **Artic. II.** An dici ad imaginem, soli rationali creaturæ conveniat, vel etiam alii? »

« Resolutio. Soli rationali creaturæ ad imaginem Dei dici convenit, sicut ea sola Ipsius expressa similitudo est. »

« **Artic. III.** Anima cur ad imaginem Dei, et non Dei imago dicatur; sic, num ad imaginem Filii esse, dici possit? »

« Resolutio. Anima non imago, sed ad imaginem Dei dicitur, ad differentiam Verbi æterni, qui naturalis et substantialis illius Imago est, cum ejusdem naturæ et substantiæ cum Ipso sit. Nec deinde animam ad imaginem Filii esse, dici inconvenit, sicut nec ad imaginem Trinitatis esse, dici incongruit. »

« **Artic. IV.** Ad imaginem et similitudinem Dei esse, sive ad imaginem et similitudinem Dei facere, in quo differant? »

« Resolutio. *Imago* attenditur quantum ad naturalia, *similitudo* quantum ad gratuita; illa in cognitione, hæc in dilectione consistit. — Adhuc dicitur anima ad imaginem, quia omnia in ipsa sunt secundum sapientiam; ad similitudinem, quia una et simplex secundum essentiam. »

« **Artic. V.** Ad imaginem Dei secundum quam partem dicatur homo; num secundum corporalem et sensibilem, vel secundum rationalem et intelligibilem? »

« Resolutio. Secundum intelligibilem et rationalem proprie. »

« **§ I.** An anima rationalis dicatur imago vel ad imaginem Dei, secundum superiorem tantum partem, vel etiam secundum inferiorem? »

« Resolutio. Anima, proprie loquendo, imago Dei dicitur secundum superiorem partem. »

« **§ II.** Anima ex quo imago, vel ad imaginem Dei est secundum partem superiorem, num secundum quod ibi trinitas est respectu Dei, vel respectu sui? »

« Resolutio. Secundum quod respectu Dei est, sive prout ad Deum convertitur. »

« **Artic. VI.** An imago Dei, quæ animæ secundum superiorem partem convenit, penes naturalia, vel penes gratuita attendatur? »

« Resolutio. Penes utrumque, et naturalia et gratuita. »

« **§ I.** An pariter penes potentias, vel penes potentiarum actus attendatur? »

« Resolutio. Penes potentias; secundum quod tamen ex eis actus elici habent. »

« **Artic. VII.** An, et quomodo anima rationalis repræsentativa sit imaginis divinæ, penes memoriam, intelligentiam et voluntatem? »

« Resolutio. Ita ut memoria attribuatur Patri (*memoria inquantum innata, et quoad esse*), intelligentia Filio, voluntas Spiritui sancto. »

VI.

De mundi universi pulchritudine.

« Pars II. *De pulchritudine universi.* »

« **Membr. I.** Quid sit pulchrum, sive pulchritudo? »

« Resolutio. Pulchritudo est dispositio ex parte formæ relatæ ad exterius. »

« **Membr. II.** Quid sit differentia pulchri et apti? »

« Resolutio. Pulchrum ad se dicitur; aptum, ad alterum. »

« **Membr. III.** An malum culpæ vel pœnæ dicatur pulchrum? »

« Resolutio. Malum culpæ non est absolute pulchrum, sed pulchrum in ordine; hoc est non inquantum malum, sed inquantum ex ipso bonum elicitur. Sicut et malum pœnæ, licet patienti malum sit, pulchrum tamen est in ordine universi. »

« **Membr. IV.** An pulchritudo augeri vel minui possit in universo? »

« Resolutio. Universum, secundum se totum, nec augeri nec mînui in perfectione contingit; at secundum partes equidem. »

« **Membr. V.** In quo præcipue consistat universi pulchritudo? »

« Resolutio. Mundi pulchritudo et venustas consurgit ac consistit præcipue in modo, specie et ordine rerum. »

« **Membr. VI.** Quæ conferant ad pulchritudinem universi? »

Artic. 1. An mala conferant ad pulchritudinem universi? »

« *Resolutio.* Mala conferunt ad pulchritudinem universi, non quidem absolute, sed secundum præsentem statum. »

« Artic. 2. An bona mutabilia conferant ad pulchritudinem universi? »

« *Resolutio.* Nec mutatio, nec corruptio ad universi pulchritudinem pertinent, sed bene res ipsæ mutabiles et corruptibiles. »

« Artic. 3. An mirabilia conferant ad pulchritudinem universi? »

« *Resolutio.* Et ipsa mirabilia ad decorem universi faciunt, sed non secundum statum institutum, sed secundum destitutum; et iterum facient in novissimis diebus secundum innovatum. »

« Artic. 4. An Incarnatio Filii Dei pertineat ad pulchritudinem universi? »

« *Resolutio.* Incarnatio Verbi æterni pertinet ad decorem universi, non quidem secundum omnem statum, sed secundum statum tantum reparantis; nec quocumque modo, sed sine qua non potuit decentius humana natura reparari. »

VII.

De mundi universi ordine.

« Pars II, Q. 17: *De ordine universi.* »

« **Membr. I.** Quid sit ordo? »

« Resolutio. Ordo, ex sententia B. Augustini, est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. »

« **Membr. II.** An in universo universe ordo sit, et in se scilicet, et in suis partibus, ita ut nihil inordinatum sit? »

« Resolutio. Nihil inordinatum est in mundo, tametsi hujusmodi ordo quandoque occultus sit, et nos lateat. »

« **Membr. III.** An omnia ad hominem ordinata sunt? »

« Resolutio. Homo finis in terra dicitur omnium eorum quæ sunt, pro eo quod universa ejus necessitati subveniunt, usquedum resurrectio generalis adveniat. Et si alius assignetur hujusmodi finis, puta perfectio primi mobilis, non tamen eadem ratione, sed alia et alia. «

« **Memb. IV.** An si omnia paria essent, in mundo ordo foret? »

« Resolutio. Ut universum completum foret, necessaria fuit inaequalitas. »

« **Membr. V.** Quæ sit Causa ordinis in universo? »

« Resolutio. Causa ordinis in universo sunt: Potestas, Sapientia et Voluntas divina indivisim; appropriate tamen Sapientia ipsa. »

Aliis verbis est prima Causa efficiens, exemplaris et finalis, cui attribuuntur Potentia, Sapientia et Bonitas.

§ II.

Referuntur in extenso duo loci ex præcedenti Compendio desumpti.

Loci isti proponuntur per modum quæstionum.

I.

An prima Causa exemplaris una sit, vel plures?

748. — « **Quod plures sint videtur** per hoc, quod proprio exemplari respondet proprium

exemplatum; unde si exemplata differentia sunt in genere, vel in specie, videntur exemplaria genere vel specie differre. Sed ita est in exemplatis *(creaturis)*, quæ differunt genere, vel specie. Ergo, et exemplaria differunt. »

« Item, ideæ sunt causæ exemplares. Sed de illis dicit Augustinus in lib. 83 Quæst., q. 46, quod ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ et ipsæ formatæ non sunt, quæ in divina Intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest; et omne quod oritur et interit. »

« Hoc etiam vult probare tali ratione: Constat quod Deus omnia rationaliter condidit; nec ea ratione conditus est homo quam equus, et ita de aliis rebus; ergo singula causata sunt propriis rationibus. Sed hæ rationes non sunt nisi in Mente Creatoris; sacrilegum enim est opinari ut extra se quidcumque positum intueretur, secundum quod constitueret quæ constituebat. Ergo plures sunt rationes exemplares. »

« Præterea ex similitudine arguitur. Non enim secundum eamdem speciem anima efficit domum et efficit navim, et ita de aliis artificiatis. Similiter ergo erit in operibus divinis, ut diversa opera divina secundum diversa fiant exemplaria. »

« **Ad contrarium** sic: Unus est mundus sensibilis, et mundus sensibilis est exemplatus. Multo ergo fortius est unum exemplar, scilicet mundus archetypus; nam major est unitas exemplaris, quam exemplati. »

« Item, sicut supra habitum est, Causa exemplaris *(divina)* eadem est in Essentia cum Causa efficiente, quorum nullum esset alterum. Sed hoc non posset esse propter sui simplicitatem. Ergo non sunt plures causæ exemplares. »

« Item perfectius est uno cognoscere multa. Ergo cum exemplar sit quo cognoscitur, et secundum quod fit, erit ergo perfectissimum omnino per unum cognoscere multa, et secundum id facere. Sed perfectissimum convenit uno. Ergo una est Causa exemplaris, indivisa secundum Essentiam. »

« **Resolutio.** *Causa exemplaris, cum perfectissima et simplicissima sit, una et eadem in Essentia cum Causa efficiente, una tantum est et indivisa secundum Essentiam, tametsi plures secundum exemplata.* Quod est concedendum. »

« Ad illud vero quod objicitur in contrarium, dicendum est, quod pluralitas in Essentia, in Exemplari non accipitur ex pluralitate essentiæ in exemplatis; non enim est ibi pluralitas in Essentia. Quod tamen dicuntur plures ideæ, hoc est propter quamdam similitudinem exemplatorum ad ipsum Exemplar, et quamdam appropriationem ad modum, quo loquimur in exemplaribus et exemplatis rerum artificialium, sed non est omnino simile. Unde pluraliter dicuntur ex parte illa qua respiciunt ipsa ideata, et propter hoc dicuntur pluraliter ad Hebr. 11: *Ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Invisibilia enim vocat illa exemplaria, sive rationes. »

« Quod autem dicit Augustinus in lib. 83 Quæst., quod non eadem ratione equus conditus quam homo, non retorquet ad diversitatem Essentiæ, sed ad differentiam rationis; una enim Essentia est ratio hujus et illius. Habet etiam aliam rationem ex parte exemplatorum, ut cum pluraliter dicimus, ascendimus a pluralitate exemplatorum ad pluralitatem sic dictam. »

« Ad illud vero quod ultimo objicitur, dicendum est, quod non est simile in exemplaribus rerum artificiatarum, quæ fiunt ab anima. Exemplaria enim illa sunt adventitia, et non ejusdem essentiæ cum causa efficiente; quod in perfectissimo Agente non invenitur. »

II.

An Incarnatio Filii Dei pertineat ad pulchritudinem universi?

749. — « **Videtur quod sic.** Homo est finis universi in terra; Deus autem est finis universi simpliciter. Sed in universo sic est ad pulchitudinem ejus, quod semper est aliqua convenientia inter diversa, quæ sibi conjunguntur, ut inter corpora supracœlestia et elementa est quædam convenientia; ultimum enim corporum supracœlestium, scilicet luna, recipit lumen, et in hoc convenit cum ipsis elementis *(terrestribus)*; et dat lumen, et in hoc convenit cum ipsis corporibus supracœlestibus. Similiter ignis, quod est primum corporum elementarium, dat lumen, et quoad hoc convenit cum superioribus; et recipit, et quoad hoc convenit cum inferioribus. Similiter determinare est in elementatis; quædam enim sunt media inter terræ nascentia et mineralia, sicut dicitur de spongia; quædam inter terræ nascentia et animalia, sicut de quibusdam avibus antequam nascantur, et arboribus. Ad perfectam ergo unitatem, sive conjunctionem, necessaria est unio divinæ naturæ cum humana, ut sic reluceat pulchritudo universi. Sed non est hoc nisi per Incarnationem. Ergo Incarnatio confert ad pulchritudinem universi. »

« Item reparatio humani generis lapsi decentissima est per Incarnationem, sicut dicit Augustinus in Lib. de Trinit.: « Alius modus erat naturæ reparationis possibilis; sed nullus con-

venientior. » — Cum ergo pulchritudo universi non possit esse omnino post deturpationem humani generis, nisi per reparationem; et Incarnatio sit decentissima reparatio, per hanc erit completa pulchritudo. »

« Item, nulla major fuit gratia, quam qua divina natura univit se humanæ, sicut habetur super illud Psal. 72: *Et cum gloria suscepisti me.* Dicitur enim in Glossa, quia non est major gratia, quam uniri Verbo Dei, et ad dexteram Dei locari. Cum ergo gratia Dei det maxime pulchritudinem naturæ, et hæc *(Incarnatio Verbi)* sit major gratia, hæc gratia dat maxime pulchritudinem. Ergo pertinet ad pulchritudinem universi. »

« **Contra.** Bonitas universi consistit in singulis et in toto, et hoc dicitur in Genesi 1. Primo enim dicitur de singulis: *Vidit Deus quod esset bonum.* Secundo cum dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Sed bonitatem consequitur pulchritudo. Ergo pulchritudo consistit in his duobus. Sed utraque pulchritudo sine Incarnatione poterat esse. Ergo Incarnatio non est *(necessario)* de conferentibus pulchritudinem. »

« Item, unio humanæ naturæ cum divina, est in persona divina. Sed unitas divinæ personæ non connumeratur cum partibus universi *(cum sit infinite supra omnes creaturas).* Ergo nec ea quæ uniuntur inquantum homini. Non ergo Incarnatio pertinet ad pulchritudinem universi, tanquam pars ejus. »

« Præterea, si esset de substantia universi: non intellecta Incarnatione, sive non existente, non esset pulchitudo universi. Sed alius modus erat possibilis reparationis humanæ; qui si esset, pulchritudinem suam haberet in universo; nec esset Incarnatio, vel ea quæ Incarnationem consequuntur. Ergo Incarnatio non est conferens *(necessario)* ad pulchritudinem universi. »

« **Resolutio.** *Incarnatio Verbi æterni pertinet ad decorem universi, non quidem secundum omnem statum, sed secundum statum tantum reparationis; nec quocumque modo, sed sine qua non potuit decentius humana natura reparari.* »

« Ad quod dicendum, quod pulchritudo universi attenditur secundum ea quæ pertinent ad primarium statum, qui erat status innocentiæ; et secundum hoc, Incarnatio non fuit ad pulchritudinem universi conferens. Attenditur etiam pulchritudo quantum ad statum gratiæ reparantis naturam lapsam, et quantum ad hoc, conferens est Incarnatio ad pulchritudinem universi. Sed adhuc distinguendum est, quod status ille potest attendi in genere, vel secundum optimum in ipso, et decentissimum. Incarnatio ergo non fuit conferens ad pulchritudinem universi, ut sine qua non potuit natura lapsa reparari, sed sine qua non potuit decentissime. »

« Ad objectum ergo respondendum est, quod licet pulchritudo universi, secundum primum statum, potuit esse sine Incarnatione; non tamen quantum ad secundum statum, in optima congruentia. »

« Ad secundum vero dicendum, quod licet persona divina uniens non sit pars universi, sed alterum unitorum, scilicet divina natura, nihilominus humana natura, quæ est alterum unitorum, quæ secundum se et secundum quod unita, temporalis est, non æterna, ad pulchritudinem spectat universi tanquam pars ejus. »

« Ad tertium vero dicendum, quod licet pulchritudo universi, quantum ad secundum statum, potuit esse sine Incarnatione, non tamen potuit, ut multiplex congruentia servaretur. Quarum una est, ut sicut homo offendit offensa extendente se ad genus humanum, eo quod voluit esse sicut Deus; ita fieret reparatio per hoc quod Deus voluit fieri homo. — Alia est, sicut homo offendit in appetitu sapientiæ deiformis, cum dictum fuit: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* ita Sapientia Dei humanum genus repararet; quod non congruenter fieret, nisi Filius *(Sapientia)* Dei homo satisfaceret. — Tertia ratio est, quod quia homo constat ex re *(substantia)* intelligibili et sensibili, ut totus homo perficeretur necessarium fuit, ut persona divina corporalem naturam sibi uniret, ut uterque sensus repararetur: sensus interior in contemplatione divinitatis, et exterior in contemplatione humanitatis; ut sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua inveniret, sicut dicit Augustinus in Lib. de Anima et Spir. — Quarta ratio est, ut infirmitas nostri affectus manuduceretur ad summam Bonitatem. Si enim tantum humiliavit se Deus, ut homo fieri dignaretur, in divinam Bonitatem affectus noster debet attendi, et sibi quemdam gradum ascensionis in humana natura unita constituere. — Quinta ratio est, ut charitas in homine augeretur. Primo enim erat charitas respectu Conditoris; in hoc vero aucta est, ut sit charitas respectu Redemptoris. — Sexta vero ratio est, ut corpus humilitatis nostræ configuraretur corpori claritatis suæ. Et, ut dicit Augustinus sup. Joan., per Verbum fit animarum resurrectio; per Verbum vero factum carnem fit corporum resurrectio. »

In hac quæstione Alexander De Ales docet Incarnationem Verbi *de facto* non pertinere ad mundi perfectionem in statu innocentiæ. Inde sequitur quod si Adam non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum; sicut cum aliis Patribus communiter docet S. Augustinus, quem prin-

cipaliter ac passim in sua Summa citat Alexander.

Verumtamen in Parte III, Q. 2, Membr. 13, quærit « An si natura humana per peccatum lapsa non esset, adhuc fuisset ratio et convenientia ad Incarnationem? » — Et resolvit: « Absque præjudicio concedi potest, etiamsi natura humana non peccasset, adhuc Christus carnem suscepturum fuisse. » — Ergo Verbi Incarnatio fuisset *conveniens*, etiam in statu innocentiæ, sed inde non sequitur quod *de facto* Verbum humanam carnem assumpsisset. Celebrem hac de re controversiam videbimus in Tomo III, Parte II.

CAPUT II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN S. THOMA.

750. — Prænotanda. *De doctrinæ S. Thomæ eminentia, et fundamento, quod est divinus Exemplarismus.*

I. De ejus eminentia.

Nemo nostris diebus eximiam doctoris angelici sapientiam melius celebravit quam Leo XIII, præsertim in sua Encyclica *Æterni Patris* in lucem edita die 4 Augusti 1879, ad instaurandam in scholis catholicis doctrinam S. Thomæ. Ibi summus ille dignitate et scientia Pontifex excellentiam hujus doctrinæ demonstrat, 1°) ex rationibus intrinsecis; 2°) ex favore quem in Ecclesia obtinuit; 3°) ex impiorum confessione. Sic ipse loquitur.

1°) « Inter scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminet Thomas Aquinas, qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres *Doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est.* (In 2. 2. q. 148, art. 4, fin.). Illorum doctrinas, velut dispersa cujusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicæ Ecclesiæ singulare præsidium et decus jure meritoque habeatur. »

« Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitæ integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia prædives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinæ splendore complevit. Nulla est philosophiæ pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis artibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quæstionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quæque explicandi facilitas desideretur. »

« Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones angelicus doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quæ quum latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a seipso impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. »

« Præterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum jura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomæ pennis evecta, jam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adjumenta præstolari, quam quæ jam est per Thomam consecuta. »

2°) « Has ob causas doctissimi homines, superioribus præsertim ætatibus, theologiæ et philosophiæ laude præstantissimi, conquisitis incredibili studio Thomæ voluminibus immortalibus, angelicæ sapientiæ ejus sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. Omnes prope conditores et legiferos Ordinum religiosorum jussisse constat sodales suos, doctrinis S. Thomæ studere et religiosius hærere, cauto ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere. Ut Dominicanam familiam prætereamus, quæ summo hoc Magistro jure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Bonedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Jesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur. »

« Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quæ olim in Europa floruerunt, Academias et scholas, Parisiensem nempe, Salmanticensem, Complutensem, Duacenscm, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Napolitanam, Conimbricensem, aliasque permultas. Quarum Academiarum nomen ætate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse, nemo ignorat. Jam vero compertum est, in magnis illis humanæ sapientiæ domiciliis, tanquam in suo regno, Thomam consedisse Principem; at-

que omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse. »

« Sed, quod pluris est, Romani Pontifices Prædecessores Nostri sapientiam Thomæ Aquinatis singularibus laudum præconiis, et testimoniis amplissimis prosecuti sunt. Nam Clemens VI, Nicolaus V, Benedictus XIII aliique testantur, admirabili ejus doctrina universam Ecclesiam illustrari. S. Pius V vero fatetur eadem doctrina hæreses confusas et convictas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus. Alii, cum Clemente XII, uberrima bona ab ejus scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, Ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiæ doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur. Alii tandem S. Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lycæis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur B. Urbani V verba ad Academiam Tolosanam: *Volumus, et tenore præsentium vobis injungimus, ut B. Thomæ doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectemini, eamdemque studeatis totis viribus ampliare.* Urbani autem exemplum Innocentius XII in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV in collegio Dionysiano Granatensium renovarunt. His vero Pontificum maximorum de Thoma Aquinate judiciis, veluti cumulus Innocentius VI testimonium accedat: *Hujus* (Thomæ) *doctrina præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.* »

« Ipsa quoque Concilia œcumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiæ, singularem Thomæ Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene præfuisse dixeris, adversus errores Græcorum, hæreticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. Sed hæc maxima est et Thomæ propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinæ Scripturæ codicibus et Pontificum maximorum decretis Summam Thomæ Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur. »

3°) « Postremo hæc quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, præconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter hæreticorum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomæ Aquinatis, se facile posse cum omnibus catholicis doctoribus *subire certamen, et vincere, et Ecclesiam dissipare.* Inanis quidem spes, sed testimonium non inane. »

II. Mira S. Thomæ doctrina in divino Exemplarismo fundatur.

Doctor angelicus Exemplarismum hauserat ex S. Scripturæ fonte, et simul per traditionis canalem acceperat ab omnibus Patribus et Doctoribus, quos hucusque citavimus, sed præcipue ex S. Dionysio Areopagita, S. Augustino et Boetio.

Doctissimum Patrem Liberatore S. J. audiamus: « Theoria exemplarium æternorum a Platone jam inventa, atque S. Augustini ingenio perfecta accedente lumine ideæ christianæ, non tantum in seipsa sublimissima est, sed etiam admirabilem influxum in omnes philosophiæ partes exercet. Inde intelligitur quare S. Thomas hanc doctrinam tanto ardore amplexus sit, tantoque studio exposuerit; imo illam constituerit ut animam et vitam totius systematis sui philosophici. » (Theoria de cognitione intellectuali juxta S. Thom., cap. 8, præamb.) — Et alibi: « Doctrina de æternis exemplaribus, purgata ab erroribus, quibus Plato illam infecerat, a sanctis Patribus, et præsertim a S. Augustino, accepta est tanquam fecundissimum scientiæ semen. Unde S. Thomas, hæres philosophiæ Patrum quam perfecit, optime intellexit quanti momenti sit divinus Exemplarismus; itaque hunc sibi proprium fecit eumque adhibuit tanquam sanguinem et vitam omnium suæ philosophiæ partium. » (Ibid., art. 2).

Eodem modo loquitur R. P. Van den Berg, Magister Ord. Præd., in Prologo sui operis *De Ideis divinis:* « In systemate doctoris angelici, doctrina de ideis divinis, de divina Essentia ita considerata, veræ philosophiæ et basis videtur esse, et anima et vita. *Tanta vis in ideis constituitur,* ait S. Augustinas (lib. 83 Quæst., q. 46), *ut nisi iis intellectis sapiens nemo esse possit.* Ideæ enim divinæ, exemplaria illa æterna, omnia continent, omnia complectuntur. Quæcumque sunt in Deo et a Deo sunt in idea, in Deo exemplari, in Deo cognoscente, vidente et movente. Ideæ divinæ sunt totius creationis, gubernationis, providentiæ universæ exemplaria, et hinc ideas illas æternas omnia et singula quæcunque sunt, plus minusve exprimunt, imitantur, ipsis assimilantur. »

At non sola *philosophica,* sed etiam *theologica* S. Thomæ doctrina in divino Exemplarismo fundatur. *In philosophia* enim, de qua

scribunt duo citati auctores, doctor angelicus supremum mundi Artificem considerat lumine rationis tanquam unum Essentia et trinum, non personis quidem, sed tantum attributis operativis, scilicet Potentia, Sapientia et Bonitate, sicut primam Causam efficientem, exemplarem ac finalem omnium rerum in ordine perfectionis naturæ; ipse dicit: « Deus, qui est primum Principium rerum, comparatur ad res creatas ut artifex ad artificiata. » (1. q. 27, art. 1, ad 3[m]). *In theologia* autem S. Thomas divinum Artificem lumine fidei contemplatur tanquam unum Essentia et trinum personis, atque opificia sua perficientem, non tantum in ordine naturæ, sed etiam in ordine gratiæ et gloriæ, ita ut tota rerum creatarum perfectio contineatur in trino ordine naturæ, gratiæ et gloriæ, sicut in ejus fundamento, medio et termino. Trina autem causalitas et trina attributa operativa, non sunt singulis personis propria, sed tantum appropriata, ratione processionum suarum per communem Intelligentiam suam ac Voluntatem, quæ sunt simul principia processionum personarum divinarum *ad intra*, et causa productionis omnium creaturarum *ad extra*.

Ratione igitur et fide illustratus, doctor angelicus Deum Patrem intuetur omnia ad extra operantem per Verbum suum in sancto utriusque Spiritu. Divinam idcirco Trinitatem considerat omnia cum tempore *creantem* juxta æternas ideas suas, omnia creata *gubernantem* juxta æternam legem suæ Providentiæ, et omnia gubernata *consummantem* juxta æternam prædestinationem suam.

Unde omnes creaturæ ab uno trinoque Artifice procedunt, atque circulari quodam motu, juxta seu circa ipsum operando perficiuntur; rationales vero creaturæ ad ipsum redeunt, et in ipso æternaliter requiescunt, ita « ut quadam circulatione perfectio rerum concludatur. » (Cont. Gent. lib. 4, cap. 55, n.° 4). Aliis verbis, secundum sublimem S. Thomæ doctrinam, Deus est suprema Forma, una in se ac trina personis, per se et infinite perfecta; est prima omnis perfectionis Causa efficiens, exemplaris et finalis, quæ omnia juxta seipsum, seu ad sui exemplar *formavit* in ordine naturæ et gratiæ; omnia accidentaliter peccato deformata, melius *reformavit* in ordine majoris gratiæ per Verbi sui Incarnationem; et omnia per Christum reformata *transformabit* in ordine gloriæ æternæ, quæ est operis divini consummatio. Opus formationis appropriatur *Patri*, opus reformationis *Filio*, opus transformationis *Spiritui sancto*. Finis autem totius operis Dei ad extra est propria sua gloria procuranda per creaturarum assimilationem ad Ipsius perfectionem.

III. Divisio Capitis.

In præsenti Capite ostendemus quomodo doctor angelicus principia divini ac trini Exemplarismi locupletissime, clarissime et ordinatissime exponit 1°) in quæstionibus disputatis de veritate; 2°) in Summa contra Gentiles; 3°) in Summa theologica. — Divinus Exemplarismus mire etiam splendet in *Compendio theologicæ veritatis*, quod quidam S. Thomæ attribuunt; sed cum aliis opinamur illud esse opus S. Bonaventuræ, cujus stylum ac methodum luculenter exhibet. Vide in hoc Tomo n.° 788, 2.°

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN QUÆSTIONIBUS DISPUTATIS DE VERITATE.

Quæstiones illas primo loco citamus, quoniam in eis principia Exemplarismi universalius considerantur, atque ex professo et latius a S. Thoma vindicantur ac stabiliuntur. Ex illarum solutione patebit Exemplarismum esse totius naturalis et supernaturalis ordinis physici, intellectualis, artistici, moralis et socialis fundamentum.

§ I.

De bono (q. 21).

Docet S. Thomas omnes creaturas esse bonas participando et imitando divinam Bonitatem, sed non ex propria sua essentia.

I.

Utrum omnia sint bona prima Bonitate (art. 4).

751. — « Ipsa Bonitas dicitur *(a S. Augustino)* Bonum omnis boni, inquantum est Causa efficiens prima, et exemplaris omnis boni, sine hoc quod excludatur bonitas creata, qua creaturæ denominantur bonæ sicut forma inhaerente. » (ad 3[um]).

« Omne agens invenitur sibi simile agere: unde si prima Bonitas sit effectiva omnium bonorum, oportet quod similitudinem suam imprimat in rebus effectis; et sic unumquodque dicetur bonum sicut forma inhaerente per similitudinem summi Boni sibi inditam, et ulterius per Bonitatem primam, sicut per exemplar, et effectivum omnis bonitatis creatæ.... Sic ergo dicimus secundum communem opinionem, quod omnia sunt bona bonitate creata formaliter sicut

forma inhaerente, Bonitate vero increata sicut Forma exemplari. » (In corp.)

II.

Utrum creatum bonum sit bonum per suam essentiam (art. 5).

752. — « Respondeo dicendum, quod secundum tres auctores, oportet dicere creaturas non esse bonas per essentiam, sed per participationem, scilicet secundum Augustinum (lib. 8 de Trinit., cap. 11), Boetium (lib. de Hebdomadib.) et auctorem libri de Causis (propos. 20, 22), qui dicit solum Deum esse Bonitatem puram. Sed tamen diversis rationibus ad unam positionem moventur.... »

1°) « Unumquodque dicitur esse *ens*, inquantum absolute consideratur; *bonum* vero, secundum respectum ad alia. In seipso autem aliquid perficitur, ut subsistat per essentialia principia; sed ut debito modo se habeat ad omnia quæ sunt extra ipsum, non perficitur nisi mediantibus accidentibus superadditis essentiæ, quia operationes, quibus unum alteri conjungitur, ab essentia mediantibus virtutibus essentiæ superadditis progrediuntur; unde absolute bonitatem non obtinet nisi secundum quod completum est secundum substantialia, et secundum accidentalia principia. Quidquid autem creatura perfectionis habet ex essentialibus et accidentalibus principiis simul conjunctis, hoc totum Deus habet per unum suum Esse simplex; simplex enim est ejus Essentia, ejus Sapientia, et Justitia, et Fortitudo, et omnia hujusmodi, quæ in nobis sunt essentiæ superaddita. Et ideo ipsa absoluta Bonitas in Deo idem est quod ejus Essentia; in nobis autem consideratur secundum ea quæ superadduntur essentiæ. Et pro tanto bonitas completa, vel absoluta, in nobis et augetur, et minuitur, et totaliter aufertur, non autem in Deo; quamvis substantialia bonitas in nobis semper maneat. Et secundum hunc modum videtur Augustinus dicere (lib. 8 de Trinit., cap. 3) quod Deus est bonus per essentiam, nos autem per participationem. »

2°) « Sed adhuc inter Dei Bonitatem et nostram alia differentia invenitur. Essentialis enim Bonitas non attenditur secundum considerationem naturæ absolutam, sed secundum esse ipsius: humanitas enim non habet rationem boni, vel bonitatis, nisi inquantum esse habeat. Ipsa autem Natura, vel Essentia divina est ejus Esse; natura autem, vel essentia cujuslibet rei creatæ non est suum esse, sed esse participans ab alio. Et sic in Deo est Esse purum, quia ipse Deus est suum Esse subsistens; in creatura autem est esse receptivum, vel participatum. Unde dico, quod si Bonitas absoluta diceretur de re creata secundum suum esse substantiale, nihilominus adhuc remaneret habere bonitatem per participationem, sicut habet esse participatum. Deus autem est Bonitas per essentiam, inquantum ejus Essentia est suum Esse. Et hæc videtur esse intentio Philosophi in lib. de Causis (loco supr. cit.) qui dicit, solum divinam Bonitatem esse Bonitatem puram. »

3°) « Sed adhuc alia differentia invenitur inter divinam Bonitatem, et creaturæ: bonitas enim habet rationem Causæ finalis; Deus autem habet rationem causæ finalis, cum sit omnium ultimus finis, sicut et primum Principium; ex quo oportet ut omnis alius finis non habeat habitudinem vel rationem finis, nisi secundum ordinem ad Causam primam, quia causa secunda non influit in suum causatum, nisi præsupposito influxu Causæ primæ, ut patet in lib. de Causis (prop. 1); unde et bonum, quod habet rationem finis, non potest dici de creatura, nisi præsupposito ordine Creatoris ad creaturam. »

« Dato igitur quod creatura esset ipsum suum esse, sicut et Deus, adhuc tamen esse creaturæ non haberet rationem boni, nisi præsupposito ordine ad Creatorem; et pro tanto adhuc diceretur bona per participationem, et non absolute in eo quod est. Sed Esse divinum, quod habet rationem boni non præsupposito aliquo, habet rationem Boni per se ipsum: et haec videtur esse intentio Boetii in libro de Hebdomadibus (loc. sup. cit.). »

§ II.

De ideis divinis (q. 3).

Loquitur doctor angelicus de idearum divinarum, 1°) existentia, 2°) pluralitate, 3°) causalitate, inquantum ad practicam Dei scientiam pertinent.

I.

Utrum sint ideæ (art. 3).

753. — A. Notio ideæ.

« Respondeo dicendum, quod sicut dicit Augustinus in libro 83 Quæstionum, q. 46, *ideas* latine dicere possumus *species*, vel *formas*, ut verbum ex verbo transferre videamur. — *Forma* autem alicujus rei potest dici tripliciter. Uno modo a qua formatur res, sicut a forma agentis procedit effectus formatio..... Alio modo dicitur forma alicujus, secundum quam aliquid formatur, sicut anima est forma hominis, et figura statuæ est forma cupri.... Tertio modo di-

citur forma alicujus illud ad quod aliquid formatur; et hæc est *forma exemplaris*, ad cujus similitudinem aliquid constituitur; et in hac significatione consuetum est nomen *ideæ* accipi, ut idem sit idea, quod forma quam aliquid imitatur. »

« Sed notandum quod aliquid potest imitari formam aliquam dupliciter: Uno modo ex intentione agentis, sicut pictura ad hoc fit a pictore, ut imitetur aliquem cujus figura depingitur. Aliquando autem est prædicta imitatio per accidens, præter intentionem et a casu, sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicujus, de quo non intendunt.... »

« Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius per agens quod non determinat sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris, vel ideæ: non enim dicimus, quod forma hominis generantis sit idea, vel exemplar hominis generati; sed solum hoc dicimus quando agens propter finem determinat sibi finem; sive illa forma sit in agente, sive extra agentem: dicimus enim formam artis in artifice esse exemplar artificiati, et similiter etiam formam quæ est extra artificem, ad cujus imitationem artifex aliquid facit. Hæc ergo videtur esse ratio ideæ, quod idea sit forma quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem.... »

« Quia forma exemplaris, vel idea habet quodammodo rationem finis, et ab ea accipit artifex formam qua agit, si sit extra ipsum; non est autem conveniens ponere Deum agere propter finem alium a se, et accipere aliunde, unde sit sufficiens ad agendum; ideo non possumus ponere ideas esse extra Deum, sed in Mente divina tantum. » (Corp. artic.)

B. In Mente divina sunt ideæ.

754. — Argumenta D. Thomæ desumuntur ex ratione, et auctoritate.

1°) « Sicut dictum in 2 Physicor. tres causæ incidunt in unam, scilicet efficiens, finalis et formalis. Sed Deus est Causa efficiens et finalis rerum. Ergo et est formalis exemplaris; non enim potest esse forma, quæ sit pars rei. Ergo. »

2°) « Effectus particularis non producitur a causa universali, nisi causa universalis sit propria vel appropriata. Sed omnes particulares effectus sunt a Deo, qui est Causa universalis omnium. Ergo oportet quod sint ab eodem, secundum quod est Causa propria uniuscujusque, vel appropriata. Sed hoc non potest esse, nisi per rationes rerum proprias in ipso existentes. Ergo oportet in eo rationes rerum, id est ideas, existere. »

3°) « Omne agens per intellectum, habet rationem sui operis apud se, nisi ignoret quid agat. Sed Deus est agens per Intellectum, et non ignorans quid agit. Ergo apud ipsum sunt rationes rerum, quæ ideæ dicuntur. »

4°) « Joan. 1, v. 3, dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Hoc est, quia, ut Augustinus dicit (tract. 1 in Joan., a med.), omnes creaturæ sunt in Mente divina, sicut arca in mente artificis. Sed arca in mente artificis est per suam similitudinem et ideam. Ergo omnium rerum ideæ sunt in Deo. »

5°) « Speculum non ducit in cognitionem aliquorum, nisi eorum similitudines in eo resplendeant. Sed Verbum increatum est speculum ducens in cognitionem omnium creaturarum, quia eo Pater se, et omnia alia dicit. Ergo in eo sunt similitudines rerum omnium. »

6°) « Præterea Augustinus dicit in lib. 6 de Trinit. (cap. 10), quod Filius est Ars Patris plena omnium rationum viventium. Sed rationes illæ nihil aliud sunt quam ideæ. Ergo. »

7°) « Augustinus dicit in Libro de Civitate Dei: *Qui negat ideas esse, infidelis est, quia negat Filium esse.* Ergo. »

8°) « Secundum Augustinum, duplex est modus cognoscendi res, scilicet per essentiam, et per similitudinem. Sed Deus non cognoscit res per earum essentiam, quia sic cognoscuntur solum illa quæ sunt in cognoscente per sui essentiam. Ergo cum scientiam de rebus habeat, relinquitur quod sciat res per earum similitudines, et sic idem quod prius. »

9°) « Augustinus dicit in Lib. de Ordine: *Piget me dixisse, duos esse mundos, sensibilem et intelligibilem, non quin hoc verum sit, sed quia hoc dixi tanquam ex me, cum tamen a philosophis dictum sit, et quia modus iste loquendi non est consuetus in sacra Scriptura.* Sed mundus intelligibilis nihil aliud est, quam idea mundi. Ergo verum est ponere ideas. »

10°) « Boetius dicit in 3 de Consol. (met. 9) loquens ad Deum: *Tu cuncta superno ducis ab Exemplo, mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus Ipse.* Ergo et mundi, et omnium quæ in mundo sunt, exemplum est in Deo; et sic idem quod prius. »

II.

Utrum sit necessarium ponere plures ideas (art. 2).

A. In Mente divina sunt plures ideæ. Hoc probat D. Thomas sequentibus argumentis.

755. — 1°) « Idem secundum idem non est natum facere nisi idem. Sed Deus facit multa diversa. Ergo non secundum eamdem rationem, sed secundum plures causat res. Sed rationes, quibus res producuntur a Deo, sunt ideæ. Ergo etc. »

2°) « Augustinus dicit in lib. 83 Quæstion. (q. 46, in med.): *Restat ut omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo qua equus; hoc est absurdum existimari.* Singula igitur propriis sunt creata rationibus; ergo sunt plures ideæ. »

3°) « Augustinus dicit in Epist. ad Nebridium (Epist. 9, olim 115), quod sicut inconveniens est dicere, quod eadem sit ratio anguli et quadrati, ita inconveniens est dicere quod eadem sit ratio in Deo, hominis et hujus hominis. Ergo plures rationes ideales sunt in Deo. »

4°) « Hebr. 11, v. 3: *Fide credimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Invisibilia autem pluraliter appellat species ideales. Ergo sunt plures. »

5°) « Ideæ a Sanctis significantur nomine artis, et mundi, ut patet ex auctoritatibus inductis. Sed ars pluralitatem quamdam importat. Est enim collectio præceptorum ad unum finem tendentium; et similiter est mundus, cum importet collectionem omnium creaturarum. Ergo oportet ponere plures ideas. »

B. De modo, quo plures ideæ sint in Mente divini Artificis.

756. — « Modus autem pluralitatis sic accipi potest. Forma enim in intellectu potest esse dupliciter. Uno modo, ita quod sit *principium actus intelligendi*, sicut forma, quæ est intelligentis inquantum est intelligens, et hæc est similitudo intellecti in ipso. Alio modo, ita quod sit *terminus actus intelligendi*, sicut artifex intelligendo excogitat formam domus; et cum illa forma sit excogitata per actum intelligendi, et quasi per actum effecta, non potest esse principium actus intelligendi, ut sit *primum quo intelligatur;* sed magis se habet ut *intellectum, quo intelligens aliquid operatur.* Nihilominus tamen forma prædicta est secundum quod intelligitur; quia per formam excogitatam artifex intelligit quid operandum sit; sicut in intellectu speculativo videmus quod species qua intellectus informatur ut intelligat actu, est primum quo intelligitur. Ex hoc autem quod est effectus in actu, per talem formam operari jam potest formando quidditates rerum, et componendo, et dividendo. Unde ipsa quidditas formata in intellectu, vel etiam compositio et divisio, est quoddam operatum ipsius, per quod tamen intellectus venit in cognitionem rei exterioris; et sic *est quasi secundum quo intelligitur.* »

« Si autem intellectus artificio aliquod artificiatum produceret ad similitudinem sui ipsius, tunc quidem ipse intellectus artificis esset idea, non quidem ut est intellectus, sed in quantum intellectum. In his autem quæ ad imitationem alterius producuntur, quandoque id quo alterum imitatur, perfecte imitatur ipsum; et tunc intellectus operantis præconcipiens formam operati, habet ut ideam ipsam formam rei imitatæ, prout est illius rei imitatæ. Quandoque vero quod est ad imitationem alterius, non perfecte imitatur illud; et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatæ absolute, ut ideam, vel exemplar rei operandæ, sed cum proportione determinata, secundum quam exemplatum a principali exemplari deficeret, vel imitaretur. »

« Dico ergo, quod Deus per Intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem Essentiæ suæ producit; unde Essentia sua est idea rerum, non quidem *ut Essentia*, sed *ut est intellecta.* Res autem creatæ non perfecte imitantur divinam Essentiam: unde Essentia non accipitur absolute ab Intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportione creaturæ fiendæ ad ipsam divinam Essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam. Diversæ autem res diversimode ipsam imitantur, et unaquæque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera: et ideo ipsa divina Essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est Idea uniuscujusque rei. Unde cum sint diversæ rerum proportiones, necesse est esse plures ideas: et est quidem una omnium ex parte Essentiæ, sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam. » (Corp. artic.)

« Una prima Forma, ad quam omnia reducuntur, est ipsa Essentia divina secundum se considerata; ex cujus consideratione divinus Intellectus adinvenit, ut ita dicam, diversos modos imitationis ipsius, in quibus pluralitas idearum consistit. » (Ad 6^{um}).

III.

Utrum ipsæ ideæ spectent ad practicam, vel speculativam cognitionem.

757. — « *Idea*, ut ait Augustinus (Lib. 83 Quæstionum, q. 46), secundum proprietatem vocabuli *forma* dicitur: quod si rem attendamus, idea est *ratio* rei, vel *similitudo.* Invenimus autem in quibusdam formis duplicem respectum; unum ad id quod secundum eas formatur, sicut scientia respicit scientem; alium ad id quod est extra, sicut scientia respicit scibile; hic tamen respectus non est omni formæ communis, sicut primus. Hoc igitur nomen *forma* importat solum primum respectum; et inde est quod forma semper notat habitudinem causæ: est enim forma quodammodo causa ejus quod secundum

ipsam formatur, sive formatio fiat per modum inhærentiæ, sicut in formis intrinsecis, sive per modum imitationis, ut in formis exemplaribus. Sed *similitudo* et *ratio* respectum etiam secundum habent, ex quo non competit eis habitudo causæ. »

« Si ergo loquamur de *idea* secundum propriam nominis rationem, sic non extendit se nisi ad illam scientiam secundum quam aliquid formari potest; et hæc est cognitio actu practica, vel virtute tantum, quæ etiam quodammodo speculativa est. Sed tamen si ideam communiter appellemus *similitudinem*, vel *rationem*, sic idea etiam ad speculativam cognitionem pure pertinere potest. Vel magis proprie dicamus, quod *idea* respicit cognitionem practicam actu, vel virtute ; *similitudo* autem et *ratio*, tam speculativam quam practicam. » (Corp. artic.)

« Illa cognitio, quam artifex creatus habet per formas operativas de suo artificio, si cognoscit ipsum ut est producibile in esse, quamvis operari non intendat, non est usquequaque speculativa cognitio, sed habitualiter practica; cognitio autem artificis, qua cognoscit artificiata non ut sunt producibilia ab ipso, quæ est pure speculativa, non habet *ideas* respondentes sibi, sed forte *rationes* vel *similitudines.* » (ad 2[um]).

Dein in aliis Articulis loquitur D. Thomas de omnibus, quorum Deus habet ideas. Docet 1°) Deum habere ideam, non tantum specierum, sed etiam singularium. 2°) Item ideam specialem, non substantiarum tantum, sed etiam accidentium, quæ subjecto constituto superveniunt. 3°) Deum in Mente habere rationem seu similitudinem materiæ primæ, sive informis; sed non habet ideam proprie dictam, nisi materiæ informatæ. 4°) Deum habere virtualiter ideam eorum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; sed idea illa non est determinata ejus Voluntate, et manet inefficax. 5°) Deum non habere mali ideam, nec rationem, nec similitudinem in Mente sua; sed malum non cognoscit, nisi per bonum cujus privatio est.

§ III.

De Veritate (q. 1).

I.

Utrum omnis veritas sit a prima Veritate (art. 8).

758. — « Respondeo dicendum, quod in rebus creatis invenitur veritas in rebus et in intellectu: *in intellectu* quidem secundum quod æquatur rebus, quarum cognitionem habet; *in rebus* autem secundum quod imitantur Intellectum divinum, qui est earum Mensura, sicut ars est mensura omnium artificiatorum; et aliquo modo secundum quod natæ sunt facere de se veram apprehensionem in intellectu humano, qui per res mensuratur, ut dicitur in 10 Metaphys. (Com. 5). — *Res autem existens extra animam*, per formam suam imitatur Artem divini Intellectus; et per eamdem nata est facere de se veram apprehensionem in intellectu humano, per quam etiam formam unaquæque res esse habet. — Unde veritas rerum existentium includit, in sui ratione, entitatem earum, et superaddit habitudinem adæquationis ad intellectum humanum vel divinum. »

« *Sed negationes, vel privationes existentes extra animam*, non habent aliquam formam, per quam vel imitentur exemplar divinæ Artis, vel ingerant sui notitiam in intellectu humano; sed quod adæquentur intellectui, est ex parte intellectus, qui earum rationes apprehendit. Sic ergo patet, quod cum dicitur lapis verus, et cæcitas vera, non eodem modo veritas se habet ad utrumque. Veritas enim *de lapide* dicta, claudit in sui ratione entitatem lapidis, et superaddit habitudinem ad intellectum, quæ causatur etiam ex parte ipsius rei, cum habeat aliquid secundum quod referri possit. Sed veritas dicta *de cæcitate* non includit in seipsa privationem, quæ est cæcitas, sed solummodo habitudinem cæcitatis ad intellectum; quæ etiam non habet aliquid ex parte ipsius cæcitatis in quo sustentetur, cum cæcitas non adæquetur intellectui ex parte alicujus quod in se habet. »

« Patet ergo quod veritas in rebus creatis inventa, nihil aliud potest comprehendere quam entitatem rei, et adæquationem ad intellectum, et intellectus ad res, vel privationes rerum; quod totum a Deo est, et ipsum verum sicut bonum intellectûs; sicut dicitur in 6 Ethic. (cap. 6 et lib. 10, cap. 4, circa med.), quod bonum uniuscujusque rei consistat in perfecta operatione ipsius. Non est autem perfecta operatio intellectus, nisi secundum quod verum cognoscit; unde in hoc consistit ejus bonum, inquantum hujusmodi. Unde cum omne bonum sit a Deo, et omnis forma, oportet etiam absolute dicere, quod omnis veritas sit a Deo. » (In corp. artic.).

§ IV.

De Verbo Dei (q. 4).

I.

Utrum in divinis Verbum proprie dicatur (art. 1).

759. — « Verbum prolatum exterius, cum sit significativum ad beneplacitum, ejus principium est voluntas, sicut et cæterorum artificiatorum;

et ideo, sicut aliorum artificiatorum præexistit in mente artificis imago quædam exterioris artificii, ita in mente proferentis verbum exterius, præexistit quoddam exemplar exterioris verbi. Et ideo, sicut in artifice tria consideramus, scilicet finem artificii, et exemplar ipsius, et ipsum artificium jam productum; ita etiam in loquente, triplex verbum invenitur, scilicet id quod per intellectum concipitur, ad quod significandum, verbum exterius profertur; et hoc est *verbum cordis*, sine voce prolatum. Item exemplar exterioris verbi, et hoc dicitur *verbum interius quod habet imaginem vocis*. Et verbum exterius expressum, quod dicitur *verbum vocis*. Et sicut in artifice præcedit intentio finis, et deinde sequitur excogitatio formæ artificiati, et ultimo artificiatum in esse producit; ita verbum cordis in loquente, est prius verbo quod habet imaginem vocis, et postremum est verbum vocis. »

« *Verbum igitur vocis*, quia corporaliter expletur, de Deo dici non potest, nisi metaphorice, prout ipsæ scilicet creaturæ a Deo productæ, etiam verbum ejus dicuntur; aut motus ipsarum, inquantum designant Intellectum divinum, sicut effectus Causam. — Unde eadem ratione, nec *verbum quod imaginem habet vocis*, poterit dici de Deo proprie, sed metaphorice tantum, ut sic dicantur verbum Dei, ideæ rerum faciendarum. — Sed *verbum cordis*, quod nihil est aliud, quam id quod actu consideratur per intellectum, proprie de Deo dicitur, quia est omnino remotum a materialitate, et omni defectu; et hujusmodi proprie dicuntur de Deo, sicut scientia et scitum, intelligere et intellectum. » (In corp.).

In *Artic. 2*, docet D. Thomas, Verbum in divinis magis dici personaliter quam essentialiter, et proprie competere secundæ Trinitatis personæ, quæ procedit a Patre; et per modum naturæ, inquantum procedit ut Filius Patri æqualis; et per modum intellectus, inquantum procedit ut Verbum.

In *Artic. 3*, asserit Spiritum non posse dici Verbum nisi metaphorice, secundum quod omne manifestans dicitur Verbum.

In *Artic. 4*, docet, Verbum perfecte exprimens Patrem et omnia quæ cognoscit Pater, sive seipsum, sive totam Trinitatem, simul exprimere omnem creaturam.—Ibidem tradit differentiam inter *Verbum* et *ideam*. « Idea enim nominat formam exemplarem absolute, sed Verbum creaturæ in Deo nominat formam exemplarem ab alio deductam; et ideo idea in Deo ad Essentiam pertinet, sed Verbum ad personam. » (Ad 3^{um}) — « Alia differentia inter ideam et Verbum: Idea directe respicit creaturam, et ideo plurium creaturarum sunt plures ideæ; sed Verbum respicit directe Deum, qui primo per Verbum exprimitur, et ex consequenti creatura; et quia creaturæ secundum quod in Deo sunt, unum sunt, creaturarum omnium est unum Verbum. » (Ad 4^{um}).

In *Art. 5*, docet, Verbum importare relationem ad creaturam: « Et quia Pater principaliter dicit se, generando Verbum suum, et ex consequenti dicit creaturas; ideo principaliter, et quasi per se, Verbum refertur ad Patrem, sed ex consequenti, et quasi per accidens, refertur ad creaturam; accidit enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur. » (In corp.).

In *Artic. 6*, asserit res esse verius in Verbo Dei quam in seipsis, si tamen agatur de veritate rei, et non de veritate prædicationis. Etenim quoad veritatem prædicationis, res sunt verius in seipsis quam in Verbo. « Verius enim prædicatur homo de re, prout est in propria natura, quam de ea, secundum quod est in Verbo. » (In Corp.).

In *Artic. 7*, docet, Verbum non esse eorum quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt. « Omne quod aliquo verbo dicitur, ordinatur quodammodo ad exsecutionem,... Unde dicere Dei, dispositio ipsius est... Unde, sicut Deus non disponit nisi quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt, ita nec dicit. Unde Verbum est horum tantum, sicut ipsorum dictorum. Scientia autem, et Ars, et Idea, vel Ratio non important ordinem ad aliquam exsecutionem; et ideo non est simile de eis, et de Verbo. » (In corp.).

Hunc enim ordinem non important, nisi ex libera determinatione voluntatis.

In *Artic. 8*, ostendit, omne quod factum est esse vitam in Mente divini Artificis, quia Ars illius est ipsa Dei Essentia et vita, et simul omnium Dei artificiatorum Exemplar. Omnia igitur divina opificia sunt exemplariter et vitaliter in Verbo Dei.

§ V.

De divina Providentia (q. 5).

Docet S. Thomas divinæ Providentiæ 1°) notionem; 2°) existentiam.

I.

Ad quodnam attributum reducatur divina Providentia (art. 1).

760. — 1°) « *Scientia* communiter se habet ad cognitionem finis, et eorum quæ sunt ad finem; per scientiam enim Deus scit se, et creaturas. Sed *Providentia* pertinet tantum ad co-

gnitionem eorum quæ sunt ad finem, secundum quod ordinantur in finem, et ideo Providentiam includit et Scientiam et Voluntatem; sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativa, sed practica. *Potentia* autem executiva est Providentiæ, unde actus Potentiæ præsupponit actum Providentiæ, sicut dirigentis; unde in Providentia non includitur Potentia sicut Voluntas. » (In corp.).

2°) « In re creata, duo possunt considerari, scilicet ipsa *species* ejus absolute, et *ordo* ejus ad finem; et utriusque forma præcessit in Deo. Forma ergo exemplaris rei, secundum suam speciem absolute, est *idea;* sed forma rei, secundum quod est ordinata ad finem, est *Providentia.* Ipse autem ordo a divina Providentia rebus inditus *fatum* vocatur, secundum Boetium (lib. 4, de Consol., prosa 6). — Unde sicut se habet idea ad speciem rei, ita se habet Providentia ad fatum. Et tamen quamvis idea possit pertinere ad speculativam cognitionem aliquomodo, tamen Providentia tantum ad practicam pertinet, et ita ad opus, quo mediante pervenitur ad fidem. » (Ad 1^{um}).

« In rebus potest considerari *duplex ordo:* unus secundum quod egrediuntur a Principio; alius secundum quod ordinantur ad finem. *Dispositio* ergo pertinet ad illum ordinem, quo res progrediuntur a Principio; dicuntur enim aliqua disponi, secundum quod in diversis gradibus collocantur a Deo, sicut artifex diversimode collocat partes sui artificii... unde dispositio ad artem pertinere videtur. Sed *Providentia* importat illum ordinem, qui est ad finem; et sic Providentia differt ab Arte divina et Dispositione, quia *Ars* divina dicitur respectu productionis rerum, sed *Dispositio* respectu ordinis productorum; *Providentia* autem dicit ordinem in finem artificiati; sed quia ex fine artificii colligitur quidquid est in artificiato; ordo autem ad finem est fini propinquior, quam ordo partium ad invicem, et quodammodo causa ejus; ideo Providentia est quodammodo Dispositionis causa, et propter hoc Dispositionis actus frequenter Providentiæ attribuitur. » (Ad 9^{um}).

3°) « Providentia in Deo, proprie non nominat *Legem æternam,* sed aliquid ad Legem æternam consequens: Lex enim æterna est consideranda in Deo, sicut accipiuntur a nobis principia operabilium naturaliter nota, ex quibus procedimus in consiliando et eligendo, quod est prudentiæ, sive providentiæ; unde hoc modo sese habet lex intellectus nostri ad prudentiam, sicut principium in demostratione. Et similiter etiam in Deo Lex æterna non est Providentia, sed Providentiæ quasi principium: unde et Legi æternæ convenienter attribuitur actus Providentiæ, sicut et omnis effectus demonstrationis principiis indemonstrabilibus attribuitur. » (Ad 6^{um}).

« Gubernatio est Providentiæ effectus, ut dicitur Sap. 14, v. 3: *Tu autem, Pater, gubernas omnia Providentia.* » (Object. 7^{a}, quæ a D. Thoma conceditur).

« Deus dicitur *gubernare per Bonitatem,* non quasi Bonitas sit ipsa Providentia, sed quia est Providentiæ principium, cum habeat rationem finis, et etiam quia ita se habet divina Bonitas ad ipsum, sicut moralis virtus ad nos. » (Ad 3^{um}).

II.

Utrum mundus Providentia regatur (art. 2).

761. — A. MUNDUS ALIQUA PROVIDENTIA GUBERNATUR.

« Providentia respicit ordinem ad finem; et ideo quicumque causam finalem negant, oportet quod negent per consequens providentiam. »

« Probatur mundus aliqua gubernari providentia: 1°) Quicumque habent certum ordinem, oportet quod aliqua providentia regantur. Sed res naturales tenent certum ordinem in suis motibus. Ergo providentia reguntur. »

2°) « Ea quæ sunt diversa non conservantur in aliqua conjunctione, nisi per aliquam providentiam gubernantem; unde et quidam philosophi coacti sunt ponere animam esse harmoniam, propter conservationem contrariorum in corpore animalis. Sed in mundo videmus contraria et diversa ad invicem colligata permanere. Ergo mundus providentia regitur. »

3°) « Dicit Boetius in lib. 4 de Consol. (prosa 6^{a}): *Fatum singula in motum dirigit certis locis, formis, aut temporibus distributa; et ipsa temporalis ordinis explicatio in divinæ Mentis adunata prospectu Providentia est.* Cum ergo videamus res esse distinctas secundum formas, et tempora vel loca, necesse est ponere fatum, et sic etiam Providentiam. »

4°) « Omne id, quod per se non potest conservari in esse, indiget aliquo gubernante, quo conservetur. Sed res creatæ, per se in esse conservari non possunt, quia quæ ex nihilo facta sunt, per se in nihilum tendunt, ut Damascenus dicit. Ergo oportet esse Providentiam gubernantem res. »

762. — B. DEUS MUNDUM SUA PROVIDENTIA GUBERNAT, ET QUOMODO.

« Unde oportet, cum res naturales cognitione careant, quod preexistat aliquis intellectus, qui res naturales in finem ordinet ad modum quo sagittator dat sagittæ certum modum, quo tendat ad determinatum finem; unde sicut percussio quæ fit per sagittam, non tantum opus sagittæ,

sed projicientis; ita etiam omne opus naturæ dicitur a Philosophis opus intelligentiæ. — Et sic oportet quod per Providentiam illius Intellectus qui prædictum ordinem naturæ indidit, mundus gubernetur. Et assimilatur Providentia ista, qua Deus mundum gubernat, providentiæ œconomicæ, qua quis gubernat familiam; vel politicæ, qua quis gubernat civitatem aut regnum, per quam aliquis actus aliorum ordinat in finem. Non enim potest esse in Deo Providentia respectu suiipsius, cum quidquid est in eo, sit finis, non ad finem. » (In corp.).

« Deus per Essentiam suam est Causa rerum, et ita ad aliquod simplex Principium reducitur omnis rerum pluralitas. Sed Essentia ejus non est Causa rerum, nisi secundum quod est scita, et per consequens secundum quod est volita communicari creaturæ per viam assimilationis. Unde res ab Essentia divina per ordinem Scientiæ et Voluntatis procedunt, et ita per Providentiam. » (Ad 4[um]).

III.

Utrum actus humani Providentia Dei regantur (art. 5).

763.—« Quanto aliquid est propinquius primo Principio, tanto nobilius sub ordine Providentiæ collocatur. Inter omnia vero alia, spirituales substantiæ magis primo Principio appropinquant; unde et ejus imagine insignitæ dicuntur; et ideo a divina Providentia non solum consequuntur quod sint provisa, sed etiam quod provideant; et hæc est causa quare substantiæ habent suorum actuum electionem, non autem cæteræ creaturæ, quæ sunt provisæ tantum, et non sunt providentes. »

« Providentia autem, cum respiciat ordinem in finem, oportet quod fiat secundum regulam finis; et quia primus Providens ipsemet est sicut Providentiæ finis, habet regulam Providentiæ sibi conjunctam; unde impossibile est ut, ex parte ipsius, aliquis defectus incidere possit in provisis ab ipso; et sic non est defectus in ipsis, nisi ex parte provisorum. Sed creaturæ, quibus Providentia est communicata, non sunt fines suæ providentiæ, sed in alium finem ordinantur, scilicet Deum; unde ordinantur secundum quod rectitudinem suæ providentiæ ex regula divina sortiuntur; et unde est quod in eorum providentia accidere potest defectus, non tantum ex parte provisorum, sed etiam ex parte providentium. Secundum tamen quod aliqua creatura magis inhæret regulæ primi Providentis, secundum hoc firmiorem rectitudinem habet ordo providentiæ ipsius. Quod ergo hujusmodi creaturæ deficere possunt in suis actibus, et ipsæ sint causæ suorum actuum, inde est quod eorum defectus rationem culpæ habent, quod non erat de defectibus aliarum creaturarum. Quia vero hujusmodi spirituales creaturæ incorruptibiles sunt, et secundum individua: etiam eorum individua sunt propter se provisa, et ideo defectus qui in eis contingunt, ordinantur in pœnam vel præmium, secundum quod eis competit, non autem solum quod ad alia ordinantur. »

« Et inter has creaturas est *homo*, quia ejus forma scilicet anima, est spiritualis creatura, a qua est radix humanorum actuum, et a qua corpus hominis ordinem ad immortalitatem habet. Et ideo humani actus sub divina Providentia cadunt hoc modo, quod ipsi provisores sunt suorum actuum, et *eorum defectus* ordinantur secundum quod competit eisdem, non solum secundum quod competit aliis; sicut peccatum hominis ordinatur a Deo in bonum ejus, ut cum post peccatum resurgens humilior redditur; vel saltem in bonum quod in ipso sit per divinam justitiam, dum pro peccato punitur. Sed *defectus in aliis creaturis* contingentes ordinantur solum in id quod competit aliis, sicut corruptio hujus ignis in generationem illius aeris. Et ideo, ad designandum hunc specialem Providentiæ modum, quo Deus actus humanos gubernat, dicitur Sapient. 11, v. 18: *Cum reverentia disponis nos.* »

§ VI.

De divina Prædestinatione (q. 6).

764. — « Prædestinatio sub Providentia collocatur ut pars ejus... Sed tamen quantum ad duo a Providentia differt. *Providentia* enim dicit universaliter ordinationem ad finem; unde se extendit ad omnia, quæ a Deo in finem aliquem ordinantur, sive sint rationabilia, sive irrationabilia; sive bona, sive mala. *Prædestinatio* autem respicit tantum illum finem, qui est principalis rationali creaturæ, utpote gloriam; et ideo Prædestinatio non est nisi hominum, et eorum quæ spectant ad salutem. »

«Differt etiam alio modo. In qualibet enim ordinatione ad finem, est duo considerare, scilicet *ipsum ordinem*, et exitum vel *eventum ordinis*; non enim omnia quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. *Providentia* ergo ordinem in finem respicit tantum; unde per Dei Providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur. Sed *Prædestinatio* respicit etiam exitum, vel eventum ordinis; unde non est nisi eorum qui gloriam consequuntur. — Sicut igitur se habet Pro-

videntia ad impositionem ordinis, ita se habet Prædestinatio ad ordinis exitum, vel eventum; quod enim aliqui finem gloriæ consequuntur, non est principaliter ex propriis viribus, sed ex auxilio gratiæ divinitus datæ. Unde, sicut de Providentia supra dictum est, quod consistit in actu rationis, sicut et prudentia, cujus est pars, eo quod solius rationis est dirigere, vel ordinare; ita etiam et Prædestinatio in actu rationis consistit dirigentis, vel ordinantis in finem. Sed ad directionem in finem præexigitur voluntas finis... »

« Finis autem in quem Prædestinatio ordinat, non est universaliter consideratus, sed secundum comparationem ejus ad illum qui finem ipsum consequitur, quem oportet esse distinctum apud dirigentem, ab his qui finem illum non consequuntur; et ideo Prædestinatio præsupponit *dilectionem*, per quam Deus vult salutem alicujus... Præexigitur etiam et *electio*,, per quam ille qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separatur qui non hoc modo in finem diriguntur. Hæc autem separatio non est propter diversitatem aliquam inventam in his qui separantur, quæ posset ad amorem incitare, quia *antequam nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, ut dicitur Rom. 9, v. 11. »

« Et ideo Prædestinatio *præsupponit* electionem et dilectionem; electio vero dilectionem. Ad Prædestinationem vero duo *sequuntur*, scilicet consecutio finis, qui est glorificatio, et collatio auxilii ad consequendum finem, quod est appositio gratiæ, quod ad vocationem pertinet; unde et Prædestinationi duo effectus assignantur, scilicet *gratia* et *gloria* » (Corp. art.).

§ VII.

De Voluntate Dei (q. 23).

In sequenti loco, S. Thomas non loquitur de divina Voluntate considerata in seipsa, sed inquantum est voluntatis nostræ Exemplar.

I.

Utrum voluntatem nostram teneamur divinæ conformare Voluntati (art. 7).

765. — « Quilibet tenetur suam voluntatem conformare divinæ. Cujus ratio ex hoc accipi potest, quod in quolibet genere est unum primum, quod est mensura omnium quæ sunt in illo genere, in quo perfectissime natura generis invenitur, sicut natura coloris in albedine, quæ pro tanto mensura omnium colorum dicitur, quia de unoquoque colore cognoscitur, quantum participat de natura generis ex propinquitate ad albedinem, vel ex remotione ab ipsa, ut dicitur in lib. 10 Metaph. (tex. 1 et seq.) Et per hunc modum, ipse Deus est Mensura omnium entium, ut ex verbis Commentatoris ibidem haberi potest. Tantum enim unumquodque habet de esse, quantum Ei per similitudinem appropinquat; secundum vero quod Ei dissimile invenitur, ad non esse accedit; et sic de omnibus quæ in Deo et in creaturis pariter inveniuntur, dici oportet; unde et Intellectus ejus omnis cognitionis est mensura, et Bonitas omnis bonitatis, et, ut specialius loquar, bona Voluntas omnis bonæ voluntatis. Ex hoc ergo unaquæque voluntas bona est, quod divinæ Voluntati conformatur. Unde cum quilibet teneatur ad habendam bonam voluntatem, tenetur pariter ad habendam voluntatem divinæ Voluntati conformem. »

« Sed sciendum, quod ista conformitas multipliciter attendi potest. Loquimur enim hîc de voluntate quæ est *actus*; conformitas enim nostri ad Deum, secundum *potentiam* voluntatis, est naturalis, ad imaginem pertinens, unde sub præcepto non cadit. Actus vero divinæ Voluntatis non solum hoc habet quod sit voluntatis actus, sed simul habet quod sit Causa omnium quæ sunt actus. Ergo actus nostræ voluntatis divinæ Voluntati conformari potest, vel sicut effectus Causæ, vel sicut voluntas Voluntati. — Conformitas autem effectus ad causam aliter invenitur in naturalibus, et in voluntariis causis. *In naturalibus* enim causis, attenditur conformitas secundum similitudinem naturæ, sicut quod homo generat hominem, et ignis ignem. Sed *in voluntariis* dicitur effectus causæ conformari ex eo, quod in effectu impletur sua causa; sicut artificiatum assimilatur suæ causæ, non quod sit ejusdem naturæ cum arte, quæ est in mente artificis, sed quia forma artis in artificiato impletur; et similiter conformatur voluntati effectus ejus, quando hoc fit quod voluntas disposuit. Et ita ex hoc actus nostræ voluntatis, divinæ Voluntati conformatur, quod volumus id quod Deus vult nos velle.... »

« Ex parte objecti, duplex conformitas inveniri potest. Una *ex parte voliti*, ut quando homo vult aliquid quod Deus vult, et hoc est quasi secundum causam materialem; objectum enim est quasi materia actus, unde est minima inter alias. Alia *ex parte rationis volendi*, sive ex parte finis, ut cum aliquis propter hoc vult aliquid, propter quod Deus; et hæc conformitas est secundum causam finalem. Forma vero superveniens actui est modus, quem consequitur ex habitu eliciente. Et sic voluntas nostra dicitur

conformis esse divinæ, quando aliquis vult aliquid ex charitate sicut Deus; et hoc est quasi secundum causam formalem.» (In corp.)

Conclusio præsentis articuli.

766. — Ex doctrina D. Thomæ in hoc articulo exposita, liquet totum ordinem creatum fundari in analogica omnium rerum creatarum conformitate cum divino Creatore et Artifice, omnia sua artificiata producente juxta æternas Ideas suas, gubernante juxta æternam Legem Providentiæ suæ, et consummante juxta æternam Prædestinationem suam.

Ordo physicus intendit substantialem rerum bonitatem. Fundatur in substantiali omnium rerum conformitate cum divina Forma, sive Essentia, per formas suas substantiales ipsis concreatas.

Ordo intellectualis intendit verum cognoscendum. Fundatur in mentis creatæ conformitate cum Mente divini Artificis et artificiatis ejus, per formas seu species intelligibiles, quæ in mente angelica inditæ sunt, et a mente humana ex creatis rebus naturaliter abstrahuntur.

Ordo artisticus intendit pulchrum mente concipiendum et signis materialibus in opificio exprimendum. Fundatur in conformitate mentis artificis humani cum Mente divini Artificis, per formas exemplares sive ideas, quas creatus artifex naturaliter concipit, aspiciendo divina artificiata, seu opificia.

Ordo moralis intendit bonum agendum. Fundatur in voluntatis creatæ, conformitate cum Voluntate divini Artificis, per virtutes seu formas morales, quæ rationalia Dei opificia ipsis libere volentibus exornant juxta beneplacitum supremi Opificis.

Ordo socialis intendit principaliter bonum commune, et secundario bonum privatum. Complectitur ordinem societatis religiosæ, domesticæ et civilis. Fundatur in conformitate legum omnis societatis cum æterna Lege Dei supremi gubernantis ad finem a se intentum, non solum singula sua artificiata, sed etiam omnes societates et totum mundum.

Ordo supernaturalis supponit totum ordinem naturalem, de quo hucusque egimus, et intendit conformitatem creaturæ rationalis cum Deo, excedentem omne naturæ debitum omnesque vires ejus. Sublimis ac ultima illa conformitas consistit in communi assimilatione angeli et hominis cum Deo per gloriam æternam, quæ divinæ gratiæ merito obtinetur. *Gratia* igitur et *gloria* ad supernaturalem cum Deo conformitatem elevant totum ordinem physicum, intellectualem, artisticum, moralem et socialem, in Dei Ecclesia militante in terra, ac triumphante in cœlo. — Ordo ille supernaturalis fundatur in formis supernaturaliter spiritui creato infusis, scilicet in gratia sanctificante, quæ spiritus essentiam elevat ad esse supernaturale, et in habitibus gratiam sanctificantem comitantibus, quæ spiritus potentias proxime disponunt atque elevant ad operationem supernaturalem gratiæ et gloriæ. Demum, ut potentiæ sic dispositæ transeant ad actum supernaturalem in ordine gratiæ, requiritur auxilium transiens gratiæ actualis.

Ratio igitur æterna totius ordinis creati, naturæ, gratiæ et gloriæ, invenitur in Mente divini Artificis omnia opificia sua variis gradibus ordinantis ad sui assimilationem, quoad esse et operari.

Ergo trinus ac totus ordo creaturarum physicus, intellectualis et moralis, tam naturalis quam supernaturalis, fundatur in analogica creaturarum conformitate cum Dei Forma, Intellectu ac Voluntate, atque integre, distincte et harmonice explicatur in universali doctrina divini Exemplarismi.

Exemplarismi autem principia, in quæstionibus de Veritate *in genere* exposita, informant *in specie* totam D. Thomæ Summam philosophicam contra Gentiles, et totam illius Summam theologicam, ut videbimus in duobus articulis sequentibus.

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN SUMMA CONTRA GENTILES.

Primo generalem dabimus conspectum præclari operis hujus, quod vulgo *Summa* dicitur, sed ab ipso auctore inscribitur: *De veritate Catholicæ fidei contra Gentiles*. Deinde ex eo citabimus quosdam locos particulares, in quibus maxime traditur Exemplarismi doctrina.

§ I.

Conspectus generalis Summæ contra Gentiles.

Ex miri hujus operis divisione et subdivisione concludemus, doctrinam ejus esse encyclopaedicam, et in divino Exemplarismo fundari, inquantum ostendit trinum ordinem omnium creaturarum a Deo procedentium, atque ad Deum circulariter redeuntium, perficiendo se juxta Deum, seu ad ipsius exemplar, tam naturaliter quam supernaturaliter.

I.

Hujus operis divisio in quatuor libros.

767. — *De tribus primis* sic præloquitur ipse doctor angelicus: « Intendentibus nobis per viam rationis prosequi ea quæ de Deo ratio humana investigare potest, primo occurrit consideratio de his quæ Deo secundum ipsum conveniunt (Lib. 1) — Secundo de vero processu creaturarum ab ipso (Lib. 2) — Tertio autem de ordine creaturarum in ipsum, sicut in finem (Lib. 3) » (Lib. 1, cap. 9).

Postea eorumdem librorum materiam sequenti modo resumit: « Quia ergo in *primo Libro* de perfectione divinæ Naturæ prosecuti sumus, *in secundo* autem de perfectione potestatis ipsius, secundum quod est omnium rerum Productor et Dominus, restat igitur in hoc *tertio Libro* prosequi de perfecta auctoritate sive dignitate ipsius, secundum quod est omnium rerum Finis et Rector. » (Lib. 3, cap. 1).

De quarto autem Libro dicit: « In præcedentibus de divinis sermo est habitus, secundum quod ad cognitionem divinorum naturalis ratio per creaturas pervenire potest; imperfecte tamen, et secundum proprii possibilitatem ingenii, ut sic possimus dicere cum Job: *Ecce haec ex parte dicta sunt viarum ejus.* Restat autem sermo habendus de his quæ nobis revelata sunt divinitus, ut credenda, excedentia intellectum humanum.... Probanda sunt hujusmodi auctoritate sacræ Scripturæ, non autem ratione naturali; sed tamen ostendendum est, quod rationi naturali non sunt opposita, ut ab impugnatione infidelium defendantur; qui etiam modus in principio hujus operis prædeterminatus est. » (Lib. 4, cap. 1).

II.

Subdivisio prædictorum quatuor librorum.

Liber I. De Deo uno in se spectato.

1°) De Dei existentia. « Inter ea quæ de Deo secundum seipsum consideranda sunt, præmittendum est, quasi totius operis necessarium fundamentum, consideratio qua demonstratur Deum esse. Quo non habito, supposita omnis consideratio de rebus divinis necessario tollitur. » (Lib. 1, cap. 9).

2°) De natura Dei et attributis ejus quiescentibus.

3°) De attributis Dei operativis, scilicet de Scientia ejus et Voluntate.

Liber II. De Deo mundi Creatore.

« Post ea, quæ in se de Deo in primo Libro sunt dicta, de his, quæ ab ipso sunt, restat prosequendum. Erit autem hic prosecutionis ordo ut agamus: »

« 1°) De productione rerum in esse. »

« 2°) De earum distinctione. »

« 3°) De ipsarum rerum productarum et distinctorum natura, quantum ad fidei pertinet veritatem. » (Lib. 2, cap. 4 et 5).

Liber III. De Deo mundi Gubernatore.

« Erit hoc ordine procedendum, ut agatur: »

« 1°) De ipso Deo, secundum quod est omnium rerum finis. »

« 2°) De regimine universali ipsius. »

« 3°) De speciali ipsius regimine, prout gubernat creaturas intellectum habentes. » (Lib. 3, cap. 1).

Liber IV. De Deo trino et supernaturalibus ejus operibus.

« Quia naturalis ratio per creaturas in Dei cognitionem ascendit, fidei vero cognitio a Deo in nos, e converso, divina revelatione descendit; est autem eadem via ascensus et descensus: oportet eadem via procedere in his quæ supra rationem creduntur, qua in superioribus processum est circa ea quæ ratione investigantur de Deo, ut scilicet tractentur: »

« 1°) Ea quæ de ipso Deo supra rationem credenda proponuntur, sicut est confessio Trinitatis. »

« 2°) De his quæ supra rationem a Deo sunt facta, sicut opus Incarnationis, et quæ sequuntur ad ipsam. »

« 3°) Ea quæ supra rationem in ultimo hominum fine exspectantur, sicut resurrectio et glorificatio corporum, perpetua beatitudo animarum, et quæ his connectuntur. » (Lib. 4, cap. 1).

III.

Ex dicta partitione concluditur præfatum opus in divino Exemplarismo fundari.

768. — Etenim liquet S. Thomam in Summa contra Gentiles considerare Deum unum et trinum, prout est in seipso, et prout est prima omnium rerum Causa efficiens et finalis, a qua procedunt, et ad quam circulari motu redeunt omnia. « Nam Philosophus argumentum assumit ex propriis rerum causis; Fidelis autem ex Causa prima, utputa, quia sic divinitus est traditum, vel quia hoc in gloriam Dei cedit, vel quia Dei potestas est infinita; unde et ipsa maxima sapientia dici debet, utpote semper altissimam Causam considerans. » (Lib. 2, cap. 4).

Atqui, causa efficiens, quæ intellectu pollet et sapientissima est, nihil efficit quin finem aliquem intendat, et nullum finem intendere potest sine ratione. Ergo inter causam efficientem et fina-

lem, necessario supponitur causa exemplaris, quæ causam efficientem dirigat in operatione ejus ad finem obtinendum, et ita sit ratio operationis ejus. — Atqui, Deus nulla alia ratione in operando dirigi potest quam propria ratione, quæ Ipse est. — Ergo non est tantum prima Causa efficiens et finalis omnium rerum, sed etiam Causa exemplaris, atque ut sic, est suprema omnium rerum Ratio. Ergo totus ordo, quo creaturæ a Deo procedunt, tanquam a Causa efficiente, atque ad Deum redeunt, tanquam ad Causam finalem, formaliter fundatur in Causa exemplari, sive in divinis exemplaribus, quæ sunt practicæ Dei Rationis suprema regula, et centrum motus circularis omnium rerum a suo principio ad finem. Ergo tota D. Thomæ, sicut cæterorum sapientium doctrina, fundatur ac fundari debet in divino Exemplarismo, sive in divina Sapientia, quæ omnis sapientiæ creatæ fons æternus est.

Sed ipsum potius loquentem audiamus: « Nomen simpliciter sapientis illi soli reservatur, cujus consideratio circa finem universi versatur, qui etiam est universitatis Principium. Unde secundum Philosophum (2 Topic., cap. 1) sapientis est causas altissimas considerare. Finis autem ultimus uniuscujusque rei est qui intenditur a primo auctore, vel motore ipsius. Primus autem Auctor et Motor universi est Intellectus. Oportet igitur veritatem esse ultimum finem totius universi; et circa ejus finem et considerationem principaliter sapientiam insistere. Et ideo ad Veritatis manifestationem, divina Sapientia carne induta se venisse in mundum testatur, dicens Joan. 18, v. 37: *Ego in hoc mundo natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Sed et primam philosophiam Philosophus (2 Metaph., text. 3) determinat esse scientiam veritatis, non cujuslibet, sed ejus Veritatis quæ est origo omnis veritatis; scilicet quæ pertinet ad primum Principium essendi omnibus; unde et sua Veritas est omnis veritatis Principium (2 Metaph., text. comm. 4). Sic enim est dispositio rerum in veritate sicut in esse. » (Lib. 1, cap. 1).

Atqui, suprema illa Veritas, quam continuo contemplari debet sapiens, est divinum Esse, seu divinum Exemplar, quod est per se Veritas, Pulchritudo, Bonitas, et juxta quod omnia sunt, vera sunt, pulchra sunt, bona sunt. Omnia enim sunt, vera sunt, pulchra sunt, bona sunt, prout variis modis Formæ exemplari conformantur. Ergo divinum illud Exemplar est principale objectum a sapiente contemplandum, et doctrina Exemplarismi est vera Sapientia.

§ II.

De divino mundi Artifice et Rectore.

Deus est Artifex, mundum creando juxta æterternas Sapientiæ ideas, et mundum regit juxta æternam Providentiæ suæ Legem. Sub utroque respectu ab angelico doctore in sequentibus locis consideratur.

I.

De divino mundi Artifice et æternis ejus ideis.

769. — 1°) De divino mundi Artifice.

« *Meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabar.* (Psal. 142, v. 5). — Rei cujuslibet perfecta cognitio haberi non potest, nisi ejus operatio cognoscatur: ex modo enim operationis et specie, mensura et qualitas virtutis pensatur. Virtus vero naturam rei monstrat; secundum hoc enim unumquodque natum est operari, quod actu talem naturam sortitur. Est autem duplex rei operatio, ut Philosophus tradit in 9 Metaph. (text. com. 16). Una quidem *quæ in ipso operante manet*, et est ipsius operantis perfectio, ut sentire, intelligere et velle. Alia vero quæ *in exteriorem rem transit*, quæ est perfectio facti, quod per ipsam constituitur, ut calefacere, secare et ædificare. »

« Utraque autem competit Deo: prima quidem in eo, quod intelligit, vult, gaudet et amat; alia vero in eo, quod res in esse producit, et eas conservat, et regit. Quia vero prima operatio perfectio operantis est, secunda vero perfectio facti; agens autem naturaliter prius facto est, et causa ipsius; oportet quod prima dictarum operationum sit ratio secundæ, et eam præcedat naturaliter, sicut causa effectum. Quod quidem in rebus humanis manifeste apparet. Consideratio enim et voluntas artificis, principium est et ratio ædificationis. Prima igitur dictarum operationum, tanquam simplex operantis perfectio, operationis sibi vindicat nomen, vel etiam *actionis*. Secunda vero, eo quod sit perfectio facti, *factionis* nomen assumit; unde manufacta dicuntur quæ per actionem hujusmodi ab artifice in esse procedunt. »

« De prima autem Dei operatione in præcedente Libro jam diximus, ubi est actum de Cognitione et Voluntate divina; unde ad completam divinæ veritatis considerationem restat nunc de secunda operatione tractare, per quam scilicet res producuntur et gubernantur a Deo. Quem quidem ordinem ex præmisso sumere possumus. Præmittit namque primæ operationis meditationem, cum dicit: *Meditatus sum in omnibus operibus tuis*, ut operatio ad divinum in-

telligere, vel velle referatur. Subjungit vero factionis meditationem cum dicit: *Et in factis manuum tuarum meditabar*, ut per facta manûs ipsius intelligamus cœlum et terram, et omnia quæ procedunt in esse a Deo, sicut ab artifice manufacta procedunt. » (Lib. 2, cap. 1).

770. — 2°) De æternis Dei ideis.

Cum in præcedenti articulo jam retulimus D. Thomæ doctrinam de ideis divinis, hîc indicare sufficiet Libri 1 Capita, quæ de iis agunt.

Cap. 51. Rationes ad inquirendum qualiter multitudo intellectorum sit in Intellectu divino.

Cap. 52. Rationes quod hujusmodi moltitudo intelligibilium non est nisi in Intellectu divino.

Cap. 53. Quomodo multitudo intellectorum sit in Deo.

Cap. 54. Quomodo divina Essentia, una existens, sit propria similitudo et Ratio omnium intelligibilium. — Sequentia tamen verba ex hoc Capite transcribemus: « Divina Essentia in se nobililates omnium entium comprehendit, non per modum compositionis, sed per modum perfectionis... Intellectus igitur divinus id, quod est proprium unicuique, in Essentia sua comprehendere potest, intelligendo in quo ejus Essentiam imitatur, et in quo a sua perfectione deficit unumquodque... Quia vero propria ratio unius distinguitur a propria ratione alterius, distinctio autem est pluralitatis principium, oportet in Intellectu divino distinctionem quamdam et pluralitatem rationum intellectorum considerare, secundum quod, id quod est in Intellectu divino, est propria Ratio diversorum. Unde cum hoc sit, secundum quod Deus intelligit proprium respectum assimilitationis, quam habet unaquæque creatura ad Ipsum, relinquitur quod rationes rerum in Intellectu divino non sunt plures, vel distinctæ, nisi secundum quod Deus cognoscit res pluribus et diversis modis esse assimilabiles sibi. Et secundum hoc Augustinus dicit (Lib. 83 Quæst., 46) quod Deus alia ratione fecit hominem et alia equum; et rationes rerum pluraliter in Mente divina esse dicit... In quo etiam salvatur aliqualiter Platonis opinio ponentis ideas, secundum quas formantur omnia quæ in rebus materialibus existunt. »

II.

De divino mundi Rectore ejusque Providentia.

771. — 1°) De divino mundi Rectore.

« Unum esse Primum entium, totius esse perfectionem plenam possidens, quod Deum dicimus... ex suæ perfectionis abundantia omnibus existentibus esse largitur; ut non solum Primum entium, sed et primum Principium omnium esse comprobetur. Esse autem aliis tribuit, non necessitate naturæ, sed secundum suæ arbitrium voluntatis... Unde consequens est, ut factorum suorum sit Dominus; nam super ea quæ nostræ voluntati subduntur, dominamur. Hoc autem dominium super res a se productas perfectum habet, utpote qui ad eas producendas non exterioris agentis adminiculo indiget, nec materiæ fundamento, cum sit totius universitatis Effector. Eorum autem quæ per voluntatem producuntur agentis, unumquodque ab agente in finem aliquem ordinatur; bonum enim et finis est objectum proprium voluntatis; unde necesse est, ut quæ ex voluntate procedunt, ad finem aliquem ordinentur. Finem autem ultimum unaquæque res per suam consequitur actionem; quam oportet dirigi ab eo qui principia rebus dedit, per quæ agunt. Necesse est igitur ut Deus, qui est in se naturaliter perfectus, et omnibus entibus ex sua potestate esse largitur, omnium entium Rector existat, a nullo utique directus; nec est aliquid quod ab ejus regimine excusetur; sicut nec est aliquid, quod ab ipso esse non sortiatur. Est igitur, sicut perfectus in essendo et causando, ita etiam et in regendo perfectus. Hujus vero regiminis effectus in diversis, apparet diversimode secundum differentiam naturarum. »

« Quædam namque sic a Deo producta sunt, ut intellectum habentia ejus similitudinem gerant, et imaginem repræsentent; unde et ipsa non solum sunt directa, sed et seipsa dirigentia secundum proprias actiones in debitum finem; quæ si in sua directione regimini divino subdantur, ad ultimum finem consequendum ex divino regimine admittuntur; repellunlur autem, si secus in sua directione processerint. »

« Alia vero intellectu carentia, seipsa in suum finem non dirigunt, sed ab alio diriguntur; quorum quædam incorruptibilia existentia, sicut in esse naturali pati non possunt defectum, ita in propriis actionibus in ordine ad finem eis præstitutum, nequaquam exorbitant, sed indeficienter regimini primi Regentis subduntur; sicut sunt corpora cœlestia, quorum motus semper uniformiter procedunt. — Alia vero corruptibilia existentia, naturalis esse pati possunt defectum, qui tamen per alterius profectum completur, nam uno corrupto aliud generatur; et similiter in actionibus propriis a naturali ordine deficiunt; qui tamen defectus per aliquid bonum inde proveniens compensatur. Ex quo apparet quod nec illa, quæ ab ordine primi regiminis exorbitare videntur, potestatem primi Regentis evadunt; nam et hæc corruptibilia corpora, sicut ab ipso Deo condita sunt, ita potestati ejus perfecte subduntur. » (Lib. 3, cap. 1).

2°) De divina Providentia.

In lib. 3, a Capite 64 agitur de divina Providentia, et Lege æterna, qua Deus omnia opificia gubernat ad perfectionem naturalem et supernaturalem.

§ III.

Finis divini Artificis et Rectoris est mundi assimilatio ad divinam perfectionem.

Divina enim Bonitas, seu perfectio, ab omnibus singulisque creaturis repræsentanda ad gloriam suam, est finis primarius a Deo intentus in omni sua operatione ad extra.

I.

Hæc assimilatio, seu repræsentatio, fuit finis divini Artificis in mundi productione.

772. — « Ad productionem creaturarum nihil aliud movet Deum nisi sua Bonitas, quam rebus aliis communicare voluit, secundum modum assimilationis ad ipsum. » Lib. 2, cap. 46, 5°).

Lib. 2, cap. 45. Quæ sit prima Causa distinctionis rerum secundum veritatem.

1°) « Cum omne agens intendat suam similitudinem in effectum inducere, secundum quod effectus capere potest, tanto hoc agit perfectius, quanto agens perfectius est. Patet enim quod quanto aliquid est calidius, tanto facit magis calidum; et quanto est aliquis melior artifex, tanto formam artis perfectius inducit in materiam. Deus autem est perfectissimum Agens. Suam igitur similitudinem in rebus creatis ad eum pertinebat inducere perfectissime, quantum naturæ creatæ convenit. Sed perfectam Dei similitudinem non possunt consequi res creatæ secundum unam solam speciem creaturæ; quia cum causa excedat effectum, quod est in causa simpliciter et unite, in effectu invenitur composite et multipliciter; nisi effectus pertingat ad speciem causæ, quod in proposito dici non potest; non enim creatura potest esse Deo æqualis. Oportuit igitur esse multiplicitatem et varietatem in rebus creatis, ad hoc quod inveniretur in eis Dei similitudo perfecta secundum modum suum. »

2°) « Bonitas speciei excedit bonitatem individui; sicut formale, id quod materiale. Magis igitur addit ad bonitatem universi multitudo specierum quam multitudo individuorum in una specie. Est igitur ad perfectionem universi pertinens, non solum quod multa sint individua, sed quod sint etiam diversæ rerum species, et per consequens diversi gradus in rebus. »

3°) « Operi a summe bono Artifice facto non debuit deesse summa perfectio. Sed bonum ordinis diversorum est melius quolibet illorum ordinatorum per se sumpto; est enim formale respectu singularium, sicut perfectio totius respectu partium. Non debuit ergo bonum ordinis operi Dei deesse. Hoc autem bonum esse non potest, si diversitas et inæqualitas creaturarum non fuisset. Est igitur diversitas et inæqualitas in rebus creatis, non a casu, non propter materiæ diversitatem, non propter interventum aliquarum causarum, vel meritorum; sed ex propria Dei intentione, perfectionem creaturæ dare volentis, qualem possibile erat eam habere. Hinc est quod dicitur Gen. 1, v. 31: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona;* cum de singulis dixisset, quod sunt bona; quia singula quidem sunt in suis naturis bona, simul autem valde bona, propter ordinem universi, quæ est ultima et nobilissima perfectio in rebus. »

773. — **Cap. 46.** Quod oportuit ad perfectionem universi, esse aliquas naturas intellectuales.

1°) « Tunc effectus maxime perfectus est, quando in suum redit principium; unde et circulus inter omnes figuras, et motus circularis inter omnes motus est maxime perfectus, quia in eis ad principium reditur. Ad hoc igitur quod universum creaturarum ultimam perfectionem consequatur, oportet creaturas ad suum redire Principium. Redeunt autem ad suum Principium singulæ et omnes creaturæ, inquantum sui Principii similitudinem gerunt, secundum suum esse et suam naturam, in quibus quamdam perfectionem habent; sicut et omnes effectus tunc maxime perfecti sunt, quando maxime similantur causæ agenti, ut domus quando maxime similatur arti, et ignis quando maxime similatur generanti. Cum igitur Intellectus Dei, creaturarum productionis Principium sit, ut supra ostensum est, necesse fuit ad creaturarum perfectionem, quod aliquæ creaturæ essent intelligentes. »

2°) « .... Oportuit ad consummatam universi perfectionem, esse aliquas creaturas quæ in Deum redirent, non solum secundum naturæ similitudinem, sed etiam per operationem; quæ quidem non potest esse nisi per actum intellectus et voluntatis, quia nec ipse Deus aliter erga seipsum operationem habet. »

3°) « .... Oportet ad summam perfectionem universi, esse aliquas creaturas, in quibus secundum esse intelligibile, Forma divini Intel-

lectus exprimatur, et hoc est esse creaturas secundum suam naturam intellectuales. »

4°) « .... Ad hoc quod similitudo Dei perfecta esset in rebus, modis possibilibus, oportuit quod divina Bonitas rebus per similitudinem communicaretur non solum in essendo, sed etiam in cognoscendo. Cognoscere autem divinam Bonitatem solus intellectus potest. Oportuit igitur esse creaturas intellectuales. »

5°) « .... Deus in se omnes creaturas comprehendit .... quum omnes creaturas simplici modo, et non quantitatis extensione contineat. Ut igitur, nec in hoc modo continendi, Dei imitatio creaturis deesset, factæ sunt creaturæ intellectuales, quæ creaturas corporales continerent, non extensione quantitatis, sed simpliciter per modum intelligibilem; nam quod intelligitur est in intelligente, et ejus intellectuali operatione comprehenditur. »

II.

Prædicta assimilatio est finis divini Rectoris in mundi gubernatione.

774. — Liber 3, cap. 17. QUOD OMNIA ORDINANTUR IN UNUM FINEM, QUI EST DEUS.

Cap. 18. QUOMODO DEUS SIT FINIS OMNIUM. « ... Res non ordinantur in Deum, sicut in finem, cui aliquid acquiratur, sed ut ab Ipso Ipsummet suo modo consequantur, cum Ipsemet sit finis. » (4°.)

Cap. 19. QUOD OMNIA INTENDUNT ASSIMILARI DEO. « Ex hoc autem quod acquirunt divinam Bonitatem res creatæ, similes Deo constituuntur ».

1°) « Si igitur res omnes in Deum sicut in ultimum finem tendunt, ut ipsius Bonitatem consequantur, sequitur quod ultimus rerum finis sit Deo assimilari. »

2°) « Amplius. Agens dicitur esse finis effectûs, inquantum effectus tendit in similitudinem agentis; unde forma generati est finis generationis. Sed Deus ita est finis rerum, quod est etiam primum Agens earum. Omnia igitur tendunt, sicut ad ultimum finem, Deo asssimilari. »

3°) « Item. In omnibus rebus evidenter apparet, quod esse appetunt naturaliter; unde qua corrumpi possunt naturaliter corrumpentibus resistunt, et tendunt illuc ubi conserventur, sicut ignis sursum, et terra deorsum. Secundum hoc autem esse habent omnia, quod Deo assimilantur, qui est ipsum Esse subsistens, cum omnia sint solum quasi esse participantia. Omnia igitur appetunt, quasi ultimum finem, Deo assimilari. »

4°) Præterea. Res omnes creatæ sunt quædam imagines primi Agentis, scilicet Dei; agens enim agit sibi simile; perfectio enim imaginis est ut repræsentet suum exemplar per similitudinem ad ipsum; ad hoc enim imago constituitur. Sunt igitur res omnes propter divinam similitudinem consequendam, sicut propter ultimum finem. »

5°) « Adhuc. Omnis res per suum motum, vel actionem tendit in aliquod bonum, sicut in finem. Intantum autem aliquid de bono participat, inquantum assimilatur primæ Bonitati, quæ Deus est. Omnia igitur, per motus suos et actiones, tendunt in divinam similitudinem sicut in finem ultimum. »

Cap. 20. QUOMODO RES DIVINAM BONITATEM IMITENTUR.

« Patet ergo, ex his quæ dicta sunt, quod assimilari ad Deum est ultimus omnium finis. Id autem quod proprie habet rationem finis, est bonum. Tendunt igitur res in hoc quod assimilentur Deo, proprie inquantum est bonus. Bonitatem autem creaturæ non assequuntur eo modo sicut in Deo est, licet divinam Bonitatem unaquæque res imitetur secundum suum modum. »

1°) « Divina enim Bonitas simplex est, quasi tota in uno consistens; ipsum enim divinum Esse omnem plenitudinem perfectionis obtinet.... Unde cum unumquodque intantum sit bonum, inquantum est perfectum, ipsum divinum Esse est ejus perfecta Bonitas: idem enim est Deo esse, vivere, sapientem esse, beatum esse, et quidquid aliud ad perfectionem et bonitatem videtur pertinere, quasi tota divina Bonitas sit ipsum divinum Esse. »

2°) « Rursum. Quia ipsum divinum Esse est ipsius Dei existentis Substantia, in aliis autem rebus hoc accidere non potest; ostensum est enim in lib. 2 (cap. 58), quod nulla substantia creata est ipsum suum esse. Unde si secundum quod res quælibet bona est, non est earum aliqua suum esse, nulla earum est sua bonitas, sed earum quælibet bonitatis participatione bona est, sicut et ipsius participatione est ens. »

3°) « Rursus... Licet Deus, secundum suum simplex Esse, perfectam et totam suam Bonitatem habeat, creaturæ tamen ad perfectionem suæ bonitatis non pertingunt per solum suum esse, sed per plura.... Ergo manifestum est quod ordinantur in Deum sicut in finem, non solum secundum esse substantiale, sed etiam secundum ea quæ ei accidunt, pertinentia ad perfectionem ipsius, et etiam secundum propriam operationem, quæ etiam pertinent ad perfectionem rei. »

Cap. 21. QUOD RES INTENDANT ASSIMILARI DEO, INQUANTUM SUNT CAUSÆ. « Ex his autem apparet quod res intendunt divinam similitudinem, etiam in hoc, quod sint causæ aliorum. »

1°) « Tendit enim in divinam similitudinem res creata per suam operationem. Per suam autem operationem, una res fit causa alterius. Ergo in hoc etiam res intendunt divinam similitudinem ut sint aliis causæ. »

Alia duo argumenta præterimus brevitatis causa.

2°) Tunc maxime perfectum est unumquodque, quando potest alterum sibi simile facere; illud enim perfecte lucet, quod alia illuminare potest. Unumquodque autem tendens in suam perfectionem, tendit in divinam similitudinem. Per hoc igitur tendit in divinam similitudinem, quod intendit aliorum causa esse. Quia vero causa, inquantum hujusmodi, superior est causato, manifestum est quod tendere in divinam similitudinem, per hunc modum ut sit aliorum causa, est superior perfectio in entibus. »

3°) « Prius est unumquodque in se perfectum, quam possit alterum causare. Hæc igitur perfectio ultimo accidit rei, ut aliorum causa existat. Cum igitur per multa tendat res creata in divinam similitudinem, hoc ultimum ei restat, ut divinam similitudinem quærat per hoc quod sit aliorum causa. Unde Dionysius dicit 3 cap. Cœl. hierar. quod *omnium divinius est Dei cooperatorem fieri*, secundum quod Apostolus dicit 1. Cor. 3, v. 9: *Dei adjutores sumus.* »

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN SUMMA THEOLOGICA.

775. — *Summa theologica* est ultimum, maximum et perfectissimum angelici doctoris opus. In immensa illa synthesi, quæ præclarissimum theologiæ catholicæ monumentum est, S. Thomas procedit sicut suus Magister Albertus Magnus, quæstionem proponendo, objectiones contrarias ponendo, conclusionem validis rationibus stabiliendo, et tandem ex eis objectiones resolvendo. Sed Summa discipuli valde præstat magistri Summæ; quoniam multo completior est, clarior et ordinatior. Totum opus dividitur in tres partes, quæ generali ac continuo ordine subdividuntur in quæstiones et articulos; sed generalior materiæ divisio indigitatur in quæstionum procœmiis. Hoc modo D. Thomas evitat oculis indicare, quemadmodum fecit B. Albertus, multiplices suas subdivisiones, ex quibus operis citationes tam scriptu longæ fiunt et onerosæ.

In hoc Articulo 1°) præbebimus generalem totius Summæ theologicæ conspectum et admirabilem ejus ordinem in quæstionibus latentem; 2°) ostendemus totam Summæ doctrinam Exemplarismo informari; 3°) particulares quosdam locos citabimus, in quibus Exemplarismus specialius elucet.

§ I.

De objecto et partitione doctrinæ in Summa theologica contentæ.

Completam Summæ theologiæ ideam lectori præbebimus, ei ostendendo eximii hujus operis 1°) objectum; 2°) trinam partitionem generalem; 3°) subdivisionem.

I.

De objecto hujus doctrinæ, quæ est summa sapientia, inquantum omnia ad Deum ordinat.

776. — Angelicus doctor opus suum incipit loquendo de sacra Theologiæ doctrina, et dicendo: 1°) qualis sit, et 2°) ad quæ se extendat.

1°) Asserit Theologiam christianam philosophiæ præeminere, et esse scientiarum nobilissimam, imo sublimissimam sapientiam, quia per supremam Causam, quæ Deus est, omnia judicat, non tantum lumine rationis in ordine naturali, sed etiam lumine fidei in ordine supernaturali. « Cum enim sapientis sit ordinare et judicare, judicium autem per altissimam causam de inferioribus habeatur; ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis..... Ille igitur, qui considerat simpliciter altissimam Causam totius universi, quæ Deus est, maxime sapiens dicitur. Unde et sapientia dicitur esse divinorum cognitio, ut patet per August. 12 Trinit. »

2°) « Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo, secundum quod est altissima Causa; quia non solum quantum ad illud, quod est per creaturas cognoscibile (quod philosophi cognoverunt, ut dicitur Rom. 1: *Quod notum est Dei, manifestum est illis);* sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de seipso, et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia. » (1. q. 1, art. 6).

« Omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quía sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad Principium et Finem; unde sequitur quod Deus vere sit subjectum hujus scientiæ. » (art. 7)

II.

Trina totius Summæ partitio.

777. — In procœmio Quæstionis 2^dae^, S. Thomas sic indicat generalissimam totius Summæ partitionem: « Quia igitur principalis intentio hujus sacræ doctrinæ est Dei cognitionem tradere, et non solum secundum quod in se Est, sed etiam secundum quod est Principium rerum, et Finis earum, et specialiter rationalis creaturæ, ad hujus doctrinæ expositionem intendentes: »

« *Primo*, tractabimus de Deo » (Pars I)

« *Secundo*, de motu rationalis creaturæ in Deum » (Pars II).

« *Tertio*, de Christo, qui secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum. » (Pars III).

III.

Trium Summæ partium subdivisio.

Pars I. — ***De Deo uno et trino, atque de operatione ejus ad extra.***

« Consideratio autem de Deo tripartita erit: 1°) namque considerabimus ea quæ ad Essentiam divinam pertinent; 2°) ea quæ pertinent ad distinctionem personarum; 3°) ea quæ pertinent ad processum creaturarum ab ipso. » (Ibidem).

I. « Circa divinam Essentiam, 1°) considerandum est, an Deus sit; 2°) quomodo sit, vel potius quomodo non sit; 3°) considerandum erit de his quæ ad operationem ipsius pertinent, scilicet de Scientia et de Voluntate et Potentia. » (Ibidem).

II. De divina Trinitate. « Consideratis autem his quæ ad divinæ Essentiæ unitatem pertinent, restat considerare de his quæ pertinent ad Trinitatem personarum in divinis. Et quia personæ divinæ secundum relationes originis distinguuntur, secundum ordinem doctrinæ 1°) considerandum est de origine, sive de processione; 2°) de relationibus originis; 3°) de personis. » (Q. 27).

III. De processu creaturarum a Deo. « Post considerationem divinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum a Deo. Erit autem hæc consideratio tripartita, ut 1°) consideretur de productione creaturarum; 2°) de earum distinctione; 3°) de conservatione et gubernatione earum. » (Q. 44).

Quoad rerum gubernationem, S. Thomas loquitur primo de mundi gubernatione in generali, et secundo de effectibus divinæ gubernationis in speciali; scilicet de omnium rerum conservatione a Deo, et de omnium rerum mutatione, seu motione a Deo et ab invicem.—Porro in rerum omnium *productione*, *conservatione*, et *motione*, divinus Artifex intendit omnium rerum assimilationem ad propriam perfectionem suam, sicut S. Thomas ipse docet in 1. q. 103, art. 2 et 4.

Pars II. — ***De motu hominis in Deum per actus morales.***

« Quia, sicut Damascenus dicit, homo factus ad imaginem Dei dicitur, secundum quod per imaginem significatur intellectuale et arbitrio liberum, et per se potestativum; postquam prædictum est de Exemplari, scilicet de Deo, et de his quæ processerunt ex divina potestate, secundum ejus Voluntatem, restat ut consideremus de ejus imagine, id est de homine, secundum quod et ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, et suorum operum potestatem. »

« Ubi primo considerandum occurrit *de ultimo fine vitæ humanæ*, et deinde de his per quæ homo ad hunc finem pervenire potest, vel ab eo deviare. Ex fine enim oportet accipere rationes eorum quæ ordinantur ad finem. Et quia ultimus finis humanæ vitæ ponitur esse beatitudo, oportet primum considerare de ultimo fine in communi (q. 1); deinde de beatitudine, in quibus sit (q. 2); quid sit (q. 3, 4); qualiter eam consequi possumus (q. 5). ».

« Quia igitur ad beatitudinem per actus aliquos necesse est pervenire, oportet consequenter *de humanis actibus* considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis via. Sed quia operationes et actus circa singularia sunt, ideo omnis operativa scientia in particulari consideratione perficitur. Moralis igitur consideratio, quia est humanorum actuum, primo quidem tractanda est *in universali*, secundo vero *in particulari*. »

A. Prima Secundæ, *sive de Theologia morali in genere.*

« Circa universalem autem considerationem humanorum actuum, *primo* quidem considerandum occurrit de ipsis actibus humanis, *secundo* de principio eorum. »

I. *De ipsis moralibus hominis actibus.* « Humanorum autem actuum quidam sunt homini et aliis animalibus communes; et quia beatitudo est proprium hominis, propinquius se habent ad beatitudinem actus qui sunt proprie humani, quam actus qui sunt homini aliisque animalibus communes. *Primo* ergo considerandum est de actibus qui sunt proprii hominis; secundo de actibus qui sunt homini aliisque animalibus communes, qui dicuntur animi passiones. »

II. *De actuum humanorum principiis.*

« Post actus et passiones, considerandum est de principiis humanorum actuum. Et *primo* de principiis intrinsecis, *secundo* de principiis extrinsecis. »

1°) *De intrinsecis principiis.*

« Principium autem intrinsecum est potentia et habitus. Sed quia *de potentiis* in prima Parte dictum est, nunc restat *de habitibus* considerandum. Et *primo* quidem in generali. *Secundo* vero de virtutibus et vitiis, et hujusmodi aliis habitibus, qui sunt humanorum actuum principia. »

2°) *De extrinsecis actuum humanorum principiis.* « Consequenter considerandum est de principiis exterioribus actuum. Principium autem exterius ad malum inclinans est diabolus, de cujus tentatione in 1. q. 114) dictum est. Principium autem exterius movens ad bonum, est Deus, qui et nos instruit per legem, et juvat per gratiam. Unde *primo* de lege, *secundo* de gratia dicendum est. »

B. Secunda Secundæ, *sive de Theologia morali in specie.*

« Post *communem* considerationem de virtutibus et vitiis, et aliis ad materiam moralem spectantibus, necesse est singula considerare *in speciali*. Sermones enim morales universales minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt. Potest autem aliquid in speciali considerari circa moralia dupliciter: uno modo ex parte materiæ ipsius moralis, puta cum consideratur de hac virtute, vel hoc vitio; alio modo, quantum ad speciales status hominum, puta cum consideratur de subditis et prælatis, de activis et contemplativis, vel quibusdam aliis differentiis hominum. *Primo* ergo considerabimus, specialiter de his quæ pertinent ad omnes hominum status. *Secundo* vero specialiter de his quæ pertinent ad determinatos status. »

Pars III. — ***De Christo, qui secundum quod homo, via est nobis tendendi ad Deum.***

« Quia Salvator noster Dominus Jesus Christus, teste angelo, populum suum salvum faciens a peccatis eorum, viam veritatis in ipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitæ resurgendo pervenire possimus, necesse est, ut ad consummationem totius theologici negotii, post considerationem ultimi finis humanæ vitæ, et virtutum ac vitiorum, de ipso omnium Salvatore, ac beneficiis ejus humano generi præstitis, nostra consideratio subsequatur. Circa quam, *primo* considerandum occurrit de ipso Salvatore; *secundo* de Sacramentis ejus, quibus gratiam consequimur; *tertio* de fine immortalis vitæ, ad quam per ipsum resurgendo pervenimus. »

I. « Circa primum, duplex consideratio occurrit. *Prima* est de ipso Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo. *Secunda* de his quæ per ipsum Salvatorem nostrum, id est Deum incarnatum, sunt acta et passa. » (q. 1-59).

II. « Post considerationem eorum quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ Sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent. Et *prima* consideratio erit de Sacramentis in communi. *Secunda* de unoquoque Sacramentorum in speciali. » (q. 60-90 et Supplem. q. 1-68).

III. « Post hæc agendum de his, quæ spectant ad statum resurrectionis. Potquam enim dictum est de Sacramentis, quibus homo liberatur a morte culpæ, consequenter dicendum est de resurrectione, per quam homo liberatur a morte pœnæ. — Circa tractatum autem resurrectionis tria consideranda sunt: scilicet præcedentia resurrectionem, concomitantia, et sequentia. Et ideo *primo* dicendum est de his, quæ pro parte, quamvis non ex toto, resurrectionem præcedunt; *secundo* de ipsa resurrectione et concomitantibus eam, *tertio* de his quæ eam sequuntur. » (Supplem., q. 69-99).

§ II.

Tota Summæ theologicæ doctrina in divino Exemplarismo fundatur.

778. — Exemplarismus theologicus, qui docet naturalem ac supernaturalem omnium rerum creatarum assimilationem ad divinam Trinitatem creatricem, luculentissime in tribus Summæ partibus resplendet.

I. **In prima Parte,** doctor angelicus 1°) Deum, unum et trinum, contemplatur tanquam supremum mundi Artificem.

« Deus, qui est primum Principium rerum, comparatur ad res creatas ut artifex ad artificiata » (q. 27, art. 1, ad 3[m]); seu tanquam primam Causam efficientem, exemplarem et finalem omnium rerum (q. 44), quarum perfectiones eminenter, infinite et uniformiter in se continet. (q. 4, 7, 11). Et alibi: « Deus est Causa rerum artificiatarum. » (1. q. 45, art. 6, corp.).

2°) Loquitur de tribus operativis attributis divini Artificis, videlicet de ejus Scientia (q. 14, etc.), Voluntate (q. 19, etc.) et Potentia. (q. 25). — *Deinde agit de divina operatione in trino ordine intentionis.* Tractat a) de æterno ejus consilio, scilicet de ideis, juxta quas ab æterno intendit res producere (q. 15); b) de æterna Providentiæ suæ lege, juxta quam operationem omnium rerum in esse productarum

intendit ad finem sibi propositum gubernare (q. 22); c) de æterna Dei Prædestinatione, juxta quam intendit creaturas suas intelligentes consummare in gloria æterna. (Q. 23).

3°) Ab ordine intentionis divini Artificis, transiens ad ordinem exsecutionis, loquitur a) *de rerum omnium productione.* Docet singulas et omnes creaturas repræsentare, per modum vestigii, Trinitatem creatricem, (q. 45, art. 7); creaturas autem intellectu præditas repræsentare divinam Trinitatem per modum imaginis, sed angelos perfectius quam hominem (q. 93, art. 3). Longe lateque disserit de Trinitatis imagine, quæ in humana mente imprimitur. (Q. 93, integra).

Præterea, juxta doctorem angelicum et Patres qui eum præcesserunt, homo corpore et spiritu substantialiter compositus, medium tenet inter substantias mere spirituales et substantias mere materiales, ita ut sit quoddam totius universi compendium et harmonicum centrum. « Propter hoc homo dicitur minor mundus, quia omnes creaturæ mundi quodammodo inveniuntur in eo. » (q. 91, art. 1, corp.). — « In homine quodammodo sunt omnia...; est in homine quatuor considerare: scilicet rationem, secundum quam convenit cum angelis; vires sensitivas, secundum quas convenit cum animalibus; vires naturales *(scilicet vegetativas)* secundum quas convenit cum plantis; et ipsum corpus, secundum quod convenit cum rebus inanimatis. » (q. 96, art. 2, corp.). — Alibi Creatoris scopum sic indicat: « ... Ut homo haberet convenientiam cum inferioribus corporibus, quasi medium quoddam existens inter spirituales et corporales substantias. » (Q. 91, art. 1, ad 1[m]).

b). *De rerum omnium gubernatione.* Divinus Artifex creaturas in esse productas et miro ordine dispositas, gubernando conservat, et in operando movet infallibiliter ad perfectionem totius universi, quæ est assimilatio ad divinam perfectionem. « Finis gubernationis mundi est Bonum essentiale, ad cujus participationem et assimilationem omnia tendunt. » (q. 103, art. 4, corp.).

II. **In secunda Parte Summæ,** agitur de morali motu hominis ad Deum, et proin ad propriam perfectionem.

In ordine physico, de quo in prima Parte tractatum est, Deus necessario ac physice hominem movet ad physicam perfectionem, seu ad actum physicum. — Sed in *ordine morali,* de quo nunc agitur, et qui supponit ordinem physicum, homo movetur moraliter, sive naturaliter per rationis motiva, sive supernaturaliter per gratiam actualem, quæ voluntatem nostram moraliter movet, intellectum physice illuminando et ipsam voluntatem inspirando. Sic supernaturaliter a Deo adjuti, sive infallibiliter, quamvis libere, per gratiam efficacem, sive fallibiliter per gratiam sufficientem, supernaturales actus morales elicimus, quibus Deo supernaturaliter conformamur, atque ad eum appropinquamus in ordine ad æternam salutem.

Igitur in supernaturali ordine morali, christianus libere cum Deo cooperatur ad propriam perfectionem assequendam, per bonos actus supernaturales, quibus Deo conformatur; dum e contra libere fit Deo dissimilis, ac deformatur per malos actus. Itaque D. Thomas dicit in Prologo Primæ secundæ: « Postquam prædictum est de Exemplari, scilicet de Deo, et de his, quæ processerunt ex divina potestate secundum ejus Voluntatem, restat ut consideremus de ejus imagine, id est de homine, secundum quod et ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, et suorum operum potestatem. »

Virtutes naturales et supernaturales atque dona Spiritus sancti, de quibus D. Thomas disserit generaliter in Prima secundæ, et particulariter in Secunda secundæ, sunt dispositiones proximæ, sive *actus primi* ad divinam conformitatem; actus autem virtutum et donorum Spiritus sancti, prout sunt beatitudines Evangelii, fructus Spiritus sancti et alii actus minus perfecti, sunt *actus secundi,* quibus immediate Deo conformamur.

III. **In tertia Parte** agitur de Christo, qui « viam veritatis nobis in semetipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitæ resurgendo pervenire possimus, » ut legitur in proœmio hujus Partis. Jam vero Exemplarismus elucet in eis quæ ab angelico doctore traduntur de ipso Salvatore, de Sacramentis et de novissimis.

1°) Quoad ipsum Salvatorem, homines convenientissime reformantur per Dei Verbum, juxta quod formati sunt, et a quo derivatur omnis humana sapientia. « Convenientissimum fuit personam Filii iucarnari, primo quidem ex parte unionis *(hypostaticæ).* Convenienter enim ea quæ sunt similia uniuntur. Ipsius autem personæ Filii, qui est Verbum Dei, attenditur uno quidem modo communis convenientia ad totam creaturam; quia verbum artificis, id est conceptus ejus, est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt. Unde Verbum Dei, quod est æternus conceptus ejus, est similitudo exemplarium totius creaturæ. Et ideo, sicut per participationem hujus similitudinis creaturæ sunt in propriis speciebus institutæ, sed mobiliter: ita per unionem Verbi ad creaturam non participatam, sed personalem, conveniens fuit

reparari creaturam in ordine ad æternam et immobilem perfectionem. Nam et artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat. »

« Alio modo, habet convenientiam specialiter cum humana natura, ex eo quod Verbum est conceptus æternæ Sapientiæ, ex qua omnis sapientia hominum derivatur. Et ideo, per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria ejus perfectio, prout est rationalis, quod participat Verbum Dei: sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit verbum magistri. Unde Eccli. 1, dicitur: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Et ideo ad consummatam hominis perfectionem, conveniens fuit ut ipsum Verbum Dei humanæ naturæ personaliter uniretur. » (Q. 3, art. 8, corp.).

2°) Quoad Ecclesiæ Sacramenta, convenientissime conformantur et Christo per ea sanctificanti hominem, et homini per eadem sanctificando. « Primo possunt considerari *(Sacramenta)* ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui Sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis, carni sensibili est Verbum Dei unitum. »

« Secundo, possunt considerari Sacramenta ex parte hominis qui sanctificatur; qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Unde Augustinus dicit super illud Joan. 15: *Jam vos mundi estis propter sermonem*, etc. Unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente Verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? » (Q. 60, art. 6, corp.).

3°) Quoad novissima, S. Thomas docet, hominem anima et corpore, et mundum corporalem, per gloriam transformandos esse juxta divinum Exemplar.

a) *De spirituali hominis transformatione.* In visione beatifica, intellectus Beatorum directe informatur per divinam Formam exemplarem, ita ut illam immediate et immutabiliter intuendo, tantum illi conformetur, quantum creaturæ possibile est. « Justum modum oportet nos accipere in visione Dei per Essentiam, quia quacumque alia forma informaretur intellectus noster non posset per eam duci in Essentiam divinam. Quod quidem non debet intelligi, quasi divina Essentia sit vera forma intellectus nostri, vel quod ex ea et intellectu nostro efficiatur unum simplex, sicut in naturalibus ex forma et materia naturali; sed quia proportio Essentiæ divinæ ad intellectum nostrum, est sicut proportio formæ ad materiam. » (Suppl., q. 92, corp.).

« Sicut aliæ formæ intelligibiles, quæ non sunt suum esse, uniuntur intellectui secundum aliquod esse, quo informant ipsum intellectum, et faciunt illum in actu, ita divina Essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu, per se ipsam faciens intellectum in actu. » (1. q. 12, art. 2, ad 3[m]).

« Cum autem aliquid intellectus creatus videt Deum per Essentiam, ipsa Essentia Dei fit forma intelligibilis intellectûs. » (Ibid. art. 5, corp.).

b) *De corporali hominis transformatione.* Resurrectio Jesu Christi est causa efficiens atque exemplaris Beatorum resurrectionis. « Sicut Christus secundum humanam naturam, primitias gratiæ suscepit divinitus, et ejus gratia est causa nostræ gratiæ, quia *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* (Joannes 1); ita in Christo inchoata est resurrectio, et sua resurrectio causa est nostræ resurrectionis, ut sic Christus, inquantum est Deus, sit prima causa nostræ resurrectionis quasi æquivoca. Sed inquantum est Deus et homo resurgens, est causa proxima et quasi univoca nostræ resurrectionis. Causa autem univoca agens, producit effectum in similitudine formæ suæ. Unde non solum est causa efficiens, sed exemplaris respectu istius effectus. » (Supplem., q. 76, art. 1, corp.). Ergo gloriosum corpus Christi, qui jam resurrexit est pulcherrimum exemplar corporum Beatorum qui in fine mundi resurgent, et Dei Forma est ipsius gloriosi corporis Christi Exemplar.

c) *De ultima mundi transformatione.* « Deum Sancti videbunt immediate per Essentiam. Sed ad hanc visionem Essentiæ oculus carnis attingere non poterit; et ideo, ut ei etiam solatium congruens de visione divinitatis præbeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinæ majestatis apparebunt; et præcipue in carne Christi, et post hoc in corporibus Beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit ut etiam alia corpora majorem influentiam a divina Bonitate suscipiant, quam nunc; non tamen speciem variantem, sed addentem cujuslibet gloriæ perfectionem; et hæc erit mundi innovatio; unde simul mundus innovabitur, et homo gloriabitur. » (Supplem. q. 91, art. 1, corp.).

§ III.

De particularibus Summæ theologicæ locis, in quibus maxime elucet divinus Exemplarismus.

779. — Cum tota Summa theologica in divino Exemplarismo fundetur, seu ab eo informetur, multi sunt loci, ubi resplendet mirabilis

illa doctrina. Quædam tantum seligemus, in quibus apparet Exemplarismus *naturalis* et *supernaturalis*. — *Naturalem* Exemplarismum nominamus doctrinam, quæ affirmat omnium rerum creatarum assimilationem ad Deum unitrinum, in ordine naturæ; *supernaturalem* vero illam, quæ docet omnium creaturarum assimilationem ad Deum unitrinum, in ordine gratiæ et gloriæ.

I.

Summæ theologicæ loci, in quibus elucet Exemplarismus naturalis.

In 1. q. 44, probat D. Thomas Deum esse supremam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem. — In 1. q. 11, loquitur de supremi Exemplaris Unitate; in q. 16, art. 5, de ipsius Veritate; in q. 6, de ejus Bonitate. Lectorem ad hos locos remittimus, et quosdam tantum titulos indicabimus: 1°) de supremæ Causæ perfectione in genere; 2°) de modo, quo effectus creati omnes possunt esse divinæ perfectioni similes; 3°) de omnium rerum ordinatione ad divinæ perfectionis assimilationem.

A. De supremæ Causæ perfectione in genere.

1°) Suprema Causa est sui Forma per se subsistens et simplicissima. 1. q. 3, art. 3 et 4. — Vide in hoc nostri operis Tomo I, n.° 218.

2°) Suprema Causa efficiens debet esse perfectissima. 1. q. 4, art. 1, corp. — Vide, ibidem, n.° 225.

3°) Prima Causa efficiens, seu primum Esse per se subsistens, in se continere debet omnium effectuum creatorum perfectiones. 1. q. 4, art. 2, corp. — Vide n.° 227.

4°) Deus est suprema Causa exemplaris omnium rerum. 1. q. 44, art. 3. — Vide n.° 67.

5°) In divina Mente sunt ideæ, seu exemplaria omnium rerum, 1. q. 15. — Vide n.° 277.

B. De modo, quo omnes effectus creati possunt esse divinæ Formæ similes.

1°) Utrum aliqua creatura possit esse similis Deo. 1. q. 4, art. 3. — Vide n.° 311.

2°) Utrum omnia sint bona Bonitate divina. 1. q. 6, art. 4. — Vide n.° 312.

3°) Res creatæ assimilantur tribus gradibus divinæ Bonitati. 1. q. 93, art. 2.

C. Res omnes ordinantur ad divinæ perfectionis assimilationem.

1°) Deus est Causa finalis omnium. 1. q. 44, art. 4, corp., et ad 1^{m}. — Vide n.° 77.

2°) Corporales creaturæ sunt factæ propter Dei Bonitatem. 1. q. 65, art. 2, corp.

3°) Finis gubernationis omnium est Bonum essentiale, ad cujus assimilationem omnia tendunt. 1. q. 103, art. 2, corp., et ad 2^{m}. — Ibid., art. 4, corp., et ad 1^{m}. — Vide n.° 325.

II.

Summæ theologicæ loci, in quibus elucet Exemplarismus supernaturalis.

1°) Creatio est opus commune tribus personis divinis. 1. q. 45, art. 6. — Vide n.° 254).

2°) Necesse est in creaturis inveniri vestigium divinæ Trinitatis. Ibid., art. 7. — Vide n.° 313.

3°) Ratio boni consistit in modo, specie et ordine. 1. q. 2, art. 5. — Vide n.° 317.

4°) De divinæ Trinitatis imagine, quæ in mente humana reperitur. 1. q. 93 integra. — Vide n.° 357 et seqq.

Circa hoc punctum, docet S. Thomas in 1 q. 93,

a) **in quibus creaturis inveniatur imago Dei.** Asserit imaginem Dei non inveniri in irrationabilibus creaturis (art. 2); sed tantum in rationabilibus, scilicet in homine (art. 1); et in angelo perfectius simpliciter, quam in homine (art. 3).

b) **Docet quomodo Dei imago in homine reperiatur,** nempe tripliciter: secundum naturam in omnibus hominibus, secundum gratiam in justis, et secundum gloriam in Beatis (art. 4); non tantum secundum divinæ Essentiæ unitatem, sed etiam secundum personarum Trinitatem (art. 5); et secundum mentem tantum, cum secundum alias hominis partes, divina similitudo non fulgeat nisi per modum vestigii (art. 6); secundum actus verbi et amoris, potius quam secundum potentias et habitus (art. 7); secundum quod mens nostra fertur vel ferri potest notitia et amore, non quidem in seipsam, vel in quodlibet objectum creatum, sed in ipsum Deum (art. 8). Denique docet imaginem Dei in homine perfici posse, seu fieri Deo similiorem per actus virtutis; ideo dicitur homo factus non tantum *ad imaginem*, sed etiam *ad similitudinem* Dei (Art. 9).

5°) De consummata totius mundi perfectione, sive assimilatione ad Deum per naturam, gratiam et gloriam.

1. q. 73, art. 1, corp.: « Duplex est rei perfectio, prima et secunda. *Prima* quidem perfectio est secundum quod res in sua substantia est perfecta. Quæ quidem perfectio est forma totius, quæ ex integritate partium consurgit. Perfectio autem *secunda* est finis, qui vel est operatio, sicut finis citharistæ est citharizare; vel est aliquid, ad quod per operationem pervenitur, sicut finis ædificatoris est domus, quam ædificando facit. »

« Prima autem perfectio est causa secundæ, quia forma est principium operationis. Ultima autem perfectio, quæ est finis totius universi,

est perfecta beatitudo Sanctorum, quæ erit in ultima consummatione sæculi. Prima autem perfectio, quæ est in integritate universi, fuit in prima rerum institutione. Et hæc deputatur septimo diei. » (1. q. 73, art. 1, corp.).

Ibidem ad 1[m]: « Sicut dictum est, perfectio prima est causa secundæ. Ad beatitudinem autem consequendam, duo requiruntur, natura et gratia. Ipsa ergo beatitudinis perfectio erit in fine mundi, ut dictum est. Sed ista consummatio præcessit causaliter, quantum ad naturam quidem, in prima rerum institutione; quantum ad gratiam vero in Incarnatione Christi, quia *gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ut dicitur Joan. 1. Sic igitur in septima die fuit consummatio *naturæ;* in Incarnatione Christi, consummatio *gratiæ;* in fine mundi, consummatio *gloriæ.* »

CAPUT III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN S. BONAVENTURA.

780. — Prænotanda. Divinus Exemplarismus totam philosophicam ac theologicam S. Bonaventuræ, sicut et S. Thomæ, doctrinam informat.

Seraphicus enim ille doctor, divinæ pulchritudinis studio et dilectione animatus, *in Philosophia* Platonem Aristoteli anteponit, nec Stagyritam philosophum eadem veneratione prosequitur, qua plerique sui ævi doctores hunc colere solent; nam, quemadmodum supra diximus n. 479, varios errores illi exprobrat ex eo profluentes, quod Platonis ideas, seu Exemplarismum rejecerit. Platonem vero sic laudat in Serm. 21, T. 13, edit. Vives. p. 542, verba S. Hieronymi usurpando: « Hieronymus dicit: Nemo potest scire sine doctore, quod cupit; non agricolæ, non cæmentarii; ergo multo fortius nec grammatici, nec dialectici; et de hoc multo fortius, nec divini. Unde Plato, cum omnium mortalium sapientissimus haberetur, ut narrat Valerius (Valer. Max., lib. 8, cap. 7, n. 3) ita ut, si ipse Jupiter, quem deum tunc esse credebant, de cœlo descendisset, non esset in eo elegantior nec beatior facundia. In Ægyptum tamen ivit, et ibi multa de cœlestibus didicit. Et cum a studiosis juvenibus in doctorem peteretur Athenis, ipse quasi omnes mundi provincias peragravit, ut discere posset, malens, ut Hieronymus dicit, aliena verecunde discere, quam sua imprudenter ingerere. »

In Theologia autem S. Bonaventura sæpe sequitur *S. Dionysium Areopagitam*, præcipue in Illuminationibus Ecclesiæ in Hexæmeron, et in opere De Ecclesiastica hierarchia, ubi considerat divinam Trinitatem, seu trinam Thearchiam tanquam Principium, Exemplar et Finem hierarchiæ cœlestis ac terrestris, atque mysticam hujus Patris propensionem participat. — Imitatur quoque *S. Augustinum*, quem nuncupat Doctorem præcipuum (Brevil., Pars 3, cap. 8, in fine), et Doctorem eximium (Ibid., Pars 7, cap. 2). — Magni præterea facit, et frequenter citat *Hugonem Victorinum*, quem asserit omnes præcipuos Patres secutum fuisse in S. Scriptura explicanda. (De Reductione artium ad theolog., T. 7, p. 501). Jam vero S. Augustinus et Hugo Victorinus divinum Exemplarismum passim docent, sicut supra ostendimus.

In præsenti Capite videamus quid ipse doctor seraphicus copiose et excellenter dicat de hac sublimi doctrina: 1°) in diversis suis operibus generatim; ac 2°) speciatim in Itinerario mentis ad Deum; et 3°) in Illuminationibus Ecclesiæ in Hexæmeron.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DIVERSIS S. BONAVENTURÆ OPERIBUS GENERATIM.

Referemus quid dicat doctor seraphicus: 1°) de divina omnium rerum Causa unitrina, et operativis ejus attributis; 2°) de Dei ideis, Arte, Pulchritudine, quæ Verbo appropriantur; 3°) de divinæ Trinitatis repræsentatione in singulis creaturis; 4°) de divinæ Trinitatis repræsentatione in toto mundo.

§ I.

De divina omnium Causa unitrina et operativis ejus attributis.

Præclare loquitur doctor seraphicus: 1°) de divina Causa inquantum est prima, una, trina, omnium rerum Artifex; 2°) de Sapientia, Voluntate et Potentia, quibus divina Causa omnia producit ad extra.

I.

Deus est prima omnium Causa unitrina.

1°) Existit aliqua prima Causa.

781. — « Tripliciter probatur secundum viam ordinis, originis, completionis. »

Hanc probationem jam supra retulimus n.° 205.

2°) Prima Causa est una.

782. — « Sicut unus solus Deus, sic unum solum Principium est; quod ostenditur multiplici ratione. »

a) « Primo sic, quoniam si duo principia sunt, unum scilicet summe bonum, et aliud summe malum, aut communicant in existere per se, ut Socrates et Plato, aut non. Si non, ergo alterum illorum erit ens per aliud, et ita non erunt duo principia. Si sic, sed existere per se, bonum est; malum autem plus esset malum, si non haberet illud bonum; ergo non est summe malum, quia si esse per se haberet, hoc ipsum esse, quod est bonum, summe malum esse non sineret. »

b) « Præterea in creaturis quatuor inveniuntur, scilicet multitudo, ordo, imperfectio et connexio. Secundum quodlibet istorum probatur unum tantum esse Principium. *Omnis multitudo* secundum Dionysium (de Div. Nomin., cap. 13), ab unitate trahit originem; ergo necesse est omnis multitudinis unum esse Principium. »

« Item *omnis ordo*, cum habeat prius et posterius, oportet quod unum habeat Principium. »

Item secundum Boetium: *Omne imperfectum* ab aliquo simpliciter perfecto trahit originem, et hoc est Deus noster. »

« Item *omnis connexio* diversorum, causam habet suæ connexionis, et conservationis ad unum, et hoc est Deus;... Ex prædictis patet quod Deus est Principium, et summum, et unum solum Principium, tum ratione *dignitatis*, tum ratione *antecessionis*, tum ratione *causalitatis*. » (Compend. theol., Verit., lib. 1, cap. 3, T. 8, p. 63).

3°) Prima Causa est trina.

783. — a) **Est trina ratione personarum.**

α) *In Deo est Ordo naturæ, sive originis personarum.* Triplex est ordo, scilicet secundum positionem, secundum antecessionem, et secundum originem. — Ordo *secundum positionem* dicitur aliquorum, quorum unum est superius, aliud inferius. Et hoc potest esse dupliciter: vel in loco, vel in dignitate. Et hic ordo non cadit in divinis. — Ordo vero *secundum antecessionem* dicitur esse eorum, quorum unum prius est, alterum vero posterius. Et hoc dicitur dupliciter: aut quia antecedit duratione sive tempore, aut prius naturali intelligentia sive cognitione. Et hic ordo non est in divinis, quia hic ordo tollit æqualitatem et simultatem, quorum utrumque est perfecte in divinis. — Ordo autem *secundum originem*, sive secundum emanationem, est producentis ad productum; et iste ordo est in divinis quia ibi est ordo principii et principiati, sive producentis et producti.» (1. dist. 20, art. 2, q. 1 ad 1^{m}, 3^{m}, T. 1, p. 348).

« Ordo dicitur esse alicujus dupliciter; aut sicut ordinati, aut sicut rationis ordinandi. Ordo in divinis, *sicut ordinati*, dicitur personæ Patris et Filii, et Spiritus sancti; *sicut rationis ordinandi*, dicitur naturæ. Natura enim dicit rem productivam, secundum quod dicit Philosophus (Magn. Moral., lib. 1, cap. 10) quod est vis insita rebus, ex similibus similia procreans. In divinis autem est ordo secundum productionem; ideo dicitur ibi Ordo naturæ; id est naturalis originis. » (Ibid., q. 2, p. 350).

β) *In Deo est trinus Ordo personarum.* « Sicut fides catholica dicit, ponere est tantum tres personas, non plures, nec pauciores; et ad hoc sumitur ratio necessitatis et congruitatis. *Ratio necessitatis* desumitur ex summa Dei beatitudine, perfectione, simplicitate, et fecunditate.

Ratio congruitatis desumitur ex sufficientia combinationum personarum et ex perfectione numeri ternarii. — *Possunt cómbinari personæ secundum rationem originis*, et hujusmodi combinationis sufficientia in tribus consistit. Nam contingit intelligere personam quæ est principium personæ, et non est principiatum; et rursum personam quæ est principiatum, et non principium personæ; et tertio modo personam quæ est principiatum et principium. Quartus autem modus, quod nec sit principium nec principiatum, est omnino impossibilis, nec intelligibilis.

Ratio congruitatis ex parte numeri est, quia numerus iste, scilicet ternarius, habet in se primam perfectionem et summam... Quoniam primus numerus est, qui constat ex omnibus partibus suis, scilicet unitate et dualitate, quæ simul juncta faciunt tria. Senarius autem dicitur primus perfectorum, quia constat ex omnibus partibus suis aliquotis; scilicet tribus, duobus et uno. — Item summa perfectio est in eo, quia unitas quæ est principium et completio omnis numeri, reflexa supra se reduplicatione perfecta quadrata, qualis in solido quadrato: triplicatur secundum rationem, remanens una secundum veritatem; ut si dicatur semel, unum, semel. Et istud est valde simile trinitati creatæ, in qua in unitate substantiæ, est trinitas rationum. Non tamen est omnino simile, quia ibi *(scilicet in Trinitate increata)* cum unitate substantiæ, est Trinitas rationum et rerum, scilicet personarum; hic, tantummodo rationum. » (1. dist. 2, q. 4).

Forma Dei, una et trina, sive æqualis Ordo trium personarum in divina Essentia, est ipsa et summa Pulchritudo, quam S. Augustinus, definit: « Æqualitas numerosa, et splendor ordinis. » Hanc inæqualiter imitantur cunctæ res creatæ, a Deo formatæ et ordinatæ.

b) **Est trina ratione Causalitatis efficientis, exemplaris et finalis.** « In tota philosophia supponitur status in causis (Aristot. Phys., lib. 7, context. 3°), et ideo *omne mutabile* reducitur ad immutabile, quia in mutabili non est status in genere efficientis, nisi in movente non moto; omne enim quod movetur, ab alio movetur. — Similiter *bonum et melius* reducuntur ad optimum, quia non est status in genere finis; nisi in optimo. — Similiter *pulchrum et pulchrius* ad pulcherrimum, quia non est status in genere speciei et formæ, nisi in eo quod est ipsa Species per essentiam. » — Et mox de his tribus rationibus subjungit: « Considerant ordinem, et distinguuntur secundum ordinem in triplici genere causæ, ut *efficientis* sive moventis, *finientis* et *exemplaris* (1. dist. 3, part. 1, in litter., dubium. 4, T. 1, p. 63).

« Deus est causa *efficiens* mundi; ratione ejus est in creatura unitas, modus et mensura. — Deus est causa *exemplaris* mundi; ratione ejus est in creaturis veritas, species et numerus. — Deus est causa *finalis* mundi; ratione cujus est in creaturis bonitas, ordo et pondus. » (Declaratio termin. theol., T. 7, p. 235).

« *Ratio causalis* est regula dirigens ipsum efficiens in productione; quæ regula est idea in Deo, in creatura *forma naturalis*. — *Rationes causales* sunt formæ ideales. *Rationes seminales* sunt formæ naturales — Ratio primordialis est ratio causalis, tamen cum respectu ad Deum, ut primum Principium. » (Ibid., p. 236).

4°) Deus est omnium rerum Creator et Artifex.

784. — Magistri sententiarum doctrinam sic explicat S. Bonaventura in 2. dist. 1, q. 1. « Est agens secundum naturam et secundum intellectum. *Agens secundum naturam* producit per formas quæ sunt veræ naturæ, sicut homo hominem, et asinus asinum. *Agens per intellectum* producit per formas quæ non sunt aliquid rei, sed ideæ in Mente, sicut artifex producit arcam. Et sic productæ sunt res, et hoc modo sunt formæ rerum æternæ, quia sunt Deus. » (Ad 3^{m}).

Alibi passim *Deum Creatorem artifici comparat*, ad explicandam operationem Dei ad extra. « Ars non habet fecunditatem ad emanandum sive ad producendum, nisi per voluntatem, et ideo modus ille non debet distingui a modo producendi per modum liberalitatis, sive voluntatis... Modus producendi per artem convenit cum modo producendi per naturam in hoc, quod utrobique producitur simile. Differt autem, quia in productione naturali, producitur similis in substantia et natura, alius in persona; in productione autem artis, producitur simile secundum rationem formæ exemplaris, dissimile vero in substantia et natura. » (1, dist. 2, q. 4, ad 4^{m}, T. 1, p. 59). — « A summo Opifice nulla creatura processit nisi per Verbum æternum, in quo omnia disposuit, et per quod omnia produxit, non solum creaturas habentes rationem vestigii, sed etiam imaginis, ut eidem assimilari possint per cognitionem et amorem. » (De reduct. art. ad Theol., T. 7, p. 502).

« *Duplex est finis artificis*, unus in se, et alter in alio. » (2. dist. 11, art. 29, 3, T. 2, p. 520). — Aliis verbis, distinguitur finis artificis operantis, et finis operis, vel potius opificii ejus. Jam vero *finis divini Artificis* in operando est propria Bonitas, seu perfectio aliis a se comunicanda, manifestanda, et laudibus eum cognoscentium atque diligentium glorificanda accidentaliter. *Finis divinorum opificiorum*, tam in generali quam in particulari, est eadem divina Perfectio similitudine participanda, ad propriam eorum perfectionem et beatitudinem hac divina assimilatione acquirendam. — Sic loquitur doctor seraphicus: « Finis conditionis rei, sive rerum conditarum, principalior est Dei gloria sive Bonitas, quam creaturæ utilitas; sicut enim patet: « *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (Prov. 16, v. 4). Sed non propter suam utilitatem, vel indigentiam, quia ait in Psalmo (15, v. 2): *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ergo propter sui gloriam, non, inquam, propter gloriam augendam, sed propter gloriam manifestandam, et propter gloriam suam communicandam; in cujus manifestatione et participatione attenditur summa utilitas creaturæ, videlicet ejus glorificatio sive beatificatio. » (2. dist. 1, part. 2, art. 2, q. 1, corp., T. 2, p. 265).

Differentiam inter artificem humanum et divinum sequentibus verbis statuit S. Bonaventura: « Artifex creatus sic facit rem, quod non facit ejus principia intrinseca; non enim potest in totam rei substantiam; et propterea res facta conservari potest in primis et propriis principiis, quæ non dependent a potestate artificis. Non sic autem est in opere Dei: omne enim opus quod Deus facit, secundum totum sui facit; et ideo totaliter ab ipso dependet, et sine ejus adjutorio conservari non potest. » (2. dist. 37, art. 1, q. 2, ad 2^{m}, T. 3, p. 495).

II.

De tribus operativis attributis divini Artificis.

1°) De divina sapientia, voluntate et potentia.

785. — a) **De divina Sapientia.** In sequenti loco, doctor seraphicus, de Sapientia Dei loqui-

tur, non solum prout pertinet ad divinum Intellectum, sed etiâm prout ei adjungitur divina Voluntas. Licet sit in se una et eadem, variis nominibus a nobis exprimitur, prout sub variis respectibus intelligitur. « *Sapientia* Dei est illa, qua limpidissime Deus cognoscit omnia bona, mala; præterita, præsentia et futura; actualia et possibilia; et per consequens est infinita et incomprehensibilis nobis. — Sapientia Dei dicitur *scientia*, inquantum est cognitiva omnium possibilium. — Dicitur *visio* respectu omnium actualiter existentium. — Dicitur *approbatio* inquantum est respectu bonorum. — Dicitur *præscientia*, inquantum est respectu futurorum. — Dicitur *dispositio*, inquantum est respectu fiendorum ab ipso Deo. — Dicitur *prædestinatio* respectu præmiandorum. — Dicitur *reprobatio*, inquantum est respectu damnandorum. — Dicitur *lux*, inquantum est ratio cognoscendi omnia. — Dicitur *speculum*, inquantum est ratio cognoscendi visa et approbata. — Dicitur *exemplar*, inquantum est ratio cognoscendi prævisa et disposita. — Dicitur *liber vitæ*, inquantum est ratio cognoscendi prædestinata. »

« Sapientia Dei est *liber vitæ* respectu rerum, ut redeuntium (ad Deum); *exemplar* ut exeuntium (a Deo); *speculum*, ut euntium (juxta Deum); *lux*, respectu omnium. »

« Ad exemplar spectat *idea* secundum actum prævidendi; *verbum*, secundum actum proponendi; *ars*, secundum actum prosequendi; *ratio*, secundum actum perficiendi. »

« Simplex Dei *notitia* est, qua cognoscit Deus bona et mala, quæ sunt, fuerunt, et erunt, et possunt esse, quæ etiam nunquam erunt. — *Notitia visionis* est qua cognoscit Deus omnia mala, quæ sunt, fuerunt et erunt. — *Notitia approbationis* est qua cognoscit tantum bona quæ sunt, fuerunt et erunt. »

786. — b) **De divina Voluntate et Potentia.** « *Voluntas* Dei dicitur ratione regulata Providentia, qua omnia quæ in universo fiunt, irreprehensibiliter gubernantur. » (Declar. termin. Theol., T. 7, p. 234).

« Cognoscendo se verum, Deus est Causa exemplaris; et Causa exemplaris non tantum est futurorum, sed etiam possibilium a Deo fieri. Sed diligendo se bonum, est Causa actualis, et ideo sequitur quod non velit nisi bona quæ erunt vel fient, propter hoc non potest dici omnivolens. » (1. dist. 45, art. 1, ad 3^{m}, T. 2, p. 181) « Deus dici nequit omnivolens, sicut dicitur omniscions et omnipotens. » (1. dist. 45, art. 1. q. 2, T. 2, p. 179).

« Consuevit quæri utrum Voluntas, et Potentia et Sapientia sint æqualia. Dicendum, quod est loqui de his quantum ad actum, et quantum ad effectum, et quantum ad objectum. Si quantum ad *actum*, sic est ibi omnimoda æqualitas, et circuminsessio, ut patet, quia quidquid scit Deus et potest, vult scire et posse, et e converso. — Si quantum ad *effectum*, sic adhuc sunt æqualia, quia nihil efficit Deus, nisi per Potentiam, Sapientiam et Voluntatem. — Sed quantum ad *objectum*, sive connotatum, sunt inæqualia: Scientia enim hoc modo est in plus, et Potentia in minus, et Voluntas in minimum. Nam scitum est bonum et malum; possibile est bonum tantum, sed futurum et non futurum; volitum vero est bonum et futurum tantum. » (Ibid., ad 4^{m}).

Quoad æternam prædestinationem, doctor seraphicus admittit distinctionem, quam facit S. Joannes Damascenus inter voluntatem antecedentem et consequentem, qua Deus vult homines salvos fieri. « Voluntas *antecedens* est voluntas respectu ejus propter quod Deus hominem fecit, et est irrefragabiliter bonorum. Voluntas autem *consequens* est voluntas non quæ sequitur merita, sed quæ vult aliqua secundum scientiam meritorum... Huic responsioni magis consonant Magistri. Secundum hanc ergo respondendum, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, quantum in se est, Voluntate antecedente, non autem Voluntate absoluta, sive consequente... » (1. dist. 46, art. 1, q. 1, T. 2, p. 198).

2°) De prædictorum attributorum appropriatione ad singulas personas divinas.

787. — « Quamvis omnia essentialia omnibus personis æqualiter conveniant, appropriatur tamen Patri *potentia*, Filio *sapientia*, Spiritui sancto *bonitas*... Prædictam appropriationem habet consuetudo Scripturarum, quæ opera manifestativa potentiæ attribuit Patri; sapientiæ, Filio; bonitatis, Spiritui sancto. »

« Alia est appropriatio Hilarii: *æternitas* in Patre...; *species* in Imagine, id est in Verbo, quia summe pulchrum; *usus* in munere, hoc est in Spiritu sancto... »

« Istud per alia verba sic insinuat Augustinus: « In Patre *unitas;* in Filio *æqualitas;* in Spiritu sancto unitatis, æqualitatisque *concordia.* »

« Item quarta appropriatio est, quod in Patre est ratio principiandi et originandi, quia *summe primum;* in Filio vero ratio exemplandi, quia *summe pulchrum;* sed in Spiritu sancto ratio faciendi, quia *summe bonum.* » (Compend. Theol. verit., lib. I, cap. 26). Conf. quoque 1. dist. 94, q. 3 — dist. 31, part. 2, art. 1, q. 3; art. 2, q. 4).

§ II.

De Dei ideis, arte et pulchritudine, quæ Verbo appropriantur.

Verbo enim divino appropriatur Sapientia, ad quam referuntur æternæ rerum ideæ, ars et pulchritudo, quæ essentialem respectum habet ad intellectum, cum pulchritudo sit perfectio aliqua, cujus cognitio placet voluntati tanquam bonum intellectus.

I.

De divinis ideis.

788. — 1°) De porma in genere. « *Forma duplex est,* scilicet forma quæ est perfectio rei, et forma exemplaris. Et Augustinus accipit ideas in ratione formæ, pro forma exemplari. Utraque tamen relative dicitur: illa ad materiam quam informat, sed ista ad exemplatum. » (1. dist. 35, art. 1, q. 2, T. 2, p. 9).

« *Exemplar* est forma ad cujus imitationem aliquid fit. » (1. dist. 31, part. 2, art. 1, q. 1, T. 2, p. 500) — « *Duplex est exemplar:* quoddam *interius* in mente artificis, sicut ratio secundum quam artifex producit opera sua; quoddam *exterius,* ad quod aspiciens ille qui ignorat artem, aliquo modo regulatur, sicut illi artifices mechanici aliquas formas exterius habent, secundum quas dirigunt opera sua, sicut patet in his qui faciunt calceamenta. » (3. dist. 11, art. 1, q. 2, corp., T. 4, p. 247).

Liquet divinum Artificem non habere nisi exemplar internum, vel potius ipsius Perfectionem esse omnium opificiorum ejus Exemplar.

2°) De divinis ideis in specie loquitur S. Bonaventura in 1. dist. 35, art. 1, q. 1-6.

Ibi asserit ideas esse in Mente divina tanquam rationes et similitudines rerum, quas cognoscit. Ideam enim definit similitudinem rei cognitæ. In Deo, inquit, ratio cognoscendi est ipsa veritas; et cognitum est similitudo veritatis, scilicet ipsa creatura. Ideo patet, quod ipsa veritas, ex hoc quod facit cognoscere, est similitudo expressiva, et idea. E contrario est in nobis, quia eo ipso quod est similitudo, facit cognoscere. (Q. 1, corp., T. 2, p. 7 et 8).

Docet ideas divinas esse omnium Dei opificiorum exemplaria. « Exemplares dicuntur (virtutes) quæ in Mente divina consistunt: nam ideæ in Deo sunt, et omnium rerum exemplar est... Exemplar autem est ipsa Mens divina, cui omnia nuda sunt et aperta, et disponit universa quæ in cœlo sunt, et quæ in terra sunt. (De quat. virtut. cardin. T. 7, p. 507).

3°) In Compendio theologicæ veritatis, S. Bonaventura multo completius divinas ideas explicat.

Hoc opus a multis tanquam suppositititium habetur, et a quibusdam S. Thomæ attribuitur; sed doctrina ejus, divisio septenaria, methodus et stylus doctorem seraphicum clare denotant Romanos editores audiamus: « Divisus est iste tractatus juxta divisionem Breviloquii in septem libros, et doctrina ejus conformis est valde doctrinæ S. Bonaventuræ tum in *Breviloquio* et *Centiloquio,* tum etiam in libris *Sententiarum,* imo sæpius verba sunt eadem. »

In lib. 1, cap. 25, legitur: « Deus omnium rerum est *Principium,* a quo sunt; *Forma et Exemplar,* ad cujus imitationem sunt; et *Finis* ad quem sunt. — *Exemplar unum est,* quia exemplar connotat causalitatem; causata vero in causa sunt unum; *sed rationes et ideæ sunt plures,* quia istæ respectu rerum dicuntur. Sunt itaque plures ideæ quæ connotant cognitionem; cognoscibilia enim distinguuntur in cognoscente. Similiter et rationes in Deo plures sunt, quia singula causata sunt suis rationibus. Absurdum enim est dicere, ut ait Augustinus (De 83 Quæst., q. 46, N° 2) equum creatum esse ea ratione qua hominem. »

« *Sciendum autem est, quod duplex est pluralitas;* una quidem est *rerum,* et secundum hoc non sunt plures ideæ, sive exemplaria in Deo; quia una Res est, quæ omnium est Exemplar, scilicet Essentia divina, quam omnia imitantur, inquantum bona sunt; alia vero est *secundum intelligentiæ rationem,* et secundum hoc plures ideæ in Deo sunt, quia omnes res inquantum sunt, divinam imitantur Essentiam, prout est imitabilis, non tantum uno modo, sed diversimode et secundum diversos gradus. Sic igitur divina Essentia, secundum quod est imitabilis hoc modo ab hac creatura, est propria ratio hujus creaturæ; et similiter de aliis. »

« Unde secundum hoc, plures ideæ in Deo sunt, *quia intelligitur divina Essentia secundum diversos respectus, quos res habent ad ipsam, eam imitantes diversimode.* Hujusmodi autem non solum intelliguntur ab intellectu creato, sed etiam ab increato ipsius Dei. Sic enim Deus et ab æterno scivit, quod diversæ creaturæ diversimode ipsius Essentiam essent imitaturæ; et secundum hoc ab æterno fuerunt in Mente divina plures ideæ, secundum quod intelliguntur sicut rationes propriæ rerum intellectæ in Deo. Hoc enim importat nomen ideæ, ut sit scilicet quædam forma intellecta ab agente, ad cujus exemplum exterius opus producere intendit. »

« Dicendum est ergo, quod licet rationes in Deo et ideæ, sint una veritas, una lux, et una Essentia, dicuntur tamen plures rationes et ideæ, propter pluralitatem ideatorum; cujus exemplum habemus in naturis. Videmus enim quod omnes lineæ circuli uniuntur in centro; remotæ autem a centro, differunt ab invicem. Item ideæ sunt, ut dicit Augustinus, *formæ principales rerum, quæ divina Intelligentia continentur*. Dicendum est igitur, quod sicut in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat, sic ideæ rerum ante mundi constitutionem in Mente Creatoris erant. Non enim aliquid extra se aspiciebat, secundum quod mundum faceret. »

« *Ex hoc patet quod omnis creatura prius in Deo existit, quam in seipsa.* Unde cum ab ipso per creationem processit, ab ipso quodammodo distare cœpit. Unde rationalis creatura ad ipsum redire debet, cui primo conjuncta fuit antequam esset, et hoc per ideas, quæ non aliud, quam ipse Deus, sunt et erunt. Sic autem *ad loca unde exeunt, flumina revertuntur* (Eccle. 1, v. 7). »

789. — 4°) Divinas ideas eodem modo explicat in Illuminationibus Ecclesiæ, Serm. 3, in quo, p. 44, Mentem divini artificis comparat *unitati* intelligenti omnes numeros ab ea procedentes, atque ad eam terminatos; et *puncto* centrali intelligenti omnes circuli lineas ad eum ordinatas, sive rectas, ut sunt radii, sive orbiculares omnes circuli divisiones. Eadem comparatione utitur B. Albertus Magnus, sicut vidimus. — Et notandum est Illuminationes Ecclesiæ, esse ultimum S. Bonaventuræ opus.

Item *Serm. 12* (T. 9, p. 86), cui titulus est: « *Quomodo Deus Exemplar est omnium rerum.* » Sequentia verbo ex eo transcribemus: « Supponendum est per fidem, quod (Deus) sit Conditor omnium rerum, Gubernator actuum, Doctor intellectuum, Judex meritorum. Et ex hoc intelligitur, quod est Causa causarum, et Ars præstantissime originans, Lux manifestatissime declarans vel repræsentans, Jus rectissime præmians et judicans. »

a) **Probatur ex ratione.** Et primum ostenditur sic: « Creatura egreditur a Creatore, sed non *per naturam*, quia alterius naturæ est; ergo *per artem*, cum non sit modus emanandi nobilis, quam per naturam, vel per artem, sive ex voluntate. *Et ars illa non est extra ipsum;* ergo Deus est agens per artem et volens; ergo necesse est ut habeat rationes expressivas. Si enim dat formam huic rei, per quam distinguitur ab alia re, vel proprietatem, per quam distinguitur, necesse est ut habeat formam idealem, imo formas ideales. Sic enim in plurali vocantur a Sanctis. »

« Item, quia est Causa conservans, est Dux gubernans. Præest enim ad dirigendum omnes actus, secundum quod gubernabiles sunt; non sicut artifex domum dimittit, sed res conservat et dirigit. Ideo habet apud se normas directissimas. Nec est idem modus, ut creatura manat a Creatore secundum formas expressivas, et secundum quod a Mente divina emanant regulæ secundum directionem æternarum regularum. »

« Item, quia Doctor est, ipse docet infallibiliter et certificat sic, quod impossibile est aliter se habere, secundum sententiam omnium Doctorum. Christus est Doctor internus, nec scitur aliqua veritas, nisi per ipsum; non loquendo sicut nos, sed interius illustrando; et ideo necesse est, ut habeat clarissimas species apud se... »

« Item est Jus rectissimæ remunerationis, per leges justissimas; si ergo juste præmiat, necesse est ut habeat leges justissimas. »

b) **Probatur ex Scriptura, seu fide.** « Loquitur Scriptura de ipso, ut est Exemplar, ut omnis creatura vivit in formis æternis; unde Joannes: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Scivit autem per cognitionem et amorem; et qui hoc negat, negat prædestinationem æternam. Nam ab æterno novit Deus creaturam, et amat eam, quia præparavit eam gloriæ et gratiæ. »

« Item, habet normas directissimas; unde Apostolus et Jeremias (cap. 31, v. 33 et Hebr. 8, v. 10): *Dabo leges meas in visceribus eorum, et in corde superscribam eas.* Superscribit enim primo in natura, secundo in industria, seu in progressu; tertio in gratia; quarto in gloria. In quocumque statu dat normas suas; ergo necesse est ut in se habeat eas. »

« Item, quia est lux illustrans Sapientia: *Est enim speciosior sole* (Sap. 7, v. 29); quia licet sol habeat rationem radiandi, non tamen species in se descriptas habet, et ideo illud Exemplar est pulchrius, quia cum hoc quod lucet, habet species claras. »

« Item, est Jus per se judicans, ut in Apocalypsi (20, v. 12): *Libri aperti sunt, et alius liber apertus est;* scilicet liber vitæ, et liber conscientiæ. Per librum vitæ habet anima vivere, et per librum conscientiæ habet judicare. Et si liber conscientiæ concordat cum libro vitæ, approbatur; si autem discordat, reprobatur... In hoc libro *(vitæ)* scribuntur omnes leges æternæ... »

« Ad hos splendidos exemplares *ratio* duxit et *fides.* »

II.

De divina Arte.

790. — « Deus ergo est Exemplar æternum; et hæc est fides, quæ credit Deum esse Condi-

torem rerum, Gubernatorem actuum, Doctorem intellectuum, Judicem meritorum. Et super hoc fertur speculatio, ut sit Ars præstantissime repræsentans. »

« Hæc autem Ars est una et multiplex... Est multiformis et tamen summe una. Ad hoc notandum quod Causa prima est prima et immediata. Quia prima, ideo nihil habet ab alio, sed omnia ab ea; et est immediata, quia Causa immediata nobilior est mediata. Quia ergo prima, ideo potentissima. Item, quia immediata, ideo est actualissima, quia causa immediata in actu est, et quia actus immediatior est quam potentia... »

« Quia ergo illa Ars est causa, sequitur, quod in illa Arte est repræsentatio causabilium causaliter. Quia rationes illæ causæ sunt, ideo sunt in causante; et hinc est, quod causæ sunt *contingentium infallibiliter*. Quod enim contingens est, infallibiliter repræsentatur: exprimit enim modum qui accidit infallibiliter in re; quia secundum quod in se, et apud se est, exprimit. Vera enim est contingentia ex parte rei, ita et infallibilitas ex parte Dei. Item *mutabilium immutabiliter, materialium immaterialiter*, quia illæ rationes non sunt materiales. *Possibilium actualiter, partibilium impartite*, quia non est major *(mole)* ratio montis quam milii, nec etiam in anima nostra. *Accidentium substantialiter*, sed illæ rationes sunt in Deo substantia, quæ Deus est. *Corporalium spiritualiter, temporalium sempiterne, distantium indistanter*, etiam in anima; *dissonantium indissonanter*, ut ratio albi et nigri, *deficientium indeficienter*, quia quidquid est ibi, vita vivit. » (Ibidem).

III.

De pulchritudine Filio Dei appropriata.

791. — « Filius emanat per modum naturæ; ideo emanat per modum perfectæ et expressæ similitudinis, nam natura producit sibi simile et æquale. Et quia habet in se rationem expressæ similitudinis, ideo et cognitionis, quia expressa similitudo est ratio cognoscendi. Et quia per medium perfectæ similitudinis et rationis, habet in se Rationem cognoscendi et Exemplar omnium; inde est quod habet rationem perfectæ pulchritudinis. Quia enim est perfecta est expressa similitudo, ideo pulcher est in comparatione ad Eum quem exprimit. Quia vero rationem cognoscendi habet, et non unius tantum, sed totius universitatis, ideo *pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens*, ut ait Boetius (De Consol., lib. 3, metr. 9), pulchritudinem habet in comparatione ad omnem pulchritudinem extraneam. — Ex his duobus relinquitur perfectissima pulchritudo; sicut enim dicit Augustinus: *Pulchritudo non est aliud, quam æqualitas numerosa.* Quoniam igitur in comparatione ad Patrem, habet pulchritudinem æqualitatis, quia perfecte exprimit, sicut pulchra imago; in comparatione vero ad res, habet omnes rationes, secundum quod dicit Augustinus, quod *est Ars plena omnium rationum viventium;* ita patet quod in Filio recte reperitur ratio omnis pulchritudinis. »

« Eo igitur quod Filius per modum naturæ emanat, habet rationem perfectæ et expressæ similitudinis; eo quod habet rationem perfectæ similitudinis, habet rationem cognitionis; et ratione utriusque habet rationem pulchritudinis. Quoniam igitur nomen *speciei* importat similitudinem, et importat cognoscendi rationem, et importat pulchritudinem; ideo elegantissime appropriatur Filio. » (1. dist. 31, part. 2, art. 1, T. 1, p. 503).

In Illuminationibus Ecclesiæ, Serm. 20, T. 9, p. 131, dicit de pulchritudine: « Multi sunt qui amant pulchritudinem; pulchritudo autem non est in exterioribus, sed effigies; vera autem pulchritudo est in illa pulchritudine Sapientiæ. »

§ III.

De divinæ Trinitatis repræsentatione in singulis creaturis.

S. Bonaventura docet, creaturas tribus modis divinum Artificem unitrinum repræsentare, videlicet per modum *umbræ*, per modum *vestigii*, et per modum *imaginis*. — Alii dicunt creaturas Deum repræsentare per modum *vestigii, imaginis* et *similitudinis*. — S. Thomas duos tantum assignat repræsentationis modos, scilicet *vestigium* et *imago*, quæ sufficiunt, quia *umbra* non est nisi vestigium imperfectum, et *similitudo* addita imagini, non est nisi imaginis perfectio.

I.

Omnes effectus creati trinam Causam repræsentant per modum umbræ, vel vestigii, vel imaginis.

792. — 1°) « Quia relucet causa in effectu, et sapientia artificis manifestatur in opere; ideo Deus, qui est Artifex et Causa creaturæ, per ipsam cognoscitur. Et ad hoc duplex est ratio: una est propter convenientiam; alia propter indigentiam. Propter *convenientiam*, quia omnis creatura magis ducit in Deum, quam in aliquid aliud. Propter *indigentiam*, quia cum Deus tanquam Lux summe spiritualis, non possit cogno-

sci in sua spiritualitate ab intellectu, quasi materiali luce indiget anima ut cognoscat ipsum, scilicet per creaturam. » (1. dist. 3, part. 1, q. 2, corp.).

« Ascensus in Deum potest esse dupliciter: aut quantum ad aspectum præsentiæ, et sic quælibet creatura nata est ducere in Deum, nec sic sunt infiniti gradus; aut quantum ad æqualitatem æquiparantiæ, et sic est verum quod sunt infiniti, quia bonum creatum, quantumcumque duplicatum, nunquam æquiparatur increato. — *Primus* autem gradus, quantum ad ascensum ad aspectum præsentiæ, est in consideratione visibilium. *Secundus* in consideratione invisibilium, ut animæ, vel alterius substantiæ spiritualis. *Tertius* est ab anima in Deum, quia imago ab ipsa veritate formatur, et Deo immediate conjungitur. » (Ibid., ad 4[m]).

793. — 2°) « De differentia *vestigii* et *imaginis* quidam dixerunt talem differentiam: quod vestigium est in sensibilibus, imago in spiritualibus. Sed ista positio vel distinctio non valet, quia vestigium est etiam in spiritualibus; nam unitas, veritas, bonitas, in quibus consistit vestigium, sunt conditiones maxime universales et intelligibiles. — Alii autem dicunt quod vestigium dicitur, quia repræsentat secundum partem; sed imago secundum totum. Sed hæc iterum differentia non valet; quia Deus cum sit simplex, non habet repræsentans secundum partem; cum iterum sit infinitus, a nulla omnino creatura, nec etiam a toto mundo, potest repræsentari secundum totum. »

« Et ideo intelligendum, quod cum creatura ducat in cognitionem Dei, per modum umbræ, et per modum vestigii, et per modum imaginis, differentia eorum notior, a qua etiam denominatur, accipitur penes modum repræsentandi. Nam *umbra* dicitur, inquantum repræsentat in quadam elongatione et confusione; *vestigium* in quadam elongatione, sed distinctione; *imago* vero in quadam propinquitate et distinctione. »

« Nam creaturæ dicuntur *umbra*, quantum ad proprietates quæ respiciunt Deum in aliquo genere causæ, secundum rationem causæ indeterminatum; *vestigium* quantum ad proprietatem, quæ respicit Deum sub ratione triplicis causæ, efficientis, formalis *(exemplaris)* et finalis, sicut sunt unum, verum et bonum; *imago*, quantum ad conditiones quæ respiciunt Deum, non tantum in ratione causæ, sed et objecti, quæ sunt memoria, intelligentia et voluntas. » (Ibid.).

II.

Omnes prædictæ repræsentationes non manifestant Trinitatem personarum divinarum, sed tantum attributorum eis appropriatorum.

794. — « Pluralitas personarum cum unitate Essentiæ est proprium divinæ naturæ solius, cujus simile nec reperitur in creatura, nec potest reperiri, nec rationabiliter cogitari. Ideo, nullo modo, Trinitas personarum est cognoscibilis per creaturam, rationabiliter ascendendo a creatura in Deum. Sed licet non habeat omnino simile, habet tamen aliquo modo quod creditur simile in creatura. Unde dico quod Philosophi nunquam cognoverunt per rationem personarum Trinitatem, nec pluralitatem, nisi haberent aliquem habitum fidei, sicut habent aliqui hæretici. Unde qui dixerunt hanc Trinitatem, aut locuti sunt non intelligentes, aut fidei radio illustrati. Est alia trinitas appropriatorum, scilicet veritas, unitas et bonitas; et hæc cognoverunt, quia habent simile. » (Ibid., q. 4. corp.).

III.

Singulæ creaturæ divinam Trinitatem repræsentant per modum vestigii.

795. — 1°) Horum vestigiorum indicatio.

« Vestigium Dei est creatura repræsentans Deum in rationibus omni creaturæ communibus, ut est unitas, veritas et bonitas. » (Declarat. terminor. theol., T. 7, p. 236). — « *Trinitatem vestigii (aliter et melius: Trinitatis vestigium)* contingit reperire in qualibet creatura, quantumcumque parva, quantumcumque minima. » (1. dist. 2, q. 4, T. 1, p. 59).

« Dicitur opus Dei tripliciter: Primo modo, dicitur essentia quæcumque sit illa, sive in genere substantiæ, sive accidentis. — Secundo modo, dicitur res ex suis completa principiis, sicut substantia. — Tertio modo, dicitur opus Dei creatura ad imaginem Dei facta. Super hoc triplex opus effudit Altissimus Sapientiam suam. »

« Deus enim creat omnem *essentiam* in mensura, numero et pondere (Sap. 11, v. 21). Et dando ei hæc, dat modum, speciem et ordinem: modum, quo constat; speciem, qua discernitur; ordinem, quo congruit. — Non enim est aliqua essentia quæ non habeat mensuram, numerum et inclinationem; et in his attenditur vestigium. Hoc vestigium ducit in illam Sapientiam, in qua est modus sine modo, numerus sine numero, ordo sine ordine. »

« In *substantia* est altius vestigium Sapientiæ et divinæ Essentiæ: habet enim omnis substantia materiam, formam, compositionem. Habet substantia originale principium, formale complementum, glutinum. Habet res omnis completa substantiam, virtutem et operationem. Et in his repræsentatur mysterium Trinitatis: Pater origo, Filius virtus et forma, Spiritus sanctus unio et compago. — Vere autem originale principium a formali complemento distinguitur, non quidem distinctione hypostatica, qualis est in divinis; nec accidentali, sed reali distinctione principiorum, quorum unum activum, alterum passivum. Et hoc tollere a creaturis, est tollere ab eis repræsentationem Trinitatis. Nec valet quod dicunt falso philosophantes, quod angelus et anima idcirco composita dicuntur, quia sunt ab alio; nam esse ab alio, non facit compositionem. Tunc enim Filius, cum sit a Patre, esset compositus, et Spiritus sanctus qui est ab utroque. Igitur solum Esse divinum est simplex *(Actus purus)*, in quo non differt esse, bene esse, et sic esse. Et hæc est ratio quare Esse est nomen Dei, quia Esse Dei est omne illud quod in Deo est. In creatura autem differt esse, bene esse et sic esse. — Vestigium hujus sapientiæ est substantia, virtus et operatio. Nam virtus est a substantia; operatio vero a substantia, mediante virtute; sicut Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre mediante Filio. (Conf. quoque 1. dist. 12, art. 1, q. 1). Res substantifica a substantia habet esse, a virtute habet vigere, ab operatione habet efficere. » (Illuminat. Eccl. in Hexæmer., Serm. 2, T. 9, p. 38).

De creatura rationali ad imaginem Dei facta infra dicemus n° 797.

796. — 2°) Trina vestigiorum creatorum causalitas: a) « Vestigium Trinitatis relucet in creaturis. Nam *potentiam* Dei manifestat creaturarum immensitas, ecce Pater; *scientiam*, earum decus, ecce Filius; *benignitatem*, utilitas, ecce Spiritus sanctus. » (In Psalm. 142, 5, T. 9, p. 590). — « Deus enim habet rationem triformis causæ: originantis, exemplantis, finientis; nec potest esse pluribus modis. Unde Apostolus (Rom. 11, v. 36): *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* » (In Hexæm., Serm. 16, T. 9, p. 105).

« Creatura comparatur ad Deum in ratione effectus Causæ efficientis, formalis *(extrinsecæ sive exemplaris)*, et finalis. Et ratione primi, habet rationem modi; ratione secundi, habet rationem speciei; ratione tertii, habet rationem ordinis. » (Declarat. termin. Theol., T. 7, p. 236). Jam vero creatura habet modum suum per mensuram, quam accipit a Deo; habet speciem per numerum; habet ordinem per pondus, sive inclinationem, ut proxime dictum est.

b) « Creatura est effectus Trinitatis creantis sub triplici genere causalitatis; scilicet *efficientis*, ratione cujus est in creatura unitas, modus et mensura; *exemplaris*, ratione cujus est in creatura veritas, species et numerus; *finalis*, ratione cujus in creatura est bonitas, ordo et pondus. Omnis quippe creatura constituitur in esse ab *efficiente*, formatur ad *exemplar*, ordinatur ad *finem;* ac per hoc est una, vera et bona; modificata, speciosa et ordinata; mensurata, discreta et ponderata. »

« Aliis etiam vocabulis prædictus ternarius nominatur: ab Augustino, in libro de Anima et Spiritu, dicitur *essentia*, *species* et *usus;* a Dionysio: *harmonia*, *species* et *commensuratio;* item ab eodem: *substantia*, *virtus* et *operatio.* »

« Ex una ergo parte *(scilicet ex parte Causæ efficientis)* cadunt unitas, modus, essentia, substantia, mensura et commensuratio. — Ex una *(scilicet ex secunda parte, nempe Causæ exemplaris, cadunt)* veritas, numerus, species, virtus et harmonia *(sive pulchritudo, quæ in proportione seu in convenientia consistit).* — Ex una *(scilicet ex tertia parte, nempe Causæ finalis, cadunt)* bonitas, ordo, usus, pondus et operatio. » (Centiloq., part. 3, sect. 8, T. 7, p. 383).

IV.

Creaturæ spirituales divinam Trinitatem insuper repræsentant per modum imaginis.

797. — 1°) In genere. Doctor seraphicus in creaturis rationalibus *imaginem* Dei distinguit a *similitudine* et a *deiformitate*. Etenim *imago Dei* est analogica cum Deo unitrino conformitas substantialis, naturalis et indelebilis; *similitudo* autem est analogica conformitas accidentalis, supernaturalis per gratiam et delebilis per peccatum; deiformitas est supernaturalis conformitas consummata et indelebilis per gloriam æternam.

Sic ipse loquitur:

« *Imago* Dei in natura rationali est similitudo expressa, tamen deficiens in aliquo, Trinitatis increatæ, consistens in memoria, intelligentia et voluntate. » (Declarat. termin. Theol., T. 7, p. 236).

« *Similitudo* est conformitas Dei in gratuitis, ut fide, spe, charitate. » (Ibid.) — *Deiformitas* proprie dicitur de conformitate divina, quam habet intellectus gloriosus per assimilationem, quæ est in statu perfecto. » (2. dist. 3, part. 2, art. 2, q. 2, ad 1^{m}, T. 2, p. 340).

798. — 2°) De triplice Dei imagine in angelo. « Dionysius definit angelum sic: « Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum clarum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, suscipiens, sicut conveniens est, totam speciositatem boniformitatis et deiformitatis, et in se resplendere faciens bonitatem silentii, quod est in abditis. — Definitur ibi angelus non solum quantum ad esse naturæ, sed etiam quantum ad bene esse; et ideo notificatur hîc angelus inquantum habet Dei *imaginem* per naturam, inquantum habet *similitudinem* per gratiam, inquantum habet *deiformitatem* per gloriam. » (4. dist. 9 ad litt., T. 2, p. 462, 463).

Deinde doctor seraphicus explicat hanc triplicem angeli assimilationem ad Deum. Dicit alibi quod angelus Deo conformis est per naturam, « quia sine susceptione specierum, per id quod habet in se *(nempe per species inditas)* actu cognoscit. » (2. dist. 3, part. 2, art. 2, q. 2, ad 1^m, T. 2, p. 340). — In hac quæstione 2, agitur de angelorum cognitione *per gloriam*. In quæst. 1, agitur de eorum cognitione *per naturam*.

799. — 3°) De triplice Dei imagine in homine. De naturali Dei imagine tractatur in 1. dist. 3, part. 1, T. 1, p. 76-88 — et 2. dist. 16, T. 2, p. 626-646. Sequentia tantum verba transcribemus: « Cum imago dicatur ab actu repræsentandi (nam imago refertur ad prototypum, ut dicit Damascenus, de Fide orthod., lib. 4, cap. 17), et repræsentatio dupliciter possit convenire alicui, vel per formam naturalem, vel per formam artificialem: ideo *duplex est imago, naturalis scilicet et artificialis*. Et cum homo non repræsentet per formam artificialem, sed per suam formam naturalem, et potentias ei naturaliter inditas: *ideo homo non est imago artificialis sed naturalis*. Differt autem dicere *imaginem naturalem, et connaturalem;* nam imago naturalis est quæ repræsentat per id quod habet a natura, sive cum illo quod repræsentat, conveniat in natura, sive non; imago vero connaturalis dicitur, quæ imitatur et refertur non solum per id quod habet a natura, sed per convenientiam in eadem natura. Ideo, etsi esse imaginem *naturalem* conveniat homini, esse tamen imaginem *connaturalem* non convenit homini, sed soli Filio Dei. » (Art. 1, q. 2, corp.).

Distinguuntur in homine imago Creationis, imago Recreationis, et imago Glorificationis: « *Imago creationis* consistit in tribus potentiis animæ, et unitate substantiæ, ita quod memoria repræsentat Patrem, intelligentia Filium, et voluntas Spiritum sanctum, et unitas substantiæ repræsentat unitatem divinæ Essentiæ. — *Imago recreationis* consistit in tribus virtutibus theologicis, et unitate gratiæ gratum facientis, ita quod fides repræsentat Filium, spes Patrem, charitas Spiritum sanctum; unitas gratiæ, unitatem Essentiæ. — *Imago glorificationis* consistit in tribus dotibus, et unitate gloriæ, ita quod aperta visio repræsentat Filium, secura tentio *(seu comprehensio)* repræsentat Patrem, perfecta dilectio Spiritum sanctum; unitas gloriæ repræsentat unitatem Essentiæ. » (Declar. termin. Theol., T. 7, p. 236).

800. — 4°) Utrum angelus, an homo, sit Deo similior imago.

Hanc quæstionem agitat S. Bonaventura in 2. dist. 16, art. 2, q. 1, corp., T. 2. Pauca quæ sequuntur transcribemus ex p. 639.

« Reperimus et æqualitatem, et mutuum excessum, in expressione imaginis quæ attenditur secundum convenientiam proportionis, quia quædam est convenientia habitudinis quæ est de *esse* imaginis, quædam de *bene esse*. Illa est de *esse*, quæ consistit in comparatione ad intrinseca, sicut ad potentias; et in hac homo et angelus adæquantur, quia ita bene est distinctio, et origo, et æqualitas, et consubstantialitas in potentiis animæ; in memoria scilicet, intelligentia et voluntate, sicut in potentiis angeli. Illa vero convenientia habitudinis est de *bene esse*, quæ attenditur in comparatione creaturæ rationalis ad aliquod extrinsecum, utpote ad corpus, quod est ipsâ inferius. Haec autem dupliciter potest esse expressior; vel privative vel positive. — Si *positive*, sic anima est imago expressior, quæ in hoc quod conjungitur corpori, ita quod per illud est principium aliorum, et per illud totum inhabitat, magis repræsentat Deum, qui est Principium omnium, et qui unus est in omnibus. Si autem *privative*, sic angelus magis repræsentat Deum, quia Deus est Spiritus purus, omnino impermixtus et independens a creaturis omnibus; et hæc repræsentat angelicus spiritus, dum est a corpore, secundum actum et aptitudinem, separatus; et pro tanto dicitur esse subtilior a Gregorio, et in eo imago divinitatis est expressior. »

§ IV.

De divinæ Trinitatis repræsentatione in trino totius mundi ordine.

801. — Divinus Artifex repræsentatur in omnibus suis opificiis, non solum in trino ipsorum ordine *singulari*, sed etiam in trino ordine *universali*, sive *naturali* in toto mundo, sive *supernaturali* in Ecclesia christiana.

I.

Divina Trinitas repræsentatur in trino mundi ordine naturali.

802. — 1°) De triplice genere substantiarum, quibus componitur mundus.

Quærit doctor seraphicus: « An rerum universitas triplici distinctione distinguatur: creatura spirituali, corporali, et ex utraque media. » *Respondet:* « Decuit Deum ita res producere, ut manifestaretur ejus Sapientia. Sed sapientia artificis manifestatur in ordinis perfectione. Omnis autem ordo habet de necessitate et summum, et medium, et infimum. Si ergo *infimum* est natura pure corporalis, *summum* natura spiritualis, *medium* composita ex utraque; nisi hæc omnia fecisset, non ostenderetur perfecte Dei Sapientia. Oportuit igitur hæc omnia fieri. Unde Augustinus: *Duo fecisti, Domine, unum prope te, aliud prope nihil.* » (Confess., lib. 12, cap. 7, n.° 9). — « Item hoc non solum videtur ratione theologica, sed etiam philosophica. Quia si est ponere unam differentiam contrarietatis, et alteram; si ergo corporale, et spirituale; et si ponere est extrema compositionis, ergo et medium. » (2. dist. 1. part. 2, art. 1, q. 2, T. 2, p. 263).

« Circa productionem mundi, habemus attendere creaturæ triformitatem. Produxit enim Deus trinus et unus differentiam triplicem creaturæ. Nam produxit creaturam *pure corporalem*, ut est mundialis machina; creaturam *pure spiritualem*, ut est natura angelica; creaturam *ex utraque compositam*, ut est humana natura. Sic enim decuit Deum producere varia et diversa, ut multiplicitas creaturæ faceret perfectionem universi, quæ consistit in amplitudine ambitus, in sufficientia ordinis, et influentia bonitatis; ex quibus etiam divina Potentia, Sapientia et Bonitas innotescit. — Decuit namque Deum sic res producere, ut essent ad manifestationem suæ *Potentiæ*, quæ quidem apparuit in productione creaturarum summe distantium, et earumdem conjunctionem, ut patet in natura humana, in qua corporeum et incorporeum uniuntur. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suæ *Sapientiæ*, quæ maxime ex perfectione ordinis declaratur; qui quidem ordo necessario tria requirit, scilicet infimum, medium et supremum. Infimum fuit natura corporalis; supremum, natura spiritualis; medium, natura composita ex utraque. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suæ *Bonitatis et Benevolentiæ*; quæ maxime consistit in diffusione et communicatione in alterum. Sic ergo divina Bonitas communicavit actum nobilissimum, qui est vivere et intelligere, ut non tantum daret alii potentiam vivendi et intelligendi, sed etiam potentiam se communicandi aliis, quod factum est in homine, in quo spiritualis vita et intellectiva perficit corporalem. » (Centiloq., part. 3, sect. 9. T. 7, p. 384).

« Summæ Bonitatis triplex est effusio, scilicet per generationem, per spirationem, per creationem... Deus est rerum triplex Causa, scilicet efficiens, exemplaris et finalis, sed nullo modo materialis... — Creatura mundi triplex est, scilicet corporalis tantum, ut elementa; spiritualis tantum, ut angelus; composita ex his, ut homo. Corporalis quoque natura distinguitur in corpora lucida, ut sidera; et opaca, ut terra, et metalla, et hujusmodi; atque perspicua, sive diaphana, ut aer et aqua. — Creaturæ quædam, secundum Gregorium, habent esse tantum, ut lapides; quædam vivere, ut arbores; quædam sentire, ut animalia; quædam intelligere, ut homines et angeli. » (In Hexæmer., Serm. 16, T. 9, p. 105).

803. — 2°) De triplici mundi distinctione in mundum archetypum, majorem et minorem.

« Distinguitur autem triplex mundus, scilicet Archetypus, id est Deus; et dicitur Archetypus ab archos (ἀρχός), quod est princeps, et typus (τύπος), quod est figura; id est principalis figura, quia ipsa est exemplar mundi sensibilis *(et a fortiori mundi spiritualis, qui Deo similior est).* Item est mundus qui diciter Macrocosmus (Μακροκόσμος), ut est iste mundus sensibilis *(et etiam spiritualis, ut liquet ex præcedentibus).* Item est mundus qui dicitur Microcosmus (Μικροκόσμος), id est minor mundus, ut est homo. De his tribus Joannes: *In mundo erat:* ecce primum. *Et mundus per ipsum factus est:* ecce secundum. *Et mundus eum non cognovit:* ecce tertium. » (Compend. theolog. verit., lib. 2, cap. 2, T. 8, p. 89).

» Iste autem septenarius, sive in mundo sensibili, sive in mundo minori, ortum habet a mundo Archetypo, ubi sunt rationes causales secundum rationem septenarii. » (In Hexæmer., Serm. 16, T. 9, p. 105).

De distinctione majoris et minoris mundi adhuc loquitur S. Bonaventura in Psal. 80, v. 7, T. 9, p. 256. — In Itinerario mentis ad Deum, cap. 2, T. 12, p. 7.

Homo autem recte dicitur *minor mundus*, quia majorem mundum continet in ordine physico, cum substantia ejus sit corpore et spiritu composita, et cum « ordo partium in Microcosmo, sive in minori mundo, respondeat ordini partium in majori mundo » (2. dist. 14, part. 7, art. 1, q. 1, T. 2, p. 566). Præterea homo majorem mundum capere ac continere potest

in ordine intellectuali et morali, cum possit omnia, juxta suum modum, cognoscere et appetere, atque omnibus mente et affectu assimilari, ut mox nos docebit doctor angelicus. Conf. quoque Itinerarium mentis ad Deum, (cap. 2, T. 12, p. 7).

3°) De majoris et minoris mundi assimilatione ad mundum archetypum.

804. — a) **Mundus spiritualis et corporalis aliqualiter repræsentant divinum Archetypum** « Ad illud quod objicitur, quod imago repræsentat secundum totum, dicendum quod illud est verum de illa imagine quæ habet omnimodam perfectionnm, et sic solus Filius Dei est Imago Patris. De alia non est verum quod repræsentat secundum totum simpliciter; repræsentat autem quantum ad aliquam totalitatem. Quia enim rationalis creatura et intellectus, quodammodo est omnia, et omnia nata sunt ibi scribi et imprimi, omniumque similitudines depingi: ideo, sicut totum universum repræsentat Deum in quadam totalitate sensibili, sic creatura rationalis eum repræsentat in quadam totalitate spirituali. Quælibet autem alia creatura irrationalis repræsentat eum solum in parte, quia secundum se tantum, cum non sit nata alia in se spiritualiter continere, ita quod nihil sit quod non sit nata cognoscere. Hoc dico propter animam sensibilem, quæ etsi cognoscat aliqua, non tamen nata est cognoscere omnia. » (2. dist. 16, art. 1, q. 1, ad 5^{m}, T. 2, p. 633).

De magna differentia, quæ distinguit totalitatem mundi Archetypi et universi mundi exemplati, sic loquitur S. Bonaventura: « Totum, sive totalitas, uno modo dicitur *absolute*, et sic totum idem est quod perfectum; alio modo dicitur totum *per comparationem ad partem*, et sic dicitur totum quod habet partem et partem, sive partes. — Primo modo, bene est ponere totalitatem in Deo; secundo non, nec etiam partialitatem: non totalitatem, quia aufert simplicitatem; non partialitatem, quia tollit perfectum; neutrum, quia tollit æqualitatem summam. » (1. dist. 19, part. 2, art. 1, q. 2, corp., T. 1, p. 334).

Hierarchiæ angelorum fundantur in ordine naturali, sed cum ad visionem beatificam ordinentur, de illis agemus quando mox loquemur de mundo supernaturali.

805. — b) **Quomodo mundus corporalis divinum Archetypum repræsentat.** « Liber *intus* scriptus, est Dei æterna Ars et Sapientia. Liber *foris* scriptus, est mundus sensibilis. » (Declar. terminor. Theol., T. 7, p. 235).

« De Archetypo et sensibili mundo dicendum, quod iste imitatur illum inquantum potest, sed deficit. In illo *(Archetypo mundo)* enim est summa Pulchritudo per omnimodam unitatem; hîc *(mundus sensibilis)* autem si esset unitas, non esset pulchritudo, quia non esset ordo, nec perfectio; et ideo, ut mundus hic imitaretur *(Archetypum)* in perfectione et pulchritudine, oportuit quod haberet multitudinem, ut multa facerent quod unum faceret se non posset. » (2. dist. 1, part. 2, art. 1, q. 1, ad 3^{m}, T. 2, p. 261).

« Ad hos splendores exemplares ratio ducit et fides. Sed ulterius *triplex est* adjutorium ad consurgendum exemplares rationes; creaturæ scilicet *sensibilis*, creaturæ *spiritualis* et *scripturæ sacramentalis*, quæ continet mysteria. Quantum ad primum, totus mundus est umbra, via, vestigium, et est liber scriptus forinsecus. In qualibet enim creatura est refulgentia divini Exemplaris, sed cum tenebris permixta. Unde sicut quædam opacitas admixta lumini est via, intantum est via ducens in exemplar; sicut tu vides, quod radius intrans per fenestram diversimode coloratur, secundum colores diversos diversarum partium vitri; sic radius divinus in singulis creaturis diversimode, et in diversis proprietatibus refulget. Unde scriptum est: *In viis suis ostendit se.* Item est vestigium Sapientiæ Dei. Unde creatura non est nisi quoddam simulacrum Sapientiæ Dei, et quoddam sculptile. Et ex his omnibus, est quidam liber scriptus foris. Quando ergo anima vidit hæc, videtur sibi, quod deberet transire ab umbra ad lucem, a via ad terminum, a vestigio ad veritatem, a libro ad scientiam veram, quæ est in Deo. Hunc librum legere est altissimorum contemplativorum, non naturalium philosophorum; quia solum sciunt naturam rerum, non ut vestigium. » (In Hexæmer., Serm. 13, T. 9, p. 88).

806. — c) **Utrum major, an minor mundus, magis assimilatur divino Archetypo?** « *Assimilari* dicitur dupliciter: *intensive* vel *extensive.* Et extensive, verum est quod magis assimilatur mundo Archetypo, sive Deo, major mundus quam minor, sive universitas tota, quam rationalis creatura. Qualitative, sive intensive, est e converso, propter magnam distantiam aliquarum partium ejus, in quibus relucet divina Bonitas de longinquo, sicut in vestigio. » (3. dist. 2, art. 1, q. 2, ad 4^{m}, T. 4, p. 37).

807. — d) **De ordinatione majoris mundi sensibilis ad minorem, et utriusque ad Deum.** « Finis ad quem res ordinantur, duplex est: quidam enim est *finis principalis et ultimus*, quidam est *finis sub fine.* Si primo modo loquamur de fine, sic omnium creaturarum, tam rationalium quam irrationalium finis est Deus, quia *omnia propter semetipsum creavit Altissimus* (Prov. 16, v. 4); omnia enim fecit ad laudem suæ Bonitatis. Si autem loquamur de fine non principali,

qui est finis quodam modo, et finis sub fine, sic omnia sensibilia alia, facta sunt propter hominem. Et hoc insinuat Philosophus cum dicit: *Sumus finis nos quodam modo omnium eorum quæ sunt.* Insinuat etiam Scriptura multo excellentius, cum dicit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, etc.* Quia enim homo rationis capax est, ideo habet libertatem arbitrii, et natus est piscibus dominari; quia vero per similitudinem natus est in Deum tendere immediate, ideo omnes creaturæ irrationales ad ipsum ordinantur, ut mediante ipso, in finem ultimum perducantur.» (2. dist. 15, art. 2, q. 1, corp., T. 2, p. 620).

II.

Divina Trinitas repræsentatur in trino mundi ordine supernaturali, seu in Ecclesia cœlesti et terrestri.

1°) De trina hierarchia cœlesti, et triplici loco creaturarum intelligentium.

808. — a) **De trina hierarchia ad visionem beatificam ordinata.** « *Ordo* angelorum, secundum Gregorium (In Evang. homil. 38), est multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur, sicut et in naturalium donorum munere conveniunt. — *Hierarchia divina* est ipsa Trinitas increata. — *Hierarchia angelica* est angelerum multorum habitudo ad invicem in scientia, actione, deiformitate, illuminatione, et in Deum ascensione. — *Hierarchia ecclesiastica* est rerum sacrarum et rationalium ordinata potestas, debitum in subditos retinens principatum.» (Declarat. termin. Theolog., T. 7. p. 235).

D. Thomas non approbat vocem *Hierarchiæ* applicatam divinæ Trinitati. « Distinguuntur hierarchiæ ex parte multitudinis subjectæ. Unde manifestum est eos errare, et contra intentionem Dionysii loqui, qui ponunt in personis divinis hierarchiam, quam vocant supercœlestem.» (1. q. 108, corp.). Etenim, cum tres personæ divinæ sint perfecte æquales, hierarchiam non constituunt, sed divina Trinitas est *Hierarcha* seu Princeps supremus hierarchiæ angelicæ et ecclesiasticæ, quæ ad sublimem ejus assimilationem ordinantur per scientiam et amorem, in cœlo atque in terra. — Plura de Hierarchiis infra dicentur.

809. — b) **De triplici loco creaturarum intelligentium.** « Est locus summus id est cœlum, ubi sola lætitia est; et est infimus, id est infernus, ubi sola tristitia; et est medius, scilicet mundus, in quo sunt summa speranda, et infima timenda. Diabolus igitur a summo corruit, et in imum detrusus est, quia reparandus non erat. Homo vero a summo non decidit, et in medio collocatus est, ut esset ei locus, ut ascenderet per justitiam, vel descenderet per culpam.»

« Item Hugo de Sancto Victore dicit, quod aliquis locus est, in quo solum et summum Bonum est, scilicet cœlum; aliquis in quo solum et summum malum est, scilicet infernus; aliquis in quo solum malum est, sed non summum, scilicet purgatorium; aliquis in quo bonum et malum est, sed neutrum summum, scilicet mundus iste.» (Compend. Theol. verit., lib. 2, cap. 2, T. 8, p. 89).

2°) De cœlestis ac terrestris hierarchiæ Capite, seu de Verbo incarnatio.

810. — a) **De congruentia Incarnationis secundæ personæ Trinitatis.** « Persona Verbi ad Incarnationem inter cæteras personas fuit magis idonea, sive loquamur de ipsa Incarnatione in se, sive prout ordinata est ad humani generis Redemptionem.»

« Si enim loquamur de ipsa Incarnatione in se, magis congruum fuit personam Filii incarnari, et inquantum est Imago, et inquantum est Verbum, et inquantum est Filius. — Inquantum est *Imago*, quia homo assumptibilis erat ratione dignitatis imaginis; et quia Filius est Imago Patris, ideo magis convenient erat Filii personam assumere carnem. — Rursus quia Filius Dei *Verbum* est Patris, sic procedit ab ipso, ut Pater se manifestet per ipsum; et ideo, sicut ad intentionis manifestationem, verbum intellectuale copulatur voci sensibili, sic ad divinitatis revelationem, Verbum Patris congruum fuit uniri carni — Postremo, quia *Filius* est semel genitus ab æterno, et sic congruebat eum carnem assumere, ut esset de genere hominum, et ita hominis Filium; et ideo decebat ipsum magis incarnari, quam Patrem et Spiritum Sanctum. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Fide, et Magister in littera, quod Dei Filius non quæsivit nisi matrem in terris, quia jam habebat Patrem in cœlis. Magis ergo decens fuit Filium incarnari quam aliam personam, si loquamur de ipsa Incarnatione secundum se.»

« Fuit etiam magis congruum, si loquamur de ipsa Incarnatione secundum comparationem ad generis humani Redemptionem; et hoc apparet, si consideremus hominis lapsum *(seu falsam appetitionem Dei similitudinis et æqualitatis)*, et reparandi modum, et reparationis fructum...» (3. dist. 1, art. 2, q. 3, corp., T. 4, p. 27).

b) **De congruentia assumptionis naturæ humanæ a Verbo.**

811. — α) *Congruentius fuit Verbum assumere creaturam rationalem, quam totum mundum.* « Non est tanta nobilitas, vel congruitas ad

unionem in totius universitatis assumptione, sicut est in ejus parte aliqua, utpote in rationali creatura. Et ratio hujus est defectus unitatis, et personalis dignitatis, et similitudinis sive conformitatis, quæ quidem non reperitur in tota universitate; et propterea non est idonea ad unionem cum persona divina, sicut rationalis creatura. »

« Universus enim habet partium multitudinem differentium numero, genere et specie; et ideo non competit ad unionem cum Deo in hypostasis unitate. Habet etiam partes carentes vita, et ratione et sensu; et ideo deficientes ab excellentia proprietatis personalis; et propter hoc non habet idoneitatem ad unionem in unitate personæ. Habet etiam partes, in quibus reperitur solum ratio vestigii; et ideo deficientes a conformitate expressæ similitudinis; et propterea ineptas ad tantam excellentiam unionis. »

« In rationali autem creatura reperiri potest unitas, et personalis dignitas, et expressa conformitas; et ideo major est in ea ad assumptionem idoneitas, sive congruitas. » (3. dist. 2, art. 1, q. 2, T. 4, p. 36).

812. — β) *Congruentius fuit Verbum assumere naturam humanam, quam angelicam.* « Ratio majoris congruentiæ dupliciter accipitur, videlicet secundum humanæ naturæ institutionem, et secundum ejusdem reparationem. »

Secundum namque humanæ naturæ institutionem, major est congruitas in humana natura quam in angelica; et hoc triplici de causa: *Prima* est propter personalem distinctionem, quæ quidem in humana reperitur secundum originem, et non in angelica; et ideo magis congruebat, quod persona Filii, quæ distinguitur a persona Patris secundum originem, eam naturam acciperet, in qua proprietatem filiationis retineret; et hoc quidem factum est in humanæ naturæ assumptione; nam idem ipse qui ab æterno erat Patris Filius, ex tempore factus est filius virginis matris. — *Secunda* est propter majorem divini Exemplaris repræsentationem, ratione cujus homo dicitur minor mundus. Anima enim rationalis non tantum repræsentat Deum prout consideratur in se, sed inquantum unitur corpori, quod regit, et in quo toto inhabitat, sicut Deus in majori mundo. Et hoc pluries dicit Augustinus, quod ratione majoris hujus conformitatis, major erit ratio unibilitatis. — *Tertia* ratio est propter multiplicem hominis compositionem. Quia enim homo compositus est ex natura corporali et spirituali, et quodammodo communicat cum omni creatura, sicut dicit Gregorius (In Evang. homil. 29); hinc est quod cum humana natura assumitur et deificatur, quodam modo omnis natura in ea exaltatur, dum in suo simili unitur. Et hinc est quod assumptio humanæ naturæ plus facit ad totius universi perfectionem, quam angelicæ, et ideo major est in ea congruitas ad unionem, etiam secundum institutionem. »

« *Similiter et secundum reparationem* major congruitas in ea reperitur ad unionem triplici de causa: scilicet quia homo magis indigebat et minus indignus erat, et amplius ei proderat, ut Filius Dei assumeret naturam humanam. Magis indigebat, quia totus lapsus fuerat. Minus indignus erat, quia per alium corruerat. Plus ei proderat, quia adhuc in malo obstinatus non erat... Hæc autem ratio quæ sumpta est ab humani generis reparatione, efficacior et principalior est quam præcedens; quia sicut supra ostensum est, præcipua ratio Incarnationis fuit humani generis reparatio. » (3. dist. 2, art. 1, q. 2, corp., T. 4, p. 38).

813. — c) **De Christi prædestinatione, nostræ prædestinationis exemplari.** « Est loqui de prædestinatione Christi et natura dupliciter: aut quantum ad principale significatum, aut quantum ad connotatum. »

« *Si loquamur quantum ad principale significatum,* quod quidem est divina Essentia, sic nulla prædestinatio exemplar habet ab alia, cum omnes unum sint, scilicet divina Essentia. Si autem loquamur quantum ad connotatum, quod quidem est gratia et gloria, tunc distinguendum est quod duplex est exemplar: quoddam *interius* in mente artificis, sicut ratio secundum quam artifex producit sua opera; quoddam *exterius,* ad quod aspiciens ille qui ignorat artem, aliquo modo regulatur... Si ergo primo modo loquamur de prædestinatione Christi ratione connotati, adhuc prædestinatio Christi non est nostræ prædestinationis exemplar; Deus enim non prædestinavit nos aspiciens ad aliquod aliud a se, sed unumquodque prævidit in se, et disposuit secundum rationem propriam. »

« *Si vero loquamur de exemplari secundo modo,* sic prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis; exemplar, inquam, directivum, non respectu summi Artificis, sed respectu nostri, tam in credendis, quam in exspectandis, quam etiam in operandis. Tunc enim est in nobis recte gratia Dei, quando Christo efficimur conformes; et talia etiam per gratiam futura sunt corpora nostra, quale Christus sua resurrectione monstravit, secundum quod dicunt Sancti. Et nos ipsi, si volumus ad ultimum prædestinationis terminum pervenire, necesse habemus in Auctorem fidei et consummatorem, qui est Christus, aspicere (Hebr. 12, v. 2), qui exemplum dedit nobis, ut quemad-

modum fecit, et nos faciamus (Joan. 13, v. 15). Quemadmodum etiam Petrus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis reliquens exemplum* (1. Petr. 11, v. 21). Et pro tanto dicit Augustinus, quod ipse est præclarissimum lumen nostræ prædestinationis, quasi Deus ad unumquemque nostrum dicat: *Aspice et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est* (Exod. 25, v. 40); hoc est in Christo, cujus omnia illi veteris Testamenti apparamenta fuerunt signa; et in hoc sensu concedi potest, quod prædestinatio Christi exemplaris forma sit nostræ prædestinationis. » (3. dist. 11, art. 1. q. 2, T. 4, p. 246).

3°) De gloriosa mundi transformatione in fine sæculi.

814. — a) **De transformatione minoris mundi sive hominis.** α) *Quoad animam* (4. dist. 49, part 1, T. 6, p. 569-578). Sequentia tantum transcribemus: « Esse in potentia dicitur secundum quod habet rationem substantiæ; et sic gratia et gloria, quarum unaquæque est deiformitas et conformitas ad Deum. Et quia uni et eidem confirmatur et reformatur ipsa anima, ideo una est gratia et gloria in pluribus potentiis, sicut una anima in pluribus organis, et una sanitas in pluribus membris. » (Q. 4, p. 474). — Juxta doctorem seraphicum beatitudo essentialiter consistit in fruitione, quæ complectitur triplicem actum triplicis dotis, scilicet visionis, dilectionis et comprehensionis. (Ibid., q. 5).

β) *Quoad corpus.* Resurrectio fiet principaliter a Sanctissima Trinitate, et instrumentaliter a voce Christi, et exemplariter a resurrectione ejus. (4. dist. 43, q. 6, T. 6, p. 462). — De quatuor gloriosis corporum dotibus loquitur S. Bonaventura in 4. dist. 49, p. 578-599.

815. — b) **De transformatione majoris mundi.** (4. dist. 45, art. 2, q. 1-4, T. 6, p. 560-665). « Ubi est innovatio, substantia remanet eadem, sed sub aliis proprietatibus; ideo dicendum quod omnia elementa *secundum substantiam* remanebunt, sed *quantum ad qualitates* innovabuntur... Omnes res, quantum est de se, appetunt esse perpetuum et divinum; sed quædam formæ sunt, quæ appetunt continuare esse per multiplicationem sui in altero, utputa sunt formæ accidentales et substantiales activæ; quædam autem appetunt continuare esse suum per continuam adhærentiam cum materia, ut sunt formæ et qualitates passivæ. — Quia igitur post judicium auferetur ab elementis omnis ratio multiplicandi se, et dabitur virtus continuandi se in se, quia erunt incorruptibilia; hinc est quod elementa quæ habent qualitates activas, dicuntur totaliter absumi, quia omnino auferetur ab eis ratio agendi et se multiplicandi; alia vero duo dicuntur in meliorem faciem restitui, quia appetitus continuandi in se esse, qui modo est in eis secundum esse imperfectum, complebitur et perficietur. — Manebunt ergo qualitates omnium elementorum, quantum ad substantiam; sed quantum ad rationem corruptionis, innovabuntur; similiter et formæ substantiales.... »

« *Figura mundi transibit....* Figura dicitur tripliciter: uno modo, dispositio ex clausione linearum, et hæc præterit quantum ad terram, quia non omnino est orbicularis. — Secundo modo, dicitur figura, exterior rei facies, sive pulchritudo; et hæc transibit, sicut dicitur in Glossa, non substantia, sed pulchritudo. — Tertio modo, figura dicitur fictio vel fragilitas a *fingo, fingis*, ut vasa figuli, et sic etiam pertransibit, non substantia, sed dispositio partium quoad terram, et pulchritudo, et fragilitas. » (Loc. cit. q. 3).

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN ITINERARIO MENTIS AD DEUM.

816. — **Prænotanda.** In hoc opere, doctor seraphicus *per viam analysis* ascendit ab omnibus Dei opificiis ad unitrinum earum Artificem, sicut ipse monet: « Primum gradum ascensionis collocamus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tanquam speculum, per quod transeamus ad Deum Opificem summum. » (Cap. 1).

Joannes Gerson Itinerarium nuncupat, non opusculum, sed opus immensum, cujus laus superior est ore mortalium. (Tit. de Libro Legis). A creaturis ad Creatorem per sex gradus scalares, usque ad mentis excessum procedens, simulque docens et movens, S. Bonaventura totum ordinem naturalem et supernaturalem, Exemplarismo fundatum, non minus breviter complectitur, quam abunde explicat. Ad hoc opus intelligendum, pius Auctor in lectore requirit cordis puritatem et attentam meditationem: « Amatoribus divinæ Sapientiæ speculationes subjectas propono, insinuans quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostræ tersum fuerit et politum.... Non est harum speculationum progressus perfunctorie transcurrendus, sed morosissime ruminandus. » (Prolog.).

Totum Itinerarium mentis ad Deum transcribere possemus ad confirmandam trini Exemplarismi doctrinam. Sed pauca tantum ex singulis ejus Capitibus excerpsimus.

Ex Capite I.

De gradibus ascensionis in Deum, et de speculatione ipsius per vestigia ejus in universo.

817. — I. De gradibus ascensionis in Deum. « .... Cum secundum statum conditionis nostræ, ipsa rerum universitas sit scala ad ascendendum in Deum, et in rebus quædam sint vestigium, quædam imago; quædam corporalia, quædam spiritualia; quædam temporalia, quædam æviterna; ac per hoc quædam extra nos, quædam intra nos: ad hoc quod perveniamus ad primum Principium considerandum, quod est spiritualissimum et æternum, et supra nos, oportet nos transire per *vestigium*, quod est corporale et temporale et extra nos; et hoc est deduci in via Dei. — Oportet etiam nos intrare ad mentem nostram, quæ est *imago* Dei æviterna, et spiritualis, et intra nos; et hoc est ingredi in veritatem Dei. — Oportet etiam nos transcendere ad æternum spiritualissimum, et supra nos, aspiciendo ad primum *Principium;* et hoc est lætari in Dei notitia et reverentia majestatis. Hæc est igitur via trium dierum in solitudine (Exod. 3, v. 18); hæc est triplex illuminatio unius diei: et prima est sicut vespera, secunda sicut mane, tertia sicut meridies. Hæc respicit triplicem rerum existentiam, scilicet in materia, in intelligentia *(humana)*, et in Arte divina, secundum quam dictum est: *Fiat, Fecit et Factum est.* Hæc etiam respicit triplicem substantiam in Christo, qui est scala nostra, scilicet corporalem, spiritualem et divinam. »

« Secundum hunc triplicem progressum, mens nostra tres habet aspectus principales: unus est ad *corpora exteriora*, secundum quem vocatur animalitas seu sensualitas; alius *intra se* et in se, secundum quem dicitur spiritus; tertius est *supra se*, secundum quem dicitur mens. Ex quibus omnibus disponere se debet ad conscendendum in Deum, ut ipsum diligat ex tota mente, ex toto corde, et ex tota anima: in quo consistit perfecta legis observatio, et simul cum hoc sapientia christiana.

« Quoniam autem quilibet prædictorum modorum geminatur, secundum quod contingit considerare Deum ut A et Ω; seu inquantum contingit videre Deum in unoquoque prædictorum modorum, ut *per* speculum, et *in* speculo; seu quia unaquæque istarum considerationum habet commisceri alteri sibi conjunctæ, et habet considerari in sua puritate; hinc est, quod necesse est hos gradus principales ascendere ad senarium, ut sicut Deus sex diebus perfecit universum mundum, et in septimo requievit, sic minor mundus sex gradibus illuminationum sibi succedentium ad quietem contemplationis ordinatissime perducatur .... »

818. — II. De speculatione Dei per vestigia ejus in universo.

« Relucet autem Creatoris summa Potentia, Sapientia et Benevolentia in rebus creatis, secundum quod hoc tripliciter nuntiat sensus carnis sensui inferiori. Sensus enim carnis aut deservit intellectui rationabiliter investiganti, aut fideliter credenti, aut intellectualiter contemplanti. *Contemplans* considerat rerum existentiam actualem; *credens* rerum decursum habitualem; *ratiocinans*, rerum præcellentiam potentialem. »

1°) « *Primo modo, aspectus contemplantis*, res in seipsis considerans, videt in eis pondus, numerum et mensuram: pondus quoad situm ubi inclinantur; numerum, quo distinguuntur; et mensuram quo limitantur. Ac per hoc videt in eis modum, speciem et ordinem; nec non substantiam, virtutem et operationem. Ex quibus consurgere potest, sicut ex vestigio, ad intelligendum Potentiam, Sapientiam et Bonitatem Creatoris immensam. »

2°) « *Secundo modo, aspectus fidelis* considerans hunc modum, attendit originem, decursum et terminum. Nam *fide credimus aptata esse sæcula Verbo vitæ* (Hebr. 11. v. 3); fide credimus trium legum tempora, scilicet naturæ, scripturæ et gratiæ, sibi succedere, et ordinatissime decurrisse; fide credimus mundum per finale judicium terminandum fore; in primo Potentiam, in secundo Providentiam, in tertio Justitiam summi Principii advertentes. »

3°) « *Tertio modo, aspectus ratiocinantis* investigans, videt quædam tantum esse, quædam tantum esse et vivere, quædam vero esse, vivere et discernere; et prima quidem esse minora, secunda media, tertia meliora. Videt iterum quædam tantum esse corporalia, quædam partim corporalia, partim spiritualia; ex quo advertit aliqua esse mere spiritualia, tanquam utrisque meliora et digniora. Videt nihilominus quædam esse mutabilia et corruptibilia, ut terrestria; quædam mutabilia et incorruptibilia, ut cœlestia; ex quo advertit quædam esse immutabilia et incorruptibilia, ut supercœlestia. Ex his ergo visibilibus consurgit ad considerandum Dei Potentiam, Sapientiam et Bonitatem, ut entem, viventem et intelligentem, mere spiritualem, et incorruptibilem, et intransmutabilem. — Hæc autem consideratio dilatatur secundum septiformem conditionem creaturarum, quæ est divinæ Potentiæ, Sapientiæ et Bonitatis testimonium septiforme, si consideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo, operatio et ordo.... »

Doctor seraphicus septem illa creaturarum attributa tripliciter dividendo et subdividendo, in eis invenit vestigia divinæ Potentiæ, Sapientiæ et Bonitatis.

Ex Capite II.

De speculatione Dei in vestigii suis in hoc sensibili mundo.

819. — « Sed quoniam circa speculum sensibilium, non solum contingit contemplari Deum *per ipsa*, tanquam per vestigia; verum etiam *in ipsis*, inquantum est in eis per Essentiam, Potentiam et Præsentiam, et hoc considerare est altius quam præcedens; ideo hujusmodi consideratio secundum tenet locum, tanquam secundus contemplationis gradus, quo debemus manuduci ad contemplandam Deum in cunctis creaturis, quæ ad mentem nostram intrant per corporales sensus. »

« Notandum igitur, quod iste mundus sensibilis qui dicitur *Macrocosmus*, id est longus mundus, intrat ad animam nostram, quæ dicitur *Microcosmus*, id est minor mundus, per portas quinque sensuum, secundum ipsorum sensibilium apprehensionem, oblectationem, et dijudicationem. »

Anima nostra recte dicitur Microcosmus, quia intelligit, vel saltem spiritualiter cognoscere potest omnia quæ sunt in majori mundo. Sed etiam totus homo dicendus est Microcosmus, quia corpore et spiritu substantialiter componitur. Itaque S. Bonaventura paulo inferius dicit: « Homo igitur, qui dicitur minor mundus. »

Lectorem mittimus ad ipsum S. Bonaventuræ opus, si noscere cupiat quomodo seraphicus doctor explicat rerum sensibilium *apprehensionem*, *oblectationem* et *dijudicationem* ab anima nostra. Duos tantum locos transcribemus, ubi latius fulget Exemplarismus.

« Leges illæ, per quas judicamus certitudinaliter de omnibus sensibilibus in nostram considerationem venientibus, cum sint infallibiles et indubitabiles intellectui apprehendentis, sint indelebiles a memoria recolentis tanquam semper præsentes, sint irrefragabiles et indijudicabiles intellectui judicantis, quia, ut dicit Augustinus (De Vera Relig., cap. 31, n.° 58), nullus de eis judicat, sed per illas: necesse est eas esse incommutabiles et incorruptibiles tanquam necessarias; et incoarctibiles, tanquam incircumscriptas; et interminabiles tanquam æternas; ac per hoc indivisibiles, tanquam intellectuales et incorporeas; non factas sed increatas, æternaliter existentes in Arte æterna, a qua, per quam, et secundum quam formantur speciosa omnia vel formosa. Et ideo nec certitudinaliter judicari possunt, nisi per illam, quæ non tantum fuit Forma cuncta producens, verum etiam cuncta conservans et distinguens, tanquam Ens in omnibus Formam tenens, et Regula dirigens, et per quam dijudicat mens nostra cuncta, quæ per sensus intrat in ipsam. »

« Et his duobus gradibus primis, quibus manuducimur ad speculandum Deum in vestigiis, quasi per modum duarum alarum descendentium circa pedes, colligere possumus quod omnes creaturæ istius sensibilis mundi, animam contemplantis et sapientis ducunt in Deum æternum, pro eo quod illius primi Principii potentissimi, sapientissimi, optimi; illius æternæ originis, lucis et plenitudinis; illius, inquam, Artis efficientis, exemplantis et ordinantis, sunt umbræ, resonantiæ et picturæ; sunt vestigia, simulacra et spectacula, nobis ad contuendum Deum proposita, et signa divinitus data. Quæ, inquam, sunt sicut exemplaria, vel potius exempla, proposita mentibus adhuc rudibus et sensibilibus, ut per sensibilia, quæ vident, transferantur ad intelligibilia, quæ non vident, tanquam per signa ad signata. — Significant autem hujusmodi creaturæ hujus mundi sensibilis invisibilia Dei, partim quia Deus est omnis creaturæ Origo, Exemplar et Finis, et omnis effectus est signum causæ, et exemplatum exemplaris, et via finis ad quem ducit; partim ex propria repræsentatione, partim ex prophetica præfiguratione, partim ex angelica operatione, et partim ex superaddita institutione. Omnis enim creatura, ex natura, est illius æternæ Sapientiæ quædam effigies et similitudo; sed specialiter illa quæ in libro Scripturæ per spiritum prophetiæ assumpta est ad spiritualium præfigurationem; specialius autem illæ creaturæ, in quarum effigie Deus angelico ministerio voluit apparere; specialissime vero ea, quam voluit ad signandum instituere, quæ tenet non solum rationem signi secundum nomen commune, verum etiam Sacramenti. »

Ex Capite III.

De speculatione Dei per suam imaginem, naturalibus potentiis insignitam.

820. — « Quoniam autem duo gradus prædicti, ducendo nos in Deum per *vestigia* sua, per quæ in cunctis creaturis elucet, manduxerunt nos usque ad hoc, ut ad nos reintraremus, in mentem scilicet nostram, in qua divina relucet *imago;* hinc est, quod jam tertio loco, ad nosmetipsos intrantes, et quasi atrium forinsecus relinquentes, in sanctis, scilicet anteriori parte tabernaculi, conari debemus *per speculum* videre Deum, ubi ad modum candelabri relucet

lux veritatis in facie nostræ mentis, in qua scilicet resplendet imago beatissimæ Trinitatis. »

« Intra igitur ad te, et vide quoniam mens tua amat ferventissime semetipsam; nec se posset amare, nisi se nosceret; nec se nosceret nisi sui meminisset, quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit præsens apud nostram memoriam. Et ex hoc advertis, animam tuam triplicem habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis. Considera igitur harum trium potentiarum operationes et habitudines, et videre poteris Deum per te, tanquam per imaginem, quod est videre per speculum in ænigmate (1. Cor. 13, v. 12). »

Ex Capite IV.

De speculatione Dei in sua imagine donis gratuitis reformata.

821. — « Sed quoniam non solum *per nos* transeundo, verum etiam *in nobis* contingit contemplari primum Principium, et hoc majus est quam præcedens; ideo hic modus considerandi quartum obtinet contemplationis gradum. Mirum autem videtur, cum ostensum sit quod Deus ita propinquus sit mentibus nostris, quod tam paucorum est in seipsis primum Principium speculari. Sed ratio est in promptu, quia mens humana, sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam; phantasmatibus obnubilata, non redit ad se per intelligentiam; concupiscentiis illecta, nequaquam revertitur ad seipsam per desiderium suavitatis internæ et lætitiæ spiritualis. Ideo totaliter in his sensibilibus jacens, non potest ad se, tanquam ad Dei imaginem, reintrare. »

« Et quoniam ubi quis ceciderit, necesse habet ibidem accumbere, nisi apponat quis et adjiciat ut resurgat, non potuit anima nostra perfecte ab his sensibilibus relevari ad contuitum sui et æternæ Veritatis in seipsa, nisi Veritas, assumpta forma humana in Christo, fieret sibi scala reparans priorem scalam, quæ fracta fuerat in Adam. Unde quantumcumque sit illuminatus quis lumine naturæ et scientiæ acquisitæ, non potest intrare in se, ut in seipso delectetur in Domino, nisi mediante Christo, qui dicit: *Ego sum ostium. Per me, si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* (Joan. 10, v. 9). Ad hoc autem ostium non appropinquamus, nisi in ipsum credamus, speremus et amemus. Necesse est igitur, si intrare volumus ad fruitionem Veritatis, tanquam ad paradisum, quod ingrediamur per fidem, spem et charitatem Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, qui est tanquam lignum vitæ in medio paradisi. »

« Supervestienda est igitur imago mentis nostræ tribus virtutibus theologicis, quibus anima purificatur, illuminatur et perficitur; et sic imago reformatur, reficitur et conformis supernæ Hierusalem efficitur, et pars Ecclesiæ militantis, quæ est proles, secundum Apostolum, Hierusalem cœlestis... »

Ex Capite V.

De speculatione divinæ Unitatis per ejus nomen primarium, quod est Esse.

822. — « Quoniam autem contingit contemplari Deum, non solum *extra* nos et *intra* nos, verum etiam *supra* nos: extra nos *per vestigium;* intra nos *per imaginem;* et supra nos *per lumen,* quod est signatum super mentem nostram, quod est lumen Veritatis æternæ, cum ipsa mens nostra immediate ab ipsa Veritate formetur: qui exercitati sunt in primo modo, intraverunt jam *in atrium* ante tabernaculum; qui vero in secundo intraverunt *in Sancta;* qui autem in tertio, intravit cum summo Pontifice *in Sancta sanctorum,* ubi super arcam sunt Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. Per quæ intelligimus duos modos, seu gradus contemplandi Dei invisibilia et æterna, quorum unus versatur circa *Dei essentialia,* alius vero circa *propria personarum.* »

Primus modus primo et principaliter defigit aspectum in ipsum Esse, dicens quod *qui Est,* est primum nomen Dei unius. Secundus modus defigit aspectum in ipsum *Bonum,* dicens hoc esse primum nomen Dei trini. Primum spectat potissime ad vetus Testamentum, quod maxime prædicat divinæ Essentiæ unitatem; unde dictum est Moysi: *Ego sum qui sum.* (Exod. 3, v. 14). Secundum, ad novum, quod determinat personarum pluralitatem, baptizando *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* (Matth. 28, v. 19)... »

« Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad Essentiæ unitatem, primum defigat aspectum in ipsum *Esse*... »

« Quia summe Unum, ideo est omnis multitudinis universale Principium, ac per hoc ipsum est universalis omnium Causa efficiens, exemplaris et terminans, sicut causa essendi, ratio intelligendi et norma vivendi. Est igitur Omnimodum, non sicut omnium Essentia, sed sicut cunctarum essentiarum superexcellentissima, et universalissima, et sufficientissima Causa. Cujus virtus, quia summe unita in Essentia, ideo summe infinitissima, et multiplicissima in efficacia. »

« Rursus revertentes dicamus: quia igitur Esse purissimum et absolutum, quod est simpliciter Esse, est primarium et novissimum, ideo est

omnium Origo, et Finis consummans. Quia æternum et præsentissimum, ideo omnes durationes ambit et intrat, quasi simul existens centrum et circumferentia. Quia simplicissimum et maximum, ideo totum intra omnia, et totum extra omnia, ac per hoc est sphæra intelligibilis, cujus centrum est ubique et circumferentia nusquam. Quia actualissimum et immutabilissimum, ideo stabile manens, moveri dat universa. Quia perfectissimum et immensum, ideo est intra omnia, non exclusum; supra omnia, non elatum; infra omnia, non prostratum. Quia vero est summe unum et omnimodum, ideo est omnia in omnibus, quamvis omnia sint multa, et Ipsum non sit nisi unum; et hoc quia per simplicissimam Unitatem, serenissimam Veritatem, et sincerissimam Bonitatem, est in eo omnis virtuositas, omnis exemplaritas, et omnis communicabilitas, ac per hoc *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. 11, v. 36). Et hoc quia omnipotens, omnisciens, et omnimode Bonum, quod perfecte videre est esse beatum, sicut dictum est Moysi: *Ego ostendam tibi omne Bonum* (Exod. 33, v. 19). »

Ex Capite VI.

De speculatione beatissimæ Trinitatis in ejus nomine, quod est Bonum.

823. — « Post considerationem *essentialium*, elevandus est oculus intelligentiæ ad contuitionem beatissimæ *Trinitatis*, ut alter Cherub juxta alterum statuatur. Sicut autem visionis essentialium, ipsum *Esse* est principium radicale, et nomen per quod cætera innotescunt; sic contemplationis emanationum, ipsum *Bonum* est principalissimum fundamentum... Nam bonum dicitur diffusivum sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et hypostatica, naturalis et voluntaria, liberalis et necessaria, indeficiens et perfecta... »

« Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem Bonitatis, quæ est Actus purus Principii charitative diligentis amore gratuito, et ut debito, et ex utroque permixto; quæ est diffusio plenissima per modum Naturæ et Voluntatis; quæ est diffusio per modum Verbi, in quo omnia dicuntur, et per modum Doni, in quo cætera dona donantur, potes videre, propter summam boni communicabilitatem, necesse esse Trinitatem Patris, et Filii et Spiritus sancti... »

Hæc necessitas non intelligenda est de *necessitate absoluta et demonstrativa*, sed de magna *convenientia*, et supponendo SS. Trinitatis cognitionem per fidem, sicut docet S. Thomas in 1. q. 32, art. 1, ad 2[m].

Ex Capite VII.

De excessu mentali et mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte.

824. — « His igitur sex considerationibus excursis, tanquam sex gradibus throni veri Salomonis, quibus pervenitur ad pacem, ubi verus Pacificus in mente pacifica, tanquam in interiori Hierosolyma, requiescit; tanquam etiam sex alis primis, in quibus mens exercitari habet, ut tandem perveniat ad Sabbatismum quietis; postquam mens nostra contuita est Deum *extra* se per vestigia, et in vestigiis; *intra se* per imaginem, et in imagine; *supra se* per divinæ lucis similitudinem, super nos relucentem, et in ipsa luce, secundum quod possibile est secundum statum viæ, et exercitium mentis nostræ; cum tandem in sexto gradu ad hoc pervenerit, ut speculetur in Principio primo et summo, et Mediatore Dei et hominum Jesu Christo, ea quorum similia in creaturis nullatenus reperiri possunt, et quæ omnem perspicacitatem humani intellectus excedunt; restat ut hæc speculando transcendat, et transeat non solum mundum istum sensibilem, verum etiam semetipsam; in quo transitu Christus est via et ostium, Christus est scala et vehiculum, tanquam propitiatorium super arcam Dei collocatum, et sacramentum a sæculis absconditum... »

« In hoc autem transitu, si sit perfectus, oportet quod relinquantur omnes intellectuales operationes, et apex affectus totus transferatur et transformetur in Deum. Hoc autem est mysticum et secretissimum, quod nemo novit, nisi qui accipit; nec accipit nisi, qui desiderat; nec desiderat nisi, quem ignis Spiritus sancti medullitus inflammat, quem Christus misit in terram. Et ideo dicit Apostolus hanc mysticam sapientiam esse per Spiritum sanctum revelatam. Quoniam igitur ad hoc nihil potest natura, modicum potest industria; parum est dandum inquisitioni, et multum unctioni; parum dandum est linguæ, et plurimum internæ lætitiæ; parum dandum est verbo et scripto, et totum Dei dono, scilicet Spiritui sancto; parum aut nihil dandum est creaturæ, et totum creatrici Essentiæ, Patri, et Filio, et Spiritui Sancto... »

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN OPERE DE ILLUMINATIONIBUS ECCLESIÆ.

825. — **Prænotanda.** *Illuminationes Ecclesiæ in Hexæmeron* sunt viginti tres Sermones

describentes sex visiones, quibus intellectualiter perficitur minor mundus, sive homo viator, usquedum perveniat ad septimam atque beatificam visionem in cœlo habendam. Hæc minoris mundi perfectio analoga est majoris mundi perfectioni, quæ sex diebus completa est, quibus expletis, divinus Artifex requievit septima die. Propter hanc analogiam, doctor seraphicus sermonibus illis præfixit titulum: *Illuminationes Ecclesiæ in Hexæmeron.*

In tribus primis sermonibus, indicat quibus debet sermonem depromere, unde incipere, ubi terminare. In cæteris viginti sermonibus, verba Genesis quavis die productionis mundi repetita: *Vidit Deus quod esset bonum*, mystice exponit, ad explicandas visiones quæ hominem spiritualiter perficiunt, et ab ipso S. Bonaventura sic enumerantur. « Fit visio sex modis, qui respondent operibus sex dierum, quibus perficitur minor mundus, sicut major mundus perfectus est. 1ª est visio intelligentiæ per naturam inditæ; 2ª est visio intelligentiæ per fidem elevatæ; hæ sunt multorum. — 3ª Est visio intelligentiæ per Scripturam eruditæ; 4ª est visio intelligentiæ per contemplationem suspensæ; hæ sunt paucorum. — 5ª Est visio intelligentiæ per prophetiam illustratæ; 6ª est visio intelligentiæ per raptum in Deum absorptæ; hæ sunt paucissimorum. Ad has sequitur visio animæ beatificatæ. Quas omnes habuit Paulus. » (Serm. 3, T. 9, p. 48).

Sanctus Auctor *primam* visionem explicat in Serm. 4-7; *secundam* in Serm. 8-12; *tertiam* in Serm. 13-19; *quartam* in Serm. 20-23. Sed morte correptus, propositam sibi materiam absolvere non potuit, ut legitur in additionibus ad *Illuminationes* exaratis a quodam doctoris seraphici discipulo, qui loquentis magistri verba, illo conscio, scripto consignavit, quemadmodum ipse testatur. Itaque in Sermonum decursu addit: *dicit*, *dicebat*, tanquam S. Bonaventuræ verba referens.

Quædam transcribemus ex tribus ultimis Sermonibus, scilicet ex Serm. 21-23, in quibus S. Bonaventura seraphice agit de divina Trinitate, Archetypo hierarchiæ angelicæ, ecclesiasticæ, psychologicæ, et de triplicis hujus hierarchiæ analogia.

Ipsum loquentem audiamus: « *Fecit Deus duo magna luminaria, etc.* Dictum est, quod cœlestis contemplatio consistit: 1°) in luculenta consideratione cœlestis Monarchiæ; 2°) in luculenta consideratione militantis Ecclesiæ; 3°) in consideratione luculenta mentis humanæ hierarchizatæ, sive hierarchice ordinatæ. Prima intelligitur per solem, secunda per lunam, tertia per stellas. »

1°) Deus igitur unus et trinus, est supremus Hierarcha atque omnis hierarchiæ, tam cœlestis quam terrestris, Archetypum et Lux; itaque soli comparatur a seraphico doctore. 2°) Deus illuminat immediate ac sibi assimilat cœlestem hierarchiam, quæ primos divini solis radios accipit. (Serm. 21). 3°) Ecclesiæ militantis hierarchia, quæ ab hierarchia cœlesti illuminatur eique assimilatur, comparatur *lunæ*, suum lumen a sole mutuanti. (Serm. 22). 4°) Potentiæ animæ humanæ hierarchice ad Deum ordinatæ, eique assimilatæ, ad instar cœlestis hierarchiæ, *stellis* comparantur, propter multitudinem et varietatem luminum ab ea acceptorum. (Serm. 22 et 23).

In præsenti Articulo, S. Bonaventuram sequentes, procedemus *synthetice*, seu descendendo a divino Exemplari ad exemplata collective et singulariter considerata; dum e contrario in præcedenti Articulo processimus *analytice*, seu ascendendo ab exemplatis ad supremum Exemplar.

§ I.

De Deo, uno et trino, supremo omnis hierarchiæ Archetypo.

Divina Trinitas est omnis hierarchiæ Exemplar sub triplici respectu: 1° inquantum soli comparatur; 2°) inquantum est prima Causa omnia producens, gubernans et consummans; 3°) inquantum est summus Monarcha.

I.

De divina Trinitate, inquantum est Sol supremus omnem hierarchiam illuminans.

826. — « Primo dicendum de sole. Sol æternus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: Pater scilicet summe vigens; Filius summe fulgens; Spiritus sanctus, summe calens. Pater lux ingentissima; Filius, splendor pulcherrimus et fulgentissimus; Spiritus sanctus, amor ardentissimus. »

« Sicut iste sol omnia vivificat, cuncta illustrat, cuncta calefacit; et sicut ista tria: vigor, splendor, calor sunt unus sol, et tamen habent distinctionem, nec sunt tres soles; sic Pater, Filius, Spiritus sanctus sunt unus Deus. »

« Et sicut vigor est splendens et calens in isto sole visibili, splendor est vigens et calens, calor vigens et splendens; sic Pater est in scipso, et in Filio, et in Spiritu sancto; et Filius est in Patre, et in se, et in Spiritu sancto; et Spiritus sanctus est in Patre, et in Filio, et in

seipso, secundum rationem circuminsessionis, quæ notat identitatem cum distinctione. »

« In hac consideratione *(quæ proxime præcessit)* est quædam ratio exemplaritatis divinæ, respectu omnium illuminationum. — Sed quædam illuminatio respondet *Patri*, secundum quod est in seipso; et alia ut est in Filio; et alia ut est in Spiritu sancto. Et alia est *Filii*, ut est in seipso; et alia ut est in Patre; et alia ut est in Spiritu sancto. Et alia est *Spiritus Sancti*, ut est in se; et alia, ut est in Patre; et alia, ut est in Filio. Et secundum hunc numerum novenarium, habent illuminationes esse. — Hæ illuminationes habent esse dupliciter: primo, accipiendo absolute personas in seipsis, ut Pater in se; Filius in se; Spiritus sanctus in se; et sic sunt tres illuminationes. Secundo modo, sunt sex in comparatione personarum ad invicem; propter quod sexies in Genesi dicitur: *dixit Deus: Fiat, et factum est*, in operibus sex dierum. — Intelligendum ergo, quod in Deo, trino et uno, fiunt appropriationes proprietatum essentialium secundum hunc numerum novenarium.

II.

De divina Trinitate inquantum est prima Causa omnia producens, gubernans et consummans.

827. — « Quædam respiciunt Trinitatem ut originans Principium; quædam ut gubernans Medium; quædam ut finale Complementum, ut beatificans omnia scilicet beatificalia. Unde Trinitas est Sol universorum, Principium *originativum, gubernativum, consummativum*, vel beatificativum. »

1°) Secundum quod est origo originans, sic sunt tria appropriata, scilicet Potentia, Sapientia, Voluntas. Hæc tria sunt necessaria Principio originanti: sapientia enim et bonitas fundantur in aliqua potentia. Si enim potentiam non haberet, nihil posset producere. Si haberet potentiam, et sapientiam non haberet, non produceret sapienter, quia potentia sine sapientia præceps est. Item, si haberet potentiam et sapientiam et nollet, tunc aut nihil produceret, aut invidus esset, et sic esset miser; et sic patet quod voluntas reducit Principium in actum. Et quia in his etiam est ratio principiationis æternæ, ideo appropriantur hæc tria ipsis, non solum ut Principium originans aliarum, sed etiam respectu personarum.

2°) Secunda appropriatio est solis æterni, secundum quod est medium cuncta gubernans.

Et secundum hoc, sunt tria appropriata, scilicet Pietas, Veritas, Sanctitas; quia omnis gubernatio et omnis legislatio est pia, vera, sancta, dicente Apostolo: *Itaque lex sancta et mandatum sanctum, et justum et bonum.* (Rom. 7, v. 12). Ab his enim tribus manant tres leges, nec possunt esse plures, scilicet naturæ, Scripturæ, et gratiæ. Lex naturæ appropriatur Patri; lex scripta, Verbo; lex gratiæ, Spiritui sancto. »

« *Lex naturalis* est lex pietatis. Pietas videtur inesse omni creaturæ naturâ, etiam insensibili. Radix enim totum, quidquid recipit, mittit ad ramos; fons, quidquid haurit, mittit ad rivulos. Similiter in bestiis, pietas videtur esse patris ad prolem, et quidquid gustant et sumunt præter necessarium, et etiam de necessario in lac convertunt, et in nutrimentum prolis. — *Lex Scripturæ* est lex veritatis, quia est in quadam veræ promissionis pronunciatione. — Lex sanctitatis est *gratiæ: Lex Spiritus liberavit me.* (Rom. 8, 22). »

« Per hæc tria, Deus Trinitas, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, est pius, verus, sanctus; dans legem piam naturæ, legem veram Scripturæ, legem sanctam gratiæ. — Per has tres gubernat mundum, et secundum hæc tria, imprimit leges in mente rationali. Omnis enim moralis lex est secundum hæc tria, sive secundum has tres. Sed in lege naturæ sunt minus distinctæ et explicitæ; in lege scripta magis explicitæ et perfectæ; unde dicit Dominus: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* (Matth. 5, v. 17). — Et secundum hæc tria, Deus est pius cultor sui, verus professor sui, sanctus amator sui; et quælibet persona habet se ad se pie, vere, sancte, et ad alteram; ut Pater pie ad se, pie ad Filium, pie ad Spiritum sanctum; similiter vere, et sancte, et sic de aliis.... »

3°) Tertia appropriatio convenit Deo, ut est in ratione beatificantis.

Et secundum hæc, sunt tria, scilicet Æternitas, Formositas, Jucunditas. Æternitas in Patre, formositas in prole, jucunditas in nexu utriusque, secundum appropriatonem Hilarii: « Æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere. « Anima igitur efficitur beata, dum fit particeps æternitatis, quando in memoria Deum habet per tentionem; formositatis per visionem; jucunditatis per fruitionem. »

« Hæc appropriata respiciunt Deum, non solum in se, sed ut est Principium, et origo originans, gubernans, beatificans. »

III.

De divina Trinitate inquantum est summus Monarcha.

828. — « Ex primis luminibus æternitatis, secundum quod est in seipsa et ad alias per-

sonas, accipiuntur novem considerationes, quæ sunt in primo Monarcha et in nullo alio inveniuntur omnes. Iste ergo, qui est summe vigens, summe fulgens, summe calens, iste solus est Princeps æternitatis, qui est Principium in producendo, Medium in gubernando, Finis in beatificando, *in omnibus primatum tenens* (Coloss. 1. v. 18). »

« Ad hoc autem, quod sit verus Monarcha, debet esse summa celsitudine *pollens*, summa fortitudine *præsidens*, summa dulcedine *pascens*. Primum Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto. Summa enim celsitudine pollet Pater in se; summa celsitudine pollet in Filio; similiter in Spiritu sancto. Idem de fortitudine et summa dulcedine. Habemus ergo Monarcham summe pollentem, sive præsidentem, et dulcissime pascentem. »

« Ad hoc autem quod sit summe *pollens*, necesse est ut sit summe sanctus, summe sapiens, et summe potens. — Ad hoc autem quod sit summa fortitudine *præsidens*, necesse est quod sit Monarcha summe authenticus in præcipiendo, prævalidus in prosequendo, invictus in triumphando..... Ad hoc autem quod sit summa dulcedine *pascens*, necesse est ut sit summe strenuus in ducendo, vel præeundo, vel manuducendo; summe sagax in erudiendo; summe sedulus in custodiendo.... »

Sanctus Doctor loquens de Dei fortitudine dicit: « Nobilitatis est quod Deus habeat hostes, ubi appareat victoriosus. »

§ II.

De cœlesti hierarchia secundum divinam Trinitatem exemplata.

I.

De cœlestis hierarchiæ ad divinam Trinitatem assimilatione in genere.

829. — I°) « Ad hunc Solem aspiciunt omnes spiritus cœlestes et subcœlestes. In his novem, creatura assimilatur, ut potest, Creatori. Et has illuminationes primo recipiunt mentes hierarchicæ per gloriam, ut angeli et animæ beatæ; quia ille Sol primo illuminat illos, et per illos nos; quia ordo est ut illustratio fiat primo eorum quæ sunt sibi similiora et propinquiora; unde et locus supremus datus est eis. Illi autem qui rebelles sunt, his luminibus corruunt. Et ex hoc, quod angeli primo recipiunt configurationem deiformem, et hierarchicam, et sacrum obtinent principatum, per illos hierarchizatur Ecclesia. »

« Est autem *hierarchia*, secundum Dionysium, ordo divinus, scientia et actio, ad Dei formam, quantum possibile est, assimilata, et ad inditas ei illuminationes, proportionaliter in Dei similitudinem ascendens. »

« *Ordo* respondet Patri, *scientia sacra* Filio, *operatio* Spiritui sancto. Unde hierarchia dicit potentiam, scientiam, actionem. Potentia enim sine scientia hebes est; scientia sine actione infructuosa est. »

« Ex hoc enim quod appropinquat Soli æterno, oportet quod sit sacra ordinatio. Et per hoc sequitur quod sit deiformis, quia *(Deus)* format *(imitatur)* Eum in sui creaturam, partim per *naturam*, partim per *gratiam*, partim per *gloriam;* per imaginem, per similitudinem, per deiformitatem; et ideo ascendit ad inditas illuminationes, ascendens per influentiam. »

« Hæc autem influentia non est simpliciter quid increatum; nec ex hoc sequitur, quod influentiæ sit influentia, quia hæc influentia reducitur ad Deum. Dicit enim continuationem cum primo Principio, et reductionem in ipsum, non sicut res distans. Unde vera est influentia quæ egreditur et regreditur, ut Filius exivit a Patre et venit in mundum (Joan. 16, v. 28). Unde dicit *(S. Dionysius)* quod est assimilata in sacra ordinatione, scientia et actione, per hoc quod est ad Dei formam, quantum possibile est, ascendens partim per naturam imaginis; partim per naturam *(vel potius per modum)* similitudinis, scilicet gratiæ; partim per naturam deiformitatis gloriæ. Et proportionaliter, quia secundum plus et secundum minus, ut capax est, et est in similitudinem reducta. »

2°) « Et ex hoc hierarchia disponitur per *tres hierarchias*, ut tripliciter illustrata. Et necesse est, quod quælibet habeat *tres ordines*. Et prima hierarchia appropriatur Patri; secunda, Filio; tertia, Spiritui sancto... ex ratione exemplaritatis æterna. »

« In prima hierarchia sunt nomina ista: Throni, Cherubim, Seraphim; in secunda: Dominationes, Virtutes, Potestates; in tertia: Principatus, Archangeli, Angeli. »

II.

De angelicarum hierarchiarum ad divinam Trinitatem assimilatione in specie.

830. — Scilicet inquantum divina Trinitas est Sol supremus; suprema Causa producens, gubernans, atque consummans; et supremus Monarcha. Sequentia verba notare sufficit: 1°) « Et

distinguuntur *(tres hierarchiæ angelicæ)* secundum Exemplar æternum, quod est vigens, fulgens, calens... »

2°) « Secundum autem quod primum Principium se habet in ratione originantis, gubernantis, beatificantis, sic est concordantia hierarchiarum... Oportet ergo quod hierarchia, secundum quod est reducta in Deum, habeat expressam similitudinem Ejus, quam unus non potuit explicare. »

3°) « Tertia consideratio est secundum illud Principium, quod tenet principium monarchiæ. Ille enim Monarcha est summa celsitudine pollens, quia summe sapiens in discernendo vera, summe sanctus in diligendo bona, summe stabilis in exsequendo justa. Seraphim respondent summæ sanctitati... »

§ III.

De militantis Ecclesiæ hierarchia, secundum divinam Trinitatem et cœlestem hierarchiam exemplata.

831. — « Sicut luna est filia solis, et recipit lumen ab eo, similiter militans Ecclesia a superna Hierusalem. Unde dicit eam Apostolus (Galat. 4, v. 26) matrem nostram, quia est mater influentiarum, quibus efficimur filii Dei. Cœlestis hierarchia est illustrativa militantis Ecclesiæ. Oportet ergo quod Ecclesia militans habeat ordines correspondentes hierarchiæ illustranti. Distinguuntur autem tripliciter: 1°) secundum rationem processuum; 2°) secundum rationem ascensuum; 3°) secundum rationem exercitiorum.

I.

De Ecclesiæ hierarchia secundum rationem processuum.

832. — « Primo ergo secundum rationem processuum, quia in tempore nascitur et procedit, non sicut angeli, qui subito creati sunt et simul formati. Sicut enim luna plus et plus recipit lumen a sole, quousque veniat ad complementum, sic Ecclesia. Habet ergo tres ordines, scilicet: 1°) fundamentales, qui respondent supremæ hierarchiæ; 2°) promoventes, qui respondent mediæ; 2°) consummantes, qui respondent infimæ. »

« Fundamentales ergo respondent supremæ, quia in spiritualibus fundamenta sunt altissima. In corporalibus vero, quia res descendunt ad infimum, ideo fundamentum est infimum. Sed in spiritualibus fundamentum est supremum; unde et homo habet caput erectum ad cœlum, quod *(caput)* est sicut radix;... Christus autem, qui est Caput, habet locum supremum in hierarchia. »

« Sunt ergo tres ordines: *fundamentales*, respondentes Patri; *promoventes*, Filio; *consummantes*, Spiritui sancto.

1°) De fundamentalibus Ecclesiæ ordinibus.

« Sunt ergo in Ecclesia tres ordines fundamentales, scilicet ordo *patriarchalis, prophetalis, apostolicus*... — Ordo patriarchalis respondet Patri, ut est in seipso; prophetalis respondet Patri, ut est in Verbo; apostolicus respondet Patri, ut est in Spiritu sancto... — Ordo patriarchalis respondet Thronis; ordo prophetalis respondet Cherubim; ordo apostolicus, Seraphim. In patriarchis fuit stabilitas fidei; in prophetis limpiditas cognitionis; in apostolis, fervor charitatis... »

2°) De promoventibus Ecclesiæ ordinibus.

« Sunt autem tres ordines promotivi, per quos Ecclesia stabilitur in ordinibus *Martyrum, Virginum* et *Confessorum*. — Ordo Martyrum respondet Filio, ut est in Patre, quia in martyribus fuit maxima potentia; ordo Confessorum respondet Filio ut est in semetipso, scilicet ratione doctrinæ; ordo Virginum respondet Filio ut est in Spiritu sancto... — Martyres respondent Dominationibus; Confessores Virtutibus; Virgines, Potestatibus, ubi removetur omnis deordinatio... »

3°) De consummantibus Ecclesiæ ordinibus.

« Tertio est ordo consummantium, et sunt tres, scilicet *Præsidentium, Magistratuum, Regulantium*... — Ordo Præsidentium respondet Spiritui sancto, ut est in Patre; ordo Magistratuum respondet eidem, ut est in Filio; ordo Regulantium respondet eidem, ut est in seipso... — Sunt ergo in Ecclesia, præsidentes et subditi; docentes et disciplinati; regulantes et regulati. Et intelligo per Magistros, docentes vel Philosophiam, vel Jus, vel Theologiam, vel artem quamcumque bonam, per quam promoveatur Ecclesia. Per ordinem Præsidentium intelliguntur Prælati, cujuscumque auctoritatis. Per ordinem Regulantium et regulatorum comprehenditur vita monastica... — Ordo Præsidentium respondet Principatibus; ordo Magistratuum respondet Archangelis; ordo Regulantium, Angelis... »

II.

De Ecclesiæ hierarchia secundum rationem ascensuum seu graduum.

833. — « Oportet autem eam ordinari tribus ordinibus lapidum. Sunt autem gradus *purgativi, illuminativi, perfectivi.* »

1°) De purgativis Ecclesiæ Ordinibus.

« Purgatio autem triplex est: purgatur homo a consortio fœdorum, a nubilo ignorantiarum, ab infestatione dæmonum. His respondet Ordo Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum... Ordo primus respondet Angelis; secundus Archangelis; tertius Principatibus. »

2°) De illuminativis Ecclesiæ Ordinibus.

« Item est ordo graduum ad illuminandum per Ordinem Acolythorum, Subdiaconorum, Levitarum (nempe Diaconorum). Acolythorum est ferre lumina; Subdiaconorum, legere Epistolam; Diaconorum, legere Evangelium... — Ordo Acolythorum respondet Potestatibus; Ordo Subdiaconorum, Virtutibus; Ordo Diaconorum, Dominationibus. »

3°) De perfectivis Ecclesiæ Ordinibus.

« Est autem ordo perfectivus; et ille est triplex: *sacerdotalis*, *episcopalis* et *patriarchalis*. Consummatio enim est secundum triplicem modum. »

« Una *(sacerdotalis)* est in administratione communi Sacramentorum, sine quibus non est salus, ut Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Unctionis extremæ... — Secunda *(episcopalis)* est in administratione Sacramentorum privilegiatorum, ut sacri Ordinis, et Confirmationis. Hæc est non aliorum, sed Episcoporum, qui sunt Sacerdotibus perfectiores; ideo in ipsis debet esse altior perfectio ad dandum Spiritum sanctum, qui nonnisi per Apostolos dabatur; ideo etiam locum tenent Apostolorum; super Apostolos autem est Christus, et post Petrus. Oportet ergo esse Patrem patrum, quem nos *Papam* vocamus. — Qui tamen propter humilitatem quatuor habet *Patriarchas:* Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, Antiochenum... Ideo, quia etsi aliæ quatuor sedes plenam auctoritatem habent super ecclesias partiales, sola tamen Roma universaliter, sicut sol super planetas, habet plenitudinem potestatis super omnes. »

« Et secundum hoc, sunt tres Ordines... Primus respondet Thronis; secundus, Cherubim; tertius, Seraphim... Papa autem debet esse perfectissimus super omnes... »

III.

De Ecclesiæ hierarchia secundum rationem exercitiorum.

834. — 1°) De tribus exercitiorum generibus.

« Sunt tria, scilicet *actuosum*, *otiosum*, et *ex utroque permixtum;* via activa, vita contemplativa, et ex utraque permixta. Et licet ordo Prælatorum, secundum ordinem ascensuum, ponatur in summo; tamen, secundum istum processum, ponitur in medio, ex quo permixtus. Est ergo ordo activorum in infimo; ordo Prælatorum *(mixtus)* in medio; ordo contemplativorum, in summo. »

« Ordo activorum respondet Patri, cui competit productio; ordo Prælatorum, Filio; ordo contemplativorum, Spiritui sancto. Quia in Ecclesia sunt tres ordines, scilicet *Monasticus*, qui est productus tantum; *Laicus*, qui est producens tantum; *Clericalis* qui est productus et producens: nam ex laico fit clericus, et non e converso, si jam habet Ordinem sacrum, nec alio modo fieri debet... »

2°) De activo ordine Laicorum.

» In ordine Laicorum est triplex ordo, scilicet sacrarum *plebium*, sacrorum *consulum*, sacrorum *principum*... Boni principes habent bonos consiliarios; et boni consules habent bonas plebes, quia erudiunt illos. E contra, mali principes habent malos consiliarios; et per consequens, male instruunt plebes. Malæ plebes eligunt malos principes. — Primus ordo, scilicet plebium, respondet Angelis; ordo consulum, Archangelis; ordo principum, Principatibus... »

3°) De mixto ordine Clericorum.

« Secundus ordo clericalis, activus et contemplativus, qui populum pascere debet, et contemplari, ut sit medium inter Deum et plebem... Et hi sunt tres ordines: *ministerialis*, scilicet, *sacerdotalis*, *pontificalis*. Ad hoc reducuntur omnes, quia omnes aut sunt ministrantes, et sunt primi sex *(ordines);* aut sunt sanctificantes per verba; aut sunt regentes per eminentiam. — Primus ordo, scilicet ministerialis, respondet Potestatibus; ordo sacerdotalis respondet Virtutibus; ordo pontificalis respondet Dominationibus. Ille enim ordo habet jubere, in quo est efficacia et virtus. »

4°) De contemplativo ordine Monachorum.

« In ordine contemplativorum sunt tres ordines respondentes supremæ Hierarchiæ; quorum est divinis vacare tripliciter: quidam per modum *supplicatorium;* quidam per modum *speculativum;* quidam per modum *sursumactivum*. — Primo modo sunt illi qui se totos dedicant orationi, et devotioni, et divinæ laudi; nisi aliquando, quando intendunt operi manuali, seu labori, ad sustentationem suam et aliorum... Huic respondent Throni. — Secundi sunt illi, qui intendunt per modum speculatorium, ut illi qui vacant speculationi Scripturæ, quæ non intelligitur nisi ab animabus mundis... Huic respondent Cherubim. — Tertius ordo est vacantium Deo per modum sursumactivum, scilicet excedentium... Iste est ordo Seraphicus... »

« Sic ergo distinguuntur illi ordines secundum majorem et minorem perfectionem, comparati *secundum status*, non *secundum personas*, quia una persona laica aliquando perfectior est quam religiosa. »

§ IV.

De anima, secundum SS. Trinitatem atque cœlestem hierarchiam exemplata, et hierarchice ordinata.

« Sequitur de luce *stellari*, per quam anima hierarchizata intelligitur. Necesse est enim, ut anima quæ est hierarchizata habeat tres *(gradus)* correspondentes supernæ Hierarchiæ. Grandis res est anima, quia in ea potest describi totus orbis. Pulchra dicitur sicut Hierusalem, quia assimilavit Hierusalem per dispositionem graduum hierarchicorum. Disponuntur autem in anima gradus tripliciter: secundum *ascensum*, secundum *descensum*, et secundum *regressum* in Deum, ut lex divina; et tunc anima videt angelos Dei ascendentes et descendentes per scalam, ut vidit Jacob in vita sua. »

I.

De hierarchia animæ secundum ascensum in Deum.

835. — « Abbas Vercellensis assignavit tres gradus, scilicet naturæ, industriæ et gratiæ. Sed non videtur quod aliquo modo per naturam *(solam)* anima possit hierarchizari. Ideo nos debemus attribuere 1°) industriæ cum natura; 2°) industriæ cum gratia; 3°) et gratiæ super naturam et industriam. »

1°) De animæ ascensu per industriam naturalem.

« Tres autem sunt gradus industriæ cum natura, sive actus, scilicet *nuntiatio*, *dictatio*, *ductio*. Nuntiatio repondet Angelis; dictatio, Archangelis; ductio, Principatibus. »

« Industria enim primo percipit, quod quilibet *sensus nuntiat*. Visus et auditus multa nuntiaverunt, sed auditus plura, ut illa quæ Romæ fiunt. Gustus, odoratus et tactus non vadunt longe, et ideo tardi sunt. »

« Deinde necessaria est deliberatio *(rationis)* quæ est *dictatio* utrum liceat, et si liceat utrum deceat; et si deceat, utrum expediat. Nil enim expedit nisi liceat et deceat. »

« Deinde necessaria est *ductio*, ut prosequatur. Prosequi autem est assumere in facultatem *voluntatis*, et est Principatuum. Multi enim sunt Angeli et Archangeli, scilicet perspicientes et deliberantes quid expedit, sed non sunt prosequentes, ut Principatus. »

2°) De animæ ascensu per industriam supernaturalem.

« Secundus est gradus industriæ cum gratia. Et sunt tres actus: Primus, ut propter Deum fiat quod deliberatum est; unde prima *ordinatio* est in Deum, quæ est Potestatum, scilicet in finem ordinare, et quidquid deordinatum est removere. — Sed quia hoc est difficile, ideo necessaria est *roboratio*, quæ est Virtutum. — Et quia in finem ordinare est difficile, et roborare, ideo sequitur *imperatio* quæ est Dominationum. »

3°) De animæ ascensu per gratiam infusam.

« Tertia hierarchizatio est gratiæ super naturam et industriam, quando scilicet super se anima elevata est, et deserta, et suscipit divinas illuminationes, et supra se speculatur quod sibi datum est, ex hoc surgit in divina, sive sursum agitur. — Ista tria sunt: *susceptio*, *revelatio*, *unio*, ultra quam non procedit mens. Et in istis consistit Canticum canticorum totum, scilicet castis susceptionibus, castioribus speculationibus, castissimis unitionibus. Et hinc poterit dicere illud Cantici: *Osculetur me, osculo oris sui* (Cant. 1. v. 1). — Susceptio respondet Thronis; revelatio, Cherubim; unio, Seraphim. »

« Et hæc est hierarchia secundum ascensum. »

II.

De hierarchia animæ secundum descensum a Deo.

836. — « Item est hierarchia animæ secundum modum descendendi. Oportet enim ut unguentum capitis hierarchiæ cadat in barbam, in mediam hierarchiam, et in vestimenta, id est, in infimam. Hæc autem secundum virtutes animæ, quæ sunt tres, secundum Dionysium, scilicet *susceptivæ*, *custoditivæ*, *distributivæ*, ut copiose suscipiat, studiose custodiat, liberaliter refundat. Unde: *Gratis accepistis, gratis date* (Matth. 10. v. 8). »

1°) De animæ descensu per virtutes lumen gratiæ suscipientes.

« Tres sunt virtutes susceptivæ: in voluntate *vivacitas desiderii*, quæ respondet Seraphim; *intelligentiæ perspicacitas*, quæ respondet Cherubim; *judicii tranquillitas*, quæ respondet Thronis.

2°) De animæ descensu per virtutes lumen gratiæ custodientes.

« Tres sunt virtutes custoditivæ: *imperium voluntatis* jubentis quod scimus Deum velle; respondet Dominationibus; — *virilitas propositi*

exercitati, non obstantibus obstaculis; respondet Virtutibus; — *nobilitas triumphi* de obstaculis; respondet Potestatibus. »

3°) De animæ descensu per virtutes lumen gratiæ distribuentes.

« Tres sunt virtutes, distributivæ: *exempli charitas*, quæ respondet Principatibus; *doctrinæ veritas*, quæ respondet Archangelis; *obsequii humilitas*, quæ respondet Angelis. »

III.

De hierarchia animæ secundum regressum ad Deum, per potentiarum ejus ordinationem.

837. — 1°) Sensus ad Deum ordinantur tripliciter, nempe discreta creaturarum *perlustratione*, quæ respondet Angelis; discreta circa creaturas *deliberatione*, quæ respondet Archangelis; discreta et voluntaria actionis circa creaturas *prosecutione*, quæ respondet Principatibus. »

2°) « Passiones ad Deum ordinantur tripliciter, nempe discreta *castigatione* triplicis concupiscentiæ per tria consilia evangelica; respondet Potestatibus; —discreta *confortatione* contra triplicem infirmitatem ex concupiscentia ortam; scilicet contra negligentiam, impatentiam et diffidentiam, quæ respondet Virtutibus; — discreta *convocatione* quando anima omnibus passionibus suis ita dominatur, ut illas ad bonum faciendum convocat sicut famulas. Hoc fieri potest quando in appetitu concupiscibili domatur concupiscentia triplex, et in appetitu irascibili infirmitas triplex; quando insuper phantasia compescitur, et ratio passionibus non obfuscatur. Tunc superatur amens concupiscentia, furor irrationalis et phantasia proterva, quas diabolus in animas libenter excitat. Et hæc victoria respondet Dominationibus. »

3°) « Potentiæ intellectivæ ad Deum ordinantur tripliciter, nempe digna divinæ gratiæ *admissione*, seu susceptione, quæ respondet Thronis; digna gratiæ *inspectione*, sive consideratione, quæ respondet Cherubim; digna ad Deum *inductione* et cum illo unione, quæ respondet Seraphim. »

Conclusio totius Articuli.

838. — « Et sic est anima *mulier amicta sole, et luna sul pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim* (Apoc. 12. v. 1); qui est plena luminibus, et nunquam oculum avertit a lumine vero..... Habet enim duodecim novenarios: tres exemplares in Sole, tres exemplatos in cœlesti hierarchia, et tres sunt in subcœlesti *(terrestri)*, et tres in seipsa; quæ sunt duodecim illuminationes.... quasi duodecim stellæ, ... ita quod semper anima sit in lumine, quia si non potest stare in uno, stet in alio, et in ultima est quies, scilicet in ratione Exemplaris in patria. Hæc autem non sunt simul in via; sed in patria, uno aspectu videbuntur omnia. Sunt autem stellæ istæ duodecim considerationes, et habent ramos infinitos de quibus fieret liber magnus. »

« Si autem ducantur duodecim per duodecim, erunt centum quadraginta quatuor, numerus scilicet civitatis Hierusalem. Anima enim sic hierarchizata, est civitas in qua Deus habitat et videtur, de qua Joannes dicit: *Sustulit me in spiritu et vidi civitatem* (Apoc. 21, v. 10).... Ecclesia enim contemplativa *(sive triumphans in cœlo)* et anima non differunt, nisi quod anima totum habet in se, quod Ecclesia in multis. Quælibet enim anima contemplativa habet quamdam perfectionem, ut videat visiones Dei. Sustollitur autem ut videat Hierusalem tripliciter: in cœlo consistentem, de cœlo descendentem, ad cœlum conscendentem. Aliter non est anima contemplativa. » (Sermo 22, p. 146).

Hanc animæ contemplativæ assimilationem ad Ecclesiam triumphantem, et clare Deum contemplantem, prosequitur doctor seraphicus in Sermone 23, ubi terminat descriptionem visionis intelligentiæ per contemplationem suspensæ. Est quarta visio, quam S. Bonaventura in *Illuminationibus Ecclesiæ* explicat. Adhuc ei restabant duæ visiones describendæ, ut senarium numerum dierum creationis compleret; scilicet visio intelligentiæ per prophetiæ spiritum illustratæ, et visio intelligentiæ per raptum in Deum absorptæ. Sex illos dies spirituales sequetur septima dies, seu visio intelligentiæ in statu gloriæ consummatæ.

Sed doctor seraphicus obiit antequam Sermones suos absolveret, ita ut visionem beatificam, quam enarrare non potuit, feliciter adeptus est, anno Domini 1274, quo hic liber conscriptus est.

CAPUT IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN ALIIS DOCTORIBUS POSTERIORIBUS MEDII ÆVI.

Doctrina Exemplarismi, sicut vidimus, informat totam doctrinam S. Thomæ et S. Bonaventuræ, qui sunt duo præcipua lumina atque ornamenta scholæ dominicanæ et franciscanæ Splendet præterea divinus Exemplarismus in

aliis medii ævi doctoribus et auctoribus qui postea floruerunt, videlicet in Duns Scoto, Raymundo Lullo, Dante Aligherio, Gersone, S. Antonino, S. Laurentio Justiniano et Dionysio Carthusiano.

Splendet quoque in universali Vincentii Bellovacensis *Speculo*, cujus synopsim lectori præbebimus in Tomo III, Parte III, quando de scientiarum omnium Encyclopædia ex professo tractabimus.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN DUNS SCOTO.

839. — Cum fideles simus S. Thomæ discipuli, Scotum non sequimur, qui doctori angelico contradicere subtiliter, sed infeliciter studuit. Ut ille tamen docet Exemplarismum, licet ideas divinas intelligat alio modo, quem impugnamus in Tomo III, Parte II.

Loci a nobis citandi desumpti sunt ex Commentario in 4 libros Sententiarum, quod Scotus Parisiis composuit, post Commentarium in eosdem libros Oxonii scriptum. Itaque Parisiense Commentarium cognoscitur sub nomine *Questionum reportatarum seu repetitarum*. In editione Coloniensi 1635, quam in manibus habemus, adjunguntur scholia Hugonis Cavelli. Hæc ipsius Magistri textui præmittemus.

Referemus quid in hoc opere Doctor subtilis doceat: 1°) de Ideis divinis; 2°) de Trinitate creatrice in omnibus creaturis repræsentata.

§ I.

De Ideis divinis.

Scotus 1°) probat Deum distincte cognoscere alia a se; 2°) docet quid sint ideæ rerum a se aliarum, quas cognoscit Deus; 3°) asserit Deum habere ideam omnium aliorum a se, quæ cognoscit.

Juxta doctorem subtilem, ideæ sunt *res ipsæ* a divino Artifice *(objective)* intellectæ ut factibiles, dum juxta doctorem angelicum, ideæ sunt *Dei Essentia* ab ipso intellecta ut diversimode imitabilis atque imitanda in rebus.

I.

Deus distincte cognoscit alia a se.

« In 1. dist. 36, q. 1: « Utrum aliquid aliud a Deo sit in Intellectu ejus, ut objectum Intellectus sui. »

Scholium Cavelli.

« *Explicat duplici habitudine motionis et terminationis objecti ad potentiam; resolvit nihil aliud a Deo esse objectum motivum Intellectus divini, quia secus infinita Intellectio Dei dependeret a finito. Posita et explicata duplici terminatione objecti, primaria et secundaria, docet omne aliud a Deo, terminare secundario ejus Intellectum: 1°) quia neque ratione excellentiæ, neque defectus, quidquam effugere potest actum infiniti Intellectus; 2°) comprehendit Essentiam, ergo et omnia ad quæ se extendit Essentia; 3°) continens aliquid in esse reali, etiam in esse intelligibili continet.* »

Textus Scoti.

840. — « Ad primam quæstionem dico, quod objectum habet duplicem habitudinem ad potentiam. Una est motivi ad mobile (12 Metaphys.); alia est habitudo generaliter, tam de potentiis operativis quam aliis, puta terminare actum. Loquendo de prima habitudine, non est aliquid aliud a Deo, quod posset esse motivum Intellectus Dei, sed Essentia sola, quia omnis Intellectio Dei est formaliter infinita, sicut omnis intellectio intellectus finiti est finita; licet enim intelligat infinitum, non tamen infinite. Licet Deus intelligat finitum, non tamen finite sed infinite. Sed nullum finitum movet ad effectum infinitum. Ergo isto modo tantum Essentia, est objectum adæquatum. — In secunda habitudine, ut objectum terminat actum, adhuc habet objectum duplicem habitudinem ad potentiam. Puta quoddam est objectum, quod prius terminat actum tanquam primus terminus; aliud est objectum, quod in ipso primo termino includitur quodammodo... Primum Movens, ut Essentia est, est primus terminus, quia movet ad se primo, et isto modo nihil aliud a Deo est terminativum actus ipsius Intellectus. Secundo modo est terminus, quia sequitur ad actum et dependet ab eo, et sic creatura terminat secundario actum Intellectus divini, et non sicut primo exactum, vel simul exactum. »

« Quod ita probo A. Quia omnis intellectus est totius entis aliquo modo cognoscibilis; quia quod intellectus noster non cognoscit alia entia, evenit dupliciter, vel propter excellentiam illorum, quia intellectus noster se habet ad manifesta in natura sicut oculus nycticoracis. etc.; vel propter defectum eorum, sicut patet de materia, quæ caret de se actualitate. Primo modo non potest esse quin Intellectus Dei cognoscat omnia entia, quia Essentia sua est excellentissimum objectum, et tamen per se et primo ab Intellectu ejus cognita in secundo modo; quia Phi-

losophus *De Sensu et sensato*, defectus in sensibile arguit excellentiam in potentia cognitiva; quia ut vult ibi, si sensibile sensûs visûs posset dividi in infinitum, ergo visus quicumque in infinitum, quia major virtus visiva requiritur ad cognoscendum magnum sensibile quam parvum. Sic arguo ex parte Intellectus Dei: Non potest aliquid ita parvum habere de entitate, quam virtus ejus non sufficiat ad hoc cognoscendum; nec etiam cognoscit Deus quidlibet, ut est in Intellectu ejus confuse, vel inquantum ens, sed et sub propria ratione, quia cognitio confusa est imperfecta; ergo quodlibet aliud a Deo, terminat actum Intellectus Dei, ut secundarius terminus, et hoc sub propria ratione. »

B. « Item quælibet entitas dicit aliam perfectionem ultra entitatem in communi; ergo quælibet res requirit ad hoc quod cognoscatur, ultra intellectionem in communi, intellectualitatem in speciali; ergo qui cognoscat ipsam sub propria ratione. Item ex parte objecti arguitur, quia qui comprehendit virtutem essentiæ, cognoscit omnia ad quæ se extendit virtus illius essentiæ; sed Deus perfecte comprehendit virtutem suæ causalitatis; ergo omnia cognoscit ad quæ se extendit ejus causalitas. Sed potest intelligi bene et male; quia si intelligitur quod comprehenditur virtus causæ in hoc, quod cognoscuntur ea, ad quæ se extendit: hoc non est verum, quia in isto, in quo Pater est beatus, est comprehendens se et virtutem suam perfecte, et tamen in illo signo non est necesse, quod cognoscantur illa, ad quæ ejus causalitas se extendit, quia etsi nulla essent ab eo causabilia extra, non esset minus beatus quam nunc est. Ideo sic intelligitur, quod ex cognitione causæ, potest habere notitiam aliorum causatorum ab ipso. »

« Item arguunt alii sic: Deus cognoscit se; ergo cognoscit omnia participantia ipsum; ergo et omnia entia. Et istud potest similiter male intelligi, quia supposito quod aliquis perfecte imaginaret albedinem, cognosceret alios colores in imitatione ad album, sed non propter hoc cognosceret nigrum specifice, vel fuscum, et sub propria ratione, quia species colorum non sunt tantum in imitatione ad album. Sic cognoscere omnia entia in imitatione ad Deum, non est cognoscere omnia specifice et in propria natura. Ideo sic debet intelligi, quod Deus cognoscit se perfecte; ergo cognoscit se secundum quod imitabilis, et respectus, et fundamenta, et entitates omnium imitantium eum. »

C. « Dico ex parte objecti, quod objectum, quod virtualiter continet aliud in esse reali, continet illud in esse intelligibili. Sed Deus virtualiter continet omnia in esse reali; ergo et in esse intelligibili. *Minor patet*, quia si hæc causa continet effectum virtualiter, ergo cum non contineat in se, (sic esset Deus); ergo ab alio habet aliam continentiam; quia virtualius habet hæc quam ista causa, et non est procedere in infinitum; ergo stabilitur in Deo, qui virtualiter continet omnia. »

II.

Quid sunt in divino Intellectu ideæ rerum a se aliarum, quas cognoscit.

(1. dist. 36, q. 2, n.° 14).

Scholium Cavelli.

Ponit descriptionem ideæ ex Augustino, et resolvit, ipsam non esse aliquam relationem in Essentia divina, sed ipsam creaturam ut cognitam; idque ostendit esse de mente Augustini, qui non asseruit ideam esse rationem cognoscendi in Deo; tamen non omni modo sapiens esset, si ens non cognosceret, id est si creaturas ignoraret, et sic Doctor glossat Augustinum.

Textus Scoti.

841. — « In quæstione aliquid est certum, scilicet quod in Deo sunt relationes rationis distinctæ, quia ad quodcumque potest intellectus noster attingere, et Intellectus divinus. »

« Dico, quod iste modus non est contra Augustinum; quia idea, de qua loquitur Augustinus, est ratio æterna in Mente divina, secundum quam aliquid est formabile secundum propriam rationem sibi. Est enim *ratio*, quia Deus quidquid fecit, rationabiliter fecit; et *æterna*, quia nihil novum in Mente divina, quia nihil extra Deum est æternum; et *propria ratio*, cum cognoscat omnia quæ facit sub propria ratione. Isto modo idea dicit quidditatem cognitam, et non rationem cognoscendi solum. »

« Idem patet per Philosophum 17 Metaphysicæ: *Omnia fiunt quodammodo ab unico, ut domus extra, a domo in anima; arca extra, ab arca in mente.* Unde artifex per arcam in mente, facit arcam extra. Sic Deus per quidditatem cognitam in Mente, facit quidditatem extra. Sed quantum ad hoc est differentia, quod artifex accipit illam arcam in anima ab arca extra; nec sic Deus Artem suam in anima a rebus extra. Unde si sola species arcæ esset, ex qua facit arcam extra, non fieret arca quodammodo ab unico. Ergo forma formale est ipsum in mente objective. »

« Item Plato male posuit ideas, et Aristoteles male tamen recitat. Unde Augustinus accipit dicta Platonis secundum meliorem intellectum quem possint habere; et dicit quod Plato posuit ideas in Mente divina, et ponit consequen-

ter ille, et manifestum est quod Plato posuit ideam esse quidditatem cognitam. Ergo sic intelligit Augustinus ideas. »

« Dico ergo, quod licet nunquam essent relationes rationis in Deo, objecta extra cognita posset Deus ita perfecte cognoscere, sicut nunc facit. Nec inveni ubi Augustinus dicat, ideas esse relationes cognoscendi. Et si hoc dicat, debet glossari, quod idea est ratio objective. Augustinus dicit, quod sine illis non potest esse sapiens. Dico quod ex hoc sequitur propositum meum, quod sunt quidditates, et non relationes rationis, quia propter hujusmodi relationes non dicitur aliquis sapiens. Etiam Augustinus dicit, quod per illas est anima beatissima; hoc non est quia beata in objectis cognitio, sed quod in ipsis est beatitudo extensione; ergo ista sunt objecta perfecta cognita, et non ratio cognoscendi. »

« Concedo quod ibi sint relationes rationis, quia secundum primum dicendi modum, in primo instanti intelligit Deus objectum primum absolute; in secundo instanti, objectum ut causatum in esse cognito; et in tertio instanti sunt relationes rationis. Ita quod in primo istanti est Essentia; in secundo, esse creaturarum; in tertio instanti, relationes rationis. — Secundus modus dicendi: quod primo Deus intelligit se absolute; secundo, in secundo instanti intelligit creaturam; in tertio instanti comparat; in quarto intelligit relationes rationis. »

Scoti sententiam circa quidditatem idearum divinarum refutatur a Goneto in præsenti Tomo I, n°. 1007, et a nobis in Tomo III, Parte II.

III.

Deus habet distinctam ideam omnium aliorum a se, quæ cognoscit.

(1. dist. 36, q. 3).

Scholium Cavelli.

Sententia D. Thomæ: non dari in Deo ideas possibilium, materiæ, generis, individui, aut accidentis inseparabilis (1. q. 15, art. 3) refutatur.

1° Non est in Deo differentia practici et speculativi intellectus, quia repræsentat naturaliter et eodem modo possibile et existens, quia ante voluntatis actus, ideæ sunt in Deo.

2° Refutatur materiam non esse ens secundum se, quia sic non esset ens in alio, et compositum esset ex aliquo et nihilo. De hoc late Doctor contra D. Thomam et alios 2. dist. 12, q. 1, ubi probat materiam esse veram entitatem positivam, et q. 2 docet quod existere possit sine forma. Refutatur etiam quod ait, materiam non cognosci a Deo nisi per compositum, et 3°) reliqua omnia, quæ asserit D. Thomas, dicto articulo, de genere, individuo et accidente, quod non habeat ideas, efficaciter et clare refutantur.

Textus Scoti.

842. — A. « Ad quæstionem dicit unus Doctor: »

1°) « Quod ideæ ponebantur a Platone, ut patet 7 Metaph., propter scientiam et causalitatem, et sic sunt in Mente divina. Unde idea uno modo est principium cognitionis, et dicitur principium practicum, sicut est *exemplar;* alio modo dicitur *ratio*, ut est ratio cognoscendi speculative, ut patet per Augustinum 83 Quæst., q. 47; et isto secundo modo, idea est cujuslibet entis alterius a Deo, quæcumque Deus novit positive. Sed idea, ut exemplar, ut est principium practicum, non est propria omnium entium; quia non eorum, quæ in nulla parte temporis sunt, ut non eorum, quæ nec sunt, fuerunt, nec erunt, licet possibilia sint. »

2°) « Materia non habet ideam, quia non habet esse secundum se, neque est cognoscibilis, nisi analogice ad formam; ideo non habet ideam nisi compositi. »

3° « Non est idea generis, quia genus non fit nisi in specie; nihil enim est genus præter ea, quæ sunt generis species. »

4° « Idea non est individui, primo quia individuatur per materiam, et materiæ non est idea. Secundo, quia intentio naturæ est ad speciem per se, et non ad individuum, nisi per accidens, inquantum in eo salvatur natura specifica, 2 de Anima. »

5° « Idea non est accidentium inseparabiliter subjecta concomitantium, sed sufficit idea subjecti; sed accidens separabile, sicut pictura in pariete, habet ideam distinctam. »

B. « **Contra** 1°) quod illa distinctio non valet *de idea, et practica et speculativa,* quia æqualiter est idea practica respectu possibilis, non tamen fiendi, quia si A est futurum, et B est possibile, non tamen futurum: A et B, inquantum respiciuntur ab ideis, non habent differentiam practici et non practici; ergo nec ideæ, ut sunt eorum, habent differentiam practici et non practici. — Antecedens patet, quia prius naturaliter offeruntur aliqua voluntati, ut A et B, quam sit actus voluntatis acceptantis A ut fiendum, et B non ut fiendum. Sic prius sunt distinctiones inter A et B, ut inter fiendum et non fiendum, et aliter voluntas acceptaret irrationabile. Ergo æqualiter est idea practica possibilis non fiendi, sicut fiendi. »

« Item practicum et speculativum non differunt tantum accidentaliter, quia vel differunt

per objecta, vel per fines. Si per objecta, ergo non tantum accidentaliter; si per fines, hoc esset per fines ex natura rei, et non per fines præscientiæ. Aliter enim faber volens operari, non haberet practicam artem fabricalem, si non est alia distinctio inter fiendum et non fiendum, nisi respectu finis præsciti et non præsciti, et non ex natura rei. »

2°) « Contra illud membrum, quod dicitur quod *materia non est ens secundum se*, quia quod in se nihil est, nihil est in alio: ergo si materia nullam habet in se entitatem, ergo vel compositum nihil est, vel compositum ex aliquo et nihilo. Unde quod est realiter pars veri entis realis in se, aliquam entitatem habet. — De illo quod dicitur, quod non est scibile, nisi per analogiam ad formam, hoc non est verum de Intellectu Dei, sed de intellectu nostro, propter ejus imperfectionem; nec etiam substantia est a nobis intelligibilis, nisi in analogia ad accidentia, nec propter hoc, est ipsa non intelligibilis. »

« Item, intellectus qui non potest moveri ad cognoscendum cognoscibile minus volibile, per magis volibile; nec e converso, sibi non potest esse majus volibile, ratio intelligendi minus volibile. Intellectus Dei est hujusmodi. Ergo si cognoscit materiam, per nihil aliud ipsam cognoscit, nec per formam, nec per compositum. »

3°) « Item de isto, quod dicit *de genere*, quod non sit nisi in alio, ex hoc non sequitur quod non habet ideam, quia artifex cognoscit formam artificialem quam inducit distincte, et tamen non sit nisi in alio. »

4°) « Item de illo quod dicit *de individuo*, quod non habet ideam propter materiam ipsam, et concedit 7 Metaph. in expositione sua, quod materia est pars quidditatis; ergo ipsa non impedit individuum habere ideam. Et si dicas: in individuo est prius materia quam forma, haberet adhuc ideam. »

« Item de illo quod dicit, quod intentio naturæ non est nisi ad speciem per se, non videtur verum, quia agens non habet intentionem in finem, nisi in illum, quem agnoscit in se, vel quia in talem dirigitur a cognoscente. Cum ergo natura agit, dirigitur a cognoscente, et Deus habet intentionem individui, qui dirigit naturam. Ergo sic videtur quod natura intendit individuum. »

« Item individuum est prima substantia, quæ est maxime substantia; sed an species habeat aliquod esse reale, ut distinguitur ab individuo, dubium est: et si haberet, adhuc hoc solum est in individuo, et individuum est una res. Ergo absurdum videtur, quod intentio secunda intendatur per se a natura, et non una res. »

5°) « Item quod dicitur *de accidente inseparabili*, non est verum, quia nihil est in effectu, nisi ab agente, et hoc nonnisi præcise per cognitionem; ergo si non cognoscitur ab agente, nihil est. Hujusmodi agens est Deus; ergo quod Deus non cognoscit in effectu, nihil est in effectu. Unde artifex faciens arcam, non cognoscit quod arca supernatat, hoc est imperfectionis artificis, quia istud cognoscitur ab alio; sed si artifex daret totale esse arcæ, ita quod totum haberet esse ab hoc, si artifex non cognosceret quod supernataret, impossibile esset quod supernataret. »

Justificatur doctrina D. Thomæ.

843. — Obscuræ istæ Scoti cavillationes nullo modo destruunt D. Thomæ doctrinam de ideis communiter in scholis catholicis receptam. Doctor subtilis angelicum impugnat, vel quia ipse genuinam idearum divinarum notionem non habet; vel quia adversarii sui doctrinam male interpretatur.

In objectione I. Scotus obscurissima argumentatione, impugnat differentiam ratione innixam, atque communiter a doctoribus admissam in divina Mente, inter rationem rei possibilis, et exemplar rei actu existentis, seu producendæ. — Etenim *ratio speculativa* rei possibilis supponit tantum actum divini Intellectus; *exemplar autem practicum* rei producendæ, vel existentis, supponit simul actum divini Intellectus, et actum divinæ Voluntatis, quo res causatur, aut causabitur ex divini Artificis intentione; et sine quo nullum ens potest esse reale in seipso, nec tanquam reale intelligi, extra divinum Intellectum.

Objectio II. Circa materiæ primæ notionem non D. Thomam tantum impugnat, sed S. Augustinum, cujus auctoritatem invocare solet Scotus. Utrumque autem male intelligit. Ambo enim non dicunt, materiam primam *nihil* esse, sed *prope nihil*, scilicet puram rei potentiam physicam, seu principium intrinsecum perfectibilitatis rei, quæ actu non est, nec actu intelligi potest, nisi prout per formam perficitur, accipiendo actum essendi. Ipse divinus Artifex non intelligit quodvis opificium a se perficiendum vel perfectum, nisi per ideam seu Exemplar ejus, quod in sua Mente habet, et juxta quod opificium perficiet, sive jam perfecit; materiam autem opificii non intelligit nisi prout per formam perficienda est sive perfecta; nam materia prout omnino imperfecta est seu informis, locum non habet in divinæ Mentis exemplaribus; sed Deus habet ideam totius opificii, scilicet materiæ ejus substantialiter et acciden-

taliter informatæ secundum divinas ideas. Nullus enim intellectus aliquam rem intelligere potest, nisi per ejus formam, quæ determinat speciem, qua intelligibilis est.

Objecit III, quod juxta D. Thomam Deus non habet ideam generum, quia genera sunt in alio. Sed doctor angelicus rectissime sequenti modo se explicat: « Dicendum quod genera non possunt habere ideam aliam ab idea specifica, secundum quod idea significat exemplar, quia nunquam genus fuit nisi in aliqua specie. » (1. q. 15, art. 3, ad 4[m]). Inde sequitur quod Deus rerum efficiendarum genera practice cognoscit in speciebus, quibus res sunt intelligibiles, ita ut rerum genera non intelligat practice, nisi inquantum sunt species aliarum rerum.

In objectione IV, Scotus attribuit D. Thomæ opinionem Platonis, quam doctor angelicus refert quidem, sed reprobat, tanquam divinæ Providentiæ contrariam, ut sequitur: « Individua vero, secundum Platonem, non habebant aliam ideam, quam ideam speciei; tum quia singularia individuantur per materiam, quam ponebat esse increatam, ut quidam dicunt, et concausam ideæ; tum quia intentio naturæ consistit in speciebus, nec particularia producit, nisi ut in eis species salventur. Sed Providentia divina non solum se extendit ad species, sed ad singularia, ut infra dicetur. »

Scilicet in 1. q. 22, art. 2, in cujus corpore legitur: « Quidam posuerunt incorruptibilia tantum Providentiæ subjacere, corruptibilia vero non secundum individua, sed secundum species; sic enim incorruptibilia sunt... Sed necesse est dicere omnia divinæ Providentiæ subjacere, non in universali tantum, sed etiam in singulari. Causalitas Dei, qui est primum Agens, se extendit usque ad omnia entia, non solum quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad individualia principia, non solum incorruptibilium, sed etiam corruptibilium. Supra ostensum est, quod Deus omnia cognoscit, et universalia, et particularia. Et cum cognitio ejus comparetur ad res sicut cognitio artis ad artificiata, necesse est quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis. »

En D. Thomas doctrinam. Quomodo ei imputari potest, quod neget divinum Artificem habere individuorum ideam, eaque intendere? Coram tanta levitate ex parte Scotistarum, iræ Thomistarum optime intelliguntur.

Objectio V falso supponit quod, juxta D. Thomam, Deus distincte non cognoscit accidentia a subjecto inseparabilia. Sed hoc non docet doctor angelicus, asserit tantum, Deum non habere *separatam* horum accidentium ideam, quamvis ea *distincte* cognoscat in idea subjecti, per modum unius; nam distinctio in re, nullo modo opponitur rei unitati. (Vide 1. q. 15, art. 3, ad 4[m]).

§ II.

De Trinitate creatrice in omnibus creaturis suis repræsentata.

Scilicet 1°) de mundi creatione tribus personis divinis communi; 2°) de vestigii notione ejusque differentia ab imagine; 3°) de Trinitatis creatricis vestigio in omnibus creaturis impresso; 4°) de divinæ Trinitatis imagine in mente humana.

I.

De mundi creatione tribus personis divinis communi.

Scholium Cavelli.

Actus primus causandi, et omnis causatio necessario est in tribus personis: 1°) ex Augustino. 2°) Actio naturalis prior est contingenti. 3°) Potentia prius respicit objectum primarium quam secundarium, et intrinseca quam extrinseca. Non est ex imperfectione unius personæ, quod causatio necessario provenit a tribus, sed ex necessaria ordinatione productionum.

Textus Scoti.

844. — « Dico quod soli Trinitati competit primus actus creandi; quod patet auctoritate Augustini, De Trinit., cap. 14: « Dei Verbum potuit esse prius omni creatura, vel verbum nostrum esse posset, si opus non sequeretur. Sed opus esse non potest, si Verbum non præcederet. — Igitur productio intrinseca *(Verbi)* est prior productione extrinseca *(mundi)*, quæ proprie dicitur causatio, et est præcise a Principio causandi, ut est in tribus. Hoc probo per rationem, quia quandocumque ab aliquo principio procedunt duo, unum necessario, et aliud contingenter: prior est productio, qua ex necessitate naturæ procedit aliquid, quam qua mere contingenter; productio intrinseca est necessaria, productio extrinseca mere contingenter, ut declaratum est distinct. 8 primi (libri *Sententiarum*). »

« Secundo, probo idem: Potentia prius respicit primum objectum quam secundarium. Igitur quando secundum objectum non objicitur potentiæ, nisi per rationem primi objecti, potest

primum objectum esse præsens potentiæ, licet non secundum. Sed primum est intrinsecum; secundarium, extrinsecum. Igitur in isto priori, habetur ratio memoriæ paternæ perfectæ; ergo in isto priori, habetur Verbum perfectum; igitur pari ratione Spiritus sanctus. Ex his, quod quodlibet essentiale in divinis, est prius natura communicatum tribus, quam est causatio extrinseci. Igitur Principium quod causat extrinsecum, causabit ut in tribus, quia illa Forma quæ est Principium causandi, vel natura, est prius natura in tribus, quam sit causatio extrinseci. Igitur tres agunt illo Principio. »

« Adhuc sequitur aliud, quod non est ista causatio a tali Principio causandi, ut in tribus, propter imperfectionem vel insufficientiam unius personæ, quin tanta sit perfectio in Patre, sicut in tribus personis, sicut vult Augustinus, 15 De Trinit., cap. 14. Omnia videt Pater in Filio, et e contra; non quod alia sit perfectio, quin substantia ejusdem rationis esset in Patre, si esset solus, sicut nunc. Ideo non propter imperfectionem, quin una sola persona possit causare, sed quia Forma, vel suppositum habens in virtute actiones ordinatas, non est in potentia propinqua ad secundam, nisi posita prima. »

« Præterea, sicut patet de natura intellectuali, habente velle et intelligere tanquam operationes ordinatas, et ideo non est in potentia propinqua ad velle, nisi posita prima operatione, puta intelligere; quia sicut vult Philosophus in 9 Metaphys, quando aliquid est in potentia propinqua ad aliquid, nullo eget ad hoc, quando exeat in actum: Pater non est in potentia propinqua ad spirandum, nisi Filio posito in esse. Sic ex parte ista, primum causans non est in potentia propinqua ad causandum, nisi Principio illo communicato tribus posito in esse. Non igitur est propter impotentiam unius personæ, sed propter istas actiones ordinatas. »

In *Præfatione Quæstionum quodlibetalium*, doctor subtilis sic statuit primam rerum distinctionem, scilicet distinctionem Creatoris et creaturæ: « Secundum distinctionem rerum potest accipi distinctio difficilium quæstionum. Res autem, prima sui divisione, dividi potest in rem creatam et increatam; sive in rem a se, et in rem ab alio habentem esse; sive in rem necessariam et rem possibilem; sive in rem finitam et infinitam. Res autem increata, a se, infinita et necessaria, Deus est; res autem creata ab alio, possibilis et finita, communi nomine dicitur creatura. »

II.

De vestigii notione, ejusque differentia ab imagine.

In *Collatione* seu *Disputatione 35*, dicit Scotus.

845. — A. « **Vestigium** est impressio derelicta ex transitu gradientis, conformis sibi ex ea parte, qua tangit in gradiendo. Sed ante mundi creationem Intellectus et Voluntas *(Dei)* ferebatur super mundum creandum. Ex illo Velle et Intelligere sequitur in tempore mundus, conformis illi Velle et Intelligere; ideo mundus est vestigium Dei. Illud patet 22 De Civit. Dei, cap. 9. »

« *Secundo dicendum est de differentia inter imaginem, umbram, et vestigium, et similitudinem.* Ad cujus intellectum sciendum est, quod omnia ista important relationem et respectum; sed *similitudo* non importat causalitatem, sed *vestigium* importat causalitatem, secundum Augustinum, lib. 83 Quæstionum, q. 64. — *Umbra* habet confusam conformitatem ad corpus interpositum; confusam dico, quia videntes umbram, scimus corpus interpositum inter solem et umbram, sed nescimus cujus figuræ, quia quandoque corpus rotundum facit aliam figuram in umbra. — *Imago* repræsentat rem, non secundum genus nec speciem tantum, sed secundum individuum, et secundum lineamenta, quod scilicet longa sit, lata, etc. — *Vestigium* repræsentat rem medio modo, perfectius umbra et imperfectius imagine, quia non repræsentat rem secundum individuum, nec tantum secundum genus, sed secundum speciem, vel secundum individuum vagum. Sic videntes vestigium cervi, scimus quod transivit cervus, sed nescimus inde, iste vel iste. Sic angelus, vel anima, quantum ad potentias vel actus, importat ordinem vel distinctionem formalem in eadem essentia; ideo est imago Dei. Vestigium repræsentat Deum, ut est causa efficiens, formalis *(extrinseca, sive exemplaris)* et finalis, quæ appropriatur personis. Tamen non repræsentat Deum, ut unum, nec secundum proprietates personales, sed secundum appropriata personis, scilicet Potentiam, Bonitatem, Sapientiam; sive secundum triplicem causalitatem. »

B. « **Contra ista arguitur de differentia vestigii et imaginis.** Contingit enim animal transiens non habere nisi unum individuum specie, et tunc est species tota in individuo illo, et tunc vestigium quod est similitudo secundum speciem, erit similitudo secundum individuum. »

« Item in Deo non est distinguere genus, nec species, nec individuum. Ergo non est dare vestigium Dei, si repræsentat secundum genus

vel speciem; ideo assignat causam accidentalem vestigii. »

« Ideo est alia differentia, quod vestigium differt ab imagine, quia repræsentat partem quantitativam, imago totum; non autem quod vestigium repræsentat universale, et imago particulare. Ideo quod derelinquitur ex transitu partis, simile parti, est imago partis, et totius vestigium; quia repræsentat totum animal ratione partis. »

Istæ notiones confusæ et subtilitates magnam saltem hanc utilitatem afferunt, ut pluris æstimetur lucidissima distinctio, quam statuit S. Thomas inter *vestigium et imaginem* in 1. q. 45, art. 7, atque inter *imaginem et similitudinem* in 2. q. 93. art. 9. — Insuper, differentia, quam statuit Scotus inter *vestigium* et *imaginem*, est contraria sententiæ S. Bonaventuræ. Vide supra n.° 793.

III.

De Trinitatis creatricis vestigio in omnibus rebus creatis impresso.

In 1. dist. 3, q. 3, legitur:

« *Quæritur utrum in creaturis sit vestigium Trinitatis.* (Videtur) *Quod non*, quia vestigium est repræsentans illud cujus est. Sed in creatura nihil est repræsentans Creatorem sub ratione trini, quia omnia quæ sunt a Deo, sunt ab eo sub ratione qua est unus. »

« *Oppositum*, Augustinus, 15 de Trinit. cap. ult^mo^: *Oportet ut Creatorem per ea quæ facta sunt, intellecta* etc. »

Scholium Cavelli.

Rejecta differentia aliorum inter imaginem et vestigium, docet ex Augustino, vestigium consistere in unitate, specie, ordine, quibus correspondet unitas principii in Patre, pulchritudo Filii, et ordo Spiritus sancti.

Textus Scoti.

846. — « Dicitur ad quæstionem, primo prætermittendo quod differentia est inter vestigium et imaginem; quia imago repræsentat perfecte aliquid, vestigium vero imperfecte. Secunda differentia: imago repræsentat quantum ad speciem, vestigium quantum ad individuum. »

« Contra illud secundum, imago et vestigium non differunt repræsentatione speciei et individui, sed quantum ad repræsentationem totius quantitatis et partis. *Probatio*, quia vestigium est repræsentativum partis per se, totius autem nonnisi argumentative. Si pars illa esset abscissa a toto, vestigium nullo modo esset repræsentativum totius; sed imago est primo repræsentativa totius quantitatis. Ex isto sequitur quod Trinitas in Deo non potest sufficienter repræsentari, neque perfecte, per vestigium in creatura; et hoc propter primam rationem, quia creatum non est a Deo, nisi secundum quod unus Deus est; ideo unum repræsentat Deum, ut unus est in creaturis. Tamen repræsentantur aliqua appropriabilia istis personis Trinitatis, etsi non appropriate. »

« Circa hoc est intelligendum, quod quædam in creaturis repræsentant appropriabilia Trinitati *per similitudinem*, quædam vero *per proportionem*. Exemplum primi, ut bonitas in creatura Bonitatem in Deo, et veritas Veritatem. Exemplum secundi, ut species in creaturis, et unitas et ordo, quæ repræsentant Deum secundum proportionem, non secundum similitudinem. Dico ergo, quod ista sunt vestigia Trinitatis, quia cuilibet unitati istius Trinitatis correspondet aliquid in creatura, quod appropriatur cuilibet personarum, ut unitas, species et ordo: unitas Patri, species Filio, ordo Spiritui sancto. Quamvis enim tota Trinitas non sit totum numerale in divinis, in mente tamen nostra cognoscitur ut quoddam totum numerale habens tres virtutes, quibus correspondent tria appropriabilia prædicta, scilicet unitas, species et ordo. »

« Ad primum argumentum non sequitur: Creatura non repræsentat Deum inquantum trinus; ergo in creatura non est vestigium Trinitatis. Quia non est de ratione vestigii, quod per se repræsentet totum, sed partem; et quia cuilibet parti istius Trinitatis, secundum quod partes sunt, est reperire vestigium in creatura, ideo in creatura est vestigium Trinitatis isto modo. »

D. Thomas multo completius, accuratius, clarius et ordinatius loquitur de essentialibus attributis, quæ singulis appropriantur, 1. q. 39, art. 7 et 8; atque de Trinitatis vestigio et imagine in creaturis 1. q. 45, art. 7. Scotus aliter dicendo, doctrinæ catholicæ nihil addit, nisi obscuritatem et confusionem.

IV.

De divinæ Trinitatis imagine in mente humana.

In 1. dist. 3, quæritur 7:

« *Utrum in mente sit imago Trinitatis.* (Videtur). *Quod non;* quia imago distincte repræsentat, et quia mens naturaliter est cognoscibilis; naturaliter cognoscibile ducit distincte naturaliter in cognitionem Trinitatis. » (*Atqui divina Trinitas naturaliter a nobis cognosci nequit Ergo).*

« Item, nulla creatura est excedens ideam suam in repræsentando. » (*Atqui nullius creaturæ idea est Trinitas divinarum personarum. Ergo.* »

« Item, nihil in mente plus repræsentat unam personam quam aliam; igitur non totam (*Trinitatem).* »

« *Oppositum* Augustinus: *Quærenda est imago Trinitatis, ubi nihil melius habemus, hoc est in intellectu* (14, De Trinit., cap. 8). »

Scholium Cavelli.

Imaginem Trinitatis consistere in mente, notitia et amore; vel in memoria, intelligentia et voluntate, utrumque explicat ad mentem Augustini. Per mentem intelligit utramque fecunditatem. »

Textus Scoti.

847. — A. « Circa quæstionem, primo quæ sit ratio imaginis, patet superius. Imago totum repræsentat distincte ut imitans; quia sicut vult Augustinus, 83 Quæstionum, q. 14: *Omnium unum non est imago alterius, quantumcumque sit simile, quia non imitatur aliud.* »

« Secundo, cum conceptus Trinitatis sit conceptus numeralis in intellectu nostro, et conceptus personæ est unus, non possumus distincte desunire in cognitionem personarum, ut ubi sunt. »

« Experimur in nobis, quod aliquando intelligimus et volumus, aliquando non. Igitur habemus in nobis principia, per quæ possumus in ista; et sunt alterius rationis principiandi. Ergo in nobis intellectio et volitio differunt. »

« Ex his patet, quod in divinis est aliquid plene fecundum; ergo est a se, ne detur processus in infinitum. Hoc dicit Patrem, quantum ad notitiam suam producendam, et amorem. Habendo volitionem, habetur aliquid proportionaliter duobus prioribus; ita tria in nobis quamdam unitatem habent, saltem subjecti et accidentis; ergo ibi habent majorem unitatem. Sed hîc habemus trinitatem cum distinctione essentiali; igitur ibi, scilicet mens, notitia et amor. Primum dicit non præcise aliquid fecundum ad gignendum, sed ad spirandum; vel memoria, intelligentia et voluntas. »

« Prima tria magis declarant Trinitatem, sed illa magis unitatem. Non enim ita repræsentant Trinitatem, quia intelligentia de se non est productiva ut talis, quia secundum Augustinum: *Nemo diligit quod nescit.*

B. « Sed ex his videtur, quod sit ponenda quaternitas. Secundo, quod non salvatur ordo originis. »

« Ad primum dico, quod non, quia prima duo accipiuntur respectu tertii, ut unum fecundum; et oportet, quod accipiantur potentiæ sub actu. »

C. « Ad primum principale, quod imago distincte repræsentat, sicut dictum superius, et mens simpliciter.

« Ad secundum de idea, dico quod nulla essentia creata, ex hoc solo quod essentia, est repræsentativa Trinitatis. Sed essentia habens in se quædam producta in ordine quodam, repræsentat Trinitatem, sicut imago. »

« Ad ultimum, quod non per actum intelligentiæ, sed ista memoria formaliter producit verbum, non autem intelligentia, ita quod Filius formaliter est notitia genita, et Spiritus sanctus amor spiratus. »

His Scoti textibus applicari possunt Horatii verba: *Brevis esse laboro, obscurus fio.* Quantum huic stylo præstat modus concisus quidem, sed sufficiens et completus, quo procedit atque loquitur S. Thomas! Ad eum statim intelligendum, non requiruntur scholia Cavelli.

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN RAYMUNDO LULLO.

848. — **Prænotanda.** Lullus sapientiam suam cœlitus se accepisse declarat; ideo doctoris *illuminati* titulum a coævis suis accepit. Plurimos composuit libros, qui ad Magnam Artem omnes referuntur, omnesque principaliter intendunt Mahumedanorum conversionem ad veram fidem per doctrinam universalem, tam philosophicam quam theologicam.

Consuluimus nitidissimam Lulli editionem Moguntiæ publicatam, anno 1722, decem voluminibus in-folio, cura et studio Ivonis Salzinger sacerdotis. Hic se auctoris discipulum professus, magistri doctrinam admirabundus explicat, et magno zelo vindicat in Prologis, quos singulis Lulli operibus præmisit. Illam in titulo generali operum Lulli vocat: « Scientiam scientiarum et artem artium... in qua Deus et creatura, infinitum et finitum miro modo confluunt in unum opus sapientiæ et scientiæ, sapientibus et prudentibus hujus sæculi absconditum, parvulis autem revelatum et manifestum. »

Dicit in Capite primi voluminis: « Comprehenditur primis quatuor Tomis, methodus hactenus incognita Syntheseos et Analyseos speciosæ universalissima, realis et intentionalis, naturalis et artificialis, qua per supremas primitivas veras et necessarias demonstrationes,

non solum principia singularum scientiarum et artium, sed et earum principiata mensurantur, profundissima naturæ et artis secreta revelantur, ars combinatoria naturalis numeros, ordines et leges principiorum universalium et particularium, eorumque habitudines, proprietates, actiones et passiones, etc, explicans exhibetur. In reliquis vero Tomis, ipsius scientiæ et artis usus, in singulis scientiis et artibus particularibus, mirifice demonstratur. »

« His clauditur quidquid in hac mortali vita humanus intellectus attingere et voluntas capere potest. »

Inter omnia doctoris illuminati opera, discipulus in sua editione ponit primo loco *Artem compendiosam inveniendi veritatem*, seu Artem magnam et majorem, quam asserit esse « clavem et clausuram omnium artium et scientiarum et omnium operum divi Auctoris. »

In præsenti Articulo, Lullianam artem breviter 1°) exponemus; 2°) æstimabimus.

§ 1.

Exponitur ars Lulliana.

Paucis verbis indicabimus: 1°) ejus fundamentum; 2°) methodum; 3°) finem. In explicatione nostra citabimus tum ipsius Magistri verba, tum commentaria a prædicto ejus discipulo Ivone Salzinger, contenta in *Revelatione secretorum Artis*, quam primo Lulli operum volumini præmittit.

I.

De Lullianæ artis fundamento, quod est divinis Exemplarismus.

Magnam Lulli Artem in divino Exemplarismo fundari patet, sive ex primis ejus *principiis*, sive ex duabus ejus proprietatibus ab Ivone indicatis, scilicet ex eo, quod sit *naturalissima* et *artificiosissima*.

849. — 1°) De primis Artis Lullianæ principiis.

In primo et universalissimo principiorum schemate indicantur prima Causa extrinseca, et causæ intrinsecæ perfectionis omnium rerum. *Causa extrinseca et trina*, scilicet efficiens, exemplaris et finalis, est Deus unitrinus, supremus mundi Artifex (Revelat. secret., cap. 2, de 1ª arbore). Ibidem in Revelatione secreti figuræ T, seu principiorum Magistri dicit: « Elegi Finem, Medium, Principium; hæc tria principia constituunt unam et primam cameram, et vocantur a me figura substantialis. »

Item in Revelatione secreti figurar. in genere: « *Ars inventiva* et *Ars generalis ultima*, ac reliquæ ab illis dependentes, fundantur super numero ternario. »

Causæ intrinsecæ perfectionis rerum sunt materia; forma analoga formæ exemplari et extrinsecæ, quæ est in Mente divini Artificis; et conjunctio utriusque in composito, seu supposito creato. Et in his tribus, invenitur Trinitatis creatricis vestigium in perfectione omnis substantiæ creatæ, sicut ipse docet Lullus: « Omne id quod est *substantia* creata, est in unitate et trinitate. In unitate est, inquantum est una substantia; in trinitate est, inquantum est composita de materia, et forma, et de concordantia, cum qua materia et forma conveniunt... Et convenit, quod omne id, quod est *operatio*, sit per tria, hoc est per agens, et per operatum, et per medium cum quo agens est operans, et operatum est operatum; et hoc sequitur in omni opere naturali et artificiali, in quarum creaturarum qualibet est unitas et trinitas, ad demonstrandum quod illæ sint opus supremæ Unitatis, quæ est in Trinitate. » (Princ. et grad. med., dist. 10, cap. 36 — Metaph. 5 et 17 — Mir. dem., lib. 1, cap. 2 et lib. 3, cap. 13 et cap. 7). — In libro Contemplat., vol. 3, lib. 5, cap. 355, demonstrat per totum caput, quod principia Arithmeticæ universalis, realis et naturalis, sunt unitas et trinitas.

Ergo Deus, unus et trinus, est prima et trina omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis, sive supremus Artifex, qui toti mundo et singulis ejus partibus sigillum impressit Unitatis ac Trinitatis suæ, ita ut quælibet res a Deo creata hoc sigillum ferat, tam in substantia sua, quam in operatione. Ergo homo ipse ad imaginem Dei unitrini creatus, debet etiam ad similitudinem Artificis sui operari, sive ad intra, sive ad extra. Ergo humanus artifex debet divinum Artificem et opificia ejus imitari in operando. Ergo trinitatem in omnibus opificiis suis completis imprimere debet, atque sic Deum unitrinum repræsentare ad ejus gloriam.

Et sicut Deus mundum perficit, transformando per Verbum suum et Spiritum sanctum, materiam elementaliter informatam, et vulgo nuncupatam Chaos: ita humanus artifex opus suum incipere debet ab elementis seu principiis, quæ primum obscura et confusa sunt, donec fiat lux intelligentiæ.

Idcirco Liber principiorum Artis suæ a Lullo nuncupatur Liber Chaos; nam in principio disciplinæ, intellectus noster occupatur tenebris ignorantiæ, et in fine fulget lumen sapientiæ. (Revelat. secretor. Artis, cap. 2, de secreto, fig. V).

Præterea, sicut Creator materiæ conjunxit formam, per quam res sunt et operantur juxta ipsum Deum, ita humanus artifex in sapientia

sua, signa sensibilia adhibere debet, quæ per doctrinam intellectualem explicanda sunt. Igitur in Arte universali, signa sensibilia et figuræ sunt velut materia, seu velut forma externa aut figura, et doctrina est velut forma substantialis; vel figuræ sunt sicut res materiales in mundo, et doctrinæ sunt sicut res spirituales. Legitur in principio Capitis 2 *Revelationis secretorum:* « Systema voco ordinatam structuram, seu machinam, in quibus Ars et Natura suas operationes perficiunt; et *quia Ars debet imitari naturam* (Introduct. Artis demonstr., cap. 39, n.° 2), et tota mea Ars intelligendi et operandi, intentionaliter est formata ad leges naturæ essendi et operandi formaliter;... ideo etiam systema Artis meæ conformare debui, quantum potui, systemati Naturæ, quod in tribus sequentibus secretis hactenus occultatum, vobis nunc revelandum et exponendum aggredior; quorum *primum* est de secreto Arborum generalium, *secundum* de secreto Figurarum generalium, *tertium* de secreto Tabularum generalium. Fili, delineatio et figuratio harum trium secretarum Formarum est *significatio sensualis*, et expositio illarum est *significatio intellectualis* totius systematis Artis et scientiæ universalis, et per consequens systematis Naturæ universalis sub illo contenti. *Et quia per universalia potes descendere ad particularia* (Lib. de Princip. Med., dist. 8, in princip. F. 36), *ut in universalitate ipsius Artis particularia valeant reperiri* (Lib. Princip. Philos., in prolog., F. 2), observare debes, quod systema generale est regula, secundum cujus dispositionem et ordinem disponuntur et ordinantur omnia systemata specialia et particularia singularum artium et scientiarum, ut cap. 3 de Musica vobis dabo exemplum. »

850. — 2°) Ars Lulli est naturalissima, inquantum cognoscit et imitatur, tum naturam creatam, quæ per naturalem rationem nobis innotescit, tum Naturam increatam quam novimus, sive per creatam naturam illam tripliciter repræsentantem, sive melius per revelationem supernaturalem. Perperam autem asserunt Lullus et Ivo Naturam increatam unam Essentia ac trinam personis posse per naturam creatam demonstrari. — Audiamus quomodo in Revelat. secretor. Artis, explicetur illam esse naturalissimam.

a) Legitur in cap. 1: « Duæ sunt naturæ, scilicet natura creata et Natura increata; *et cum mundus*, seu natura creata, *sit speculum humano intellectui, per quod supremum Bonum*, seu Natura increata, *est demonstrabile* (Lib. Mirand. Demonstr. 2, cap. 34, n. 1) *et supremum Bonum sit tam altum, tam excellens, et tam nobile, quod per omne id quod est, sit demonstrabile* (Ibid., lib. 2, cap. 23, n. 1); manifestum est, quod nullum sit particulare aut individuum in tota natura creata, per quod Natura increata non possit demonstrari.... Unde cum totus modus essendi naturæ creatæ ordinetur a modo essendi Naturæ increatæ ad modum significandi, tanquam medium inter intellectum creatum et Objectum illius increatum: quanta est relatio proportionis et comparationis inter modum essendi naturæ creatæ et increatæ, et inter modum significandi et essendi naturæ creatæ, tanta debet esse inter modum significandi naturæ creatæ et modum intelligendi intellectus humani, ut sit naturalissimus. (Dist. 3, Art. inven. Verit; Reg. 9 et 2). »

b) In cap. 3, Ars Lulli dicitur esse Grammatica naturalis, universalis et particularis. « Ex definitione ipsa statim eruitur, hanc Grammaticam circuitu suo ambire totam naturam creatam et increatam, earumque singulas particulares rationes ab intellectu creato objectabiles, quatenus quælibet illi se offert sub ratione repræsentationis, vel significationis naturalis cujuslibet alterius. Dicitur: *naturam creatam et increatam*, ut intelligas, quod Natura increata significet creatam, et creata repræsentet ac significet increatam. Dicitur *repræsentationis vel significationis naturalis*, ut noscas, has significationes non esse ab homine ad placitum inventas, ut in Grammatica artificiali et particulari, sed naturaliter ipsis significatis suis inditas. Dicitur: *quælibet cujusvis alterius*, ut scias quamlibet habere naturalem connexionem cum altera, vel immediatam, vel mediatam.... Hoc mirabili instrumento, perpetuo usi sunt sancti Patres in suis voluminibus, ut singulis fere momentis animadvertes, percurrendo libros Ss. Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi; imo ipsæ sacræ paginæ dictamine Spiritus sancti formatæ, plenæ sunt arte et scientia significandi. »

c) In cap. 1, agitur de supernaturali Dei cognitione et imitatione: « Inter hos punctos transcendentes, supremus est *Fides supernaturalis, et Ratio supernaturalis*. Hanc cum intellectus creatus hominis, tanquam ens finitum, solis naturæ viribus non possit transcendere naturam finiti ad attingendum Ens infinitum, voluit Ens infinitum, per suam gratiam dare intellectui instrumentum, ad transcendendum suum terminum naturalem, ut posset cognoscere Objectum supernaturale infinitum, quod est finis ad quem primario a Deo est creatus.... Unde cum philosophi antiqui non investigaverint veritatem cum fide, sed cum ratione tantum, sequitur quod illorum scientia suo tempore, non tantum valuerit, quantum nostra scientia hoc tempore (Lib.

Contempl., vol. 3, lib. 5, cap. 364); quia sicut philosophi antiqui habuerunt introitum et modum ut essent subtiles, per hoc quia habuerunt cognitionem de quinque generalitatibus universalibus, et de decem prædicamentis, in quibus versatur tota subtilitas philosophica: sic nostri sapientes et Magistri habuerunt modum et semitam, ut essent subtiles in Theologia, quia habent fidem et cognitionem quid sit anima, et quid sint suæ virtutes et qualitates. (Lib. Contempl., vol. 2, lib. 3, cap. 215). »

3°) ARS LULLI EST ARTIFICIOSISSIMA.

851. — Nam a) ex mente sui inventoris, est perfectissima participatio Sapientiæ divini Artificis ab homine in hac vita mortali. « Maxime enim hæc scientia assimilatur Scientiæ divinæ, quæ enim cum sit unita Essentiæ divinæ, omnia ipsi Deo repræsentat; ita hæc quodammodo est repræsentativa omnium quæ cadere possunt sub investigatione humana, brevibus et paucis. » (Introd. Art. Demonst., cap. 37, fol. 33, T. 3, opp.).

In *Revelat secretor.:* cap. 1, dicitur quod Ars Lulli sit artificiosissima. « Magnitudo artificii significat sapientiam artificis. Unde qui totam structuram hujus vastissimæ machinæ, quæ est opus artificiale Dei, in omnibus suis partibus, et partium partibus, intime perspectam haberet; qui omnium vegetabilium, animalium, mineralium essentiam, naturas, proprietates, formas specificas, ordinem et habitudinem naturalem cujuslibet ad alterum; qui elementorum et orbium cœlestium motus, influentias, essentialem inter se connectionem in essentia et qualitatibus perfecte cognosceret, in tantam admirationem raperetur tanti Opificis, ut non haberet ultra spiritum: *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri* (Sap. 13, v. 15). A proportione inversa argumenti, dico, (si parva licet componere magnis); qui sciret potestatem et sapientiam, quam Deus infudit primo homini, quando illum constituit dominum totius hujus mundanaæ fabricæ, cerneret in hac potestate et sapientia creatis, aliquod opus *Microcosmi*, (cujus solum nomen est notum pluribus sapientum hujus sæculi), quod in singulis suis partibus, partim actu existentibus, partim per artem possibilibus, respondet singulis partibus *Macrocosmi*. Et hoc est secretum, omnium secretorum secretissimum, quod Deus sublimis et gloriosus paucissimis fidelibus servis suis reservavit et revelavit; cujus me quoque indignum suum famulum participem reddere voluit. »

b) Cum ars Lulli sit, ipsius judicio, quædam participatio divinæ Sapientiæ, aliquo modo participat ipsius proprietates, quas Ivo discipulus in eodem Capite *Revelationis Secretor.* enumerat innitens propriis Magistri verbis. Ostendit igitur hanc esse *universalissimam*, quia omnia scibilia complectitur; *certissimam et maxime infallibilem*, ob necessitatem, et certitudinem principiorum quibus nititur; *subtilissimam*, quia non naturalia tantum, sed etiam supernaturalia mysteria penetrat; *altissimam*, ratione sublimitatis supremi Principii, a quo exoritur, et ad quod terminatur; *profundissimam*, ratione humilitatis quam in discipulis requirit, cum Deus non nisi humilibus revelet Sapientiæ suæ mysteria; *perfectissimam*, quia supremam Dei perfectionem, et omnimodam operum ejus perfectionem, tam naturalem quam supernaturalem, contemplatur et imitatur; *ordinatissimam*, quia omnia Dei et hominis opera per gradus naturæ gratiæ et gloriæ, ordinat ad primum Principium unitrinum, a quo omnia, juxta seu per quod omnia, ad quod et in quo omnia; *facillimam*, quia hanc facile memoria retinet, facile intellectus capit, facile voluntas diligit, facile homo in praxim deducere potest, cum proponatur sub facili signo trium figurarum geometricarum, scilicet circuli, trianguli et quadranguli, ad quas tota reducitur; *delectabilissimam*, quia hominis intellectui et voluntati præbeat proprium objectum suum, scilicet verum pulchrum et bonum, in quorum cognitione ac dilectione spiritualiter quiescimus atque delectamur; *maxime necessariam*, quia non opinionem tantum, sed scientiam certam, quam exigit noster intellectus, nobis confert; *utilissimam*, quia valde homini prodest in omni operatione sua interna vel externa, scilicet in speculatione, actione et factione; seu in scientiis, artibus et virtutibus; denique *divinam*, tum propter ejus originem et principia, quæ sunt divinæ perfectiones ac rationes, sive ideæ, tum propter modum operandi, seu methodum, quæ omnibus mediis utitur ab ipso Artifice divino adhibitis, nimirum mediis spiritualibus et sensibilibus, naturalibus et supernaturalibus.

II.

De Lullianæ Artis methodo, quæ in divino Exemplarismo fundatur.

852. — Lulli methodus in hoc primo consistit, quod spiritualem doctrinam explicat per sensibilia signa, ratione physicæ analogiæ quæ inter veritatem significatam et veritatem signi existit. Hæc autem analogia ipsa fundatur Exemplarismo, scilicet in hoc, quod res spirituales et res sensibiles diversimode repræsentant unam supremam Veritatem, quæ Deus est, omnis veritatis Exemplar. Etenim, cum omnes veritates

creatæ diversimode conformentur increatæ Veritati, manifestum est quod cunctæ res creatæ, analogice saltem, cum Deo et inter se necessario conveniunt, licet genere aut specie ab invicem differant. Atque in hac universali analogia fundantur omnes relationes inter Creatorem et creaturas, sicut et relationes inter creaturas spirituales et materiales, quæ communem Creatorem suum repræsentant per modum imaginis, aut per modum vestigii. Ex hac analogia oritur ut res et figuræ repræsentent, saltem imperfecte, res spirituales; ita ut homo, materia et spiritu compositus, per sensibilia media naturæ ejus appropriata, manuducatur ad spiritualia. — Secundo, Lulli methodus ex eo distinguitur, quod, ad sapientiam acquirendam, mediis naturalibus supernaturalia seu mysteria conjungat, ita ut non studium solum discipulis præscribat, sed etiam orationem et virtutem, quibus disponantur ad divini luminis infusionem accipiendam.

Breviter ostendemus hunc duplicem Lullianæ methodi characterem.

1°) De signis sensibilibus a Lullo adhibitis ad Artem suam explicandam.

853. — Tria sunt horum signorum genera, nempe schemata, litteræ alphabeti, et colores:

a) **De schematibus in genere.** Tria sunt, scilicet *arbores generales* quatuor, quæ significant principia universalissima; *figuræ geometricæ generales* quinque, quibus principia universalissima evolvuntur, distinguuntur et ordinantur; *tabulæ* generales quatuor, quibus significatur harmonia generalis principiorum, quæ in arboribus continentur, et in figuris geometricis evolvuntur.

Legitur in *Revelat. secretor.*, cap. 2, init.: « Delineatio et figuratio harum trium secretarum formarum est significatio sensualis, et expositio illarum est significatio intellectualis totius systematis et scientiæ universalis, et per consequens systematis Naturæ universalis sub illo contenti. » — Et infra *De Secreto figurarum:* « Sicut secundum naturalem ordinem præcedentium *Arborum*, una procedit ab altera, nempe secunda a prima, et tertia a secunda et prima, et quarta ab omnibus tribus; sic omnes sequentes *Figuræ* eliciuntur ex prædictis Arboribus. Quod observabitis, si technismum Figurarum conferatis cum illo Arborum. Et sicut Figuræ derivantur ab Arboribus, sic per rectum et naturalem ordinem, una Figurarum derivatur ab altera, ac proin quælibet cum altera necessario connectitur. » — Tandem *De Secreto Tabularum:* « Hoc tertium et ultimum secretum est quoddam systema universale generalissimum, occultans in se septem systemata particularia subalterna et specialia, a quatuor præcedentibus Arboribus et quinque Figuris tanto artificio abstractum, ut ex ipso, individuorum particularium numerus possit elici sine ullo numero et fine terminationis, et est velut organum musicum habens septem registra; hac tamen arte fabricatum ut non solum materiam et formam universalem, sed et materias et formas particulares omnium harmoniarum naturalium et rationalium possibilium ex se subministret. Constat autem hoc systema *quatuor Tabulis* universalibus, quarum prima ex prima Arbore, secunda ex secunda, tertia ex tertia, et quarta ex quarta. In his porro Tabulis universalibus implicite continentur omnes tabulæ particulares in omnibus meis aliis libris descriptæ; sicut in Arboribus universalibus, omnes Arbores particulares; et in figuris, figuræ, quarum ordinem, subalternationem, descensum et colligationem nemo perfecte assequetur, nisi secreta magni libri Contemplationum, ex Scientia naturali et Theologia compositi, penetrarit. » (Dicto libro, cap. 230).

b) **De figuris geometricis in specie.** Figuræ geometricæ Artis Lulli dividuntur in figuras generales et figuras particulares. *Figuræ generales* sunt quinque; scilicet Fig. A repræsentans attributa divina, Fig. S repræsentans animam rationalem cum potentiis et actibus ejus, Fig. T repræsentans principia universalia scientiæ, Fig. V repræsentans virtutes et vitia, Fig. X repræsentans oppositionem vel concordantiam omnium principiorum speculativorum aut practicorum.

Figuræ particulares repræsentant vel partes figurarum generalium, vel principia scientiarum particularium, verbi gratia Philosophiæ, Theologiæ, Juris, Medicinæ, etc.

Jam vero, omnes istæ figuræ, et etiam cætera Lulli schemata, ad tres figuras *principales* reducuntur, scilicet ad circulum, triangulum et quadrangulum, quæ Trinitatis divinæ vestigium præ se ferunt. De his dicit Magister in *Revelat. secretor. Artis suæ*, cap. 2, *de Secreto figurar.*: « Omnes meæ Figuræ, non solum hæ quæ sequntur, sed quotquot in meis libris reperiuntur, nonnisi tres generales constituunt, nempe *Circularem*, *Triangularem* et *Quadrangularem*. Hæ enim tres figuræ sunt primæ formæ generalissimæ omnium entium creatorum, et per consequens omnium entium scibilium; nam primæ duæ a primo Ente increato sumunt originem, et diffunduntur in tertiam, in ente creato, quæ illas duas in se recipit, tanquam materia suam formam, et per quam tertiam, creatura distinguitur a suo Creatore, sicut per duas priores concordat eum illo. » In hoc loco, insinuatur re-

latio trium figurarum principalium cum tribus numeris 1, 3, 4. Circulus enim correspondet unitati, triangulum trinitati, quadrangulum quaternitati, quæ unitatem et trinitatem in se recipit, ab utraque componitur, et hac compositione ab utraque distinguitur.

Ibidem: « Licet omnes Figuræ hujus Artis sint et de esse, et de bene esse ipsius Artis, verumtamen A, S, T sunt ipsæ figuræ hujus Artis, in quibus consistit principaliter totum pondus et necessitas hujus artis... Secundum prioritatem originis, Circularis est prima, Triangularis secunda, Quadrangularis tertia; sed secundum naturalem ordinem sitûs sensualis et intellectualis, Circularis est prima, Quadrangularis secunda, Triangularis tertia in analysi, et e converso in synthesi... Hoc clarius intelliges per istam metaphoram: Tu vides, quod inter omnes figuras polygonas circulo inscriptas, ultima sit triangularis, nam in illam omnes resolvuntur; ergo circulus est prima, et triangulus est ultima. Sed incipiendo a triangulo, triangulus est prima, et circulus ultima; omnes autem multilateræ intermediant utramque; et quia quadrangulus est prima post triangulum, triangulus est principium, quadrangulus medium, et circulus finis; sapienti satis. » Tres illæ figuræ A, S, T in Appendice nostri Tomi II exhibentur.

Item in *Explicat. primæ Arboris:* « Primam Arborem, tanquam basim et fundamentum totius fabricæ et structuræ meæ Artis, statui in Unitate et Trinitate; in Unitate inquantum Arbor est una, quæ vocatur Arbor Esse, Necessitatis et Privationis; in Trinitate, inquantum est de tribus supradictis principiis. Et quia inter circulum, qui convenit cum unitate, et triangulum qui convenit cum trinitate, quadrangulus est medius; ideo in hac arbore sequuntur quatuor principia, quæ sunt: Possibilitas, Impossibilitas, Potentia, Actualitas. » — In *Præcursore Introductionis ad Artem demonstrandi:* « Forma universalis est dictus Circulus, Triangulus et Quadrangulus... Hæ tres formæ sunt *formæ simplices*, ex quibus inter se compositis, per Artem producuntur omnes *formæ compositæ*. Unde cum hæ abunde sufficiant, plures ab aliis auctoribus inventæ et additæ, sunt superfluæ. »

c) **De litteris Alphabeti.** Lullus principia Artis suæ sensibiliter exprimit, non tantum per figuras geometricas, sed etiam per Alphabeti litteras, ut fit in Geometria et in Algebra. Itaque ejus *Ars demonstrandi* ab Ivone discipulo nuncupatur *Algebra speciosa universalis*. De hoc litterarum usu legitur in *Revelat. secretor.*, cap. 2, secret. primæ Arboris. Ibi magister introducitur sic loquens: « Revelabo tibi magnum secretum, scilicet quare totam meam Artem tradiderim per formas litterarum et figurarum sensualium, quia convenit quod omnis homo, qui vult intrare in istam Artem et in hanc inquisitionem, sciat se dirigere cum forma figuræ *(seu schematis, de quo nunc agitur)* primo figuratæ cum litteris rubeis; et convenit, quod homo figuret in ligno, vel in charta, figuras ad hoc, ut illarum non obliviscatur; et convenit, ut quam primum illarum fuerit oblitus, recurrat ad figuras figuratas per litteras rubeas, ad hoc ut sciat illas litteras, quibus fuerunt appropriata nomina, per quæ ista Ars determinatur. »

« Finalis ratio, quare ista Ars melius potest determinari per figuras sensuales, quam sine figuris, est quia natura intellectus est, quod melius intelligat per breves sermones, qui illi sufficiant ad intelligendum, quam per longos. Unde cum brevius dicatur *una littera*, quam *Incarnatio*, vel *Trinitas*, et sic de aliis rebus quas primum recepit per brevem dictionem vel orationem; velociter se mutat, vel movet, ad intelligendum unam rem per alteram. Et quando dictiones et orationes sunt longæ, non potest intellectus se mutare ad intelligendum tam velociter, nec toties intra certum terminum de una re ad alteram, sicut facit per breves dictiones et sermones. » (Contemplat., vol. 3, lib. 5, dist. 40, cap. 336, circa finem).

« Litteræ Alphabeti sunt signa adeo universalia, quod his universaliora excogitari non possint. Unde, cum quælibet littera possit substitui cuilibet nomini, ut a me factum conspicies in meis libris, præsertim in toto libro 5 Contemplationum, vides quantum damnum intulerint meæ Arti, qui rejectis his litteris, alia signa minus universalia, et nominibus tantum specificis affixa invenerunt. Præterea tu scis, fili, quam incomparabile artificium excogitarint sapientes mathematici, subrogando numeris litteras Alphabeti, quibus longe commodius, universalius ac perfectius poterant perficere suas demonstrationes in Arithmetica et Geometria, mediante hac Logistica vere speciosa. »

d) **De coloribus.** Ad majorem signorum suorum distinctionem, doctor illuminatus figuris et litteris addit colores. Sic in Arboribus, seu schematibus universalissimis, litteras rubeo colore induxit, ut modo audivimus.

Sic etiam tres figuræ geometricæ principales ac simplices, atque aliæ figuræ ex eis extractæ, vel ab eis compositæ, variis coloribus distinguuntur. Sufficiat nobis hoc signum indicare; nam ejus explicatio longior esset.

2°) De oratione et virtute, quæ in Arte Lulliana studio jungendæ sunt.

854. — a) In *Revelat. secretor. Artis*, cap. 1, in fine legitur: « Scitote filii, quod scientia est

infusa aut acquisita; scientia infusa procedit ex voluntate, devotione et oratione; et scientia acquisita, ex intellectu, studio et labore (De amico et ama., n.° 249). Unde duæ sunt portæ, per quas mei discipuli possunt ingredi in atrium meæ scientiæ; quarum una est porta intellectus, altera est porta voluntatis. Ex his portis prodeunt etiam duo genera discipulorum, quorum unum est nobilius et perfectius altero; et quandoque ex ipsis producitur tertium genus, quod est nobilius et perfectius utroque. Et hoc fit dupliciter: quidam enim meorum discipulorum primo ingrediuntur per portam intellectus, et egrediuntur per portam voluntatis; alii vero primo ingrediuntur per portam voluntatis, et egrediuntur per portam intellectus; et hi ambo in fine conveniunt. Et hi mihi gratiores et mundo utiliores sunt duobus præcedentibus, nam habent habitum scientiæ infusum et acquisitum simul. Ex quibus colligetis, tres esse gradus discipulorum, magistrorum et doctorum Lullistarum: positivum scilicet, comparativum et superlativum. Eligite vobis, filii, ad quem horum trium ascendere vobis est animus; et ne media vos destituant ad faciendum hunc ascensum, præparavi vobis in multis meorum voluminum scalas valde commodas, quarum inter alias duæ sunt: nempe fides et devotio, quæ sunt scalæ per quas ascendit intellectus ad intelligendum amati sui secreta; et fides ac devotio habent suum principium ab amato, qui illuminat fidem et accendit devotionem (De amico et ama., n.° 300, fol. 174). Et quia hæc doctrina est nimis curta, consulo vobis ut adeatis *Artem compendiosam inveniendi veritatem*, ejusque modum septimum de oratione, dist. 2, part. 1, fol. 133; nam hic modus est clavis, quæ vobis aperiet secretum distinctionis 40 magni libri *Contemplationum...* »

« Subministratis mediis, convenit quoque ostendere modum, quo infusio hujus artis et scientiæ comparatur. Hic igitur modus discurrendi duobus modis efficitur, scilicet per sanctam vitam et contemplationem; nam quicumque ad habendam scientiam per infusionem laborare nititur, oportet eum in conversatione sanctæ vitæ vivere et honestæ, scilicet multum charitativum et devotum esse, et habere totas septem virtutes in anima ad repugnandum vitiis (notate hic, filii, unam rationem, quare virtutes posuerim in numero principiorum meæ Artis); et sicut hæc Ars ex universalibus principiis est, in quibus perquiruntur particularia, ita oportet eum magis diligere generale bonum, quam speciale. Alioquin repugnaret regulæ hujus Artis, et per hanc repugnantiam non posset a Deo infusionem recipere; nec in hac scientia per consequens informari. » (Art. inven. partic. in univ., dist. 2, n.° 4, fol. 5.).

b) Item, cap. 2, De secret., fig. T.: « Quapropter qui perfectam, et integram, et centralem vult habere cognitionem secretorum meæ Artis, primo discat, non tantum speculative, sed practice, hoc est manuali operatione et ipso experimento certificari, quomodo elementa operantur naturaliter; et huic modo conformem inveniet meum modum demonstrandi per figuram S. Sed quia ad intima arcana hujus Artis multi vocati et pauci electi, et inter decem vel centum mille vix unum reperias, qui possit aut velit manum ad hoc aratrum ponere, nec retrospicere, ideo in gratiam virorum religiosorum et contemplativorum, quibus non est copia Analyseos et Syntheseos physicæ demonstrationes practicas exercendi, utrumque systema, scilicet et intelligendi et operandi jam perfectum, et ex omni parte integrum; in meis libris, præsertim hoc primo Tomo proposui, ut utrumque genus discipulorum meorum, scilicet speculativi tantum, et speculativi et practici simul, inoffenso pede incedant in particularibus investigandis, inveniendis et demonstrandis... »

III.

De fine Artis Lullianæ, qui est assimilatio nostra ad Deum per scientiam et virtutem.

855. — Finis Artis universalis est: a) Deo intellectu ac voluntate conformari, cognoscendo verum et diligendo bonum; b) omnes scientias et artes ordinare ad Deum unitrinum; c) omnem veritatem demonstrare, tam naturalem quam supernaturalem; d) omnes quæstiones philosophicas et theologicas solvere, quantum homini possibile est.

Liquet hunc finem in divino Exemplarismo fundari. Nam 1°) cum ars Lulliana fundamentaliter consistat in imitatione Artis divinæ, sequitur Artem Lullianam cum Arte divina in fine suo consentire. — Atqui finis, quem intendit divinus Artifex, est omnium opificiorum suorum sed præcipue hominum conformitas cum suprema Forma omnium rerum exemplari, cum sit ipsa Unitas, Veritas, Bonitas et Trinitas. — Ergo humanus artifex et ipse intendere debet, ut seipsum, opera sua et alios homines conformet divinæ Formæ unitati, veritati, bonitati et trinitati. « Velut artificiatorum materia et forma directionem accipiunt ad unum ultimum finem, qui est perfectio operis, sic ad finem primæ figuræ ipsius A *(quæ divinam Formam repræ-*

sentat) omnes reliquæ figuræ diriguntur. » (Ars univers., dist. 1, de fig. A, fol. 9, T. 1). Hæc autem conformitas consistit in veritate, qua res divino Archetypo assimilantur essentiâ, intellectu et voluntate. Essentiâ autem Deo assimilantur, inquantum secundum divinas ideas productæ sunt; intellectu assimilantur, cognoscendo seu inveniendo verum, et vitando falsum; voluntate assimilantur, diligendo bonum, et odiendo malum. — Atqui, assimilatio hominis cum Deo quoad essentiam, physica est et necessaria; assimilatio autem per intellectum et voluntatem libera est, atque scopus est omnis operationis nostræ intellectualis, artisticæ et moralis. — Ergo scopus speculationis nostræ scientificæ, factionis artisticæ, actionis moralis, tam privatæ quam socialis, est prædicta conformitas cum Deo, seu veritas. Ergo in omni operatione nostra, speculativa et practica, intendere debemus invenire verum, et diligere bonum. Verum autem et bonum sunt naturalia et supernaturalia quoad nos. Verum et bonum naturalia, sunt objectum Philosophiæ speculativæ et practicæ. Verum et bonum supernaturalia, sunt objectum Theologiæ speculativæ et practicæ. Theologia est finis Philosophiæ, sicut gratia est finis naturæ in divinis Consiliis. Ergo Philosophia est ancilla Theologiæ. A Theologia dependent Jus canonicum, aliæque scientiæ et artes, quæ supernaturalem fidem supponunt; a Philosophia dependet Medicina aliæque scientiæ et artes, quæ naturalem tantum rationem supponunt. Omnes naturales veritates ex principiis suis demonstrari possunt; nulla supernaturalis veritas sola ratione naturali inveniri potest; sed supposita revelatione supernaturali, omnia Religionis Christianæ mysteria theologi cis rationibus demonstrari possunt juxta Lullum. Igitur scientia sive ars universalis, cum Philosophiam et Theologiam simul complectatur, omnes veritates, tam naturales quam supernaturales, demonstrare potest sive fidelibus sive infidelibus.

2°) In Prologo *Artis universalis*, seu Lecturæ artis compendiosæ inveniendi veritatem, ipse doctor illuminatus aperte declarat intentionem, quam sibi proposuit in scribendo hoc opere, in quo totam doctrinam suam compendiose redegit. Sic loquitur: « Finalis intentio hujus Artis est reperire Y *(Veritatem)*. Hæc autem intentio in quatuor partes dividitur: *prima* est bonum amare; *secunda* malum odire; *tertia* ut ex universali composito ex S *(figura operationis animæ rationalis)*, A *(figura Dei exemplaris)*, T *(figura principiorum omnis scientiæ)*, V *(figura virtutum et vitiorum)*, X *(figura contrarietatis principiorum)*, Y *(veritate invenienda)*, Z *(falsitate vitanda)*, sciatur fieri descensus ad investigationem et inventionem particularis *(objecti)*, in quo cognoscere diligimus Y *(veritatem)*; *quarta* ut faciamus necessariam demonstrationem illius, quod in reliquis scientiis credibile secundum veritatem existit. Per has enim quatuor intentiones Ars ista decurrit; hæc vero quatuor ad unum finem diriguntur, videlicet ut habeatur scientia inveniendi veritatem. »

§ II.

Æstimatur Ars Lulliana.

1°) Quorumdam auctorum sententias de Lulli doctrina referemus; 2°) nostrum quoque judicium proferemus.

I.

Referuntur quorumdam auctorum sententiæ de Lulli doctrina.

856. — 1°) Wadding sic loquitur in opere suo de Scriptoribus Ordinis Minorum: « Raymundus Lullus, Majoricensis, Tertii Ordinis S. Francisci, vir singularis vitæ et doctrinæ, non æquæ apud omnes opinionis. Majoricenses, et qui illius adhærent doctrinæ, summis laudibus extollunt; alii vehementer deprimunt, et in plerisque *indigne certe* traducunt. Nos diffuse hominem descripsimus Tomo 2 et 3 *Annalium*, ac de vita et doctrina sincere nostrum protulimus judicium. Illud quidem in homine maxime fuit commendabile, quod summo ardore et incredibili labore infidelium procurarit conversionem. Illud etiam admirabile, quomodo in perpetuis itineribus, ærumnosisque discursibus, tot libros scripserit, tam varia argumenta tractaverit, ita ut incredibile ferme videatur virum perpetuo peregrinantem, nullius adjutorio, codicum inopia laborantem, tot sui ingenii monumenta posteris reliquisse... Et quidem, si quæ labes in scripta irrepserat, si qua macula sunt conspersa, illam abunde suo cruore diluit, et si quid atramento peccavit, sanguine pro fide Christi sparso generose correxit. Martyrii gloria invidiam omnem superavit, et si quid aliunde livor objciat, hoc uno argumento retunditur, quod pro Christo animam posuerit, eique totum se obtulerit in holocaustum. »

« Porro id hîc sciendum est, quod præcipui doctrinæ errores, quos Nicolaus Egmericus, et ex isto alii affigunt Raymundo, non illius esse sed alterius Raymundi neophyti, cujusdam Instituti religiosi improbi alumni, cujus memoriam condemnavit Gregorius XI. Ex illius Re-

gesto Franciscus Peña Apostolicum condemnationis excripsit diploma, quod et ego inter hujus Pontificis monumenta in Archivo Vaticano recondita perlegi. »

« Apud Baleares, Raymundus hic noster summo habetur in honore, neque quidquam venerationis præter solemnem apotheosim *(canonizationem)* ei videtur deesse. Illius doctrinam ibidem doctores ex subsellio, statuto stipendio, publice profitentur. In Gallia curiose plerique ejus libros perquirunt, et legunt; asseruntque se inde absconditos haurire thesauros; unusquisque in suo sensu abundat; et quod unus non videt, alter se vidisse judicat. Ivo Parisiensis, ex Raymundi principiis, duo magna volumina nuperrime compilavit, quæ *Digestum Sapientiæ* nuncupavit. Certe illius librorum ingens est cumulus, et doctrinæ mira varietas. »

2°) Gonzales in Historia Philosophiæ, cap. 5: « Vir profecto exstitit magni ingenii, atque de scientiis procul dubio bene meruit, tum laboribus scientificis, tum operibus conscriptis; ast imaginationis vi abreptus, erudite atque subtilius, potius quam profunde et solide, de philosophicis disseruit. Exinde ipsa Lulli Ars Magna, quæ veluti compendium quoddam ipsius scientiæ habetur, ingenium quidem et originalitatem redolet, sed quæ formas externas potius quam rei substantiam et scientifica argumenta attingit... Ast vero, nec quoad ingenium, nec quoad voluntatem, nec quoad doctrinam, quidquam commune habet cum Sophistis, quibus aliqui eumdem accensere non verentur. »

3°) Rousselot, *Philosophie du moyen-âge, T. 3, p. 124:* « Raymond Lulle a droit à une place honorable parmi les hommes de son temps, qui ont le plus marqué dans la science... C'est assurément une des plus puissantes intelligences de son siècle. Son Grand Art en est une preuve. On peut à peine se figurer ce qu'il dut falloir de combinaisons, de recherches et de patience pour coordonner et rendre visible à l'œil un système aussi compliqué, et qui avait pour objet le savoir universel. »

4°) Rohrbacher, *Hist. univ. de l'Egl. cathol. liv. 76, T. 19, p. 306. Paris. Gaume 1858...:* « L'ensemble des vues de Raymond Lulle nous paraît excellent: Apprendre d'abord les langues, surtout celle des Arabes; principal ennemi à gagner, avoir une méthode générale, qui parte des vérités universelles dans tous les ordres, pour réfuter et détruire toutes les erreurs particulières, et mettre à leur place les vérités catholiques. Comme tous les ordres, et l'ordre matériel du monde visible, et l'ordre intellectuel des esprits créés, et l'ordre surnaturel de la grâce et de la gloire, viennent également d'un seul et même Dieu, dont ils doivent être le vestige, l'image et la ressemblance, ils ont naturellement entre eux une harmonie profonde, intime, inépuisable: les vérités de l'un doivent réfléchir les vérités de l'autre, comme tous les corps terrestres réfléchissent les rayons du soleil, l'un sous une couleur, l'autre sous une autre. On en voit de sublimes échantillons dans Saint Bonaventure, en son *Itinéraire de l'âme vers Dieu.* Raymond Lulle aura voulu généraliser cette méthode, compléter ce grand art de la vérité. Sans doute, il n'aura pas réussi complètement; plusieurs de ses idées n'auront point été assez nettes ou assez justes; son langage n'aura pas toujours été assez clair ni correct. Mais toujours la seule conception d'une œuvre pareille témoigne d'un immense génie, et la constance d'y travailler pour la gloire de Dieu jusqu'à l'âge de quatre-vingts ans, et jusqu'au martyre, montre une fois plus grande que le génie même. »

« Nous souhaitons que Dieu suscite à son Eglise un homme qui, joignant la foi et la science divine de Saint Thomas et de Saint Bonaventure à l'infatigable constance de Raymond Lulle, reprenne son œuvre, profite de ses travaux, ainsi que des progrès qu'on a faits dans les connaissances matérielles, expérimentales ou mécaniques; élève cette œuvre immense à sa perfection, pour la gloire de Dieu et le salut des hommes. »

II.

Quid ipsi de Lulliana Arte sentiamus.

857. — Auctoribus in præcedenti numero citatis consentimus ad laudandam sanctam intentionem, quam in scribendo habuit doctor illuminatus, atque ad mirandum latum et subtile ingenium, zelum et laborem improbum, quæ ostendit in tot voluminibus de omni fere materia componendis; sed etiam cum iisdem scriptoribus opinamur, ingens Raymundi opus in pluribus deficere, nec enthusiasmum participamus præcitati Ivonis Salzinger, aliorumque Lulli discipulorum, qui universalem Magistri Artem propugnant tanquam opus numeris omnibus absolutum, cui nihil addendum est, ac nihil demendum.

1°) Profecto *fundamentum* Artis Magnæ solidissimum est, cum nitatur divino Exemplarismo, quo cuncti sapientes, tum pagani quam Christiani consentiunt cum ipsa Dei Sapientia, omnium rerum Artifice; quicumque enim sapiunt, admittere tenentur necessariam analogiam effectus cum sua causa, ac proin omnis

creaturæ cum suo Creatore. *Methodus* quoque Lulli solida est, quia fundatur in duplici hominis natura, spiritu et materia composita, ideo convenientissimum est ut doctrina spiritualis hominibus explicetur per signa sensibilia, atque ut formæ interiores et invisibiles per figuras visibiles sensibiliter manifestentur.

2°) Ast in Lulliana Arte, *figuræ sensibiles nimiam partem usurpant*, ita ut ipsa intelligibilia doctrinæ principia sub sensibilibus signis plus æquo lateant, et mens discipuli magis figurarum artificio, quam scientificæ ac spirituali speculationi attendere debeat. Nec perspicimus ad quid prosit, nisi ad sermonis brevitatem, ut alphabeti litteræ arbitrarie substituantur verbis, quæ res communi usu significant.

Præterea Ars Lulliana *caret unitate et simplicitate*. Traditur enim sub variis respectibus ac titulis in viginti circiter opusculis, quæ non complete inter se consentiunt, cum posteriora opuscula corrigant, vel saltem perficiant anteriora. Nimia quoque est figurarum diversitas, nec in eis omnibus repræsentatur Trinitas in unitate, ita ut sensibiliter non appareat omnium rerum cum Deo unitrino analogia, in qua Lulli doctrina tota fundatur.

Insuper Ars Lulliana caret certitudine et auctoritate. Quædam enim divisiones sunt arbitrariæ, ac minus determinantur ex rerum natura, quam ex requisita in figuris symetria. Verbi gratia, non intelligitur, quare in Figura A sedecim enumerantur Dei attributa, et quare non plura aut pauciora. Hoc objicit Leibnitius, qui viginti tantum annos natus, Lullum imitatus est, componendo opusculum, quod inscripsit *De Arte combinatoria*, et excogitando *linguam philosophicam*. Præterea Raymundus nullam auctoritatem citat sive sacram, sive profanam, sed totam Artem suam fundat in regulis et figuris a seipso excogitatis, vel sibi specialiter revelatis, sicut ipse credebat.

Ars Lulliana *caret quoque claritate*, quia doctrina nimium sub signis latet. Figuræ enim, litteræ et colores, seu signa, quæ Lullus adhibet, sunt prorsus arbitraria, ita ut nulla naturalis sit relatio inter signa et res significatas Insuper verbis communiter in schola receptis atque intellectis ab omnibus, substituit verba prorsus inusitata, quæ nihil doctrinæ addunt, nisi obscuritatem. Sic *principia* vocat *cameras*, ratione casarum, quibus in figuris includuntur; sic etiam pro *activa* et *passiva operatione*, quæ in Deo et in omnibus creaturis invenitur, adhibet syllabas terminativas *tivum*, *bile*, *are*, quas addit omnibus rebus activis vel passivis, verbi gratia, bonificativum, bonificabile, bonificare; concordativum, concordabile, concordare, etc. Denique confusio in Arte Lulliana oritur ex eo, quod eædem alphabeti litteræ in diversis auctoris opusculis adhibentur ad diversas res significandas, ita ut quodlibet fere opusculum suo proprio alphabeto indigeat explicando in libri initio.

Denique Lulli doctrina sæpe *caret veritate*, sive in rebus ipsis, sive saltem in verbis et signis parum accuratis, quibus utitur Raymundus. Ideo multi, et quidem graves auctores, multos gravesque errores in diversis ejus operibus invenerunt. Præcipue erravit docendo, mysteria fidei rationibus naturalibus demonstrari posse. Discipuli ejus probare nituntur, Magistrum hoc intellexisse de demonstratione *a posteriori*, nempe supposita mysteriorum cognitione per supernaturalem revelationem, quod tenere non est hæreticum; adversarii autem contendunt Lullum docuisse mysteriorum demonstrationem *a priori*, ita ut ab ipsis infidelibus naturali ratione invenire possint, quod hæreticum est. — Præter *theologicos* errores, Lullus in rebus *physicis* erravit colendo vanam Alchimiæ scientiam, de qua plura scripsit opuscula; itaque ad Magistrum defendendum, Ivo Salzinger, in Prologo inscripto *Perspicilia Lulliana philosophica*, ipsam Lulli alchimiam auctoritate ac ratione vindicare conatur. Hic autem veritatis defectus validum suppeditat argumentum contra Lullianæ doctrinæ revelationem.

3°) *De Lulli doctrinæ orthodoxia* acriter olim disputatum est, ut legi potest in *Analectis Juris Pontificii*, fasciculo (livraison) 17. Historice certum est, Raymundi Lulli opera fuisse centum erroribus notata a Nicolao Egmerico, S. Sedis Inquisitore in Hispania, atque condemnata et prohibita in constitutione Gregorii XI anno 1376. Certum quoque est, Paulum IV, vi prædictæ constitutionis, Lulli opera primum inscripsisse in Indice librorum prohibitorum. Atqui Lullistæ, ut hanc condemnationem a Magistri sui capite avertant, dicunt cum Wadding non ipsum Lullum fuisse ab Egmerico denuntiatum atque a Gregorio XI condemnatum, sed alium Raymundum, nempe Neophytum, vel de Tarraga nuncupatum. At ex Bremundi Bullario constat utrumque Raymundum fuisse a Gregorio XI condemnatum: Raymundum de Tarraga in constitutione anni 1372, et Raymundum Lullum in alia constitutione anni 1376. Alii Lullistæ, ut Ivo Salzinger, asserunt constitutionem anni 1376 revera contra Lullum fuisse fulminatam, sed esse subreptitiam, atque reclamantibus Majoricensibus rescissam fuisse anno 1419 per sententiam Bernardi Episcopi, Civitatis Castelli, ex auctoritate apostolica ipsi in hac parte commissa a Cardinale Alamano, apo-

stolicæ Sedis legato in Majoricis et Minoricis insulis; cujus sententiæ authenticum documentum profert Salzinger, in capite operum Lulli. Hoc documentum non citatur in prædicto Analectorum fasciculo. Tandem certum est, quod post novum examen, atque ex decreto Concilii Tridentini 1[i] sept. 1563, Raymundi Lulli opera fuerunt ex Indice librorum prohibitorum expuncta.

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DANTE ALIGHERIO.

858. — **Prænotanda.** *De trino ordine præcipui poematis ejus.*

Alighierius, qui doctrinam scholasticam sublimibus carminibus cantavit et omnibus poesis floribus ornavit, trinum Exemplarismum seu divinæ Trinitatis in trino ordine creato repræsentationem juxta æternas supremi Artificis ideas, passim docet in magno poemate suo de divina Comœdia, cujus trilogiam sic animadvertit Petrus Angelus Fiorentino, in versionis suæ gallicæ introductione: « Le poème Dantesque est un et triple, à l'image de Dieu. Il se divise en trois parties: L'Enfer, le Purgatoire, le Paradis: le châtiment, l'expiation, la récompense. — A ces trois parties correspondent trois principaux personnages, car il faut remarquer que les nombres trois et neuf se reproduisent, dans leur signification mystique, à chaque page du poème. L'Enfer a neuf cercles, le Purgatoire a neuf degrés, le Paradis a neuf sphères. — Les trois personnages sont: Dante, Virgile, Béatrix: l'homme, la raison, la révélation. »

Sed divini Exemplarismi doctrina solidius ac splendidius apparebit in doctissimis Alighierii carminibus 1°) de divino Artifice unitrino, mundum a seipso, juxta seipsum et ad seipsum *formante* ac ordinante; 2°) de Deo unitrino suam imaginem *reformante* in homine per Christi gratiam; 3°) de Deo unitrino, angelos et homines per gloriam æternam *transformante.*

§ I.

De divino Artifice unitrino, a seipso, juxta seipsum et ad seipsum, mundum formante ac ordinante.

Aliis verbis, de divina Trinitate, ut est prima Causa efficiens, exemplaris et finalis formationis, ordinationis ac gubernationis mundi.

I.

Deus est supremus mundi Artifex, Principium et Finis.

859. — 1°) De Monarchia, cap. 11. « Quemadmodum Ars in triplici gradu invenitur, in mente scilicet artificis, in organo, et in materia formata per Artem; sic et naturam possumus intueri. Est enim natura in Mente primi Motoris, qui Deus est; deinde in cœlo tanquam in organo, quo mediante similitudo Bonitatis æternæ in fluctuantem materiam explicatur. Et quemadmodum perfecto existente artifice, atque optime se habente organo, si contingat peccatum in forma artis, materiæ tantum imputandum est, sic etc. »

2°) Parad., Cant. 19, v. 40-45:

« Ille qui circumduxit circinum
Ad extrema mundi, et inter duas acies ejus
Distinxit tot occulta et manifesta,
Non valuit Potentiam suam ita imprimere
In toto universo, ut suum Verbum
Non remaneret in infinito excessu. »

3°) Infern., Cant. 11, v. 97-105:

« Philosophia... illum qui ipsam attendit,
Docet, non in uno tantum loco,
Quomodo natura principium cursus sui sumit
In divino Intellectu et in ejus Arte.
Et si debite tuam Physicam examines,
Invenies, non post multas paginas,
Quod Ars humana naturam, quantum potest
Sequitur, sicut magistrum sequitur discipulus;

Ita ut ars vestra a Deo sit quasi nepos *(Oritur enim a Dei Filio, qui est Ars Patris).*
Ab his duabus, si mente recorderis
Genesis principium, oportet
Hominem sumere vitam suam et progressum. »

4°) PARAD., CANT. 8, v. 85-90, Poeta Carolo Martello hæc dicit de Deo omnium rerum Principio et Fine:

« Quoniam credo quod alta lætitia,
Quam verba tua mihi infundunt, domine mi,
In omnis boni tam Fine quam Principio
A te conspicitur, sicut illam conspicio:
Ideo gratior mihi est, et adhuc carior
Quia hanc discernis speculando in Deo. »

In Cantu 25 ejusdem Partis, v. 16-18 dicit Beatrici:

« Bonum quod beatificat hanc curiam
Est Alpha et Omega magnæ scripturæ
Quam mihi dictat amor, sive hoc leve sit, sive forte... »

Item, v. 28-35:

« Nam bonum, in quantum bonum, cum cognoscitur,
Accendit nos amore, et tanto magis,
Quanto plus bonitatis in se comprehendit,
Ergo illa Essentia, in qua tot sunt perfectiones,
Ut omne bonum, quod extra illam invenitur,
Aliud non sit quam ejus luminis radius,
Plus quam aliud debet movere
Mentem amore . . . . . »

II.

Divinus Artifex unitrinus, omnia opificia sua juxta seipsum formavit et ordinavit.

860. — 1°) PARAD. CANT. 10, v. 1-12:

Contemplando Filium suum cum Amore
Quem unus et alter æternaliter spirant,
Prima et ineffabilis Potentia
Quidquid menti nostræ et oculis circumfertur
Cum tanto ordine fecit, ut sit impossibile
Hoc spectaculum admirari, quin gustetur.
Eleva igitur, lector, mecum oculos ad sublimes
Sphæras rotantes, versus eam partem
In qua unus motus ab altero repercutitur;
Et ibi incipe contemplari Artem
Hujus Magistri, qui illam intra se tantum diligit,
Ut nunquam ab ea oculos avertat. »

2°) PARAD., CANT. 29, v. 7-45:

« Cum facie risu depicta
Tacuit Beatrix, intuendo
Fixe divinum Punctum, quod visum meum superaverat:
Deinde incepit: Dico, non a te quæro
Quod tu vis audire, quoniam hoc vidi
In Puncto quo convergunt omne ubi *(omnis locus)*, omne quando *(omne tempus)*,

Non ut sibimetipsi acquireret aliquod bonum,
Quod impossibile est; sed ut proprio splendore
Resplendendo, dicere posset: Subsisto.
In sua æternitate, extra tempus,
Extra omne spatium, cum ipsi placuit,
Se diffudit in novem amoris ordines æternus Amor.
Nec antea quasi torpens jacebat;
Etenim neque ante, neque post *(creationem, sed ab æterno)* procedebat *(ad intra)*
Spiritus Dei, qui in initio discurrebat super aquas.
Forma et materia, conjunctæ et distinctæ,
Ortæ sunt ab infallibili actu *(Voluntatis divinæ)*
Sicut ab arcu tricorde tres sagittæ;
Et sicut in vitro, in electro, et in crystallo
Radius ita resplendet, ut inter adventum
Et existentiam ejus totius *(in recipiente)* non est intervallum,
Sic triformis effectus e sinu Creatoris erupit
In tota et simultanea sui radii existentia,
Sine distinctione in suo exordio.
Concreatus fuit ordo et constitutus
Substantiis, quarum illae fuerunt supremæ
In mundo, in quibus Actus purus fuit reproductus *(aliquo modo);*
Pura potentia tenuit partem infimam;
In medio constricta sunt potentia et actus
Tali ligamine, ut nunquam solveretur.
Hieronymus scripsit, longo tractu
Sæculorum angelos fuisse creatos,
Antequam alter mundus *(materialis)* factus esset;
Sed hæc veritas *(quam tibi dixi)* scripta est in pluribus locis
Scriptorum Spiritus sancti;
Et tu illam videbis, si bene inspicias.
Ipsa quoque ratio hanc aliquantum intuetur,
Quippe non concedet motores
Sine sua perfectione *(suo actu)* tamdiu fuisse. »

3°) Ibidem, v. 130-145, dicitur de natura angelica:

« Hæc natura sic ultra gradibus progreditur
In numero, ut nunquam fuit loquela
Nec conceptus mortalis, quæ tam longe processerit.
Et si consideres quod revelatur
Per Danielem, videbis quod in suis millibus
Determinatum numerum celat.
Prima Lux, quæ totam naturam angelicam irradiat,
Tot modis in ipsa recipitur,
Quot sunt splendores, quibus se adaptat.
Unde, quoniam actum contemplationis
Sequitur affectus, amoris dulcedo
Diversimode in ipsa fervet aut tepescit.
Vide igitur altitudinem et latitudinem
Æternæ Potentiæ, quæ postquam tot
Specula sibi fecit, in quibus se reflectit,
Una in se remanet sicut antea. »

III.

Divinus mundi Rector omnia ordinate movet ad Bonum, seu ad seipsum.

861. — 1°) PARAD., CANT. 1, v. 103-141 :

« Res omnes quotquot sunt,
Ordinem habent inter se, et hic ordo est forma
Qua mundus universus fit Deo similis,
Hîc vident sublimes creaturæ vestigium
Æternæ Potentiæ, quæ est finis
Propter quem facta est prædicta norma *(lex ordinis)*.
In ordine isto inclinantur
Omnes naturæ variis modis,
Plus minusve divino Principio suo vicinæ.
Unde se movent ad portus *(ad fines)* diversos
Per ingens mare existentiæ, et singulæ
Feruntur instinctu sibi indito.
Ipse instinctus portat ignem versus lunam *(scilicet sursum)*,
Ipse cordium mortalium præmotor est;
Ipse terram in seipsa stringit et adunat.
Nec solum creaturæ privatæ
Intelligentia, illo arcu ejaculantur,
Sed etiam intellectu et amore præditæ.
Providentia, hæc omnia componens,
Suo lumine semper quietat cœlum,
In quo volvitur rapidior sphæra *(seu primum mobile veterum)*.
Et huc, sicut ad locum determinatum
Nunc jaculat nos vis illius arcus,
Qui sagittas suas dirigit in scopum lætitiæ.
Verum est quod, sicut forma non concordat
Multis vicibus intentioni Artificis,
Quia ad ei correspondendum materia surda est;
Sic ab hoc cursu se divertit
Interdum creatura; quoniam potest
Non obstante isto impulsu, divertere se in alteram partem;
Et quemadmodum inspici potest cadens
Ignis de nubibus, ita decidit homo, si primus ejus impetus
Ad terram detortus est, per falsi boni contemplacentiam.
Si bene æstimo, non debes magis admirari
Te sursum *(mente)* ascendentem, quam rivum
Ab alto monte descendentem usque deorsum.
Mirabile in te esset, si liber
Ab impedimento, seorsum sedisses *(maneres)*,
Ac si in terra quiesceret vivax flamma. »

2°) PARAD., CANT. 8, v. 97-114:

« Bonum *(supremum)* quod totum regnum ubi scandisti
Volvit atque beatificat, influit virtutem
Suæ Providentiæ in his magnis corporibus *(cælestibus)*;
Et non solum naturis providet
Ex sinu Mentis suæ, quæ de se perfecta est,
Sed simul providet earum saluti;
Nam quodcumque ille arcus jaculat

Disponitur ad cadendum in prævisum finem,
Quasi sagitta in scopum suum directa.
Si hoc non fuisset, cœlum quod percurris,
Ita produceret suos effectus,
Ut non essent artis opera, sed ruinæ,
Et hoc esse nequit, si intelligentiæ *(angelicæ)*,
Quæ movent stellas istas, non sint defectivæ,
Sicut defecisset prima Intelligentia, quæ illas non perfectas creasset.
Visne hanc veritatem magis tibi clarescere?
— Et ego *(respondi)*: Non jam *(necesse est)*, quia impossibile mihi videtur
Quod natura in his, quibus indiget, deficiat ».

3°) Parad. Cañt. 13, v. 52-87. *(Hic locus ad mundi formationem potius pertinet).*

Quod non moritur, et quod mori potest,
Non est nisi splendor hujus Ideæ,
Quam amando parturit Dominus noster.
Hæc viva Lux, *(Filius)* ita means
Ex suo Lucente, *(Patre)* ut non disjungatur
Ab Eo, neque ab Amore, qui amborum tertius est,
Per suam Bonitatem radios adunat,
Quasi reflexos in novem subsistentias *(ordines angelorum)*,
Æternaliter remanens una.
Inde descendit ad ultimas potentias,
De actu in actum infra sic deveniendo,
Ut amplius non faciat nisi breves contingentias;
Quas contingentias esse intelligo
Res generatas, quas producit
Cum semine, vel sine semine, cœli motus.
Cera *(materia)* rerum istarum, et forma quæ illam fingit
Non subsistunt uno modo, ac propterea sunt sigillo
Ideali plus minusve translucidæ *(divinam similitudinem, instar luminis participantes)*;
Unde evenit, ut una et eadem arbor
Secundum speciem, meliores vel pejores fructus edat,
Et vos maxime cum diverso ingenio.
Si cera *(materia)* fuisset ad formæ apicem deducta,
Aut cœlum *(actio generativa siderum)* fuisset in sua virtute suprema,
Lux *(similitudo)* sigilli *(divini Exemplaris)* tota appareret.
Sed natura hanc lucem semper transmittit debiliter,
Operando quemadmodum artifex,
Qui habitum artis possidet, sed manu tremit.
Propterea si calidus Amor claram Lucem
Primæ Potentiæ disponat et sigillando applicet *(immediate)*,
Opus ejus totam perfectionem suam acquirit.
Sic facta fuit olim terra, digna
Omni perfectione vitali
(Quando ex illa divinitus formatum fuit corpus Adæ, quod anima rationali informatum est);
Sic Virgo *(Maria)* facta fuit prægnans.
Approbo igitur tuam opinionem;
Nam humana natura nunquam talis fuit,
Nec erit, qualis fuit in his duabus personis *(scilicet in Adamo et Christo)*. »

§ II.

De Deo unitrino, suam imaginem reformante in homine per Christi gratiam.

Sublimiter canit Dantes 1°) ineffabile Redemptionis mundi opus, per divini Verbi Incarnationem; 2°) dignitatem Matris Verbi incarnati.

I.

De Redemptionis nostræ opere, per Verbi Incarnationem.

862. — Parad. Cant. 7, v. 52-120:

« Sed video tuam mentem constrictam
De cogitatione in cogitationem intra nodum quemdam,
A quo cum magno desiderio solvi cupit.
Tu dicis: Recte discerno quod audio;
Sed mihi latet quare Deus voluit
Nostram operari Redemptionem solo hoc modo.
Hoc decretum, frater, manet sepultum
Oculis omnium, quorum ingenium
In amoris flamma non crevit.
Revera, quia hoc mysterium
Quanto magis consideratur, tanto minus intelligitur,
Dicam quare talis modus fuit dignior.
Divina Bonitas, quæ a seipsa aspernatur
Omnem livorem, ardendo in se ita scintillat,
Ut circa seipsam æternas dispergat pulchritudines.
Res creatæ, quæ ab Ipsa sine medio distillant *(res nempe spirituales)*,
Non habent finem *(immortales sunt)*, quia non deletur
Impressa Dei imago, qua sigillantur.
Res creatæ, quæ ab Ipsa sine medio fluunt,
Liberæ sunt omnes, quia non subjacent
Virtuti novarum rerum.
Quanto sunt ei conformiores, tanto sunt ipsi gratiores;
Quoniam sanctus ardor, res omnes irradians,
Vivacior est in sibi similioribus.
Omnibus istis dotibus prædita est
Humana natura, et si una dote deficit,
A nobilitate sua necessario cadit.
Solum peccatum privat eam libertate,
Et similitudine cum summo Bono,
Quia lumine ejus parum tantummodo splendet peccator;
Et in suam dignitatem nunquam redit,
Si culpæ suæ vacuitatem *(defectum)* non compleat,
Ac malam delectationem justis pœnis non expiet.
Vestra natura quando tota peccavit
In semine suo, ab hac dignitate
Sicut etiam a paradiso, remota est;
Nec illam poterat, si cogites
Seria cum attentione, per nullam viam recuperare,
Quin transiret per alterutrum horum mediorum:
Vel quod Deus solus præ sua clementia

Culpam dimitteret, vel quod homo per seipsum
Satisfaceret pro sua insipientia.
Fige nunc oculos intra abyssum
Æterni Consilii, et quantum potes,
Meis verbis districte ac fixe attendas.
Non poterat homo in naturæ suæ limitibus
Unquam satisfacere, quia non poterat tantum descendere
Cum humilitate obediendo,
Quantum inobediendo intus *(per superbiam)* ascenderat;
Et hæc est ratio propter quam homo fuit
Inferior, ut posset per seipsum satisfacere.
Igitur oportebat Deum per vias suas *(per divina media)*
Reparare hominem in sua integra vita;
Dico per unam viam, vel per duas ambas *(superius indicatas)*.
Sed quia opus tanto magis æstimatur
Ab operante, quanto magis appropinquat
Bonitati cordis sui, unde ortum est:
Divina Bonitas, quæ in mundum imprimitur,
Procedere per omnes vias suas
Ad vos sursum relevandos libenter voluit.
Nec a primo die usque ad ultimam noctem,
Tam sublimis et tam magnificus processus,
Sive per unam, sive per alteram viam factus est, vel fiet.
Nam liberalior fuit Deus dando semetipsum,
Ut faceret hominem sufficientem ad se relevandum,
Quam si solus a Seipso culpam ei dimisisset.
Et omnes alii modi erant insufficientes
Ejus justitiæ, si Filius Dei
Non fuisset humiliatus usque ad Incarnationem. »

II.

De dignitate Matris Verbi incarnati.

863. — PARAD., CANT. 33, v. 1-21.

« O Virgo Mater, filia tui Filii,
Humilior et altior quam ulla creatura,
Fixe Consilii æterni termine,
Tu illa es quæ humanam naturam
Tam nobilitasti, ut illius Factor
Non dedignatus est fieri sua factura.
In utero tuo iterum accensus est ille Amor,
Per cujus calorem in æterna pace
Ille flos *(Christus)* germinavit.
Supra *(in cælo)* nobis es meridiana fax
Charitatis, et infra inter mortales
Fons spei vivus scaturis.
O Domina, tam magna es, et tam potens,
Ut qui gratiam cupit, et ad te non recurrit,
Vult suum desiderium sine alis volare.
Tua benignitas, non tantum succurrit
Petentibus, sed multis vicibus

Liberaliter petitionibus præcurrit.
In te misericordia est, in te pietas,
In te magnificentia, in te adunatur
Quidquid bonitatis est in creatura. »

§ III.

De Deo unitrino, angelos et homines per gloriam æternam transformante.

Miro modo celebrat Alighierius 1°) visionem beatificam, in qua essentialiter consistit gloria æterna; 2°) gloriam accidentalem B. V. Mariæ, cœli Reginæ; 3°) novem choros angelorum; 4°) gloriosum cœtum beatorum hominum; 5°) laudes divinæ Trinitatis et Jesu Christi, a tota cœlesti curia cantatas.

I.

De clara divinæ Trinitatis visione per gloriam.

864. — In cantu 33 Paradisi, v. 67-145, S. Bernardus Beatam Virginem Mariam deprecatur, et ab illa obtinet, ut Alighierius divinam Essentiam facie ad faciem contemplari possit. Poeta beatam visionem suam sic describit:

« O summa Lux, quæ tantum elevaris
Super conceptus mortales, meæ menti
Iterum præsta parum splendoris tui;
Et fac linguam meam tam potentem,
Ut unam tantum scintillam tuæ gloriæ
Possit relinquere futuris gentibus....
O abundantem gratiam, unde ego præsumpsi
Visum adeo figere in Lucem æternam,
Ut aciem mentis ibi consumpsi.
In profundo Ejus vidi interne
Ligatum Amore, in uno volumine,
Quidquid per universum variis paginis dispergitur:
Substantias, accidentia et eorum habitus,
Omnia simul conflata tali modo,
Ut quod dico est pallida refulgentia.
Formam universam hujus nodi
Credo me vidisse, quia magis dilatatum,
Dicendo hoc, me sentio præ gaudio....
Sic mea mens tota suspensa
Mirabatur, fixa, immobilis et attenta,
Ac semper in mirando fiebat magis accensa.
Hujus Lucis talis est effectus,
Ut ab illa averti ad aliud aspiciendum
Nullus unquam consentire possit;
Nam bonum, quod est voluntatis objectum,
Totum colligitur in ea, et extra illam
Est defectivum id, quod est in ea perfectum.
Deinceps erit brevior mea lingua
Ad exprimendum quæ recordor, ac infantis
Lingua, quam humectat adhuc mamilla;
Non quia plus quam simplex aspectus
Fuerit in vivo Lumine, quod mirabar,
Et quod semper tale est, quale prius erat;

Sed propter visum, quæ roborabatur
In me aspiciente, unus solus aspectus,
Dum ego mutarer, mihi evolvebatur.
In profunda et clara Substantia
Altissimi hujus Luminis, apparuerunt tres circuli
Trium colorum, sed æqualis circumferentiæ;
Et unus ab altero, sicut iris ab iride,
Reflexus apparebat, et tertius videbatur ignis
Qui ab utroque æqualiter spirabatur.
O quam curta sunt dicta mea, et quam inferiora
Meo conceptu! Hæc si comparentur eis quæ vidi,
Tam pauca sunt, ut non satis sit dicere pauca.
O Lucem æternam, quæ, sola in te quiescis,
Sola te intelligis; et a te intellecta
Et te intelligens, te diligis, et tibi arrides!
Hic circulus *(Filius)* qui conceptus
Apparebat in te, sicut lumen reflexum,
Oculis meis dum circumspiciebatur:
Intra se, suo colore proprio
Mihi pictus apparuit nostra *(humana)* effigie;
Ideo meus visus in ipso medio totus erat.
Qualis est geometra, qui totam mentem defigit
Ad mensurandum circulum, et non reperit
Cogitando, principium quo indiget,
Talis eram ego in hac nova visione;
Videre volebam quomodo conveniebat
Imago cum circulo, et quomodo in eo locabatur;
Sed huc volare non poteram propriis pennis,
Nisi mea mens fuisset percussa
Quodam fulgore, in quo desiderium suum compleretur.
Sublimi phantasiæ meæ hîc defuit posse;
Sed jam volvebat meum desiderium et voluntatem,
Sicut rotam quæ uniformiter movetur,
Ille Amor qui movet solem et alia sidera.»

II.

De Beata Virgine Maria, cœli Regina.

865. — PARAD., CANT. 23, v. 70-139, Beatrix dicit Aligherio:

« Quare facies mea sic te amore accendit,
Ut non te convertas ad pulchrum hortum,
Qui sub radiis Christi florescit?
Ibi rubet Rosa in qua Verbum divinum
Carnem se fecit, ibi candent lilia,
Ad quorum odorem arripitur bona semita.
Sic dixit Beatrix; et ego qui ad consilia ejus sequenda
Totus eram promptus, adhuc me contuli
Ad debellandum debiles palpebras *(ut melius viderem)*.
Quemadmodum radio solis pure meante
Per fractam nubem, illuminatum pratum florum
Jam viderant oculi mei umbra cooperti,
Sic vidi plurimas turbas splendorum

Ab alto refulgentes radiis ardentibus,
Quin viderim Principium hujus fulgoris.
O benignam Virtutem *(divinam)*, quæ lumen tuum illis ita imprimis!
Sursum te exaltasti, ut locum largires
Oculis meis, qui te contemplandi non erant capaces.
Nomen pulchri floris *(Mariæ)*, quem semper invoco
Mane et vespere, totum meum restrinxit
Animum ad intuendum maximum ignem suum.
Et cum ambo oculi mei mihi depinxerunt
Quale et quantum est jubar illius viventis stellæ,
Quæ sursum *(in cœlo)* triumphat, sicut deorsum *(in terra)* triumphavit,
Ex profundo cœlo descendentem vidi flammam
In circulo formatam tanquam coronam,
Quæ cinxit stellam, et circa illam gyravit.
Qualiscumque sit melodia dulcissime resonans
In hac terra deorsum, et maxime animum nostrum ad se rapiens,
Videbitur ut nubes tonitru fracta,
Si sono comparetur illius lyræ
Quo coronabatur pulchra saphirus,
In cœlo purissimo emicans.
(Hæc corona cantabat): Ego sum Amor angelicus, gyrans
Præ alta lætitia spirata ex utero,
Qui fuit hospitium nostri desiderii *(Christi)*;
Et gyrabo, o cœli Domina, dum
Sequeris Filium tuum, et diviniorem facies
Sphæram supremam *(spirituum angelicorum)* quia hanc ingrederis.
Sic circulata melodia
Fulgendo loquebatur, et cætera omnia lumina
Resonabant Mariæ nomen.
Pallium regale (*Angelici chori qui per conum, seu pallium erectum et extentum figurari possunt)*
contegens omnes sphæras mobiles
Mundi, quod magis fervescit ac animatur
Divino halitu *(spiritu)* et habitu *(charitate)*,
Oram suam superiorem erigebat
Tanta distantia, ut ejus parvitas
Ex loco ubi eram nondum mihi appareret.
Itaque oculi mei non poterant
Sequi coronatam flammam,
Quæ versus Principium suum elevata est.
Et velut infantulus, qui ad materculam,
Cujus lac suxit, brachia protendit
Præ grato animo; sic foras tandem in flammam erumpens,
Quilibet horum candorum sursum erexit
Summitatem suam, ita ut altus affectus
Quo Mariam prosequebatur, mihi palam apparuit.
Deinde in meo conspectu remanserunt,
Cantando *Regina cœli* tam suaviter,
Ut numquam ex me exibit ejus delectatio.
O quanta ubertas reconditur
In Arcis illis ditissimis *(in angelis)*
Huic terræ deorsum infundentibus bona semina *(sanctas inspirationes)!*
Ibi vivitur gaudio thesauri

Acquisiti plangendo in exilio
Babylonis, ubi relinquitur aurum *(a morientibus)*.
Ibi triumphat, sub altissimo Filio
Dei et Mariæ, ipsius Christi victoriâ,
Cum antiquo et novo cœtu *(Sanctorum utriusque Testamenti)*
Ille qui gloriosi hujus imperii claves tenet *(Sanctus Petrus)*. »

III.

De novem choris angelorum, et eorum comparatione cum novem cœlis.

866. — PARAD., CANT. 28, v. 16-139:

Unum Punctum vidi lumine radians
Tam acuto, ut visus ab eo offensus
Dimitti debeat, ad vitandum ejus acumen;
Et stella quæ hinc minima apparet,
Ut luna videretur huic puncto comparata,
Velut stella apud alteram stellam collocata.
Eadem forte distantia, qua apparet luminosa
Halo circa lucem *(solis)* illam depingentem,
Quando vapor eam portans spissior est:
Distabat ab interno Puncto circulus igneus
Tam rapide gyrans, ut superasset
Citiorem motum *(primi mobilis cœlestis)* qui mundum cingit.
Et circulus ille erat altero circumcinctus,
Et hic tertio, et tertius quarto,
Et quartus quinto, et quintus sexto;
Et super omnes septimus succedebat tam extentus
In latitudine, ut nuntia Junonis *(iris)*
Ad hunc intra se continendum arctior esset.
Sic octavus et nonus. Et unusquisque circulus
Tardius movebatur, secundum quod erat
Numero magis distans ab unico *(Puncto centrali)*;
Et ille flammam habebat sinceriorem,
A quo minus distabat Lux pura *(Puncti divini)*;
Puto quia magis illius veritatem participabat.
Domina mea *(Beatrix)*, quæ me videbat in cura
Magna cogitabundum, dixit: Ab hoc Puncto
Dependet cœlum et tota natura.
Mirare illum circulum, qui magis ei conjunctus est,
Et scias suum motum esse tam rapidum
Propter amorem, quo a divino Puncto inflammatur.
— Et ego illi: Si mundus *(corporeus)* fuisset dispositus
Juxta ordinem, quem in his rotis intueor,
Hæc tua explicatio mihi satisfecisset.
Sed in mundo sensibili, possunt
Res tanto diviniores *(scilicet astra)* inspici,
Quanto sunt a suo centro *(scilicet terra)* remotiores.
Itaque, si desideria mea complenda sint
In hoc mirabili et angelico templo,
Quod amorem et lucem habet tanquam solos confines,
Audire adhuc mihi oporteret quomodo exemplatum *(mundus visibilis)*

Et exemplar *(mundus invisibilis)* simili ordine non procedunt,
Nam frustra laboro in hoc intelligendo.
— Si tui digiti ad talem nodum solvendum
Insufficientes sunt, non est mirum;
Tantopere enim constrictus est, quia nemo hunc solvere tentavit.
— Sic Domina mea *(locuta est)*; deinde dixit: Ausculta
Quod tibi dicam, si satiari cupias,
Et intra mentem tuam illud revolve.
Circuli corporales *(sphæræ cœlestes)* sunt ampli vel arcti,
Secundum plus vel minus virtutis,
Quæ per omnes eorum partes extenditur.
Major bonitas *(virtus)* majorem vult efficere salutem *(majus bonum)*,
Majorem vero salutem majus corpus accipit,
Si partes ejus æqualiter computentur.
Ergo circulus ille *(primum mobile)*, qui totum quantum est rapit
Sublimem secum universum, correspondet
Huic circulo *(seraphico)* qui plus diligit et sapit.
Itaque si virtutem circumplecteris
Mensura tua, quæ tibi circulariter dispositæ apparent,
Videbis admirabilem convenientiam *(proportionem)*
Majoris ad majus, et minoris ad minus,
Inter quodcumque cœlum et intelligentiam illud moventem.
. . . . . Circuli primi
Tibi exhibent Seraphim et Cherubim.
Velociter sic sequuntur vim illos rapientem,
Ut assimilentur Puncto *(divino)* quantum possunt;
Et possunt quantum in Illo videndo sublimantur.
Isti alii Amores circa illos gyrantes,
Appellantur Throni, divini aspectûs
Quia primum terminant ternarium.
Et scire debes, omnes tantam habere dilectionem,
Quanto visus eorum profundius penetrat
Veritatem, in qua quiescit omnis intellectus.
Inde videri potest quomodo fundatur
Essentia beatitudinis in actu contemplationis;
Non autem in actu amoris, qui sequitur.
Et visio mensuratur mercede,
Quam parturit gratia et bona voluntas.
Sic de gradu in gradum proceditur
Alius ternarius, ita germinans
In hoc vere sempiterno,
Ut nocturnus Aries eum non despoliet;
Perpetuum Hosanna decantat
Tribus melodiis resonantibus
In tribus lætitiæ ordinibus, quibus completur.
In ipsa vero hierarchia tres deæ numerantur:
Primo Dominationes, deinde Virtutes;
Tertius ordo est Potestatum.
Postea in duobus penultimis tripudiis
Gyrant Principatus et Archangeli;
Ultimum *(tripudium)* totum angelicis ludis componitur.
Illi ordines omnes sursum intuentur

Et deorsum triumphant, ita ut ad Deum
Omnes trahantur, et omnes trahant.
Et Dionysius *(Areopagita)* cum tanto desiderio
Hos ordines contemplari aggressus est,
Ut eos nominaverit et distinxerit sicut ego.
Sed dein Gregorius ab illo discrepavit;
Itaque cum primum oculos aperuit
In hoc cœlo, de suo risit errore.
Et si veritatem a Deo secretam protulit
Homo mortalis *(S. Dionysius)* in terra, nolo te admirari;
Quoniam ille *(S. Paulus)*, qui hoc in cœlo eam contemplatus est, ipsam ei revelavit,
Cum multis aliis veritatibus circa eosdem gyros. »

IV.

De glorioso beatorum hominum cœtu.

867. — PARAD., CANT. 30, V. 97-132 ET CANT. 31, V. 1-54:

« O splendorem Dei, per quem vidi
Sublimem regni veritatis triumphum,
Da mihi virtutem illum, sicut vidi enarrare.
In hoc loco excelso lumen *(gloriæ)* est, quod visibilem facit
Creatorem illis creaturis,
Quæ in sola ejus contemplatione suam pacem inveniunt.
Lumen istud extenditur in figura circulari
Tam lata, ut ejus circumferentia
Largior esset solis cingulo.
Quidquid ex illo apparet est radius
Reflexus in summitate primi mobilis *(noni cœli)*,
Qui vitam inde accipit atque potentiam.
Et sicut collis in aquæ pedis sui speculo
Se reflectit, quasi ad inspiciendam se ornatam
Et ditatam viriditate ac floribus,
Sic stantes supra et circa lumen circulare
Vidi se conspicientes ut in speculo, plus quam mille gradibus disposìtos,
Quotquot ex nobis illuc sursum redierunt.
Et si infimus gradus in se recolligit
Tam grande lumen, quanta est amplitudo
Illius rosæ in extremis foliis?
Visus meus nec latitudinem ejus, nec altitudinem
Amittebat, sed totam complectebatur
Quantitatem et qualitatem hujus lætitiæ.
Ibi propinquitas et longinquitas nihil addunt, nec demunt,
Quia ubi Deus sine medio gubernat,
Leges naturales effectum non habent.
Ad centrum rosæ sempiternæ,
Quæ se gradibus dilatat, et redolet
Laudis odorem coram Sole ver perpetuum causante,
Me, sicut aliquem tacentem et loqui volentem,
Traxit Beatrix, et dixit: Mirare
Quantus est ille cœtus candidarum stolarum!
Vide in quantum gyrum extenditur nostra civitas!

Vide nostros gradus adeo repletos,
Ut paucæ adhuc animæ hic desiderentur!
. . . . . .
In forma igitur candidæ rosæ
Mihi se exhibuit militia sancta,
Quam suo sanguine Christus sibi desponsavit.
Altera *(militia angelica)* autem volando videt et cantat
Gloriam ejus, qui amore ipsam accendit,
Et Bonitatem, quæ tantopere illam ampliavit.
Sicut apum examen, modo floribus
Immersum, modo rediens
Ad alveum, ubi mellis elaboratur sapor,
Ita angeli ad grandem florem descendebant, ornatum
Tot foliis, et inde cum gaudio remeabant
In locum, ubi semper habitat eorum Amor.
Faciem omnes habebant vivida flamma succensam,
Alas aureas, et reliqua tam candida,
Ut nulla nix ad talem albedinem pervenit.
Quando in florem de gradu ad gradum descendebant,
Alas agitando spargebant pacem
Et ardorem, quæ ipsi acquisierant.
Nec tanta multitudo interposita
Inter summum cœlum et florem,
Impediebat visionem et splendorem;
Quia Lux divina ita penetrat
Universos beatos, secundum quod singuli digni sunt,
Ut nullum esse possit ei obstaculum.
Hoc securum et grandissimum regnum,
Plenum erat antiqua ac nova gente *(scilicet justis utriusque Testamenti)*,
Quæ visum et amorem ad unum scopum directos ambæ tenebant.
O trinam Lucem, quæ in unica stella *(Essentia)*
Scintillando, visum earum sic delectaris,
Intuere hîc deorsum nostras procellas!....
— Sicut pius peregrinus, qui se recreat
Intuendo templum ubi votum suum implevit,
Et jam sperat enarrare quod vidit;
Sic ego, per vivam lucem transeundo,
Oculos per gradus ducebam,
Modo sursum, modo deorsum, modo circulatim.
Facies videbam charitatem mihi persuadentes,
Alieno lumine *(divino)* et proprio risu irradiatas,
Et corporum habitus omni decore ornatos.
Generalem formam Paradisi
Totam meo conspectu jam comprehenderam;
Sed in nullam adhuc partem oculos firmaveram.... ».

V.

De divinæ Trinitatis ac Christi laudibus a tota curia cœlesti celebratis.

868. — PARAD., CANT. 138, v. 21-27:

« Ibi cantabantur non Bacchus, neque Apollo,
Sed tres Personæ in divina natura;
Et in una Persona, divina natura et humana, »

PARAD., CANT. 27, v. 1-9:

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto!
Cantare incœpit totus Paradisus,
Ita ut me inebriaret dulcissimus ille cantus.
Spectaculum quod videbam mihi apparebat tanquam risus
Mundi universi, quoniam mea ebrietas
Per auditum et per visum ingrediebatur;
O gaudium! O lætitiam ineffabilem!
O vitam integram amoris et pacis!
O sine cupiditate securas divitias!

IBID., CANT. 14, v. 28-63:

Hoc Unum, et duo, et tria *(hæc Trinitas)*, quod semper vivit,
Et regnat semper in tribus, et duobus et uno,
Non circumscriptum et omnia circumscribens,
Trina vice cantabatur a singulis
Istis spiritibus cum tali melodia,
Ut omnis meriti esset justissima merces.
— Et audivi, in Luce diviniore
Minimi circuli, modestam vocem,
Forte qualis ad Mariam fuit vox angeli,
Respondentem: Quamdiu durabit festum
Paradisi, tamdiu Amor noster
Radiis suis ab intra procedentibus ita nos vestiet;
Ejus claritas sequitur ardorem,
Ardor sequitur visionem, et hæc tanta est,
Quantum gratiæ habet supra naturalem virtutem suam.
Quando gloriosa et sancta carne
Iterum vestiemur, nostra persona
Gratior fiet tota quanta est;
Itaque crescet illud, quod nobis donat
Supremum Bonum, ex hoc gratuito lumine
Ad illud videndum requisito.
Unde oportet crescere visionem;
Crescere ardorem ab illa accensum;
Crescere radium ab eo procedentem.
Et sicut carbo flammam producens,
Vivo candore hanc ita superat,
Ut parvitas ejus adhuc appareat:
Sic ille fulgor, qui jam circumdat nos,
Nonnisi externa specie vincetur splendore carnis,
Quam terra nunc totam cooperit.
Nec tanta lux oculos nostros offendet,
Quia corporis organo valebunt
Ad omnia quæ poterunt nos delectari.
Tam prompti et concordes mihi visi sunt
Unus et alter chorus, ad dicendum: Amen,
Ut liquido ostenderent desiderium rursus assumendi sua corpora.

IBID., CANT. 14, v. 14-129:

Tam lucidi et tam rubicundi
Splendores mihi apparuerunt intra duos radios,

Ut exclamarim: O Sol *(divine)*, quantum illos adornasti!
Quemadmodum distincta minoribus ac majoribus
Luminibus, albescit trans mundi polos
Via lactea, quæ tanta dubia sapientibus ingenerat:
Ita constellati isti radii formabant in profunditate
Martis *(planetæ)* venerabile signum,
Quod juncturæ quadrante in circulo producunt *(signum Crucis)*.
Hic memoria meum vincit ingenium;
In ista enim cruce sic rutilabat Christus,
Ut dignam comparationem invenire nesciam;
Sed ille, qui tollit crucem suam et sequitur Christum,
Melius adhuc meam istam omissionem excusabit,
Considerando in quanto splendore fulgebat ipse Christus.
A cornu ad cornu crucis, atque a summo ad imum,
Lumina movebantur, fortiter scintillantia,
Quando simul conjungebantur et transibant.
Sic conspiciuntur directa et obliqua,
Velocia et tarda, apparentia et disparentia,
Longa et curta, corpuscula ista
Quæ moventur in radio penetrante
Umbram voluntariam *(conclavis)*, quem naturaliter deficientem
Homo ingenio et arte acquisivit.
Et sicut lyra et cithara, tensis
Pluribus chordis, dulcisonum edunt tinnitum,
Etiam eis qui musicæ notas non distinguunt:
Ita lumina mihi tunc apparentia
In Cruce, componebant melodiam
Quæ me rapiebat, quin hymnum perciperem.
Recte intellexi, quod sublimes canerent laudes,
Quoniam ad me perveniebant verba: *Resurge et vince!*
Sicut ad eum qui non intelligit, sed audit.
Tanto amore inde accendebar
Ut in fine hymni, nulla esset causa
Quæ me ligasset tam dulcibus vinculis. »

ARTICULUS IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN JOANNE GERSONE.

869. — Prænotanda. *De theologica ejus doctrina.*

Gerson potissimum imitatus est S. Bonaventuram, quem summis laudibus extollit in pluribus operum suorum locis. Sequentia verba transcribere sufficiat: « *Deus*, inquit Apostolus, *revelavit eis.* Quam revelationem intelligo lumen vultus Domini signatum super nos, quemadmodum pulcherrimo et evidentissimo compendio divinus Bonaventura deduxit in suo *Itinerario mentis ad Deum;* qui libellus omni laude superior est. » (Pars I, oper. n.° 12, opusc. Pœnitemini, lect. 1, M).

Ex Gersonis operibus excerpemus: 1°) definitiones aliquorum terminorum ad divinum Exemplarismum pertinentes; 2°) doctrinam ejus de divina Trinitate; 3°) de pulchritudine totius mundi majoris juxta divinam Trinitatem exemplati; 4°) de minoris mundi, seu hominis, pulchritudine ad exemplar divinæ Trinitatis.

In citationibus indicandis sequimur veterem Basileæ editionem anni 1518, in qua multiplicia Gersonis opera in quatuor partes distribuuntur sub variis numeris, qui singuli plura interdum opuscula continent, atque litteris alphabeti in margine positis notantur, indicationis gratia. Tres primæ Partes complectuntur centum hujusmodi numeros, et quarta Pars septuaginta duos. Sed commoditatis causa, tres primas par-

tes, quæ continuam numerorum seriem continent, designabimus sub generali voce *primæ* Partis; et quartam Partem, quæ alteram seriem complectitur, *secundam* appellabimus.

§ I.

Quædam Gersonis definitiones ad divinum Exemplarismum pertinentes.

Definitiones istæ spectant omnium rerum: 1°) naturam in se spectatam; 2°) operationem, quæ naturam sequitur; 3°) ordinem, qui ex operatione recta procedit.

I.

Definitiones naturam rerum spectantes.

870. — « *Deus* est quo majus excogitari non potest, seu perfectius; quia magnitudo in spiritualibus, est eorum perfectio. »

« *Mundus* est universitas rerum ab Arte divina conditarum, quæ res ab ejus dominantissimo et liberrimo regimine, suis legibus ordinantur. Aliter sic: *Mundus* est ens universum et perfectum; vel est universitas perfecta. »

« *Perfectum* est ens habens illud, quod ei congruit; aut quod suæ integritati debitum est. »

« *Mundus archetypus* est Deus, ut ab Ipso unico et simplicissimo producibilis est mundus exterior, pro utraque sui parte, spirituali scilicet et corporali. — *Mundus idealis* est idem. — *Mundus exemplaris*, idem. — *Mundialis ars* et *primordialis*, idem. »

« *Macrocosmus* est major iste mundus, exemplatus et productus a Mundo archetypo Deo, continens in se universam creaturam, corporalem et spiritualem, ad ipsum Deum finaliter ordinatam. »

« *Microcosmus* est minor quidem mundus, continens in se duplicem substantiam, corporalem scilicet, et spiritualem Dei capacem, ad finem beatitudinis ordinatas. — Minor mundus est nexus quidam duplicis substantiæ, corporalis et spiritualis; ratione cujus nexus, capax est omnium, tam spiritualium quam corporalium, gerens eorum quamdam imaginem et exemplum. »

« *Mundus spiritualis in mundo majori* est universitas creaturarum spiritualium. — Aliter specialius, mundus spiritualis est universitas intelligentiarum separatarum, cum suis actibus vel habitibus spiritualibus, ordinatarum ad Deum, et inter se, et ad inferiores creaturas. — *Hierarchia cœlestis* est idem. — *Speculum æternitatis, Catena aurea*, idem. — *Liber spiritualis*, idem. »

« *Mundus corporalis* est universitas substantiarum corporalium, vel extensarum, cum suis accidentibus; ordinata per genera, species et individua; et per motus et fines subordinatos ad supremum finem Deum. — *Catena argentea*, idem. — *Liber naturæ* visibilis vel sensibilis, idem. — *Carmen mundi* sensibile, idem. — *Scala Jacob*, idem; vel est *Macrocosmus.* »

« *Mundus spiritualis in Microcosmo* est anima rationalis, ut habens agere suum separatum ab organo corporeo. — *Potentia rationalis*, idem. »

« *Anima rationalis* est substantia spiritualis, indivisibilis, libera naturaliter, innitens corpori, ut ex ea informante, corpus fiat unum compositum, quod dicitur homo; hoc est animal rationale, mortale. — *Microcosmus spiritualis*, idem. *Hierarchia spiritualis* et *subcœlestis*, idem. »

« *Mundus corporalis in mundo minori* est anima, prout ipsa habet agere suum per organum corporeum; aut, est compositum ex corpore et anima sic se habente in agere suo corporeo. — *Potentia corporea*, idem. »

II.

Definitiones spectantes artem et legem, quibus ordinatur hominum operatio.

871. — « *Ars* est recta ratio practica, seu factiva, secundum quam agens rationale rem aliquam causare potest, aut producere. — *Ars divina*, quæ et *Idea* dicitur, est Mundus archetypus et exemplar; est divina Essentia ut est imitabilis diversimode a creaturis; et ut est earum, per Intellectum et Voluntatem, productiva. »

« *Dominium Dei* in mundo est jus plenum possidendi mundum, ratione creationis; ac mediante possessione, libere utendi omnibus contentis in eo. — *Jus* est facultas, seu potestas competens alicui, secundum dictamen rectæ rationis. »

« *Libertas* est facultas rationis et voluntatis ad utrumlibet oppositorum. — *Actus liber essentialiter* est actus a voluntate elicitus eligibiliter, vel ex electione rationis, et ita complectitur utrumque. — *Actus liber participative* est actus, a voluntatis electione solum mediante, productus. »

« *Regere* est rem in suum finem deducere. — *Regere fortiter et suaviter*, est rem in suum finem, absque ejus resistentia, sed cum omnimoda obedientia, et absque frustrabilitate deducere. »

« *Lex* est recta ratio practica, secundum quam motus et operationes rerum in suos fines ordinate regulantur. — Vel est ipsa talis regulatio in quocumque. — *Lex prima* est beneplacitum seu Voluntas suprema Domini Dei præstituentis rebus a se conditis fines suos, et motus, et operationes ad illos. — Vel sic: Lex prima est divina Voluntas præstituens ordinem rebus a se conditis. — *Recta ratio practica* est vis cognitiva rationalis, dictans et docens ordinem in rebus singulis conservare, et dare unicuique quod suum est. — *Lex æterna* est divina Voluntas ordinativa rerum a sua Arte producibilium, vel productarum, quoad operationes, et motus, et fines singularum. — Vel est perpetua et constans Voluntas ejus suum unicuique tribuens. — *Lex creata* seu participata, est participatio, vel emanatio, vel mutuatio, vel similitudo quædam analogica Legis æternæ, vel effectus ejus, ordinem in rebus conditis aut servans, aut servare dictans. — *Lex naturæ* est in rebus creatis regulatio motuum et operationum tendentium in fines suos. — Peccatum est legis transgressio, seu violatio. »

« *Lex divina* proprie in hominibus, est Lex per divinam revelationem accepta ad regimen plurimorum, pro fine beatitudinis supernaturalis principaliter ordinata. — Primum ponitur ad differentiam legis privatæ; aliud ad differentiam legum judicialium in antiqua lege. — *Lex privata* est lex per divinam revelationem accepta ad regimen personæ singularis, vel paucorum. — *Divina revelatio* est illustratio humanæ naturæ rationalis, ad quam habendam, vel modum habendi, ipsa de communi cursu sibi indito non attingit. »

« *Lex humana*, seu positiva, est lex per ratiocinationem ex lege naturali deducta in consequentiis probabilibus, ad finem debitum humanæ creaturæ. — *Probabile* dicitur quod pluribus, et maxime sapientibus, apparet verum. — *Lex civilis et temporalis*, est lex humana ad finem naturalem socialis vitæ bene regulandæ immediate et principaliter ordinata, et per illum qui curam communitatis habet sufficienter promulgata. — *Lex civilis et spiritualis*, est lex humana ex principiis creditis, vel per se notis, probabiliter deducta, ad finem supernaturalem immediate et principaliter ordinata, per illum vel illos, qui curam communitatis habent, sufficienter promulgata. — *Lex charitatis in via* est jus propinquum fruendi Deo propter se, et cæteris omnibus utendi propter Deum, quomodocumque juste placuerit ad meritum vitæ æternæ. »

III.

Definitiones spectantes rerum ordinem, qui ex recta Dei et creaturarum intelligentium operatione procedit.

872. — « *Ordo* est parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio. — Vel, ordo est dispositio plurium tribuens unicuique quod suum est. — Vel, ordo est debita collatio rei. — *Locus* rei cujuslibet est finis suus, in quo conservata quietatur. »

« *Modus* in rebus, est limitatio divinæ Potentiæ efficientis. *Species* est limitatio divinæ Sapientiæ exemplaris. *Ordo* est limitatio divinæ Bonitatis finientis. — *Mensura* est modus, *numerus* est species, *pondus* est ordo. — Et primis correspondet *unitas*, secundis *veritas*, tertiis *bonitas*. »

« *Modus*, *mensura* et *unitas* in libero arbitrio, ut tale est, attenditur in efficiendo, vel non efficiendo libere conformiter ad divinam Potentiam agentem. — *Species*, *numerus* et *veritas*, conformiter ad divinam Sapientiam exemplantem. — *Ordo*, *pondus* et *bonitas*, conformiter ad divinam Bonitatem finientem. — *Culpa* est violatio, seu privatio modi, speciei et ordinis competentium libero arbitrio, ut liberum est. »

« *Gratia in genere* appellari potest omne illud, qualecumque sit, quod Deus immittit creaturæ rationali, ut ipsa declinet a malo, et faciat bonum. — *Gratia magis in speciali* est donum aliquod consideratum, prout a Deo gratuite, id est sine meritis, collatum est. — *Gratia specialius* est habitus aliquis animæ supernaturaliter infusus, ad finem beatitudinis mediate, vel immediate consequendum. Hoc modo fides, et spes, et prophetia, et dona, et beatitudines computantur in gratiis. — *Gratia proprie*, prout convertitur cum charitate, est habitus mentis a Deo solo supernaturaliter infusus, vivificans eam, et dignificans formaliter ad actus Deo placitos et meritorios immediate producendum, cum acceptatione ejusdem animæ ad propinquam dignitatem habendi vitam æternam. » (Pars II, n.° 10, opuscul. de Definitionibus terminor.).

§ II.

De divina Trinitate inquantum est mundi Artifex.

Scilicet: 1°) de indivisis totius Trinitatis operibus ad extra, et eorum appropriatione ad singulas personas; 2°) de divino Artifice ejusque ideis; 3°) de modo, quo res sunt in Mente divini Artificis.

I.

De indivisis totius Trinitatis operibus ad extra, et eorum appropriatione ad singulas personas.

873. — 1°) « Quamvis Incarnatio Filii Dei sit opus totius Trinitatis, quia quod operatur una persona operantur omnes, eo quod indivisa sunt opera Trinitatis: ipsa tamen gratia, mediante qua natura humana unitur divinæ, est donum appropriatum Spiritui sancto, quia hæc gratia appropriate procedit a charitate, seu benignitate Dei, quæ Spiritui sancto appropriatur. » (Opusc., pars. I, n. 25. Compend. theolog., P).

2°) Quamvis opera Trinitatis sint indivisa, non quidem *ad intra*.... sed *ad extra*, nihilominus completa formatio rerum, modus et ornatus earum appropriatur Spiritui sancto, pro quanto divina Bonitas, tanquam Causa finalis, quæ principalissima causarum est, movit ad rerum creationem, ut in eis sese diffunderet. Est enim bonum, sui ipsius diffusivum. Hinc Job ait: *Spiritus Domini ornavit cœlos* (Job 26, v. 13). » (Opusc., pars I, n. 49, Sermo de Spiritu sancto, H.).

3°) *Per visibilia mundi, invisibilia Dei cognoscuntur*, etc. Per magnitudinem rerum creatorum cognosco Dei Potentiam; per pulchritudinem, Sapientiam; per ordinationem et bonitem cognosco suam Liberalitatem. Ideo cognosco, tanquam per vestigium et odorem, tanquam in speculo et umbra, benedictam Trinitatem, inquantum potentia attribuitur Patri, sapientia Filio, et liberalitas ac bonitas Spiritui sancto. Video in omnibus rebus esse unitatem, veritatem et bonitatem; et mensuram, numerum et tendentiam. Video in cœlo rotunditatem, figuram et ordinationem. Video solem et ignem habere claritatem, lumen et calorem, et omnino in una substantia; unum triangulum, tres angulos in unitate. » (Pars II, n. 42, Sermo de SS. Trinit., P).

II.

De divino Artifice et ejus ideis, seu intentione, juxta quam omnia facit.

874. — 1°) « Contemplabatur Maria Verbum, quod erat in principio.... Assumebat enim similitudinem hominis per artem operantis in exteriorem materiam. Conferebat ad primum Artificem Deum, qui omnia quæ facta sunt produxerat, non naturali necessitate, non casualiter aut fortuito, sed spontanee. Recensebat aliquos philosophos ita sensisse sicut dicit Joannes Evangelista. Deus enim manifestaverat eis; quum *invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, a creatura mundi* (id est homine) *intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* (Rom. 1, v. 20) ostendit ordinatissime constituta *(opificia)* supra omnem artis excogitationem. Ars vero quid est, nisi recta ratio agibilium. »

« Ita concludebat Maria....., oportere poni Verbum, seu Λόγος, id est sermonem vel rationem Patris, per quod Verbum omnia facta sunt, et quod factum est, erat ubique præcognitum ab hoc Verbo, non alia cognitione quam seipso, qui Deus est, quem nullus dubitat esse Vitam, et primam Vitam. Alioquin Deus jam non esset Verbum suum, vel ideæ suæ; cujus rei absurditatem ipse etiam philosophorum princeps, Aristoteles, ferre non potuit, conferens cum Platone *(qui ideas ponebat extra Mentem divini Artificis)*. »

« Porro noluit Deus condens universa, latere penitus immensitatem Lucis suæ, dum eam fecit splendescere per creaturas, quas omnes in Sapientiæ suæ luce constituit. *Omnia in Sapientia fecisti*, ait Psalmista (Psal. 103, v. 44). Fuit igitur homo missus a Deo, qui spectator esset omnium operum Dei, quique testimonium perhiberet de lumine. Erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quia nullus illuminatur ad cognitionem liquidæ, et puræ, et perspicuæ veritatis, absque luce, secundum triplex genus causæ efficientis, exemplaris et finientis.... »

« Erat propterea homini misso a Deo nomen Joannes, dum mundi spectator in statu innocentiæ conditus est, ut testimonium perhiberet de lumine. Videbat primam Lucem per speculum et in speculo creaturarum, non in obscuritate ænigmatis. Videbat et in imagine mentis suæ, et per eam lucidius multo quam per vestigium vel speculum creaturarum; nondum tamen intuebatur in sua quidditate nudam Lucem. Sed heu! *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Psal. 43, v. 13). Propterea tunc evenit, ut Lux vera in mundo esset, per quam factus est mundus; et mundus iste microcosmus *(homo)* eum non cognovit, ad quem cognoscendum factus erat. » (Pars I, n.° 93, Tractato 10 super Magnific., J).

2°) « Est igitur res quælibet in Deo quædam vita, etiam priusquam fiat, et hoc per Rationem idealem, non quidem extra Deum, prout Aristoteles arguit Platonis ideas posuisse, sed in Deo, secundum respectus habitos ad creaturas per intellectum Paternum, et per Verbum suum, juncto voluntatis Amore, quo vult Deus Bonitatem suam ad extra communicare, et Lucem immensam quodammodo splendescere, et um-

brabiliter radiare. Alioquin ipsum Verbum divinum, ut sine Voluntate tali consideratum, pure speculativum, non operativum censendum est, etiam dum protenditur seu procedit communicative ad processionem Spiritus sancti, quia Amor est Patris et Filii. Praxis igitur non intenditur in intellectu speculativo, si confuse se habeat ad appetitum, nisi procedat ad operationis rationem... Tunc vero divinum Verbum non irrationabiliter appellatur practicum, dum divina Voluntas accipit ipsum ad productionem, seu producibilitatem eorum omnium quæ facta sunt, secundum triplex fieri. » (Ibidem, E).

III.

De modo, quo res omnes sunt in Mente divini Artificis.

In sequenti loco, Gerson obscure loquitur, et docendo rerum veritatem objectivam in divino Intellectu, admittere videtur *distinctionem formalem*, quam invenit Scotus.

875. — 1°) « Dicit itaque divinus theologus Joannes: *Quod factum est, in Deo vita erat.* Vita erat, non quidem per identitatem realem et essentialem rei factæ ad Factorem, ut Manichæi blasphemant, dicentes animam esse partem a Deo decisam per actionem principii tenebrarum; sed vita erat per idealem, et vivificam exemplarem, seu archetypam cognitionem, et virtutem producendi efficacissimam; longe excellentius, longe ineffabilius, quam in mente artificis *(humani)* domus fabricanda, vel imago pingenda existat, et suo modo vivat... Ab hoc igitur esse ideali illud recte perhibetur egredi quidquid fit extrinsecus in suo esse reali. Egredi autem nonnisi creaturæ rationali proprie datum est, quanquam velit Boetius omnia in suum redire Principium, velut si flumina unde exeunt revertantur (Eccl. 1, v. 7). Et quando hoc? Quando

Repetunt proprios quæque recursus,
Redituque suo singula gaudent;
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi cum fini junxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.

(De Consolat. philos., lib. 3, metr. 2).

Hoc fit, dum motus inditos naturæ suæ custodiunt, dumque vices indultas peragunt agendo, patiendo, movendoque. » (Pars I, n.° 40, Sermo pro humilit., P).

2°) « Quodlibet ens creatum dici potest habere duplex esse in comparatione ad Deum, conformiter ad prædicta: unum *reale*, quod dicitur esse existentiæ, vel naturale, vel in proprio genere; aliud vero vocatur esse *objectale*, metaphysicis nolentibus uti solis terminis grammatice, logice vel rethorice... Quodlibet ens in esse objectali fuit ab æterno in Deo, seu divino Verbo, quod est creatrix Essentia. Hoc est expressum B. Augustini verbum, cujus auctoritas major assumitur ex dicto Joannis: *Quod factum est, in ipso Vita erat, et Vita erat Lux hominum.* Constat quod hæc Vita non est nisi Deus, seu creatrix Essentia, non quidem absolute considerata, sed per respectus objectales, quos videt divinus Intellectus, sicut et seipsum, et omnes res creabiles, complexas vel incomplexas, tanquam objecta prima vel secunda... »

« Quodlibet ens creatum, quamvis habuerit ab æterno esse objectale in Mente divina, non ideo tamen sequitur, absolute et generaliter loquendo, quod res fuerunt ab æterno. Et hic est lapsus grammaticorum vel logicorum, quia non accipiunt distinctionem istam de esse duplici creaturæ, sed defendunt se per ampliationes, et connotationes, et modus significandi materialiter. Unde negant istas *(propositiones)*: Hæc res intelligitur; ergo est *(in Intellectu)*. Istud ens fuit intellectum ab æterno; ergo istud ens habuit esse vel essentiam ab æterno *(in divino Intellectu)*. Sed cum nomina sint ad placitum, debebunt faciliter induci ad acceptandum quid nominis hujus, quod est esse objectale, cum esse intelligibili, vel modo significandi. »

« Quodlibet ens creatum, comparatum ad Deum, dici potest habuisse ab æterno esse ideale, quantumcumque sit paucæ entitatis, vel individuationis. Et ita, sicut sunt plures res creatæ, sic dici possunt plures ideæ; quia alia ratione conditus est homo, alia equus, prout dicit B. Augustinus. Sic salvaretur *(axioma)*, quod ab eodem incœptum idem, non procedit nisi idem; quia concurrit objectalis ratio varia, respectu diversorum effectuum. Et hæc objectalis ratio vocatur ab aliis *(Scotistis)* distinctio rei, seu formalis, vel quædam non entitas; sed aliqui non intelligentes, vel excedere volentes, posuerunt ex hoc distinctiones in Deo, quas noluerunt appellare distinctiones rationis... et addiderunt quod plus distinguuntur inter se, quam homo et asinus. Vocatum est a nonnullis hoc esse objectale, apud intellectum creatum esse quoddam perspicuum, vel quod est res in esse perspicuo. Dixerunt alii, quod dum aliquæ rationes objectales considerantur, ut in Deo sunt infinitæ, non propter hanc infinitatem transeunt in alias rationes, sicut ejusdem rationis sunt albedo finita et infinita. Contradicunt alii, cum majori pietate divinæ Majestatis, quia infinitas trahens extra terminos creaturæ, *facit alietatem* rationis. Et ita rationes creaturarum non sunt formaliter in Deo, sed supereminenter; sicut nec

ratio sanitatis est in cibo, nisi per analogiam ad sanitatem animalis.» (Pars II, n.° 20, De Concord. Metaph. cum Logica, L, M).

§ III.

De pulchritudine totius mundi majoris juxta divinam Trinitatem exemplata.

Scilicet: 1°) de una et trina creaturarum pulchritudine in genere; 2°) de graduo et pulcherrimo totius mundi ordine, naturali et supernaturali; 3°) de circulari totius mundi motione a Deo, secundum Deum, atque ad Deum.

I.

De una et trina creaturarum pulchritudine in genere.

876. — 1°) «Pulchritudo naturalis reperibilis est universaliter in creaturis, quia necesse est quodlibet *(creatum)* esse vestigium suæ primæ Causæ; quod gerat similitudinem aliquam, non penitus univocam, sed analogam ejus, tanquam exemplatum sui exemplaris, et sigillatum sigilli sui.»

«Sunt autem tria primæ Causæ propria et appropriata, secundum quod reperitur unumquodque ens producere secundum triplex genus causæ efficientis, formalis et exemplaris, et finalis. — Pulchritudo naturalis accipit lineamentum modi, et unitatis, vel mensuræ, a Potentia efficiente; lineamentum speciei, vel veri, vel numeri, a Sapientia exemplante; lineamentum ordinis, vel boni, vel ponderis inclinantis, a Bonitate divina finiente. Quæ tria conjunxit Apostolus dicens: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula* (Rom. 2, v. 36); quia omnia facit speciosa et pulchra, secundum tria hæc indelebilia prorsus lineamenta in quolibet ente protracta, quæ rursus se reducunt in circulum, ad primæ Unitatis exemplar.»

2°) «Nunc autem ad speciales pulchritudinis naturalis proprietates conscendamus. Itaque quodlibet ens habet tantum de pulchritudine naturali, quantum habet in se de entitate et bonitate. Invenitur autem ens *intellectuale*, et hoc dupliciter, vel ut per se existens, vel ut alteri natum uniri, ut humani intellectus. — Invenitur rursus ens *rationale*, secundum duplicem portionem. — Invenitur præterea ens *animale*, et hoc dupliciter, vel conjunctum rationi, ut in hominibus; vel per se stans, ut in brutis. — Proinde invenitur *ens vitale, seu vegetabile;* et hoc dupliciter, vel cum sensu, vel sine sensu. — Amplius est ens solum *substantiale*, ut elementa, vel materia prima, quæ de se non est principaliter nihil *(sed prope nihil)*, cum sit pars substantialis compositi; sed considerata sine forma, non est actus formalis, et informis dicitur, et sic turpis appetens formam sicut aliquid pulchrum. Tandem est ens *analogum*, quod appellamus *accidens*, cujus est inesse, non esse, secundum philosophos; cum tamen ponat fides ea posse, sine subjecto, per se esse *(quod solum fit supernaturaliter in Eucharistia).*» (Pars I, n.° 82, tract. 3, sup. Magnificat., O).

II.

De graduo et pulcherrimo totius mundi ordine, naturali et supernaturali.

877. — «Pulchritudo totius universitatis consistit in conservatione nobilitatis, ita quod illud pulchrum est, quod custodit ordinem servatque naturam. Sicut e contra turpis est pars, quæ suo non congruit universo *(toto)*. Quid autem videri poterit ordinatius, quam majoris hujus mundi species per concatenationes duas: auream, spiritualium causarum; et argenteam, corporalium, secundum nobilitatem influendi a superioribus ad infima, per media?» (Pars I, n.° 52, Tractatus de Nobilitate, K.).

«Nobilitas est eminentia quædam, vel principalitas, vel excellentia inter alias res sui generis, habens facultatem aliquam in illas, præsertim propinquas, influendi. Nobilis idcirco dicitur hic accipere regnum sibi, sive regimen aliquod aliorum, propter influxivam potestatem... Nobilitas sic accepta generaliter invenitur in majori mundo, et similiter in minori multis modis, quemadmodum sunt variæ hierarchiæ et principatus, quum non est nobilitas sine principatu quodam.»

«Nobilitas in primis est supereminenter, nec extra, in ipsa Trinitate beata, quæ, ad suum Intellectum, dicitur supercœlestis Hierarchia. Est enim in Patre fontalis nobilitas, seu dignitas, vel auctoritas, quæ notificatur per duas notiones istas: Innascibilitas, et Principium de non principio. Similiter in Filio, respectu Spiritus sancti; nec dicitur ignobilitas idcirco in Spiritu sancto, quorum declaratio theologis remittatur.» *(Gerson hic secutus est S. Bonaventuram. Sed D. Thomas merito non admittit divinam Trinitatem dici posse Hierarchiam, quia vox ista tollit æqualitatem divinarum personarum, 1, q. 108, corp., fin.).*

«Nobilitas est in angelis, secundum triplicem hierarchiam, quæ cœlestis appellatur; primam, secundam, tertiam. Nobilitas rursus est

in iisdem angelis, in ista qualibet triplici hierarchia, secundum tres ordines contentos in qualibet, ut in prima Cherubim, Seraphim, Throni. »

« Nobilitas est in ecclesiastica Hierarchia, quæ subcœlestis dicitur, exemplata per cœlestem, secundum tres status Ecclesiæ: primos, medios, et infimos; ad quos spectat sæcularem hierarchiam in dicta reducere per tres actus hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare et perficere. In qua quidem sæculari politia, signabiles sunt tres status, pro temporalium regimine suo modo. In cujus supremo statu, vulgarior, et usitatior nobilitas collecta principatur. »

« Nobilitas consequenter et large sumpta, ponitur a philosophantibus et theologis, secundum quatuor gradus creaturarum, quarum aliquæ habent esse solum naturale; aliæ esse et vivere; quædam esse, et vivere, et sentire; reliquæ sicut homines, participant esse, vivere et sentire, quibus etiam hominibus superadditur intelligere *(cum angelis)*. »

« Nobilitas primo, triplici genere consideratur secundum supereminentiam rerum naturalium inter se, secundum causalitatem et effectum. Sic nobilius est corpus cœli, quam elementa; sic aurum et gemmæ nobiliores sunt plumbo et luto... » (Ibid., F.).

III.

De circulari totius mundi motione a Deo, secundum Deum et ad Deum.

878. — 1°) « Quæ tria conjunxit Apostolus dicens: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula* (Rom. 12, v. 36), qui omnia fecit speciosa et pulchra secundum hæc tria indelebilia prorsus lineamenta in quolibet ente protracta *(juxta divinam Trinitatem)*, quæ rursus se reducunt in circulum, ad primæ Veritatis exemplum. » (Pars I, n.° 82, Tractat. 3ᵘˢ sup. Magnificat., O).

2°) « Descripsit pulcherrime Boetius prædictum orbicularem circulum intelligibilem de egressu creaturarum a Deo, et de regressu rursus ad ipsum, dum cecinit: *Repetunt proprios quæque recursus*, etc. *(Vide supra n.° 874)*. — Cadit rursus in eamdem sententiam altero carmine:

Nam in recto revocans itus,
Flexos iterum cogat in orbes,
Quæ nunc stabilis continet ordo,
Dissepta suo Fonte (Deo) *fatiscent.*
Hic est cunctis communis amor,
Repetuntque Boni fine teneri;
Quia non aliter durare queant;
Nisi converso rursus amore,
Refluant Causæ quæ dedit esse.

(De Consolat. Philos.) (Pars I, n.° 49, Sermo de Spiritu s., J.)

3°) « Si apud exercitatos metaphysicos habendus hic sermo esset, perficeret meditari quomodo totus iste mundus sensibilis, ad animam rationalem, per sensus corporis ingreditur: ut circulo quodam intelligibili, ac pulcherrimo, ipse mundus, derivatus a Deo, reducatur in eum. Unde res ab ipso egredientes, quanto imperfectiores distantioresque profluunt, tanto amplius materiales, et quadam crassitudine corpulentiores inveniuntur. Perspicuum est in elementis et mixtis. Videmus etiam in lumine solari, quod continuo plus grossessit, ut sic loquamur, dum densiori medio sese miscet, dumque coloribus quodammodo semetipsum incorporat. »

« Fit autem, in recursu ad Deum, conversa conditio; abeunt quippe magis ac magis in spiritualitatem. Exempli gratia: Lumen cum colorum speciebus fertur ad oculos, illic species ipsæ aggregantur et deferuntur ad sensum communem; illeque illas dijudicans, purius ac spiritualius easdem ad virtutem imaginativam deducit. Cæterum, cum ratio negotiatur circa phantasmata, elicit species intelligibiles, quibus jam concipit rem, sine ullo quod profuit phantasmate. Postremo, potentia intellectiva superior, quam spiritum vel mentem nominamus, post cognitionem rationis, reducit rem eamdem ad lumen puræ simplicisque intelligentiæ, secundum quam ordinem habet immediatum ad angelicam cognitionem. Amplius vero... spiritus removens omnia per abnegationem... quæ suam gerunt secum imperfectionem, vel potentialitatis, vel dependentiæ, vel privationis, vel mutabilitatis, invenit tandem, his omnibus ablatis, agalma Dei, hoc est notitiam tamquam rei actualissimæ sine potentialitate, supremæ sine dependentia, puræ sine privatione, necessariæ sine mutabilitate. » (Pars I, n.° 66. De myst. Theol. practica, R.).

Auctor *agalma* seu statuam Dei, vocat intelligibilem speciem negativam, quam de Deo nobis efformamus, mente removendo omnem potentialitatem, sicut sculptores statuam formant, demendo materiam de qua facta est.

§ IV.

De minoris mundi, sive hominis pulchritudine, ad exemplar divinæ Trinitatis.

Probat Gerson duas Propositiones sequentes: 1°) Homo est *Microcosmus*, seu pulcherrimum,

nobilissimum et circulare *Macrocosmi* compendium. 2°) Homo est divinæ Trinitatis imago naturalis et supernaturalis, secundum mentem.

I.

Homo est Microcosmus, seu pulcherrimum, nobilissimum et circulare Macrocosmi compendium.

879. — 1°) « Tradit Philosophia, quod anima, præsertim rationalis, tota est in toto composito, et tota in qualibet ejus parte, tanquam in homine sit Microcosmus, id est minor mundus majori similis, ubi Deus totus est in toto, et in qualibet parte per Essentiam, Præsentiam et Potentiam. » (Pars I, n.° 89, Tract. 9^ns^ super Magnific., Z.).

2°) « Nobilitas in homine, tanquam in minore mundo, prædictis omnibus modis (*confer quæ supra dicta sunt de majoris mundi nobilitate* n.° 877) post Deum, poterit, si subtiliter respicias, reperiri; quemadmodum participat, cum omni creatura, juxta deductionem Gregorii exponentis illud: *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (Marc. 16, v. 14). Dicitur idcirco continere omnia, et omnium finis *(esse)*, ad intellectum in principio Genesis positum, et ad illud: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus;* et ad Philosophum 2 Physicor., et Moysen, Deuteron. 4). »

« *Nobilitas (naturalis) hominis* reperitur in superiori mentis apice, quæ creatura est ad imaginem et similitudinem beatissimæ Trinitatis, secundum tres potentias in una essentia: memoriam, intelligentiam et voluntatem, conformiter ad hierarchias et ordines angelorum. — Nobilitas est item in ratione, secundum duplicem portionem, superiorem et inferiorem, tanquam virum et mulierum. Est proinde respectu rationis inferioris nobilitas, dum comparatur ad sensualitatem, tam interiorem quam exteriorem, et hoc non omnino dissimiliter ab hierarchia ecclesiastica, et ad temporalem, secundum eminentiam principatuum et excellentiam prædictarum virium ad invicem, si coaptatio solerter fit.... »

« *Nobilitas supernaturalis* est eminentia quædam notabilis, homini proveniens ex charitate, quæ supernaturalis gratia est, per quam homo fit per adoptionem filius Dei, fit anima sponsa Christi, fit templum Spiritus sancti; sine qua nobilitates cæteræ nihil sunt, nihil proficiunt. Obsunt potius aliquando, quia quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.... Propterea nulla nobilitas eligibilior est, nulla dignior, quam esse christianum re et nomine, et ita præclarissimus in rege Francorum titulus est, quod Christianissimus nominetur. » (Pars I, n° 52, Tract. de Nobilitate, F, H.).

3°) « Gratissima prorsus hæc speculatio, etiam philosophantium, perscrutari quemadmodum Spiritus Domini replevit orbem. At vero longe gratior, divinior atque sublimior offertur consideratio, si de operibus Creationis ad Recreationis operationem vertitur mentis acies, fidei lumine bene collustrata purgataque. Illic offertur celeberrimum solemnitatis hodiernæ *(Pentecostes)* mysterium, quo nullum stupore mirabilius, nullum salubritate fructuosius et efficacius excogitari potest, quum Spiritus Domini replevit orbem terrarum inhabitantes, continens scilicet pro contento, vel locus pro locato. Quanquam et homines hujusmodi non inconvenienter dici possint orbes terrarum multis similitudinibus. Sed ex hoc nominatim quod egredientes a Deo per Creationem et Recreationem, rursus a seipsis et omnibus creaturis in Deum, qui est A et Ω, Principium et Finis, revertantur per cognitionem et amorem. »

« Ob talem vero circulum vel orbem intelligibilem, quis non recte nominaverit homines justos orbes esse, et quidem terrenos; quia cum spiritibus suis adhærent corpori, quod terrenum terram inhabitat. Vel ideo certe nominantur orbis terrarum propter virtutis stabilitatem et promptitudinem obedientiæ. *Firmavit enim Deus orbem terræ, qui non commovebitur* (Psal. 92, v. 1); ecce stabilitas. Et de rotis volubilibus Ezechiel dicit quod: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur* (Ezech. 1, v. 12); ecce obedientia. Alludit his Horatius, dicens de viro sapiente, quod est *totus teres atque rotundus.* Denique sicut homo dicitur omnis creatura, dicitur creatura mundi; dicitur Microcosmus; sic eum nominare orbem terrarum fas putamus. » (Pars I, n.° 49, Sermo de Spir. s., J.).

4°) « Colligimus ex præmissis, quod ad morum mutationem notabilem in Microcosmo, scilicet in hominibus, consequens est mutationes in Macrocosmo, hoc est in majori mundo, notabiles fieri, sicut in diluvio; sicut in fulminatione Pentapolis peccatricis; sicut in horrendo scelere Judæorum per necem Christi, quando sol obscuratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt. Denique quid deprecatio assidua, motu suo possit, hoc et Jacobus (5, v. 16), et Eloquia sacra, et miracula crebra testantur. » Pars I, n.° 49, Sermo de Spiritu s., Y.).

5°) « Dominus, sicut fecit hominem, ut sibi soli subjectus, dominaretur cæteris rebus mortalibus, ita sibi indidit præ cæteris rationem, tanquam legem intimam et vivam; neque enim propter aliud dicitur homo factus ad imaginem et similitudinem Dei, nisi quia sui capax per

rationem effectus est, secundum Augustinum et expositores catholicos. Hoc viderunt philosophi, qui naturas aliarum rerum dixerunt regi a ratione separata *(scilicet angelica)*, velut ab intelligentia non creante; homini vero rationem propriam conjunxerunt, quam reginam dixerunt in suo Microcosmo, quemadmodum suo modo, longe tamen excellentiori, Dominus in Macrocosmo principatur. » (Pars I, n.° 52, Recommendat. licentiandor., X).

II.

Homo est divinæ Trinitatis imago naturalis et supernaturalis secundum mentem

880. — 1°) « Quibus ita notatis de pulchritudine generaliter, facilis est applicatio ad pulchritudinem animæ rationalis, spiritualis, quæ imago est benedictissimæ Trinitatis, in qua potentiæ tres principales animæ, scilicet memoria, intelligentia, voluntas, sunt tanquam lineamenta; qualia sunt indelibiliter impressa, nec tolluntur etiam a damnatis. Cæterum dona gratiarum variarum, virtutum, donorum, beatitudinum, sunt sicut colores superinducti. Rursus operationes inde provenientes, decorem superaddunt. Tandem in omni pulchritudine spirituali, tanto beatæ Trinitatis imago formosior et pulchrior, et habens plus decoris, quanto reperitur suo Exemplari, scilicet eidem beatæ Trinitati conformior. Ex adverso autem de turpitudine, deformitate, despectu, dedecore constat sentiendum. » (Pars I, n° 82, Tract. 3^{us} sup. Magnific, K).

2°) « Verbum gloriæ secundum mysterium fidei nostræ, tradit hominem formatum esse ad imaginem et similitudinem Dei. Unde et Apostolus dicit, quod vir est *imago et gloria Dei* (1. Cor. 11, v. 7); in hoc autem non est distinctio viri et mulieris. »

« Consideremus hanc imaginem, similitudinem et gloriam Dei *in prima creatione sua*. Consideremus in ea essentiam suam fecundam, quæ per memoriam capax est Dei, et per intelligentiam ac voluntatem particeps ejus esse potest. Quod autem est aliud ista capacitas et ista perceptibilitas, nisi quædam impressio primæ et æternæ Unitatis, Veritatis et Bonitatis, prout anima naturaliter ex impressione prima configuratur et coaptatur beatissimæ Trinitati in memorando, cognoscendo et amando suum Principium efficiens, exemplans et finiens. Dicitur autem anima rationalis, secundum hæc tria naturaliter agi, ut meminerit Dei secundum impressionem primam, ut insuper cognoscat eum, et diligat indelebili configuratione ad suum Principium effectivum exemplativum. Quocirca vocabitur hæc vitalis operatio vel actio aptitudinalis respectu Dei, naturaliter deiformis, simplex et quieta, quæ deleri non potest, etiam in damnatis, ut naturalis est, quia naturalia in eis, dicente Dionysio, remanent splendida, quamvis in malum finem, sicut et in abusum resplendeant. »

« Verbum gloriæ, secundum mysterium fidei nostræ, tradit hominem *reformatum esse* in Baptismo per gratiam infusionemque virtutum habitualium; et est hæc reformatio veluti quædam superinductio colorum deiformium ad lineamenta naturalis imaginis et similitudinis. Est insuper tantæ pulchritudinis et decoris, ut reddant animam Deo placitam, gratam et acceptabilem, adeo quod si migret statim a corpore, spiritus mox stola gloriæ decoratur. Est autem hæc vita gratiæ, spiritualis et habitualis operatio supernaturaliter deiformis, et simplex, et quieta, perficiens et ornans similitudinem et gloriam creatæ rationalis animæ. »

« Transeamus mediam vitam peregrinationis istius, quæ est utique discontinua, multiplex et inquieta, et veniamus *ad vitam gloriæ*, quæ perficiendo vitam naturæ et gratiæ, conformiter ad illas, est continua, simplicissima, quietissima et æterna. Concludamus igitur, quod quantum vita peregrinationis gratiæ conformatur initio Creationis et Recreationis suæ, necnon finis Glorificationis suæ in patria, tantumdem perficitur, simplificatur et quiescit hîc in vita. » (Pars I, n°. 97, Anagogicum de Verbo, E).

ARTICULUS V.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN S. ANTONINO.

Prænotanda. S. Antoninus, qui scientia sua et virtute religiosam Prædicatorum familiam decorat, doctrinam S. Thomæ secutus est, et trinum ordinem in omnibus rebus ita agnovit, ut in omnibus suis operibus trinas divisiones et subdivisiones adhibeat. Referemus quid doceat: 1°) de divina Trinitate, mundi Artifice; 2°) de Trinitatis divinæ vestigiis aut imagine, quæ in opificiis ejus imprimuntur.

§ I.

De divina Trinitate, mundi Artifice.

Scilicet: 1°) de Sapientia essentiali et increata, per quam divina Trinitas mundum fecit atque gubernat; 2°) de Sapientia personali et incar-

nata, per quam divina Trinitas mundum refecit; 3°) de divinæ Trinitatis Arte, Amore et Perfectione, quæ ex operibus ejus manifestantur.

I.

De Sapientia essentiali et increata, per quam divina Trinitas mundum fecit et gubernat.

881. — « De hac intelligitur illud Sap. 7: *Omnium est Artifex, omnia prospiciens.* Quod utique est intelligendum de sanctissima Trinitate. Nam ut dicit B. Augustinus, sicut inseparabiles *sunt (divinæ personæ)*, scilicet in Essentia, ita inseparabiliter *operantur*, scilicet ad extra. Nam *ad intra*, ita Pater gignit Filium, quod Filius non gignit, sed est genitus, et Pater ingenitus; et Spiritus sanctus ab utroque procedit, non illi ab eo. Sed *ad extra* proprietates personales in creatione mundi et gubernatione, quod operatur Pater, idem et Filius et Spiritus sanctus. Unde Christus, Dei Filius, ait, Joan. 6: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor;* et 1. Cor. 12: *Hæc omnia operatur unus et idem Spiritus.* »

« Sicut autem omnium trium personarum divinarum est una Essentia, Potentia et Bonitas, ita et una Sapientia, quæ non est aliud secundum B. Augustinum, quam ipsa Essentia. Nam etsi in nobis aliud sit essentia, aliud sapientia, quasi quoddam accidens, adveniens ei post essentiam, non sic est in Deo, cum nihil accidat ei. Sed, ut dicit Boetius, accidens in Deo transit in substantiam; id est, quod est accidens in nobis, ut sapientia, bonitas et hujusmodi, in Deo est ipsa Substantia seu Essentia. Unde consequentiæ: Nihil in Deo præter Deum; nulla causa præter eum qui causat causalia; idem esse, idem nosse, idem velle, idem posse, cuncta sunt simplicia. »

« Distinguitur tamen a nobis Sapientia Dei a sua Essentia per intellectum nostrum ratione, quia alia ratione consideramus ejus Essentiam, inquantum per eam subsistit, et ejus Sapientiam, inquantum per eam novit omnia, et disponit ad debitum finem. Psalm. 103: *Omnia in Sapientia fecisti.* — Et Sap. 8: *Attingit* (Sapientia scilicet Dei), *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Cum ergo meditatur os justi, id est mens, hanc Sapientiam, admiratur cum Apostolo dicente ad Rom. 11: *O altitudo divitiarum Sapientiæ et Scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* »

II.

De Sapientia personali et incarnata, per quam divina Trinitas mundum refecit.

882. — « Sapientia personalis et incarnata, est Dei Filius, cui per appropriationem attribuitur sapientia, sicut Patri potentia, et Spiritui sancto clementia. Eccl. 24: *Ego Sapientia prodivi ex ore Altissimi, primogenita ante omnem creaturam.* Ex ore enim Intellectus altissimi Patris ab æterno prodiit. — Et Eccl. 1, dicitur: *Fons sapientiæ Verbum Domini in excelsis.* — Et Cor. 1: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* »

« Hanc, inquit Hieronymus ad Paulinum, doctus Plato nescivit: hanc Demosthenes eloquens ignoravit. *Perdam, ait Dominus, sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (1. Cor. 1, v. 19). Loquitur Apostolus *Sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit ante sæcula* (Eph. 5, v. 5). Quia enim primi parentes per inordinatum appetitum sapientiæ, id est scientiæ boni et mali, ex superbia procedentem, perdiderunt genus humanum, et quasi mundum totum, qui propter ipsum factus est: decuit ut Dei Filius, sapientia Patris, humiliaretur, nostra mortalitate assumpta, usque ad stultitiam crucis. Stultitia enim reputata est apud Gentiles sapientes, secundum modum quo Dei Filius mortem ignominiosam sufferret. Unde Apostolus: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Gentibus stultitiam* (1. Cor. 1, v. 23). Et per humiliatam Sapientiam incarnatam salvatum est genus humanum, et refectus est mundus. »

« Os ergo justi meditabitur hanc Sapientiam, ut imitetur, quia sic sapiens vere efficitur. Apostolus, 1. Cor. 3, v. 18: *Si quis videtur inter vos sapiens esse* (scilicet secundum æstimationem suam) *stultus fiat*, (se humiliando et Christum imitando), *ut sit sapiens.* Qui enim, inquit B. Augustinus, sine Salvatore vult salutem habere, et sine vera Sapientia æstimat se fieri posse prudentem, non sanus, sed æger; non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, et in cæcitate noxia demens permanebit. »

III.

De divinæ Trinitatis Arte, Amore et Perfectione, quæ ex operibus ejus manifestantur.

883. — 1°) De Arte divina.

« Quantum ad virtutem Artis patet. Omnium enim eorum, quæ a Deo prodeunt in esse, ratio propria in Intellectu divino est. Ratio autem

rei fiendæ, in mente facientis, ars est. Dicit autem Philosophus, 6 Ethicor., quod ars est recta ratio rerum a nobis factibilium. Est igitur proprie Ars in Deo. Unde dicitur Sap. 7: *Omnium Artifex docuit me Sapientia.* Quæ enim Ars in Mente divina non est accidens, ut in mente artificis hominis, sed ipsa Essentia sua. »

2°) De Dei Amore, qui una cum ejus Arte est causa rerum.

« Sunt etiam perfectissime in Deo Amor et Gaudium seu delectatio, non prout sunt passiones appetitus sensitivi. Nullæ enim tales passiones proprie sunt in Deo, cum sensitiva *(potentia)* non sit in eo, quia affixa *(est)* organo corporis; Deus autem corpus non habet. Et si in Scriptura de Deo aliquando dicatur, quod sit iratus, pœnitens, et hujusmodi, per similitudinem effectus dicuntur. Sed sunt Amor et Gaudium, prout sunt secundum actum voluntatis. Jerem. 31: *In charitate perpetua dilexi te.* Philosophus *(Aristoteles)* dicit, quod Deus semper gaudet unica simplici dilectione. »

« Quidem etiam philosophi posuerunt rerum Principium *(esse)* Dei Amorem, quibus consonat verbum Dionysii dicentis: *Divinus Amor non permisit eum sine germine esse.* »

« Falsa autem felicitas terrena non habet nisi quamdam umbram illius perfectissimæ Felicitatis, ut dicit idem, eodem Capite *(4. de Divin. Nomin.)*. Consistit enim in quinque, secundum Boetium, *de Philoph. Consolat.*, scilicet in divitiis, in voluptate, in potestate, fama et dignitate. Habet autem Deus excellentissimam delectationem de se, et universale gaudium, et de omnibus bonis, absque alicujus contrarii admixtione. Pro divitiis, habet omnimodam sufficientiam in seipso omnium bonorum. Pro potestate, habet infinitam virtutem. Pro dignitate habet omnium entium primatum et regimen. Pro forma, habet admirationem omnis intellectus ipsum utcumque cognoscentis *(sive per lumen rationis, sive per lumen fidei, sive per lumen gloriæ).* »

3°) De divini Artificis Perfectione ex ejus operibus manifestata.

« Psalmus 118, v. 129, ait: *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.* Omnes creaturæ sunt Dei effectus. Unde sicut effectus testimonium reddit suæ causæ, quia causam manifestat, sicut pictura ostendit, cum pulchra est, artem perfectam magistri; ita cum creaturæ Dei habeant mirabiles et innumerabiles virtutes, pulchritudinem, ordinem, durabilitatem et hujusmodi: testificantur de magnitudine Sapientiæ, Potentiæ, Æternitatis et Bonitatis Dei. Unde anima merito obstupescit. »

§ II.

De SS. Trinitatis vestigiis aut imagine, quæ in omnibus opificiis ejus imprimuntur.

Scilicet de divina Causa unitrina quæ repræsentatur 1ª) in mundo universo; 2°) in trina angelorum hierarchia; 3°) in homine; 4°) in rebus corporalibus; 5°) in tota Ecclesia.

I.

De divina Causa unitrina in mundo universo repræsentata.

884. — « Manifestatur in omnibus creaturis vestigium sanctissimæ Trinitatis. Et primo in generali. Secundo in speciali. Tertio in singulari. »

« Et in generali quidem, quia universum est unum a Deo totum creatum, distinctum in triplex genus creaturarum. Nam unum est substantiarum spiritualium, id est angelorum. Aliud genus substantiarum partim spiritualium, partim corporalium, ut hominum. Tertia est substantiarum omnino corporalium. Ad innuendum quod hi tres, scilicet Pater, et Filius et Spiritus sanctus, unum sunt, sicut unum est universum et tripartitum in genere. — Et angelus, substantia in se invisibilis, repræsentans Patrem, qui a nobis non est visus; homo rationalis, Dei Filium, qui hominem assumpsit; creatura irrationalis Spiritum sanctum, qui apparuit in specie rei irrationalis, ut ignis. — In quolibet autem horum reperimus vestigium ostendens, quia hi tres unum sunt. »

II.

De divina Causa unitrina in trina hierarchia angelorum repræsentata.

885. — « Nam natura angelica una est, communis in spiritualitate naturæ, nihil habens materiæ. Sed triplex est hierarchia. — Et quælibet hierarchia triplex est in ordine. Nam infima est in ordine Angelorum, Archangelorum et Principatuum. In secunda est ordo triplex, scilicet, Potestatum, Virtutum et Dominationum. In tertia, triplex etiam, quia Thronorum; Cherubim, qui interpretantur plenitudo scientiæ, Filium *(repræsentant)* qui est Sapientia Patris; Seraphim, qui interpretantur incendium, Spiritum sanctum *(repræsentant)*, qui dicitur Amor. Est in quolibet angelo reperire tria, secundum Dionysium, scilicet essentiam; virtutem, id est

potentiam; et operationem. Et in hæc sunt unus angelus, ad innuendum quia hi tres unum sunt. »

III.

De divina Causa unitrina in homine repræsentata.

« In creatura rationali, adhuc expressius habetur imago Trinitatis. Unde et ipse Deus dixit, Genes. 1: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Hæc imago potest considerari ut formata naturaliter, ut informata perfectionaliter, ut reformata pœnitentialiter, ut omnino formata perpetualiter. Et omnia hæc perfectissimam Trinitatem *(repræsentant)*, et ubique ejus similitudo. »

886. — 1°) De anima hominis physice formata ad imaginem SS. Trinitatis.

« Quantum ad imaginem formatam naturaliter, dicit Augustinus in libro de Trinit.: Licet mens nostra non sit ejusdem naturæ, cujus est Deus, ibi tamen quærenda est imago ejus cujus nihil est melius. Anima siquidem nostra una est, tres habens potentias, quarum una non est altera, scilicet memoria, intellectus et voluntas. Et una procedit ab alia secundum actum. Nam intellectus non intelligit, nisi memoriæ illud occurrat; et voluntas non vult, nisi quod mens recolit, et intellectus aliquomodo intelligit. Sic Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tres personæ, una Substantia, una Essentia; et Filius quidem nascitur de Patre; Spiritus sanctus procedit ab utroque, etc. »

887. — 2°) De anima hominis per virtutes informata ad imaginem SS. Trinitatis.

« Hæc imago formatur et decoratur virtutum perfectione, in quibus etiam relucet vestigium Trinitatis. Nam virtus una est, convenientibus omnibus in hoc unum, quod ait Philosophus in libro Ethic., quod virtus est quæ bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit. Sed ista tripartita est, secundum diversa ad quæ ordinatur. Est enim virtus *theologicalis*, virtus *moralis* et virtus *intellectualis*. »

a) « **Primum genus virtutum**, quo anima informatur a sanctissima Trinitate, *fides*, *spes*, *charitas*, *tria hæc*, ut dicitur 1. Cor. 13. Hæc respiciunt ad Deum, ut objectum suum. Sed *fides* innititur ei ut primæ Veritati, quæ Filio attribuitur. *Spes* respicit Deum, ut potentem adjuvare ad bene operandum, et ipsum beatificandum; Potestas attribuitur Patri. *Charitas* unit animam Deo ut summo Bono, et Bonitas attribuitur Spiritui sancto. Unum ergo sunt per respectum ad unum objectum, Deum; tres sunt habentes diversum respectum ad Eum; sic hi tres unum sunt. »

b) « **Virtus moraliter perficit hominem** in civilitate humana, et hoc tripliciter secundum hominis triplicem potentiam, quam perficit; scilicet justitia, fortitudo et temperantia, secundum Philosophum in Ethicis. Et *justitia* perficit voluntatem hominis, in ordine ad proximum, ut ipsum non lædat, sed jus suum unicuique tribuat. *Fortitudo* perficit irascibilem potentiam, ut aggrediatur ardua opera, et firmus sit et constans in adversis. *Temperantia* perficit concupiscibilem potentiam, ut abstineat ab illicitis delectationibus, et hæ tres unum sunt in moralitate. »

c) « **Virtus intellectualis** perficit intellectus, et est hæc triplex, dimittendo *intellectum*, qui est de principiis per se notis, et *artem*, quæ est de mechanicis; videlicet, *scientia*, *prudentia* et *sapientia*. »

« Et *scientia*, quæ est de conclusionibus, comprehendit quadrivium et trivium, scilicet Grammaticam, Logicam et Rhetoricam. Et *Grammatica* quidem docens loqui et scribere; *Logica*, verum a falso decernere; *Rhetorica*, orantem *(oratorem)* persuadere bonum. »

« *Prudentia* est recta ratio rerum a nobis agibilium. Quæ quidem prudentia integratur ex tribus, ut dicit Seneca in libro de 4 Virtutib., videlicet: præterita cogita, et dicitur *memoria;* præsentia ordina, et dicitur *intelligentia;* futura præcave, et dicitur *providentia*. Sicut ergo tres istæ partes prudentiæ distincte conveniunt in unam communem rationem prudentiæ; ita hi tres: Pater, Filius et Spiritus sanctus unum sunt. »

« *Sapientia* autem, seu *Philosophia*, distinguitur in *Physicam*, quæ est notitia de rebus naturalibus, quæ sunt infra cœlum, cui deservit Medicina; et *Moralem* notitiam, cui servit lex civilis et canonica. Et dividitur *(Moralis)* in monasticam, quæ hominem dirigit in seipsum; œconomicam, quæ docet regere familiam; et politicam, quæ docet civitatem regere et regnum. Et sic hæ tres una Philosophia moralis est. — Tertia, Philosophia suprema, quæ omnes excedit scientias, *Metaphysica*, vel potius *Theologica*. Hæc continet triplicem legem Dei, scilicet intrinsecam, ut decalogum; mosaicam, ut cæremonialia et judicialia; et evangelicam, de Deo loquens et angelis, super omnes alias scientias, et de sanctissima Trinitate. »

888. — 3°) De anima hominis per pœnitentiam reformata ad imaginem SS. Trinitatis.

« Reformatur autem imago Dei, quæ est in homine deformata per peccatum, a Sanctissima Trinitate per pœnitentiam; nec alio modo post Baptismum reformari valet. Hæc autem pœnitentia una est et trina. Nam, ut dicitur de Pœ-

nit., dist. 3: Perfecta in *corde* contritio, in *ore* confessio, in *operatione* tota humilitas, id est, satisfactio; hæc est vera et fructuosa pœnitentia. Et secundum B. Thomam in 4 Sent., *contritio* attribuitur Patri, quia maxime Potentiæ est justificatio impii, quæ fit per contritionem; *confessio* Filio, quia fit per verbum, quod dicitur Filius; *satisfactio*, quæ complet bonitatem pœnitentiæ, Spiritui sancto, cui appropriatur Bonitas. »

« Et satisfactio quidem, secundum B. Thomam et alios in 4 Sentent., consistit in tribus, scilicet: eleemosyna, oratione et jejunio, de quibus dicitur Tob. 12: *Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros recondere.* Et per illud destruitur illud maledictum ternarium diaboli, de quo 1. Joan. 2 dicitur: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ.* Concupiscentia carnis atteritur per jejunium; concupiscentia oculorum, seu avaritia, reprimitur per eleemosynam; superbia vitæ tollitur per humilem orationem. »

« Sed adhuc melius reformatur imago per ternarium essentiale religionis, quod excedit omnem solemnem pœnitentiam, ut dicitur in Corp. jur. 33, q. 2 *Admonere*, scilicet castitatem, paupertatem et obedientiam. Et hoc est illud triduum in deserta religionis, quo Deus vocat suos ad se sibi sacrificandum, Exod. 4 ».

« Sicut ergo tres partes in pœnitentia, vel religione, et tamen una pœnitentia, et una est religio; ita et hi tres Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum sunt. »

IV.

De divina Causa unitrina in rebus corporalibus repræsentata.

889. — Tertium genus creaturarum ubi relucet vestigium Trinitatis, est genus rerum mere corporalium. Et hoc est in *cœlis*, in *elementis*, et in *elementatis*. »

1°) De Trinitatis vestigiis in corporibus cœlestibus.

« Et cœlum quidem unum est, id est inquantum omnes *(cœli)* conveniunt in materia incorruptibili. Tres autem sunt, nam differentes in motu, quia *empyreum*, ubi Sancti resident, non movetur; *crystallinum* movetur ab angelo, et movet alios; *sidereum*, scilicet firmamentum, cum cœlis planetarum, tres habet sub se, scilicet Lunam, Mercurium et Venerem; tres super se, scilicet Martem, Jovem et Saturnum. »

2°) De Trinitatis vestigiis in terrestribus elementis.

« Elementa omnia in hoc uno conveniunt, quia sunt in materia corruptibili, sed in triplici differentia. »

« Nam supremum, scilicet *ignis*, est lucidum, in quo etiam reperitur vestigium Trinitatis. Nam est in eo considerare essentiam, splendorem et calorem. Et essentia non procedit a suo splendore, sed e converso. Et calor, a sua essentia et splendore. Ita Pater a nullo procedit, Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque. Et hi tres unum sunt, sicut unus est ignis. »

« Medium elementum, quod est duplex, est diaphanum, id est transparens, scilicet *aer* et *aqua*. Et in aqua est vestigium Trinitatis perpulchre; scilicet in aqua quæ egreditur e terra ut in fonte; et transit eadem in substantia per aquæductum; et extenditur in rivum, seu fluvium. Una est aqua, seu unus fons, et tamen fons non procedit conductu, sed e converso. Sic Filius a Patre, qui solus coopertus est carne nostra; unde et ipse dicit: *Ergo quasi aquæductus exivi de paradiso* (Eccles. 24). Fluvius procedit ab utroque; sic Spiritus sanctus, qui dicitur fluvius Paradisi, secundum B. Augustinum. »

3°) De Trinitatis vestigiis in rebus elementatis, scilicet in omnibus rebus quæ elementis componuntur.

« In elementatis patet, quia quodlibet *est unum*, repræsentat Patrem; unde Hilarius: « In Patre unitas. » Et aliquam *speciem* habet per formam suam, et ad aliquid *ordinatur*. Secundum *(scilicet species)* repræsentat Filium, et *finis (ad quem quælibet res ordinatur)* Spiritum sanctum. — Ad quod facit, quod dicitur Sap. 11, v. 21: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Omnis enim res est una *numero; mensuram* habet determinatæ perfectionis per formam suam, per quam in speciem constituitur; *pondus* suus est finis, ad quem ordinatur. Et hi tres unum sunt. »

V.

De divina Causa unitrina repræsentata in tota Ecclesia.

890. — « Sicut ergo Ecclesia *militans* hîc, est regina stans ante Deum, a dextris virtutum, in vestitu deaurato sapientiæ, circumdata varietate statuum; sic et Ecclesia *triumphans* assistit, ut Regina mundi, a dextris Dei, scilicet civitate superna, in vestitu deaurato gloriæ, quæ in tribus consistit repræsentantibus sanctissimam Trinitatem, scilicet *visione, tensione*

et *fruitione* santissimæ Trinitatis, circumdata varietate præmiorum. In qua existentes dicere valent: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in æternum.* » (Psalm. 47, v. 9).

Ut hæc de Ecclesia doctrina in ternario compleatur, Ecclesiæ *militanti* in terra et *triumphanti* in cœlo, adjungenda est Ecclesia *patiens* in Purgatorio.

ARTICULUS VI.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN S. LAURENTIO JUSTINIANO.

Referemus quid doceat: 1°) de divina Trinitate mundi Artifice; 2°) de mundi pulchritudine perfectionem divini Artificis repræsentante ad ejus gloriam; 3°) de homine, Dei imagine, et mundi centro atque compendio.

§ I.

De divina Trinitate, mundi Artifice et Rectrice.

Sanctus auctor sequentes probat Propositiones: 1°) Deus est prima mundi Causa efficiens, exemplaris et finalis. 2°) Opera Dei ad extra, sunt communia tribus personis divinis, quibus singulis appropriantur singula attributa. 3°) Deus mundum per suam Sapientiam et per Spiritum sanctum condidit et gubernat.

I.

Deus est prima mundi Causa efficiens, finalis et exemplaris.

891. — 1°) « Quoniam universitatis Artifex Deus sua creaturarum omnium numerositatem ita disponit Sapientia, ut singulæ naturali suo cursu tendant indefessæ ad ipsum, ad quem conditæ sunt, finem; indubie definiendum est, nullam scientiarum omnium utiliorem esse, quam illam, propter quam agnoscitur uniuscujus rei causa et finis. Hac quicumque carent cognitionis regula, multiplicium involvuntur errorum caligine. Utilia quidem sæpissime noxiis, vera falsis, spiritualia corporalibus, virtutes vitiis; cœlestiaque, obscurato mentis judicio, postponunt terrenis; utuntur fruendis, et fruuntur utendis; quod est nefas pessimum, et Deo inimicissimum. »

« Hac ignorantia subvertitur ratio, divina aboletur lex, naturæ jura mutantur, evacuantur promissa, honestas confunditur, perit fides, justitia negligitur, languet spes, et ipsa cæteris virtutibus charitas eminentior tepescit. Neque enim charitas, nec virtutes cæteræ esse valent, ubi Dei ignorantia locum habet. Qui Deum nescit, ignorat quoque aliarum rerum causam et finem. Universorum quippe Causa et Finis Deus est; Causa *per quam*, Finis vero *ad quem*. Omnia quidem fecit propter se, ideoque efficiens et finalis Causa omnium ipse est, qui ait: *Ego sum Alpha et Omega, Principium et Finis* (Apoc. 1). » (De Casto Connub., cap. 1, init.).

2°) « Ex hac contemplationis *(beatificæ)* specie Sanctorum animæ, quæ in æterna jucundantur felicitate, quoddam in se deiforme Exemplar repræsentant; et simillimam imaginem Trinitatis, in qua, qui per contemplationis elevantur accessum aspiciunt, maximam de divinitatis Essentia percipiunt notitiam. » (De Casto Connub., cap. 19, circa fin.).

« In cœlesti patria, ipsam Verbi contemplantes Sapientiam, Sapientiæ candoris quodam induuntur lumine, per quod efficiuntur lumen. In Verbo aspiciunt intelligentiæ oculo, et recipiunt ab ipso universarum notitiam creaturarum, per ideas quæ in ipso sunt. Nam ideæ sunt formæ principales rerum, quæ in divina Intelligentia continentur; quæ ante mundi constitutionem in Mente erant Conditoris; unde non aliud inspexit Exemplar, quam se, quando universum condidit. Hunc intuentes librum, omnium in momento sciunt creaturarum virtutes, causas et effectus. » (Ibid.).

« Est enim lux vis quædam, quæ naturali suo impulsu, in disposito se diffundit oculo, ut illum confortet, solidet ornetque. Secundum sui naturam habere appetit, cui se communicet. O mirabile æterni Solis exemplar *(vel potius exemplatum!)* et divinæ Sapientiæ altisona vox. Pro documento imbecillitatis humani ingenii, universa visibilia Omnipotens condidit, ut de corporalibus spiritualia, atque de visibilibus invisibilia colligeremus. Hoc Apostolus testatur dicens: *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* (Rom. 1, v. 20). Est autem Lux vera, æterna, spiritualis, divina, incommutabilis in se, irreprehensibiliter mutans omnia, intelligibilis per se... omnia complectens... Dei videlicet Sapientia, quæ claritatis suæ radios in bene dispositis, et se dignis communicare concupiscit. » (Fasciculus Amoris, cap. 1, init.).

II.

Opificia Dei sunt communia tribus personis, quibus singulis appropriantur attributa.

892. — 1°) « Sicut Patris *potestas* in virtutibus fulget Sanctorum, sic Verbi *sapientia* in

eorumdem sermonibus;.. quicumque veritatem loquitur, de veritatis sapientiæ illam trahit fonte; et qui supra virtutem operatur virtutes, de Patris manu recepit fortitudinem. Sed de Spiritu sancto quid? Nonne Pater et Filius unus Deus est? Nonne et Spiritus sanctus? *Tres sunt,* ait Joannes, *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Filius, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* (1. Joan. 5, v. 7). Unus quidem Deus, una virtus, una Essentia, una divinitas. Nam quamvis in personis sit distincta Trinitas, est tamen in substantia unitas, qualitas, æternitas, potestas. Operatur, Pater, operatur Filius, operatur Spiritus sanctus. Sanctæ namque Trinitatis opera indivisa sunt, quanquam singulis personis diversi appropriantur actus; utpote Patri *potestas*, Filio *sapientia*, Spiritui sancto *bonitas*. Verumtamen sicut in Sanctorum commendabili et excellentissima via, Patris *virtus*, Verbi *sapientia* relucet, ita etiam Spiritus sancti *bonitas*. Est quidam voluptatis fluvius, et gratiarum torrens inundans, spiritualibus donis animas fecundans... Totius igitur summæ Trinitatis majestas, atque majestatis unitas in omnium sufficientissime rutilat vita Sanctorum, quum in *virtutibus* Pater, in *sapientia* Verbum, in *donis* Paracletus agnoscitur. » (De Casto Connub., cap. 19, circa med.).

Tunc *(in gloria cœlesti)* immortalis Dei *potentia*, Verbi *sapientia*, Paracletique *clementia* agnoscetur. » (Ibid., cap. 5, fin.).

2°) « Deus vero est, qui est super omnes, et per omnia et in omnibus; ipse *a quo* omnia, *per quem* omnia, *in quo* omnia, qui est Deus benedictus in sæcula. » (Ibid., cap. 20, med.).

« Præsidente Deo, qui est omnia in omnibus, *a quo, per quem,* et *in quo* sunt, quod sunt *(Beati in cœlo)*, et percipiunt quod degustant satietate perfecta. » (De Institut. Prælator., cap. 22, fin.).

III.

Deus mundum per suam Sapientiam et per Spiritum sanctum condidit ac gubernat.

893. — 1°) « Optima quidem gubernatione, Sapientiæ Spiritu ordinat universa. *Si sensus operatur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est Artifex.* (Sap. 8, v. 6). » (De Casto Connub. cap. 16, med.)

« Quum in donis sit multiplex *(Spiritus sanctus)*, unus tamen est in Substantia, simplex in natura, in gratia locuples, atque in machina Artifex universa. Nempe omnium est Artifex, omnium habens scientiam, omnem habens virtutem, prospiciens omnia.... De fonte quidem Sapientiæ idem Spiritus haurit, quidquid per suos loquitur vates, sicut ejusdem Sapientiæ eruditione instruimur dicentis de Spiritu: *Non enim loquetur,* inquit, *a seipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* (Joan. 17). » (De triumph. Christi agone, cap. 23, circa init.)

« Omnia quippe per Verbi Sapientiam facta sunt, universa legibus gubernantur Sapientiæ. » (De Casto Connub., cap. 16).

« Artifex omnium increata et æterna Sapientia, quemadmodum cuncta potenter creavit ex nihilo, ita singula prudentissimo disponens consilio, certum ordinavit ad finem. » (De Discipl. monast. cap. 24, init.)

2°) « Visibilium et invisibilium Conditor Deus, in sua universa disponens Sapientia, singula quæque ordinavit sic, ut nihil eorum quæ fecit, absque certa Providentiæ lege reperiatur confusum. Omnia, prout divina pandit Scriptura, in numero constituit, pondere et mensura (Sap. 11); cuncta quoque proprium et sibi congruum direxit ad finem. Decuit quidem Verbum Dei, per quod cœlestia terrenaque subsistunt, taliter creare omnia, ut in toto universo nulla esset creatura, quamvis parva, quamvis aspectu contemptibilis, quamvis ignota, quæ non more suo proprium laudaret Opificem; quæ non ordine suo æternam prædicaret Sapientiam. Indixit enim legem cuique rei; gradus actusque singulorum ita distinxit, ut servato Conditoris instituto, nihil reprehensibile videatur. Nam quanquam nonnulla confusa et inordinata cernuntur in se, in arte tamen summæ Sapientiæ, et in Verbo Dei, mirabili pollent ordine, atque ineffabili judicio æquitatis. Quod autem confusum apparet, non ex defectu regentis, sed ex pœna agitur hominis delinquentis. » (De Casto Connub., cap. 22, init.).

« Unaquæque res, quemadmodum usus docet et ratio, potius ex æstimationis consuetudine, quam ex sua natura cognoscitur. Imbecille quippe ad mira Dei capessenda opera humanum esse videmus ingenium; propterea Sapientiæ adminiculo indiget ad intelligenda cœlestia atque divina, quanquam et ipsa temporalia, quæ videntur, ab ipsa sint condita, dicente Propheta Domino: *Omnia in Sapientia fecisti.* (Psalm. 103). Condita quidem sunt ad eruditionem rationalis creaturæ, quæ peregrinatur in terra, ejusque affectum excitandum ad dilectionem summi Opificis, qui spiritualia atque corporalia condidit universa. » (Serm. in festo Nativitat. Domini).

§ II.

De pulchritudine mundi repræsentante perfectionem divini Artificis ad ejus gloriam.

Hoc argumentum in tribus Propositionibus evolvitur ac probatur: 1°) Mundus est resplendens speculum divinæ perfectionis. 2°) Mundus est tabula eximie picta, quæ divini Pictoris artem commendat. 3°) Mundus est liber scriptus intus et foris, in quo leguntur divinæ perfectiones.

I.

Mundus est resplendens speculum divinæ perfectionis.

894. — « Singulis itaque creaturis divina Bonitas sua dona impertita est, secundum qualitatem naturarum, potiora potioribus communicando, et ita unicuique divisit gratiam donationis suæ, ut Conditoris opera nemo sit, qui digne, vel in minimo possit arguere. In his enim, tanquam in speculo mundissimo, elucet divinæ Sapientiæ altitudo. Unde Apostolus aït: *Invisibilia enim Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus Virtus et Divinitas.* (Rom. 1, v. 20). Per hæc considerantis animus mirabili jucunditate repletur. Ideo Propheta canit: *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.* (Psalm. 91, v. 5). Ab is effertur magnifice Artificis industria, et omnipotentia. Propterea Citharædus in Psalmis dicit: *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* (Psalm. 18, v. 2). Vocibus namque suis et modis, quibus valent, omnes creaturæ Deum laudant et confitentur; ad hoc nempe creatæ sunt. » (Ibid).

« Universa enim mundialis machina quid aliud, quam æternæ Veritatis est speculum? In ipso, diligenti consideratione prospectans animus, quibusdam lætificatur radiis veritatis. Singula videt mira ordinatione disposita, varietate decorata, et proprietate distincta. Non summa confundunt infima, nec ima invident summis, unaquæque in suo perseverat ordine, in proprio procedit tempore, suaque contenta est habitatione. Legibus suis singulæ parent, et proprio famulantur instinctui. Non alia, non altiora, non pulchriora, appetunt, veritatis lætificante judicio. Sic namque universa disposuit, ut nec dici nec cogitari possit melius. » (De Casto Connub., cap. 25, circa init.).

« Est ergo mundus speculum, et quoddam spirituale vestigium, per quod, et si ipsa Bonitas in originali suo Fonte non percipitur, Bonitatis tamen suavissima stillicidia degustantur. Universa quippe quæ sunt, Bonitatem sui protestantur Auctoris. Bonus bona condidit omnia, suæ magisterio Bonitatis. Qualia eadem possidebat in se, propriæ Potestatis arbitrio produxit in esse, singulis singula dona communicans. Sic namque post universi constitutionem, sacra fatentur Eloquia: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* (Gen. 1) » (De Interiori Conflictu, cap. 3, med.).

II.

Mundus est tabula eximie picta, quæ divini Pictoris artem commendat.

895. — « Ipsa creaturarum numerositas, quantum Deus sit diligendus, clamat. Clamat cœlum voce sua, clamant cœlorum ornamenta; clamat terra, et cuncta quæ in ea sunt, ut diligatur Deus. Videmus imaginis picturam mira arte compositam, nil habentem deformitatis in coloribus, in vultu et in cæteris membris. Subito laudamus artificis magisterium, verbis extollimus, ipsumque opificem alis artis suæ procedentem, mentis affectu amplectimur, et tanquam veneratione dignum prædicamus. »

« Ex hoc habitudinis humanæ tepor convincitur. Nemo invenitur, qui Verbi magisterium considerare dignetur. Nonne omnia, quæ facta sunt, opus sunt Verbi? Nonne ipsius Sapientiæ excellentiam prædicant? *Verbo Domini*, ait Propheta, *cœli firmati sunt* (Psalm. 31). Sed et *In Principio*, videlicet in Verbo, *creavit Deus cœlum et terram* (Gen. 1). Quam pulchra, quam bona, quam delectabilia, quam jucunda! Cui omnia hæc adscribenda sunt, Opifici an operi? O cæca mortalium mens, o insania hominum detestanda! Bibis de rivulo, et vivum prætermittis fontem? Lucernæ lumen magnificas, et solis claritatem non attendis? Micas mensæ comedis, et ipsum convivium pingue non degustas? Si recte saperes, si sanum in te esset cordis palatum, utique per ea, quæ facta sunt, illorum intelligeres Auctorem, intelligendoque diligeres.... »

« Dilige Illum, qui tanta tibi diligenda proposuit; admirare Ipsius industriam, venerare Sapientiam, et corde dilatato Verbum, per quod universa creavit, amplectere; per hæc ascende, diligendo accede, perspicueque cognosces, quoniam *invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus Virtus et Divinitas.* (Rom. 1, v. 20). Ex decore igitur, ex ordine creaturarum Dei claret Sapientia; ex usu autem et commo-

do, Bonitatis indeficientia.» (De Casto Connub., cap. 13, circa init.).

III.

Mundus est liber scriptus intus et foris, in quo leguntur divinæ perfectiones.

896. — « Varii quidem sunt contemplationum gradus, juxta qualitates gratiarum, et meritorum mensuram. Quandoque enim mens trahitur ad Dei notitiam creaturarum consideratione, circumquaque perlustrat, et in cunctis tremendam Dei Potentiam, admirabilem Sapientiam, amplectendamque conspicit Clementiam. Tot laudantium audit voces, quot creaturarum intuetur species; quamdam quoque spiritualem sentit in corde harmoniam, quæ interiora omnia complet jubilatione. Non enim a Conditoris se valet continere laude, quum universa, in divinis præconiis occupata, intelligit opera. Si cœlestia aspicit corpora, hoc agnoscit; si elementales aspicit species, hoc gustat. Omnia vocibus suis jucundissimum agunt concentum; unde fragrantissima respersus suavitate animus, tacite vociferare compellitur, et dicere: *Domine quis similis tibi?* (Psalm. 34, v. 10). In universis quippe creaturis Deum intuetur, et per singulas delectabiliter pascitur. Hunc habere se sensum expressit Propheta, cum ait: *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.* (Psalm. 91, v. 5). Liber quippe pulcherrimus, intus et foris depictus, est creaturarum universitas, in quo Dei perspicua habetur notitia. Propterea in Sapientiæ volumine (cap. 13) continetur sic: *A magnitudine enim speciei creaturæ, cognoscibiliter poterit harum Creator videri.*» (De Casto Connub., cap. 19 circa med.).

« His spiritibus *(scilicet humanis)* supposita sunt universa, mundus intelligibilis factus, et per Ipsum qui condidit omnia, plurimum per hæc, quæ videntur, in scientia proficiunt divinitatis. Nam radios suos per illa quæ sunt, sive visibilia, sive invisibilia, Veritas emicat, et cognoscibilem se præbet intellectui humano, ita ut sapientiam veritatis, et veritatem sapientiæ negare non valeat.» (Ibid., cap. 25, med.).

§ III.

De homine, Dei imagine, et mundi centro atque compendio.

897. — Sequentes evolvuntur Propositiones: 1°) Mens nostra a Deo creata est ad ipsius imaginem. 2°) Homo a Deo positus est medius inter creaturas sibi superiores et inferiores, quæ utrimque ad ejus utilitatem ordinantur. 3°) Homo est minor mundus, visibilis et invisibilis.

I.

Mens nostra creata est ad Dei imaginem.

« Ait Apostolus: *Non estis vestri* (1. Cor. 6). Unde sicut bona quæ egit, et dona quæ habet, esse a Deo, ita etiam corpus opus Dei esse, absque ambiguitate definit. Convertit etiam suæ considerationis intentionem ad rationalem in se existentem spiritum, in quo opere non progenitores, non angelos, non ullam denique creaturam, sed solum Deum agnoscit Auctorem. Qui eumdem spiritum non de elementis, aut de quavis formata materia elementata, sed potius de nihilo; non ante corpus, sed creando infundit, et infundendo creat, ita ut uno fiat in tempore et momento creatio et infusio. Ex hoc evidentissime colligit ipsum opus esse Dei, necnon ad ipsius factum imaginem, sicut sacra de creatione hominis testatur historia, dum dicat: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* (Gen. 1).» (De Casto Connub., cap. 20, circa finem).

II.

Homo a Deo positus est medius inter creaturas sibi superiores et inferiores, quæ utrimque ad utilitatem ejus ordinantur.

1° « Bonum quippe Deus condidit infranos, et bonum posuit supra nos, nosque in horum medio collocavit. Bonum namque quod constituit *infra nos*, dedit ad solatium, ad usum, ad adjutorium, et ad remedium. Ad solatium nempe contulit peregrinationis, ad usum necessitatis, ad adjutorium virtutis, et ad remedium infirmitatis. — Bonum autem, quod præparavit *supra nos*, voluit declarare, ut diligatur, quæratur, inveniatur, et eo fruamur. Ipsum debemus toto affectu diligere, tota intentione quærere, intra nos invenire, post peregrinationem frui. — Nobis vero *in medio* constitutis liberum præbuit arbitrium, ut quod volumus, eligamus; dedit et rationis judicium, ut quid præstantius sit, intelligere valeamus. Decidente igitur ab ingenitæ nobilitatis arce homine, ita hominum elanguit genus, ut, sub peccato venumdatus, pristinam libertatem debilitaverit, et rationis oculo plurimum caligaverit. Ideo, nec quod vult, agit; neque quod rectum est, judicat; atque cum iniquitatum sit fasce oneratus, nec se ad id, quod supra se Bonum est, potest erigere, et ad illud quod infra se est, cursus inflectitur.» (De Casto Connub., cap. 13, init.).

2°) « Ex decore igitur, ex ordine creaturarum Dei claret Sapientia; ex usu autem et commodo,

Bonitatis indeficientia. Quo etenim amore, quo ardere debet desiderio contemplantis cor, cum universitatis Dominus nedum ad intelligentiam sapientiæ, sed etiam ad famulatus ministerium, omnem sibi deputaverit creaturam? Sol lucet, tenebras fugat, cunctis generandi virtutem præstat, colorem infundit, lætificat naturam, et de se magnum perseverantis obedientiæ tribuit documentum. Imber de cœlo descendit, terram ne solis adustione sterilis maneat, madefacit; et inebriat, ut semen det serenti, et panem præbeat ad manducandum. Tempora alternatis vicibus, ut hominis elevent fastidium, sibi injunctum exhibent ministerium. Nulla vacat ab opere, nulla creatura ab hominis subterfugit obsequio, aut ministrando, aut obsequendo, aut exercendo. Clamat grandi voce ad humanum cor omne universum, ut Deum tam dilatato diligat affectu, quam multa intelligit per creaturarum ministerium sibi collata esse beneficia, Ne ingratus sit, diligat vehementer, repleatur laude, dilatetur in immensum, et tanquam inundans fluvius per adjacentia sibi fundatur corda. Suo bono solus non gaudet, quisquis in amore veraciter Conditoris accenditur. » (De Casto Connub., cap. 13, circa init.).

III.

Homo est minor mundus, visibilis et invisibilis.

« Ipse quidem homo ad hujus sapientibus minor appellatur mundus, tanquam in ipso universa visibilis mundi complectatur mirabilia. Est nempe divinæ speculum Sapientiæ, sicut Propheta dicit: *Mirabilis facta est Scientia tua ex me.* (Psalm. 133). Merito igitur, quemadmodum in hoc visibili mundo præsidet ut Rex, Verbum; ita et in homine tanquam præcipuus Doctor, in propria sede residet Sapientia, quæ est emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera; verumtamen non in qualicumque homine, sed in homine per gratiam justificato. » (Ibid., cap. 16, med.).

ARTICULUS VII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN B. DIONYSIO CARTHUSIANO.

898. — Dionysius, qui doctor exstaticus cognominatus est, plurima scripsit opera philosophica, theologica et maxime exegetica, quæ redundant divina sapientia hausta ex altissima auctoris contemplatione. Pauca ex tanto sanæ pieque doctrinæ thesauro seligemus ad divinum Exemplarismum pertinentia, referendo quid dixerit 1°) de transcendentalibus entis proprietatibus, et de forma substantiali per quam entia creata has proprietates participant; 2°) de divina et unitrina omnium rerum Causa efficiente, exemplari et finali; 3°) de divina Causa exemplari in specie; 4°) de trina omnium rerum ordinatione a Deo; 5°) de unitrinæ Causæ vestigiis in omnibus suis effectibus; 6°) de unitrinæ Causæ imagine et similitudine in creaturis intelligentibus; 7°) de divinæ Causæ perfectione resplendente in Verbo incarnato.

§ I.

De transcendentalibus proprietatibus entis, et de forma substantiali, per quam entia creata eas participant.

Simplicissima Dei Forma, seu purum Esse divinum ac infinitum, est ipsum Unum, Verum et Bonum per Essentiam; cætera autem entia, quæ non sunt Deus, sed a Deo creata sunt, ab ipso per formam suam substantialem participant suum esse finitum, et mensuram unitatis, veritatis ac bonitas, quibus suo modo imitantur Esse Dei summe unum, verum et bonum.

I.

Unum, verum et bonum cum ente ac inter se convertuntur.

899. — « Unum, et verum, ac bonum, convertibilia sunt cum ente, atque ad invicem. Quod est, quoniam *omne ens est unum*, hoc est indivisum a se, ac divisum ab aliis, imo quod aggregative est unum: aliquam habet ac participat unitatem. — Similiter multitudo, similiter *omne ens est verum;* et quantum habet de entitate, tantum de veritate; hæc etenim veritas rei convenit omni enti, inquantum habet naturam ac speciem correspondentem ac consonam similemque ideæ, seu rationi exemplari quam habet in Mente divina, ad cujus imitationem producta est, secundum superdignissimi ac supersapientissimi Creatoris præordinationem ac institutionem æternam. — *Omne insuper ens bonum est* bonitate naturæ, nec quidpiam est tam vile, quin aliquid habeat bonitatis, appetibilitatis ac utilitatis; quod evidenter pateret si universæ ejus proprietates, vires et efficaciæ innotescerent nobis, cum et venenosissima quædam, ut basiliscus, draco, cerastes, virtutes mirabiles ac medicas in se vires

materiasque includant. Hinc optime dicit Philosophus, non posse esse aliquod purum malum, et si tale quid esset, seipsum corrumperet; quod Plato quoque ac divus Dionysius plenius expresserunt. »

« Cumque unumquodque tamdiu permaneat, quamdiu remanet indivisum a se, et bonum sit conservativum rei in se, recte dixerunt Platonici, bonum et unum coincidere, nec distingui ab invicem, sed mutuo concomitari. Ad quod insinuandum, Proclus Platonicus, in Elementatione sua Theologica fassus est: Omne bonum unitivum est participantium ipso, et omnis unitio bonum, et bonum uni idem. Bonum namque est omnium entium salvativum, propter quod appetibile omnibus exstat. Porro quod salvativum et contentivum est substantiæ singulorum, est ipsum unum; dispersio vero unumquodque facit exire a substantia. Hinc rursus fatetur: Omnis multitudo participat uno. »

« Verumtamen unum, et verum ac bonum adhuc aliter multipliciter capiuntur et dividuntur. »

II.

De uno.

900. — « Multipliciter dicitur aliquid unum. Quod est, quoniam unum est transcendens, quemadmodum ens; idcirco diversis diversimode convenit. »

« Primo autem et maxime, quod in se subsistens, nulla in se includit quæ ab invicem realiter distinguuntur; imo nec aliquid habet in se, quod ab ipso sit realiter distinctum; sicque solum Ens primum est unum ac simplex, quod substantialiter est id quod habet, puta sua Potentia, sua Justitia ac Sapientia sua, et ita de universis attributis et perfectionibus ejus. Unumquodque etiam horum realiter idem est cum alio attributo; etenim sua Sapientia est sua Justitia, sua Clementia, sua Potestas. Porro istud nulli competit creaturæ, quin nec intelligentiæ, in qua necessario realiter differunt esse et agere, essentia et sapientia, sapientia quoque et justitia, et consimilia multa, ut intelligere, velle, gaudere, substantia, beatitudo, intentio. Quo ergo verificatur quod præfati Peripatetici asserebant, a prima simplici et invariabili Causa non procedere immediate nisi simplex, cum in prima Intelligentia, tanta inveniatur diversitas, tanta conjunctio, præsertim secundum Avicennam et suos, dicentes esse et essentiam intelligentiis realiter condistingui; nec dubium quin prima Causa intelligentiis concreavit omnem quam habent perfectionem, et diversitatem sapientiæ et virtutum, ac simul produxit in eis essentiam existentiamque earum. Verumtamen, post primam Causam, major unitas in intelligentiis perhibetur, in quibus non est essentialium partium, puta materiæ et formæ, distinctio, cum sint in se subsistentes ac simplices formæ, neque realis diversitas inter quod est et quo est, seu inter esse et essentiam, juxta probabiliorem, ni fallor, opinionem; nec tanta, sicut in cæteris, differentia ac multiplicitas potentiarum atque habituum, ac operationum, tam immanentium quam extra transeuntium. » *(Non omnia hæc concedo).*

« Denique post unum *numero*, dicitur unum *specie*, et in quibus sunt tot species quot individua, loquendo de speciebus specialissimis. Non sunt plura actualiter unum in specie, quamvis species illa abstracte considerata, dicatur, quantum in se est, communicabilis multis. »

« Tertium est unum *genere*, sicque plures intelligentiæ unum sunt, sive solo numero, sive et specie distinguantur; quia sub genere hoc, quod est substantia incorporea, continentur; imo et sub genere proximiori, quamvis illud nos lateat. »

« Quartum unum est *analogia*, prout substantia et accidens appellantur unum in ente. »

« Quintum est unum *aggregatione*, sicut exercitus. »

« Quod autem affirmat Boetius, omne quod est, ideo est quoniam unum numero est, accipi potest de omni existentialiter ente; quum esse existentiæ, suppositorum est aut singularium. Insuper sicut quædam est simplicitas perfectionis, qua Deus et intelligentiæ simplices nominantur per exclusionem potentialitatis aut materiæ; quædam vero est simplicitas imperfectionis per exclusionem unitatis et formæ, qua materia prima et elementa dicuntur simplicia, quibus perfectiora sunt mixta; sic duplex est unitas. Nam et elementa et materia magis sunt unum unitate imperfectionis, quam mixta. »

« Certum est ergo, quod omne unum creatum subsistens, sit unum et non unum; hoc est aliqualiter unum, et aliquo modo non unum; puta non pure et omnifarie unum, sed unum et item mixtum, id est ex pluribus constans, aut plura in se habens et continens. Hinc Proclus disseruit: Omne mixtum alterum est a per se Uno. Et rursus: Omne quod fit unum, participatione Unius fit unum; secundum autem quod sustinet participationem unius, unum est. Itemque: Omne quod participat unum, et unum est, et non unum. » (Element. Philos., Prop. 90).

III.

De vero.

901. — « Verum et veritas variis modis dicuntur, ac multipliciter rebus conveniunt. Quod

est, quoniam quædam est veritas *rei*, quæ est ipsa natura, seu entitas ejus; quædam est veritas *propositionis*, quæ est in propositione tanquam in signo; in intellectu autem ut in subjecto. Unde dixit Philosophus: Bonum et malum sunt in rebus, verum et falsum in intellectu. Hinc veritas ista describitur, quod sit adæquatio seu conformatio intellectûs ad rem intellectam. »

« Denique est veritas *creata* et Veritas *increata;* et sicut ab uno vultu in diversis speculis plures refulgent, resultant, ac repræsentantur similitudines, ita ab una, æterna, increataque Veritate derivantur, imprimuntur ac fulgent variæ veritates in creaturis ac rerum naturis. Quemadmodum etiam in eodem speculo multæ apparent similitudines diversarum facierum inspicientium illud, sic omnium creaturarum veritates in divina refulgent Essentia tanquam in superlucidissimo speculo; quæ veritates in Mente divina sunt ideæ et exemplares rationes creaturarum, de quibus in 2 Timæi disseruit Plato. Deus est Mens, cujus visus contemplatioque Intellectûs idearum genera contemplatur in intelligibili mundo. »

« Amplius veritas dividi consuevit in veritatem *vitæ*, veritatem *doctrinæ*, et veritatem *justitiæ*. Veritas *vitæ* est conversatio legibus atque præceptis divinis regulata ac conformata, rectæque rationi ac virtutibus consona. Veritas vero *doctrinæ* est ipsa instructio falsitatibus atque erroribus carens. Veritas demum *justitiæ*, est æquitas ipsa a fictione duplicitateque aliena, seu vera justitia, nec nimium rigorosa, nec nimis laxa... Est etiam veritas quæ dicitur *virtus moralis*, per quam quis in verbis et factis se habet sinceriter, prout intus intendit. »

« At vero veritati rei, quæ essentialiter veritas est, puta Veritati increatæ, opponitur *vanitas* quædam, omni rei creatæ communis, quæ est defectibilitas a vero, pleno et incommutabili esse. Unde Salomon loquitur: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* (Eccles, 1). Hæc vanitas appellatur interdum labilitas creaturæ, quia de se labilis vertibilisque consistit in nihil, sicut ex nihilo est creata, nisi desuper conservaretur... »

« Postremo veritas adhuc dupliciter sumitur: Primo, *prout falsitati opponitur.* Secundo *prout opponitur permixtioni;* juxta quem modum dicimus verum aurum, cui nihil metalli alterius est admixtum; sicque soli convenit Deo, cui nihil de non esse, nihil privationis, nihil potentialitatis, nihil diversitatis aut extraneitatis admixtum est. »

« Essentiæ quoque, seu *naturæ rei*, veritas duplici ratione adscribitur: Primo quia per eam res ipsa ostendit se sicut est, quantum est de se, quamvis hoc nullus consideret; sicque veritas est ratio per quam ens est ipsius intellectus objectum; quoniam nisi res nata esset ostendere quod est, non posset intelligi. Verumtamen ratio illa non est primo intellecta, sed res absolute. — Secundo inquantum res per suam essentiam conformatur conceptioni Intellectus divini, et rationi suæ exemplari atque ideæ, quam habet in ea. Hinc loquitur Avicenna: Veritas rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei. » (Ibid., Propos. 91).

IV.

De bono.

902. — « Bonum cum ente convertitur; sed sicut verum superaddit enti comparationem et habitudinem *ad intellectum*, sic bonum superaddit enti comparationem et habitudinem *ad affectum*, seu voluntatem. Quod est, quoniam ens absolutius sumitur, quam convertibilia ejus; hæc namque proprietatem aliquam enti superaddunt; et hoc in ratione seu intellectu consideratur, nîl autem reale in ipsa re, in qua nihilominus proprietates istæ ac variæ considerationes fundantur. Res namque creata non præcise sortitur a Deo esse simpliciter dictum, sed et conforme suo exemplari in Creatore, ac appetibile Voluntati, imo et creanti, qui diligit cuncta quæ fecit, inquantum sunt bona. Itaque solus Deus est *Ens substantialiter bonum*, et ipse est naturaliter infiniteque bonus, ac Bonitas separata, exemplaris, fontana, quomodolibet et omniformiter bona, cujus respectu alia sunt quasi non bona. »

« Porro aliud est *bonum creatum*, certo genere ac specie limitatum, quod dividi potest sicut et ens; et quanto quid plus habet de entitate, tanto plus habet de *substantiali* hac bonitate participata. — Alia est bonitas *accidentalis*, ut pulchritudo conveniensque complexio, acumen ingenii, præsertim naturalis dispositio et inclinatio ad profectum scientiæ ac virtutum; unde nonnulli bonæ ac egregiæ indolis nuncupantur. »

« Alia demum ac major est bonitas *spiritualis*, mentalis, interior intellectualium habituum, et acquisitarum naturaliumque virtutum et actuum earumdem, ex quibus nonnulli quoque Gentiles boni et virtuosi vocati sunt, imo et quidam eorum leguntur fuisse viri heroici, ut de Platone asserit Augustinus, et de Socrate et Hectore Aristoteles protestatur. »

« Insuper alia est altior bonitas *gratiæ* ac infusarum virtutum; altissima autem est bonitas *gloriæ*, de quibus in sequenti editione, Deo præstante, tractabitur. »

« Præterea nullum est ens essentialiter *malum;* imo ut probavit Philosophus, si tale quid esset, destrueret semetipsum. Idcirco nequaquam ponendum est summum malum, tanquam ens positivum, ac natura totaliter mala. Imo unum solum est, purum, perfectum, infinitum et incomparabile Bonum, a quo quidquid entitatis, quidquid bonitatis in aliis est, derivatur, juxta illud Procli Platonici: Omnia qualitercumque participantia bona præcedit quod primum Bonum, et quod nihil aliud est quam Bonum; cætera quippe aliquid defectibilitatis, potentialitatis et vanitatis habent admixtum, juxta sensum prætactum. — Idcirco, juxta Boetium, non sunt quomodolibet ac omniformiter bona, id est secundum omnem respectum; quia nec comparatione Boni infiniti, nec respectu originis suæ *ex qua*, utpote nihili, neque inquantum defectibilitati, vanitati et labilitati in nihil, admixta. » (Ibid., Prop. 92).

V.

De pulchro.

903. — Pulchrum fundatur in bono cum relatione ad cognitionem; pulchrum enim est perfectum, inquantum ejus cognitio placet.

1°) « Divinus Dionysius *(Areopagita)* perhibet etiam *pulchrum* converti cum ente; siquidem in omni creato, perfectio ipsa specifica, quædam est pulchritudo. » (Elementat. Philos., Prop. 93).

2°) « Pulchrum illud appellatur
In quo visus delectatur;
Et pulchrum spiritualiter
Quod agit ordinaliter. »
(De laudibus superlaudabilis Dei).

3°) « Pulchrum ad sui amorem inclinat et allicit intuentem. Et sicut *bonum* et appetibile dicitur per comparationem ad appetitivam potentiam, sic *verum* ac *pulchrum* per respectum ad potentiam intellectivam. »

« Pulchritudo quoque consequitur *formam* rei; et sicut forma est ornamentum materiæ, sic *gratia* est ornamentum naturæ decorque animæ... » (De laudib. B. V., lib. 3, art. 22).

« 4°) « Juxta doctrinam Philosophi, pulchritudo *corporis* consistit in tribus, puta in eleganti corporis quantitate, in congrua membrorum dispositione et proportione ad invicem, et in vivido ac venusto superfuso colore. » (Ibid., lib. 1., art. 34).

« Quemadmodum corporalis pulchritudo ex eleganti statura, et proportionata membrorum cohabitudine, atque vivido quodam superfuso resultat colore, sic pulchritudo prætacta *interior*, ex complemento perfectionis, tanquam ex spirituali eleganti statura; et ex virtuosorum habituum, actuumque eorum apta connexione et contemperatione; et item ex discreta directione, seu recta intentione, resultare videtur. » (Ibid., lib. 3, art. 22).

VI.

De forma substantiali, per quam entia suum esse, ejusque proprietates ab Esse divino participant.

904. — « *Forma* a formando, aut informando nomen accepit. Hinc duplex et forma: puta *forma foris manens*, seu seorsum et separatim existens extra id quod format; quemadmodum forma sigilli permanet in sigillo extra ceram. Sic quoque Deus et intelligentiæ *(angeli)*, et ideæ Mentis divinæ, ac formæ practicæ intelligentiarum, per quas inferiora cognoscunt, producunt et formant, formæ vocantur inferiorum. Unde formæ quæ sunt in materia, a formis quæ extra materiam sunt, dicuntur fluxisse. »

« Alia est *forma informans*, ut sunt formæ materialium rerum. Et illæ sunt duplices, puta substantiales et accidentales. Insuper forma substantialis est duplex, videlicet forma partis, ut anima, quæ est corporis forma intrinseca; et forma totius, sicut humanitas est forma individui hominis. »

« Porro quod aliquid *format* aut *informat*, largitur et imprimit ei aliquod esse. Ideo forma substantialis dat suæ materiæ esse *substantiale specificum*. Formæ vero accidentales dant suis subjectis esse *secundum quid*, quod est esse *accidentale*. Hinc forma describitur ita: Forma est quæ dat esse. Quod de formis informantibus præcipue dicitur. — Porro forma dicitur informare dupliciter; primo per intrinsecam *unionem*, ut forma substantialis; secundo per subjectionem et *inhæsionem*, ut formæ accidentales. Subjectum autem formæ substantialis dicitur materia prima; subjectum vero formæ accidentalis, totum compositum. »

« Cumque forma conferat esse: proprietates et actus ejus sunt agere et movere, perficere, actuare, fulciri et conservare. Propterea cum loquimur de re quacumque, secundum ejus distinctam ac propriam rationem, dicimur loqui de ea formaliter, ut si dicamus: Album disgregat visum. — Itaque *forma substantialis* est quasi rivulus Fontis primi, et tanquam scintillula ignis immensi, et velut radius Lucis supremæ; estque ornamentum et pulchritudo ejus, cujus est forma. Propter quod Plato metaphorice loquens, *datorem formarum* vocavit patrem, *for-*

mam vero prolem, *materiam* autem materculam. Aristoteles quoque disseruit, formam esse quid divinum et optimum et appetibile. »

« Amplius formarum substantialium aliquæ sunt vitales, aliquæ nihil de vita participant. Vitalia demum quædam sunt irrationales, ut formæ brutorum, quæ sunt omnino immersæ materiæ; quædam rationales, quæ non sunt totaliter corporibus suis immersæ. »

§ II

De prima et unitrina omnium rerum Causa efficiente, exemplari et finali.

Dionysius Carthusianus: 1°) explicat naturam primæ Causæ. 2°) Probat Deum esse primam omnium rerum Causam efficientem, exemplarem et finalem. 3°) Deum esse mundi Artificem.

I.

De natura primæ Causæ.

905. — « Causa prima per nihil superadditum individuatur, sed *de se, ex se, per se* est maxime una et subsistens, ac primo et summe diversa ab aliis. Quod est, quoniam ipsa est purus Actus in nullo receptus, atque Essentia excellentiæ infinitæ; universa et singula infinite, incomparabiliter improportionabiliterque transcendens. Idcirco summe et sine comparatione convenit ei ex se et per se, in se ipsa incontaminabiliterque subsistere; nec per differentiam proprie sumptam, sed per propriam Essentiam a cunctis distinguitur. — Propter quod in libro de Causis asseritur, quod Causa prima per propriam Bonitatem individua est, et de se maxime hoc. — *Proclus* quoque: Unum, inquit Αυτόθεος, hoc est per se Deus, cui nec universa deorum catena comparabilis est, tantum Ens illud in se et per se excellentiam est sortitum. — De quo *Porphyrius* quoque disseruit, quod ipse est Deus altissimus, quem polus, tellus, pontusque contremiscunt, ac prima numina perhorrescunt. »

« Itaque, sicut genera generalissima dicuntur ab invicem primo diversa, et differentiæ ab invicem per se differentes, et item materia prima ab aliis seipsâ distincta: ita imo et incomparabilius plus ac eminentius Causa prima, per se ab omnibus est diversa; propter quod multoties ait Henricus *(Gandavensis)*, quod Deus est per se singularitas quædam separata, subsistens, diversa ab omnibus. »

« Infinita igitur fuit imperitia, imo dementia David de Dinanto perhibentis Deum et materiam primam esse idem, eo quod utrumque simplicissimum quid consistat, neque per differentiam aliquam ab invicem distinguuntur. Ostensum est namque (In hoc tractatu, cap. 1, art. 2, § 1), quod eorum simplicitas sit extreme diversa. Etenim simplicitas Dei est per totius potentialitatis exclusionem; simplicitas autem materiæ primæ, per totius actualitatis exclusionem. »

« Consimiliter quod Socrates fertur dixisse, quod Deus sit anima mundi, nisi metaphorice intelligatur dictum, erroneum esset. »

« Porro, ut sanctus testatur Gregorius, Deus est ante omnia non solus, post omnia non præventus, in omnibus non inclusus, extra omnia non exclusus, super omnia non elatus, infra omnia non oppressus; utpote in suiipsius supereessentiali simplicitate æternaliter, incommutabiliter, incircumscriptibiliter subsistens. » (Elementatio Philosophica, Proposit. 85).

II.

Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis.

906. — « Quod est, quoniam Ipse est omnium Causa *efficiens*, a qua omnibus derivatum est esse et vivere; Causa quoque formalis *(extrinseca)*, seu *exemplaris*, cuncta ideali ratione intellectualiter agens; est item omnium Causa finalis, tanquam summum Bonum, ad quod omnia ordinantur, et quod ad suiipius Majestatem declarandam, atque ad propriam gloriam et honorem, condidit universa. Ipse ergo est omnium finis et felicitas objectalis. Participatio vero suæ Bonitatis, contemplatio Excellentiæ suæ, repræsentatio et relucentia suæ Perfectionis in rebus, est finis et beatitudo formalis. »

« Denique istud noverunt Philosophi, et quidam eorum demonstrative probaverunt: Nullum enim imperfectum et mutabile ac finitum potest esse æternum et incausatum, seu Ens per essentiam; nec Ens per essentiam propriam, puta independens, potest esse imperfectum, finitum ac indigens; quia quod convenit rei ex se, propria scilicet ratione et ex sua natura, non ex alia causa, non potest esse minoratum in eo, imo necessario convenit esse perfecte ac plene. — Rursus omnis multitudo necessario est ab Uno; similiter in causis est status. »

« Est igitur una prima et maxima Causa, a qua omnia simplici emanatione profluxerunt. Nec hujus oppositum conclusit *Philosophus;* quinimo, ut in libro *de Substantia orbis*, Averroes fassus est, nunquam Aristotelis intentio fuit asserere, quod cœlum esset a prima Causa solum

per dependentiam et conservationem, et non etiam per realem productionem. Idcirco, quia aliqui dicunt Aristotelem id sensisse, deviant valde. »

« Insuper ipsam quoque primam materiam docuit *Plato*, fluxisse ab Ente primo, affirmans omnem pluralitatem ac multitudinem processisse ab Uno; quod Proclus quoque, Platonis discipulus, in Elementatione sua theoretica exprimens: Extremum, inquit, id est materia, simplicissimum est, sicut et Primum, quia a solo Primo processit. Et denuo: Materia quidem subjectum existens omnium, ex omnium Causa processit. Verum, qualiter ista stent cum his, quæ libro 2 inducit Magister *(Sententiarum)*, ex verbis Ambrosii affirmantis quod Plato posuit tria increata, videlicet Opificem Deum, exemplar, materiam: in collectis super 2 Sententiarum est introductum. » (Ibid., Prop. 86).

Averroes et Proclus, quos citat B. Dionysius, non referunt genuinam Aristotelis ac Platonis doctrinam de rerum principiis. Neuter enim docet prima principia spiritualia et materialia, quibus componitur mundus, producta fuisse a prima Causa; nam Aristoteles Deum considerat ut æternum Motorem tantum universi, seu materiæ ad formam; et Plato Deum contemplatur ut Artificem, qui, æternam materiam informat, juxta æternas suas ideas, anima a divina Substantia emanante. Hoc manifestum est ex propriis horum Philosophorum verbis, quæ supra retulimus n.[is] 209 et 211.

III.

Deus est mundi Artifex.

907. — « Totum universum a prima Causa productum est, et profluxit emanatione intellectuali, liberali ac libera; non emanatione naturali, aut emanatione essentiali ac necessaria. Quod est, quoniam primo ac summo Agenti convenit nobilissimo modo operari ac facere, quod est operari sapienter per intellectum, juxta præconceptam operis rationem, quemadmodum in libro *Fontis vitæ* deprompsit Avicebron. Unde in 1. Timæi, disseruit philosophorum decor et flos, Plato, quod Dei Voluntas sit omnium prima Causa et quod Voluntate cuncta effecit. Avicenna quoque et Algazel processionem rerum a primo Principio comparaverunt productioni artificiatorum ab artifice. »

« Verumtamen multi præcipuorum philosophorum imaginati sunt, Deum suam Bonitatem communicasse creatis necessitate quadam naturæ, non libere, ita quod non potuit eam ipsis non communicasse, nec aliter facere quam fecit; non quia vi aut coactione compulsus sit ad creandum, sed quia ex superabundanti ac liberalissima sua Bonitate, nequiverit se continere. Siquidem ejus Voluntas necessario voluit quod Intellectus et Sapientia ejus censuit et dictavit melius, decentius ac convenientius esse, videlicet suam Bonitatem diffundere ac mundum producere, sicut et fecit. »

« Denique, cum Ipse sit naturaliter bonus, naturaliter vult bona, nec potest ea non velle, nec decuit eum differre. Ista fuit philosophorum prudentia, et, ut apparet, Aristotelis quoque intentio asserentis quia unum et idem, eodem modo se habens, facit idem, atque quod ab uno simplici invariabilique Agente non procedit immediate nisi unum; hinc opinati sunt mundum ab æterno esse. Verum in his deviasse noscuntur; quamvis enim agens naturale, eodem modo se habens, sit determinatum ad unum, attamen agens intellectuale, sapientissime operans, liber est ad utrumque. Cumque Deus essentialiter sapiens sit et Sapientia ipsa, ac summa Libertas, universa et singula uno intuitu comprehendens, ac simul non successive æternaliter noscens, et intellectualiter operans: ideo convenit ei plura simul producere libere prout vult, quemadmodum ea simul agnoscit, nec aliquid necessario vult nisi propriam Bonitatem, quæ est sibi ratio volendi diligendique alia, quæ nec bona sunt ex se, nec aliter, nisi quoniam Deus voluit ea esse, ac suam Bonitatem participare; sicque voluit ea, non quasi bona ex se; sed quia voluit ea, ideo bona sunt; quemadmodum attenderunt prætacti philosophi. » (Ibid., Prop. 87).

§ III.

De divina Causa exemplari in specie.

Pius ac doctus auctor 1°) probat Deum esse Veritatem primam et exemplarem, omnisque veritatis creatæ Fontem. 2°) Probat in Mente divina præexistere omnium rerum ideas. 3°) Plura de idearum quidditate adjicit. 4°) Deum metrice celebrat ut Ideam et Exemplar.

I.

Deus est Veritas prima et exemplaris, omnisque veritatis creatæ Fons.

908. — « ... Oportet advertere quod duplex est veritas: Est enim *veritas* naturæ seu rei, quæ aliud nihil est nisi essentia rei; et est *veritas intellectus*, seu propositionis, quæ est enuntiatio intellectualis veritatis. Verumtamen utriusque veritatis ratio in quadam conformi-

tate, seu adæquatione, vel æqualitate consistit. Veritas equidem *intellectualis*, est adæquatio ipsius intellectus ad rem intellectam; veritas autem *naturæ*, seu rei, est adæquatio seu conformitas rei ad intellectum cognoscentem, vel certe causantem. Quemadmodum nempe nostri intellectus conceptio dicitur vera, inquantum æquatur, seu conformatur naturæ vel proprietatibus rei: sic res ipsa dicitur vera, inquantum conformatur exemplari rationi, quam habet in mente sui auctoris, ut adstruit Avicenna. Dicitur enim vera domus, quæ talis est in re ad extra, sicut in mente artificis erat concepta. »

« Quemadmodum autem omnia artificiata comparantur ad intellectum humanum, qui videlicet est causa ipsorum, sic universalia naturalia comparantur ad Intellectum divinum. Unde sicut artificialia appellantur vera, quoniam perfectionem debitam assequuntur, secundum præconceptionem artificis: sic naturalia vera dicuntur, quia perfectionem specificam suæ naturæ adipiscuntur, secundum ordinem Sapientiæ Dei, seu ad imitationem idealium rationum Mentis divinæ, ut dicatur verus homo, verus lapis, verus leo, quoniam naturas habent specificas naturaleque esse, secundum dispositionem causalem Mentis divinæ. »

« Enimvero Esse divinum, seu Deus, utroque modo excellentissime verus perhibetur. *Veritas enim intellectus* Deo optime convenit, cum ipse æternaliter et quasi præsentialiter clarissime ac infallibiliter atque distincte cognoscat. *Veritas quoque naturæ*, seu rei, Deo excelso præcipue competit, cum Esse divinum sit summe perfectum, ac divino Intellectui summe conforme et adæquatum, vel potius unum. Unde secundum Avicennam in sua Metaphysica, veritas rei vocatur, secundum quod res actum seu perfectionem suæ naturæ consequitur, et nata est facere veram æstimationem in intellectu. Cum igitur solius Dei Esse sit plenum et purum atque perfectum, solique Menti divinæ perfecte comprehensum seu cognitum, elucescit quod Deus utroque modo sit maxime verus. »

« Porro veritas Mentis divinæ est causa fontalis ac prima omnis veritatis creatæ, quoniam Deus gloriosus et felix nihil sine certissima Ratione producit, sed omnia secundum ideales exemplaresque rationes molitus est; quippe qui omnia in Sapientia condidit, atque in mensura, numero ac pondere cuncta constituit. »

« Propterea quoque Intellectus divinus est mensura seu regula omnis veritatis creatæ, ita ut ideo unumquodque est verum vel falsum, quia a Deo tale censetur; imo quidquid Deo appareret, necesse est verum consistere, sicut et ars vel ratio artificis dicitur regula artificialium rerum. Sed quoniam artifex errare potest et falli in opere suo, idcirco non est necesse artificiata semper conformari judicio sui artificis; interdum enim non fiunt directe, propter ejus errorem. Intellectus vero divinus nec errare potest, nec decipi; ideo semper oportet cuncta creata divino conformari judicio; imo si quis insensatus affirmet Intellectum divinum posse falsum esse, vel Deum posse a veritate recedere, tunc verum non erit verum, et falsum non erit falsum; et verum erit falsum atque e contra; perverteturque omnium entium ordo, et discolorabitur protinus omnium rerum ornatus, pulchritudo ac species. »

« Quum ergo, in omni ordine, primum dicatur perfectum, et posteriorum mensura et causa, Deus adorandus et vivus, quum sit simpliciter primus ac simplex, est maxime naturaliter verus et Veritas ipsa, omnisque veritatis secundæ Causa originalis, Origo idealis, Idea æternalis, inviolabilis Regula, certissimaque Mensura... » (De natura æterni et veri Dei, art. 19).

II.

In Mente divina præexistunt omnium rerum ideæ.

909. — 1°) « Augustinus, in libro 83 Quæstionum, de ideis effari orsus *(quæst. 46)*: Ideas, inquit, Plato primus posuisse perhibetur. *Idea* autem græce, latine *forma*, seu *species* interpretatur. — Deus enim æternus et gloriosus, virtute suæ naturæ universa producit, et luce suæ Veritatis cuncta cognoscit. Itaque divina Essentia, prout est Principium cognoscendi et producendi creata, nominatur Idea rei creatæ. Unde divina Essentia, ut imitabilis intellecta, vocatur Idea. Omne quippe creatum aliquid divinæ Bonitatis participat; sicque prout Intellectus divinam Essentiam apprehendit ut imitabilem seu participabilem a creatura, divina Essentia nomen et rationem ideæ sortitur. Eadem ergo Dei Essentia diversarum rerum Idea est, secundum quod diversimode suam perfectionem rebus communicat. Sunt enim in Deo plures ideæ, eo quod Deus omnia distincte cognoscit, et cuncta propriis rationibus efficit; alia enim ratione condidit angelum, alia hominem, alia terram. Sed hæc pluralitas divinæ simplicitati non obviat; idea enim relationem dicit ad ideatum remque formatam; idcirco secundum distinctionem ideatorum distinguuntur ideæ. Sed sicut relatio Dei ad creata non est nisi secundum rationem in Deo, realiter vero in creatura, ita pluralitas idearum in Deo non ponit in Deo nisi pluralitatem rationis; in creatura autem ponit pluralitatem realem. »

2°) « De his ideis *Augustinus* sic ait: Ideæ sunt principales formæ, seu rationes rerum stabiles et incommutabiles, quæ ipsæ factæ non sunt, ac per hoc æternæ sunt, semper eodem modo se habentes, quæ in divina Intelligentia continentur; et cum ipsæ nec oriantur nec intereant, secundum ipsas tamen formatur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur ac interit. Secundum has divinæ Mentis ideales rationes, totus hic mundus molitur; secundum has cursus rerum peragitur, elementa subsistunt, cœli feruntur, et singula propriis legibus currunt. »

3°) « Hæc Augustini eloquia *Platoni* per omnia consonant, dempto quod Plato, ut ei imponitur, posuit formas separatas, quas appellavit ideas et universalia ante rem. Quidquid autem sit de hoc, an ita posuit sicut ei imponitur, et sicut verba sonare videntur, hoc constat, quod etiam in Mente divina ideales rationes seu formas constituit; ait nempe in 1 Timæi: *Operi formam dat opifex suus.* Atque post, ostendens et probans quod Opifex primus mundum produxit, non ad similitudinem exemplaris aliunde sibi ostensi aut facti, sed secundum imitationem increatæ atque æternæ Rationis, seu Ideæ: *Certe*, inquit, *dubium non est ad cujusmodi exemplum animadverterit, mundani operis fundamenta constituens, utrum ad immutabile an ad factum et elaboratum. Nam si, ut quidem est, incomparabilis pulchritudinis mundus est, Opifexque et fabricator optimus, perspicuum est quod juxta sinceræ atque immutabilis proprietatis exemplum, mundi sit instituta molitio.* — Insuper in 2 Timæi sic disseruit: *At vero Deus, ut Mens, cujus visus contemplatioque Intellectûs idearum genera contemplatur, intelligibili mundo, quæ ideæ sunt illi animalia* (nempe viventes) *et quasi quidam fontes, continentur in Mente divina, qua est Mundus archetypus, idealis, exemplaris et intelligibilis; ad cujus enucleationem factus est iste mundus sensibilis.* — Unde, secundum Platonem, mundus iste dictus est mundus, quasi purus, quoniam a mundo illo mundissimo divinæ Mentis profluxit. Concludit igitur Plato, quod Opifex Deus universitatis machinam fecit, non secundum elaboratum exemplar, sed potius secundum suæ increatæ atque æternæ Sapientiæ Rationem, non aliunde instructus, neque a quoque adjutus; eo quod ipse operis sui ratione atque prudentia sit utique optimus. »

4°) « Huic autem concordat major auctoritas. Hinc enim in *Isaia* scriptum est: *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit illi? Cum quo iniit consilium et instruxit enim?* (Isai 40). — Unde *Apostolus: O altitudo divitiarum Sapientiæ Dei! Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso sunt omnia* (Rom. 11). »

« Elucescit ergo ex his, quod duo attribuuntur ideæ: primo, quod est ratio cognoscendi alia; secundo, quod est principium productionum illius cujus similitudinem recipit. Ea ergo, quæ fiunt a Deo, secundum utrumque horum sortiuntur ideam in Deo. Quæ vero nullatenus fiunt, vel sunt, nec fuerunt, nec erunt, non habent ideam, nisi quantum ad primum, videlicet prout cognoscuntur a Deo. »

5°) « Porro *secundum Thomam, individua* habent proprias ideas præter ideas specierum, eo quod divina Providentia usque ad individua extendatur. *Genera* vero non habent ideas, præter ideas specierum, prout idea est principium productivum; genera namque extra species nec esse, nec fieri possunt. *Materia* vero, quum esse non potest sine forma, habet quidem ideam, non tamen aliam ab idea compositi; unde aliqui asserunt eam quasi coideatam. Similiter esse dicit *de accidentibus inseparabilibus;* sed *accidentia separabilia* dicit habere proprias ideas. »

6°) « Verumtamen *Scotus* affirmat omnino contrarium, asserens materiam, genera, accidentia *(inseparabilia)* proprias habere ideas. Dicit namque quod idea sit res objective cognita. Sicut itaque a Deo cognoscuntur, ita et proprias sortiuntur ideas. Verum an hoc dictis Augustini et rectæ rationi, his quoque quæ bene inducta sunt consonet, boni lectoris reservo judicio, illud postremo adjiciens, quoniam quæ de ideis secundum Platonem et Augustinum præhabita sunt, consentit fidelis noster *Boetius*, dum ait (In Consolat. Philos., metr. 9):

« *O qui perpetua mundum Ratione gubernas,*
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus; verum insita summi
Forma Boni livore carens, tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum Mente gerens, similique ab imagine formans. »

(B. Dionysius, De natura æterni et veri Dei, Art. 42).

III.

Plura de idearum quidditate adjiciuntur.

910. — « Idea est similitudo rei creabilis aut creatæ, in divina Mente. Quod est, quoniam supersapientissimus Deus universa sapienter operatur, et cuncta propriis operationibus noscit, nec eas accipit aliunde, sed propriam intelligendo Essentiam omni perfectione plenissimam, conspicit eam variis modis a crea-

tis ac creandis et creabilibus imitabilem ac participabilem; sicque divina Essentia, a divino Intellectu taliter apprehensa et cognita, appellatur Idea. »

« Imo una et eadem simplex Essentia, plurium est Idea; est plures ideæ, non propter pluralitatem, diversitatem aut distinctionem existentem in Deo, sed per comparationem et relationem ad ideata; quæ relatio ex parte Dei ac idearum solum est rationis. Etenim superbeatissimus Deus, unico simplicissimo actu intelligit Essentiam suam ab innumerabilibus, imo et quantum est ex parte ipsius, ab infinitis rebus participabilem; ideo Essentia divina innumerabilium est Idea. Infinitæ quoque ideæ in Deo esse dicuntur; nempe secundum quod Deus Essentiam suam intelligit secundum talem aut talem gradum bonitatis aut perfectionis a suis effectibus imitabilem, secundum hoc divina Essentia perhibetur horum sive aliorum idea, similitudo, species, ratio et exemplar. Hinc Deus omnipotens universa et singula propriis ac distinctis rationibus cognoscere fertur. »

« Denique Deus est entium Causa triplici modo causandi, seu triplici genere causæ: est namque omnium Causa *exemplaris*, atque *efficiens* et *finalis*. Unde, inquantum est Causa exemplaris, intuetur et concipit in se rationem et speciem cujuslibet sui effectus, ac ordinem rerum in seipso instituit, determinat et præscribit, sponte ac libere in se statuens quid cuique daturus sit. Quemadmodum etiam plura, imo et omnia in se conspicit et vult, cum universis circumstantiis accidentiisque eorum: sic plura ac omnia simul produxit, aut condere potuit, et singula quæque prout æternaliter ordinavit, opportuno præstitutoque tempore exsequitur et produxit. Ideo ordinem rerum, diversitatem effectuum, multitudinem specierum causis secundis adscribere, et unum creatum ab alio creato esse creatum asserere stultum est. »

« Itaque ideæ sunt tanquam supersplendentissimi ac exuberantissimi fontes, ex quibus profluunt ac prosiliunt universa; incommutabiles rationes, exemplaria fixa, formæ æternæ omnium formativæ, multorumque informativæ, puræ et separatissimæ in sola divina Mente consistentes, non extra et præter eam in se subsistentes, et ab invicem realiter differentes; imo omnes sunt una supersimplex Essentia Dei, qui unica Specie, puta propria Essentia, intelligit universa. »

« Patet ergo ex his, quod idea sit Principium cognoscendi, inquantum exemplar; est quoque Principium producendi, cum sit ipsa divina Potentia et Natura. » (Elementatio Theolog., Propos. 46).

IV.

Deus metrice celebratur ut Idea et Exemplar.

911. — 1. « Tua, Deus, Essentia
Est Idea omnis entis,
Ut est a Sapientia
Tuæ sempiternæ Mentis
Concepta imitabilis,
Rebus participabilis. »

2. « O Mens sapientissima
Cuncta agens Intellectu,
Ratione certissima,
Te spectemus cum affectu. »

3. « Casu sive fortuito
Nil prorsus operaris,
Tu instanti gratuito
Facis id quo delectaris. »

4. « Hinc Formam tui operis
In te videre poneris,
Qui distincte cuncta noscis,
Actuumque causas poscis. »

5. « Nec tu primus Actor rerum
Æternus, immutabilis,
Aliunde sumis verum,
Aut cujusquam creabilis
Rationem exemplarem,
Speciemque idealem. »

6. « Universa in te splendent,
Ut, o Deus, a te pendent;
Hæc distincte contemplaris,
Propriisque operaris
Formis cum idealibus,
Æternis, exemplaribus. »

7. « Idearum pluralitas
In te est quoad creata,
Cui singularitas
Non obsistit, Lux beata!
Æque summa simplicitas,
Superpura Divinitas! »

8. « Hæ ideæ, in te, Deus,
Lux, vita sunt et veritas;
Suntque, o Creator meus,
In quo plena amœnitas,
Cognoscendi principium
Agendique initium. »

9. « Hæ sunt formæ principales,
Summæ, fixæ, æternales,
Juxta quas in te formatur
Quidquid agis aut creatur;
Hi fontes splendidissimi,
Uberrimi, plenissimi. »

10. « Tanta inest vis ideis,
Sapiens ut sine eis
Nullus queat consistere,
Nullus absque his salvatur,
Nil servatur, gubernatur;
Has, Deus, opto dicere. »

11. « Hæ sunt mundi Archetypus,
Arsque tuæ summæ Mentis;
Ab his rerum ordinibus
Formæ sunt pro ornamentis;
Cordis anachoreticus
Contemplator has splendentis. »

12. « Per exemplar formaliter,
Ratione formaliter
Clarum est te operari
Efficientialiter
Per ideam; nec aliter
Debet quisquam operari. »

13. « Tu nam cunctorum Ratio
Es, Exemplar et Idea,
Neque horum distinctio
Realis est, salus mea! »

14. « His ideis concupimus
Illustrari, quamvis limus;
Per has fac nos sapientes,
Ad te semper intendentes,
Cui honor, laus, potestas,
Adorandaque majestas! »

(De Laudibus superlaudabilis Dei).

§ IV.

De trina omnium rerum ordinatione a Deo.

Probatur quod prima Causa 1°) omnia in mensura, in numero et in pondere disposuit; 2°) omnia regit ad mundi perfectionem; 3°) ordinem universi instituit.

I.

Prima Causa omnia in mensnra, numero et pondere disposuit.

912. — 1°) « *Omnia creata simul sumpta* constituta sunt in *mensura*, id est, totum universum factum est in dignitate et esse specifico, in qualitate, quantitate, ac potestate finitum, ac cæteris limitibus terminatum. In *numero* quoque, quoniam numero unum est non multa; nec innumerabilia, ut quidam philosophi imaginati sunt. Et item in *pondere*, quoniam omnia tendunt ad centrum, et in naturali inclinatione, et ad proprium finem. »

« *Insuper omnia singulatim, ac diversim accepta*, constituta sunt in *mensura*, id est in esse limitato, et naturâ ad certum genus specie contracta. In *numero* quoque, quia in unoquoque ente subsistente est multiplicitas aliqua, puta esse, posse et agere; materia et forma, seu actus et potentia; aut *quod est* et *quo est*. Et in *pondere*, id est, inclinatione ad finem sibi conveniente; propter quod Sapientia increata perhibetur attingere a fine usque ad finem fortiter, et disponere omnia suaviter. »

2°) « Denique his concordat quod Augustinus affirmat: Omnia esse facta in modo, specie et ordine; per *modum* designans mensuram; per *speciem* numerum, quia species rerum se habent ut numeri; per *ordinem*, pondus. »

« Ad quæ etiam reducuntur, quæ in libro 83 Quæst. commemorat dicens: Quod constat, quod discernitur, quod congruit. Unumquodque etenim per suum esse *constat*, per suam formam *cognoscitur*, per ordinem suum *congruit* sibi ac aliis. »

3°) « Præterea, cum Deus sit universorum Causa, in triplici genere causæ, videlicet efficientis, et formalis *(extrinsecæ)* seu exemplaris, atque finalis, causat hæc tria in entibus secundum quamdam appropriationem; quia inquantum *Causa efficiens*, dat esse limitatum; inquantum *Causa exemplaris*, influit speciem et numerum essentialium extrinsecorum principiorum; inquantum *Causa finalis*, largitur pondus et ordinem. »

4°) « Insuper ad hæc tria spectant tres proprietates entis, omni enti convenientes et convertibiles cum eodem, quæ sunt unitas, veritas et bonitas; ita quod *unitas* pertinet ad numerum, *veritas* ad speciem, *bonitas* ad ordinem. Et Causa prima, in ratione causæ efficientis, dat unitatem; in ratione causæ exemplaris, imprimit veritatem; in ratione causæ finalis, bonitatem. »

5°) « In his tribus, supergloriosissimus Deus mundum constituit, regit et judicat. In his, ipse omnipotens judex nec comprehendi potest, nec reprehendi. In horum clausura, multa nunc latent abscondita, quæ clavibus Sapientiæ et Justitiæ atque Judicii Dei suo tempore reserabuntur, quando et illuminabuntur abscondita tenebrarum, et revelabuntur consilia cordium. »

« Amplius tria hæc in rebus actibusque humanis speciali modo inveniuntur; propter quod peccatum asseritur esse corruptio modi, speciei ac ordinis. » (Elementatio Theol., Prop. 107).

II.

Prima Causa omnia regit ad mundi perfectionem.

913. — « Causa prima universa et singula in propria sua luce ac Sapientia clarissime in-

tuetur, perfectissime noscit, providentialiter ordinat ac disponit. Quod est, quoniam Sapientia Dei est ejus Essentia, ideoque perfecta et infinita, cujus intuitum nihil evadit, atque in ipsa tanquam in primo causali Principio, cuncta exemplariter lucent, virtualiter continentur; idealiter, sapientialiter ac providentialiter præsentantur, comprehenduntur, resplendent. Deus ergo omnipotentem suam Virtutem conspiciendo, cernit in ea omnia quæ potest, et quæ produxit, producit et producturus est. Similiter suam intuendo Essentiam, videt cuncta quæ relucent in ea, quæ una consistens et manens, est universorum, imo innumerabilium ac infinitorum Idea, exemplaris ratio, similitudo aut species. »

« Deus ergo est omnia regens, et sicut in libro *de Causis* probatur, omnia regit per finem decoris, id est, cum summo decore; nec aliter machina universi, in qua sunt tot contraria, tamque diversa, tam multa et magna, stabilis permaneret ac solitum cursum servaret, prout de hoc fidelis Boetius 4 et 5 *de Consolat. Philos.* sapienter ac diffuse effatur. Etenim in omni gubernantium multitudine, oportet ad unum Primum gubernans, imperialiter præsidens, generaliter dominans, regendique legem aliis influens devenire; alias, ubi multitudo, ibi confusio, non stabilis ordinatio. » (Ibidem., Prop. 81).

III.

Prima Causa ordinem universi instituit.

914. — « Prima Causa, in Sapientia sua æterna, instituit ordinem universi, et per se ipsam primo ac immediate exsecuta est, et digessit eam in creaturis. Quod est, quoniam ordo universi est quid optimum in eodem; idcirco a summo Bono directe et effective profluxit. »

« Rursus sapientis est ordinare, et cuncta ordinate peragere. »

« Iterum essentialis rerum ordo, et nexus ac colligatio universi, immediate consequitur naturas et species rerum, habentes se instar numerorum. Naturas autem et species rerum instituere in se, ac constituere foris in rebus, solius est Dei. Ideo Ipse per se immediate, nullo creato agente concausante, condidit mundum, id est, universas intelligentias ac orbes cœlestes, et elementa ac rerum naturas, hoc est prima individua specierum. »

« Verum circa hoc etiam majores philosophi graviter erraverunt, opinantes a simplicissimo et invariabili Deo prorsus uniformiter se habente, non profluxisse per creationem immediate nisi summam ac primam Intelligentiam, atque ab illa secundam intelligentiam esse creatam. Ita Avicenna 9 Metaphysicæ suæ... Verum ista positio non solum erronea est, sed etiam hæretica, cum solus Deus Creator sit, nec creare conveniat finitæ potentiæ; jamque ostensum sit, quod sicut omnipotens Deus plura, imo et omnia simul practice intuetur, sic potest et eadem simul efficere; quia non minor est ejus Potentia in exsequendo et operando, quam Sapientia sua in intelligendo ac disponendo. » (Ibid., Propos. 88).

§ V.

De unitrinæ Causæ vestigiis in omnibus suis effectibus.

Sequentes probantur Propositiones: 1°) Prima Causa in suis effectibus non repræsentatur nisi analogice. 2°) Dei Unitas, Veritas, Bonitas et Pulchritudo in omnibus entibus participantur in mensura, numero et pondere a Deo prædeterminatis. 3°) Dei Potentia, Sapientia et Bonitas in omnibus creaturis manifestantur. 4°) Quædam attributa singulis personis propria sunt, et quædam appropriata ac in creaturis repræsentata.

I.

Divina Causa in suis effectibus non repræsentatur nisi analogice.

915. — « Deus non est genus, nec species, neque in genere aut aliqua specie, nec individuum aut persona in aliquo prædicamento contenta. » (Ibid., Propos. 84). Ergo cum creaturis non convenit univoce, sive specifice, sive generice, sed tantum analogice.

« Ea quæ de Deo et creaturis dicuntur, non conveniunt eis univoce, nec omnino æquivoce, sed potius analogice; quod est, quoniam Deus multo plus, imo in infinitum magis excedit omnem creatam substantiam, quam creata substantia, accidens; non enim una creata essentia transcendit aliam dignitate et perfectione specifica infinita. Deus vero omne creatum excedit in infinitum. Et tamen tanta est eminentia substantiæ supra accidens, quod commune genus non habet, nec ens de eis prædicatur univoce. Ideo multo minus de Deo et rebus creatis quidquid univoce dicitur. »

« Et si dixeris imo *(nempe si hoc affirmaveris)*, constat quod non; quia nec Ipse, neque per se subsistere, nec sapientem justumve esse convenit univoce, id est eadem ratione. Imo Deo conveniunt ista et consimilia per modum infinite sublimiorem quam aliis, utpote per se independenter, imparticipanter, essentialiter, non inhærenter; creaturis vero participative,

imperfecte et in genere certo, secundum gradum determinationum. Nec creata substantia per se subsistit propria virtute, nulli alteri innitendo; imo magis innititur virtuti ac conservationi primæ Causæ, et magis dependet ad Creatorem quam accidens ad subjectum. Creatura quoque non est essentialiter sua sapientia, neque justitia. »

« Verumtamen non prorsus æquivoce conveniunt ista ipsis, quoniam creaturæ aliquid veræ entitatis, bonitatis, substantialisque substantiæ ac sapientiæ a Creatore participant; nec aliter ex rebus creatis possemus aliquid vere et proprie ac affirmative de Creatore cognoscere, concludere, enuntiare; imo fallacia æquivocationis accideret. Ideo analogice competunt eis; hoc est, Deo per prius, creaturis vero per analogiam, id est, habitudinem, proportionem ac ordinem quemdam ad Creatorem, qui suam Bonitatem, Perfectionem ac Opulentiam ipsis communicat, secundum gradum, et diversitatem multiplicem, quamvis per modum infinite inferiorem, quam in Ipso sunt. Hinc quoque hæc attributa, seu perfectionalia prædicamenta, non dicuntur de Deo, nec competunt ei solum per causam, ut dicatur bonus, sapiens, sanctus ideo tantum, quoniam Causa est bonitatis, sapientiæ et sanctitatis creaturarum; sic quippe dici posset etiam lignum et lapis. » (Element. Philos., Propos. 82).

II.

Dei Unitas, Veritas et Bonitas ac Pulchritudo in omnibus entibus creatis participantur in mensura, numero et pondere.

916. — 1°) « Omne creatum, inquantum procedens a Deo, in ratione triplicis causæ sortitur unitatem, veritatem et bonitatem. Quod est, quia inquantum emanat a Deo accepto in ratione causæ efficientis, habet *unitatem*, qua indivisa est a se ac divisa ab aliis; habens proprium esse, prout est terminus productionis realis, puta creationis a Deo immediate aut mediate. »

« Porro prout fluxit a Deo sub ratione causæ formalis *(extrinsecæ)* seu exemplaris, sortitum est *veritatem;* qua suo increato Exemplari, ut potuit, conformatur conformitate qualiscumque imitationis, non similitudinis naturalis. »

Postremo, secundum quod processit a Deo in ratione causæ finalis, adeptum est et participavit *bonitatem*, et ordinatur ad summum Bonum ac ultimum finem. »

2°) « Sic quoque factum est *in pondere*, id est in elevatione ad congruum finem. »

« Sed ut factum est a Creatore per modum causæ exemplaris, est *in mensura*, id est, in determinato gradu ac ordine suæ speciei et generis. »

« Atque ut prodiit a Creatore in genere causæ efficientis, factum est *in numero* essentialium partium quibus constat, seu actus et potentiæ, aut quod est et quo est... »

3°) « At vero divinus Dionysius perhibet etiam *pulchrum* converti cum ente; siquidem in omni creato, perfectio ipsa specifica, quædam est pulchritudo. » (Ibid., Propos. 93).

III.

Dei Potentia, Sapientia et Benevolentia in omnibus creaturis manifestantur.

917. — « In omnibus creaturis specialiter manifestantur, resplendent et attenduntur tria hæc attributa Creatoris: Potentia, Sapientia, Bonitas. Quod est, quia in rerum creatione atque in creaturarum magnitudine et multitudine, consideratur ac lucet Dei *Omnipotentia*. *Sapientia* quoque summi Artificis ac primi Opificis, patet in rerum ordinatione, distinctione et gubernatione. *Bonitas* vero illius innotescit in entium conservatione, et multiplici utilitate, ac directione eorum ad finem unicuique convenientem. »

« Potentia actum elicit, Sapientia dirigit, Bonitas perficit. Et sicut hæc tria in Deo sunt unum, ita inseparabiliter operantur: *Potentia* namque sapienter et benigne elicit actum, et opus exercet; *Sapientia* potenter et benigne dirigit, ordinat, distinguit et regit producta; sic et *Bonitas* potenter ac sapienter conservat, movet, perficit, regit quæ condita sunt. »

« *Potentia* tam sapiens et benigna est, quod non efficit aliquid essentialiter malum, imo nonnisi bonum; nec sineret fieri mala culpæ, nisi posset, et sapientialiter ac providentialiter vellet inde elicere bona. *Sapientia* quoque tam potens et bona est, quod in gubernatione rerum, nihil relinquit prorsus inordinatam. Sic et *Bonitas* Dei tam potens sapiensque consistit, quod nihil frustra neque inaniter agit, nec ullum bonum virtutis irremuneratum relinquit. » (Elementat. Theolog., Propos. 109).

IV.

Quædam attributa personis propria sunt, et quædam appropriata ac in creaturis repræsentata.

918. — « Quædam conveniunt divinis et increatis personis *proprie*, quædam *appropriate;* nam illa dicuntur proprie convenire, attribui et inesse divinæ personæ, quæ ei duntaxat con-

veniunt, et id per quod in esse et proprietate constituitur personali. »

1°) « In divinis quippe, per relationes personæ constituuntur, atque ab invicem distinguuntur. Hinc Paternitas personæ Patris convenit proprie; Filiatio Filio; Processio, seu passiva spiratio, Spiritui sancto. »

2°) « Cumque *Pater* a nullo sit, appropriatur ei æternitas, et etiam primitas, itemque potentia, unitas quoque. Æternum namque vocatur sine principio; et primus, ante quem nullus. Ab unitate quoque derivatur omnis pluralitas; sic a Patre cætera cuncta. »

« At vero, quoniam *Filius* procedit a Patre per Intellectum, idcirco quæ ad Intellectum specialiter pertinent, sunt Filio propria, aut appropriata: *Propria* quidem, ut illa quæ conveniunt ei soli, ut Verbum, Imago, Proles interna, Ars nata, Sapientia genita; *appropriata* vero ut æqualitas, sapientia, ars, idea, pulchritudo. »

« Præterea, quoniam *Spiritus sanctus* profluit ab utroque per Voluntatem, hinc ad Voluntatem spectantia, propria sunt aut appropriata Spiritui sancto; *propria*, ut Amor spiratus, Donum secundum unam acceptionem, Amplexus et Nexus Patris et Filii; *appropriata*, ut pax, tranquillitas, jucunditas, unctio, paracletus, communio, bonitas, benignitas, munificentia ac dulcedo. »

3°) « Denique pulchritudo ad intellectum, veritatem et sapientiam spiritualiter ac specialiter pertinet, quemadmodum bonitas, liberalitas, pietas ad affectum. Ideo *æternitas dicitur esse in Patre, species in Imagine*, id est pulchritudo in Filio, qui est veritas ac sapientia Dei Patris; nam et pulchrum vocamus quod visum oblectat; Filius autem Patri simillimus est, splendor gloriæ, candor lucis æternæ, immaculatissimum speculum, radiantissimusque character substantiæ Patris; recte igitur Filio pulchritudo, seu species appropriatur. — Postremo *usus est in munere*, id est communicatio in Dono seu Spiritu sancto, qui est commune profluvium Patris et Filii, flumen pacis, communicator et dator omnis boni creati, Ens summe proficuum et communicativum, pax, osculum ac jucundissimum et vere dulcissimum Bonum, quo Pater Filiusque fruuntur atque deliciantur, æternaliter quoque gratulantur. » (Elementatio Theologica, Propos. 21).

§ VI.

De unitrinæ Causæ imagine et similitudine in creaturis intelligentibus.

Scilicet: 1°) De comparatione divinæ imaginis in angelo et homine. 2°) De divina imagine et similitudine in homine speciatim. 3°) De hominis conformitate intellectuali et morali cum Deo.

I.

De comparatione divinæ imaginis in angelo et homine, atque de hominis loco in universo.

919. — 1°) « Imago et similitudo Dei tanto eminentius resplendent in intellectualibus creaturis, quanto ipsæ intellectuales creaturæ sunt excellentioris speciei perfectorisque gradus et ordinis altioris. Quod est, quia quanto aliqua creatura est Deo propinquior, tanto est ei similior; angelus autem in universitate et ordine creaturarum, primum et supremum locum sortitur. Unde asserit Augustinus, quod Deus creavit angelum prope se, materiam prope nihil. Præterea, ut in libro *de Angelica Hierarchia* divinus Dionysius protestatur, angeli, potissimum primæ ac summæ hierarchiæ, sunt divinissimi, animi propinquissimi Creatori, et quasi in Deitatis vestibulis collocati. Itemque angelus, inquit, est deiformissimum atque mundissimum speculum Dei. Denique, contestante in libro *Diffinitionum* Isaac Israelita philosopho: Anima in intelligentiæ umbrâ est creata. — Constat quoque, quod in producendo verbum mentale per intellectum, et amorem internum per voluntatem, nec inde unquam cessando, angelica celsitudo multo perfectius ac deiformius habet se, quam imbecillis mens hominis. Sed et denuo clarum est, quod tam in donis naturæ, quam gratiæ et gloriæ, angelica creatura, præsertim ordinum altiorum, multum præeminet creaturæ rationali *(homini)*, intantum ut in Evangelio dixerit Christus: Qui minor est in regno cœlorum, id est infimus Beatorum, major est illo, puta Joanne Baptista, ut adhuc fuit viator. »

« Verumtamen quibusdam est visum, quod omnibus hinc inde pensatis, et absolute loquendo, imago et similitudo Dei expressius eminentiusque in homine quam in angelo quocumque resplendeant. Quemadmodum enim Deus immensus est, totus in toto universo, et totus in qualibet ejus parte, sic anima rationalis tota est in corpore suo, et tota in qualibet ejus parte. Quemadmodum etiam Deus omnipotens, omnia ponit in esse naturali, sic anima omnia ponit in esse intelligibili. Rursus, sicut Deus est Principium omnium rerum et Finis earum, sic homo primus principium est totius generis humani, et finis rerum inferiorum. »

« Sed ex his et similibus non probatur, quod loquendo simpliciter, imago similitudoque Dei eminentius in homine quam in angelo luceant,

sed quantum ad accidentalia quædam, et per comparationem ad creaturas. Quantum vero ad ea, in quibus directe et principaliter imago et similitudo hæc attenduntur, magis relucent in angelo. »

« Verum, ad discernendum in hac re, oportet agnoscere naturam specificam, vires, operationes, habitudines, efficacias, gradum et ordinem, tam angeli etiam summi, quam animæ rationalis; certumque quia ab angelorum, præsertim summorum, plena notitia in his prorsus deficiamus. Idcirco incircumspectionis videtur proferre, quod similitudo et imago Dei, simpliciter fando, magis reluceant in anima rationali, quam in angelo summo. » (Element. theol., Prop. 108).

2°) « Ergo per intellectum et voluntatem, homo convenit cum angelo, atque est sicut angelus, Dei *imago* et *similitudo* analogice. Sed per potentias sensitivas ac vegetativas, homo convenit cum brutis et plantis, et est, sicut ista, analogicum Dei *vestigium*. Unde patet, quod per illam convenientiam cum creaturis sibi superioribus atque inferioribus, homo medium mundi occupat, ita ut recte nuncupetur compendium ac centrum universi, seu minor mundus. Homo est quasi horizon et medium universi. Cum enim ex sensuali et intellectuali constet natura: per partem sensitivam, hoc est per vires sensitivas ac appetitivas, atque per corruptibile corpus, communionem habet cum irrationalibus mortalibusque creaturis, puta brutis. Porro per partem intellectivam, per rationem et liberam voluntatem immortalemque animam, summi Dei similitudine insignitam, convenientiam quamdam cum Deo et intelligentiis *(angelicis)* est sortitus. Attamen per rationalem naturam in propria specie collocatur, secundum quod per naturale lumen et vim rationis discursivus est, a notis ad ignotorum cognitionem progrediens, scientiamque acquirens tam ex aliorum instructione, quam propria inventione; præcipue tamen in exordio usus rationis suæ, ex aliorum doctrina, quorum etiam multiplici adminiculo indiget, potissime in infantia, pueritia et adolescentia, imo et frequenter deinceps, usque in finem vitæ; hinc homo est naturaliter animal sociale, civile. Juxta hæc, distinguitur triplex genus vitæ humanæ, videlicet bestiale, civile, divinum. » (Element. Philos., Propos. 97).

II.

De divina imagine et similitudine in homine speciatim.

920. — « Anima rationalis ad sui Creatoris imaginem ac similitudinem est creata; similiter et homo. Quod est, quoniam Genes. 1 legitur Deus dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quod nequaquam ab Omnipotente prolatum est ad designandum quod homo, quantum ad corporis sui formationem et membrorum lineamenta, sit factus ad Dei imaginem et similitudinem; quasi Deus, in propria sui deitatis Essentia, sit corporalis; aut corporaliter, figuraliter seu linealiter circumscriptus, ut quidam rudissimi et indoctissimi putaverunt hæretici *(Anthropomorphitæ);* imo et simplices quidam, non ex malitia, sed imperitia tam graviter delirantes, ut de nonnullis Ægyptiis monachis narrat Cassianus. »

« Itaque non in productione cœlestium corporum, nec elementorum, neque mixtorum irrationalium, sed rationalis creaturæ, puta hominis, locutus est Deus. Non utique ad angelos, sed Deus in Essentia unus ac simplex, et trinus personis, locutus est pluraliter: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, id est ad majorem nostræ Perfectionis imitationem, seu in pleniore participatione nostræ Perfectionis, quam cætera creata corporea; ita ut præ illis nobis similior conformiorque consistat. Sicque locutus est ad insinuandam pluralitatem personarum in se, vel juxta morem quo excellentes personæ loqui sic solent. »

« Denique ista locutio: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, dupliciter potest intelligi: Primo, ut hæc præpositio *ad* terminum factionis determinat; eritque sensus: Faciamus sic hominem, quod in eo sit nostra imago, seu imago creata nos imitans, seu nobis assimilata; et ita intelligitur de creata imagine. — Secundo, quod præpositio causam denotet exemplarem, ut sit sensus: Faciamus hominem ad imaginem nostram, id est, ita quod nostræ increatæ imagini assimiletur, puta Divinæ Essentiæ, seu Trinitati personarum; sicque imago improprie sumitur pro exemplari, ad cujus imitationem fit, sive producitur aliquid. »

« Præterea *imago Dei* in anima, specialiter potest attendi penes emanationem ad intra ac relativa, et quantum ad ipsas superiores animæ vires, per aptitudinem et comparationem earum ad suos actus, præsertim circa increatum Objectum. — *Similitudo* autem animæ cum Deo penes absoluta, ut anima rationalis, inquantum omnium capax, et Deum cognoscens ac diligens, dicatur ad similitudinem Dei producta; item inquantum est simplex, incorporalis ac intellectualis naturæ. — *Imago* vero Dei vocetur, inquantum per intellectum possibilem generat intra se verbum et conceptum rei intellectæ, atque per voluntatem diligit quod cognoscit, et ejus amorem intra se spirat. Per intellectualem vero memoriam in se reservat speciem rei, ex

qua, actuali intellectione cessante, rursus formet ac renovet in se actualem notitiam. Itaque sicut in summa Trinitate, ex Patre nascitur Filius, et ex utroque Spiritus sanctus; ita in anima, ex mente procedit notitia veluti proles mentis, et ex mente atque notitia, amor tanquam utriusque nexus ac vinculum. »

« Postremo *imago* et *similitudo* Dei consistunt in anima, a suæ creationis exordio, imperfecte. Cum autem anima per exercitationem et informationem proficit, crescit, perficitur actibus ac habitibus scientiarum et virtutum, imago et similitudo Dei in ea ornatur, augetur et stabilitur. Cumque supernaturalibus, gratuitis et infusis virtutibus, donis et charismatibus ac meritoriis actibus anima elevatur ac decoratur, imago et similitudo Dei in ea completur, floret ac radiat; ita quod quasi angelica ac deiformis efficitur. Potissime vero hoc fit, dum per dona gloriæ inseparabiliter Deo conjungitur, et tota in ipsum transformatur ac deificatur. » (Element. Theol., Propos. 106).

III.

De hominis conformitate intellectuali et morali cum Deo.

921. — 1°) « In anima rationali relucet Conditoris imago, et tam superiora quam inferiora resplendent, et virtualiter seu similitudinarie continentur ac repræsentantur in ipsa. Anima quippe per cognitionem et dilectionem capax est Dei, et suo assimilatur Creatori per sapientiam et charitatem ac virtutum constantiam, et per cæteros habitus et actus intellectuales, ita quod sicut superbeatissimi Creatoris vita in seipso, est suiipsius et omnium contemplatio amorosa, atque dilectio contemplativa: sic vita animæ rite dispositæ est contemplatio ac dilectio Creatoris ac creaturarum in ipso... Sicut Creator altissimus cuncta constituit in esse naturali, sic anima ponit materialia cuncta in esse intelligibili. Quemadmodum etiam universa in Deo causaliter idealiterque relucent et continentur, ita in anima virtualiter et similitudinarie omnia repræsentantur... » (Element. Philos., Propos. 40).

Homo, *quoad intellectum* Deo conformatur, ipsum Deum unum et trinum cognoscendo. Atqui, *Deum unum* naturaliter cognoscere potest variis argumentis, deductis tum ex necessitate primi Motoris in mundo (De natura act. et veri Dei, art. 7-9); tum ex ordine causarum atque effectuum (art. 10); tum ex ordine rerum in perfectione (art. 11); tum ex contemplatione regiminis universi (art. 12); et Deum sic cognoscimus triplici via, nempe per eminentiam, per ablationem et per causalitatem (art. 13). — At *Deum trinum personis*, cognoscere non possumus nisi ex supernaturali revelatione (Element. Theol., Propos. 12). Et sicut divinæ Trinitatis mysterium nulla potuit unquam naturali ratione inveniri aut demonstrari, ita nec potuit Philosophiæ demonstrativis rationibus improbari. (Ibid., Propos. 13).

2°) « Rationalis creatura suam *voluntatem* conformare ac subdere debet Voluntati divinæ. Quod est, quia et ipse superbenedictus Creator hoc jubet et exigit, obedientia quoque requirit; estque justissimum, et honorificentia Dei consistit in hoc. Denique conformatio ista intelligenda est quantum *ad actum* voluntatis creatæ, non tamen semper in volendo et nolendo ea quæ vult Deus, aut quæ non vult; imo frequenter volumus et optamus opposita his quæ vult Deus, et nolumus quæ vult ipse; quemadmodum deprecamur pro omnium infidelium conversione, pro universorum salute, quorum multi sunt reprobi et præsciti. Consistit ergo conformatio, obeditio et subjectio ista in hoc, ut ea velimus quæ Deus vult nos velle, et ea non velimus quæ ipse vult nos non velle; atque ut hæc velimus, seu non velimus, eo modo et fine ut ipse instituit, puta ordinate ad Dei gloriam et honorem, et item ex charitate. Præterea, sicut fons omnis justitiæ atque totius regula æquitatis, Deus altissimus, vult quædam uno modo, non alio modo; et quædam voluntate antecedente, non voluntate consequente; et quædam secundum quid, seu conditionaliter, aut quantum in se est, quædam vero simpliciter et absolute; ita de nobis est sentiendum. Quamvis enim noscamus multos esse vocatos et reprobos, paucos vero electos, attamen modo prætacto optamus omnes salvari; et quamvis nobis constaret de certis personis quod reprobæ sint, nihilominus sub conditione, inquantum viatores sunt, possemus earum optare salutem. — Hæc demum de *voluntate* proprie sumpta, non de *appetitu* solum naturali aut sensuali sunt accipienda. » (Element. Theolog., Propos. 53).

3°) « Anima sapiens, prudens virtuosa, est sicut regnum bene dispositum, regio pulchra et quoddam universum, propter quod homo minor mundus ponatur. Quod est, quoniam sicut in toto mundo est unus Rector supremus, cæteris omnibus præsidens: ita in anima rationali est ratio vis suprema, cæteris viribus dominans; cui dum cæteræ vires recte obediunt, ipsa anima est totum potestativum laudabiliter ordinatum, in quo diversæ sunt vires et actiones, tanquam gentes rite dispositæ. Hinc, sicut in regno et civitate est pax, dum cuncti inferiores superiori

suo congrue parent: ita in anima, dum vires vegetativæ ac sensitivæ, per rationem vere prudentem ac sapientem, quantum possibile est, efficaciter gubernantur... Itaque anima prudens, sapiens, virtutibus perornata, prænobilis valdeque splendida ac deiformis est creatura; quæ autem vitiis servit, passionibus vincitur, deordinata consistit, omni bruto est vilior, omni monstro deformior, omni cadavere abominabilior atque fœtidior... » (Element. Phil., Prop. 102).

§ VII.

De divinæ Causæ perfectione resplendente in Verbo incarnato.

Sequentes probantur Propositiones: 1°) Divinæ perfectiones magis elucent in hominis Redemptione, quam in totius mundi Creatione et Gubernatione. 2°) Christus est omnimode perfectus. 3°) Christus est Ecclesiæ Caput, et hominum Exemplar.

I.

Divinæ perfectiones magis elucent in hominis Redemptione, quam in totius mundi Creatione et Gubernatione.

922. — 1°) « Sapientia, omnipotentia, bonitas, charitas, misericordia, justitia, liberalitas Dei in sua Incarnatione, ac cæteris suæ humanitatis mysteriis, eminentius magnificentiusque resplendent, quam in Creatione et Gubernatione totius mundi. Quod est, quoniam majus fuit divinæ incircumscriptibilis Majestatis naturam, atque humanæ fragilitatis essentiam, in unam convenire personam, quam res ex nihilo procreare. Nam quamvis non esse et esse, seu nihil et aliquid, dicantur infinite distare ab invicem; tamen cum nihil et non esse non sit aliquid positivum, non habet realem distantiam ab esse et ente, seu aliquo, sed imaginariam tantum. »

« Incomparabiliter quoque plenius, mirabilius et indicibilius communicavit, ostendit et declaravit Deus Dei Filius suam bonitatem, charitatem, munificentiam, dignitatem, misericordiam humanitati assumptæ, uniendo eam suæ Deitati, immediata, proxima et hypostatica unione, communicandoque ei suam personalem subsistentiam eamdem numero, suppositando illam in suo Esse personali increato, in quo Ipse secundum Deitatem æternaliter est subsistens, quam communicando rebus creatis dona et beneficia sua creata, ac seipsum solummodo objective ad intuendum, possidendum, fruendum. »

« Insuper charismata gratiæ, donaque gloriæ, a primo Incarnationis instanti, inæstimabiliter præclariora contulit assumptæ humanitati, quam alicui alteri creaturæ. »

« Rursus incomprehensibilis altitudo Sapientiæ Creatoris, imperscrutabilisque profunditas consilii supergloriosissimæ Trinitatis super modo Redemptionis generis humani in Incarnatione Verbi æterni, ac cæteris ejus mysteriis, incomparabiliter est refulgens; in quibus et justitia Patris monstratur, qui maluit Unigenitum suum sic pati, crucifigi ac mori, quam peccata inulta relinquere. »

« Quod vero sine meritis nostris, imo et non obstantibus infinitis demeritis nostris, tam copiosissime et supermisericordissime nobis subvenit, immensitatem pietatis suæ commendat. »

« Conformiter Sapientia Dei interminata declaratur in hoc, quod non solum per viam potentiæ, sed potius per contemperationem misericordiæ atque justitiæ suæ, redemit nos. Per Christi quoque humilitatem, patientiam, paupertatem, charitatem, expugnavit et vicit dæmonum ac sæculi hujus superbiam, odium, opulentiam et rancorem. » (Elemen. Theolog., Propos. 114).

2°) Præterea Dei Sapientia in hoc elucet, quod Verbum Dei incarnatum est, non vero Pater aut Spiritus sanctus.

« Incarnatio potissime decuit Unigenitum Dei, non Patrem, nec Spiritum sanctum. Quod est quoniam incarnatus est Filius Dei, ut inter Deum et homines Mediator. Cumque ab æterno fuerit persona media in divinis, sibi specialiter congruebat, ratio, opus, proprietas Mediatoris. »

« Rursus tam angelus quam homo, immoderate optando similitudinem Dei, unigenito Patris Filio specialiter derogavit, cum Filio approprietur aut propria sit similitudo cum Patre. Hinc Pater, quasi zelans pro Filio, damnavit utrumque, quod cernens Filius, zelans et ipse pro Patris recuperando honore, instaurandoque damno, assumpsit formam servi, ut lapsum hominem repararet, atque angelicam recuperaret ruinam. ».

« Præterea ei, qui ab æterno existit Filius Dei Patris, magis competebant nomen et ratio Filii Virginis matris, ne in superbenedicta Trinitate essent filii duo. »

« Insuper homo, cum sit rationalis et intellectualis naturæ, Unigenitus Dei, qui est Sapientia Patris, et Verbum Intellectus paterni, cum homine specialem quamdam convenientiam habet. » (Elementat. Theolog., Propos. 130).

Denique juxta D. Thomam aliosque doctores, decebat ut mundus redimeretur seu recrearetur per Verbum, per quod fuerat creatum. Cæ-

terum divina Trinitas omnia ad extra operatur secundum rationem processionum trium personarum, ita ut omnia facit Pater, per Verbum, in Spiritu sancto.

II.

Christus est omnino perfectus.

923. — Jesus Christus divinam humanamque naturam in divina persona sua conjungens, est perfectus Deus et perfectus homo; perfectus Deus, quia est Dei Filius, Patri suo æqualis ut consubstantialis; perfectus homo, quia animam humanam corpusque humanum habet, omnibus dotibus spiritualibus ac corporalibus ornata in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ. Jam vero, de hac naturali et supernaturali humanitatis Christi perfectione sic loquitur noster Carthusianus:

« Nonnisi venustissimam, pulcherrimam et decoratissimam humanitatem decuit a Verbo æterno assumi. Quod est, quoniam inter uniendos decet esse proportionem. Unde nec anima infunditur corpori, nisi organizato et convenienter disposito, nec anima a corpore separata perducitur ad beatificam unionem, nisi perfecte ab omni macula culpæ ac reatu purgata et libera. Cumque uniri increatæ personæ, non solum ad intuendum ac perfruendum, imo ad subsistendum simul cum ea in eodem esse personali, sit prorsus incomparabilis, præclarissima ac vicinissima unio creaturæ cum Creatore: evidens est, quod ad eam exigatur incomparabiliter excellens puritas, decor, sanctitas, perfectio creaturæ taliter assumendæ, nuncque assumptæ a Deo; non quod unio Verbi æterni cum humanitate ab ipso assumpta, non sit immediate facta in ipsa natura, et inter personam assumentem et naturam assumptam; sed quia in præconceptione Mentis divinæ, decretum sit et decentissimum judicatum, ut non assumeretur natura nuda et indecorata, sed cunctis charismatibus gratiæ, donisque gloriæ præexcellentissime ac incomparabiliter perornata, pulchrior et radiantissima facta, usque ad omnem suæ capacitatis repletionem, salvo statu viationis in carne mortali, puta quantum ad superiores animæ vires per respectum ad increatum Objectum. Et ita Christi humanitas, quantum ad animam sic ornatam, ineffabiliter fuit splendidior, sanctior, nobilior omni mente angelica, imo seraphica et suprema; sicque nullatenus indecens exstitit, naturam hanc, tam supernaturalissime venustatam et nobilitatam, hypostatice uniri Verbo æterno. » (Elementat. Theolog., Propos. 115).

III.

Christus est Ecclesiæ Caput et hominum Exemplar.

924. — 1°) CHRISTUS CAPUT EST OMNIUM ELECTORUM, AC TOTIUS MILITANTIS AC TRIUMPHANTIS ECCLESIÆ.

« Quod est, quia quemadmodum caput corporale eminet cæteris membris, et omnes sensus in eo plus vigent, aliorum quoque membrorum sensatio ac motio, vita et gubernatio a capite dependent: sic Christus eminet cunctis hominibus, atque ex plenitudine gratiæ suæ influit aliis, quorum spiritualis sensatio, vita, motio et gubernatio dependent a Christo, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 5). Nempe ab ipso est vita gratiæ, et motus operatioque virtutum, sensus spiritalis et gubernatio salutaris; præcipue vero est Caput habentium charitatem. Est item *Caput angelorum*, quibus, etiam secundum assumptam humanitatem, prælatus est et influit, imo et de multis eos illuminat. »

« Porro cum caput corporale ac naturale ejusdem naturæ sit cum membris suis, Christus quoad hoc, magis proprie *Caput hominum*, præsertim fidelium, appellatur. Itaque, sicut multa membra corporalia, per nervos et alia invicem copulata et vivificata, sunt unum corpus naturale organicum, cujus caput est pars eminens et suprema: sic universi fideles fide, spe, charitate connexi, sunt unum corpus mysticum, cujus spiritale Caput est Christus, cui secundum animam suam convenit esse Caput angelorum, non proprie quantum ad corpus. »

« Postremo Christus, secundum naturam divinam, Caput est principale omnium electorum, sicut et Trinitas summa, quæ unus est Deus, principaliter influens omnem gratiæ ac gloriæ vitam, et omnem actum virtutum, cum et Apostolus fateatur: *Caput Christi, Deus* (1. Cor. 2), Christi, inquam, ut hominis. Secundum assumptam vero naturam, causa est gratiæ ac virtutum meritoria, secundaria, instrumentalis. » (Element. Theolog., Propos. 121).

925. — 2°) QUOD VITA CHRISTI SANCTITATIS MENSURA SIT, ET PERFECTIONIS EXEMPLAR.

« *Ego sum via, veritas et vita.* (Joan. 14). Tu utique, o pulcher Dei Unigenite, Imago Patris et Figura substantiæ es; via es *per quam*, veritas *in qua*, et vita *ad quam* gradimur; tu ostium, per quod si quis introierit, salvabitur; denique tu Veritas, et qui ex Deo est, te audit; propterea nempe te mundus non audit, quoniam ex Deo non est. Tu quippe Lux mundi es, et qui sequitur te, non ambulat in tenebris; sed mundus te non cognoscit, quoniam in propria ve-

nisti, et tui te non receperunt; nam Lux in tenebris lucet, et tenebræ non comprehenderunt. Es insuper, o sempiterne Patris Fili, vita; sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Præterea, qui verbum tuum audit, et credit ei qui misit te, habet vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus, in Parente Prolem, et item in utroque supersanctum utriusque commune profluvium Spiritum sanctum, unum solum, verum, vivum et omnipotentem Deum. »

« Nunc igitur, o anima, o Dei imago, o rationalis Mens, si Christi discipula, si ejus imitatrix vitæ esse satagis, eam quam in carne conversationem duxit, infatigabiliter speculare, atque pro viribus sequere. Ipsius equidem vita in christiana religione prima est; in omni vero ordine, primum metrum est ac mensura posteriorum; et quo primo illi vicinius quid exstiterit, tanto omnino perfectius censendum est. Ideoque quo vitæ sancti et benedicti, dulcis et amandi Jesu, cujuspiam fuerit vita similior, eo sanctiorem, et item nobiliorem, eam fateri par est... Enimvero, quo illi conformior effici te contigerit, eo certissime sanctior præstantiorque statueris; quo autem ab illis exemplis vehementius declinaveris, eo vilior efficeris, et a vero rectoque beatitudinis calle gressus amplius deflectis. » (De Munificentia et beneficiis Dei, artic. 18).

LIBER TERTIUS.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN SAPIENTIBUS MODERNI ÆVI.

PROŒMIUM. — Ineunte moderno ævo incepit magna reactio contra litteras, artes et scientiam medii ævi. Hujus reactionis initium fuit reditus ad veterum Græcorum ac Romanorum litteraturam et artem, quarum primo elegantem formam, seu stylum exteriorem, imitati sunt, ac deinde paganam ideam hauserunt quamplurimi scriptores et artifices christiani. Inde ortus est contemptus, non solum *styli*, judicio eorum inculti ac barbari, sed etiam *ideæ*, seu doctrinæ medii ævi. Sub prætextu progressus, Aristoteli, syllogismis et philosophiæ scholasticæ prætulerunt Platonem atque oratorium ejus loquendi modum; in scientiis physicis retrogressi sunt ad systema Pythagoræ circa mundi motum, et ad Leucippi ac Democriti principia circa corporum naturam. — Verumtamen præstantiores doctores, non obstante falsa Cartesii et Baconis Verulamii reformatione, scholasticam doctrinam ac methodum servaverunt, quæ excellentiori modo in immortalibus doctoris angelici operibus continentur.

De modernis igitur auctoribus locuturi, divinum Exemplarismum ostendemus: 1°) in auctoribus qui a scholastica philosophia deviaverunt; 2°) in Neo-Scholasticis; 3°) in modernis mysticis.

CAPUT I.

DE EXEMPLARISMO IN AUCTORIBUS QUI A SCHOLASTICA PHILOSOPHIA DEVIAVERUNT.

Prænotanda. *De auctoribus qui in hoc Capite non citandi, aut citandi sunt.*

926. — I. In præsenti Capite divinum Exemplarismum non inspiciemus 1°) in *modernis incredulis*, quia sublimis illa doctrina nimium alterata reperitur in Rationalistis, et nullatenus in Materialistis invenitur. Cæterum increduli non sunt adnumerandi christianis sapientibus quos nunc recensemus, sed potius inter insipientes relegandi sunt, quorum errores confutabimus in Tomo III. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* (Rom. 1, v. 22). Quid namque homini veritatem quærenti stultius esse potest, quam ipsi Veritati loquenti non credere, atque oculos claudere divinæ revelationis lumini? Audiatur S. Augustinus: « Qui sine Salvatore vult salutem habere, et sine vera Sapientia æstimat se fieri posse prudentem, non sanus sed æger, non prudens sed stultus in ægritudine assidua laborabit, et in cæcitate noxia demens permanebit. »

2°) Inutile quoque ac fastidiosum fore putavimus recensere omnes *novissimos Platonismi fautores;* nam eorum doctrina est repetitio plus minusve eloquens ac poetica theoriæ Platonis et Neo-Platonicorum antiquitatis.

3°) Nec tractabimus de *cæteris paganæ philosophiæ instauratoribus*, quia eorum instauratio non est progressus, sed regressus; non reformatio scientiæ et artium, sed deformatio. Nam inter eos, alii, Platonis adversarii, ut Georgios Trapezuntius, Georgius Scholarius, Petrus Pomponatus, puram Aristotelis doctrinam, ab erroribus ejus non expurgatam professi sunt. Inter cæteros, Laurentius Valla Epicureismum renovavit; Justus Lipsius, Stoicismum; Jordanus Bruno, Pantheismum; Paracelsus (Bombast de Hohenheim) et Van Helmont, platonicum atque orientalem Illuminismum. Hi duo se divinitus inspiratos esse dicentes, docuerunt analogicam existere trinitatem inter hæc tria, scilicet inter *Mundum archetypum* qui Deus est, unus et trinus; *majorem mundum*, qui juxta Mundum archetypum exemplatur; et *minorem mundum*, seu hominem, qui juxta divinum Archetypum et majorem mundum exemplatur. Sed illi auctores recte non assignaverunt trinitatem, qua tres mundi inter se similes sunt, falsasque consequentias ex suo Exemplarismo eruunt.

4°) Nec locum in nostro opere dabimus *Humanistis*, qui vana sermonis elegantia magis quam doctrinæ soliditate conspicui sunt. Horum typus est Erasmus, de quo dictum est, et merito quidem: « Damnatus in plerisque, suspectus in multis, caute legendus in omnibus. » Ipse autem sic de se loquitur: « Ut ingenue, quod verum est fatear, sum natura propensior ad jocos quam fortasse deceat, et linguæ liberioris quam nonnunquam expediat. » Facilius enim est barbarum scholasticorum stylum irridere, quam sublimem, solidam ac tutam eorum sapientiam imitari.

5°) Denique inter sapientes recensere non possumus *duos præcipuos falsæ Reformationis coryphæos*, scilicet Baconem Verulamium et Cartesium, cum sint potius sapientiæ destructores, quam cultores. Cæterum auctores isti Exemplarismum ex sua doctrina excluserunt, nam licet primam Causam exemplarem et finalem non negaverint, nobilem tamen ejus cognitionem ex scientiis physicis rejecerunt, tanquam ipsarum progressui oppositum. In Tomo III, Parte III ostendemus quam caduca, incompleta et incomposita sint eorum commenta, divino ac solido Exemplarismi fundamento destituta.

De illorum sectatoribus optime dicit Leo XIII in sua Encycl. *Æterni Patris*: « Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse, qui patrimonio antiquæ sapientiæ posthabito, nova moliri, quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio, et non sine scientiarum detrimento. »

II. Illos tantum auctores explicabimus qui, licet a Schola discesserint, *sapientes nominari meruerunt*, quia primam Causam contemplati, altam amplamque doctrinam professi sunt, etiamsi eorum theoriæ erroribus vel defectibus plus minusve inficiantur. Tales sunt Cardinalis Cusanus, Thomassinus, Malebranchius, Bossuetus, Fenelonius, Leibnitius, atque inter recentissimos Staudenmaier.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN NICOLAO CUSANO.

927. — Celeber hic Cardinalis, vasto ingenio præditus magnaque scientia instructus, sed ad novitatem propensus, merito considerari potest tanquam antesignanus falsæ scientiarum Reformationis, quæ in moderno ævo incœpit. Cum in Philosophia Pythagoram et Platonem potius sequatur quam Aristotelem, doctrina ejus fundatur in divino Exemplarismo, qui in multis illius operum locis apparet.

Referemus quid doceat: 1°) de Deo omnium rerum Exemplari; 2°) de creaturis divinam Trinitatem repræsentantibus in genere; 3°) de angelis juxta divinam Trinitatem ordinatis et operantibus; 4°) de hominis mente inquantum est divinæ Trinitatis imago.

§ I.

De Deo, omnium rerum Exemplari.

Sequentes probantur Propositiones: 1°) Divina Essentia est supremum omnium rerum Exemplar. 2°) Divinum Verbum est Patris Mens, Ars et Figura. 3°) Omnium rerum mensura, numerus et proportio præexistunt in Verbo Dei.

I.

Divina Essentia est supremum omnium rerum Exemplar.

928. — Nicolaus Cusanus suum novitatis studium statim jam prodit in modo prorsus inusitato, quo de primo omnium Principio loqui-

tur. Deum enim, non sicut Aristoteles et doctores scholastici considerat tanquam Actum purum, sed tanquam absolutum omnis potentiæ et actus complexum, quem novo singularique nomine vocat *Posse est*, seu *Possest*. — Sic enim ipse loquitur: « Cum igitur hæc sic se habeant, quod Deus sit absoluta *potentia* et *actus*, atque utriusque nexus, et ideo sit actu omni possibile esse, patet ipsum complicite omnia esse. Omnia enim quæ quocumque modo sunt aut esse possunt, in ipso Principio complicantur; et quæcumque creata sunt et creabuntur explicantur ab ipso in quo complicita sunt... Deo enim nihil omnium abest, quod universaliter et absolute esse potest... Solare esse *(scilicet essentia solis)* ei non deficit, sed habet ipsum meliori essendi modo, quia perfectissimo et divino. Sicut essentia manus verius habet esse in anima, quam in manu, cum in anima sit vita, et manus mortua non sit manus; ita de toto corpore et singulis membris; ita se habet universum ad Deum, excepto quod Deus non est anima mundi... nec forma *(intrinseca)* alicujus, sed omnibus forma *(extrinseca)*, quia Causa efficiens, formalis *(extrinseca)* seu exemplaris, et finalis... Cum non sint res, nisi per formam formentur, tunc formæ *rerum (creatarum)* in Forma *(divina et exemplari)* formarum verius et vivacius esse habent quam in materia *(quam informant)*. Res enim non est, nisi sit vera *(scilicet divino Exemplari conformis)*, et suo modo *(secundum speciem suam)* viva *(vitam suam participando a Deo qui est Vita per se)*, quo cessante esse desinit. Ideo verius est in Forma formarum quam in se... Deus ergo est omnia, ut non possit esse aliud. Ita est ubique, ut non possit esse alibi... Sic de forma, et specie, et cunctis. Nec est hac via difficile, videre Deum esse absolutum ab omni oppositione, et quomodo ea quæ nobis videntur opposita, in ipso sunt idem; et quomodo affirmationi in ipso non opponitur negatio *(quia nulla negatio, nec privatio in Deo esse potest, quia absolute est testante Apostolo: « Non est in eo, est et non, sed est »)* et quæque talia... »

In singulari *Dialogo de Possest*, sic ipse se explicat: « Intelligo te dicere: Quomodo hoc nomen compositum *Possest*, de *posse* et *esse* unitum, habet simplex significatum? Juxta tamen humanum congestum, ducentem ænigmatice inquisitorem ad qualemcumque de Deo positivam assertionem, capis *posse absolutum*, prout complicat omne posse supra actionem et passionem, supra posse facere et posse fieri, et concipis *ipsum posse actu esse*. Hoc autem Esse quod actu est, omne posse esse dicit, id est absolutum, et ita vis dicere, quod ubi omne posse actu est, ibi pervenitur ad primum omnipotens Principium. » — Ex hac explicatione longe quæsita, patet auctorem voluisse, novo et obscuro termino, exprimere clarissimam quamdam veritatem, scilicet Deum habere, vel potius esse *Omnipotentiam activam*.

II.

Divinum Verbum est Patris Mens, Ars et Figura.

929. — « Deus in Verbo omnia creavit; Verbum autem est ut Ars infinita; creaturæ autem sunt, participatione artis infinitæ. Ars autem illa, Verbum seu Mens æterna, est Lux infinita, seu Sapientia... Ascende igitur ad Verbum vitæ, quomodo omnia in ipso Vita, et de vita in egressu participative alia vegetabilis, alia sensitiva, alia rationalis, alia intellectualis. » (Excitat., lib. 3).

« Omnia intantum sunt, inquantum ipsam Verbi entitatem participant. » (Epist. ad Roderic.).

In Excitat. lib. 10, Verbum nuncupat « Ideam (Exemplar) rerum creabilium. »

« Omnium rerum rationes, seu exemplaria, ad illam æternam Rationem respiciunt, in qua terminantur perfectissime; quia non sunt validæ, neque perfectæ rationes, nisi inquantum de illa, quæ Mens est æterna, participant; cujus participatione id sunt, quod sunt. Exemplarium igitur varietas, nonnisi ex varia rationum participatione, varie Rationem æternam participantibus. « (De Venat. Sap., cap. 28).

« Omnis ars finita ab Arte infinita; sicque necesse erit, infinitam Artem, omnium artium exemplar esse, principium, medium, finem, metrum, mensuram, veritatem, præcisionem et perfectionem. » (De Mente idiotæ, lib. 3).

« Filius est Imago viva, et Figura substantiæ, et Splendor Patris, per quem Pater monetarius facit, seu monetat, sive signat omnia... Omnia igitur quæ sunt, aut esse possunt, in illa Figura substantiæ Patris Creatoris, complicantur. Est igitur Creator monetarius in omnibus monetis, per Figuram substantiæ ejus, sicut signatum unum in multis signis. Nam si in omnibus numismatibus respexero ad quidditatem signati, nonnisi unum video, cujus est moneta. Et si ad signa monetarum me converto, plura numismata video, quia unum signum video. » (De Ludo globi).

« Deus Bonitate sua creavit sensibilem mundum istum, ad finem intellectualium spirituum, et materiam ejus quasi vocem, in qua mentale Verbum varie fecit resplendere, ut omnia sensibilia sint elocutionum variarum orationes a

Deo Patre, per Filium Verbum, in Spiritu universorum explicatæ. » (De Filiatione Dei).

« Creatio est ostensio eorum, quæ semper et æternaliter in Mente ipsius Dei fuerunt Ipse, *(cum Ipse sit æternum rerum omnium Exemplar)* et in Arte seu Sapientia sua semper et æternaliter fuerunt idem Ipse *(a seipso cognitus tanquam diversimode imitabilis)*, et in beneplacito Voluntatis suæ æternaliter fuerunt idem Ipse Deus benedictus *(inquantum vult aliquas sui imitationes fieri)*. » (De Cribrat. alcor., lib. 2, cap. 4).

« Sensibilia sunt ænigmatica signa veri... ut libri, Mentis Dei expressionem continentis. » (De Filiat. Dei).

III.

Omnium rerum mensura, numerus et proportio præexistunt in Dei Verbo.

930. — a) **De mensura.** « Maximum simpliciter est omnium Ratio; Ratio autem est mensura. Quare recte ait Aristoteles, in Metaphysicis, Primum *(Principium)* esse metrum et mensuram omnium, quia omnium Ratio... Et in hoc aperitur intellectus magni Dionysii dicentis, essentiam rerum incorruptibilem, et aliorum qui rationem rerum æternam dixerunt. Sicut ipse divinus Plato, qui dixit unum esse omnium rerum Exemplar, sive Ideam uti in se est; in respectu vero rerum, quæ plures sunt, plura videntur exemplaria. » (De Docta ignor., lib. 1, cap. 17).

« Puta cum Deus, Θεος dicatur a videndo, et quæratur quomodo sit videns, respondetur: eo modo quo mensurans. Videre igitur in Deo, non est aliud quam mensurare. Sicut igitur Deus est mensura suiipsius, et omnium, et singulorum, ita visio et videre in Deo idem sunt. » (Complem. Theolog., cap. 14).

b) **De numero et proportione.** « Primum principiatum vocamus symbolice numerum, quia numerus est subjectum proportionis; non enim potest esse proportio sine numero... Ecce quomodo Unitas exemplaris infinita non potest resplendere nisi in proportione apta, quæ proportio est in numero. Agit enim Mens æterna quasi ut musicus, qui suum conceptum vult sensibilem facere; recipit enim pluralitatem vocum, et illos redigit in proportionem congruentem harmoniæ, ut in illa proportione, harmonia dulciter et perfecte resplendeat, quando ibi est ut in loco suo, et variatur harmoniæ resplendentia ex varietate proportionis harmoniæ congruentis, et desinit harmonia aptitudine proportionis desinente. »

« Ex mente igitur numerus et omnia. Nonne sine nostræ mentis consideratione est rerum pluralitas? Est, sed a Mente æterna. Unde sicut quoad Deum, rerum pluralitas est a Mente divina, ita quoad nos, rerum pluralitas est a nostra mente; nam sola mens numerat; sublata mente, numerus discretus non est... Pariformiter dico, exemplar conceptionum nostræ mentis numerum esse. Sine numero enim nihil facere potest; neque assimilatio, neque notio, neque discretio, neque mensuratio fieret, numero non existente. Res enim non possunt aliæ et aliæ, et discretæ sine numero intelligi; nam quod alia res est substantia, et alia quantitas, et ita de aliis, sine numero non intelligitur. Unde cum numerus sit modus intelligendi, nihil sine eo intelligi potest. Numerus enim nostræ mentis, cum sit imago numeri divini, qui est rerum exemplar, est exemplar notionum, etc. » (De Mente idiotæ, lib. 3, cap. 6).

§ II.

De creaturis divinam Trinitatem repræsentantibus in genere.

Probantur sequentes Propositiones: 1°) Singulæ creaturæ juxta divinam Trinitatem diversimode perficiuntur. 2°) Omnes creaturæ tribus gradibus in mundo ordinantur. 3°) Homo est totius mundi medium et compendium.

I.

Singulæ creaturæ juxta divinam Trinitatem diversimode perficiuntur.

931. — « Creatura, ex eo quod Deus Pater est, esse incipit; ex eo quod Filius, perficitur; ex eo quod Spiritus sanctus est, universali rerum ordini concordat. » (De Docta ignorant., lib. 2, cap. 24).

« Cur tot creaturæ, quæ sunt imagines Dei? nisi ut veritas *(supremi Exemplaris)* melius in varietate explicetur, quæ uti est, est inexplicabilis. » (Excitat., lib. 5).

« Quia non potest ejus *(Sapientiæ)* multiplicitas capi in aliqua, ideo multas creat animas, ut in multis melius suam infinitatem ostendere possit. » (Ibid., lib. 7).

« Ideo multifarie multisque modis loquitur Deus per creaturam, ut in varietate tali, melius Verbi simplicitas, et simplicitatis fecunditas explicetur. » (Ibid., lib. 8).

« Fluit a Forma Dei omnis forma, ab Esse divino omne esse, ab Unitate divina omnis bonitas, et a Veritate divina omnis veritas, et

talem fluxum creationem vocamus.» (Ibid., lib. 1). « Creatura *(est)* effluxa Dei similitudo. » (Ibid., lib. 8).

« Sicut imago habet formam, quæ dat ei esse hoc, per quod est imago, et forma imaginis est forma formata, et id quod est veritatis non habet nisi ex forma, quæ est veritas et exemplar; sic omnis creatura in Deo est, id quod est; nam ibi est omnis creatura, quæ est imago Dei, in sua veritate. Per hoc tamen non tolluntur subsistentiæ rerum in suis formis. » (Apolog. doctæ ignor.). « Creare est essentiare. » (De Cribrat. alcor., lib. 2, cap. 3).

« Sensibilia naturæ opera sunt similitudines Verbi, seu conceptus Creatoris. Deus enim, mediante natura, *explicat* formas in Ipso *complicatas*, sicut intellectus, qui motu scripturæ seipsum in sensibili libro explicat. Et sic sensibilia sunt liber a natura scriptus, virtutem Dei assimilans. Quæ igitur in sensibili mundo apparent, non sunt nisi divinam virtutem repræsentantia. In Deo igitur, ut in omnipotenti Virtute sunt omnia, quæ in sensibili mundo apparent, et in Deo sunt in veritate; imo ipso Veritas; ut vero apparent, sunt explicationes. » (Excitat., lib. 8).

« Res *(sensibiles)* habent nobilius esse in Deo quam in semetipsis; quia in seipsis habent esse materiale, in Deo autem esse spirituale. » (Ibid., lib. 8).

« Ex quo subinfertur, omnem creaturam, ut talem, perfectam *(esse)*, etiamsi alterius respectu minus perfecta videatur. Communicat enim piissimus Deus *esse* omnibus, eo modo, quo percipi potest. Cum igitur Deus absque diversitate et invidia communicet et recipiatur, ita quod alter alterius contingentia recipi non sinunt, quiescit omne ens creatum in sua perfectione, quam habet ab Esse divino liberaliter, nullum aliud creatum esse appetens tanquam perfectius; sed ipsum quod habet a Maximo *(Deo)* prædiligens, quasi quoddam divinum munus, hoc incorruptibiliter perfici et conservari optans. » (De Docta ignor., lib. 2, cap. 2).

II.

Omnes creaturæ tribus gradibus in mundo ordinantur.

932. — 1°) De tribus universalium gradibus in individuis, et in mente nostra.

« *Universum* per gradus tres in quolibet *particulari* contrahitur. Est igitur universum quasi generalissimorum *universitas*, et deinde *genera*, deinde *species;* et ita universalia sunt illa secundum gradus suos, quæ ordine quidem naturæ, gradatim ante rem, quæ actu ipsa contrahit, existunt. Et quoniam *universum* est contractum, non reperitur nisi in generibus contractum, et genera non reperiuntur nisi in *speciebus; individua* vero sunt actu; in quibus sunt contracte universa. Et eo quidem modo, verum quidem dicunt Peripatetici, universalia extra res non esse actu; solum enim singulare est actu ens, in quo universalia sunt contracte ipsum. Habent tamen universalia, ordine naturæ, quoddam esse universale, contrahibile per singulare; non quod sint actu ante contractionem, aliter quam naturali ordine, ut universale contrahibile, in se non subsistens, sed in eo quod actu est; sicut punctus, linea, superficies, ordine progressivo, corpus in quo actu tantum sunt, præcedunt. »

« Universum enim, non quia est actu nisi contracte, ideo est ens rationis: ita universalia non sunt tantum entia rationis, licet non reperiantur extra singularia actu... Intellectus tamen facit ea extra res, per abstractionem esse; quoniam absolutum eis convenire nequit; Universum enim penitus absolutum Deus est. » (De Docta ignorant., lib. 2, cap. 6).

2°) De triplice naturarum creatarum gradu.

« Deus omnia propter seipsum operatus est, nam divitias gloriæ suæ ostendere voluit; et ob hoc creavit creaturam rationalem seu intellectualem, ut illi posset ostendere divitias gloriæ, quæ sola potest intellectuali gustu percipere gloriam Dei. Nam vera et incorruptibilis gloria, seu gratia, non potest nisi in intellectuali natura locum ostensionis habere... Creavit igitur Deus triplicem naturam: unam penitus supra tempus, quæ est *angelica;* et aliam penitus sub tempore, quæ est *animalis;* et tertiam mediam, quæ est *humana*, quæ cum angelis participat per intellectum, et cum bestiis per animalem naturam. » (Excitat., lib. 6).

3°) De mira omnium prædictorum graduum connexione.

« Primo libello ostenditur Unum absolute maximum, incommunicabile, immersibile et incontrahibile ad hoc vel illud, in se æternaliter, æqualiter et immobiliter idem Ipsum persistere. »

« Post hæc secundo, universi contractio manifestatur, quoniam non aliter quam contracte, hoc vel illud existit. Unitas itaque Maximi *(Dei)* est in se absolute; unitas universi est in pluralitate contracte. Plura autem, in quibus universum actu contractum est, nequaquam summa æqualitate convenire possunt, nam tunc plura esse desinerent. Omnia igitur ab invicem differre necesse est, aut genere, specie, numero; aut specie et numero; aut genere et numero; ut unumquodque in proprio numero, pondere et mensura subsistat. »

« Quapropter universa ab invicem gradibus distinguuntur, ut nullum cum alio coincidat. Nullum igitur contractum, gradum contractionis alterius præcise participare potest, ita ut necessario quodlibet excedat aut excedatur a quocumque alio... Et Deus *(est)* Principium, Medium et Finis universi et singulorum, ut omnia, sive ascendant, sive descendant, sive ad medium tendant, ad Deum accedant. Connexio autem universorum per Ipsum est, ut omnia quæque sint differentia, sint et connexa. Quapropter inter genera unum universum contrahentia, talis est inferioris et superioris connexio, ut in medio coincidant; ac inter species diversas talis combinationis ordo existit, ut suprema species generis unius, coincidat cum infima immediate superioris, ut sit unum continuum perfectum universum. Omnis autem connexio graduatione est, et non devenitur ad maximam, quia illa Deus est. » (De Docta ignorant., lib. 3, cap. 1).

III.

Homo est totius mundi medium et compendium.

933. — « Est igitur ordo universi, prima et pretiosissima imago æternæ et incorruptibilis Sapientiæ; per quem tota mundi machina pulcherrime et pacifice consistit. Quam pulchre copulam universi et *Microcosmum* hominem in supremo sensibilis naturæ, et infimo intelligibilis locavit! Connectens in ipso, ut in medio, inferiora temporalia et superiora perpetua, ipsum in horizonte temporis et perpetui collocavit, uti ordo perfectionis deposcebat. » (De Venat. Sapient., cap. 23).

« Homo est de natura rationali et animali; una est supra, et alia est infra... Unde homo est quasi naturarum unio, quæ in se habent diversas leges, seu motiones. » (Excitat., lib. 8).

« Puto alios angelos *(esse)* intelligibiles, ut sunt de supremo ordine; alios intelligentiales, ut de secundo ordine; alios rationales, ut de tertio... Et quod mentes nostræ sint sic infra infimum gradum talium spirituum, et supra omnem gradum corporalis naturæ, quasi nexus universitatis entium, ut sit terminus perfectionis inferioris naturæ, et initium superioris. » (De Mente idiotæ, lib. 3, cap. 14).

« Creavit autem ultimo Deus hominem, tanquam in quo complementum et creaturarum perfectio consisteret; hominis autem perfectio in Deo est. Sic itaque omnis creatura per hominem in Deum ordinata est. Quare ineffabilis pietatis Deus hominem in fine creavit, et donis ornavit, libero arbitrio et ratione, ut per rationem ortum suum, et sui Conditorem intelligeret, et per liberum arbitrium amaret, ac principio sibi a Deo data naturaliter bona, ac in Deum ordinata, sursum erigeret, ac per virtutem, obedientiam et claritatem multiplicaret moraliter. » (De Venat. Sap., cap. 18).

In Excitation., lib. 3, Cusanus docet, ultimum perfectionis humanæ terminum esse unionem hypostaticam cum Verbo. Sed cum humana natura sit totius mundi compendium, sequitur quod totus mundus ultimam perfectionem suam habeat in Verbi incarnatione.

§ III.

De angelis in specie juxta SS. Trinitatem ordinatis et operantibus.

Scilicet 1°) de tribus angelorum ordinibus; 2°) de angelorum functionibus, inquantum sunt ministri divinæ Providentiæ. — Ibi iterum apparet singularis loquendi modus auctoris.

I.

De tribus angelorum ordinibus.

934. — « Angeli intelligentiæ sunt, et quia varii sunt, oportet intelligentiales eorum visiones et discretiones, per ordines et gradus, ab infimo usque ad supremum, qui Christus et magni consilii Angelus dicitur, intellectualiter distingui; ex qua distinctione, tres ordines, et in quolibet tres chori reperiuntur. »

« Primus ordo est centralior *(relate ad Deum, unitrinum, omnium Centrum)*, et *intelligibilium* spirituum, qui simplici intuitu in centrum, seu omnipotens Exemplar, omnia sine successione, sive temporall sive naturali, et simul omnia comprehendunt; qui divinæ Majestati assistunt, a qua habent ut sic videre omnia possint. Nam sicut Deus a se hanc discretionem habet, ut in sua simplicitate omnia simul intueatur, quia intelligens Causa: sic dat illis assistentibus spiritibus, ut in divina simplicitate sciant omnia. Qui etiam ideo, licet creati sint, æterni dicuntur, quia omnia simul comprehendunt. »

Alius autem ordo est *intelligentium*, qui omnia simul comprehendunt, sed non sine naturali successione, scilicet ut alia ex aliis habent naturaliter provenire. Et licet sine successione temporali intelligant, quia tamen sine naturali ordine non possunt intelligere, ideo subintrat in ipsis quædam cognitionis debilitatio. Ideo non dicuntur æterni, ut intellectibiles, sed bene perpetui, quia in naturali ordine et successione intelligunt. »

Tertius etenim ordo *rationalis* dicitur, quia licet certa sit eorum comprehensio, minus tamen perfecte intelligunt quam alii. »

« Primus ordo tres habet choros, qui Voluntatem divinam in Deo, licet differenter intuentur, et ejus discretionem imitantur. Sed tres chori *intelligentes*, in *intellectualibus* divinam Voluntatem comprehendunt. Et tres chori rationales, in *intelligibilibus* divinam Voluntatem intuentur. » (De Ludo globi, lib. 2).

II.

De angelorum functionibus, inquantum sunt divinæ Providentiæ ministri.

« Adhuc lex ministratur per angelos. Est lex in natura specificata; quælibet natura specificata proprias habet leges; et angelus qui præest, regit secundum leges. Lex est Spiritus Dei, seu Providentia divina; angelus est annuntiator seu exsecutor legis. Sicut enim mittitur in littera missiva vox imperatoris ad subditos, et in voce verbum, et in verbo spiritus, qui est informans seu illuminans subditos quæ sit intentio imperatoris: ita charta, seu missiva in se habens sermonem, nuntius seu angelus dici potest; sermo vero, Verbum seu Mens *(divina)* in sermone; Spiritus movens secundum Providentiam Dei. »

« Angelus igitur est, per quem Deus omnia quæ vult annuntiat, seu ordinat; angelus est gerulus æternæ Legis et Voluntatis Dei, seu exsecutor divinæ ordinationis. Deus Spiritus est in omni angelo, angelus est receptio intentionis Spiritûs, qui Deus est. Est igitur angelus sicut vivus et intellectualis liber, seu charta, in se habens scripturam, seu impressionem intentionis Dei, quasi intelligens legatus, seu orator ad creaturam; ut quæ non potest intueri in Mentem invisibilis Dei, mediante signaculo *(angelo)* recipiat illuminationem intentionis. » (Excitat., lib. 8).

§ IV.

De hominis mente, prout est imago divinæ Trinitatis.

Explicatur modo obscuro, mentem humanam esse 1°) naturalem, ac 2°) supernaturalem divinæ Trinitatis imaginem, et 3°) divinæ Menti conformari per species intelligibiles.

I.

Mens humana est naturaliter imago divinæ Trinitatis.

935. — « Numerus enim mentis nostræ, cum sit imago numeri divini, qui est rerum exemplar, et exemplar notionum. Et sicut ante omnem pluralitatem est unitas; et hæc Unitas uniens est Mens increata, in qua omnia unum *(sunt)*; post unum pluralitas, explicatio virtutis illius unitatis, quæ virtus est rerum entitas, essendi æqualitas, et entitatis æqualitatisque connexio, et hæc Trinitas benedicta: sic in nostra mente est illius Trinitatis divinæ imago. Nam mens nostra similiter est unitas uniens, ante omnem pluralitatem per mentem conceptibilem; et post illam unitatem unientem omnem pluralitatem, est pluralitas, quæ est pluralitatis rerum, sicut mens nostra divinæ Mentis imago; et explicat pluralitas virtutem unitatis mentis, quæ virtus est imago entitatis, æqualitatis et connexionis. » (De Mente idiotæ lib. 3, cap. 6).

II.

Mens humana est supernaturaliter imago divinæ Trinitatis.

936. — « Unde patet, templum Dei esse spiritum intellectualem, in charitate existentem. Cum amans in se gerat speciem amati, hoc est se transformasse in similitudinem amati... Cum intelligimus, tunc rem intellectam transferimus in nostram naturam intellectualem, ut fiat per nos intelligibilis. Tollimus enim ab ea omnia sensibilia, ut fiat absoluta et pura, ut veritatem ipsius apprehendamus, et ita fit naturæ intellectualis, quando intelligitur. »

« Mens Deum amans, quem veraciter non amaret ignorans, transfertur in Deum, quod esse nequit, nisi Deus fuerit quodammodo translatus in ipsam. Et cum Deus sit charitas, non potest mens scire Deum et non diligere; ita non potest esse vera Dei scientia ubi non est charitas... Assimilare et assimilari in mente coincidunt; sicut intelligere et diligere ipsius. Nam mens sine desiderio non intelligit, et sine intellectu non desiderat. Mens igitur est principium intellectus et affectus; mens est vis simplex nobilissima, in qua coincidunt intelligere et diligere. Adhuc vis illa, quæ mens est, est vis viva copulativa seu unitiva; nam in nobis est spiritus quidam, in se uniens membra corporis, et se omnibus uniens; et est locus animæ seu mentis, sic et mens locus Dei. Unde mens inter Deum et creaturas est se habens, sicut spiritus inter corpus et animam, quam mentem dicimus; et sicut locus vitæ spiritus est anima, ita locus vitæ animæ est Deus. Et sicut locus animæ est spiritus ille uniens, sic locus Dei est intellectus, seu mens. » (Excitat., lib. 5).

III.

Mens humana divino Intellectui conformatur per intelligibiles rerum species.

937. — « Si Mentem divinam universalitatem veritatis rerum dixeris, nostram dices universalitatem assimilationis rerum, ut sit notionum universitas. Conceptio divinæ Mentis est rerum productio; conceptio nostræ Mentis est rerum notio. Si Mens divina est absoluta entitas, tunc ejus conceptio est entium creatio, et nostræ mentis conceptio est entium assimilatio; quæ enim divinæ Menti ut infinitæ conveniunt Veritati, nostræ conveniunt menti ut propinquæ ejus imagini. Si omnia sunt in Mente divina ut in sua præcisa veritate, omnia sunt in mente nostra ut in imagine, seu similitudine propriæ veritatis, hoc est notionaliter; similitudine enim fit cognitio. Omnia in Deo sunt, sed ibi rerum exemplaria; omnia in mente nostra, sed hîc rerum similitudines. Sicut Deus est entitas absoluta, quæ est omnium rerum complicatio; sic mens nostra est illius entitatis infinitæ imago, quæ est omnium imaginum complicatio, quasi ignoti regis prima imago, est omnium aliarum secundum ipsum depingibilium exemplar. Nam Dei notitia, seu facies, nonnisi in natura mentali, cujus veritas est objectum, descendit, et non ulterius nisi per mentem, ut mens sit imago Dei, et omnium Dei imaginum post ipsum Exemplar. » (De Mente idiotæ, cap. 3).

« Quoniam intellectualis natura hanc nobilitatem non habet, nisi in Creatore suo, (nam operatur in similitudine Creatoris sui), sicut creando veras res producit; ita intellectus, imago ejus, operando producit similitudines verarum rerum. Creare enim est *essentiare*, et intelligere est *assimilare*. » (De Cribrat. alcor., lib. 2, cap. 3).

« Cognoscere Dei est esse; Esse Dei est entitas; cognoscere Dei est entitatem divinam in omnibus entibus esse. Non sic est mens nostra in iis quæ cognoscit, sicut Deus qui cognoscendo creat et format, sed mens nostra cognoscendo creata discernit, ut sua notitiali virtute anima ambiat. Sicut Deus omnia exemplaria in se habet, ut omnia formare possit; ita mens omnium exemplar in se habet ut omnia cognoscere possit. Deus est vis creativa, secundum quam virtutem facit omnia veraciter esse id quod sunt, quoniam in Se est entitas entium. Mens nostra vis est notionalis, secundum quam virtutem facit omnia notionaliter esse. Unde veritas est ejus objectum, cui suum conceptum si assimilat, omnia in notitia habet, et entia rationis dicuntur. » (De ludo globi, lib. 2).

« Intellectus verus est *(physice)* sicut et bonus, et magnus, et ita de reliquis decem *(attributis ab auctore supra indicatis)*; quia est illorum intellectualis participatio. Et ultra hoc, est etiam intelligendo verus, quando est rei intellectæ adæquatus. Res enim intelligibilis, tunc vere intelligitur, quando intelligibilitas ejus est ita depurata ab omni extraneo, quod actu est vera intelligibilis species, seu ratio rei; et tunc intellectus in actu verus est, quia intellectus est idem cum intellecto. » (De Venat. Sap., cap. 36). — Nisi enim intellectus se intelligibili assimilet, non intelligit, cum intelligere sit assimilare. » (Dialog. de Posse est).

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN THOMASSINO

938. — Relicta Aristotelis et Scholasticorum doctrina, eruditus ille auctor Philosophiam Platonis, quam ex sacris Scripturæ fontibus derivatam existimabat, non solum ut ancillam, sed fere ut sororem Theologiæ assumpsit, et divinum Exemplarismum statuit tanquam angularem totius doctrinæ suæ lapidem; nam in lib. 3 de Deo, cap. 18, ostendit « sacram omnem, æque ut humanam sapientiam, Philosophiam et Theologiam, ex idearum contemplatione pendere. » Hanc autem contemplationem perperam intellexit, docendo hominem naturaliter rerum veritatem cognoscere per immediatam idearum seu exemplarium intuitionem in Verbo divino. Unde merito, cum Malebranchio, suo coævo ac collega in Oratorio de Jesu, habetur ut pater moderni Ontologismi.

Videamus quomodo divinas ideas 1°) intelligat; 2°) probet ex platonicis philosophis; 3°) ex Patribus.

§ I.

De divinarum idearum notione juxta Thomassinum.

939. — In libro 3 *de Deo*, cap. 18, n.° VI et VII, auctor refert idearum descriptionem, quam Platoni attribuit Tertullianus, et idearum notionem juxta S. Augustinum et S. Dionysium Areopagitam. His autem definitionibus adjungit errorem, *substantiales* rerum creatarum formas ponendo in divina Forma *exemplari*, ita ut veram realitatem in se non habeant, sed sint tantum primæ Veritatis imagines. Vide infra n.° 954.

I. « *Tertullianus* ita illas (*scilicet ideas)* ex mente Platonis describit, tametsi sugillantis animo: « Vult Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas et æternas, quas appellat ideas, id est formas, exempla et causas naturalium istorum manifestorum et subjacentium corporalibus sensibus; et illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum. » (Tertullianus, De Anima, cap. 18; Patrol. lat., T. 2. p. 678).

« *Augustinus* vero in hunc modum eas definit: « Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles et incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo se habentes, quæ in divina Intelligentia continentur. Et cum ipsæ, neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. » (De Divers. quæstionibus., q. 46, n°. 2; Patrol. lat.; T. 40, p. 30).

« Denique *Dionysius* his illas coloribus depingit: « Exemplaria dicimus esse notiones in Deo substantificas rerum et unite præexistentes, quas divinus Sermo vocat prædefinitiones, et divinas atque bonas voluntates, rerum definitrices et effectrices, secundum quas qui Est supra substantiam *(omnem creatam, scilicet Deus)*, omnia quæ sunt prædefinivit ac produxit. » (De Div. Nomin., cap. 5, n° 8; Patrol. græc., T. 3, p. 823).

II. « Qua in triplici definitione nonnulla adverti par est: 1°) Ideas esse non rationes qualescunque, sed substantiales; non intellectiones tantum Dei, sed substantias formasque rerum per se subsistentes; neque enim, ut usuvenit inter homines, veriorem esse domum quæ foris structa est, quam quæ in mente artificis velut prælusa fuit, ita in divinis ideis res se habet. Imo, ideæ sunt ipsæ rerum substantiæ, ipsæ formæ principales, ipsæ veritates; et quæ inde extra formantur, sunt tantum umbræ substantiarum, formarumque verarum simulacra verisimilia. »

Inde liquet Thomassinum *substantiales rerum formas* ponere, non in ipsis rebus, sed extra res ipsas in divino Intellectu. — Atqui, divinus Intellectus realiter non distinguitur a divina Substantia. — Ergo substantiales rerum formæ sunt in divina Substantia, ac proin sunt Deus ipse; quod realem ordinem increatum cum reali ordine creato confundit, et sapit Pantheismum. Ideæ sunt quidem *substantificæ* rerum formæ sicut dicit S. Dionysius Areopagita, inquantum ab æterno determinant rerum species ac substantias, sed non sunt *substantiales* rerum formæ. Auctor prosequitur:

2°) « Ideas non esse meras intellectiones Mentis divinæ, sed esse etiam definitiones Voluntatis ejus. Nam, etsi latius fundi exporrigique possit ideæ nomen, proprie tamen idea non dicitur, nec formatur in mente artificis, nisi rerum earum quas condere penes se constituit. »

His verbis innuit auctor ideas in divina Mente formatas esse intellectualiter, adjuncta Voluntate, sicut idea domus formatur in mente artificis humani, qui primo mente sibi fingit typum ædificii, quod extruere sibi proponit.

3°) « Ideas non esse tantum rerum species definitrices, sed effectrices causas; quandoquidem enim includunt Voluntatem divinam, nil mirum si et efficientiam important; sunt enim vires quædam quasi seminales, rerum omnium procreationem parturientes. »

Confundit Thomassinus causam *efficientem* cum causa *exemplari.* Verum est ideas esse causas rerum exemplares, quæ includunt prædefinitionem, qua divinus Artifex æterna Voluntate intendit res prædefinitas fieri, sed ideæ non sunt causa efficiens, qua Deus res cum tempore vel in tempore actu producit; nam Deus omnia producit imperio Verbi sui dicentis: Fiat! Perperam quoque ideæ seminibus assimilantur, nam semina a Deo in rebus ipsis creantur, dum ideæ in divino Intellectu rebus præexistunt, non producuntur. Possunt quidem ideæ dici cum S. Augustino et S. Thoma, *rationes* seminales, sed improprie vocantur *vires* seminales.

4°) « Esse ideas rationes rerum et species, seu formas, sed supremas infimarum, immutabiles mutabilium, immortales mortalium, temporalium æternas, spiritales corporalium, viventes etiam inanimorum; ut hinc magis liqueat veritatem maxime in ideis esse, in effectis similitudinem veritatis, et quidem similitudinem valde dissimilem et decoloratam; nam qualis demum et quantilla similitudo esse potest inter mutabile et immutabile, temporale et æternum, corporeum et spiritale, etc.? »

Hæc omnia facile intelliguntur, si ideæ dicantur esse ipsa Dei Substantia a Deo intellecta tanquam diversimode a creaturis imitabilis per substantialem earum formam ipsis concreatam; quia tunc inter rerum ideas et res ipsas eadem intercedit differentia ac inter Substantiam increatam et substantiam creatam. Sed omnes prædictæ antitheses absurdæ sunt, si ideæ censeantur esse substantiales rerum formæ a rebus separatæ, quia tunc res ipsæ et substantiales earum formæ forent extreme oppositæ, ita ut res esset corporalis, et substantialis ejus forma, spiritalis; res temporalis et forma æterna, etc.

5°) « Denique ideas esse, ut ait Dionysius, non divisas, multiplices et dissipatas, sed unite

præexistentes, et sola ratione distinctas; vere enim unica rerum omnium Idea, unicum Exemplar est Verbum Dei. »

Sed si ideæ sint rerum substantiæ per se subsistentes, quomodo possunt sola ratione distingui, et realiter identificari in unico rerum Archetypo?

§ II.

De divinarum idearum existentia demonstrata ex auctoritate Platonis et Platonicorum.

940. — Sufficienter philosophorum et Patrum testimonia jam retulimus, ad probandum eos communi voce, licet variis modis, divinum Exemplarismum docere. Ideo non transcribemus textus a Thomassino in eumdem finem collectos, sed solummodo Capitum ejus titulos, et indicationes in paginarum margine conscriptas.

De Deo, lib. 3, cap. 11. « De ideis in summa Veritate Verbo divino radiantibus. Quid Plato primum, quid Platonici de illis senserint. »

I. « Ideas et formas virtutum, sapientiæ, justitiæ, sanctitatis, æternas et incommutabiles in Deo esse agnoscit Plato, et inde nobis imprimi. »

II. « Sunt enim eæ formæ universales, cum a tam multis participentur; sunt, cum earum notitia sit nobis innata; sunt, ut ab iis cum defluxerimus, regredi ad eas possimus. »

III. « Cum justi non sint justitia ipsa, nec sapientes sapientia, sed ejus participes, utique necesse est existere alicubi ipsam justitiam et sapientiam. »

IV. « Divinæ fiunt animæ et felices, idearum contemplatione. Unde et ideas necesse est esse sempiternas. »

V. « Abjici corporeas curas, et purgari oculum mentis necesse est, ut ideas contemplemur; quod plenius post hanc vitam obtinget; hîc interim ratiocinamur, nonnulla semper earum luce aspersi in justis injustisque dijudicandis, quin earum vestigia hæreant in animis nascentium, ex reliquiis priscæ alicujus felicitatis. »

VI. « Bona et pulchra in Ideis divinis vere sunt, quia manent; in sensibilibus non vere sunt, quia non manent. In causarum pervestigatione, ad hanc exemplarem confugere tutissimum et pulcherrimum est, quæ sursus mentem evehit, non ad causas terrenas et particulares, quæ eam deprimunt. »

VII. « Non singuli tantum homines, sed civitates et respublicæ, efformari debent ad sempiternas et exemplares justitiæ ideas et leges. »

VIII. « Mundus enim etiam iste totus ad summum illud Exemplar, et conditus primum est, et etiam nunc administratur a Deo. »

IX. « Suprema exemplaria materiæ corporeæ imprimuntur, et hinc formas omnes recipit mundus iste corporeus. »

X. « Summa totius probitatis et religionis in eo est, quod regulæ virtutum sempiternæ quædam naturaliter insitæ sunt omnium prorsus hominum animis.

XI. « Plotinus ideas formasque divinas imprimi censet, hinc animæ, illinc materiæ; inde esse animarum virtutes, formas corporum. »

XII. « Corporea pulchritudo excitat in anima amorem et notitiam summæ Pulchritudinis naturaliter ei inhærentem; ex eodem Plotino. »

XIII. « Ascensio hæc ab imis pulchris ad summam Pulchritudinem, fuga hinc est ad nostram patriam, et ad patrem *(Deum)* a quo huc defluximus. »

XIV. « Ideæ omnes sunt in Verbo Dei, et contemplamina quædam sunt; formæ omnes mundi corporei inde manant, et ad contemplationem nos ideo vocant divinorum. »

XV. « Jamblici sententia. »

XVI. « Et Alcinoi. »

XVII « Simplicii denique pulcherrime declarantis, ut egestas et infelicitas existat ex bonorum et pulchrorum particularium possessione; copia et felicitas, et pax ex universalium, seu idearum. »

§ III.

De divinarum Idearum existentia demonstrata ex Patrum præsertim auctoritate.

941. — *De Deo*, lib. 3, cap. 18. « Ideas in Deo esse, in Verbo esse, ipsum Verbum esse, ex sanctis Patribus. »

I. « Ideas omnium rerum in Deo esse, in Verbo esse, ipsum Verbum esse, probant Philo et Augustinus, ex eo quod nullus opifex in opus exeat, nisi ideâ operis præformatâ. »

II. « Idem iidem probant ex Scripturis. »

III. « Idem iidem approbant ex eo, quod nemo hominum, etsi obtusissimus aut scelestissimus, non adspergatur aliquo lumine, quo de justis et injustis judicat, et hæc ab illis internoscit. »

IV. « Rursus de ideis Augustinus. »

V. « Iisdem suffragatur Boetius. »

Hîc numeris VI et VII refert auctor idearum definitiones, quas explicat, ut supra vidimus.

VIII. « Ideas has in Verbo, et ipsum Verbum esse, probatur ex Ambrosio et Anselmo. »

IX. « Ex Clemente Alexandrino et Origene. »

X. « Ex Athanasio luculenter edisserente ut Sapientia ab initio creata sit. »

XI. « Ex Synesio. »

XII. « In idearum contemplatione tota vertitur sublimior Philosophia, tota Ecclesiæ Theologia. Luculentissime id ex Augustino probatur et illustratur. »

XIII. « Item ex Dionysio et Maximo, quod Mens æternarum rationum contemplatrix, ratio rerum humanarum moderatrix dispensatrixque sit, et hæc illi obsequi debeat. »

XIV. « Ex iisdem mens circa veritatem motu irrequieto agitatur, et quodcumque mens vere intellexit, id nulla unquam deletur oblivione. »

XV. « Per divinarum idearum Verbi contemplationem, evadit tandem anima in unitatem quamdam simplicissimam, ideas omnes ineffabiliter complectentem. »

XVI. « Ex Augustino similiter *mens* æternas contemplatur rationes et leges; *ratio* menti morigera temporalibus administrandis incumbit. » In hoc loco sanctus doctor in homine distinguit rationem superiorem, seu mentem, ab inferiore. »

XVII. « Luculenter Philo Scripturas omnes allegorice transfert ad idearum divinarum regulas. »

XVIII. « Pulcherrime rursus Philo idearum multitudinem ad unitatem revocare studet. »

XIX. « Item Augustinus; quippe cum eadem divina Forma *(exemplaris scilicet)* a Deo gradatim per intellectuales, rationales, viventes et non viventes substantias ad extrema usque entium vestigia defluat *(similitudinis suæ participatione analogica)*. »

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN MALEBRANCHIO.

942. — Malebranchius, sicut Thomassinus, doctrinam Exemplarismi vitiavit *Ontologismo*, inquantum opinatus est, nos rerum essentias intelligere intuendo immediate divinas ideas. Falso insuper lumine in schola Cartesii deceptus, *Ontologismo* adjunxit *Optimismum*, *Occasionalismum*, aliosque errores. Sequentes tantum locos ex Metaphysicis ejus colloquiis referre sufficiat.

§ I.

De essentia mundi corporalis a nobis cognita in divino Archetypo.

943. — Malebranchius radicalem statuit differentiam inter ideas et sensationes. Per *ideas*, res mente percipimus prout sunt essentialiter in Deo; per *sensationes* autem, res percipimus prout externe nobis apparent, tanquam sensibiles idearum imagines. Itaque essentiam mundi corporalis certius cognoscimus, saltem naturaliter, quam ejus existentiam. Etenim juxta illum, materiæ essentia est extensio actualis. Atqui, extensionem indefinitam videmus intellectualiter ac directe in Deo; existentiam vero corporum non percipimus, nisi per testimonium sensuum, quod fallibile est, aut per testimonium divinæ revelationis, quod supernaturale est. Ergo. — Hæc doctrina apparenter tantum sublimis, sed realiter falsa, exponitur in sequenti dialogo, more Platonis.

« *Théodore.* — Comme les hommes comptent pour rien les idées qu'ils ont des choses, ils donnent au monde créé beaucoup plus de réalité qu'il n'en a. Ils ne doutent point de l'existence des objets, et ils leur attribuent beaucoup de qualités qu'ils n'ont point. Mais ils ne pensent seulement pas à la réalité de leurs idées. C'est qu'ils écoutent leurs sens, et qu'ils ne consultent pas assez la vérité intérieure; car, encore un coup, il est bien plus facile de démontrer la réalité des idées, ou pour me servir de vos termes, la réalité de cet autre monde tout rempli de beautés intelligibiles, que de démontrer l'existence de ce monde matériel. En voici la raison. »

« C'est que les idées ont une existence éternelle et nécessaire, et que le monde corporel n'existe que parce qu'il a plu à Dieu de le créer. Ainsi, pour voir le monde intelligible, il suffit de consulter la Raison qui renferme les idées, ou les essences intelligibles, éternelles et nécessaires; ce que peuvent faire tous les esprits raisonnables, ou unis à la Raison. Mais pour voir le monde matériel, ou plutôt, pour juger que ce monde existe, car ce monde est invisible par lui-même, il faut par nécessité que Dieu nous le révèle, parce que nous ne pouvons pas voir ses volontés arbitraires dans la Raison nécessaire. »

« Or, Dieu nous révèle l'existence de ses créatures en deux manières: par l'autorité des livres sacrés, et par l'entremise de nos sens. La première autorité supposée, et on ne peut la rejeter, on démontre en rigueur l'existence des corps. Par la seconde, on s'assure suffisamment de l'existence de tels et tels corps. Mais cette seconde n'est pas maintenant infallible... » (Entret. 1^{ier}, n.° 5),

« *Aristè.* — Le beau spectacle, Théodore, que l'Archétype de l'univers! Je l'ai contemplé avec une extrême satisfaction. Que la surprise est agréable, lorsque sans souffrir la mort, l'âme se trouve transportée dans le pays de la vé-

rité, où elle trouve abondamment de quoi se nourrir! Je ne suis pas encore, il est vrai, bien accoutumé à cette manne céleste, à cette nourriture toute spirituelle. Elle me parait dans certains moments bien creuse et bien légère. Mais quand je la goûte avec attention, j'y trouve tant de saveur et de solidité, que je ne puis plus me résoudre à venir paître avec les brutes sur une terre matérielle... Non je ne veux plus écouter mes sens. Je veux toujours rentrer dans le plus secret de moi-môme, et vivre de l'abondance que j'y trouve. Mes sens sont propres à conduire mon corps à sa pâture ordinaire; je consens qu'il les suive. Mais que je le suive, moi! c'est ce que je ne ferai plus. Je veux suivre uniquement la raison et marcher par mon attention dans ce pays de la vérité, où je trouve des mets délicieux, et qui seuls peuvent nourrir des intelligences... »

« L'étendue intelligible infinie n'est point une modification de mon esprit; elle est immuable, éternelle, nécessaire. Je ne puis douter de sa réalité et de son immensité. Or, tout ce qui est immuable, éternel, nécessaire, et surtout infini, n'est point une créature, et ne peut appartenir à la créature. Donc elle appartient au Créateur, et ne peut se trouver qu'en Dieu. Donc il y a un Dieu et une Raison; un Dieu dans lequel se trouve l'Archétype que je contemple du monde créé que j'habite; un Dieu dans lequel se trouve la Raison, qui m'éclaire par les idées purement intelligibles qu'elle fournit abondamment à mon esprit, et à celui de tous les hommes. Car je suis sûr que tous les hommes sont unis à la même Raison que moi; puisque je suis certain qu'ils voient ou peuvent voir ce que je vois, quand je rentre en moi-même, et que j'y découvre les vérités ou les rapports nécessaires que la Substance intelligible de la Raison universelle qui habite en moi, ou plutôt dans laquelle habitent toutes les intelligences. »

« *Théodore.* — Vous ne vous êtes point égaré, mon cher Ariste. Vous avez suivi la Raison, et elle vous a conduit à celui qui l'engendre de sa propre Substance et qui la possède éternellement. Mais ne vous imaginez pas qu'elle vous ait découvert la nature de l'Etre suprême auquel elle vous a conduit. Lorsque vous contemplez l'étendue intelligible, vous ne voyez encore que l'Archétype du monde matériel que nous habitons, et celui d'une infinité d'autres possibles. A la vérité, vous voyez alors la Substance divine; car il n'y a qu'elle seule qui soit visible, ou qui puisse éclairer l'esprit. Mais vous ne la voyez pas en elle-même, ou selon ce qu'elle est. Vous ne la voyez que selon le rapport qu'elle a aux créatures matérielles, que selon qu'elle est participable par elle, ou qu'elle en est représentative. Et par conséquent, ce n'est pas Dieu, à proprement parler, que vous voyez, mais seulement la matière qu'il peut produire... Vous ne voyez pas ce que Dieu est, car la divinité n'a point de bornes dans ses perfections; et ce que vous voyez, quand vous pensez à des espaces immenses, est privé d'une infinité de perfections. Je dis ce que vous voyez, et non la Substance qui vous représente ce que vous voyez; car cette Substance, que vous ne voyez pas en elle-même, a des perfections infinies... » (Entret. 2e, n.° 1 et 2).

§ II.

De Verbo incarnato, Archetypo omnis perfectionis operum Dei et creaturarum intelligentium.

944. — « L'Ecriture Sainte nous apprend que c'est Jésus-Christ, qui doit faire toute la beauté, la sainteté, la grandeur et la magnificence de ce grand ouvrage *(c'est-à-dire de l'opération divine ad extra)*. Car si elle le compare à une ville, c'est Jésus-Christ qui en fait tout l'éclat; le soleil et la lune ne l'éclairent pas, c'est la clarté de Dieu et la lumière de l'Agneau. Si elle le représente comme un corps vivant, et dont toutes les parties ont entre elles un merveilleux rapport, c'est Jésus-Christ qui en est chef; c'est de lui que l'esprit et la vie se répandent dans tous les membres qui le composent. Si elle en parle comme d'un temple, c'est Jésus-Christ qui en est la pierre fondamentale, sur lequel tout l'édifice est posé; c'est lui qui en est le souverain prêtre, c'est lui qui en est la victime; tous les fidèles ne sont prêtres que parce qu'ils particlpent à son sacerdoce; ils ne sont victimes que parce qu'ils ont part à sa sainteté. Ce n'est qu'en lui, et que par lui, qu'ils s'offrent sans cesse à la majesté de Dieu. Enfin ce n'est que par le rapport qu'ils ont tous avec lui, qu'ils contribuent à la beauté de ce temple auguste, qui a toujurs été, et qui sera éternellement l'objet de la complaisance de Dieu même. »

« La raison nous apprend aussi ces mêmes vérités. Car quel rapport entre les créatures, quelque parfaites qu'on les suppose, et l'action par laquelle elles ont été produites? Toute créature étant bornée, comment vaudra-t-elle l'action d'un Dieu, le prix de laquelle est infini? Dieu peut-il recevoir quelque chose d'une pure créature qui le détermine à agir? Mais que cela soit ainsi, que Dieu ait fait l'homme dans l'es-

dérance d'en être honoré, d'où vient que le nombre de ceux qui le déshonorent est le plus grand? Dieu ne déclare-t-il pas assez par là, qu'il néglige fort la gloire prétendue, qu'il reçoit de son ouvrage, si l'on sépare cet ouvrage de son Fils bien-aimé; que ce n'est qu'en Jésus-Christ qu'il s'est résolu à le produire, et que sans lui il ne subsisterait pas un moment?... Ainsi l'Ecriture et la raison nous apprennent que c'est à cause de Jésus-Christi que le monde subsiste, et que c'est par la dignité de cette personne divine, qu'il reçoit une beauté qui le rende agréable aux yeux de Dieu. »

« Il s'ensuit, ce me semble, de ce principe, que Jésus Christi est le Modèle sur lequel nous sommes faits, que nous avons été formés à son image et à sa ressemblance, et que nous n'avons rien de beau, qu'autant que nous sommes ses expressions et ses figures; qu'il est la fin de la loi, et le terme des cérémonies et des sacrifices des Juifs; qu'il a fallu pour déterminer cette suite de générations qui ont précédé sa naissance, qu' elles eussent avec lui certains rupport par lesquels elles fussent rendues plus agréables à Dieu, que toutes les autres. Que Jésus-Christ devant être le Chef et l'époux de l'Eglise, il fallait, pour le figurer, que les hommes vinssent d'un seul, et que leur propagation se commençât de la manière que le rapporte Moïse, et que l'explique S. Paul. En un mot, il s'ensuit de ce principe que le monde présent doit être la figure du monde futur; et qu'autant que la simplicité des lois générales le peut permettre, tous ceux qui le doivent habiter ont été ou seront des figures et des ressemblances du Fils unique de Dieu, depuis Abel, en qui il a été sacrifié, jusqu'au dernier membre qui formera son Eglise. »

« Nous jugeons de la perfection d'un ouvrage par sa conformité avec l'idée que la Sagesse éternelle nous en donne, car il n'y a rien de beau, ni rien d'aimable que par rapport à la Beauté essentielle, nécessaire et indépendante. Or, cette Beauté intelligible s'étant rendue sensible, devient encore en cet état la règle de la beauté et de la perfection. Ainsi toutes les créatures corporelles doivent encore recevoir d'elle leur beauté et leur éclat. Tous les esprits doivent avoir les même pensées, et les mêmes inclinations que l'âme de Jésus, s'ils veulent être agréables à ceux qui ne trouvent rien de beau, ni rien d'aimable, que ce qui est conforme à la Sagesse et à la Vérité. Comme l'on est donc obligé de croire que l'ouvrage de Dieu a une entière conformité avec la Sagesse éternelle, on a tout sujet de penser que ce même ouvrage a des rapports infinis avec celui qui en est le Chef, *le Principe, le Modèle et la Fin.* Mais qui pourra expliquer tous ces rapports? » (De la Nat. et de la Grâce, 2e part., n.° 25-29).

In hoc loco, Malebranchius suo Optimismo deceptus, ordinem naturalem cum ordine supernaturali confundit, docendo Deum sapientissimum et optimum non potuisse mundum creare, nisi propter et juxta Verbum incarnatum, seu Jesum Christum.

ARTICULUS IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN BOSSUETO.

945. — Clarus ille vir, qui merito cognominatus est aquila Meldensis, fideliter ac sublimiter in *Theologia* sequitur S. Augustinum et S. Thomam; in *Philosophia* autem partim Scholasticis consentit, et partim ab eis dissentit, declinando ad Cartesianorum novitates; admittit enim inter alias opiniones, ideas nobis innatas (Logiq., liv. 1, chap. 37) et Ontologismum (Connaiss. de Dieu, chap. 4, n.° 9). Pauca quædam ex ejus operibus transcribemus ad divinum genuinumque Exemplarismum atque ad trinum ordinem pertinentia.

§ I.

De divinis Ideis.

Docet Bossuetus rerum ideas 1°) immutabiliter præexistere in æterna Dei Mente; 2°) a Deo concipi in Verbo suo; 3°) esse vitam in divino Intellectu.

I.

Res mutabiles habent immutabilem essentiam metaphysicam, quæ subsistere non potest nisi in Mente divini Artificis.

946. — « Ce qui s'appelle *l'essence des choses*, c'est ce qui répond premièrement et précisément à l'idée que nous en avons; ce qui convient tellement à la chose, qu'on ne peut jamais la concevoir sans la concevoir comme telle, ni supposer tout ensemble qu'elle soit telle. »

« Ainsi l'éternité convient aux essences, et par conséquent l'indépendance absolue. »

« Et cependant, comme en effet il n'y a rien d'éternel, ni d'immuable, ni d'indépendant que Dieu seul, il faut conclure que ces vérités ne subsistent pas en elles-mêmes, mais en Dieu seul et dans ses Idées éternelles qui ne sont autre chose que lui-même. »

« Il y en a qui, pour vérifier ces vérités éternelles que nous avons proposées, et les autres de même nature, se sont figuré hors de Dieu des essences éternelles: pure illusion, qui vient de n'entendre pas, qu'en Dieu, comme dans la source de l'être, et dans son entendement, où est l'art de faire et d'ordonner tous les êtres, se trouvent les idées primitives, où comme parle Saint Augustin, les raisons des choses éternellement subsistantes. ».

« Ainsi, dans la pensée de l'architecte et l'idée primitive d'une maison qu'il aperçoit en lui-même, cette maison intellectuelle ne se détruit par aucune ruine des maisons bâties sur ce modèle intérieur; et si l'architecte était éternel, l'idée et la raison de maison le seraient aussi. »

« Mais sans recourir à l'architecte mortel, il y a un Architecte immortel, ou plutôt un Art primitif, éternellement subsistant dans la pensée immuable de Dieu, où tout ordre, toute mesure, toute règle, toute proportion, toute raison, en un mot toute vérité, se trouve dans son origine. »

« Ces vérités éternelles, que nos idées représentent, sont le vrai objet des sciences; et c'est pourquoi, pour nous rendre véritablement savants, Platon nous rappelle sans cesse à ces idées, où se voit, non ce qui se forme, mais ce qui est; non ce qui s'engendre et se corrompt, ce qui se montre et passe aussitôt, mais ce qui subsiste éternellement. »

« C'est là ce monde intellectuel que ce divin philosophe a mis dans l'esprit de Dieu avant que le monde fut construit, et qui est le modèle immuable de ce grand ouvrage. »

« Ce sont donc là ces idées simples, éternelles, immuables, ingénérables et incorruptibles, auxquelles il nous renvoie pour entendre la vérité. » (Logiq., liv. 1, chap. 37).

II.

Rerum ideæ a Deo Patre concipiuntur in æterno Verbo suo, per quod ad suam imaginem nos genuit.

947. — In secunda *Elevationum* hebdomada, Elevatio 8ª inscribitur: « *Sagesse essentielle, engendrante et engendrée.* »

« Dieu m'a possédée, dit la Sagesse (Prov. 8, v. 22); c'est-à-dire Dieu m'a engendrée, conformément à cette parole d'Eve, quand elle enfanta Caïn: Et, dit-elle, *j'ai possédé un homme par* la grâce de *Dieu* (Gen. 4, v. 1). Il m'a engendrée *avant que de rien faire; je suis ordonnée* et garde mon rang *de toute éternité* et toute antiquité. *Avant que la terre fut faite, les abîmes n'étaient pas encore, et déjà j'étais conçue; Dieu m'enfantait devant les collines* (Prov. 8, v. 22-25); c'est-à-dire devant tous les temps et de toute éternité, parce qu'il n'y a que l'éternité avant tous les temps. »

« Mais Dieu n'a-t-il de Sagesse que celle qu'il engendre? A Dieu ne plaise! Car nous-mêmes nous ne pourrions pas produire en nous notre verbe, notre parole intérieure, s'il n'y avait en nous un fond de raison, dont notre verbe est le fruit; à plus forte raison y a-t-il en Dieu une Sagesse essentielle, qui étant primitivement et originairement dans le Père, le rend fécond pour produire cette Sagesse qui est son Verbe et son Fils, sa parole, sa raison, son intelligence, son conseil, l'idée de ce divin Ouvrier qui précède tous ses ouvrages, le bouillonnement pour ainsi dire ou la première effusion de son cœur, et la seule production qui le fait nommer vraiment Père avant tous les temps. « *C'est de là donc,* dit Saint Paul, *que vient toute paternité dans le ciel et dans la terre* (Ephes. 3, v. 15); *c'est de là que nous est donnée, à nous qui croyons au Fils unique, la puissance d'être enfants de Dieu,* à son image, *en naissant, non du sang, ni de la volonté de l'homme, ni de la volonté de la chair, mais de Dieu* (Joan. 1, v. 12, 13), qui par sa bonté et par la grâce de son adoption, a daigné nous associer à son Fils. » (Elévation sur les myst., 2ᵉ sem., 8ᵉ élévat.).

III.

Omnia ab æterno Vita sunt in Dei Verbo.

948. — Elévation sur les myst., 12 sem., 10 élévat. « *Comment de toute éternité tout était Vie dans le Verbe.* »

« Il y a, dans ce verset de Saint Jean, une variété de ponctuation, qui se trouve, non seulement dans nos exemplaires, mais encore dans ceux des Pères. Plusieurs d'eux ont lu: Ce qui a été fait, était Vie en lui. *Quod factum est, in ipso Vita erat* (Joan. 1). Recevons toutes les lumières que l'Evangile nous présente. Nous voyons ici que tout, et même les choses inanimées, qui n'ont point de vie en elles-mêmes, étaient Vie dans le Verbe divin, par son idée et par sa pensée éternelle. »

« Ainsi un temple, un palais, qui n'est qu'un amas de bois et de pierres, où rien n'est vivant, est quelque chose de vivant dans l'idée et dans le dessein de son architecte. Tout est donc Vie dans le Verbe, qui est l'Idée sur laquelle le grand Architecte a fait le monde. Tout y est Vie, parce que tout y est Sagesse; tout y est Sagesse parce que tout y est ordonné, et mis en son rang. L'ordre est une espèce de

vie de l'univers; cette vie est répandue sur toutes ses parties; et leur correspondance mutuelle, entre elles et dans tout leur but, est comme l'âme et la vie du monde matériel, qui porte l'empreinte de la Vie et de la Sagesse de Dieu. »

« Apprenons à regarder toutes choses en ce bel endroit où *tout est Vie;* accoutumons-nous à rapporter tout ce qui arrive, à sa source. Tout est ordonné de Dieu, tout est Vie, tout est Sagesse de ce côté-là. Dans tous les biens et dans tous les maux qui nous arrivent, disons: Tout est arrivé par la Sagesse de Dieu; rien ne vient au hasard; le péché même, qui en soi est incapable de règle, puisqu'il est le dérèglement essentiel, et qui par cette raison ne peut venir de l'ordre de Dieu, ni de sa sagesse; par sa sagesse est réduit à l'ordre, quand il est joint avec le supplice, et que Dieu, malgré le péché et son énorme et infinie laideur, en tire le bien qu'il veut. »

« Règnez, O Verbe, *en qui tout est Vie,* règnez sur nous. Tout aussi est vie en nous à notre manière. Les choses inanimées que nous voyons, lorsque nous les concevons, deviennent vie dans notre intelligence; c'est vous qui l'avez imprimée en nous, et c'est un des traits de votre divine ressemblance, de votre image à laquelle vous nous avez faits. Elevons-nous à notre Modèle; croyons que tout ce que Dieu fait et tout ce qu'il permet, c'est per sa Sagesse, et par Raison qu'il le fait et qu'il le permet; agissons aussi en tout avec sagesse, et croyons que notre sagesse est d'être soumis à la sienne. »

§ II.

De divinæ Trinitatis imagine in mente humana.

Sublimiter ostendit Bossuetus animam nostram esse divinæ Trinitatis imaginem: 1°) in sua operatione ad intra; 2°) in sua operatione ad extra; 3°) in ultimi finis sui intentione.

I.

Anima nostra est divinæ Trinitatis imago, inquantum ex memoria sua concipit cogitationem suam, quam diligit.

949. — « Cette Trinité incréée, souveraine, toute-puissante, incompréhensibile, afin de nous donner quelqu'idée de sa Perfection infinie, a fait une trinité créée sur la terre, et a voulu imprimer en ses créatures une idée de ce mystère ineffable, qui associe le nombre avec l'unité d'une manière si haute et si admirable. »

« Si vous désirez savoir, Chrétiens, quelle est cette trinité créée dont je parle, ne regardez point le ciel, ni la terre, ni les astres, ni les éléments, ni toute cette diversité qui nous environne; rentrez en vous-même, et vous la verrez; c'est votre âme, c'est votre intelligence, c'est votre raison, qui est cette trinité dépendante, en laquelle est représentée cette Trinité souveraine. C'est pourquoi nous voyons dans les Ecritures et dans la création de cet univers, que la Trinité n'y parait que lorsque Dieu se résout de produire l'homme. Remarquez que tous ses autres ouvrages sont faits par une parole de commandement, et l'homme par une parole de consultation. Que la lumière soit faite, que le firmament soit fait! *Fiat lux;* c'est une parole de commandement. L'homme est créé d'une autre manière, qui a quelque chose de plus magnifique. Dieu ne dit pas que l'homme soit fait! Mais toute la Trinité assemblée prononce par un conseil commun: *Faisons l'homme à notre image et ressemblance* (Genes. 1, v. 26)... »

« En effet, comme la Trinité très-auguste a une source et une fontaine de divinité, ainsi que parlent les Pères grecs, un trésor de vie et d'intelligence, que nous appelons le Père, où le Fils et le Saint-Esprit ne cessent jamais de puiser; de même l'âme raisonable a son trésor qui la rend féconde. Tout ce que les sens lui apportent du dehors, elle le ramasse au-dedans, elle en fait comme un réservoir que nous appelons la mémoire. Et de même que ce trésor infini, c'est-à-dire le Père éternel, contemplant ses propres richesses, produit son Verbe, qui est son Image, ainsi l'âme raisonnable, pleine et enrichie de belles idées, produit cette parole intérieure, que nous appelons la pensée, ou la conception, ou le discours, qui est la vive image des choses. Car ne sentons-nous pas, Chrétiens, que lorsque nous concevons quelque objet, nous nous en faisons en nous-mêmes une peinture animée, que l'incomparable Saint Augustin appelle le fils de notre cœur, *Filius cordis tui* (de Trinit. lib. 11, cap. 7)? Enfin, comme en produisant en nous cette image qui nous donne l'intelligence, nous nous plaisons à entendre, nous aimons par conséquent cette intelligence; et ainsi, de ce trésor, qui est la mémoire, et de l'intelligence qu'elle produit, nait une troisième chose qu'on appelle amour, en laquelle sont terminées toutes les opérations de notre âme. Ainsi du Père, qui est le trésor, et du Fils, qui est la Raison et l'Intelligence, procède cet Esprit infini, qui est le terme de l'opération de l'un et de l'autre. Et comme le Père, ce trésor éternel, se communique sans s'épuiser; ainsi ce tré-

sor invisible et intérieur, que notre âme renferme en son propre sein, ne perd rien en se répandant; car notre mémorie ne s'épuise pas par les conceptions qu'elle enfante; mais elle demeure toujours féconde, comme Dieu le Père est toujours fécond. »

« Or, encore que cette image soit infiniment éloignée de la perfection de l'Original, elle ne laisse pas d'être très-noble et très-excellente, parce que c'est la Trinité même qui a bien voulu la former en nous; et de là vient qu'en produisant l'homme qui, par les opérations de son âme, devait en quelque sorte imiter celles de la Trinité toujours adorable, cette même Trinité, d'un commun accord, prononce cette parole sacrée, si glorieuse à notre nature: *Faisons l'homme à notre image et ressemblance.* » (Sermon sur la Trinité, T. 10, p. 356. — Voyez aussi 4e sem., 7e élevat.).

II.

Anima nostra est divinæ Trininatis imago, inquantum ex arte sua concipit opificiorum suorum ideam, quam diligit.

950. — « Je suis un peintre, un sculpteur, un architecte; j'ai mon art, j'ai mon dessein ou mon idée; j'ai le choix et la préférence que je donne à cette idée par un amour particulier. J'ai mon art; j'ai mes règles, mes principes, que je réduis, autant que je puis, à un premier principe qui est un, et c'est par là que je suis fécond. Avec cette règle primitive et ce principe fécond, qui fait mon art, j'enfante au dedans de moi un tableau, une statue, un édifice, qui, dans sa simplicité, est la forme, l'original, le modèle immatériel de ce que j'exécuterai sur la pierre, sur le marbe, sur le bois, sur la toile où j'arrangerai toutes mes couleurs. J'aime ce dessein, cette idée, ce fils de mon esprit fécond et de mon art inventif. Et tout cela ne fait de moi qu'un seul peintre, un seul sculpteur, un seul architecte; et tout cela se tient ensemble et inséparablement uni dans mon esprit même, et n'a point d'autre substance; et tout cela est égal et inséparable. »

« Lequel des trois que l'on ôte, tout s'en va. Le premier, qui est l'art, n'est pas plus parfait que le second qui est l'idée, ni le troisième qui est l'amour. L'art produit l'un et l'autre, et on suppose qu'il existe, quand il les produit. On ne peut dire ce qui est plus beau, ou de commencer ou de terminer, ou d'être produit ou de produire. L'art, qui est comme le père, n'est pas plus beau que l'idée, qui est le fils de l'esprit; et l'amour, qui nous fait aimer cette belle production, est aussi beau qu'elle; par leur relation mutuelle, chacune a la beauté des trois. Et quand il faudra produire au dehors cette peinture ou cet édifice, l'art et l'idée et l'amour y concourront également et en unité parfaite; en sorte que ce bel ouvrage se ressentira également de l'art, de l'idée et de l'amour, ou de la secrète complaisance qu'on aura pour elle. »

« Tout cela, quoiqu'immatériel, est trop imparfait et trop grossier pour Dieu; je n'ose lui en faire l'application; mais de là, aidé de la foi, je m'élève et je prends mon vol; et cette contemplation de ce que Dieu a mis dans mon âme, quand il l'a créée à sa ressemblance, m'aide à faire mon premier effort. » (2e sem. 7e élévat).

Profecto hæc applicari nequeunt operationi Dei *ad intra*, sed applicari possunt operationi totius divinæ Trinitatis *ad extra*, quæ fit juxta rationem divinarum processionum, ita ut Pater omnia opificia sua mirâ arte concipiat in suo Verbo, et cum amore intendat ac faciat per Verbum in Spiritu sancto; unde necessario sequitur quod mundus universus, a divina Trinitate fabricatus, Pulchritudinem ejus repræsentat.

III.

Anima nostra est divinæ Trinitatis imago, inquantum ipsa est creata ad beatitudinem, quam intelligit et diligit.

951. — « Quand Dieu m'a fait à son image et ressemblance, il m'a fait pour être heureux comme lui, autant qu'il peut convenir à une créature; et c'est pourquoi il me fait trouver en moi ces trois choses: moi-même, qui suis fait pour être heureux, l'idée de mon bonheur, et l'amour ou le désir du même bonheur. Trois choses que je trouve inséparables en moi-même, puisque je ne suis jamais sans être une chose qui est faite pour être heureuse, et par conséquent qui porte en soi-même, et l'idée de son bonheur, et le désir d'en jouir, provenant nécessairement de cette idée. »

« Qu'on me demande laquelle de ces trois choses je voudrais perdre plutôt que l'autre, je ne saurai que répondre; car premièrement je ne veux pas perdre mon être; je veux, pour ainsi parler, encore moins perdre mon bonheur, puisque sans bonheur il vaudrait mieux pour moi que je ne fusse pas, conformément à cette parole du Sauveur sur son malheureux disciple: *Il vaudrait mieux à cet homme de n'avoir jamais été* (Math. 26, v. 24). Je ne veux donc non plus perdre mon bonheur que mon être, ni non plus perdre l'idée et l'amour de mon

bonheur, que mon bonheur; puisqu'il n'y a point de bonheur, sans cette idée et cet amour. »

« S'il y a quelque chose en moi, qui ait toujours été avec moi-même, c'est cette idée et cet amour de mon bonheur... Que faut-il donc ajouter à tout cela pour nous rendre heureux? Il faut ajouter à l'idée confuse que j'ai du bonheur, la connaissance distincte de l'objet où il consiste, et en même temps changer le désir confus du bonheur, en la possession actuelle de ce qui le fait... Mais où peut consister mon bonheur que dans la chose la plus parfaite que je connaîtrai, si je la puis posséder? Ce que je connais le plus parfait, c'est Dieu sans doute, puisque même je ne puis trouver en moi d'autre idée de perfection que celle de Dieu. Il reste à savoir si je le puis posséder. Mais qu'est-ce que le posséder, si ce n'est le connaître? Se possède-t-il autrement lui-même qu'en connaissant sa perfection? Je suis donc capable de le posséder, puisque je suis capable de le connaître, pourvu qu'en le connaissant je me porte aussi à l'aimer, puisque le connaître sans l'aimer, c'est le méconnaître en effet... »

« Formons donc en nous la Trinité Sainte: unis à Dieu, connaissant Dieu, aimant Dieu. Et comme notre connaissance qui à présent est imparfaite et obscure, s'en ira; et que l'amour est en nous la seule chose qui ne s'en ira jamais et ne se perdra point, aimons, aimons, aimons; faisons sans fin ce que nous ferons sans fin; faisons sans fin dans le temps ce que nous ferons sans fin dans l'éternité!... » (2e sem., 9e élévat.).

§ III.

De divinæ Trinitatis imagine in Ecclesia christiana.

Hanc nobilissimam imaginem ostendit Bossuetus 1°) in trina Ecclesiæ christianæ unitate; 2°) in gloriosa Ecclesiæ consummatione in cœlo.

I.

Unitrina Dei natura repræsentatur in trina Ecclesiæ unitate.

952. — « Mais passons encore plus loin. Afin que la Trinité très-indivisible éclatât plus visiblement dans les hommes, il a plu à Notre Seigneur Jésus-Christ que son Eglise en fût une image. Qui est-ce qui nous a enseigné cette belle théologie? Chrétiens, c'est Jésus-Christ même qui nous l'a montrée dans les paroles que j'ai citées pour mon texte; *Père saint*, dit-il à son Père, *gardez ceux que vous m'avez donnés.* »

« Qui sont ceux que le Père a donnés au Fils? Ce sont les fidèles, qui, étant unis par l'Esprit de Dieu, composent cette sainte société que nous exprimons par le mot d'Eglise. *Gardez-les*, dit-il, *afin qu'ils soient un.* Ils sont un, dit le Fils de Dieu; c'est-à-dire que leur multitude n'empêche pas une parfaite unité. Et afin qu'il ne fût pas permis de douter que cette mystérieuse unité, qui doit assembler le corps de l'Eglise, ne fût l'image de cette unité ineffable, qui associe les trois personnes divines, Jésus-Christ l'explique en ces mots: *Qu'ils soient un*, dit-il, *comme nous* (Joan. 17, v. 11). Et un peu après: *Comme vous, Père, êtes en moi, et moi en vous, ainsi je vous prie qu'ils soient un en nous* (Ibid., v. 21). Et encore: *Je leur ai donné*, dit-il, *la gloire que vous m'avez donnée, afin qu'ils soient un comme nous.* (Ibid., v. 22). »

« O grandeur! o dignité de l'Eglise! o sainte société des fidèles, qui doit être si parfaite et si achevée, que Jésus-Christ ne lui donne point un autre modèle, que l'unité même du Père et du Fils, et de l'Esprit, qui procède du Père et du Fils! Qu'ils soient un, dit le Fils de Dieu, non point comme les Anges, ni comme les Archanges, ni comme les Chérubins, ni comme les Séraphins, *mais qu'ils soient un*, dit-il, *comme nous.* Entendons le sens de cette parole: comme nous sommes un dans le même Être, dans la même intelligence, dans le même Amour, ainsi qu'ils soient un comme nous; c'est-à-dire un dans le même Être par leur nouvelle nativité, un dans la même Intelligence par la doctrine de vérité, un dans le même Amour dans le même lien de charité... »

« Sainte société des fidèles, Eglise remplie de l'Esprit de Dieu, chaste Epouse de mon Sauveur, vous représentez sur la terre la génération du Verbe Eternel, dans votre bienheureuse fécondité. Dieu engendre et vous engendrez; Dieu, comme nous avons dit, engendre en lui-même; Sainte Eglise, où engendrez-vous vos enfants? Dans votre paix, dans votre concorde, dans votre unité, dans votre sein et dans vos entrailles!... C'est ainsi que vous engendrez, Sainte Eglise, à l'imitation du Père éternel. Engendrer c'est incorporer; engendrer vos enfants, ce n'est pas les produire en dehors de vous; c'est en faire un même corps avec vous. Et comme le Père engendrant son Fils, le fait un même Dieu avec lui, ainsi les enfants que vous engendrez, vous les faites ce que vous êtes, en formant Jésus-Christ en eux. Et comme le Père engendre le Fils, en lui communiquant son même Être, ainsi vous engendrez vos enfants, en leur communiquant cet être nouveau que la grâce vous a donné en Notre Seigneur Jésus-Christ:

Ut sint unum sicut et nos. Ce que je dis du Père et du Fils, je le dis encore du Saint-Esprit, qui sont trois choses *(relatives, ou plutôt trois personnes)* et la même chose... Parce qu'elles sont trois, voila comme un nombre; quand vous recherchez ce qu'elles sont, le nombre s'échappe, vous ne trouvez plus que l'Unité simple. *Quia tres sunt, tanquam est numerus; si quæris, quid tres, non est numerus.* (S. Aug. in Joan., tract. 39, n.° 4). Ainsi en est-il de l'Eglise. Comptez les fidèles, vous voyez un nombre. Que sont les fidèles? Il n'y a plus de nombre; ils sont tous un même corps en Notre Seigneur. *Il n'y a plus ni Grec, ni Barbare, ni Romain, ni Scythe, mais un seul Jésus-Christ, qui est tout en tous.* (Coloss. 3, v. 11). *Ut sint unum sicut et nos.* » (Serm. sur la Trinité, T. 10, p. 359 et 362).

II.

Imago Trinitatis in Ecclesia consummabitur, quando omnes electi eamdem ipsius vitam in cœlo participabunt.

953. — « *Père saint,* dit le Fils de Dieu, *gardez en votre nom ceux que vous m'avez donnés, afin qu'ils soient un comme nous,* c'est-à-dire, qu'ils soient comme nous unis dans la même vie de l'intelligence. »

« Mais pouvons-nous bien espérer que tous les fidèles doivent être unis dans la vie de l'intelligence? Oui, certes, nous le devons espérer. Regardez les esprits bienheureux, qui règnent au ciel avec Jésus-Christ; quelle est leur lumière? *Leur lumière,* dit l'Apocalypse, *c'est l'Agneau* (Apoc. 21, v. 23); c'est-à-dire le Verbe incréé, qui s'est fait la victime du monde. Donc la lumière des bienheureux, c'est ce Verbe, cette parole, que le Père profère dans l'éternité. »

« Mais ce Verbe n'est pas une lumière qui soit allumée hors de leur esprit, c'est une lumière infinie qui luit intérieurement dans leurs âmes. En cette lumière ils voient le Père, parce que c'est la Splendeur du Père. *Qui me voit,* dit le Fils de Dieu, *voit mon Père.* (Joan. 14, v. 9). Ils voient le Saint Esprit en cette lumière, parce que le Saint Esprit en procède. En cette lumière ils se contemplent eux-mêmes, parce qu'ils se trouvent en elle plus heureusement qu'en eux-mêmes. Ils y voient les idées vivantes, ils y voient les raisons des choses créées, raisons éternellement permanentes; et de même qu'en cette vie nous connaissons les causes par les effets, l'unité par la multitude, l'invisible par le visible; là dans ce Verbe, qui est dans les bienheureux, qui est leur vie, qui est leur lumière, ils voient la multitude dans l'unité même, le visible dans l'invisible, la diversité des effets dans la Cause infiniment abondante, qui les a tirés du néant, c'est-à-dire dans le Verbe, qui en est l'Idée, qui est la Raison souveraine, par laquelle toutes choses ont été faites. »

« Dans ce Verbe, les bienheureux voient; ils voient et il vivent; et ils vivent tous dans la même vie, parce qu'ils vivent tous dans ce même Verbe. O vue! O vie! O félicité! C'est ainsi que vivent les bienheureux. » (Serm. sur la Trinité, T. 10, p. 366).

ARTICULUS V.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN FENELONIO.

954. — Prænotanda. *De funestissima philosophiæ Cartesianæ influxu.*

Cartesianæ philosophiæ principiis imbutus, sicut Thomassinus, Malebranchius et partim Bossuetus, dubium methodicum et Ontologismum apertissime profitetur Fenelonius in suo Tractatu de Dei existentia.

Dolendum est tantos viros, falsa Cartesii doctrina deceptos, sub prætextu claras ideas quærendi, præcipuas metaphysicas notiones confudisse. Nunquam evidentius apparet necessitas formarum substantialium in rebus, et specierum intelligibilium in viatoris hominis intellectu, quam legendo opera Cartesianorum utrasque negantium. Etenim si formæ, quibus res omnes sunt et intelliguntur, non ponuntur nisi in divina Mente, quæ ipse Deus est, necessario sequitur res formaliter non esse, nec intelligi nisi in Deo. Negatur enim forma substantialis, per quam res intrinsece ac proprie sunt et operantur actu, quem a Deo habent; negantur præterea formæ seu species intelligibiles, per quas res a nobis in hac vita actualiter cognoscuntur. Ergo res sunt, subsistunt, vivunt, operantur in Deo, non tantum sicut in Forma seu Causa sua exemplari et efficienti, quod verissimum est; sed etiam sicut in Forma sua substantiali, quod est apertissimus Pantheismus. Etenim sine forma substantiali sibi concreata, res quæ dicuntur creatæ, carerent entitate et realitate intrinseca et sibi propria. — Insuper si negentur, in mente hominis viatoris, species intelligibiles, quibus mediantibus noster intellectus conformatur tum rebus creatis, tum divinis ideis, quibus res ipsæ conformantur, tunc res non intelligimus nisi immediata idearum divinarum et ipsius Dei intuitione. Atqui, consentientibus omnibus theo-

logis, immediata Dei intuitio non est naturalis, nec viatoribus competit, sed supernaturalis est et Beatis propria. Ergo prorsus confunditur ordo naturalis cum ordine supernaturali.

Cartesiani rectissime putaverunt theoriam divinarum idearum, prout a S. Augustino aliisque Patribus intelligitur, esse omnis sapientiæ fundamentum; sed nimio sublimis hujus doctrinæ splendore obfuscati, non perspexerunt Platonis ideas in doctrina Exemplarismi non sufficere, nisi Aristotelis formis substantialibus et speciebus intelligibilibus compleantur. Supremam divini Exemplaris divinorumque exemplarium realitatem extollendo, stabilire neglexerunt realitatem divinorum exemplatorum; et ex eo, quod res juxta Deum exemplatæ, non sunt ipsa Veritas, falso concluderunt eas non esse veras, nec vere intelligi posse. Plura contra Cartesium dicemus in Tomo III, Parte III.

Satis erit referre: 1°) quid dicat Fenelonius de ideis divinis; et 2°) quomodo refutet Malebranchii Optimismum.

§ I.

De Ideis divinis.

955. — « J'ai l'idée d'un Être infiniment parfait: cette idée exclut toute composition et toute divisibilitè; elle renferme donc essentiellement une parfaite université. Par conséquent, le premier Être doit être conçu comme étant tout, non comme *plures*, mais comme *plus omnibus*. S'il est infiniment plus que toutes choses, n'étant néammoins qu'une seule chose, il faut qu'il ait en vertu et en degré de perfection ce qu'il ne peut avoir en multiplication et en étendue. En un mot, il faut que l'Unité ait elle seule, sans se multiplier, des degrés infinis de perfection, qui surpassent infiniment toute multitude, si grande et si parfaite qu'on puisse la concevoir. »

« C'est donc, s'il est permis de parler ainsi, par les degrés de perfections intensives, et non par la multitude des parties et des perfections, qu'il faut élever le premier Être jusqu'à l'infini. Cela posé, je dis que Dieu voit une infinité de degrés de perfection en lui, qui sont la règle et le modèle d'une infinité de natures possibles, qu'il est libre de tirer du néant. Ces degrés n'ont rien de réellement distingué entre eux; mais nous les appelons degrés parce qu'il faut bien parler comme on peut, et que l'homme, fini et grossier, bégaie toujours, quand il parle de l'Être infini et infiniment simple. Celui qui existe souverainement et infiniment, peut par son existence infinie, faire exister ce qui n'existe pas. Il manquerait quelque chose à l'Être infiniment parfait, s'il ne pouvait rien produire hors de lui. Rien ne marque tant l'Être par soi, que de pouvoir tirer du néant, et faire passer à l'existence actuelle. Cette fécondité toute puissante, plus elle nous est incompréhensible, plus elle est le dernier trait et le plus fort caractère de l'Être infini. »

« Cet Être, qui est infiniment, voit, en montant jusqu'à l'infini, tous les divers degrés auxquels il peut communiquer l'être. Chaque degré de communication possible, constitue une essence possible, qui répond à ce degré d'être, qui est en Dieu indivisible avec tous les autres. Ces degrés infinis, qui sont indivisibles en lui, peuvent se diviser à l'infini dans les créatures, pour faire une infinie variété d'espèces. Chaque espèce sera bornée dans un degré d'être correspondant à ces degrés infinis et indivisibles que Dieu connait en lui. »

« Ces degrés que Dieu voit distinctement en lui-même, et qu'il voit éternellement de la même manière, parce qu'ils sont immuables, sont les modèles fixes de tout ce qu'il peut faire hors de lui. Voilà la source des vrais universaux, des genres, des différences et des espèces; et voilà en même temps les modèles immuables des ouvrages de Dieu, qui sont les idées que nous consultons, pour être raisonnables. » (De l'Exist. de Dieu, 2e part., chap. 4).

§ II.

Refutatur Optimismus Malebranchii.

956. — I. « Il y a une extrême différence entre la perfection de l'ouvrier et celle de l'ouvrage. L'Ouvrier *(divin)* ne peut rien faire qu'avec une perfection infinie, puisqu'il ne peut jamais se dégrader, et rien perdre de ce qu'il est; mais l'ouvrage de l'Ouvrier infiniment parfait ne peut jamais avoir qu'une perfection finie. Si l'ouvrage avait une infinie perfection, il serait l'Ouvrier même; car il n'y a que Dieu seul qui puisse être infiniment parfait. Rien ne peut être égal à lui, rien ne peut même être qu'infiniment au-dessous de lui. De là il faut conclure que, nonobstant sa toute puissance, il ne peut rien produire hors de lui qui ne soit infiniment imparfait, c'est-à-dire infiniment inférieur à sa suprême Perfection. »

« Pour concevoir ce que Dieu peut produire hors de lui, il faut se le représenter comme voyant des degrés infinis de perfection au-dessous de la sienne. En quelque degré qu'il s'arrête, il en trouve d'infinis en remontant vers lui, et en descendant au-dessous de lui. Ainsi

il ne peut fixer son ouvrage à aucun degré, qui n'ait une infériorité infinie à son égard. Tous ces divers degrés sont plus ou moins élevés les uns à l'égard des autres, mais tous sont infiniment inférieurs à l'Être suprême. Ainsi on se trompe manifestement quand on veut s'imaginer que l'Être infiniment parfait se doit à lui-même, pour la conservation de sa Perfection et de son Ordre, de donner à son ouvrage le plus grand ordre et la plus haute perfection qu'il peut lui donner. Il est certain, tout au contraire, que Dieu ne peut jamais fixer aucun ouvrage à un degré certain de perfection, sans l'avoir pu mettre à un autre degré supérieur d'ordre et de perfection, en remontant toujours vers l'Infini qui est lui-même. Ainsi il est certain que Dieu, loin de vouloir toujours le plus haut degré d'ordre et de perfection, ne peut jamais aller jusqu'au plus haut degré, et qu'il s'arrête toujours à un degré inférieur à d'autres qui remontent sans cesse vers l'Infini. »

« Faut-il donc s'étonner si Dieu n'a pas fait la volonté de l'homme aussi parfaite qu'il aurait pu la lui faire? Il est vrai qu'il aurait pu la faire d'abord impeccable, bienheureuse et dans l'état des esprits célestes. En cet état les hommes auraient été, je l'avoue, plus parfaits et plus participants de l'Ordre suprême. Mais l'objection qu'on fait resterait toujours tout entière, puisqu'il y a encore au-dessus des esprits célestes, qui sont bornés, des degrés infinis de perfection, en remontant vers Dieu, dans lesquels le Créateur aurait pu créer des êtres supérieurs aux anges. »

« Il faut donc ou conclure que Dieu ne peut rien faire hors de lui, parce que ce qu'il ferait, serait infiniment au-dessous de lui, et par conséquent infiniment imparfait; ou avouer de bonne foi que Dieu, en faisant son ouvrage, ne choisit jamais le plus haut degré de tous les degrés d'ordre et de perfection. Cette vérité suffit seule pour faire évanouir l'objection. Dieu, il est vrai, aurait fait l'homme plus parfait et plus participant de son Ordre suprême, en le faisant d'abord impeccable et bienheureux, qu'en le faisant libre; mais il ne l'a pas voulu, parce que son infinie Perfection ne l'assujettit nullement à donner toujours un degré de perfection, sans qu'il y en ait d'autres à l'infini au-dessus de lui. Chaque degré a un ordre et une perfection dignes du Créateur, quoique les degrés supérieurs en aient davantage. L'homme libre est bon en soi, conforme à l'ordre, et digne de Dieu, quoique l'homme impeccable soit encore meilleur. » (Lett. 2. sur la Relig., chap. 3, n.° 9).

II. Quum Deus sit Exemplar infinitum, sequitur Eum esse infinite imitabile, et nullam Dei imitationem infinitam esse posse, sed finitam esse atque infinite distantem a perfectione supremi Exemplaris. Verumtamen inde concludere non licet, omnes Dei imitationes esse infinite imperfectas, nam infinita imperfectio est nulla perfectio. Atqui, nullum Dei opificium, seu nulla res omni perfectione destitui potest, secus non esset. Sed inter infinitam imperfectionem, seu non Esse, et infinitam Perfectionem seu absolutum Esse, dantur infiniti gradus possibiles perfectionis finitæ, quibus entia plus minusve imitantur divinam Perfectionem. — Nec verum est dicere ordinem creatum esse indefinitum, ita ut nullam habeat dignitatis apicem, ultra quem creatura ascendere non possit. Etenim datur in Verbo incarnato suprema quædam dignitas, qua creatura Creatori hypostatice unitur. Atqui, finitum quodvis nequit superius elevari, quam ut hypostatice Deo infinito uniatur. Nulla enim unio magis substantialis intima et immediata dari potest, quam unio naturæ cujusdam creatæ cum Natura divina in unitate personæ divinæ.

Sicut cæteri Cartesiani, Fenelonius incompletas Metaphysicæ notiones habebat. Tota enim Metaphysica cartesiana inficitur confusa infiniti notione.

ARTICULUS VI.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN LEIBNITIO.

Prænotanda. — *De Leibnitii Monadologia in divino Exemplarismo fundata.*

957. — Partim Cartesio consentit Leibnitius, partim ab eo dissentit, atque ad doctrinam scholasticam regreditur. Ex ipsius testimonio ac variis ejus hac de re opusculis, patet illum per totam vitam laborasse ad excogitandum novum systema universale, in quo totus ordo creatus reduceretur ad divinum ejus Artificem et Rectorem, mediantibus monadibus, quæ sunt intrinseca et simplicia principia substantiæ et operationis omnium rerum creatarum; per has enim monades, cunctæ res spirituales vel materiales assimilantur seu conformantur divinæ Monadi, quæ est prima cæterarum monadum Causa efficiens, exemplaris et finalis. Unde suum systema ipse nuncupavit *Monadologiam*. At hoc systema non est novum, nisi inquantum sub novo nomine, monades substituit formis substantialibus Scholasticorum, quas Cartesiani re-

jiciebant, et inquantum falso asserit has monades constituere totam ipsorum corporum substantiam, dum Cartesius e contrario putavit essentiam corporum sola extensione actuali constare. Præterea Leibnitius Exemplarismo scholastico superaddidit commentum harmoniæ præstabilitæ inter creaturas corporales ac spirituales, somnium causarum occasionalium et errorem Optimismi.

Videamus: 1°) quid ipse de sua Monadologia sentiebat; 2°) quid de hoc systemate sentiendum sit secundum veritatem; 3°) quid doceat Leibnitius de Dei Scientia, Ideis et Arte.

§ I.

Quid sentiebat ipse Leibnitius de sua Monadologia.

958. — Non obstante consueta modestia sua, Leibnitius præclara de suo systemate sentiebat, sicut apparet in sequenti loco operis ejus inscripti: *Nouveaux essais sur l'entendement humain*, liv. 1, cap. 1, ubi sic loquitur auctor sub persona *Theophili*, nam interdum forma dialogi usus est, ad imitationem Platonis.

I. « J'ai été frappé d'un nouveau système, dont j'ai lu quelque chose dans les journaux des Savants de Paris, de Leipsick et de Hollande, et dans le merveilleux dictionnaire de Mr. Bayle, article *Rorarius*. »

« Depuis, je crois voir une nouvelle face de l'intérieur des choses. Ce système paraît allier Platon avec Démocrite, Aristote avec Descartes, les Scolastiques avec les Modernes, la Théologie et la Morale avec la raison. Il semble qu'il prend le meilleur de tous côtés, et qu'ensuite il va plus loin qu'on est allé encore. »

« J'y trouve une explication intelligible de l'union de l'âme et du corps, chose dont j'avais désesperé auparavant. Je trouve les vrais principes des choses dans les unités des substances *(c'est-à-dire dans les monades)* que ce système introduit, et dans leur harmonie préétablie par la Substance primitive. J'y trouve une simplicité et une uniformité étonnante, en sorte qu'on peut dire, que c'est partout et toujours la même chose, aux degrés de perfection près. »

« Je vois maintenant ce que Platon entendait, quand il prenait la matière pour un être imparfait et transitoire; ce qu'Aristote voulait dire par son *entéléchie;* ce que c'est que la promesse, que Démocrite même faisait, d'une autre vie, chez Pline; jusqu'où les Sceptiques avaient raison, en déclamant contre les sens; comment les animaux sont des automates suivant Descartes, et comment ils ont pourtant des âmes et du sentiment, selon l'opinion du genre humain; comment il faut expliquer raisonnablement ceux qui ont donné de la vie et de la perception à toutes choses, comme Cardan, Campanella....; comment les lois de la nature tirent leur origine des principes supérieurs à la matière, quoique pourtant tout se fasse mécaniquement dans la matière, en quoi les auteurs spiritualisants, que je viens de nommer, se trompent en croyant que les substances immatérielles changeaient, sinon la force, au moins la direction ou détermination des mouvements des corps, au lieu que l'âme et le corps gardent parfaitement leurs lois, chacun les siennes, selon le nouveau système, et que néanmoins l'un obéit à l'autre autant qu'il le faut. »

« Enfin c'est depuis que j'ai médité ce système, que j'ai trouvé comment les âmes des bêtes et leurs sensations ne nuisent point à l'immortalité des âmes humaines, ou plutôt comment rien n'est plus propre à établir notre immortalité naturelle, que de concevoir que toutes les âmes sont impérissables... »

« Je trouve le vide et les atômes exclus bien autrement que par le sophisme des Cartésiens, fondé dans la prétendue coïncidence de l'idée du corps et de l'étendue. Je vois toutes choses réglées et ornées au-delà de tout ce qu'on a conçu jusqu'ici; la matière organique partout, rien de vide, de stérile ou de négligé; rien de trop uniforme; tout varié, mais avec ordre; et ce qui passe l'imagination, tout l'univers en raccourci, mais d'une vue différente, dans chacune des ses parties, et même dans chacune de ses unités de substance. »

II. « Outre cette nouvelle analyse des *choses*, j'ai mieux compris celle des *notions* ou idées, et des vérités. J'entends ce que c'est qu'idée vraie, claire, distincte, adéquate, si j'ose employer ce mot. J'entends quelles sont les vérités primitives et les vrais axiomes, la distinction des vérités nécessaires et de celles de fait, du raisonnement des hommes et des consécutions des bêtes, qui en sont une ombre. »

« Enfin, vous serez surpris, d'entendre tout ce que j'ai à vous dire, et surtout de comprendre combien la connaissance des grandeurs et des perfections de Dieu en est relevée. Car je ne saurais dissimuler à vous, pour qui je n'ai rien de caché, combien je suis pénétré maintenant d'admiration, et, si nous osons nous servir de ce terme, d'amour pour cette souveraine Source de choses et de beautés, ayant trouvé que celles, que ce sytème découvre, passent tout ce qu'on en a conçu jusqu'ici... Et depuis... je prends quelquefois le nom de Théophile... »

§ II.

Quid de prædicto Leibnitii systemate sentiendum sit secundum veritatem.

959. — I. Profecto hoc systema varietatem omnium rerum et idearum mirabiliter reducit ad Dei Unitatem, quem contemplatur ut Centrum, seu primam Causam efficientem, exemplarem et finalem universitatis rerum, cognitionum et appetitionum. Ait ipse: « Dieu seul a une connaissance distincte de tout, car il en est la Source. On a fort bien dit, qu'il est comme Centre partout; mais que sa circonférence n'est nulle part, tout lui étant présent immédiatement, sans aucun éloignement de ce Centre. » (Princip. de la nat. et de la grâce, n.° 13, œuvr., p. 717).

Leibnitius Deum optime considerat tanquam primam Monadem, seu supremam Substantiam spiritualem, quæ omnia ab æterno, Intellectu ac Voluntate præordinavit, et omnia cum tempore produxit, conservat atque ordinat. Recte asserit solum Deum esse Actum purum, sed perperam docet solum Deum esse Substantiam pure spiritualem. « Solus Deus Substantia est vere a materia separata, cum sit Actus purus, nulla patiendi potentia præditus, quæ ubicumque est, materiam constituit. » (Epist. ad Wagner., n.° 4, oper. p. 466.) « Il n'y a point de substances créées entièrement destituées de matière; car je tiens avec les anciens et avec la raison, que les anges ou les intelligences, et les âmes séparées du corps grossier, ont toujours des corps subtils, quoiqu'elles-mêmes soient incorporelles. » (Correspond. avec Clarke, 5^{e} écrit, n.° 61, œuvr. p. 771).

Alibi distinguit inter materiam primam, quæ est pura potentia passiva, et materiam secundam seu corpus, quæ est substantiarum seu monadum aggregatio; monas autem, seu entelechia aut forma, est principium activum et centrum unitatis in quolibet animali, quod substantialiter constat monade, seu anima intelligenti aut non intelligenti, et corpore organico. (Lett. à M^{r} Remond, œuv. p. 736). Extensio actualis corporum est phænomenon manifestans aggregationem monadum, quibus corpus substantialiter constituitur.

Juxta Leibnitium, omnis substantia creata actum suum accipit a Deo, sed nullam prorsus actionem exercet in aliam substantiam creatam; nihilominus mirabilis regnat harmonia inter actiones singularum creaturarum; quia creaturæ harmonice aguntur a Deo, juxta æternum ejus Consilium.

II. Inde manifestum est Leibnitium errare: 1°) sibi fingendo falsam substantiæ creatæ notionem, atque male intelligendo materiam et formam, potentiam et actum, in quibus fundatur tota Scholasticorum Metaphysica. Etenim novum Leibnitii systema totum fundatur in *Dynamismo*, quo rerum creatarum substantiam explicare conatur per monades, quæ sunt atomi formales, non autem materiales, et in *Harmonia præstabilita*, quâ concordem spirituum atque corporum operationem enodare putat.

Atqui, in Monodologia recte quidem distinguit divinam Monadem ab omnibus monadibus quas creavit, et continua creatione conservat; distinguit quoque monades intelligentes a non intelligentibus, sed falso negat existentiam creaturarum mere spiritualium, confundit monadum receptivitatem, seu potentiam passivam, cum materia corporali, et nullam assignat materiam vere corporalem, quæ sit radix multiplicitatis et actualis extensionis corporum. Asserit corpora organica componi monadibus seu substantiis actuatis et ordinatis ad monadem quamdam centralem, quæ corpori tribuit speciem, individualitatem, passivitatem, activitatem et facultatem universum repræsentandi per internas suas perceptiones et apperceptiones, quæ rebus externis correspondent, virtute harmoniæ præstabilitæ. Sed non intelligitur quomodo corpus pluribus substantiis actuatis compositum, possit esse unum substantiâ, et quomodo monadum simplicium ac proin inextensarum aggregatio constituere possit actualem corporis extensionem.

Ergo impossibile est per solas monades explicare corporum substantiam. Ergo cum Scholasticis asserendum est quodlibet corpus componi unâ monade seu forma substantiali, quæ in eo est unitatis, perfectionis et activitatis principium et materia de se indeterminata, quæ est in corpore principium multiplicitatis, extensionis, perfectibilitatis et passivitatis.

2°) *Harmonia præstabilita* verissima est inquantum affirmat concordem spirituum et corporum operationem præordinatam esse in divina Mente mundi Artificis et Gubernatoris; sed falsissima est, inquantum negat substantias creatas agere in invicem, atque affirmat eas a solo Deo agi secundum immutabiles leges sibi proprias.

In systemate Leibnitii, quod supponit perfectam et continuam inter spiritus et corpora harmoniam, juxta physicas ac morales leges a Deo constitutas, explicari non potest peccatum, nec libertas voluntatis creatæ. Nam Leibnitius ipse comparat spiritus et corpora duobus horologiis ab eodem artifice fabricatis, quæ motu harmonico semper moventur (Eclairciss. de son syst.,

œuv., p. 133). Jam vero in tali mechanismo, nullus datur locus mutationi in motu harmonico, quem ambo horologia acceperunt a suo opifice. Tollitur quoque influxus causarum secundarum.

3°) Verum est, singulas mundi partes repræsentare Deum et totum mundum; sed repræsentatio non fit virtute harmoniæ præstabilitæ, sicut a Leibnitio intelligitur, sed virtute veri Exemplarismi, in quo fundatur harmonia universalis.

In doctrina Exemplarismi Deus est supremum Archetypum, quod omnes res creatæ imitantur per modum vestigii, et spiritus per modum imaginis. Ergo datur physica analogia inter divinum Exemplar et varia ejus exemplata, atque inter omnia divina exemplata, sive corporalia, sive spiritualia. Insuper omnes creaturæ viventes universum mundum repræsentant mediantibus speciebus sensibilibus et intelligibilibus, quibus potentiæ apprehensivæ externis objectis conformantur, ita ut homo sentiendo et intelligendo fiat quodammodo omnia. Sed talis repræsentatio exigit objectorum externorum impressionem in potentias apprehensivas, et hanc impressionem, seu actionem non admittit Leibnitius; respuit quoque medias species sensibiles et intelligibiles inter subjectum apprehendens, et objectum ab eo apprehensum.

4°) Erravit quoque præclarus auctor, asserendo mundum esse absolute optimum, et infinite magnum et parvum. Nam solus Deus, supremum Exemplar, est infinite perfectus, et proinde infinite imitabilis. Ergo nulla imitatio potest perfectionem ejus æquare, et nullum exemplatum potest esse actu infinitum. Si autem dicatur exemplatum esse infinitum potentia, seu indefinitum, tunc datur progressus indefinitus, et concedendum est Deum nunquam finiturum aut completurum esse opificium suum. Et revera Leibnitius nullum assignavit terminum divinæ operationi, nec mundi perfectioni. Progressum enim statuit etiam in gloria, et in ipsa visione beatifica.

Hanc progressûs theoriam sibi quoque applicans, antiquam sapientiam reformare voluit ad instar coætaneorum suorum, et novum Exemplarismi systema invenisse sibi gratulatus est. Sed frustra quæsivit quod jamdiu a medii ævi Scholasticis inventum erat. Etenim Exemplarismus, quem D. Thomas et S. Bonaventura a S. Augustino acceperant, multo sublimius, latius ac tutius rerum omnium naturam et harmoniam explicat, quam novum Leibnitii systema. Hoc autem late exposuimus, ut clare lectoribus appareat, metaphysicam Scholasticorum doctrinam longe superare omnia modernorum inventa, et immoderatum novitatis studium, scientiæ non prodesse, sed valde nocere.

§ III.

De Dei Scientia, Ideis et Arte.

960. — I. **De divina Scientia.**

In hac gravissima quæstione, Leibnitius docet, Deum ab æterno futura contingentia tanquam possibilia cognoscere per scientiam simplicis intelligentiæ, atque in decretis suæ voluntatis prædeterminare omnia, quæ voluntatem creatam ad agendum inclinant, quin tamen illam necessitent. « Quand il serait vrai que les futurs contingents, qui consistent dans les actions libres des créatures raisonnables, fussent entièrement indépendants des décrets de Dieu et des causes externes, il y aurait moyen de les prévoir, car Dieu les verrait tels qu'ils sont dans la région des possibles, avant qu'il décernât de les admettre à l'existence. Mais si la prescience de Dieu n'a rien de commun avec la dépendance ou indépendance de nos actions libres, il n'en est pas de même de la préordination de Dieu, de ses décrets, et de la suite des causes, que je crois toujours contribuer à la détermination de la volonté. Et si je suis pour les Molinistes dans le premier point, je suis pour les Prédéterminateurs dans le second, mais en observant toujours que la prédétermination ne soit point nécessitante. En un mot, je suis d'opinion que la volonté est toujours plus inclinée au parti qu'elle prend, mais qu'elle n'est jamais dans la nécessité de le prendre. Il est certain qu'elle prendra ce parti, mais il n'est pas nécessaire qu'elle le prenne... Le parti vers lequel la volonté est plus inclinée, ne manque jamais d'être pris... Quand on parle de la plus grande inclination de la volonté, on parle du résultat de toutes les inclinations; à peu près comme nous avons parlé ci-dessus de la volonté conséquente en Dieu, qui résulte de toutes les volontés antécédentes. » (Théodicée, 1er part., n.° 42 et 43).

961. — II. **De divinis Ideis.**

« Il est vrai aussi qu'en Dieu est non seulement la source des existences, mais encore celle des essences, en tant que réelles, ou de ce qu'il y a de réel dans la possibilité. C'est parce que l'Entendement de Dieu est la région des vérités éternelles, ou des idées dont elles dépendent, et que sans lui il n'y aurait rien de réel dans les possibilités, et non seulement rien d'existant, mais encore rien de possible. — Cependant il faut bien que s'il y a une réalité dans les essences ou possibilités, ou bien dans les vérités éternelles, cette réalité soit fondée en quelque chose d'existant et d'actuel, et par conséquent dans l'existence de l'Etre nécessaire, dans

lequel l'essence renferme l'existence, ou dans lequel il suffit d'être possible pour être actuel. — Ainsi Dieu seul, ou l'Etre nécessaire, a ce privilège, qu'il faut qu'il existe, s'il est possible.... »

« Or, comme il y a une infinité d'univers possibles dans les idées de Dieu, et qu'il n'en peut exister qu'un seul, il faut qu'il y ait une raison suffisante du choix de Dieu, qui le détermine à l'un plutôt qu'à l'autre. — Et cette raison ne peut se trouver que dans la convenance, dans les degrés de perfection que ces mondes contiennent, chaque possible ayant droit à l'existence, à mesure de la perfection qu'il développe. Et c'est ce qui est la cause de l'existence du meilleur, que la Sagesse fait connaître à Dieu, que sa Bonté lui fait choisir, et que sa Puissance lui fait produire. »

« Or, cette liaison, ou cet accommodement de toutes les choses créées à chacune, et de chacune à toutes les autres, fait que chaque substance simple a des rapports qui expriment toutes les autres, et qu'elle est par conséquent un miroir vivant perpétuel de l'univers. » (Monadologie, n.° 43, 44, 45, 53, 56).

962. — III. **De divina Arte.**

« Vous demandez, Monsieur, à quoi peut servir tout cet artifice, que j'attribue à l'Auteur de la nature? Comme si on pouvait trop lui en attribuer, et comme si cette exacte correspondance que les substances ont entre elles, par les lois propres que chacune a reçues d'abord, n'était pas une chose admirablement belle en elle-même, et digne de son Auteur. » (Eclaircissem. du nouv. syst., œuv., p. 131).

« Il faut que l'artifice de Dieu ne soit point inférieur à celui d'un ouvrier; il faut même qu'il aille infiniment au-delà. La simple production de tout, marquerait bien la Puissance de Dieu, mais elle ne marquerait pas assez sa Sagesse.... Je ne dis point que le monde corporel est une machine, ou une montre, qui va sans l'interposition de Dieu, et je presse assez que les créatures ont besoin de son influence continuelle; mais je soutiens que c'est une montre qui va sans avoir besoin de sa correction; autrement il faudrait dire que Dieu se ravise. Dieu a tout prévu; il a remédié à tout par avance. Il y a dans ses ouvrages une beauté, une harmonie déjà préétabilie. — Ce sentiment n'exclut point la Providence, ou le Gouvernement de Dieu; au contraire cela le rend parfait. Une véritable Providence de Dieu demande une parfaite prévoyance; mais de plus, elle demande aussi qu'il ait pourvu à tout par des remèdes convenables préordonnés; autrement il manquera ou de Sagesse pour le prévoir, ou de Puissance pour y pourvoir. » (Corresp. avec Clarke, 2e écrit).

« Chaque corps organique d'un être vivant est une espèce de machine divine, ou d'automate naturel, qui surpasse infiniment tous les automates artificiels, parce qu'une machine faite par l'art de l'homme, n'est pas machine dans chacune de ses parties. Par exemple, la dent d'une roue de laiton a des parties ou fragments, qui ne sont plus quelque chose d'artificiel, et n'ont plus rien qui marque de la machine par rapport à l'usage auquel la roue était destinée. Mais les machines de la nature, c'est-à-dire les corps vivants, sont encore machines dans leurs moindres parties jusqu'à l'infini. C'est ce que fait la différence entre la nature et l'art, c'est-à-dire entre l'Art divin et le nôtre. Et l'Auteur de la nature a pu pratiquer cet artifice divin, parceque chaque portion de la matière n'est pas seulement divisible à l'infini, comme les anciens l'ont reconnu, mais encore sous-divisée actuellement sans fin, chaque partie en parties, dont chacune a quelque mouvement propre; autrement il serait impossible, que chaque portion de la matière put exprimer l'univers. » (Monadolog., n.° 64 et 65, œuvr. p. 710).

ARTICULUS VII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN STAUDENMAIER.

963. — Magnum scopum sibi præfixerat conciliandi Philosophiam et Theologiam in sublimi doctrina Exemplarismi divini.

Hunc in finem ostendere volebat, Metaphysicam, quæ suprema Philosophiæ principia docet, ac humanam rationem erigit per naturales creaturarum gradus usque ad rationem et ideas divini Artificis, concordare cum Theologia supernaturali, quæ a supremo Artifice, uno et trino, ejusque Ideis, descendit ad omnia illius opificia, juxta ipsius Ideas exemplata in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ.

Quam concordantiam in duobus operibus demonstrare intendebat, *philosophico* nimirum et *theologico*, quorum brevissimam dabimus synopsim et crisim.

I. **Operis philosophici** scopus et partitio manifeste apparent in generali ejus titulo, qui verbotenus in latinam linguam sic vertitur: *Philosophia Christianismi, seu Metaphysica sacræ Scripturæ, tanquam doctrina de divinis Ideis, earumque evolutione in natura, spiritu et historia.*

Divisionem operis expressius adhuc indicat in *Prolegomenis*, quibus præfixit celebrem S. Augustini textum: *Tanta vis in Ideis constituitur, ut nisi iis intellectis, sapiens esse nemo possit.* En ipsa Prolegomenorum verba: « Opus nostrum in quatuor magnas partes divisimus, cum in 1ª agatur de Idea in genere, de ejus origine, essentia, destinatione, relatione cum Deo, et præsertim cum divino Verbo; in 2ª, de evolutione ideæ in natura; 3ª, de evolutione ejusdem in spiritu; 4ª, de evolutione ejus sub divinæ Providentiæ actione in historica humanitatis vita... — Totum igitur opus dividitur 1°) in christiana Idearum doctrina; 2°) in christiana naturæ Philosophia; 3°) in christiana spiritus Philosophia; 4°) in christiana Philosophiæ historia... »

Ibidem, sed supra, inquit: « Liquet doctrinam de Ideis esse centrum et focum totius operis nostri. »

Aliis verbis, christiana Philosophia doctoris Staudenmaier habet: 1°) partem metaphysicam, agentem de Deo et mundo ideali in divina Mente; 2°) partem physicam, de mundo corporali; 3°) partem spiritualem, de mundo spirituali; 4°) partem historicam, de mundi historia.

II. **Opus theologicum** est complementum operis philosophici, cum Theologia supernaturalis, lumine fidei illustrata, addat naturali scientiæ philosophicæ notitiam mysteriorum, quæ christianam complet sapientiam. Præcipua autem fidei catholicæ mysteria sunt Trinitas personarum in Deo, peccatum originale, et mundi Redemptio per Christum.

A. Jam vero hæc mysteria Staudenmaier exposuit atque contra incredulos vindicavit in sua *christiana Dogmatica*, quæ in duas partes divisa est.

Pars I. De Deo uno et trino:

Pars II. De creatura, quæ pars trifariam subdividitur:

a) De Creatione mundi, qua natura corporalis, natura spiritualis et homo ex nihilo producuntur juxta divinas ideas;

b) De lapsu hominis;

c) De Redemptione mundi per Christum.

B. Christiana Dogmatica completur aliis operibus theologicis. Nimirum: *De Ingenio Christianismi* spectato in sacris festis, in sacra liturgia, et in sacris artibus. — *De Essentia catholicæ Ecclesiæ*, in quo libro notabimus § 16: De catholicismo et divinis Ideis. De catholica Ecclesia et mundi historia. — Encyclopædia *Scientiarum theologicarum*, seu systema universalis Theologiæ.

III. Ex dictis manifestum est doctorem Staudenmaier concepisse ideam Encyclopædiæ philosophicæ et theologicæ divino Exemplarismo fundatæ. Sed conceptus ejus fuisset perfectior, si totam ideam suam in uno tantum opere evolvisset. Præterea dolendum est clarum auctorem exsecutioni non mandasse totum opus, quod intenderat. Etenim post longissimam Introductionem, quæ primum implet volumen, primam tantum partem *Operis philosophici* absolvit, et secundam *Dogmaticæ christianæ* partem incompletam reliquit, cum tradat solummodo doctrinam de Creatione mundi; tractatus autem de lapsu hominis et de Redemptione mundi desiderantur.

Cum prædictam rationis et fidei, seu Philosophiæ et Theologiæ harmoniam divinis Ideis innixam demonstrare velit contra Rationalistas ac Pantheistas, et potissimum contra falsos Germaniæ Ideologistas, methodus ejus est polemica atque adversariis suis accommodatur, vitando manifestas Scholæ distinctiones, stylum concisum et syllogisticum et latinam linguam. Scripsit enim germano idiomate fusoque calamo. Præterea a Scholasticis ipsa doctrina discrepat, profitendo Ontologismum. Ideo illum posuimus inter fautores modernæ scientiarum Reformationis. Denique in divinis Ideis explicandis, perperam distinguit duplex Verbum, scilicet *increatum*, quod est Filius Dei, et *creatum*, quod, juxta ipsum, est cogitatio de mundo, quam habet Pater. Hunc errorem refutat Mazzella, quem citamus n.° 1079 Scholion, in præsenti Tomo.

CAPUT II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN NEO-SCHOLASTICIS.

964. — **Prænotanda.** *De auctoribus in hoc Capite citandis.*

Sub nomine Neo-Scholasticorum intelligimus omnes philosophos et theologos, qui post falsam scientiarum ac litterarum Reformationem sæculo XV inceptam, scholasticam doctrinam potissimum a S. Thoma traditam retinuerunt, et Cartesianismi scopulum aliasque celebres novitates ex Italia ac Germania oriundas vitaverunt, licet omnes non servaverint stylum concisum formamque syllogisticam, quibus distinguuntur medii ævi doctores.

Longissimum, fastidiosum et inutile nobis foret in hac Sectione omnia transcribere, quæ de Exemplarismo dixerunt omnes D. Thomæ et Scoti commentatores, ubi explicant horum magistrorum doctrinam de divinis Ideis, de Causa

exemplari, de Trinitate omnia ad extra operante, atque in omnibus opificiis suum vestigium vel suam imaginem imprimente, ita ut cunctæ res creatæ Unitrinam Causam analogice repræsentent.

Sufficiet in specie referre doctrinam aliquorum Scholasticorum modernorum, qui de Exemplarismo egerunt, non solum commentando sive angelicum, sive subtilem doctorem, sed etiam de hac materia ex seipsis loquendo, ac modo quidem expressiore quam alii. Tales sunt Suaresius, Lessius, Bellarminus, Contenson, Gonet, S. Alphonsus, Mastrius, Vondel; et inter coætaneos nostros Balmez, Broere, Van den Berg, Liberatore, Mazzella.

Brevitatis gratiâ non citamus plures alios auctores recentissimos, qui in suis Manualibus vel Commentariis philosophicis aut theologicis doctrinam scholasticam feliciter instauraverunt. Tales sunt Zigliara, Satolli, Lepidi, Gonzales, Roselli, Giorgio, Sanseverino, Signoriello, Cornoldi, Ciffini, De Maria, Knoll a Bulsano, Vallet, Rosset, Grandclaude, Dupont, Dummermuth, De San, Schouppe, Herrmann, Paquet, quorum saltem nomina cum debito honore et sincerissimo affectu hic commemoramus.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN SUARESIO.

Suaresius de æternis rerum creatarum ideis ex professo tractat tum in Disputatione metaph. 25 *De Causa exemplari*, tum in Tractatu de Deo uno, lib. 3, cap. 5: *An in divina scientia practica sint ideæ creaturarum omnium.* Referemus tantum quid dicat: 1°) de idearum existentia; 2°) de idearum conceptione in Mente divini Artificis; 3°) de rerum creaturarum conformitate cum divinis ideis. — In Tomo III, Parte II, videbimus quid sentiat de *notione* et *causalitate* divinarum idearum.

§ I.

Existunt rerum ideæ, seu exemplaria.

Hanc Propositionem probat Suaresius argumentis philosophicis et theologicis.

I.

Argumenta philosophica.

965. — « Quod exemplar aliquid in rebus sit, communis est tum philosophorum, tum theologorum consensus, ut patet ex Platone in Timæo; et Socrate, qui, ut testis est Euseb., lib. 11, de Præpar., cap. 11, ante Platonem de ideis disputavit; et ex Cicerone et Seneca locis citatis; Dionysio, Justino et Nazianz. locis infra citandis. Et August., cit. loco, præsertim dicta quæstione 46, ait antiquos, *tantam vim in ideis posuisse, ut nisi eis intellectis, sapiens nemo esse potest.* Cui consonant quod Clemens Alex., lib. 4, Stromat., sub finem, ait: *Merito Plato quoque eum, qui ideas contemplatur, dixit victurum esse Deum inter homines.* Addit item August., lib. 1 Retract., cap. 3, mundum intelligibilem, quem posuit Plato, esse Rationem sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus sensibilem mundum. *Quam qui esse negat, sequitur ut dicat, Deum irrationabiliter fecisse quæ fecit.* »

« Tam certum ergo existimat Augustinus esse ideas, quæ idem sunt quod rationes rerum faciendarum, ac est certum Deum non sine scientia et Ratione creasse mundum. Et hoc ipsum est, quod dixit Boetius, lib. de Consol., metr. 9.

Tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum Mente gerens ».

« Hoc denique ipsum facile demonstrari potest ex humanis artificibus; concipiunt enim mente formam rei per artem efficiendæ, quæ exemplar appellatur. Et ita dixit Aristot., 7 Metaph., cap. 7, corporis sanitatem fieri a sanitate, quæ est in mente. » (Disput. 25, n.° 1).

II.

Argumenta theologica.

966. — In tractatu de Deo uno, loco præcit., n.° 2, Suaresius doctrinam præcedentem repetit, illamque corroborat tum novis rationibus, tum argumentis ex sacra Scriptura et Patrum traditione desumptis. « Hîc pro certo statuimus in primis ideas esse, quia idea nihil aliud significat, quam exemplar ad cujus imitationem artifex operatur. Ostensum autem est, Deum operari ut supremum Artificem. Oportet ergo ut suas ideas habeat. Quas proinde oportet esse increatas, æternas, immutabiles et invisibiles, ut notavit Augustinus lib. 83, Quæst., q. 46. Quia si ideæ divinæ essent creatæ, per alias ideas creari deberent, et sic, vel in infinitum procedendum est, vel sistendum est in increatis; quod si increatæ sunt, illæ solæ sunt ideæ divinæ, nam quidquid per illas fit, magis erit ideatum, quam idea; sunt ergo increatæ, ergo immutabiles, æternæ et invisibiles. »

« Unde aliqui existimant de his fuisse locutum Paulum ad Hebræos, 11 cap., cum dixit:

Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent, id est, ut res, quæ in suis ideis erant invisibiles, ex illis, ut ex exemplaribus, fierent visibiles per creationem. Qui sensus probabilis est, licet non desint alii. Nam Chrysostomus, homil. 22 in Ep. ad Hebr. exponit: *Ex invisibilibus*, id est, *non entibus*, seu *ex nihilo*. Anselmus autem ibi, cum prius explicuisset illa verba de formatione orbis ex materia invisibili et informi, prius ex nihilo creata, subjungit: *Vel ex invisibilibus facta sunt visibilia, id est, ex intellectuali mundo visibilis; invisibilis enim mundus in Sapientia Dei erat, et ad illius imitationem factus est iste visibilis.* Quam expositionem ibi D. Thomas, lect. 2, locupletat, et solam illam assignat. »

« Esto vero non habeatur hæc assertio expresse in Scriptura, tamen ex his, quæ docet fides de modo operationis Dei ad extra, tam evidenter colligitur, tamque communi consensu Patrum et theologorum recepta est, ut in dubium vocari non possit. »

§ II.

Ubinam sint ideæ.

In hoc paragrapho dicetur: 1°) ubinam est exemplar in genere; 2°) ubinam sunt omnium rerum ideæ, seu exemplaria.

I.

Exemplar esse potest intra vel extra mentem artificis in genere.

967. — « Oportet autem observare duplex soleri distingui exemplar: aliud *externum*, ut est imago, vel scriptura oculis objecta, quæ imitanda proponitur, de quo intelligi potest illud Exod. 25: *Inspice et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Aliud esse exemplar *internum*, quod animo seu mente formatur. Quam divisionem Seneca indicavit, dicens: *Nihil autem referri utrum foris habeat exemplar ad quod referat oculos, an intus, quod ibi ipse concepit et posuit.* »

« Ego vero existimo, licet forte quod vocis usum exemplar externum proprie et ex prima impositione ita appellatum sit, tamen quoad munus causæ, quam nunc explicamus, rationem seu causalitatem exemplaris in interno, per se ac proprie reperiri. Illud vero externum solum per accidens et remote adhiberi.... et ideo de interno exemplari præcipue dicendum a nobis est. » (Disput. 25, R. 2).

II.

Rerum ideæ sunt in Mente divini Artificis.

968. — 1°) Argumenta philosophica.

« Ex his autem facile intelligere licet, in communi sequendo, ubi sit, et quid sit exemplar. Est enim in mente seu intellectu, ideo enim interdum exemplar appellatur. Plato etiam, ob eamdem causam, exemplar mundi intelligibilem mundum appellavit, ut Augustinus supra notavit. Ideo denique Clemens Alex., supra, *mentem* dixit *esse locum idearum*, et lib. 5 Stromat., non longe a principio, dixit, Platonem in Phædone ob hanc causam declarasse veritatem esse ideam. *Idea autem*, ait, *est Dei Intelligentia, seu quod a Mente divina intelligitur.* — Est itaque idea, seu exemplar, in mente. Solet autem in communi ita describi: *Exemplar est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem.* Ita D. Thomas, quæst. 2, de Verit., art. 1; et fere Seneca supra. »

« Quia vero hæc descriptio communis est externo exemplari, addere possumus esse formam *mente conceptam*, aut aliquid simile. Per formam autem intelligenda est, non intrinseca forma informans et constituens rem, sed forma concepta et extrinseca effectui, ad cujus imitationem fit effectus ex propria intentione agentis. Quæ ultima particula additur, quia si casu accidat rem fieri similem alteri, non est exemplar, neque etiam si ex sola naturali actione agens effectum, faciat similem sibi *(uti fit in generatione physica)*. » (Ibid., n.° 3).

2°) Argumenta theologica.

« Certum est, ideas divinas esse in Deo ipso, quod adeo affirmat Augustinus, lib. 83 Quæst., q. 46, ut dicat: *Sine impietate negari non posse*, et lib. 5 Genes. ad litter. cap. 14, et tract. 1 in Joan., in hunc modum intelligit verba illa: *Quod factum est, in illo vita erat.* Distinguit enim hanc totam sententiam a præcedentibus, et exponit: *Omnia quæ facta sunt*, prout sunt in Deo per ideas, esse *ipsam Vitam*, et rationem increatam Sapientiæ Dei, quæ est Vita *(intellectualis)* per essentiam. Quam expositionem Beda, Rupertus, D. Thomas, et alii sequuntur. Est autem tantum probabilis, nam ille locus aliis modis legitur et exponitur probabiliter. Sequitur vero hæc assertio ex priori necessaria illatione, quia extra Deum nihil est increatum, invisibile et æternum. »

« Et ita improbatur facile error Platoni attributus de ideis realibus, separatis ab individuis, et in suo proprio et specifico esse subsistentibus. De quo hic plura non est necesse, tum quia et per se omnino incredibilis est, et

jam est antiquatus; tum etiam quia in citato loco Metaphysicæ.... sufficienter hæc res expedita est. » (De Deo uno, lib. 3, cap. 5, n.° 4).

§ III.

De rerum creatarum conformitate cum ideis divinis.

969. — I. In Metaph., disput. 8, *de Veritate*, sect. 7, numerus 31, ab ipso Suaresio inscribitur: *Entia creata Intellectui divino ut opifici conformantur*, ibique legimus: « Additur... reperiri in entibus creatis conformitatem ad Intellectum divinum, ut ad Causam et Exemplar, ratione cujus possunt talia entia vera denominari; quia etiam illa est vera conformitas ad intellectum, ut practice cognoscentem, et suo modo operantem. Et eadem ratione entia artificialia, quæ ab intellectu humano procedunt, respectu illius habent eamdem conformitatem, ut ad suum exemplar, vel ideam, et secundum eam vera etiam dici possunt. Imo sentit D. Thomas, ab hac conformitate potissimum denominari vera entia creata, quia illa per se eis convenit; conformitas autem ad alios intellectus speculative cognoscentes, est magis extrinseca et per accidens. »

« Quod maxime habet locum in rebus existentibus, et actu creatis; nam res secundum esse essentiæ non habent actu causam exemplarem, sicut neque efficientem; habent tamen in potentia, et ideo si considerentur ut possibiles sunt, per se requirunt exemplaria, et ideas in primo Artifice, quæ unumquodque tale esse repræsentent, quale esse potest, aut natura fieri postulat. Et hoc modo res omnes creatæ, etiam secundum esse essentiæ, per se primario postulant esse in divino Intellectu, et habere conformitatem cum illo, tamquam cum primo Artifice, a quo solo possunt ad esse perduci. »

« Deus autem, cum increatum Ens sit, ad nullum intellectum potest habere hanc habitudinem; nihilominus tamen alia ratione potest dici per se habere conformitatem respectu proprii Intellectus, potius quam aliorum; quia per se et essentialiter postulat ut seipsum actu intelligat, sitque non solum intelligibilis, sed etiam actu intellectus a seipso, et suamet Intellectio... »

II. Ibidem, n.° 35, legitur: « Ex his intelligitur.. quomodo *esse verum* conveniat omni enti reali, sive creato, sive increato; quia omne ens de se est aptum conformari intellectui; imo nullum est ens, quod non sit actu conforme alicui intellectui, saltem divino. Quo fit ut hæc *ratio veri* primario conveniat primo Enti, quod est Deus; quia per se et essentialiter includit cognitionem, et cum illa summam ac necessariam conformitatem habet; et quia per se, ut ita dicam, est ratio suæ Veritatis, et est origo et mensura omnis veritatis, quæ in creaturis reperitur. »

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN LESSIO.

Pauca transcribemus ex præclaro ejus opere de Perfectionibus moribusque divinis.

§ 1.

Omnis perfectio in Deo continetur ut in prima et universali Causa efficiente, exemplari ac finali.

« Ut melius intelligatur quomodo Deus omnia eminenter contineat, et omnia in ipso existant et præexistant, explicandum est, quænam ad eminentem complexionem seu continentiam requirantur. »

970. — I. « In rebus creatis, ut aliud in alio eminenter contineri dicatur, duo requiri videntur: *Primum* est, ut id quod continet sit præstantioris naturæ, quam id quod continetur. Si enim non est præstantius, non est ratio cur illud dicatur esse in eo eminentiori modo, quam in seipso. Unde plantæ et animalia non dicuntur esse eminenter in semine, nec in causa sua univoca. »

« *Alterum* est, ut illud quod minus præstans est, aliquo modo in illo præstantiori reperiatur. Hoc autem fit potissimum quatuor modis: *Primo*, si res per seipsam sit in alia tanquam in sua causa. Esse enim productivum alterius, signum est, in eo id quod produci potest, contineri. Sic qualitates et accidentariæ perfectiones continentur in substantiis eminenter, ex quibus promanant, et res inferiores in virtute cœlorum, tanquam in causa universali, radii in sole, folia in arbore. »

« Hic modus eo est perfectior, quo causa perfectius est productiva illius rei. Unde cum Deus res omnes producere queat perfectissimo modo, nempe ut Causa integra et independens ab alterius ope, et solo Voluntatis suæ nutu; idque secundum naturam, formam, rationes individuas, qualitates et modos omnes; consequens est, res omnes in ipso perfectissime contineri. »

« *Secundo*, si sit in alia per sui quasdam similitudines. Sic omnia inferiora dicuntur contineri eminenter in intellectu, cum ea intelli-

git, quia sunt in ipso per suas notiones, quæ sunt expressæ species et imagines rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipsum intelligibile. Hoc modo Philosophi dicunt intellectum fieri omnia, et omnia in ipso existere. Ratione hujus continentiæ, intellectus est causa exemplaris rerum ab ipso foris productarum. »

« *Tertio*, secundum vim agendi, vel extendendi se ad objecta, ut cum quidquid potest causa inferior, potest causa superior nobiliori modo. Hoc modo, sensus externi continentur in interno eminenter, et sensus internus in intellectu. Nam intellectus percipit omnia quæ sensus interior, et nobiliori modo; et sensus interior quidquid sensus externi. Simili modo, anima vegetativa plantarum continetur in sensitiva animalium, et hæc in intellectiva, et prudentiæ instinctus animalium in prudentia humana. »

« *Quarto*, secundum ordinem et æstimationem, seu secundum rationem boni et appetibilis. Sic media sunt eminenter in causa finali, quia solum propter finem æstimantur, et ad illum ordinantur, et tota illorum honitas ex fine pendent. »

971. — II. « HI QUATUOR MODI PERFECTISSIME LOCUM HABENT IN DEO. Omnia enim in ipso sunt perfectissime et eminentissime, tanquam in *Causa efficiente*, ut dictum est; et tanquam in *Causa exemplari*, ratione idearum, quæ sunt vivæ notiones et similitudines rerum, per quas et secundum quas ipse omnia produxit, ut ait Dionysius De Div. Nomin., cap. 5; et tanquam in *Causa finali;* omnia enim, sicut natura sua sunt ab ipso, ita etiam sunt propter ipsum. Unde omnia nobis ad ipsum referenda; alioquin parum boni ex rebus ipsis percipiemus. Denique tanquam causæ particulares *universali*. »

« Hos modos insinuat Dionysius, libro De Div. Nomin., cap. 16... *In ipso*, inquit, *est omne Principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare; et simpliciter omne Principium, omnis connexio, omnis terminus.* Ubi quinque principiorum genera in Deo contineri ostendit, ita ut ipse sit Principium omnis principii, et Causa omnium causarum; nec tantum res ipsas in Deo eminenter contineri, sed etiam omnia rerum principia, et omnes causas. Unde passim vocat Deum ὕπάρχιον Ἀρχιον, Principium omni principio snperius et eminentius. »

« Idem significat Apostolus, cum ait: *Ex ipso, per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia* (Rom. 11). Sic enim citat ibidem Dionysius. *Ex ipsum* designat primam et originalem Causam efficientem: *per ipsum*, exemplarem; *ad ipsum*, finalem; *in ipso*, Causam sustentantem omnia, veluti quidam fundus et fundamentum omnium, cui omnia innixa recumbunt. » (De Perf. div., lib. 1, cap. 4).

972. — III. « UNDE PATET DEUM DICI PERFECTUM, quia est Auctor omnis perfectionis naturalis et supernaturalis in rebus omnibus, a summis et ipsi vicinissimis, usque ad extremas; a prima substantia separata *(a materia)* usque ad infimam materiam; et ipsius radium pertingere ad omnia, idque non semel tantum, sed assidue et indesinenter. »

« Neque solum quia est Auctor, ut *Causa efficiens*, sed etiam quia est *Exemplar et Mensura* omnis perfectionis. In rebus enim creatis dicitur aliquid perfectum in natura, quia est commensum suo exemplari, secundum quod est conditum in tali specie. Sicut in artefactis id est perfectum, quod exacte respondet conceptui et regulis artis. Unde exemplar est per se et in se originaliter perfectum absque respectu ad aliud, tanquam prima perfectionis regula. Itaque ipse *Perfectus* dicitur, et tanquam *Fons* ex quo omnis perfectio naturæ in omnia quæ sunt manat; et tanquam *Mensura*, ex cujus commensione ipsa perfectionis ratio pendet. »

« Hinc fit ut omnia Dei opera sint summe perfecta, singula in sua specie. Cum enim Deus sit in se supreme perfectus in toto genere entis, ita ut nihil illi accedere possit, fecit omnem creaturam in sua specie supreme perfectam, ut nulla ei intra illam speciem possit fieri additio; sicque perfectio summa creaturæ in certa specie est signum summæ Perfectionis divinæ in toto genere entis. » (Ibid., lib. 7, cap. 2).

§ II.

Laudatur divina Sapientia, quæ est prima omnium Ratio in omni ordine.

973. « Illumina oculos meos, Lux primæva; dissipa tenebras animæ meæ, Sol æterne; emitte Lucem tuam et Veritatem tuam, ut me deducant et adducant in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua (Psal. 42). Tu enim omnis lucis et intelligentiæ origo, omnis mentis et sensus Auctor. Sine tua irradiatione omnia in tenebris et nocte ignorantiæ sepulta jacent; omnes artes et scientiæ, tenues sunt adumbrationes tui; tota sapientia angelorum, scintilla quædam exigua infinitæ Lucis tuæ. »

« Tu Fons omnis pulchri et amabilis, omnis formæ et speciei, omnis ordinis et proportionis, omnis congruentiæ et concordiæ, omnis sympathiæ et antipathiæ. Tu omnibus in rebus na-

turam et speciem finxisti, et in omnium rerum partibus consensum et analogiam, numerum et ordinem, mensuram et modum statuisti. Tu primævum signaculum omnium, omnia penetrans puritate et subtilitate tua, intrinsecus formans pariter et disponens omnia in omnibus. »

« Et quamvis attingas a fine ad finem, a summis ad extrema, teque in omnia inseras, non tamen permisceris alicui, nec ullius attactu inquinaris, sed in tuo nitore et sinceritate perstas. Infiniti sunt processus tui, quibus ad creaturas tuas vel formandas, vel illuminandas descendis, et super eas effunderis, et tamen in tua immutabili identitate, supra omnia creata, firmiter fixa perseveras. Innumerabilia nobis per servos tuos locuta es, et innumeris te modis et formis patefecisti mentibus hominum, et tamen uno simplicissimoque conceptu perficis omnia. »

« Omnium es Auctor et Artifex, omnium Exemplar, Mensura et Finis. Nec solum eorum quæ sunt, et jam exterius speciem a te sibi impressam acceperunt, sive invisibilia ea sint, sive visibilia, Fictor es; sed etiam quæ non sunt, et tua omnipotentia fieri possunt, quæ infinities plura sunt. Omnia enim hæc excogitasti, et apud te formasti ante sæcula, et retines in conspectu tuo, quamvis ea nunquam foris extra te condere decreveris; sicut magnus quispiam architectus multas palatiorum formas excogitat, menteque retinet, quibus apud se gaudet et triumphat; quamvis ea nunquam extruere foris statuerit... »

« In divina Essentia sunt omnia, tanquam in primordiali rerum fundo et fundamento; in potentia, ut in Causa effectrice ex nihilo; in Sapientia formaliter et objective, et velut in Causa exemplari. Sapientia primo in Essentiam conversa, eam omnino comprehendit, se illi exæquans, et prorsus commetiens. Ex vi hujus comprehensionis sequitur immediate omnium possibilium conceptio, seu effictio; ex hac, omnium operum et effectuum, quæ a creatura tam possibili quam existente fieri possunt, distincta notitia; hinc omnium eorum, quæ quavis hypothesi futura essent, clara intuitio; denique omnium reipsa vel præsentium, vel præteritorum, vel futurorum æterna visio. Hoc modo et ordine, Sapientia tua in quinque velut sphæras objectorum et intelligibilium procedit; et quidquid attingit reliquorum, ex vi comprehensionis Essentiæ attingit, quæ omnium possibilium Ratio prima est et fundamentum. Itaque in te non solum universitas sapientiæ et intelligentiæ, sed etiam universitas objectorum et intelligibilium. »

« Tibi gloria, plenitudo Lucis, plenitudo Veritatis; tibi gloria ab omni creatura, et supra omnem creaturam apud teipsam, ubi clara et consummata Excellentiæ divinæ notitia. Splendet quidem Excellentia tua in mentibus angelorum et sanctorum, estque hic splendor gloria quædam tua; verum infinite clarius splendet in Sapientia tua, sicut infinita Lux clarius lucet quam scintilla modica. Ibi ergo Sapientia laudet animam suam, ibi glorificet se; et omnis creatura congaudeat et congratuletur illi; laudet, benedicat et glorificet illam. Non eges gloria et laude nostra; infinitæ claritati per scintillam nulla fit accessio; sed hæc prosunt nobis. Nosse enim et laudare te, summum bonum nostrum, et vita æterna est. » (Lib. 6, cap. 6).

§ III.

Deus est suprema Veritas, omnis veritatis Fons et omnium rerum Exemplar.

974. — I. « Quocumque modo veritas consideretur, Deus est summa et prima Veritas. Est enim prima Veritas *objectiva et fundamentalis*, quia est sua Essentia, quæ est primum et summum Objectum intelligibile inter omnia intelligibilia, et prima supremaque Mensura omnium mensurabilium; et in ipsa omne intelligibile, et omne mensurabile, eminentissime tanquam in abysso omnis veritatis, et prima Ratione determinatrice et modificatrice omnium, continetur. »

« Est prima et summa Veritas *formalis*, quia est sua Sapientia, omnem sapientiam infinite superans; imo est ipsa universitas et plenitudo sapientiæ, in qua omnis sapientia, omnisque veritatis notio eminentissime est collecta, quæque omnem veritatem objectivam perfectissime et distinctissime attingit et penetrat. Oritur hæc Veritas formalis in Deo, nostro modo concipiendi, a veritate objectiva Essentiæ, quia hæc est mensura divinæ Sapientiæ; et veritas Sapientiæ consistit in conformitate et adæquatione cum Essentia, et consequenter cum omnibus quæ in illa eminenter continentur. »

II. « A veritate divinæ Sapientiæ descendit omnis veritas in creaturas, idque dupliciter: *Primo*, per creationem, quia per Sapientiam conditæ sunt et formatæ, et in conformitate cum illa Sapientia et Arte divina, consistit earum veritas. A rebus transit ulterius veritas in nostram cognitionem, quia veritas rerum est veritatis nostræ cognitionis mensura et origo. A nostra cognitione transit in nostros affectus et mores, quatenus hi judicio prudentiæ et notitiæ divinæ legis conformantur. Denique in nostros sermones et scripta, quatenus sermones sunt signa conceptuum animi; et scripta, sermonum.

In his ergo cernitur solum veluti extremum veritatis ἀπήχημα (resonantia), et resultans quoddam umbratile vestigium. — *Secundo*, descendit veritas a Deo in creaturas per revelationem et illustrationem divinam; hæc enim veritas non est hausta ex objectis, sed directe per infusionem luminis communicata. Hoc modo veritas fidei et visionis beatæ in nos derivatur. »

III. « In rebus, quæ non sunt actu, non est proprie veritas, sed potest esse. Ante mundum conditum, homo non erat in se verus homo, nec vera substantia, aut verum ens; sed solum poterat hæc esse; id est, illi conceptui objectivo, qui apprehenditur formali notione hominis, non repugnabat esse verum hominem, veram substantiam, verum ens. Idem dicendum de omnibus aliis rebus creatis. Hæc enim omnia nihil erant, nisi conceptus objectivi, seu rationes conceptibiles, non habentes ullum esse actu, nisi in Intellectu divino, et per notiones ipsius æternas, quibus apprehendebantur et formabantur; totumque esse illorum nihil aliud erat, quam intelligi, intellectu fingi et formari. »

« Duplici tamen ratione dicebantur posse esse, seu esse res possibiles. *Primo*, quasi intrinsece, seu a potentia intrinseca, quæ nihil aliud est quam non repugnantia, per quam, etsi nihil sint, et nihil entitatis habeant: esse tamen, et veram entitatem ac speciem habere, ipsis non repugnat. *Secundo*, per denominationem extrinsecam a Potentia et Sapientia divina, per quam possunt in esse et speciem produci. »

« Itaque sicut in istis non est entitas actualis, sed solum possibilis; ita nec est veritas actualis, sed possibilis. Sed et hæc tota, quantula est, pendet a Veritate divina. Quod enim conceptus objectivi rerum, seu res quæ dicuntur possibiles, possint esse vere res, et habere veram entitatem et speciem, provenit ex eo, quod Essentia divina illis modis sit imitabilis, et divina Potentia per suam Sapientiam qua eas concipit, possit eas sic facere et formare. » (Ibid.).

Verissimum est Deum res omnes *tanquam possibiles* ab æterno cognoscere in sua Essentia ab ipso intellecta ut *imitabili* variis modis perfectione finitis et numero infinitis, sed nihilominus res *tanquam futuras* seu realiter efficiendas non cognoscit nisi in liberis suæ voluntatis decretis, quibus statuit Essentiam suam fore realiter *imitandam* in certa mensura, in certo individuorum numero et in certo ordine a seipso volitis, electis, amatis, prædeterminatis. Nullum ens potest realiter in se, seu extra divinum Intellectum esse vel concipi, nisi supposita Dei Voluntate, quæ Intellectui conjuncta, res omnes intendit ab æterno atque efficit in tempore, adjecto divini Verbi imperio, seu Fiat!

§ IV.

De rerum creatarum veritate et bonitate.

Lessius rerum veritatem et bonitatem considerat 1°) in seipsis; 2°) in sua ordinatione ad divinam Causam.

I.

De veritatis et bonitatis natura.

975. — « *Veritas generatim* nihil videtur esse aliud, quam conformitas rei cujusque cum sua mensura et regula, per quam sic est formata, vel concepta. Ideo enim hoc est verum aurum, verum argentum, vera aqua, quia secundum suam speciem est conforme et congruens suæ mensuræ infallibili, per quam sic est formatum. Hæc autem mensura est conceptio divina, quam *ideam* vocamus. Concepit Deus intra se naturam auri, et vi hujus conceptionis, fecit illud extra se, ipsi conceptioni tanquam regulæ suæ conforme, ac tale plane quale concepit. Illa congruentia et conformitas auri cum sui conceptione effectrice, est ejus veritas, nec Deus aliunde de ejus veritate judicat. Si aliter se haberet, quam conceptio et notio auri in Deo requirit, non esset verum aurum, sed falsum et assimilatum. Idem dicendum de omnibus aliis rebus a Deo formatis. Conceptio enim divina, qua singula secundum suas species ab æterno excogitata, et in Mente divina veluti efficta sunt, est omnium mensura, omnium regula, et veluti primævum sigillum omnibus impressum, cui omnia sunt conformia, per quam conformitatem singula secundum suas species vera sunt et dicuntur. »

« Hoc modo, *veritas* est proprietas entis creati sicut et *bonitas*, cujus ratio consistit in eo, quod omnia secundum suam speciem sint congruentia ad finem, ad quem a Deo sunt instituta, qui potissimum est declarare Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, et cæteras perfectiones sui Conditoris. Sicut enim omnis res dicitur *vera* ex conformitate ad suam causam exemplarem, ita dicitur *bona* ex congruentia ad suam causam finalem. Nec refert quod nomen *veri* et *boni*, ex hac consideratione, rebus forte non sint ab initio imposita, et alia etiam ratione res veræ et bonæ dici possint; nos enim de primaria veritate et bonitate rerum loquimur. »

« Considerandum etiam est, *univocam in singulis rebus esse veritatem*, sicuti est una species, et unicum exemplar cujusque, cui res quælibet conformatur. Est tamen *multiplex in rebus bonitas*, quia res quælibet deservit ad

multos fines inter se subordinatos, qui tamen omnes ad unum finem ultimum, nimirum gloriam Dei, reducuntur. Præcipua tamen bonitas rerum, a qua potissimum bonæ dicuntur, est ex ordine et congruentia ad finem ultimum. Quo enim quælibet res magis valet ad perfectiones divinas declarandas, eo est præstantior, et entitative melior. » (Lib. 6, cap. 4).

II.

De trina unitatis, veritatis ac bonitatis rerum ordinatione ad divinam Causam efficientem, exemplarem et finalem.

976. — « Ex his aliter colligimus cur tantum sint duæ proprietates entis positivæ, *verum* et *bonum*. Dico *positivæ*, quia *unitas* supra rationem entis nihil dicit, nisi divisionis negationem. *Unum* enim est res in se indivisa, ab aliis omnibus divisa. »

« Ratio igitur cur duæ tantum sint, est, quia tres tantum sunt habitudines rebus omnibus communes ad Causam universalem omnium. Prima est, tanquam ad Causam primam *effectricem*, a qua omnia accipiunt esse, ratione cujus dicuntur entia (et una in se); hæc habitudo est prima et fundamentalis. Secunda, tanquam ad Causam *exemplarem*, secundum quam effectæ sunt; hæc habitudo dicitur veritas. Tertia, ut ad *finem* ultimum, quæ dicitur bonitas. »

« Non poterant autem hæ proprietates aliter in rebus poni, quam ex ordine ad istam Causam, quæ est Deus; tam quia nulla est alia, a qua omnia dependentiam habeant, tum quia omnis habitudo ad alia, verbi gratia ad intellectum et voluntatem creatam, est posterior ratione veri et boni. Non enim ideo res sunt veræ, quia intelligibiles; nec ideo bonæ, quia amabiles; sed contra hæ denominationes veritatem et bonitatem rerum consequuntur, tanquam posteriores. »

« Secundum hanc considerationem, opera bona in sacris Litteris dicuntur *veritas*, seu vera; abstractum enim pro concreto accipitur idiotismo hebraico; et qui bene operatur, dicitur *facere veritatem*, quia sunt conformia suæ regulæ, nimirum Legi æternæ. E contrario, opera mala vocantur *mendacium*, et qui ea facit, dicitur *facere et operari mendacium;* qui commendat et suadet, *loqui mendacium*, quia dissident a regula operationis et vitæ humanæ. »

« Adverte tamen, ea quæ diximus, intelligenda esse de veritate et bonitate, ut sunt proprietates entis creati; nam longe eminentiori ratione hæ denominationes Deo conveniunt. Ipsius enim Veritas non consistit in conformitate naturæ ipsius cum suo exemplari; nullum enim est tale exemplar; sed in eo quod ejus natura sit talis, quæ debeat esse omnium Exemplar et Mensura. Et ipsius Bonitas non est sita in convenientia et ordine ad aliquem finem, sed in eo quod Ipse sit tantæ Excellentiæ, ut debeat esse omnium Finis. » (Ibid.).

§ V.

De divino Amore omnia circulariter movente.

Divinus Amor est Causa efficiens omnium rerum, quas circulariter movet a summo Bono, circa seu juxta Bonum, et ad Bonum, atque sic eas perficit.

977. — « Ex Amore divino omne bonum creatum profluxit, et vi ejusdem omnia in Deum reducuntur. Sicuti enim Amor ex Bonitate divina procedens, descendit et exundat ad creaturas; ita rursus easdem ad divinam Bonitatem convertit, ut ibi æternum quiescant unde profluxerunt, ut pulchre docet Dionysius de Div. Nominib., cap. 4, init., ubi dicit, *Amorem divinum esse vim motricem et sursum trahentem in Deum, qui solus est ipsum per se Pulchrum et Bonum.* Item *esse manifestationem Dei per seipsum, et benignum processum eximiæ illius unionis, et amatoriam notionem simplicem, per se mobilem, per se innatam, præexistentem in Bono, et ex Bono in ea quæ sunt, exuberántem, et rursum in Bonum revertentem.* Quæ verba nobis breviter exponenda. »

I. « Dicit esse *vim motricem*, tum quia Deum movet ut descendat ad creaturas, eisque sua bona communicet; tum quia ipsas res creatas sursum trahit in Deum. Unde Amor dicitur ἐκστάτικος, id est *efficiens exstasim*, quia amantem transfert a seipso in amatum, nempe Deum in creaturam, et creaturam in Deum. Verum, etsi Deum moveat ad creaturas, non tamen ipsum sinit in creatis rebus quiescere; sed ab illis retrahit eum una cum creatis in seipsum; nam totum bonum, quod confert rebus creatis, statim reflectit et refert ad seipsum, qui est ipsum per se Bonum et Pulchrum, quod omnia ad se allicit, et potentissime trahit. »

II. « Dicit esse ἔκφανσιν, seu *manifestationem Dei per seipsum;* quia, cum Deus Lucem habitet inaccessibilem, ita ut nullæ creaturæ per se possit esse manifestus, per Amorem egreditur extra se, et sic manifestatur creaturis. Amor enim movet Deum ad quinque modos egressus. »

1°) « Ad egressum *per creationem*, qua non solum rebus creatis illustre vestigium suæ Po-

tentiæ, Sapientiæ et Bonitatis imprimit; sed etiam naturæ rationali, angelicæ et humanæ, vultus sui imaginem inserit. Absque hoc egressu, maneret prorsus ignotus creaturis, quia sine illo nulla creatura potest existere. »

2°) « Movet ad egressum *per gubernationem*, qua omnia conservat, movet, perficit, et ad suos fines dirigit. Ex mundi gubernatione ejus præsentia clare cognoscitur. »

3°) « Ad egressum *per mysterium Incarnationis*, qua Deus factus est verus homo, et corporata est invisibilis Divinitas. Hic egressus fuit maxime admirabilis, et maxime ipsius Potentiam, Sapientiam, Sanctitatem, Misericordiam, Justitiam nobis patefacit. »

4°) « Ad egressum per doctrinam, illuminationem et justificationem, juxta illum: *Exiit qui seminat seminare semen suum.* » (Luc. 8, v. 5).

5°) « Ad egressum per infusionem seu communicationem luminis gloriæ, et renovationem totius universi, seu per *glorificationem*, qua se aperte manifestabit omnibus Sanctis, et omnia ad se convertet. »

« Ex his patet quomodo Amor sit manifestatio Divinitatis. Porro, cum Amor Dei, quo seipsum et creaturas amat, sit Deus: quando Amor Deum manifestat, Deus seipsum per seipsum manifestat. *Seipsum*, ut summum Bonum et Pulchrum; *per seipsum*, ut per summi Boni et Pulchri amorem. Hæc mens Dionysii. »

III. « Dicit esse *processum benignum eximiæ illius unionis;* quia Amor Dei erga creaturas est processus quidam, et veluti germen Amoris Dei, quo amat seipsum; sicut amor mediorum est quædam extensio, et veluti surculus amoris finis; et cognitio effectuum est quidem processus cognitionis principiorum. *Eximiam illam unionem* intelligit Amorem illum quo Deus seipsum ut summum Bonum et Pulchrum amat. Hic enim est unio quædam vitalis Dei ad seipsum. »

IV. « Dicit Amorem Dei esse *motionem amatoriam;* quia amor est quædam motio vitalis, per seipsam faciens amare, et amantem transire a seipso in dilectum. — *Simplicem;* quia Amor Dei in se unicus et simplicissimus est, etsi infinita sint ea ad quæ procedit. — *Per se mobilem;* quia amor, proposito bono et pulchro, per se excitatur. — *Per se innatam,* ἀυτενέργητον; quia Amor divinus non est ab alio productus in Deo, aut aliunde excitatus, sed ex ipsa Dei Benignitate sponte exortus. *Præexistit hæc motio in Bono*, etc., quia ante omnem creaturam, hic Amor est in Deo; et prius, nostro modo concipiendi, est in divina Essentia, veluti in Causa objectiva, quam sit in Deo seu divina Voluntate formaliter; præsertim cum amor creaturarum sit libere susceptus. — *Ex Bono, in ea quæ sunt*, exundat, et rursus in Bonum revertitur. »

V. « Unde idem Dionysius comparat amorem circulo et motui circulari, qui principio et fine caret, sic inquiens...: *Qua in re, et fine et principio se carere divinus Amor excellenter ostenditur, tanquam sempiternus circulus, propter Bonum, ex Bono, in Bono et ad Bonum inclinabili conversione circumiens, in eodem, et secundum idem, et procedens semper, et manens, et remeans.* Amor enim Dei, ex abundantia divinæ Bonitatis prodiens, se ad creaturas, maxime ad angelos et homines profert, easque imagine quadam sui eis impressa, rursus ad divinam Bonitatem convertit. Et hic circulus est perpetuus, nec unquam aberrare potest; quia Amor Dei assidue in creaturas tendit, easque in Deum convertit, ut ipsa conservatio et gubernatio rerum maxime indicat, nec ab ullo potest impediri. Fit autem hic circuitus Amoris propter Bonum, ex Bono, in Bono et ad Bonum; quia Amor divinus oritur ex divina Bonitate, et immediate in divinam Bonitatem tendit, et propter illam descendit in creaturas, ita tamen ut semper in Deo maneat. Demittit se ad illas, non ut ubi sistat, sed ut eas in fontem Boni, unde exortæ sunt, reducat. Semper ergo procedit a Deo in creata, et semper manet in Deo, et semper in Deum remeat, idque secundum idem sui, et propter idem. » (Lib. 9, cap. 2).

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN BELLARMINO.

978. — Prænotanda circa Bellarmini opusculum *De Ascensione mentis ad Deum.*

Quædam excerpemus ex aureo isto opusculo quod Bellarminus in sua senectute composuit, ac ipse magni æstimabat, sicut patet in præfatione ad Cardinalem Aldobrandinum, ubi legitur: « Libri non ex multitudine foliorum, sed « ex fructibus atque utilitate pensantur. De hoc « vero libello quid alii judicabunt ignoro; mihi « certe præter cætera mea opuscula, non pa« rum utilem fuisse comperi. Itaque reliquos « libros meos nisi necessitate cogente non lego; « hunc sponte terque quaterque jam legi, et « deinceps frequenter in ejus lectione versari « mihi propositum est; nisi forte cariorem illum « mihi faciat non meritum ejus, sed amor, quod « illum, ut alterum Benjaminum, in extrema « senectute genuerim. »

In hoc Opere, auctor sequitur *methodum analyticam*, seu ascendentem ab omnibus effectibus creatis ad supremam ac trinam omnium Causam efficientem, exemplarem et finalem. Nos autem in citando Bellarmino, sequemur, sicut in toto Opere nostro, *methodum syntheticam*, descendendo a prima Causa universali ad omnes ejus effectus.

Dicemus igitur quid doceat eruditus ac pius auctor 1°) de suprema et trina omnium Causa, omnes suos effectus tripliciter disponente, seu ordinante; 2°) de pulchritudine majoris mundi, juxta divinam Pulchritudinem exemplati; 3°) de pulchritudine angelorum, qui sunt pulchriores Dei imagines; 4°) de pulchritudine animæ nostræ, quæ est imago Dei.

§ I.

De suprema et trina omnium Causa tripliciter disponente seu ordinante omnes suos effectus.

Loquitur Bellarminus 1°) de altissima et trina Causa divina; 2°) de trinitate, juxta quam omne effectus suos in æterna intentione sua ordinat.

I.

Simplicissima Dei Natura, seu Forma, est altissima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis.

979. — 1°) « Sequitur consideranda *sublimitas* Dei, secundum quam dicitur Deo: *Tu solus Altissimus* (Psal. 82). Est autem solus Deus altissimus nobilitate Naturæ; res enim tanto sunt nobiliores et altiores, quanto sunt puriores, et a materia magis abstractæ. »

« Id cernimus primum *in rebus corporalibus:* aqua enim est altior quam terra, quia purior; et eadem ratione, aer altior est quam aqua, et ignis quam aer, et cœlum quam ignis. »

« Deinde idem videmus *in rebus spiritualibus:* altior enim est intellectus quam sensus, quia sensus habet organum corporale, quo non indiget intellectus; et intellectus angelicus altior est quam humanus, quoniam iste eget ministerio imaginationis et phantasmatum, quo ille non indiget; et inter angelos, illi sunt altiores, qui per species pauciores intelligunt plura. »

« *Deus* igitur, qui solus est purus Actus, et nulla re indiget extra se, neque organo, neque imaginatione, neque specie; ac ne præsentiâ quidem objecti alicujus extra se; sed ipsa sua Essentia illi est omnia, et nihil potest habere, quod non semper habeat actu, et ipsum habere actu, est esse semper Actum purum et simplicem. Ideo Natura ejus altissima et sublimissima est, neque potest ullo modo habere parem. Propterea ille qui dixit: *Similis ero Altissimo,* repente deturbatus e cœlo, descendit in profundissimam gehennam, ut Isaias describit. Et Christus Dominus de eodem: *Videbam,* inquit, *satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (Luc. 10). » (Grad. 10, cap. 5).

2°) « Est etiam alio modo Deus Altissimus, quia est prima et altissima Causa omnium rerum, efficiens, exemplaris et finalis. »

« Est altissima Causa *efficiens,* quia nulla res est creata quoquo modo vim habens efficiendi, quæ vim illam non habeat a Deo; Deus autem a nullo habet. Rursus nulla causa est, quæ vim suam exercere possit, nisi moveatur a Deo; Deus autem a nullo movetur. Denique causæ cæteræ altiores in rebus creatis, dicuntur illæ, quæ sunt universales, a quibus particulares dependent, ut cœli et angeli, qui cœlos movent; Deus autem et cœlos et angelos fecit; ipse igitur est prima et altissima Causa efficiens. »

« Est item prima Causa *exemplaris,* quoniam res omnes Deus fecit secundum formas, sive ideas, quas in se habet. »

« Est denique prima Causa *finalis,* quia propter se, id est ad patefaciendam gloriam suam, omnia creavit, ut dicit Sapiens in Proverbiis, 16. » (Ibidem).

II.

Practica Dei Sapientia omnia tripliciter disposuit in mensura, numero et pondere.

980. — « Nunc Sapientia Dei practica consideranda est, quam etiam effectricem dicere possumus. Habet hæc Sapientia suam latitudinem, longitudinem, altitudinem et profunditatem. *Latitudo* ex Creatione cognoscitur, *longitudo* ex conservatione rerum creatarum, *altitudo* ex opere Redemptionis, *profunditas* ex Providentia et Prædestinatione. »

1°) « Ac, ut a Creatione incipiamus, Deus omnia in Sapientia fecit, ut dicitur in Psalmis (Psal. 103), et effudit illam super omnia opera sua, ut scribit Ecclesiasticus 1. Itaque, sicut ex Creatione rerum omnium ex nihilo, cognoscimus Potentiam Opificis, sic ex artificio admirabili, quod in singulis cernimus, admiramur Sapientiam Conditoris. Disposuit enim omnia et singula in *mensura,* et *numero* et *pondere,* ut dicit Sapiens (Sap. 11). Atque hic est sapor, quo condivit omnia Deus, ut ex eo sapore cognoscamus, quam sapida sit ipsa Sapientia, et quam amabilis et desiderabilis. »

« Res igitur omnes creatæ certam habent mensuram, certum numerum, et certum pondus; tum ut distinguantur a Deo, qui non habet mensuram, nec numerum, quia est summe unus, et simplex, quoad Essentiam; nec pondus, quoniam ejus æstimatio et pretium superat omnem æstimationem et pretium; tum ut bonæ et pulchræ sint, ac verissime dixerit Moyses: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* (Genes. 3). »

2°) « Habent igitur cunctæ res eam *mensuram*, quæ necessaria est ad finem consequendum cujus gratia factæ sunt; nec potest illi mensuræ aliquid addi vel detrahi, quin res deformis vel inutilis, ac per hoc minus bona reddatur. *Cuncta fecit* Deus *bona in tempore suo*, ait Ecclesiastes, 3, *nec possumus eis quidquam addere, vel detrahere quæ fecit Deus, ut timeatur.* »

« Igitur cœlo dedit Deus mensuram amplissimam, quoniam omnia inferiora ambitu suo complecti debet; aeri multo minorem quam cœlo, sed majorem quam terræ et aquis, quæ unum globum efficiunt, et ab aere undique continentur. Elephanto mensuram corporis maximam attribuit, ut onera maxima, et ipsas turres hominibus refertas, portaret. Equum paulo minorem, quod ad unum solum equitem gerendum factus esset. Aviculas minutas fecit, ut in ramis arborum nidum suspendere possent. Apes et formicas, minutissimas, ut in foraminibus vel alvearium vel terræ delitescerent. »

3°) « Hoc idem de *numero* dicere possumus. Unum creavit Deus solem; quoniam ad illustrandum omnem terram, et diem suo splendore faciendum, sol unus satis erat. Lunam quoque fecit unam, quoniam ad noctem illuminandam una sufficiebat. Stellas plurimas esse voluit, ut cum sol et luna abessent, quod in conjunctione solis et lunæ contingit, tenebras noctis undique discuterent. »

« Nec solum rebus omnibus in communi, numerum necessarium assignavit, sed etiam rebus singulis numerum partium ita constituit, ut nihil addi vel minui possit. Attribuit Deus homini duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, nasum unum, os unum, pectus unum, caput unum, et res pulcherrima et ordinatissima apparuit. Inverte ordinem: pone alicui homini unum oculum, duos nasos; unam auriculam, duo ora; unam manum et unum pedem, duo pectora et duo capita; nihil fœdius, nihil inutilius fieri poterit. »

4°) « Denique *pondus*, id est æstimationem, unicuique rei Deus attribuit, quam ejus natura requirebat. Porro nomine ponderis sive pretii, qualitates intelligimus, quæ bonas res et pretiosas reddunt. Hæc enim tria res omnes perficiunt: numerus partium, qui necessarius est, ut nulla omnino desit; commensuratio, sive apta proportio partium; denique qualitates internæ, sive externæ, ut suavitas coloris in externa superficie corporis, et virtus interna, quæ ad actiones varias utilis vel necessaria est. »

« Sed est omnino admirandum, quantam vim Deus rebus quibusdam exiguis ac parvissimis attribuerit, ut videatur Potentiam suam in rebus magnis, Sapientiam in parvis ostendere voluisse. Quis capiat quanta virtus insit in grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus, ut vix oculis discerni possit, et tamen in eo latet arbor magna, ut etiam aves habitent in ramis ejus, ut Veritas in Evangelio loquitur... »

« Magnus igitur Dominus, et magna Sapientia ejus, ut in maximis, sic etiam in minimis. Admiratus est aliquando princeps ille medicorum, quamvis ethnicus, artificium Dei, quod in manu humana cernitur, et exclamavit in laudem Conditoris: Quid te, Christiane, facere oporteret, qui non solum hominum et cæterorum animantium corpora, sed etiam cœlum, et stellas, et angelos, et mentes hominum immortales, incredibili Sapientia ab eodem sapientissimo Conditore creata fuisse non dubitas? » (Grad. 13, cap. 1).

§ II.

De pulchritudine majoris mundi juxta Dei Pulchritudinem exemplati.

In mundi spectaculo considerare oportet: 1°) spectatorem, seu hominem; 2°) pulchritudinem mundi exemplatam, per quam mente elevamur ad contemplandam 3°) Pulchritudinem Dei exemplarem.

I.

Homo est minor mundus, in majori mundo a Deo positus ad eum admirandum.

981. — « Scribit S. Gregorius Nazianzenus in secunda oratione de Pascha, Deum constituisse hominem quasi mundum magnum in parvo; quod est verum, si a mundo segregemus angelos. Est enim homo major toto mundo corporato, non mole sed virtute. Sed si in mundo comprehendantur angeli, ut nos hoc loco comprehendimus, parvus mundus est homo in mundo majore constitutus. »

« In hoc igitur magno mundo, qui rerum universitatem complectitur, multa sunt plane admirabilia; sed hæc potissimum magnitudo, multitudo, varietas, efficacitas et venustas. Quæ omnia, si Deo illuminante, attentissime cogi-

tentur, non parvam vim habent ad animam sic elevandam, ut in admiratione immensæ cujusdam magnitudinis, et multitudinis, et varietatis, et efficacitatis, et pulchritudinis quasi deficiat; et ad se reversa, quidquid extra Deum videt, quasi nihilum et inane despiciat...»(Gradus 2, cap. 1).

II.

De pulchritudine mundi juxta Deum exemplati.

982. — « Restat ut *pulchritudinem* rerum creatarum inspiciamus, de qua dixit propheta: *Delectasti me, Domine, in factura tua* (Psal.91). Et certe, quæ fecit Deus, ut bona sunt omnia, sic etiam pulchra sunt omnia, si recte considerentur. »

« Sed omissis aliis, consideremus ea, quæ omnium judicio et approbatione sunt pulchra. Certe magna est pulchritudo virentis prati, horti bene culti, amœnissimæ sylvæ, maris tranquilli, sereni aeris, fontium, fluviorum, urbium, cœli micantis, atque innumerabilibus stellis, quasi gemmis distincti. Deinde quam delectat pulchritudo arboris floribus vestitæ, vel potius onustæ? Quadrupedum variorum formæ, avium volatus, piscium lusus? Quid dicam de pulchritudine stellarum, et lunæ, ac potissimum de jubare illo solis maximo et clarissimo, quod exortu suo mundum exhilarat universum? »

« Sed homines, ad quos potissimum loquimur, nihil magis quam sua ipsorum venustas speciesque delectat. *Propter speciem mulieris multi perierunt,* inquit Ecclesiasticus 9. Vidimus sæpe, et doluimus, viros alioquin sapientissimos, feminarum venustate tanto amore captos, et contra etiam feminas graves et honoratas ad eam insaniam redactas ob virorum pulchritudinem, ut rem familiarem, et dignitatem, et filios, ac parentes, et etiam vitam ipsam, addo etiam æternam salutem, amori hominum formosorum posthabuerint. Nota sunt quæ de Davide, Salomone, Samsone in Scripturis sanctis leguuntur; plenæ sunt historiæ similium exemplorum. » (Grad. 2, cap. 5).

III.

De Pulchritudine divini Exemplaris mundi.

983. — « Ergo, anima mea, si tanta est pulchritudo in res creatas a Conditore Deo effusa, quanta putas, et quam admirabilis est Pulchritudo pulcherrimi Conditoris? Nemo enim dare potest, quod non habet. Et si solis ac stellarum specie delectati homines, luminosa illa corpora *deum putaverunt,* inquit Sapiens, *sciant quanto his Dominator eorum speciosior est: speciei enim Generator hæc omnia constituit.* » (Sap. 13).

« Quanta autem sit Pulchritudo Dei, non solum certo cognoscitur ex eo, quod omnium creaturarum pulchritudo eminentiore modo in ipso collecta reperitur; sed etiam ex eo, quod cum invisibilis sit nobis, dum ab ipso peregrinamur, et solum per fidem Scripturarum, et in speculo creaturarum utcumque cognoscatur, multi tamen Sanctorum ita exarserunt in amorem ejus, ut alii in deserta loca se abdiderint, et soli contemplationi ipsius vacare voluerint, ut Sancta Maria Magdalena, Paulus primus eremita, magnus Antonius, et alii sine numero, de quibus Theodoretus in Historia religiosa consuli potest. Alii conjuges et liberos, et quidquid in terris possidebant deserentes, in monasteriis ad aliorum nutum vivere voluerint, ut Dei amicitia fruerentur. Alii vitam ipsam cum acerbissimo dolore libenter exponere desideraverunt, ut ad visionem infinitæ illius Pulchritudinis pertingere mererentur... »

« Si ergo Pulchritudo divina, nondum visa, sed solum credita et sperata, tantum ignem desiderii excitat, quid faciet, cum remoto velo, ut est in se, conspicietur? Omnino id faciet, ut torrente voluptatis illius inebriati, neque velimus, neque possimus, vel ad punctum temporis, oculos ab ea divertere. Et quid mirum, si angeli et animæ beatæ semper videant faciem Patris, qui est in cœlo, nec visio illa tædium, vel satietatem ullam pariat, cum ipse Deus, ab æternitate Pulchritudinem suam semper aspiciens, in ea penitus acquiescat, et ex ea visione beatus, nihil aliud velit, et quasi in cellam vinariam, et in hortum omnium deliciarum ingressus, nunquam inde exierit, neque in æternum sit exiturus. »

« Hanc Pulchritudinem quære, anima mea, ad eam suspira die ac nocte; dicas cum Propheta: *Sitivit anima ad Deum fortem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (Psal. 47). Dicas cum Apostolo: *Audemus et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum...* (2. Cor. 5). » (Ibidem).

§ III.

De pulchritudine angelorum, qui sunt naturaliter perfectissimæ Dei imagines.

I.

De naturali Dei in angelis imagine, perfectiore quam in homine.

984. — « Angelus igitur, si cum anima rationali et humana comparetur, satis apte dici potest anima perfecta, quemadmodum et anima

dici potest angelus imperfectus. Sic enim de homine, ratione animæ, loquitur Propheta, cum dicit: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (Psal.8). Angelus enim est integra perfectaque substantia spiritualis; anima humana, dimidiata et imperfecta, quia est forma corporis, ac per hoc est pars hominis. Itaque angelus totus est spiritus; homo, partim spiritus, partim caro; vel partim angelus, partim bestia. Quomodo si quis diceret angelum esse totum aureum; hominem, partim aureum, partim luteum. Quare verum est, quod Propheta dicit, hominem esse paulo minoratum ab angelis; et verum etiam est, animam humanam, quia est pars hominis, esse paulo minorem angelo. »

« Ex quo sequitur, ut angelus similior Deo sit, quam homo, vel anima ejus, quia Deus spiritus est, non corpus, neque corporis forma. Nec tamen hæc major similitudo angeli ad Deum facit, ut Deus non sit spiritus infinito intervallo dignitatis elevatus super angelicam sublimitatem; est enim Deus spiritus increatus, æternus, immensus, solus potens, solus sapiens, solus bonus, solus altissimus. Quare, si confiteris, anima mea, suspiciendam merito a te esse naturam angelicam, quanto magis suspicere debes et admirari Naturam divinam, quæ supra modum et supra omnem mensuram supereminet angelicæ dignitati?... (Grad. 9, cap. 1).

II.

De supernaturali Dei imagine in angelis.

985. — « Veniamus nunc ad dignitatem angelorum secundum gratiam. Vere in hoc etiam minoratus est homo plus quam paulo minus ab angelis. Siquidem initio Deus angelos singulos ita creavit, ut simul in eis conderet naturam, et infunderet gratiam, ut S. Augustinus testatur in Libris de Civitate Dei (lib. 12, cap. 9). Deinde, mox ut prima conversione mentis in Deum, illi per charitatem adhæserunt, cadentibus reprobis, beatitudine et gloria coronati sunt. Itaque peregrinatio illorum brevissima, et mansio in patria sempiterna fuit, si tamen peregrinatio dici debet brevissima illa mora, quæ inter creationem et beatitudinem intercessit. »

« Nos autem homines, gratiam quidem cum natura in creatione accepimus, sed in parente primo, non in nobis; et ideo illo cadente, omnes cecidimus, *in quo*, ut Apostolus loquitur, *omnes peccaverunt* (Rom. 9). Quamvis autem per Mediatorem Dei et hominum, Christum Jesum, reconciliati sumus Deo, tamen exilio diuturno damnati sumus, et *dum sumus in corpore peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (2. Cor. 5). Et quod pios homines et patriam desiderantes multum contristat, illud est, quod inter hostes sævissimos interim versamur, et periculum est, ne ab illis circumventi et capti, a dulcissimæ patriæ possessione tandem excidamus. Hinc sunt illæ voces: *Heu mihi, quia incolatus mens prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea* (Psal. 119). »

« Sed quamvis in hac re minores angelis sumus, Dei tamen benignitas mirifice nos homines consolatur, tum quod ex genere nostro unum et unam, Christum et Mariam, in regno cœlorum omnibus angelis anteposuerit; tum quod non paucos ex hominibus, quamvis angelis omnibus naturæ muneribus inferiores, dono gratiæ superiores multis angelis esse voluerit, et aliquos etiam summis æquaverit. Certe S. Joannes Chrysostomus exponens epistolam ad Romanos, Apostolorum principes, Petrum et Paulum, in eo loco collocare non dubitaverit, ubi Seraphim volant, ac Deum glorificant. Quod idem de S. Joanne Baptista et aliis nonnullis, pium est credere. Adde quod angeli boni, post primum meritum ad gloriam pervenerunt; quoniam etiam angeli mali, post primum peccatum fuerunt æterno supplicio mancipati. Proinde homines queri non debent de longiore via, cum in ea possint sæpe ac sæpius lapsus suos corrigere, et per pœnitentiam ad veniam pervenire. » (Ibidem, cap. 5).

§ IV.

De pulchritudine animæ nostræ, quæ est imago Dei.

Agit Bellarminus 1°) de divina animæ nostræ origine, spirituali natura, et physica Dei imagine in ea; 2°) de pulchritudine Archetypi hujus imaginis; 3°) de assimilatione ad divinum Archetypum augenda in anima nostra.

I.

Nostra anima est corporis forma et Dei unius et trini imago secundum mentem suam.

986. — 1°) « Unusquisque enim nostrum, et creatura et imago Dei est; et nihil nobis vicinius est, quam nos ipsi. Itaque non sine causa Moyses ait: *Attende tibi.* In quæ duo verba insignem sermonem scripsit magnus Basilius. Qui enim se totum circumspexerit, et quæ intra se latent consideraverit, inveniet quasi compendium totius mundi, unde ad Effectorem re-

rum omnium non difficulter ascendet. — Sed ego in præsenti nihil aliud investigare decrevi, nisi quatuor communes causas: quis sit Auctor meus, ex qua materia me fecerit, quam formam mihi dederit, et ad quem finem me produxerit. Nam si quæram Auctorem meum, inveniam solum Deum; si quæram materiam unde me fecerit, inveniam omnino nihil; unde colligam, quidquid in me est, a Deo factum esse, et totum Dei esse; si quæram formam, inveniam me esse imaginem Dei: si finem quæram, inveniam ipsum eumdem Deum esse summum et totum Bonum meum. Itaque intelligam tantam esse mihi conjunctionem et necessitudinem cum Deo, ut ipse solus mihi sit Conditor, ipse Auctor, ipse Pater, ipse Exemplar, ipse Beatitudo, ipse Omnia... » (Grad. 1, cap. I).

2°) « Sequitur nunc ut formam consideremus, quæ est tertia causarum. Et quidem quanto materia, ex qua factus est homa, vilior est; tanto forma, quæ homini data est, pretiosior et excellentior invenitur. Omitto formam corporis exteriorem, id est figuram corporis humani, quæ suam habet eminentiam super omnium animantium figuras. Hæc enim forma non substantialis, sed accidentaria est. Forma igitur hominis substantialis, quæ facit illum esse hominem, et ab animantibus cæteris distinguit, anima est immortalis, ratione et libero arbitrio prædita, imago Dei, ad exemplar summæ Divinitatis expressa. Sic enim legimus dixisse Deum, cum hominem formare vellet: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra* (Genes. I, 26). Homo igitur imago Dei est, non ratione corporis, sed ratione spiritus; Deus enim spiritus est, non corpus. *Et ibi est imago Dei*, ait S. Basilius, *ubi est quod imperat animantibus cæteris.* Imperat autem homo bestiis, non per corporis membra, quæ valentiora sunt in multis bestiis, quam in homine; sed per mentem, ratione et libero arbitrio præditam. Præest enim homo animantibus cæteris, non per id quod habet commune cum eis, sed per id quo distinguitur ab illis, et per quod similis factus est Deo. »

3°) « Anima hominis, præter ea quæ dicta sunt, habet etiam imaginem in se, quamvis obscuram, divinissimæ Trinitatis; tum quia habet memoriam fecundam, vim intelligendi, et vim amandi; tum etiam, quoniam mens ejus intelligendo format verbum quoddam suum, et a mente et a verbo procedit amor, quia id quod cognoscitur a mente, et repræsentatur a verbo ut bonum, continuo a voluntate diligitur et desideratur. »

« Sed, tamen longe altiore et diviniore modo, Pater Deus generat Verbum Deum, et Pater et Verbum spirant Spiritum sanctum Deum, qui est Amor vivens et Fons vivus omnis amoris casti. Et ea de causa mysterium Trinitatis superat naturalem sciendi modum, nec potest sine supernaturali lumine ad ipsius notitiam, quantumvis doctus philosophus, pervenire. »

« Siquidem anima humana producit verbum et amorem, quæ non substantiæ, sed accidentia sunt. ac per hoc personæ non sunt. Deus autem Pater Verbum gignit sibi consubstantiale, et Pater ac Verbum spirant Spiritum sanctum, utrique similiter consubstantialem; unde tres personæ merito dicuntur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. — Deinde, anima hominis producit verbum, quod non diu permanet; et voluntas producit amorem, qui non diu durat; Deus autem Pater generat Verbum æternum; et Pater et Verbum spirant Spiritum sanctum æternum; neque enim Deus esse potest sine Verbo, et sine Spiritu suo. — Denique anima hominis per unum verbum rem unam repræsentat; ideo multiplicat verba, non solum mentis, sed etiam oris; et voluntas humana multos actus amoris producere debet, si multas res velit amare; Deus autem unico Verbo omnia vera dicit, et unico actu Amoris omnia bona diligit. » (Grad. 8, cap. 9).

II.

De Pulchritudine divini Exemplaris animæ.

987. — « Erige nunc, anima mea, mentem ad Exemplar tuum, et cogita, omne bonum imaginis in similitudine ad exemplar suum positum esse. Nam si forte deforme sit exemplar, quale diaboli fingi solet, tum etiam bonum imaginis est, exemplar suum deforme apte repræsentare. Itaque deformitas in exemplari deformitas erit; deformitas in imagine pulchritudo erit. Sed si exemplar quoque sit formosum, pretiosissima erit imago, si pulchritudinem exemplaris pulchritudine sua, quam maxime fieri poterit, imitetur; et si imago sensum haberet, nihil magis optaret, quam perpetuo exemplar suum aspicere, et ad illius imitationem se componere, et illi quam simillima fieri. »

« Exemplar tuum, o anima, Deus est, Pulchritudo infinita, *Lux* in qua *tenebræ non sunt ullæ* (1. Joan. 1), cujus Pulchritudinem sol et luna mirantur. Ac ut facilius Pulchritudinem tanti Exemplaris imitari, illiusque similitudinem concupiscere, et modis omnibus procurare valeas, in qua re tota perfectio tua, tota utilitas, totus honor, totum gaudium, tota quies, totum denique bonum tuum positum est; cogita Pulchritudi-

nem Dei, Exemplaris tui, in Sapientia et Sanctitate consistere. Quomodo enim pulchritudo corporis ex proportione membrorum et coloris suavitate consurgit; sic in substantia spirituali, coloris suavitas lux sapientiæ est, membrorum proportio justitia est; sed per justitiam non virtus aliqua particularis, sed illa universalis intelligitur, quæ virtutes omnes continet. Deus autem, tuum inquam Exemplar, o anima, ipsa Sapientia, ipsa Justitia est, ac per hoc ipsa Pulchritudo est. Et quoniam utrumque bonum nomine sanctitatis in Scripturis significatur, ideo apud Isaiam, angeli Deo acclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* (Is. cap. 6). Et ipse Deus ad imagines suas clamat: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester* (Levit. 11). Et in Evangelio Dominus: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est* (Matt. 5). »

III.

Anima nostra debet Deo similior fieri per virtutem et Dei gratiam.

988. — 1°) « Ergo si cupis, anima, ut vera imago Dei, Exemplari tuo quam simillima fieri, oportet te sapientiam et justitiam præ omnibus rebus amare. Sapientia vera, est judicare de rebus omnibus secundum altissimam Causam. Altissima Causa est Voluntas divina, sive Lex quæ Voluntatem Dei hominibus manifestat. Itaque si sapientiam amas, oportet te in rebus omnibus non audire quid lex carnis dictet, quid sensus judicent esse bonum, quid mundus probet, quid cognati suadeant, ac multo minus quid adulatores proponant; sed obsurdescas his omnibus, et solum attendas ad Voluntatem Domini Dei tui, atque illud utile, gloriosum, appetibile, bonum denique omni ex parte tibi esse judices, quod est conforme Voluntati ac Legi Dei. Hæc est sapientia sanctorum, de qua scripsit Sapiens: *Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa* (Sap. 7).

« Porro justitia, quæ altera pars est pulchritudinis spiritualis, omnes quidem virtutes complectitur, quæ voluntatem ornant et perficiunt; sed præcipue charitatem, quæ mater et radix est omnium virtutum, et de qua Sanctus Augustinus, in lib. de Nat. et Grat., extremo ita loquitur: *Inchoata charitas, inchoata justitia est; provecta charitas, provecta justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est;* nam *qui diligit, legem implevit,* quia *dilectio malum non operatur;* et ideo *plenitudo legis est dilectio,* ut docuit Apostolus (Rom. 13). Et contra, *qui servat verbum ejus,* id est mandata ejus, *vere in hoc charitas Dei perfecta est,* ut loquitur Sanctus Joannes (1. Joann. 2). Qui ergo volunt Exemplari divino similes fieri, obedire debent dicenti: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione* (Ephes. 5). Filius enim imago est Patris, et imaginis totum bonum, ut supra diximus, est suo exemplari esse simillimam. »

2°) « O si hæc plane intelligeres, anima, et Exemplari tuo per veræ sapientiæ veræque justitiæ pulchritudinem similis effecta, placeres oculis summi Regis; quanta pace fruereris! Quanto gaudio exsultares! Quam facile omnia mundi oblectamenta contemneres! Contra vero, si cogitares, quam vehementer indignetur Deus, cum videt imaginem suam destitutam luce sapientiæ et decore justitiæ, inquinari, fœdari, obscurari, et hominem in tanto honore positum, ut similis esset Deo, comparari nunc jumentis insipientibus, et similem illis factum esse; certe horreres et contremisceres, nec posses ullo modo quiescere, donec fluminibus lacrymarum, ex amarissima contritione manantibus, maculas omnes abstergeres, et ad similitudinem pulcherrimi Exemplaris tui redires. »

« Sed quia interim, dum peregrinaris a Domino, et per fidem ambulas, et non per speciem, indiges continuo ipsius Domini adjutorio, tum ut in similitudine jam acquisita permaneas, tum ut quotidie similior, id est formosior lucidiorque reddaris, ingemisce ex toto corde ad Deum, eique dicito: « Domine sancte et misericordissime, cui placuit hanc animam meam, imaginem tuam facere; perfice, quæso te, imagunculam tuam, adauge sapientiam, adauge justitiam, absconde eam in abscondito tabernaculi tui, ut neque luto carnalis concupiscentiæ, neque fumo sæcularis honoris, neque pulvere terrenarum cogitationum fœdari valeat. » (Ibid., cap. 4).

ARTICULUS IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN CONTENSONIO.

Prænotanda. Plerique doctores, qui de divinis rebus scripserunt, solummodo lectoris intellectum illuminant, sed cor illius non accendunt. Pius autem doctusque Contensonius utrumque præstat in sua *Theologia mentis et cordis,* quæ non dimidiam tantum, sed totam lectoris animam pascit solidissima et completa sapientiæ doctrina in divino Exemplarismo fundata.

Sequentes locos ex prælaudato ejus Opere referemus: 1°) De infinita pulchritudine divini *Exemplaris*; 2°) de ideis, seu *exemplaribus*, in Mente divini Artificis; 3°) de creaturis diversimode juxta Deum unitrinum *exemplatis*.

§ I.

De infinita Pulchritudine divini Exemplaris.

Probat Contensonius: 1°) Deum esse pulchrum; 2°) infinite pulchrum; 3°) solum infinitum.

I.

Deus est pulcher.

989. — 1°) « PROBATUR: Pulchritudo est excellens gradus bonitatis summe placens intuentibus; pulchritudo enim supponit bonitatem. Unde antiqui, ut refert Cælius Rhodiginus, ajebant bonitatem esse in centro, et pulchritudinem in circumferentia; quia fundamentum pulchritudinis est bonitas, sicut pulchritudo est perfectio, complementum et corona bonitatis; hæc est semen, illa flos; ista radix, illa ramus; hæc fons, et illa fluvius; et Aristoteles ajebat, pulchritudinem esse *litteras commendatitias naturæ;* quia sicut epistola commendatitia dat testimonium meriti et bonitatis personæ, sic natura perfectionem et bonitatem internam pulchritudine attestatur ».

« Et D. Thomas, I. q. 5, art. 4, ad 1^um^, ait quod pulchrum et bonum in *subjecto* sunt idem, quia super eamden rem fundatur, scilicet super formam; sed *ratione* differunt; nam bonum proprie respicit appetitum; est enim bonum quod omnia appetunt; pulchrum autem respicit vim cognoscitivam; pulchra enim dicuntur, quæ visa placent. — Sed Deus est ipsa Bonitas per Essentiam. — Ergo habet Pulchritudinem infinitam. »

2°) « CONFIRMATUR: Pulchritudo, teste Augustino, est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Unde sic proportionaliter dicere possumus, quod divina Pulchritudo sita est in œconomia divinarum perfectionum, quarum tanta est harmonia, splendor et consonantia, ut summe placeat videntibus. — Atqui, in Deo est summus ille perfectionum fulgor et harmonia; nam licet in Deo sit realiter unica simplicissima Perfectio, tamen eminenter continet infinitas, quas cum fundamento potest intellectus noster discernere, et unam ex alia mira connexione comprobare. Summe etiam placet hæc divina Perfectio, tum contemplantibus illam in hac vita, juxta illud Cantic. 1: *Ecce pulcher es, dilecte mi, et decorus;* tum maxime facie ad faciem videntibus eam, qui tam suaviter ea alliciuntur, ut eis semper nova appareat, et ideo dicitur 1. Petr. 1, quod angeli desiderant eam semper prospicere, quia nullum generat fastidium vel tædium hæc micantissima Pulchritudo, sed semper inescat et inflammat appetitum. — Ergo. »

3°) « CONFIRMATUR ITERUM: Ideo mundus iste dicitur pulcher; unde græce dicitur κόσμος, seu ornatus et formosus, quia constat tribus. Primo, quælibet pars universi habet sibi debitam proportionem, nam Genes. 1: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Secundo, in mundo est mira varietas perfectionum, quæ summe arridet. Tertio, inter partes universi est maxima concordia, ordo et connexio. — Atqui, in Deo hæc eminentius resplendent: imprimis, quodlibet attributum est infinite præcellens, nec eo potest esse aliquid melius, aut cogitari perfectius. Deinde in Deo est varietas virtualis, quia simplicissima Dei Perfectio æquipollet infinitis creatis, quæ possent excogitari. Demum illæ perfectiones in divina eminentia mire concordantur, ut justitiæ misericordia non obsit, non adversetur immutabilitati libertas, unitatem Trinitas compatiatur. — Igitur Deus, qui produxit mundum pulchrum, pulchrior ipse dicendus est, juxta illud Boetii: ..... *pulchrum pulcherrimus Ipse, mundum Mente gerens, similique ab imagine formans.* »

4°) « CONFIRMATUR ET MAGIS ILLUSTRATUR præclara inductione. Novem possunt distingui in universo pulchritudines. »

« *Prima* est corporalis, quæ splendet in sole, stellis, elementis, metallis, margaritis. »

« *Secunda* est vegetativa, quæ collucet in plantis, floribus, arboribus, fructibus, quæ potentia nutritiva, augmentativa et generativa ornantur, tot colorum varietate pinguntur, saporibus condiuntur, odorum suavitate dulcescunt. »

« *Tertia* est sensitiva, organis instructa; quinque sensibus prædita, veluti totidem nuntiis, et rerum interpretibus, in capite, veluti in arce, ad omnes usus collocatis; et denique potentiis internis, locomotiva, cogitativa, memoria, aliisque vigens. »

« *Quarta* est pulchritudo humana, corpore ad cœlum sublimiter erecto, anima rationali, spiritali, intellectiva, libera, totius universi domina coruscans. »

« *Quinta* est angelica, qua cœlestes spiritus, ab omni materia immunes, speciebus rerum omnium congenitis referti, intelligunt sine discursu, libere volunt sine inconstantia; primæ Bonitatis specula munda, divinæ similitudinis signacula, pleni sapientia et perfecti decore sunt a die conditionis suæ, ut dicitur Ezech. 28. »

« *Sexta* est pulchritudo supernaturalis corporum gloriosorum, solis micantissimos radios fere in immensum excedentium. »

« *Septima* est pulchritudo gratiæ et virtutum infusarum, quibus homo, divinæ factus consors naturæ, est veluti deus contractus, juxta illud Psalmi 31: *Ego dixi: dii estis.* »

« *Octava* est pulchritudo gloriæ, qua Beati, amicti lumine sicut vestimento, similes sunt Ei, quem vident sicuti est (1. Joan. 3), et revelata facie, gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformantur a claritate in claritatem (2. Cor. 3). »

« *Nona* est divina Pulchritudo, quæ cæteris omnibus eo longissime antecellit, quo est Pulchritudo per essentiam, immutabilis, et cæterarum omnium Exemplar, Finis et Principium. »

5°) « Reflexio. Hæc cum ita sint, exclamare licet cum Augustino, lib. 10 Confess., cap. 27: *Sero te amavi, Pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi.* Si amor, juxta definitionem Platonis, nihil est aliud quam *desiderium pulchritudinis*, eritne cor tam saxeum, quod non rapiat divinæ Pulchritudinis lepos suavissimus? Imitari etiam divinam illam Pulchritudinem, morum venustate congruit. Eam vero amore potissimum exprimimus, ut apposite idem Augustinus, tom. 9, tract. 9 in Epist. 1. Joan., dixit: *Anima nostra fœda est per iniquitatem; amando Deum pulchra efficitur. Qualis est qui reddit pulchrum amantem? Amavit nos prior, qui semper est Pulcher; et quales amavit, nisi fœdos et deformes? Non ideo tamen ut fœdos dimitteret, sed ut mutaret. Quantum in te crescit amor, tantum in te crescit pulchritudo; quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.* » (Lib. 1, dissert. 3, cap. 2, specul. 3).

II.

Deus est Pulcher infinite.

990. — 1°) Explicatur et probatur ex auctoritate.

« Explicata divina Perfectione et Bonitate, indagandus est modus ejusdem Perfectionis, in hoc præsertim positus, quod nullis terminis, nec locorum spatiis claudi possit. Pulchre et vere dixit Cajetanus, Deum esse Ens *infinitis modis infinities infinitus.* Unde infinitas maxime conducit ad explicandum modum divinæ Perfectionis. — Deus enim infinitus est, ejusque Perfectio nullis limitibus clauditur, nec circumscribi potest... »

« Hoc docent sacræ Litteræ, Psal. 114: *Magnitudinis ejus non est finis.* — Baruch 3: *Magnus est, et non habet finem.* Imo, ut observat D. Thomas contra Gent., cap. 43, n.° 11, huic veritati attestantur antiquissimorum Philosophorum dicta, qui omnes posuerunt primum rerum Principium infinitum, quasi ab ipsa veritate coacti. »

2°) « Probatur ex ratione: Deus est Actus purus et simplex, habens esse irreceptum, et irreceptibile in subjecto. Ergo caret omni principio limitativo, tum *materiali*, hoc ipso quod non recipitur in materia vel subjecto; tum *formali* cum Actus purus sit incapax ulterioris perfectionis. Solum autem illud infinitum dici potest, quod vel limitatur per subjectum, vel caret aliquo, quo ulterius perfici potest. Quibus si addas Deum esse Ens a se, omnino ab alio independens, planum erit, nullos in Deo concipi limites, nec intrinsecos, nec extrinsecos a causa aliena, a qua pendeat, præfixos. »

3°) « Confirmatur duplici alia ratione D. Thomæ, loco citato cont. Gentes. »

« *Prima* est: Deus est illud, quo nihil melius esse aut excogitari potest, cum sit summum Bonum, Ens per essentiam et cumulus omnis perfectionis. Sed si Deus esset finitus, posset aliquid concipi eo perfectius et melius. Igitur infinita est Dei Perfectio. »

« *Secunda* sic formatur. Talis est essentia, qualis est virtus, cum unumquodque agat per suam formam, quæ est vel essentia, vel pars essentiæ, et generaliter operari sequitur semper esse. Sed Virtus Dei est infinita, ut apparet ex creatione rerum, quas ex nihilo extraxit; unumquodque agens tanto virtuosius est in agendo, quanto potentiam magis remotam ab actu, in actum reducit; sicut majori virtute opus est ad calefaciendum aquam, quam aerem. Illud autem, quod omnino non est, est infinite distans ab actu. Igitur si mundus factus est, postquam omnino prius non erat, oportet Factoris virtutem esse infinitam. Ergo Essentia quoque illius infinita est. » (Lib. 1, dissert. 4, cap. 1, speculat. 1).

III.

Solus Deus est infinitus.

991. — 1°) Nulla creatura est infinita.

« Non dari infinitum creatum, neque in quantitate, seu extensione, neque in multitudine, neque in qualitate, colligitur ex Scriptura. Dicitur enim Sapient. 12, quod omnia facta sunt in numero, pondere et mensura. — Et certe id convincunt rationes D. Thomæ 1. q. 7, ubi solum intendit non dari actu infinitum, nec posse dari de potentia ordinaria contra antiquos Philosophos, qui illud de facto admittebant. »

« Imprimis non datur *substantia* infinita, quia omnis creatura habet perfectionem limitatam

certis terminis; nec ulla est in mundo, qua perfectiorem ex suis thesauris extrahere non possit divina Potentia. »

« Non datur etiam infinita *multitudo*, vel *magnitudo*. Tum quia hæc esset contra ordinem universi, qui exigit ut una creatura seipsam alteri communicet, superior inferiori. Quod naturale commercium prorsus cessaret, si infinita multitudo, vel magnitudo, quæ pertransibilis non est, percurrenda foret. Tum quia omne quod producitur, clauditur sub certa intentione creantis, ut ait S. Thomas; id est, agens fertur ad effectus determinatos propter certum finem, ut vitetur universi confusio. »

« Accedit quod videmus omnem multitudinem, quantacumque sit, esse in aliqua specie numeri; nulla enim datur absolute innumerabilis, si non in se; ut arenæ maris, quas computare non possumus, tamen absolute ab angelo numerari possunt. Omnis autem species numeri est finita, cum sit multitudo mensurata per unum, seu per unitatem sæpius multiplicatam. Deinde omne corpus, quod sensibus experimur, vel ratione cognoscimus, est mobile, vel motu locali, vel motu alterationis, habetque superficiem et figuram; corpus autem infinitum est immobile, cum repleat omnia spatia, et careat superficie. Denique, cum omnis substantia creata sit finita, necessario fatendum est, omne accidens illius, sive sit quantitas, sive sit qualitas, esse finitum; quando enim radix est limitata, rami non possunt esse infiniti; nec illimitatus effectus potest a causa limitata emanare. »

« Hæ sunt rationes, quas tradit D. Thomas, quæ solum evincunt non dari, nec posse dari, *de potentia ordinaria* infinitum quodcumque. An vero *de potentia extraordinaria* produci possit non quærit S. Doctor, ut patet tum ex verbis ejus, tum quia raro difficultates de potentia extraordinaria resolvit. Unde non est quod immoremur in illis rationibus vindicandis ab instantiis, quas accumulant Neoterici quidam: sed non adverterunt intendisse solum D. Thomam, non posse dari infinitum de potentia Dei ordinaria, quamvis nonnullam rationem afferat, quæ absolutam repugnantiam suadet, ut statim dicetur. »

992. — 2°) NULLA CREATURA POTEST ESSE INFINITA.

« Omne infinitum creatum implicare contradictionem, sic ostenditur. Et primo, quod repugnet dari creaturam infinitam in ratione entis, facile probatu est; nam omnis creatura quamlibet perfecta, constat genere et differentia, seu ratione communi et propria. Per rationem autem propriam, determinatur ratio communis ad certam perfectionem, per quam differt ab aliis, atque adeo non comprehendit totam perfectionem sub ratione communi contentam. Ergo finitam. — Et certe illa substantia infinita in ratione entis deberet habere proprietates infinite perfectas, sicque deberet habere infinitam sapientiam, potentiam; quid ergo illi deesset, ut Deus esset? Ergo nulla dabilis est substantia, quæ non sit finitæ perfectionis, et qua non possit dari perfectior. Quorum omnium radix est, quia omnis creata perfectio est expressio, participatio, et veluti radius divinæ Bonitatis, quæ a nulla creatura exæquari potest, sed ab ea infinitis distat intervallis. Ergo nulla dari potest tam perfecta et Deo similis, quin possit dari perfectior, et Deo assimilatior. »

« Quod vero etiam repugnet infinita multitudo, magnitudo, et intensio qualitatis, probari solet in Philosophia; unde solum in præsenti, paucis rem conficiemus, ad intellectum doctrinæ D. Thomæ. Sic ergo argumentor: Positio cujuscumque illius triplicis infinitatis destruit præcipua et evidentiora principia lumine naturali nota, nimirum: 1°) omne totum est majus sua parte; 2°) quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; 3°) res non possunt multiplicari, nisi per creationem, vel generationem; 4°) Potentia Dei est infinita et exhauribilis... » (Loco citato).

§ II.

De Ideis seu exemplaribus in Mente divini Artificis.

In hoc paragrapho 1°) probantur divinæ Ideæ; 2°) refutantur objectiones divinas Ideas impugnantes.

I.

Probatur doctrina de Ideis divinis.

PROPOSITIO. « *Dantur in Intellectu divino Ideæ, seu exemplaria rerum omnium, ad quas Deus respicit, dum extra operatur, quæ nihil aliud sunt quam Essentia divina, cognita ut participabilis a diversis creaturis.* »

993. — 1°) Antequam suadeatur hæc positio, operæ pretium est advertere, hanc esse communem ideæ definitionem: *Idea est forma objecta intellectui, intra ipsum existens, ad quam aspiciens artifex operatur.* »

« Dicitur *forma*, quia idea habet rationem causæ formalis extrinsecæ, cui res producenda conformatur. »

« Dicitur *objecta intellectui*, ut distinguatur ab habitibus et speciebus, quæ sunt formæ accidentales, existentes quidem in intellectu per modum principii intellectionis, sed non per modum objecti. Nam quamvis idea sit species et

conceptus cognoscentis, tamen non ea ratione est idea, quatenus est principium, vel terminus cognitionis; sed quatenus reddit objectum expresse cognitum, tanquam rationem exemplandi rem ad extra. Hoc enim proprium est rerum repræsentantium, quod non solum considerantur secundum suam entitatem, sed etiam in eis attenditur objectum depictum et repræsentatum; sicut speculum non solum consideratur ut est crystallus, vel aqua limpida amnis reverberantis lucem; sed objectum ipsum in crystallo, vel aqua nitida inspicitur. Similiter conceptus non est idea prout reddit intelligentem, sed prout exhibet objectum imitandum. »

« Additur: *intra intellectum existens*, ut distinguatur ab exemplaribus externis, quibus interdum artifices utuntur, dum opera sua elaborant. Idea autem influit intelligibiliter et vitaliter in opus. Unde debet esse intra intellectum. »

« Denique ponitur quod *ad eam inspiciens artifex operatur*, ut distinguatur a forma naturali, quæ influit in effectum absque hujusmodi reflexione. Neque enim bos generans bovem, aliquam formam imitandam respicit, ut eam generando propaget. Hoc notato. »

994. — 2°) « PRIMA PARS assertionis est expressa doctrina Patrum: *Dionysii*, cap. 5, de Div. Nomin., ubi rationes rerum in Mente divina existentes vocat *exemplaria, et rationes substantificas.* — *Augustini* inquientis lib. 83 Quæst., q. 46: *Tanta vis in ideis constituitur, ut nisi eis intellectis, sapiens nemo esse possit.* — *Boetii*, lib. 3 de Consolat., metr. 9: *Tu cuncta superno ducis ab Exemplo.* »

« Ratio est: Quidquid Deus ad extra operaratur, non temere, vel cæco modo, sed summa sapientia, in numero, pondere et mensura producit, ut tota Scriptura docet, et enarrat totius ordo universi. Ergo necessario confitendum est, dari in supremo Artifice rerum omnium exemplaria, ad quæ respiciens operatur ad extra, et quæ, ut ait S. Prosper, *relucent in codicibus cœlorum, et in paginis elementorum.* »

995. — 3°) « SECUNDA PARS PROBATUR: Essentia divina est causa creaturarum omnium, a quibus est imitatione participabilis. Ergo Deus, intuens suam Essentiam, videt omnes modos, quibus est communicabilis sua Perfectio; ac proinde aspiciens suam Essentiam, intelligit eam esse imitabilem a tali et tali creatura, hoc vel illo modo. Atqui, hoc est habere rationem ideæ, seu formæ imitabilis. Ergo Essentia divina, cognita ut participabilis diversimode a creaturis, habet rationem Ideæ creaturarum. »

« *Confirmatur* brevi confutatione aliorum modorum explicandi divinas ideas. Imprimis non potest dici, quod divinæ ideæ sunt ipsæmet creaturæ objectæ Intellectui divino, quia creaturæ secundum se non possunt cognosci a Deo, nisi ut creabiles et faciendæ, ac proinde, ut sic loquar, veluti ideabiles. Ergo non sunt formæ, vel ideæ, ad quas Deus respicit, sed ad alia inspecta originantur. — Non potest etiam asseri cum aliis, ideas in Deo esse conceptum divinum; nam creaturæ producibiles non imitantur Deum sub ratione conceptus. Imo nec ipse conceptus in nobis habet rationem ideæ, prout afficit intellectum, eumque reddit intelligentem, sed secundum munus repræsentandi objectum, sub qua ratione est derivabilis ad extra. — Restat ergo ut dicamus cum D. Thoma, 1. q. 15, art. 1 et 2, ideas divinas nihil aliud esse, quam Essentiam divinam, cognitam ut diversimode participabilem a creaturis; talis quippe idea tantum decet Artificem. » (Loco cit.).

II.

Refutantur objectiones.

996. — 1°) « *Objicies:* Idea debet continere formaliter ideatum, cum istud fiat ad instar illius. Sed Essentia divina non continet formaliter creaturas, saltem quoad perfectiones *secundum quid*, quæ habent admixtam imperfectionem, ut esse hominem, leonem, etc. Ergo Essentia divina non potest esse Idea creaturarum. »

« *Respondeo*, quod ut Essentia divina sit Idea rerum omnium creabilium, sufficit ut sit diversimode imitabilis ab illis secundum aliquem gradum entis. Nullum enim est ens, quantumcumque imperfectum, quod in se non exprimat, licet deficienter, aliquam perfectionem Dei, vel esse, aut vivere, aut intelligere. Deus ergo intuens plenitudinem essendi, qua ditescit, videt etiam omnes modos, quibus talis eminentia effluere potest in creaturas. Quare non requiritur univoca similitudo inter ideam et ideatum, præsertim quando est idea Artificis infiniti, et super omnia a se productibilia evecti, qui debet agere per ideam ordinis superioris, non restrictam et limitatam ad unum ideatum. »

2°) « *Instabis:* Licet sol sit eminenter calidus, non est tamen idea caloris. Ergo, licet Essentia divina eminenter omnes creaturas contineat, non tamen poterit esse Idea creaturarum. »

« *Respondeo* negando paritatem, quia totum, quod in calore est, non derivatur a luce solis, sed ad productionem caloris conducit dispositio materiæ sublunaris, in qua recipiuntur radii solares, cujus signum est, quod sol non producit calorem in corporibus cœlestibus; nec corpora

Sanctorum septempliciter, ut ait Scriptura, sole lucidiora producent calorem in Paradiso. Si autem sol esset adæquata causa caloris, penetrans naturam solis in eo videret ideam caloris. Essentia autem divina est Causa omnium omnino effectuum; ipsius quoque materiæ primæ, unde omnium singularum creaturarum Idea esse potest. »

3°) « *Urgebis:* Vel est unica idea in Mente divina, vel plures. Si unica, ergo eadem est idea hominis et leonis, quod patet esse falsum; si plures, ergo ideæ non sunt Essentia divina cognita, quæ unica est. »

« *Respondeo* sine dubio plures esse in Deo ideas, non quidem realiter distinctas, quia in divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat relativa oppositio; sed ratione differentes, quia idea in Deo non est præcise Essentia Dei, sed Essentia Dei cognita prout est Ratio faciendorum, et quatenus est tali vel tali modo imitabilis. Deus autem cognoscit in Essentia sua plures rationes faciendorum, et diversos modos quibus est imitabilis; puta ab angelo secundum unum gradum entis; ab homine, secundum alium modum in eodem gradu; a lapide, secundum alium modum essendi. Unde Augustinus, loco citato: *Omnia ratione sunt condita, nec eadem ratione homo qua equus; hoc enim absurdam est existimare.* »

4°) « *Insistes:* In Deo non sunt plures artes, sed unica. Ergo nec plures ideæ, sed una, quam aspicit Ars divina. Et certe, si plures admittamus in Deo ideas virtualiter distinctas, multiplicabuntur in infinitum, et sic erunt infinita attributa idealia, nec sufficiet unum attributum ad omnes creaturas repræsentandas, quod videtur inconveniens. »

« *Respondeo* esse magnum discrimen inter artem et ideas divinas. Ars enim concurrit ad opus per modum principii effective inducentis et imprimentis formam præconceptam; idea vero cuncurrit per modum prototypi, exemplaris et causæ formalis extrinsecæ; unde se tenet ex parte objecti repræsentati; et ideo non sunt in Deo plures artes, quia est in eo unicum Principium agendi ad extra. Sunt tamen plures ideæ, sicut sunt plura objecta repræsentata in Mente divina, et cognita in ejus Essentia. Unde nec ideæ sunt plura attributa, quia attributum dicit perfectionem ex parte subjecti se tenentem; quam perfectionem virtualiter non multiplicant ideæ, sed solum multiplicant objecta cognita, sicque non sunt plures ideæ in Deo, nisi secundum officium et munus distinguendi creaturas. »

5°) « *Persistes:* Universum est unum unitate ordinis. Ergo Deus habet etiam unicam ideam repræsentantem totum universum et partes ejus, sicque frustra in Deo admittuntur plures ideæ. »

« *Respondeo*, quod licet universum sit unum unitate ordinis, non tamen unitate rei producendæ; et ideo, quamvis Deus habeat unicam ideam totius universi, habet etiam speciales ideas rerum prout inter se distinguuntur; sicut artifex habens ideam totalem domus, habet etiam ideam specialem scamni et mensæ. Et multo magis id de Deo censendum est, qui habet Providentiam ad minima se extendentem; et qui posset, si vellet, unumquodque individuum solitarie producere sine ordine ad universum.... »

997. — 6°) « *Quæres*, quorum Deus habet ideam? »

« *Respondeo*, Deum habere ideas omnium rerum possibilium et futurarum, quia cognoscit quo modo, quave arte formari possint. Notat tamen S. Thomas, Deum non habere propriam ideam materiæ primæ, distinctam ab idea formæ et compositi, quia cum materia non sit capax propriæ existentiæ, non est per se productibilis. Adjuncta tamen formæ, habet ideam, inquantum est producibilis. Alia vero omnia quæ sunt capacia existentiæ propriæ, certum est quod habeant propriam ideam, sicut per se et solitarie sunt producibilia; et ideo non est opus per singula discurrere... »

« Fatentur omnes theologi, solius peccati Deum non habere ideam; nam sub divina Arte non cadit, quod divinam causalitatem subterfugit, quale est peccatum. Maxime quia vel Deus ideam haberet deficientem, vel perfectam; non deficientem, cum sit perfectissimus; si autem perfectam, malum esset bonum, utpote divini Exemplaris expressivum. Horrendum plane et detestandum monstrum, cujus nec ideam Deus patitur. » (Loc. cit.).

§ III.

De creaturis diversimode juxta Deum unitrinum exemplatis.

Probatur creaturas 1°) esse veras, inquantum divinis ideis realiter conformantur; 2°) esse bonas et pulchras, inquantum variis modis divinas perfectiones repræsentant; 3°) creaturas divinum Exemplar suum repræsentare duobus modis generalibus, scilicet per modum vestigii, et per modum imaginis.

I.

Creaturæ sunt veræ inquantum divinis ideis conformantur.

998. — « Cum scientia Dei sit perfectissima et infinita, pertinens ad intima quorumcumque

cognoscibilium.... manifeste relinquitur, divinum Intellectum res cognoscere prout sunt in se. Imo observat S. Thomas, multis in locis hujus quæstionis 16, hanc esse differentiam inter cognitionem Dei et intellectus creati, quod divina est Mensura et Regula veritatis rerum, a qua potius cognitio creata regulatur. Unde sicut res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum artificis, a quo per se pendent; dicitur enim domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ, quæ est in mente boni artificis; ita res naturales dicuntur esse veræ, secundum quod assequuntur similitudinem idearum, quæ sunt in Mente divina; sicut quippe verus lapis, qui assequitur eam naturam, quam idea lapidis in Deo repræsentat. »

« Cum enim omnis creatura sit vestigium Dei, et aliqualis expressio plenitudinis essendi, quæ in Deo est, discernitur legitima alicujus natura a ficta vel spuria, per Originale divinum; et quamvis nos non possimus recurrere ad ideas divinas, quas ignoramus, nihil refert; quia nos, pro hoc statu, cognoscimus res dependenter a sensibus, quibus sola accidentia percipimus, nec latentes essentias pervadimus; et inde ad accidentia recurrimus, quando discernere volumus inter legitimum et spurium, inter aurum et aurichaleum. Sed Deus, et etiam Beati, de veritate per Exemplar judicant, per Exemplar infallibile divinarum idearum. » (Lib. 2, dissert. 1, cap. 2, speculat. 2).

II.

Creaturæ collective sunt bonæ et pulchræ, prout sua multitudine ac varietate, Dei perfectiones diversimode repræsentant.

Propositio. *Rerum multitudo, distinctio et inæqualitas in Deum Auctorem est refundenda; in ea mire coruscant ejus attributa.*

999. — « .... Scriptura de quolibet opere initio producto ait: *Vidit Deus quod esset bonum.* Ex quo manifeste datur intelligi, creaturas corporales ideo esse factas, quia bonum est eas esse. De omnibus vero simul sumptis ait, quod sunt *valde bona* (Gen. 1.) Scriptura autem approbante rerum inæqualem diversitatem, quis tam temerarius improbabit? »

« Probatur ratione omnes simul partes speculationis complectente. Deus omnia produxit propter suam gloriam manifestandam, suasque perfectiones super creaturas, veluti totidem specula, exscribendas. Ergo illud opus præcipue Deo asserendum est, in quo illustrius micat divinarum perfectionum fulgor. — Atqui, in rerum distincta inæqualitate potissimum splendent divina attributa. — Ergo rerum multitudo et inæqualitas a Deo auctore est. *Probatur Minor* brevi inductione. »

1°) « Imprimis resplendet bonitas, ob quam communicandam res Deus produxit, dicente Augustino, nullam aliam causam faciendi mundum Deo fuisse, *nisi ut bona fierent a bono Deo.* Per multitudinem autem, et distinctionem rerum, maxime communicatur Dei Bonitas, cujus fontalis plenitudo melius per plures creaturas repræsentatur, sicut abundantius participatur. »

2°) « Deinde apparet *Misericordia*, res e nihilo, quod omnium miseriarum maxima est, extrahens; *Potentia* infinita, res tam egregias sine ullo subjecto educens e nihilo; imo et a cœlo, veluti tecto, incipiens, ut observat Chrysostomus, indicans se non indigere fundamentis ad mundi machinam erigendam; *Unitas*, quia partium universi unio, ordo, harmonia, consonantia, unius Principii unitatem prædicat. Sed creaturæ rationalis *Amor* resplendet, propter quam hæc omnia creavit, et, ut ait Seneca: *Non necessitatibus tantum nostris provisum est; usque ad delicias amamur.* »

3°) « Insuper resplendet in rerum distinctarum creatione *Sapientia* supremi Artificis; quia, ut discurrit doctor angelicus lib. 2, cont. Gent., cap. 24, secundum Philosophum in 1 Metaph., *sapientis est ordinare.* Ordinatio enim aliquorum fieri non potest, nisi per cognitionem habitudinis et proportionis ordinatorum ad invicem, et ad aliquod altius, quod est finis eorum. Ordo enim aliquorum ad invicem est propter ordinem eorum ad finem. Cognoscere autem habitudines et proportiones aliquorum ad invicem, est solius habentis intellectum; judicare autem de aliquibus per altissimam causam, sapientia est. Sic oportet quod omnis ordinatio per sapientiam alicujus intelligentis fiat. Unde et in mechanicis, ordinatores ædificiorum sapientes illius artificii dicuntur. — Res autem, quæ sunt a Deo productæ, ordinem ad invicem habent, non casualem, cum sit semper velut in pluribus; et sic patet quod Deus res in esse produxit, eas ordinando. Deus igitur per suam Sapientiam res in esse produxit. Unde dicitur in Psal. 103: *Omnia in Sapientia fecisti.* Et in Proverb. 3: *Dominus Sapientia fundavit terram.* »

4°) « Quin etiam ipsa *Justitia*, quam rerum inæqualitate violari Origenistæ crediderunt, singulariter in illa emicat. Nam, ut præclare ratiocinatur idem Sanctus, cap. 38 et 39, licet Deus non produxerit res ex debito justitiæ, reddendo alicui debitum, siquidem res e nihilo extraxit, nihil proinde supponendo, cui debitum redderet: tamen si considerentur creaturæ,

quatenus una ad alteram comparatur, sic fulget divina Justitia in creatione. Nam, supposita gratuita rerum productione, dedit unicuique quod suæ perfectioni adsciscendæ debitum est. Sic, supposito quod universum perfectum condere voluerit, debitum ei fuit, ut eas partes et gradus entium produceret, quibus constat. — Similiter supposito quod hominem facere voluerit, debitum fuit, ut ei animam, corpus, sensus, aliaque adjumenta conferret. Sed hoc mirum in modum observat Deus in universo, in quo videmus omnia in numero, pondere et mensura producta. Ergo in eo Justitia locum habet. » (Lib. 4, dissert. 1, cap. 1, speculat. 3).

III.

Cunctæ res creatæ exhibent sive imaginem, sive saltem vestigium divinæ Trinitatis creatricis.

1000. — « Apparent etiam quodammodo attributa relativa, et Trinitas personarum; quia, ut ex Augustino, de Trinit., cap. ult., colligitur, in creaturis rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum *imaginis*, inquantum datur in eis verbum conceptum, et amor inclinans in objectum cognitum. »

« In aliis vero creaturis, apparet repræsentatio Trinitatis per modum *vestigii*, inquantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in personas divinas sicut in causam. Quælibet namque res subsistit in suo esse; et habet formam per quam constituitur in specie aliqua; et habet ordinem ad aliquid aliud, ut ad finem. *Esse* repræsentat Principium primum, quod est omnibus Causa essendi; *forma* vero repræsentat conceptionem artificis; *ordo* vero demonstrat amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum. — *Principium* autem appropriatur Patri, *ars* Filio, *amor* Spiritui sancto. Unde creaturæ dicuntur vestigia Trinitatis. »

« Illud enim dicitur *vestigium* alterius, quod repræsentat aliud ut causam, licet ei simile non sit. Sic impressiones animalium dicuntur vestigia eorum; cinis, vestigium incendii; et devastatio civitatis, vestigium hostilis exercitus. Cum igitur creaturæ sint veluti impressiones, in quibus apparet earum Auctorem esse summum et primum *Principium*, esse perfectissimam *Sapientiam* et *Amorem*, sui maxime diffusivum: dicuntur etiam vestigia Trinitatis personarum, quibus hæc tria appropriantur. » (Ibid.).

EPILOGUS.

Exhortatio ad imitandam divini Exemplaris nostri perfectionem.

1001. — « Non esset Deus primum Efficiens, nisi foret primum Exemplar. Nec tu, lector, quidquid boni efficies, nisi tibi præclaram ideam efformes, actionum tuarum regulam, ad quam respiciens opereris. Omnia fortuito casuque evenirent, nisi exemplaria divina prælucerent, quæ agendis modos et numeros præfinirent. Et tu in negotiis temere et inordinate te geres, nisi Deum, ad cujus imaginem et similitudinem conditus es, *inspicias, et facias secundum Exemplar, quod tibi monstratum est*, ut si per te defeceris: per Illum, qui te fecit, reficiaris, et ille te reformet, qui formavit. »

« Deum ergo semper ante oculos habeas, quo spectante vivas, quo dirigente perficias. Ad ipsum mores exige tuos; hunc tibi propone semper et custodem et Exemplum; hoc Archetypum præ oculis semper habe, et sculptorem te gere simul ac pictorem, ut in te quæ superfluunt veluti rumines, quæ desunt depingas. — Frequens est jam speculorum usus vel abusus, quo homines, et præsertim vanissimæ mulieres, faciem suam pingunt, et lenocinante vario fuco vultum suum vultibus vestiunt alienis, hoc futuri, non quod natura præstitit, sed quod eis ad examen speculi levitas dictaverit. Nunc emendant, nunc delent vultus speciem, nunc subjiciunt aliam, nunc parturiunt novam. O quantum est in rebus inane! Verum et sine macula Speculum est illud per quod omnia facta sunt; hoc intuens, si formosus es, formosior eris; si deformis, turpitudinem cernes et corriges. *Forma conversationis fidelium*, ait magnus Leo, Serm. 3 Quadrages., *ab exemplo venit operum divinorum; et merito Deus imitationem sui ab eis exigit, quos ad imaginem et similitudinem suam fecit.* » (Lib. 4, dissert. 1, cap. 1, speculat. 1).

ARTICULUS V.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN GONETO.

Videamus quam egregie Gonetus in suo *Clypeo* theologiæ thomisticæ, disput. 7, *De Ideis divinis*, respondeat quæstioni a seipso propositæ: *An et quid sint ideæ in Mente divina existentes.*

Tres habet hac de re paragraphos. 1°) Quibusdam prænotatis de notione ideæ, varias refert sententias de divinis ideis. 2°) Triplici con-

clusione quæstionem de divinis ideis resolvit. 3°) Refutat objectiones triplici conclusioni suæ oppositas.

§ I.

Prænotanda de notione ideæ, et variæ circa divinas ideas sententiæ.

1002. — I. « **Prænotanda de notione ideæ** ».

« NOTANDUM 1°). Ideam sic recte definiri: *Idea est forma objecta intellectui, intra ipsum existens, ad quam aspiciens artifex operatur.* Explicatur breviter hæc definitio. »

« Idea *forma* appellatur; nam teste D. Augustino, lib. 83 Quæst., q. 46, et D. Thoma hîc art. 1, et q. 3 de Ver., art. 1, *idea* græce, latine *forma* dicitur. — *Objecta intellectui*, ad differentiam habituum et specierum intelligibilium, quæ non habent rationem objecti intellectus, sed principii intellectionis. — *Intra ipsum existens*, ad differentiam externorum exemplarium, ad quæ artifex respicit in suis operationibus. — Denique additur: *Ad quam aspiciens artifex operatur*, ad differentiam formarum naturalium. *Non enim dicimus, quod forma hominis generantis, sit idea vel exemplar hominis geniti*, inquit D. Thomas, de Verit., q. 3, art. 1. Nam licet agentia naturalia producant effectus sibi similes in forma, non tamen operantur respiciendo illam. Pro cujus evidentia, »

« NOTANDUM 2°) ex eodem S. Doctore, q. 3, de Verit., art. 1, triplicem posse dari formam alicujus: unam quæ dicitur *forma ex qua;* aliam quæ vocatur *forma a qua;* et alteram quæ *forma ad quam* denominatur. »

« Forma *ex qua* est illa, quæ intrinsece totum componit, et ex qua totum constituitur. — Forma *a qua* illa est a qua, ut ab agentis principio, effectus egreditur. — Forma vero *ad quam* illa dicitur, ad cujus similitudinem effectus producitur, et ad quam respiciens artifex operatur. Et hæc est *forma exemplaris*, ad cujus similitudinem aliquid constituitur, et in hac significatione consuetum est nomen *ideæ* accipi, ut idem sit quod forma quam aliquid imitatur. Sed »

« NOTANDUM 3°), aliquid posse imitari formam aliquam dupliciter, ut ibidem observat S. Doctor. Uno modo *ex intentione agentis*, sicut pictura ad hoc fit a pictore, ut imitetur aliquem, cujus figura depingitur. »

« Aliquando autem prædicta imitatio per accidens est, *ac præter intentionem*, et a casu; sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicujus, quem repræsentare non intendunt. Quod autem imitatur aliquam formam a casu, non dicitur ad illam formari; ly *ad* videtur importare ordinem ad finem. Unde cum forma exemplaris, vel idea, sit ad quam formatur aliquid, oportet quod formam exemplarem, vel ideam, aliquid imitetur per se, non per accidens. Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius, per agens quod non determinet sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris vel ideæ. Quare aliqui sic illam definiunt: *Idea est forma, quam aliquid imitatur, ex intentione agentis determinantis sibi finem.* »

« Ex quo inferes cum D. Thoma, loco citato, quod illi qui ponebant omnia accidere casu, non poterant ponere ideas; sicut nec illi qui posuerunt quod omnia procedunt ex necessitate naturæ, quia ut ipse ait ibidem, ea quæ ex necessitate naturæ agunt, non prædeterminant sibi finem, sed determinatur eis finis ab aliquo superiore. »

« Ex quo rursus inferes cum eodem S. Doctore ibidem, quod radix et fundamentum ponendi in Deo ideas rerum faciendarum, est idem ac ponendi prædefinitiones prædeterminativas omnium eorum, quæ a Providentia et Arte divina diriguntur et fiunt. Et ideo ibidem notat, quod D. Dionysius, cap. 5, de Div. Nominib., dicit *ideas nominari in theologia prædefinitiones divinas, et bonas voluntates, existentium prædeterminativas et effectivas, secundum quas supersubstantialis Essentia omnia prædefinivit et produxit.*

« Ratio autem hujus connexionis est, quia cum omnia deriventur et causentur a Deo, ut supremo Artifice, consequenter debent causari ab idea et Exemplari divino, tanquam ab eo quod Deus inspicit, ut res producat. Ergo prius debet intendere, et apud se definire, et statuere determinate, quomodo aliquid faciendum sit, quam præsupponere cognitum et futurum sub aliquo statu absoluto, vel conditionato, antequam definiat; nam si præsupponit cognitum in aliquo statu, et non pro illo prædefinitum, neque etiam erit sub illo statu ideatum, et ab Arte Dei perfectum, quod est simpliciter non esse a Deo pro illo statu. Eadem ergo radix est ponendi in Deo ideas et prædefinitiones rerum prædeterminativas. Unde cum scientia media has divinas prædefinitiones rejiciat, consequenter etiam divinas ideas tollit, et facit Deum agentem cæco modo, casualiter, et fortuito, et sine providentia, ac intentione effectus particularis, ut disputatione præcedenti demonstravimus. »

« NOTANDUM 4°), ideæ artificis duplicem competere modum informationis, secundum duos respectus, quos importat. Nam secundum quod comparatur ad intellectum, ut ejus conceptus formalis, et prout gerit munus speciei, est forma

intrinsece informans, et actuans intellectum, et medium *quo* intelligit, quod philosophi appellant medium incognitum. »

« Quatenus vero dicit ordinem ad objectum, et prout gerit vices exemplaris, et est ratio originandi et exemplandi ad extra, tunc habet rationem causæ formalis extrinsecæ, et formæ imitabilis, ad quam respiciens artifex operatur, et medii cogniti, ac repræsentantis ut *quod ipsum*, opus externum. »

« Notandum 5°), Essentiam divinam, quæ per ipsum Intelligere purissimum et actualissimum constituitur, ut in Tractatu de Attributis, disput. 2, art. 4, ostendimus, eminenti quodam modo, et sine distinctione etiam virtuali, habere in Deo rationem speciei intelligibilis, intellectionis, verbi et constitutivi Naturæ divinæ. »

« Prout enim concipitur ut fecundans Intellectum divinum in ordine ad intellectionem, gerit vices *speciei* et *formæ intelligibilis*. »

« Quatenus se habet per modum operationis et actus secundi, secundum nostrum modum concipiendi, egredientis a principio proximo intelligendi, habet rationem *intellectionis* et *cognitionis*. »

« Ut est terminus purissimus et actualissimus, terminans in actu secundo divinam Intellectionem, habet rationem *verbi* et *speciei expressæ*. »

« Denique, ut est eminenti quodam modo, veluti radix et causa virtualis divinorum attributorum, habet rationem *naturæ*. »

II. **Variæ de divinis ideis sententiæ.**

1003. — « His præsuppositis, inquirimus, an et quid sint ideæ in Mente divina existentes? In cujus difficultatis resolutione, licet omnes concedant dari ideas creaturarum in Mente divina, in explicanda tamen illarum essentia et ratione formali, varie opinantur. »

1°) « Imprimis erravit *Plato*, in eo quod ideas posuit, non in Deo existentes, sed quasi illi extraneas, eique assistentes, per se subsistentes, et a singularibus abstractas et separatas. »

« Præterea finxit a prima Mente, nempe divina, ideas in mentem angelorum effluere; ex mente angelica, in animam mundi; sive, ut placuit Averroi, in intellectum communem abstractum, qualem ipse somniavit; ex anima mundi in formas cœlorum; ex formis cœlorum, in materiam formarum omnium receptricem. »

« Hæc attendens *Aristoteles*, merito Platonis ideas ut mera figmenta derisit. *Valeant*, inquit, *Platonis ideæ, quia nihil sunt, aut monstra sunt.* »

2°) « Rejecto igitur hoc Platonis figmento, omnes theologorum sententiæ circa essentiam et quidditatem divinarum idearum, ad tres vel quatuor præcipuas revocari possunt. »

« Quidam constituunt ideas divinas in *conceptu objectivo*, seu in creatura ut cognita a Deo, ut Menti divinæ objecta. — Alii in *conceptu formali*; qui adhuc in duas sententias dividuntur. Quidam enim volunt Essentiam divinam habere rationem ideæ, ut est *cognitio creaturarum*. Alii vero, ut gerit vices *verbi* et speciei expressæ, reddentis Intellectum divinum actu cognoscentem et intelligentem. — Alii denique docent, ideam esse *ipsam Essentiam divinam*, ut cognitam, non absolute in se, sed comparative ad creaturas, et quatenus est imitabilis et participabilis ab illis. »

« Primus dicendi modus est *Scoti* in 1 dist. 35, q. 1, ubi ponere videtur in creaturis ab æterno, quoddam esse diminutum et *secundum quid*, per actum divini Intellectus productum, et distinctum ab esse reali, in quo temporaliter fiunt. — Secundæ sententiæ adhærent *Suarez* in Metaphysica, disput. 25, sect. 1; *Vasquez* disput. 72, cap. 2, et alii recentiores. — Tertia vero communis est in schola *D. Thomæ*, eamque docent Cajetanus, hîc art. 2, Bannez, Nazarius, Gonzales, Navarreta, Joannes a S. Thoma, Marcus a Serra, aliique recentiores Thomistæ. »

§ II.

Triplici conclusione resolvitur quæstio de ideis divinis.

Conclusio I.

« *Dico primo dari in Mente divina ideas, seu exemplaria creaturarum.* »

« Conclusio est *certa de fide*. Colligitur enim ex Scriptura et sanctis Patribus. »

1004. — I. **Probatur ex S. Scriptura.**

« Nam dicitur Joan. 1: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Ex quibus verbis colligit Augustinus, ibid. Tract. 1, ideas esse in Deo. *Quid est hoc*, inquit, *vita erat? Facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. Est autem ipsa Sapientia spiritaliter ratio quædam, qua terra facta est. Hæc vita est.* Et paulo post: *Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret.... Attende ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita; arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt omnia ista, antequam proferantur. Sic ergo, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia secundum artem, continet omnia antequam fabricaret omnia: hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte*

terra. Cœlum vides; est in arte cœlum. Solem et lunam vides; sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt; in arte vita sunt. »

« Potest etiam probari conclusio ex illo ad Hebræos 11: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Nam per *invisibilia*, D. Thomas ibi, et hîc q. 65, art. 4 ad 1[um]; de Veritate, q. 3, art. 2, intelligit ideas seu rationes rerum, quæ sunt in Mente divina; *ex quibus*, id est secundum quas, producta sunt visibilia.

II. **Probatur ex sanctis Patribus, aliisque auctoribus.**

1005. — « Favent etiam sancti Patres, qui has divinas ideas, atque imagines rerum omnium, quibus res omnes creatæ, intelligibiliter in Mente divina ab æterno fuere, eleganter exprimunt ac celebrant. »

1°) « Dionysius enim, cap. 5, de Div. Nom., lect. 3, apud D. Thomam: *Exemplaria*, inquit, *esse dicimus in Deo rationes substantificas, existentium prædeterminativas et effectivas, secundum quas supersubstantialis Essentia omnia prædefinivit et produxit.* »

2°) « Origenes, T. 2, p. 65 in Joan., ideas divinas vocat *figuras collectionis intelligentiarum, quæ sunt in divina Sapientia.* Et subdit: *Opinor enim, sicut domus et navis fabricatur, vel ædificatur, juxta figuras et formas, mentibus eorum, qui structuræ præsident, conceptos: domo navique principium sumentibus ab his figuris et ratiouibus, quæ sunt in artifice; sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes, jam antea a Deo manifestatas in Sapientia. Omnia enim in Sapientia facit.*»

3°) « Augustinus, lib. 12, de Civit. Dei, ait: *In una Dei Sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per istam facta sunt; quoniam Deus non aliquid nesciens fecit; quod ne de quolibet artifice recte dici potest. Porro, si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat.* »

4°) « Eamdem veritatem agnovit Seneca, licet Gentilis, eamque Epist. 65 his verbis eleganter expressit: *Deus rerum omnium intra se exemplaria habet, numerosque universorum, quæ agenda sunt, et modus Mente complexus est. Plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles.* »

5°) « Boetius, lib. 3, de Consolat. metr. 9, vulgatis his versibus, divinas illas ideas celebravit:

Tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum Mente gerens, similique in imagine formans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes. »

6°) « Hunc imitatur Dionysius Carthusianus, libro de Dei laudibus, ubi sic ipsum alloquitur:

Ars prima causalissima,
Tu plena rationibus;
Ideis fulgidissima Mens,
Præclara splendoribus. »

7°) « Denique Augustinus, relatus a D. Thoma, q. 3, de Verit., art. 1, dicit; *Qui negat ideas infidelis est.* Quod intelligendum est de ideis, quantum ad *rem* significatam. Nam an hoc *nomine* sint appellandæ, non est ita certum, ut qui hoc negaret, tanquam infidelis esset judicandus. »

III. **Probatur ex ratione.** « Eadem veritas potest multiplici rationi suaderi ».

1006. — 1°) « Quia Deus est Causa intellectualis. Ergo habet ideas rerum. »

Probatur Consequentia: Causa enim debet continere in se effectum, secundum formam et rationem ipsius; nam si sit *naturalis*, continet illum naturali modo, per formam inditam, sicut ignis generans continet formam ignis geniti; si autem sit causa *intellectualis*, continet rationes effectus, non secundum formam inditam, sed apprehensam. At forma et ratio effectus in esse apprehenso, est idea et exemplar ipsius. Ergo in Deo dantur ideæ. »

« Unde Augustinus, lib. 1. Confess., cap. 6: *Apud illum, rerum omnium instabilium stant causæ; et rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines: et omnium irrationabilium et temporalium sempiternæ vivunt rationes.* »

2°) « Idea nihil aliud est, quam forma, non *a qua*, neque *ex qua*, sed *ad quam* artifex respiciens operatur, intra ipsum existens, ut exposuimus in secundo notabili. Sed datur hujusmodi forma in Deo. Ergo est idea. »

« *Probatur Minor:* quia nisi Deus præcognosceret effectum, et nisi haberet formam, ad cujus instar illum produceret, temere et cæco modo ageret. Quare Augustinus, libro 83 Quæst., q. 9, docet ponendas esse in Deo ideas, ne rerum creatio videatur temeraria et fortuita. *Omnia*, inquit, *ratione sunt condita; alias casu et fortuito evenirent; nec eadem ratione homo, qua equus, etc.* »

3°) Scientia Dei se habet ad res creatas, sicut artifex ad res arte factas, juxta illud Sapientiæ 8: *Quid enim horum quæ sunt, magis quam illa est artifex?* Sed artifex operis sui ideam habet. Ergo et Deus. »

4°) « Deus est primum omnium Agens, et primus formarum omnium Dator. Sed nemo dat quod non habet. Ergo in Deo sunt formæ omnium et ideæ. Quam rationem tangit Damasce-

nus, lib. 1, de Fide orth., cap. 13, his verbis: *Deus omnium Auctor est. Ergo omnium, quæ sunt, rationes in se et causas, hoc est ideas, jam ante in seipso præhabet.* »

« Cui concinit Trismegistus dicens: *Vides agricolam semen in terra projicientem, ubi frumentum nascitur; talis est Deus, qui in cœlo seminat quidem immortalitatem; in terra vero, mutationem; in universo, motum et vitam. Ergo in Mente sua, omnium habet ideas, rerum nascendorum rationes seminales.* »

5°) « Denique speculum non ducit in cognitionem aliquorum, nisi eorum similitudines in ipso resplendeant. Sed Essentia divina est veluti speculum purissimum, ducens in cognitionem omnium creaturarum, et in quo Deus, et Beati, creaturas possibiles et futuras cognoscunt. Ergo in eo sunt similitudines et ideæ rerum omnium. »

Conclusio II.

« *Dico secundo: Ideæ divinæ non sunt ipsæ creaturæ, ut Menti divinæ objectæ, et prout habent quoddam esse diminutum extra Deum, per Artem divini Intellectus ab æterno productum.* »

« Ita communiter docent theologi contra Scotum, cujus sententia multipliciter impugnari potest. »

1007. — 1°) « Ex sanctis Patribus supra relatis. Dionysius enim dicit, ideas in mente Dei existentes, esse *substantificas, existentium prædeterminativas, rerum omnium effectrices.* — Augustinus, lib. 83, Quæst., q. 46, esse *formas, et rationes incommutabiles, immortales et æternas.* — Boetius ideam vocat *Exemplar supremum.* »

« At hæc omnes appellationes non possunt competere creaturis, ut Menti divinæ objectis, sed soli divinæ Essentia, quæ sola rerum omnium est Effectrix, sola rerum existentium et futurum prædeterminativa, sola æterna, sola immortalis et immutabilis, sola supremum omnium Exemplar. »

« Ergo ideæ divinæ non sunt ipsæ creaturæ, ut Menti divinæ objectæ. »

2°) « Idea, cum sit forma quam aliquid imitatur, necessario importat imitationem, et per consequens similitudinem ad ea quæ illam imitantur. — Sed tam similitudo quam imitatio, distinctionem et pluralitatem important; neque enim una res seipsam imitatur; sed aliam; nec est sibi similis, sed alteri. — Ergo ideæ creaturarum in Mente divina existentes, non possunt esse ipsæmet creaturæ, ut a Deo cognitæ, et Menti divinæ objectæ. »

3°) « Idea est realis causa ideati et mensura ipsius. — Sed creatura secundum esse objectivum considerata, non potest esse causa realis suiipsius ut productæ ad extra, nec sui ipsius regula et mensura. — Ergo nec habere rationem ideæ. »

« *Major patet;* quia idea est exemplar ideati; exemplar autem est causa realis exemplati et mensura illius, ut docent Philoscphi 2. Physic. »

« *Minor vero probatur:* Cum inter causam et effectum, mensuram et mensuratum, sit relatio realis, debet etiam esse distinctio. — Sed creatura cognita est eadem cum creaturâ in re producendâ; alias non cognosceretur idem, quod in re producendum est. — Ergo creatura, secundum esse objectivum considerata, non potest esse causa realis sui ipsius, ut productæ ad extra, nec ipsius regula et mensura. »

4°) « Sicut agens naturale constituitur in actu primo ad agendum, per formam naturalem, ita et agens intellectuale, per formam intellectualem, nempe ideam in mente conceptam, ut docet D. Thomas hîc, art. 1. — Sed Deus non potest constitui in actu primo potens ad agendum, per ipsam creaturam, ut divinæ Menti objectam; alioquin ab ea penderet, et ab ea regularetur et mensuraretur in suis operationibus. — Ergo creatura, ut a Deo cognita, non potest habere rationem ideæ respectu Intellectus divini. »

5°) « Idea est forma realis in Deo. — Sed creaturæ, ut habent ab æterno esse objectivum in Mente divina, non sunt quid reale, sed rationis; ex cognitione enim divina nihil in eis resultat ab æterno, nisi extrinseca denominatio cogniti. — Ergo idem quod prius. »

6°) « Idea est illud ad cujus instar formatur ideatum. — Sed creatura objective repræsentata, non est id ad cujus instar formatur creatura, et per quam ejus formatio regulatur et causatur. — Ergo illa non habet rationem ideæ in Deo. »

« *Major* patet. — *Minor* vero probatur: Creatura objective cognita a Deo, cognoscitur ut quid creabile a se, non vero ut quid increabile; ergo, ut quid formabile a se, non vero ut id, ad cujus instar formetur ideatum, et per quod ejus formatio causetur et regularetur. »

7°) « Deus cum sit supremus Artifex, debet causare res per ideam, quæ sit Forma suprema et divina. — Atqui, creaturæ, ut Menti divinæ objectæ, non habent rationem Formæ divinæ et supremæ, sed sola Essentia divina, cognita ut imitabilis a creaturis. — Ergo creaturæ, ut Menti divinæ objectæ, non constituunt ideam primi et supremi Artificis; sed ipsa Essentia divina, ut comparata ad creaturas, et cognita ut immutabilis et participabilis ab illis. »

8°) « Cum Deus in sua Essentia contineat rationem plenissimam cognoscendi totum quod est in creatura, quia totum causatur et participatur ab illa, non oportet quod respiciat ad ipsas creaturas, ut formet ideas illarum, sed potius ad suam Essentiam, et quod illam cognoscat, ut ab illis imitabilem et participabilem. »

9°) « Denique, absurdum videtur ponere, creaturas habere ab æterno aliquod esse diminutum extra Deum, per actum divini Intellectus productum, ut docet Scotus loco citato. Nam vel per illud esse diminutum, intelligit aliquod esse extra Deum, quod sit pure reale, vel pure rationis, vel medium inter reale et rationis. »

« Primum dici non potest; repugnat enim principiis fidei, dicere creaturas habere ab æterno aliquod esse reale extra Deum, quantumcumque diminutum; alioquin illæ essent ab æterno productæ, cum omne esse reale, quodcumque illud sit, derivetur a Deo per creationem, quæ est totius entitatis et existentiæ productio. »

« Secundum etiam affirmari non potest, alioquin divinæ ideæ constituerentur per aliquod ens rationis, et sic non possent esse vera et realis causa creaturarum. »

« Tertium vero absurditas est. Fictitium enim et chimæricum videtur, ponere aliquod ens medium inter reale et rationis, ut docent Philosophi in Metaphysica. »

« Merito ergo de ideis Scoti dicere possumus quod ait Aristoteles de ideis Platonis: *Valeat Scotus cum ideis suis; quia aut nihil sunt, aut monstra sunt.* »

Conclusio III.

« *Dico tertio: Essentia divina, ut gerit vices intellectionis, aut speciei, et prout comparatur ad Intellectum divinum, per modum formæ illum actuantis, et tanquam id quo redditur cognoscens, non induit rationem ideæ; sed solum prout est forma objecta divino Intellectui, et cognita ab ipso ut imitabilis a creaturis.*

I. **Argumenta hujus sententiæ.**

1008. — Probatur I. ex D. Thoma 1. q. 15, art. 2, ubi inquit: *Ideam operati esse in mente operantis, sicut* quod *intelligitur, non sicut species* qua *intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris, est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum in materia formal.* — Et iterum, in responsione ad 2^{um}, dicit quod *sapientia et ars significantur ut* qua *Deus intelligit, sed idea ut* quod *Deus intelligit.*

Et ex hoc explicat, quomodo plures ideæ sint in Deo, quia licet species, seu conceptus divinus, ut est principium seu forma cognoscendi, sit unicus; esset enim contra simplicitatem divinam, plures conceptus in ratione cognoscentis habere; tamen rationes per talem conceptum cognitæ, plures sunt, quatenus cognoscit Deus, suam Essentiam esse diverso modo imitabilem a creaturis, ut latius infra exponemus. »

« **Probatur II.** ratione fundamentali, quæ petitur ex definitione ideæ supra exposita. Ad ideam enim pertinet, ut sit forma, ad quam respiciens artifex operatur. — Atqui, Essentia divina, ut gerit vices intellectionis vel speciei, et ut reddit intellectum cognosceniem, tanquam medio *quo*, non est id *quod* intellectus aspicit, sed id *quo* inspicit. — Ergo non est idea sub ista formalitate, sed inquantum est aliquid cognitum, ut imitabile a creaturis. »

« **Probatur III.** Causalitas ideæ non est præbere effectum formalem intellectui, sed ideato; quia propria causalitas ideæ, non est esse formam intrinsecam et informantem, sed extrinsecam et formantem ideatum, ut constat ex supra dictis. — Ergo, licet in conceptu inveniatur ordo ad intellectum, ut ad subjectum quod actuat, tamen iste ordo non constituit ipsum in ratione ideæ; quia sub hoc respectu est forma intrinseca, per sui inhærentiam et conjunctionem reddens intellectum cognoscentem, non autem forma imitabilis et extrinseca, reddens rem ad extra formatam et ideatam. »

« **Probatur IV.** « Denique currit ratio D. Thomæ 1. q. 15, art. 2. Deus unico *conceptu*, seu specie, attingit omnia objecta, nec variatur divinus conceptus ex eorum diversitate. — Sed *ideæ* multiplicantur juxta diversam imitabilitatem et respectum ad ipsas res ideatas. — Ergo idea non potest consistere in conceptu, quatenus est forma intellectus, reddens illum cognoscentem, sed in ipsa Essentia divina, prout cognoscitur ut imitabilis et participabilis, ut docet idem S. Doctor hîc, art. 1, ad 2^{um}, dicens: *Essentia divina habet rationem ideæ, secundum quod ad alia comparatur.* — Et, art. 2, ad 1^{um}, *Idea*, inquit, *non nominat divinam Essentiam. inquantum Essentia, sed inquantum est similitudo, vel ratio hujus vel illius rei.* »

« *Confirmatur:* Idea est forma, quam aliquid imitatur. Ergo nisi Essentia divina sit cognita ut imitabilis a creaturis, non habebit rationem ideæ. »

Probatur V. « Addo, quod de ratione ideæ est, esse verbum practicum. — Sed divina Essentia, nisi cognoscatur ut imitabilis et participabilis a creaturis, non cognoscitur ut verbum practicum. — Ergo non habet rationem ideæ, nisi cognita ut imitabilis et participabilis a creaturis. »

II. **Observatio magis elucidans prædicta argumenta.**

1009. — « Quod ut fiat evidentius, observandum est cum S. Thoma in 1. dist. 27, q. 2, art. 3, ad 4^{um}, et ex Ferrariensi 1 Cont. Gent., cap. 54, tripliciter posse intellectum ferri in formam conceptam: *Uno modo*, inquantum est similitudo rei præcise; id est inquantum intellectus utitur ipsa in actu exercito, ut medio per quod res cognoscit, et sic directe in actu signato cognoscit rem repræsentatam, et solum in actu exercito ipsam formam conceptam. — *Alio modo*, inquantum est talis res, habens tale esse in anima, etsi directe in actu signato, cognoscit solum ipsam formam. — *Tertio modo*, per comparationem unius ad alterum, dum considerat unum esse alterius repræsentativum, et sic simul utrumque cognoscit. »

« Intellectus igitur divinus, in Essentiam suam tripliciter ferri potest. Scilicet *primo* simpliciter et absolute, inquantum est talis res; et sic intelligendo Essentiam suam, non concipit proprium exemplar rerum, et propriam rationem earum formaliter. — *Secundo modo*, inquantum utitur ipsa, ut medio per quod sibi res creatæ repræsentantur, et sic etiam non intelligit in actu signato, ut proprium earum exemplar. — *Tertio modo*, inquantum intelligit ipsam ut imitabilem a creatura, secundum hunc perfectionis modum determinate, puta secundum gradum vitæ, et sic cognoscit ipsam, ut est exemplar formaliter talis creaturæ, quia apprehendit ipsam cum habitudine ad talem creaturam. Propter quod, inquit S. Thomas: *Deus intelligendo Essentiam suam ut imitabilem per modum vitæ præcise, accipit propriam ideam et rationem plantæ.* Quasi diceret, quod non apprehendit Essentiam suam, tanquam propriam ideam alicujus rei, nisi quatenus ipsam cum respectu ad illam intelligit. »

§ III.

Refelluntur objectiones quæ triplici conclusioni præcedenti opponuntur.

I. *Objectiones contra primam conclusionem.*

1010. — « **Objicies I** contra primam conclusionem: Anselmus in Monologio, cap. 29, ait: *Satis manifestum est, in Verbo, per quod facta sunt omnia, similitudines rerum non esse.* — Sed idea est similitudo rei faciendæ. — Ergo ex Anselmo, in Verbo non sunt ideæ rerum. Item Dionysius, cap. 7, de Div. Nomin. dicit, quod *Deus non cognoscit res secundum Ideam.* »

« *Respondeo* cum D. Thoma, q. 3, de Verit., art. 1, ad 10^{um}, quod intentio Anselmi est dicere, quod in Verbo non sunt similitudines rerum sumptæ a rebus ipsis; sed potius quod omnes rerum formæ et similitudines, ab ipso Verbo derivatæ sunt. Unde addit Anselmus: *Verbum non est similitudo rerum, sed res sunt imitationes Verbi.* »

« Ad Dionysium similiter dicendum est, cum eodem S. Thoma, ibidem in respon. ad 6^{um}, quod intentio Dionysii est dicere, quod Deus non cognoscit res per ideas ab illis acceptas, sed per suam Essentiam habentem rationem ideæ et exemplaris. »

« **Objicies II.** Ejusdem effectus non sunt multiplicandæ causæ sine necessitate. — Sed causa creaturarum est Scientia Dei practica, vel Ars divina, ut constat ex dictis in 3 disput. — Ergo non sunt ponendæ ideæ in Mente divina, ut per eas Deus creaturas ad extra producat. »

« *Respondeo* quod, sicut in artifice creato, idea et ars simul concurrunt ad opus artificiale, diversimode tamen: *ars* enim concurrit per modum principii dirigentis et efficientis ac inducentis formam artificialem in materiam; *idea* vero, per modum exemplaris, et causæ formalis extrinsecæ; unde prima se tenet ex parte agentis, secunda vero ex parte effectus producendi: — ita similiter in Deo, quia est supremus rerum omnium Artifex, Scientia et ideæ diversimode ad productionem creaturarum concurrunt; prima enim concurrit directe et effective, ut in disput. 3, art. 1, exposuimus; secunda vero exemplariter, et objective, ut ex supra dictis constat. »

II. *Objectio contra secundam conclusionem.*

1011. — 1°) « Objicies pro sententia Scoti, contra secundum conclusionem: Id quod in mente artificis creati est idea, proportione servatâ, debet esse idea in Mente Dei. Ut enim dicit Augustinus supra relatus: *Omnes creaturæ sunt in Mente divina, sicut arca in mente artificis.* — Sed in mente artificis creati, res ipsa concepta, ut ad illam intuens operatur artifex, est idea illius. — Ergo etiam creaturæ, ut Menti divinæ objectæ, habent rationem ideæ et exemplaris. »

« *Minor probatur:* nam domus concepta, ut ad ejus imitationem artifex construit domum, est idea domus, juxta Aristotelem et D. Thomam 7 Metaph., lect. 6, dicentes: *Ex sanitate fieri sanitatem, et ex domo domum; scilicet ex ea, quæ est sine materia, in anima existente, illam quæ habet materiam.*

« *Confirmatur* a simili: Res ad extra apprehensa ut bona, movet ad sui amorem per modum causæ finalis. Ergo etiam eadem res, ut apprehensa et menti artificis objecta, movebit ut idea et causa exemplaris, ad sui exsecutionem. »

2°) « Ad objectionem respondeo concessa Majore, negando Minorem. Idea enim in mente artificis, non est ipsum opus externum, ut menti ejus objectum, sed verbum practicum quod format in suo intellectu de opere artificiali, factibili vel faciendo, ut docent Philosophi in 2 Physic. »

« *Ad auctoritatem* Aristotelis et D. Thomæ, dicendum est, quod quando illi dicunt, ideam artificis esse ipsam rem, quæ per artem fieri debet ut cognitam, hoc intelligendum est de re non in suo proprio et naturali essendi modo, sed in alio, nempe intelligibili, quem habet in intellectu ejus conceptus; id est verbum ab artifice productum et expressum, quod cum sit similitudo formalis operis faciendi, ut suppono ex Philosophia, est ipsummet opus faciendum, non in esse entitativo, sed intelligibili. Unde idem est dicere, quod res ipsa factibilis vel facienda, ut habet esse intelligibile in mente artificis, sit ejus idea et exemplar, ac ipsum verbum, seu species expressa, illam repræsentans. »

« *Ad Confirmationem*, nego Consequentiam et paritatem. Ratio disparitatis est, quia finis movet metaphorice, excitando ad desiderium sui; unde sufficit ad causalitatem finis, quod idem quod est in exsecutione ponendum, intendatur et apprehendatur sub ratione boni et convenientis. Idea autem causat per modum regulæ et mensuræ, quæ debet realiter distingui a regulato et mensurato; ac proinde ad ejus causalitatem non sufficit, quod ipsamet res, quæ debet ad extra produci, menti artificis objiciatur ut factibilis, vel facienda; alioquin idem esset sui ipsius regula et mensura. »

III. ***Objectio contra tertiam conclusionem.***

1012. — 1°) « Objicies contra ultimam conclusionem: Idea debet esse perfecte similis ideato, cum res ideata debeat fieri ad instar illius. — Sed Essentia divina non est similis creaturis, nisi analogice et imperfecte. — Ergo non est illarum idea. »

« *Confirmatur*. Idea debet continere formaliter perfectiones, quæ sunt in re ideata. Sed Essentia divina, non continet formaliter perfectiones creaturarum, puta rationalitatem, equinitatem, aliasque perfectiones *secundum quid*, quæ habent aliquam imperfectionem admixtam; sed virtualiter tantum, aut eminenter. Ergo non habet rationem ideæ respectu creaturarum. — *Minor* constat. *Major* autem probatur a Vasquez, exemplo lucis; licet enim lux solis virtualiter aut eminenter contineat calorem, non potest tamen dici, vel esse illius idea, quia non continet illum formaliter. »

2°) « Ad objectionem respondeo, *primo* distinguendo *Majorem*. Idea debet esse perfecte similis ideato, *entitative* nego; *repræsentative, vel causative*, concedo. Idea enim est qualitas spiritualis et immaterialis in mente artificis; opus autem externum, quod ad instar illius formatur, materiale est et corporeum, nec est qualitas, sed substantia. Idem videmus in sigillo: sigillatum enim non imitatur sigillum in eo quod est in se entitative, quia in se est ex ære, vel auro; sigillatum autem est cera; sed in eo quod sigillum continet sigillatum in ratione figurabilis; imo ipsam figuram continet sigillum, modo inverso quam sit in sigillato. — Unde ad *Minorem* argumenti, similiter dicendum est, quod licet Essentia divina entitative sit valde dissimilis creaturæ; repræsentative tamen et causative, totum quod est in creatura continet, et assimilat illam sibi inadæquate. »

« *Secundo* responderi potest, quod sicut mater et filius dicunt relationem realem ad invicem, quando sunt ejusdem ordinis; secus autem quando filius est ordinis superioris et increati, ut patet in Christo, qui non realiter refertur ad B. Viginem, quia suppositum Verbi divini, cum sit ordinis increati, est incapax relationis realis ad creaturas: ita similiter, quando idea et ideatum sunt ejusdem ordinis, debent perfecte assimilari, et univoce convenire. Secus tamen quando idea est transcendens et inadæquata, ac ordinis superioris et increati, qualis est Essentia divina; tunc enim sufficit, quod sit similis ideato causaliter et eminenter; et quod ex ejus participatione et imitatione, ideatum habeat totum quod habet. Hanc autem similitudinem causalem et eminentialem habet Essentia divina respectu creaturarum, cum ex ejus participatione et imitatione, in creaturis derivetur totum illud, quod in illis est entitatis et perfectionis. »

« *Ad Confirmationem* similiter dicendum est, quod licet idea, quæ est ejusdem ordinis cum ideato, debeat formaliter continere omnes ejus perfectiones; secus tamen est de idea, quæ est ordinis superioris et increati, et quæ est transcendens et inadæquata, qualis est Essentia divina. Unde patet disparitas ad exemplum de luce a Vasquez adductum; lux enim solis non est ordinis superioris ad calorem et alias qualitates, quas virtualiter continet; nec eas continet continentia eminentiali perfecta, sicut Essentia divina; cum totum, quod est in calore, non derivetur a luce, nec illa producat calorem per sui participationem; sed est virtus cœli, quod est primum alterans hæc inferiora, ut docet D. Thomas, in 2. dist. 13, q. 1, art. 3, ad 6^{um}. —

Addo, quod lux non est influens in colorem vitali et intelligibili modo; nec ut inspecta et imitabilis ab illa, quod tamen requiritur ad rationem ideæ; quare illud exemplum Vasquez ineptissimum est. »

ARTICULUS VI.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN S. ALPHONSO.

1013. — Prænotanda. Sanctus ille Doctor Ecclesiæ, merito inter Neo-Scholasticos numerandus est, quia in tractanda Theologia ascetica, dogmatica et morali, S. Thomæ principia fideliter sequi solet, sicut alte testatur Leo XIII, in suo Brevi ad duos operum S. Alphonsi traductores, die 28 Augusti 1879, dicendo: « Ipsi quoque gratulamur incepto vestro, eo nomine, quod cum sanctus Auctor sæpe in scriptis suis Angeli scholarum doctrinam se secutum fuisse glorietur: ex hujusmodi recentioris Ecclesiæ doctoris erga illum obsequio, nova sancti Thomæ doctrinæ laus accedit et gloria, quæ gravius etiam commendet instaurationem illam christianæ philosophiæ, quam Nos studiosissime per recentes encyclicas litteras Nostras ad angelici doctoris mentem exigendum suasimus. »

Antequam divinum Exemplarismum alios doceret, S. Alphonsus illum prius et ita perfecte in tota sua agendi ratione professus est, ut nobis cum S. Paulo dicere potuerit: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1. Cor. 11, v. 1). Deinde in libris suis *asceticis* nihil instantius fidelibus commendat quam cognoscere, diligere et imitari Jesum Christum et Sanctissimam ejus Matrem Mariam, quæ post Filium suum, est pulcherrimum perfectionis nostræ Exemplar. Præterea christianæ sanctitatis essentiam reponit in divina charitate, cujus exercitium in Exemplarismo practico consistit, scilicet in voluntatis nostræ conformitate cum Dei Voluntate, quæ est omnis virtutis Norma.

In re *morali*, divinam Legem considerat tanquam supremam moralitatis humanorum actuum Regulam, et in dubiis conscientiæ æquissimum judicium profert inter jura divinæ legis et humanæ libertatis. Hoc autem judicium, quod *Æquiprobabilismum* constituit, præcipue fundatur in principiis divini Exemplarismi, scilicet in obligatione nos conformandi Veritati, seu Legi æternæ, quæ est suprema moralitatis Regula, quantum possumus, quando in dubiis conscientiæ opinio legi favens est *certe probabilior* quam opinio favens libertati. Sic ipse loquitur in sua Morali lib. 1, n.° 56: « Si opinio quæ stat pro lege videatur *certe probabilior*, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam, quæ stat pro libertate, amplecti. Ratio, quia ad licite operandum debemus, in rebus dubiis, veritatem inquirere et sequi. At ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam quæ propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior. » (Vide insuper ibid. n.° 88, et in *Dichiarazione del sistema*, anno 1774). — « Contra vero, ubi opiniones sunt *æque probabiles*, lex est vere dubia dubio stricto, ita ut nullo modo tunc lex dici potest sufficienter promulgata. » (Moral., lib. 1, n.° 88). Tunc igitur non tenemur sequi opinionem legi faventem. Hanc controversiam referemus in Tomo III, Parte II.

In Theologia *dogmatica*, sanctus Doctor penetrare non tentat inscrutabilia divinæ Scientiæ ac prædestinationis secreta, sed mediam viam tenens inter Thomistas modernos et Molinistas, docet circa gratiam systema, quod in divini auxilii petitione a Deo, fundatur, et est omnium hominum saluti utilissimum. Hoc systema propugnabimus in Tomo III, Parte II.

In hoc Articulo videbimus quid doceat S. Alphonsus 1°) de prædestinatione Jesu Christi; 2°) de exemplari ejus Pulchritudine, et 3°) de exemplari pulchritudine B. V. Mariæ.

§ I.

De prædestinatione Jesu Christi.

1014. — Prævia quæstionis explicatio. Sanctus Doctor, sicut diximus, prudenter aliis modernis theologis relinquit inquirere abditissimum prædestinationis *nostræ* mysterium, sed eximiam scripsit *de Prædestinatione Christi* dissertationem diu ineditam, quæ nuper in lucem prodiit Romæ anno 1896, curante R. P. Van Rossum, C. SS. R.

Quæstionem de Christi prædestinatione tractabimus in Tomo III, Parte II. Nunc ea tantum dicemus, quæ ad S. Alphonsi dissertationem intelligendam requiruntur. Quæritur autem utrum *de facto*, id est sub præsenti providentia, Christus prædestinatus fuerit necne independenter ab Adami peccato, ita ut Verbi Incarnatio decreta fuisset, etiamsi Adam non peccasset.

Ad hanc quæstionem schola Thomistarum respondet *negative*, quia in præsenti decreto Christus prædestinatus fuit ut Redemptor peccati a Deo prævisi, vel tanquam ab Adamo *commissi de facto*, sicut tenent S. Thomas, S. Bonaventura multique insignes theologi, vel tanquam *possibilis in futuro*, sicut putant quidam

recentiores Thomistæ et alii. — E contrario, schola Scotistarum, respondet *affirmative*, quia Deus Christum prædestinavit, ut Bonitatem suam summo modo per summam universi perfectionem et ordinationem ad Deum manifestaret ad gloriam suam. — S. Alphonsus, sacrorum librorum auctoritate suo more innixus, ex quibus solis præsentia Dei decreta nobis certe revelantur, S. Thomæ sententiam in præsenti dissertatione propugnat 1°) contra Scotistas; 2°) contra recentiores Thomistas, qui opinantur Christum fuisse ante omnia prædestinatum ut Redemptorem peccati in futuro possibilis.

Dissertatio S. Alphonsi.

1015. — « Cum ex una parte, S. Scriptura certo dicat, Christum prædestinatum esse ut hominum peccato mederetur; ex altera autem parte, nullus detur Scripturæ locus, qui saltem clarus sit, ex quo inferri possit, Christum ante homines et ante permissionem eorum peccati fuisse prædestinatum, quid causæ est, cur ante hominum creationem fuisse decretam *Incarnationem* et hominum *Redemptionem?* »

S. Thomas in 3. q. 1, art. 3, suam fulcit sententiam in eodem solido librorum sacrorum fundamento.

Pars I.

Sententia S. Thomæ et S. Alphonsi propugnatur contra Scotistas.

Claritatis causa hunc titulum ipsius S. Alphonsi textui adjicimus, illumque in duos numeros divisimus. In primo refellit Scotistarum objectiones ex S. Scriptura desumptas, et in secundo refutat intrinsecam rationem opinionis eorum.

I. *Refelluntur objectiones ex S. Scriptura desumptæ.*

1016. — I. **Opponitur** illud Apostoli ad Coloss. 1, v. 15-17: « *Qui est imago Dei invisibilis, Primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra visibilia et invisibilia... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* »

« Ex quo objicitur 1°) Quomodo concipi potest Christus Primogenitus creaturarum, nisi quia ante eas omnes fuit prædestinatus? 2°) Quomodo dicit posset: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt*, si Christus non fuisset prædestinatus ante omnes res creatas? »

« *Ad 1^m respondetur*, Christum Primogenitum vocari ratione *dignitatis*, non ratione *naturæ* vel *signi*, cum Christus, in ipsa sua prædestinatione factus sit Caput omnium hominum, fratrum suorum. — Atque hoc confirmatur his aliis Apostoli verbis: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus* (Rom. 8, v. 29). Itaque omnes prædestinati debent conformes fieri Christo, ut ipso sit Primogenitus eorum ratione *dignitatis;* et hanc ob causam Christus etiam constitutus fuit Rex omnium angelorum, sicut exponit S. Thomas 3. q. 8, art. 4: *Totius autem hujus multitudinis* (hoc est angelorum et hominum, ut supra) *Christus est Caput, quia propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli; et de ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam angeli.* Et commemorat Apostolum ad Eph. 1, v. 20; *Constituit eum supra omnem potestatem et dominationem, et non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Quibus subjungit S. Thomas: *Et ideo Christus non solum est Caput hominum, sed etiam angelorum*, non ratione præordinationis, sed ratione dignitatis ipsius, eo quod omnes creaturæ ipsi fuerint subjectæ. »

« *Ad 2^m respondetur*, verba *per ipsum et in ipso omnia creata sunt*, etc. explicari et intelligi de persona Verbi, sicut jam dixerat S. Joanner 1, v. 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt.* Et sicut omnia opera amoris a Spiritu sancto procedere dicuntur, ita omnia creata facta dicuntur per Verbum et in Verbo, Sapientia Patris, quia in toto universo magna Dei Sapientia resplendet. Unde vox *per ipsum* non debet intelligi ac si diceretur propter ipsum, sed ab ipso, id est per manus ejus. »

« II. **Opponitur** hic S. Pauli locus ad Hebr. 2, v. 10 et 11: *Decebat enim Eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum per passionem consummare.* »

Respondetur: « Verba *propter quem omnia* non dicuntur de Christo, sed de Patre, cum explicetur verbum *Eum* hoc modo: Decebat Deum Patrem, de quo jam sermo erat, Christum punitioni tradere; Deus enim Pater est is, propter quem, et per quem sunt omnia. »

« III. **Objicitur** alius ille locus: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (Rom. 8, v. 29). Unde etiam S. Thomas dicit, prædestinationem Christi nostræ prædestinationis fuisse causam. »

« *Respondetur* hoc intelligendum non esse de prædestinatione naturæ in statu innocentiæ, in quo homo fuit, sed de prædestinatione ad glo-

riam post commissum peccatum; quo commisso, cum homini cœlorum janua esset clausa, necesse fuit, ut denuo intrare posset, Christum Redemptorem prædestinari. Et ita ne Adam quidem fuit prædestinatus, nisi propter Christi merita. Quocirca bene dicit S. Thomas, Christi prædestinationem fuisse nostræ prædestinationis causam, stante scilicet peccati impedimento. Sed inde concludi non potest Christum ante omnes homines fuisse prædestinatum. »

II. *Refellitur intrinsecum Scotistarum argumentum.*

1017. — Hoc argumentum ex eo desumitur, quod Deus, in tota operatione sua *ad extra*, primario intendit non hominum salutem, sed propriam gloriam suam summa perfectionis suæ manifestatione procurandam; quæ manifestatio summa fit per Verbi Incarnationem; ergo Deus Incarnationem intendit ante hominum salutem. — Sanctus doctor hanc conclusionem negat: mundi creationem, creaturarum rationalium libertatem, peccati permissionem et Christi Redemptoris prædestinationem mire coordinando ad Dei gloriam prius ab Eo intentam. Sic ipse *respondet:*

« Certum est, Deum in operando *ad extra* non habuisse, nec habere potuisse alium finem quam seipsum et gloriam suam. Propter hunc finem fecit in tempore magnum hoc opus Creationis mundi et creaturarum, ut manifestando ipsis divina sua attributa per opera Potentiæ, Justitiæ, Bonitatis et Amoris sui, debitum honorem ab illis reciperet, timorem scilicet, obsequium et amorem, quibus dignus est. »

« Conveniebat propterea gloriæ omnipotentis Dei, ut haberentur alia entia extra ipsum, quæ licet prædita libertate eum offendendi, et pro aliis hujus mundi bonis delectabilibus ab eo deficiendi, eligerent tamen ipsi credere per fidem, et propter ejus Bonitatem, ipsi tantum antea manifestam, Ei servire Eumque diligere, iis abstinendo quæ divinis præceptis essent contraria. Et hac ratione apparet cur Deus angelos et homines non creaverit impeccabiles, ut omnes necessario salutem consecuti fuissent; non enim tanta inde Deo gloria orta esset, quanta resultat ex eo quod creaturas suas, et maxime homines liberos fecit, quorum voluntas inter rationem et sensus sibi invicem adversantes posita, obsequium ipsi exhiberet aut negaret. Etenim si merito ac demerito non fuisset datus locus, et ita, seclusis præmiis et pœnis, Deus juxta suum decretum coactus fuisset creaturas suas salvare, justitiam suam vel misericordiam in eas exercere non potuisset. Verumtamen in hoc maxima Dei gloria consistit, sicut etiam præcipua cujuslibet principis gloria et majestas in eo sita est, quod efficit ut a subditis suis ametur, atque timeatur propter præmia vel pœnas, quæ distribuere, seu propter munificentiam vel punitionem, quas exercere potest. »

« Itaque creavit Deus omnes creaturas. Creavit igitur primum angelos, fuitque ejus gloria, tertiam eorum partem in inferuum demittere ad manifestandam suam Justitiam, puniendo eorum superbiam. »

« Deinde ad gloriam suam creavit hominem, qui obsequium et amorem ipsi præstando, gloriam æternam sibi mereretur; et quamvis ei præstaret finem supernaturalem et auxilia ad salutem necessaria, illum tamen reliquit liberum operibus suis promerendi aut vitam æternam, aut mortem quam ei tunc minatus est. »

« Prævaricatus est Adam, seque ad salutem consequendam inhabilem reddidit, delicti sui pœna in omnes posteros transmittendo. Quapropter humanum genus spe salutis privatum remansit, quia ex una parte, Deo satisfieri oportebat, et ex altera, homo a semetipso ei satisfacere non poterat. Unde conveniens fuit, ut Verbum se faceret hominem, atque ita Deo restitueret honorem peccato ei ablatum, hominemque a pœna peccati liberaret. »

« Ad suam igitur gloriam a Deo præordinata erat creatio hominum, qui servitute et amore honorem ipsi tribuerent, ut postea in cœlis eo fruerentur in æternum. Sed cum per Adami peccatum homines facti sunt salutis incapaces, propter hanc causam necessaria fuit Verbi Incarnatio. »

« Idcirco ad Dei gloriam præordinata fuit et hominum creatio et prædestinatio Christi. Christus autem intantum fuit prædestinatus, inquantum debebat esse Redemptor; et intantum debebat esse Redemptor, inquantum debebat redimere peccatum. Sublato igitur peccato, non debebat esse Christus, neque ut Redemptor, neque ut homo. »

Pars II.

Genuina S. Thomæ sententia propugnatur contra aliquos recentiores Thomistas.

1018. — Hæc ultima S. Alphonsi conclusio est vera doctoris angelici sententia, quam communiter tenent ejus discipuli, si paucos excipias, inter quos eminent Gonetus et Salmanticenses, opinantes Christum fuisse ante omnia prædestinatum ut Redemptorem peccati, non quidem *commissi*, sed in futuro *possibilis*. Istam opinionem rejicit S. Alphonsus in sua dissertatione, his verbis pergendo: « Nec dici potest, Christum ante homines fuisse prædestinatum ut Redemptorem peccatorum, quæ in futuro

erant possibilia. » — Quam sententiam refutat duplici modo, scilicet exponendo argumenta contraria, et deinde respondendo ad objectiones adversariorum.

I. *Exponuntur argumenta doctrinæ S. Thomæ.*

1019. — **Argumentum 1m** ex eo desumitur, quod in divinis decretis, certa prævisio peccati commissi præcessit prævisionem passionis Redemptoris. Hoc autem probat sanctus Alphonsus tum ex verbis Isaiæ, tum ex ratione theologica, scilicet ex eo, quod in divina intentione ordo naturæ præcedit ordinem gratiæ et gloriæ, quæ naturam supponunt. Sic loquitur S. Alphonsus:

« Etenim 1°) eo ipso, quod de Christo Redemptore sermo fit, supponi debet, peccatum jam *certo* præcessisse, non vero *possibile esse*, cum quod possibile est, evenire possit vel non possit. Et hanc ob causam, Isaias dixit 53, v. 6, quod Deus Christum prædestinans: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Ex quibus patet, eum oneratum fuisse peccatis, quæ revera nostra, non vero quæ possibilia erant. — Et eodem sensu subjungit Propheta in citato Cap. 53, v. 8: *Propter scelus populi mei percussi eum;* v. 11: *Iniquitates eorum ipse portabit*, et v. 12: *Et ipse peccata multorum tulit;* et v. 4: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* »

« Num dilucidius hi Scripturæ loci indicare poterant, Christum fuisse prædestinatum Redemptorem peccatorum nostrorum jam prævisorum, non vero possibilium peccatorum hominum possibilium? Christus ergo sese obtulit ad satisfaciendum pro peccatis populi sui; Deus autem ipsi præordinavit passionis pœnam, non ante, sed post prævisam culpam. Secus enim Christo pœna fuisset præfinita antequam peccatum ipsi impositum fuisset; nec poterat peccatum ei imponi antequam prævisum fuisset. Hinc S. Thomas et Cajetanus in 3. q. 1, art. 3 ad 4m, distinguens ordinem naturæ, gratiæ et gloriæ, ratione signi ordinem *naturæ* prævisum esse ait ante *gratiæ* et *gloriæ* ordinem. Et ita cum asseveret, hominum peccata ad ordinem *naturæ* pertinere, inde colligit ea fuisse prævisa ante Incarnationem Christi, cujus prædestinatio ad ordinem *gratiæ* spectat. »

Argumentum 2m petitur ex eo quod, testante Scriptura, Redemptio præordinata est ob amorem mere gratuitum, quem Deus ab æterno habuit erga homines peccatores, ante suum Redemptorem prævisos in ordine divinæ rationis, seu intentionis. Ipsum S. Alphonsum audiamus:

« 2°) Quia certo nobis constat, Incarnationem et Passionem Christi, quamvis præcipue ad Dei gloriam, ejusque reparandum honorem ordinatam, fuisse etiam opus, quo Deus suum erga homines amorem ostendere voluit, quod suis propriis expensis eos a peccato redimeret. »

a) « Quod quidem ex pluribus Scripturæ locis manifestum est: *Charitate perpetua dilexi te* (Jerem. 31, v. 3).

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Joan. 3, v. 16).

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccavis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati (Eph. 2, v. 4).

In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris (1. Joan. 4, v. 10).

Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos (Joan. 13, v. 1).

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea (Joan. 13, v. 1).

Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (Joan. 15, v. 12 et 13).

Et Apostolus: *In fide*, inquit, *vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Galat. 2, v. 20).

Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis (Eph. 5, v. 4).

b) Isto S. Scripturæ fundamento innixus, sic ratiocinatur S. Doctor: « Itaque Christus, primum dilexit nos, et quia nos dilexit, pro nobis mori voluit. Atqui, hic amor, erga nos exhibitus, non potest intelligi esse amor erga homines possibiles, sicut dicendum esset, si ante hominum prædestinationem jam præordinatum fuisset Redemptionis opus. » Ergo ille amor ab æterno fertur erga homines realiter futuros atque a Deo prævisos ante ipsorum Redemptorem.

« Inde liquet Deum, non solum ad suam gloriam ordinasse Redemptionem, sed etiam ad amorem, quo homines amplectebatur. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit* (1. Joan. 3, v. 16).

« Quin et amor hominum fuisse videtur præcipuus finis; quandoquidem nisi Deus simul salvare voluisset genus humanum: aliis modis, nec tot assumptis molestiis, honorem peccato ablatum reparare potuisset; quia vero utrumque volebat, amore nostri in cruce mortem obire decrevit. Quapropter in Symbolo dicitur Christum incarnatum esse de Spiritu sancto; siquidem erat opus charitatis. *In hoc apparuit*

charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. » (1. Joan. 4, v. 9).

In isto loco, sanctus Doctor asserit, Dei amorem erga homines fuisse præcipuum finem *modi possibilis*, quo Redemptionis opus patrare elegit, non autem *ipsius operis* Redemptionis in genere spectati, cujus præcipuus finis est gloria Dei reparanda, sicut supra dictum est. Sed cum Christus divinam gloriam reparare potuisset multis modis, modum possibilem elegit potius ad suum amorem hominibus manifestandum, quam ad divinum honorem reparandum.

Concludit S. Alphonsus: « Quæ cum certa sint, quomodo dici potest, Incarnationis et Redemptionis opus, fuisse ex amore erga homines decretum, si ambo ante homines fuissent præordinata? Omnis amor fuisset in Creatione, quia homines eo ipso quod *crearentur*, necessario debuissent quoque *redimi;* eo quod ante ipsos, jam fuisset statuta Christi Redemptio, quæ deesse non potuisset. »

Argumentum 3^m^. « Quia in plurimis Scripturæ locis expressum invenimus, Christi Redemptionem fuisse ordinatam *in remedium peccatorum hominum. Venit Filius hominis salvare quod perierat* (Matt. 18, v. 11).

In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli (1. Joan. 3, v. 8). »

His textibus addi possunt verba quæ Christus dicit de seipso: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus;.... non enim veni vocare justos, sed peccatores* (Matt. 9, v. 12 et 13).

Atqui, remedium realiter applicandum intendi nequit, nisi præsupposito morbo, non tantum possibili, sed realiter futuro.

Ergo similiter Redemptio a Deo decerni nequit, nisi præviso peccato non tantum possibili, sed futuro. Unde S. Augustinus ait: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla causa est medicinæ* (Patr. lat. Migne, T. 38, p. 945).

II. ***Refelluntur adversariorum objectiones.***

1020. « *Objicitur 1°)* Certum est, Deum semper operatum esse propter gloriam suam. Unde cum indubitatum sit, Christum Redemptorem esse primarium gloriæ objectum, dicere debemus, prædestinatum fuisse Christum ante omnes creaturas. »

« *Respondetur:* Non est dubium, quin Deus in operibus *ad extra*, sive in rerum omnium Creatione, suam gloriam sibi constituerit tanquam finem. Sed Dei gloria, in prima ejus intentione in hoc reponenda est, quod omnes propter divina ejus attributa, obedientiam et amorem ipsi præstarent, atque singuli permanerent in statu innocentiæ in quo creatus fuit Adam. Istum igitur dicamus oportet fuisse divinæ gloriæ finem.

« Fatendum est quidem, peccatum ab Adamo commissum, occasionem fuisse majoris gloriæ Dei; sed in majorem Dei gloriam fuit, quia per Christum restitutus est honor divinus, quem violaverat peccatum, et reparata ruina hominum, qui peccati servi evaserant. Unde remoto peccato, quænam Deo gloria ex eo provenisset, quod Christus incarnatus esset ac mortuus pro hominibus? »

« Neque hoc alienum est a Deo, qui sæpissime voluit e malo majus elicere bonum, quod ante illud malum non existebat. »

« Fuit itaque Christus prædestinatus, sed prædestinatus omnino tanquam Redemptor, quod supponit peccatum hominum jam prævisum, ut supra dictum est. Deinde autem propter dignitatem suam, Christus factus est Caput omnium creaturarum, et principatum in universam Creationem accepit. »

« Atque Estius ad objectionem: Quomodo peccatum hominum, summo Incarnationis bono occasionem dare potuerit, respondet in Deo non dari occasiones, quia Deus ab æterno omnes res omniumque rerum rationes vidit. Und licet Incarnatio fuerit summum bonum, Deus nihilominus vidit, rationem Incarnationis dependere ab hominum peccato, etsi primum ejus consilium nonnisi hominum Creatio fuit. »

« *Objicitur 2°)* Nunquam supponi debet Christum fuisse prædestinatum, tantum propter bonum hominum; secus dici deberet, dignius intentum, fuisse minus digno postpositum. »

« *Responsum* ad illam objectionem perspicuum est; non valet enim Consequentia. Christus siquidem non fuit potissimum prædestinatus ad salutem hominum, sed ad Dei gloriam; ad restituendum scilicet honorem divinum peccato ablatum. Finis ergo primarius, quem Deus in Christi prædestinatione habuit, fuit gloria sua; fuit Ipse sibi, licet fini huic primario etiam conjungere voluerit, ut finem secundarium, salutem hominum quos amabat. Unde Christus ad Dei gloriam prædestinatus fuit post peccatum, non secus ac si ante peccatum prædestinatus fuisset. »

Etenim in utroque casu, finis primarius Incarnationis, vel Redemptionis, est Dei gloria, sive per summe bonum Incarnationis opus procuranda, sive per expiatorium Redemptionis opus reparanda; cui reparationi secundario adjungitur salus hominum. Ergo in secundo casu, dignius intentum non fuit minus digno postpositum.

Conclusio.

Ex hac dissertatione *de Prædestinatione Christi*, luculenter apparet S. Alphonsum, doctorem zelantissimum atque utilissimum, plene consentire doctori angelico, et sic merito inter Neo-Scholasticos adnumerandum esse. Quando enim opus est, præcipuas sublimissimasque Scholæ quæstiones ad divinas ideas pertinentes, cum pari soliditate et acuitate ingenii solvere valet. — Hanc autem doctrinam in præsenti opusculo mole parvo, sed sapientia maximo probatam, supponit S. Alphonsus in omnibus suis operibus dogmaticis et asceticis.

§ II.

De exemplari Pulchritudine Jesu Christi.

S. Alphonsus, aliquam Christi sponsam alloquens, die solemni in qua sacrum Religionis habitum susceptura erat, amorem ipsius ejusque sororum erga divinum Sponsum augere intendit, divinam et humanam illius Pulchritudinem demonstrando 1°) ex S. Scriptura; 2°) ex ratione vere scholastica, nimirum ex omnibus causis Pulchritudinis Christi, inter quas recenset causam exemplarem, seu idealem; 3°) ex Sanctorum revelationibus.

I.

Probatur ex S. Scriptura.

1021. — « A quonam melius discere possemus, nisi a sacra Canticorum Sponsa, tam familiari atque intimo conjuncta divino huic Sponso; et quibus verbis, nisi verbis ejus, melius exprimere possemus quantum amabiles sunt Christi dotes ac potissimum illius Pulchritudo et habitus gratia plenus? Quando filiæ Jerusalem illum noscere cupientes, ab hac sancta Sponsa flagitant: *Quàlis est dilectus tuus?* respondet cum ardore amoris pleno, et sic vobis etiam dicit veracissimo ore suo: *Dilectus meus.... electus ex millibus* (Cant. 5, v. 18); Pulchritudo ejus superat omnem pulchritudinem; caput ejus flavum est, refulgens velut aurum purissimum; facies ejus lilio candido ac splendido assimilatur. Atque sic præclarissimas imagines et vividissimas figuras adhibens, pergit in dignitate ac Pulchritudine Sponsi divini describenda, tam in toto quam in partibus ejus, usquedum nesciens quid amplius dicat, his verbis concludit: *Totus desiderabilis... talis est dilectus meus.* Non est sicut cæteri homines; Pulchritudine sua omnes superat: *Speciosus forma præ filiis hominum* (Psal. 44, v. 3). Adeo perfectus est, ut nulla desit ei perfectio; in omnibus perfecte pulcher est, in omnibus pulcherrimus est. Si respiciat, splendor divinitatis absconditæ emicat in oculis ejus, quorum unus tantum intuitus sufficit ad corda allicienda atque inflammanda. Si loquatur, lac et mel ex ore ejus fluunt; vox illius dulcedine plena est; unum ipsius verbum sufficit ad omnia corda cœlesti beatitudine complenda. Uno tantum gestu innumeras ad se gentes attrahit, et uno gressu durissima corda emollit. In quocumque statu consideretur, ait S. Augustinus, sive ut æternum Verbum in sinu Patris, sive ut homo in matris suæ brachiis, aut in vita sua abscondita vel publica, semper apparet totus amabilis, totus desiderabilis. »

II.

Probatur ex omnibus pulchritudinis causis.

1022. — « Certissime hic Deus, qui Sponsus vester ex amore efficitur, pulcher est, et quidem omnibus causarum generibus, quæ ad ejus Incarnationem complendam cooperatæ sunt. »

« Pulcher est virtute *causæ efficientis*, nempe Spiritus sancti, qui corpus Christi formavit in sinu matris ejus. Etenim cum divinus ille Artifex potentia polleat infinita, opificia ejus imperfecta esse nequeunt, quando immediate ex ipsius manibus exeunt. Atqui, talis fuit sancta humanitas, quæ ab ipso Verbo assumenda erat. Quantis igitur perfectionibus a tali Auctore ditari oportuit! Ipse Dominus formavit Adami corpus, illudque corporum pulcherrimum condidit, quoniam erat templum animæ ad imaginem Dei creatæ. Quid inde dici potest de hac novi Adami humanitate, quæ indissolubiliter et hypostatice divinitati Verbi unienda erat? Nonne Spiritus sanctus in ea includere debuit compendium omnis perfectionis omnium creaturarum, ipsam complendo, et quidem in supremo gradu, omnibus pulcherrimis dotibus, quæ in eis inveniuntur? »

« Pulcher est Christus virtute causæ *materialis*, nempe purissimi sanguinis Virginis Matris, in quo nihil reperiri potuit, quod formationi immaculati corporis Christi contrarium foret. »

« Pulcher est virtute causæ *formalis*, scilicet animæ ejus, quæ Verbo unienda erat, et admirabile Christi corpus informatura. Ex hac anima, ut putat S. Hieronymus, resplendere oportuit fulgor omnium virtutum et divinitatis absconditæ. Quanta igitur esse debuit vultûs Christi pulchritudo! Quanta bonitatis irradiatio! Unde sacra Sponsa admirabunda exclamat: *Ecce tu pulcher, dilecte mi, et decorus!* (Cant. 1, v. 15). Bis pulchrum nuncupat eum, pulchrum ut hominem, pulchrum ut Deum. »

« Pulcher est virtute causæ *idealis;* hunc enim formans Spiritus sanctus, profecto aspexit omnium perfectionum speculum, videlicet ipsum Verbum, ut illud imitando, in Christo produceret Pulchritudinem omnes pulchritudines superantem, quas creavit Deus, atque in singulis creaturis dispersit: in sole, in stellis, in cœlis, in omnibus elementis, in avibus, in floribus; ut visibilium rerum ope, nobis daret aliquam notionem invisibilium divinitatis suæ pulchritudinum. *Invisibilia enim Ipsius... per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom. 1, v. 20). Deus in qualibet creatura aliquam resplendere facit scintillam Pulchri supremi, quod in Ipso est, et Spiritus sanctus omnes istas pulchritudines spargere atque conjungere debuit in sacrosancta Verbi humanitate, ut Sponsus vester cœlestis pulchritudines Creatoris, melius quam cæteræ simul creaturæ, manifestaret. »

« Christus pulcherrimus est virtute causæ *finalis.* Venit enim ut esset Ipse omnium creaturarum finis, et consequenter ut illis ultimam conferret perfectionem. Quali igitur Pulchritudine Ipsum præditum esse oportuit! Venit ut amore ad se attraheret creaturarum suarum corda; ut omnia quæ nobis in hoc mundo placent, nosque seducunt, offuscaret; ut esset affectuum nostrorum magnes; ut animas nostras sibi lucraret; ut nos ad virtutem hortaretur; ut nos ad laborem sustinendum excitaret, atque ad omnia bona opera libenter propter eum aggredienda; ut esset denique merces eorum qui ipsum sequuntur. Inde quanta oportuit esse illius Pulchritudo! Quanta dignitas! Quanta gratia! Quanta amabilitas! Quanta in ejus sermone suavitas! Quanta in ejus conversatione affabilitas! Quanta in externis ejus actibus illecebra! »

III.

Probatur ex Sanctorum revelationibus.

1023. — « Oh! quam pulcher est! Isaiæ credite, qui Christum aspexit, quando velatus est ab inimicis Pulchritudini ejus invidentibus; quando in passione et cruce ita deformatus est, ut hic propheta de illo dixerit: *Vidimus eum, et non erat aspectus* (Isai. 53, v. 2). Num etiam tunc vulnerum suorum livore Pulchritudinem suam amori nostro manifestabat? Pulchritudinem nimirum et amabilitatem, quas tunc ostendit ejus Bonitas erga nos, quemadmodum testatur S. Augustinus extra se raptus: *Etiam in ligno pulcher, etiam pulcher in sui depositione decoris.* Inde videte et intelligite qualis est Pulchritudo divini Sponsi vestri!... »

« Postquam S. Paulus apostolus Pulchritudinem Christi Jesu contemplatus est, quando Salvator ei apparuit illumque vocavit, sicut in Scriptura legitur, tunc cor suum veluti amisit ne creaturas diligeret, oculosque clausit ne illas videret. Omnis enim earum pulchritudo, omnis magnificentia, quæ antea oculos ejus poterant delectare et cordis affectum allicere, deinceps ipsi apparuerunt non tantum ut aspectu indignæ, sed etiam ut contemptu dignæ, tanquam fœdissimum sterquilinium, tanquam stercora (Philip. 3, v. 8). Contemplatio Jesu Christi, qui totum Paulum ad se traxerat, supremum omnis creaturæ tædium in ejus corde generavit. »

« Similiter S. Franciscus Assisinas, dum dilecti sui Jesu Pulchritudinem in mentis suæ excessibus admiraretur, exclamare solebat: Præ amore Jesu Christi, omnium rerum creatarum tædet me; creaturæ nihil amplius habent quod me alliciat; neque angeli, neque archangeli cor meum implere possunt; lumen solis simile mihi videtur ipsis tenebris, quando splendidam dilecti mei faciem contemplor. »

« Postquam S. Teresia unam tantum manum divini sui Sponsi aspexit, quamvis ligatam ad flagellationis columnam et vinculorum constrictione inflatam, extra se rapta est tantæ pulchritudinis intuitu; impossibile ipsi visum est quamlibet rem terrestrem deinceps diligere, et omnia quæ in mundo sunt non despicere tanquam nihilum. Imo, etiamsi omnes pulchritudines in creaturis existentes simul conjunctæ fuissent cum multis aliis pulchritudinibus possibilibus, ad unicum totum efformandum, non dignata esset tam mirabile objectum nedum semel aspicere, tantopere in hac Christi manu contemplanda admiratione rapta fuerit. » (Oper. asceticor. T. 11, p. 478).

§ III.

De exemplari pulchritudine B. V. Mariæ.

I.

Prænotanda circa opusculum S. Alphonsi de hoc argumento.

1024. — 1°) S. Alphonsus non tantum theologus fuit, sed etiam artifex et poeta; quapropter veri pulchri amore vivide afficiebatur, et recensendus est inter *homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes,* quos laudat S. Scriptura (Eccli. 44, v. 6). Celebrata divina et humana Jesu Christi pulchritudine, sancto amore atque enthusiasmo compulsus est huic encomio conjungere laudem pulcherrimæ Virginis, Christique Matris Mariæ.

In hoc poetico opusculo, quod post aliquam Deiparæ apparitionem compositum fuisse fer-

tur, de mira Virginis pulchritudine loquitur quasi divinus Artifex illam tanquam exemplar in creando mundo aspexisset, ita ut perfectissimam Filii sui Matrem in æterna Mente sua ante cæteras creaturas prædestinaverit, juxta prædictam in § I Scotistarum opinionem. Ast ibi sanctus Doctor scripsit non sicut theologus, sed sicut poeta, et figura usus est, ad exprimendum, quod in B. Virgine perfectissimo modo elucet quidquid ornamenti ac decoris in pulcherrimis creaturis invenitur.

Non enim in mente S. Alphonsi fuit, theologice attribuere Matri Jesu Christi majorem pulchritudinem, quam ipsi Christo. — Atqui, in § II laudans humanam Jesu Christi pulchritudinem, nequaquam docet divinum Artificem eam aspexisse tanquam exemplar perfectionis cæterarum creaturarum; sed ait supremum omnis creatæ pulchritudinis Exemplar esse invisibilem ipsius Dei Pulchritudinem, in suo Verbo velut in speculo aspectam, atque a Spiritu sancto intentam tanquam variis modis imitandam incomparabiliter perfectius in sola Christi humanitate, quam divisim in cæteris omnibus creaturis. Nam theologice loquendo, unicum Exemplar, quod divinus Artifex in tota operatione ad extra aspicit et imitatur, est propria sua Perfectio; non autem perfectio ullius opificii sui quamtumvis eximii, quales sunt Christus homo, vel B. V. Maria, quæ sunt secundaria omnis perfectionis exemplaria, non Deo, sed nobis hominibus.

En ipsa sancti Doctoris verba, superius jam citata: « Christus pulcher est virtute *causæ idealis;* hunc enim formans Spiritus sanctus, profecto aspexit omnium perfectionum speculum, videlicet ipsum Verbum, ut illud imitando, in Christo produceret Pulchritudinem omnes pulchritudines superantem, quas creavit Deus, atque in singulis creaturis dispersit: in sole, in stellis, in cœlis, in omnibus elementis, in avibus, in floribus; ut visibilium rerum ope nobis daret aliquam notionem invisibilium divinitatis suæ pulchritudinum. »

Ergo S. Alphonsus in opusculo de pulchritudine B. Virginis, illam extollere non potuit supra ipsius Christi Pulchritudinem. Ergo non theologice, sed poetice ibi loquitur. Ergo ibi non profitetur Scotistarum sententiam, quam in sua dissertatione *de Christi prædestinatione* impugnavit.

2°) *Confirmatur* ex eo, quod in aureo opere suo de *Gloriis Mariæ*, ubi res theologice tractat, expresse tenet opinionem Scotistis contrariam. Nam in Parte I, cap. 5, § 2, sanctus Doctor B. Virginem cum Gulielmo Parisiensi sic alloquitur: « Totum quod habes gratiæ et gloriæ, imo ipsam dignitatem Maternitatis divinæ, si fas est dicere, peccatoribus acceptam referre debes, quia *eorum causa* Verbum divinum te Matrem suam fecit. » — Similiter ibid. in § 3 utitur sequentibus S. Anselmi verbis: « Scio eam magis propter peccatores, quam propter justos factam esse Dei Matrem. Dicit enim ipse bonus Filius ejus, se non venisse vocare justos, sed peccatores. Et propterea cantat Ecclesia: »

« Peccatores non abhorres,
Sine quibus nunquam fores
Tali digna Filio. »

II.

S. Alphonsi opusculum, cui titulus est: Acclamationes ad Mariam.

1025. — Sanctus Doctor exemplarem gloriosæ Virginis pulchritudinem, tam spiritualem quam corporalem, poetice celebrat 1°) præclarissimas Sanctorum laudes referendo; 2°) propriam vocem suam huic concentui conjungendo, B. Mariam laudando, præcipue tanquam Redemptoris Matrem et gratiarum Redemptionis dispensatricem, præsertim erga animas sibi devotas. Ipsum audiamus:

1°) « O Sanctissima Virgo Maria! O angelorum Regina! Quam pulchram, completam, perfectam te fecit Deus! Utinam oculis Dei talis apparere possem, qualis tu oculis meis appares! Tam pulchra et gratiosa es, ut corda rapias. Tuo aspectu omnis pulchritudo evanescit, omnis gratia disparet, sic ut stellæ, oriente solis lumine. »

« S. Joannes Damascenus, piissime te contemplans, et tam pulchram te videns, existimavit te collegisse florem omnium creaturarum, scilicet quidquid in earum qualibet perfectissimum est. Ideo te mundi universi gratiam ac delicias, seu *naturæ venustatem*, nominare non dubitavit, (In Nativ. B. V. I. Serm. 1). »

« S. Augustinus quoque, sol doctorum, te contemplatus est; illi autem tam amabilis et admirabilis apparuisti, ut te dignam judicaverit, quæ sine excessu voceris facies et figura Dei: *Si formam Dei te appellem, digna existis.* (Serm. 208, edit. Migne, appendix). »

« Et quando devotus tuus filius Albertus Magnus te ipse contemplatus est, putavit omnes gratias, omniaque dona, quæ electas veteris Testamenti mulieres ornaverunt, in te majori perfectione conjungi. Habes Saræ os aureum, tu quæ cœlum et terram subridendo lætificas; habes mitissimos fecundae Liæ oculos, quibus cor Dei emollis; habes admirabilem faciem pulchrae Rachel, cujus splendor radios solis of-

fuscat; habes gratiam et illecebras prudentis Abigail, quibus justam Domini iram placas; habes ardorem et fortitudinem magnanimis Judith, tu quæ ferocissima corda domare soles, tam fortiter quam suaviter. »

« Tandem, o suprema Domina, ex immenso pulchritudinis tuæ oceano, velut flumina e suo fonte, exierunt omnium creaturarum pulchritudo et amœnitas. Mare crystallinos fluctus suos in orbem cum majestate movere didicit, intuendo aureos capitis tui concinnos pulchre in humeros tuos atque in eburneum collum fluctuantes. Limpidi fontes translucidaque eorum receptacula, quietem et tranquillitatem didicerunt, intuendo pulchræ frontis tuæ et amorosi vultus serenitatem. Iris fulgida, dum harmonicos suos evolvit colores, ut luminis sui radios fortius ejaculet, se in arcum curvare didicit, intuendo jucundos superciliorum tuorum arcus. Stella matutina et stella vespertina sunt duæ micantium oculorum tuorum scintillæ. Lilium candore splendidum, et rubicunda rosa, vividos colores tuos a genis tuis mutuaverunt. Purpura et corallium rubori labiorum tuorum invidere videntur. Lac sapidissimum et mel dulcissimum ex ore tuo fluunt. Suaviter olens gelsiminum atque odorans Damasci rosa, a tuo halitu unguenta sua acceperunt. Cedrus celsissima, cypressus elegantissima et rectissima, gaudent repræsentando colli tui altitudinem ac nobilitatem, dum palma staturam tuam majestate imitari gestit. Tandem, o Maria, omnes creatæ pulchritudines non sunt nisi umbra et pallida tuæ pulchritudinis imago. »

« Non igitur miror, o suprema Domina, si terra et cœlum pedibus tuis subjiciantur; etenim tam magna es, ut ea calcando dites, et ipsa pedum tuorum plantam osculari lætentur. Talis erat luna, quando S. Joannes eam vidit sub pedibus tuis, et sol jubare crevit, cum radiis suis amicta es. Ideo Evangelista ille et simul propheta, præ fulgore gloriæ tuæ caligans, extra se raptus est, intuendo tantum pulchritudinis prodigium, in quo splendebant omnes cœli et terræ pulchritudines, atque exclamavit: *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim* (Apoc. 12). »

« Itaque, o gloriosa Virgo; dum te contemplantur Sancti in medio horum splendorum, ubi appares sole fulgidior et lunâ jucundior, ita ut omnem superes pulchritudinem; et dum insuper acclamationes audiunt, quibus in cœlo celebraris; extra se rapti non desinunt decorem tuum exaltare et clamores præ admiratione ac stupore attollere. Sic S. Petrus Damianus exclamat: *O Sancta et inter Sanctos sanctissima! O thesaure, omnes sanctitatis thesauros continens!* — S. Bernardus: *O Virgo admirabilis! O mulier, omnium mulierum decus, optima et maxima, quæ in mundo unquam exstitit!* — S. Ephiphanius: *O cœlum empyreo profundius et largius, Virgo vere gratia plena!* — Et Ecclesia catholica, nomine omnium fidelium loquens, tibi cantat: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!* »

2°) « Et ego quoque, Domina mea, quamvis servorum tuorum ultimum me fatear, audebo, si hanc mihi veniam concedas, meos admirationis ac stuporis clamores conjungere cæterorum omnium acclamationibus. »

« O cœlum, gratia et pulchritudine resplendens; cœlum empyreo latius, cum Deus cujus immensitatem mundus universus capere non potest, in sino tuo absconditus permansit! O ditissimum ærarium, in quo magnum Redemptionis nostræ pretium depositum fuit! O peccatorum mater, sub cujus pallio securi sumus! O mundi solatium, quæ omnes mœstus, omnes infirmos, omnes derelictos consolaris! O pulchri oculi, qui corda rapitis! O labia corallina, quæ animas ligatis! O manus liberales atque inexhaustis plenæ divitiis, quæ gratias continuo spargitis! O pura creatura, quæ Divinitati similis es, et quam reapse Divinitatem esse reputassem, si fides te non esse Deum docuisset, quamvis plendorem et nescio quid divinum habeas! »

« Gaude, o magna Domina, o cœlorum Regina! Gaude per mille æternitates sublimi tua celsitudine, immensis tuis privilegiis et gloriosa tua felicitate! Tantummodo te deprecor, o piissima Mater, ne nostri obliviscaris, qui tuos famulos et filios esse nobis congratulamur. Et quia omnes gratiæ et dona excellentissima in manibus tuis reponuntur, fac ut nos devotissimi servi tui, longe melius quam cæteri homines a te habeamur, ut omnes sciant dilectiores Mariæ filios esse beatiores in cœlo et in terra; ut sciant, Mariam eos fovere, sicut olim Rachel suum Benjamin fovit; Mariam illis in gremio suo peramanter blandiri, et hanc Matrem tam piam tamque potentem eis largiri duplicem donorum ac favorum partem. Hæc spero, o pulchra Rachel, hæc facies, prout firmiter confido, o mea Domina! Hæc igitur facias, quia potes, et quia totum cœlum ad pedes tuos prostratum, hæc a te postulat et instanter deprecatur. Ah! dicas: *Ita placet!* Dic amanter: *Fiat!* Ita fiat, fiat, amen! »

Conclusio: Exhortatio ad amandam Matrem tam amabilem, et hujus amoris ab ipsa petitio.

« O homines, quid agitis? Quomodo diligitis creaturas luteas, fallaces ac mendaces, quæ vos decipiunt, et quarum causa animam, corpus,

paradisum et Deum amittitis? Et quare Mariam non diligitis, illam Reginam tam amantem, tam amabilem, tam fidelem, quæ postquam vos consolationibus ac gratiis in hac vita cumulaverit, æternam quoque paradisi gloriam vobis a Filio suo obtineret? »

« O Maria! dulcis Maria, super omnes creaturas pulchra, super omnes amores post Jesum amabilis, super omnes gratias gratiosa! miserere miseri cordis mei, imo miserrimi, quia te non diligit sicut diligere deberet. Illud sancto amore tuo accendere potes, o Maria! Oculos tuos tenera dilectione plenos ad me converte; respice me; trahe me ad te, et fac ut post Deum, nihil diligam nisi te, o gratiosissima, amabilissima Maria, Jesu et mei Mater! »

ARTICULUS VII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN VONDELIO.

1026. — Doctus, pius ac sublimis ille poeta, ex Hollandia oriundus, non satis extra patriam suam pro eximio merito notus est. Alto ingenio præditus, gravia sacraque carmina composuit, in quibus sæpissime fulget divina Exemplarismi doctrina.

Audiamus eum canentem 1°) supremum ac trinum mundi Artificem; 2°) mundum formatum et gubernatum juxta Illum; 3°) Ecclesiam christianam ab Eo præparatam, formatam et consummatam.

Textus originalis, e lingua hollandica in latinam, juxta carminum ordinem versus est. Lector jucundissime aspiciet abstractam Scholæ doctrinam stylo poetico expressam, et omnibus litterarum floribus ornatam. Comparationem in veritate fundatam, instituere poterit inter Exemplarismum Justi Vondel et Dantis Aligherii, cujus carmina quædam in latinam linguam supra vertimus. Ambo enim poetice ac metrice cecinerunt pulcherrimam doctrinam, quam cæteri Scholastici syllogistice demonstraverunt.

§ I.

De supremo ac trino mundi Artifice.

Scilicet de Deo, inquantum est prima omnium rerum Causa *efficiens, exemplaris* et *finalis*. Mirus est modus, quo metaphysicam S. Thomæ doctrinam poetico sermone ac versibus exprimere valuit.

I.

De divina omnium rerum Causa efficiente.

1027. — Nempe de primo Ente increato et omnia creante, de Creatoris necessitate, ac de operis ejus magnificentia.

1°) « Qui semper Erat, et manet in Esse et duratione,
Nemo esse potest quam Deus, aut Dei natura,
et unica Causa omnis causæ in operando.
Veteres non verentur naturam cum Deo confundere,
Unico nomine vocare, unam virtutem,
Unamque operationem utrique attribuere, unam potentiam.
Radii, qui ex Ipso in omnes res proficiscuntur
easque producunt continuo, testantur absque dubio,
Deum aut ejus naturam omnibus inesse
omnibusque *esse* tribuere ex suo *Esse*,
animam vitamque dare; omnia per Dei virtutem,
et ex Eo, et per, et propter Eum orta,
produci, moveri et corrumpi. »

(*Consider. de Deo et religione*, Lib. I, v. 474-488).

« Quanquam itaque mundus Dei proprium opus est,
nec ab alio quocumque factus esse potest, certe
eum Deus non genuit, modo quo radii
naturaliter a sole emissi descendunt,
vel quo calor et lumen ignis nobis advenit. »

(Ibid., v. 768-773).

2°) « *Unica Causa* et prima operatrix
cunctorum, quæ intellectu vel sensu percipi queunt,
et quæ a se Est, Deus et divina natura est,
uti omnia indicant. Omnia enim opificia proveniunt
ex aliquo auctore, non a se; quum nihil, ne apparenter quidem,
demonstret aliquid esse sui ipsius principium
et causam. Omne opificium, tam maximum quam infimum,
sumit ex alia potentia et prima omnium Causa
exordium, quam nulla alia causa movit,
nisi ascendere vellemus et numerare infinitam seriem
de gradu in gradum. Ita, hac ratione infallibili,
rerum Causa Deus suprema agnoscitur. »

(Lib. I, v. 450-462).

3°) « Non ens nequit se producere, neque creare; nam
deberet prius illud esse quod vellet operari.
Itaque omne quod fit ex nihilo, producitur
ab alio, et priori virtute et potentia.
Propterea, cum ascendere non liceat scalam infinitam
quæ impediret quominus ascendens
causam hanc operantem assequeretur,
suprema Causa nullius effectus et fructus esse potest,
sed Mater debet esse causarum secundarum et Prima omnium.
Hanc Deum nos vocamus, cui genua flectimus,
quum omnia creet, regat, conservet.
Ipsam invenire debemus in toro *(throno quieto)* excelso, ex quo cuncta conspicit,
quæ in ea et extra eam quæruntur et inveniuntur.
Hæc unica Causa incomprehensibilis, inscrutabilis,
inaccessibilis, quæ sola a se Existit,
ab alio nihil accipit, neque fulcro innititur,
æterna est et ante omnia. Nihil erat extra Eam;
nulla causa agens, ex qua hæc natura oriri poterat;
nam si aliqua inveniri posset, Deus
merito a nobis diceretur; et hæc finaliter
in primo loco ponenda esset; ipsa enim necessario in esse
permanere deberet, quum nulla causa eam abducere,
nec dejicere posset a sede supremi tori
ex qua uniuscujusque natura descendit, et quâ
omnia existunt, et quâ omnia operantur.

(Lib. I, v. 784-809).

4°) « Ante creationem sublimium et cœlestium tabernaculorum
quæ angeli inhabitant, Deus erat solus et tranquillus, sibi
notus, et in quiete sedebat, complens circulum
Divinitatis in contemplatione
suæ Naturæ; in profunda luce absconditus,
quæ nec vicissitudines, nec vesperam, nec matutinum novit.
Quum vero e nihilo, juxta æternum Consilium,
mundum produxit: Deus, qui nunquam apparuit, egressus est
ut creaturis visibiliter se ostenderet
in sua Majestate, supra omnes choros cœli,
supra Potestates et Dominationes procumbentes ante Eum.
Cum reverentia laudabatur unâ omnium voce

mille millium exsultantium
præ gratitudine, quia Deum videre sibi liceret.
Creatio ergo primus fuit egressus Dei.
Sic rex terræ extra suum palatium
publice se ostendit omnibus nationibus
et populis, qui ante aulam egressum ejus exspectaverunt,
et humi procumbunt ac in facies suas cadunt
ubi ipse advenit, omni gloria et lætitia salutatus. »

(Lib. V, v. 854-874).

II.

De divina omnium rerum Causa exemplari.

Scilicet 1°) de infinita divini Exemplaris perfectione; 2°) de variis rerum exemplaribus a Deo conceptis juxta propriam suam Perfectionem; 3°) de divina Providentia, quæ est norma gubernationis mundi.

1°) De infinita divini Exemplaris perfectione.

1028. — a) « Deus est omnis profunditas, omnis longitudo, omnis latitudo, omnis altitudo.
Nullum ens, nulla perfectio nata est,
quæ in ejus Essentia non contineatur, et non comprehendatur
in suprema et infinita illius Perfectione. »

. . . . . .

« Sapientia Græcorum hoc secretum penetrare conatur,
et Deum vocat: *Pan,* seu universalitatem rerum.
Nam quod est, et erat, et postea erit
fingite modo infinito; Deus est totum
rerum Oceanus, quum in eo possimus haurire
innumerabilem abundantiam luminis, specierum,
differentiarum, entium, virtutis, earumque perfectionum,
tanquam in uno Sinu omnium nobilissimo aggregatarum. »

(Lib. II, v. 554-570.)

b) « Ut Dei Bonitatem juste describamus,
licet immensa sit, et fluctuet in longitudinem et latitudinem,
tanquam infinitum et impenetrabile mare,
eam convenientissime vocamus omnium rerum Nutricem,
in Deo et *extra Deum;* omnia enim bona exsiliunt
ex hoc unico, indefesso omnium bonorum Fonte.
Quod in Deo splendet, et vivit, et floret
in infinito honore, perfectâ majestate,
infinitâ Pulchritudine, et Sapientiâ, et Potentiâ,
infinitam habens lætitiam, divitias et thesauros.
In hac Bonitate cuncta constricte adsunt,
et quod *extra eam* diffunditur per modum scintillarum
in creaturas, juxta variam mensuram, hoc ex unico
supremo Benefactore, qui thesaurum suum ditissimum
et sinum repletum, nulli unquam creaturæ clausit. »

(Ibid., v. 1150-1164).

c) « Perfectio in Deo supremum gradum attingit,
et solis instar, splendet in omnibus attributis
tanto fulgore, ut vocari non possit

attributum, in quo ejus Lux non emineat.
Hæc si in Deo caderet, tota Divinitas caderet.
Oh! utinam igne suo mentem meam in canendo
inflammaret! Quantum Deus arderet in meo carmine,
quod nunc scandere nequit lucem inaccessibilem
divinæ Perfectionis, cujus in terrena vita
nonnisi scintilla conceditur. »

. . . . . .

« Cogitate breviter quæcumque extra Deum laude digna sunt;
divinæ perfectiones hæc omnia longe superant.
Nulli rei extraneæ Deus innititur, sed stat immobilis
in sua simplicitate. Creaturæ omnes oculos
congerunt in ejus perfectiones;
et rerum limitatio fugit, et juste confundi debet
coram Bono illimitato, omne bonum circumscribente
et largiente ex sua Bonitate, quæ radios suos sine fine demittit
et diffundit per universum. Deus enim ex apice
suæ Perfectionis, effundit ut guttas,
dona suæ Bonitatis, secundum suum beneplacitum.
Unde unumquodque vocari bonum meretur,
juxta donationem descendentem a cœli culminibus et tectis,
quibus nulla inferior perfectio appropinquat.
Qui enim inæquales creaturarum perfectiones comparat
inter se, videt minorem cedere majori;
si autem perfectissimum Bonum supra has umbras detegerit,
(mundus enim Deo comparatus nox est), non prodest ascendere
altius, et quiescit coram supremo Bono,
quod omnibus sufficit, cuique nulla perfectio inhæret *(accidentaliter)*.
Omnis virtus creaturis, ut Dei operibus ingenita,
prius fuit in divina Causa, sicut regis imago
in aureo sigillo, antequam in cera imprimeretur.
Sic splendet in finitis perfectionibus, infiniti
quædam similitudo Boni; assimilantur enim res creatæ
divinis perfectionibus, ex quibus suam virtutem hauriunt;
et licet perfectiones infinite in suprema Causa emineant,
finitum tamen est opificium, quod ex Causa fluit.

(*Consid. de Deo et religione*, Lib. II, v. 345-392.)

2°) De æternis creaturarum exemplaribus in Mente divini Artificis.

1029. — a) « Creata hæc natura fuit, in Dei contemplationibus ab æterno
delineata, tanquam exemplar rerum postea creatarum,
quas per quinque sensus intellectu percipimus,
aut quæ sine sensuum ope insita sunt in mente. »

(*Consid. de Deo et religione*, Lib. I, v. 500-504).

b) « Etiamsi divina Visio omnia prævideret,
et disponeret juxta exemplar, quod in suo Prototypo erat
ab æterno, tamen mundus adhuc creandus erat,
qui non provenit a Deo velut ex fonte *(sole)* luminum
radii. Hæc prævisio quasi a longe et in prospectu,
nec figuram, nec formam, nec materiam, nec aliud quid mundo tribuebat;
nam prævidere non efficit res prævisas: » *(quia insuper requiritur Verbi imperium)*.

(Ibid., v. 676-682).

c) « Sapientia Dei est cognitio, omnia
quae erant ab æterno, sunt et erunt,
per supremas et primas causas clare
in Se contemplans, tanquam in Veritatis speculo.
Deus enim suam perfecte cognoscendo Essentiam, intelligit et cognoscit simul
ab origine totidem creaturas,
et quodcumque potest esse vel fieri,
generari, corrumpi; unumquodque in suo ordine
usque ad minimum; insuper id, quod quævis res
potest vel non potest, juxta cujuslibet dispositionem.
Cognoscit circumstantias, occasiones et rationes
ortuum et exituum, modorum et processuum rerum; novit præsens et futurum
et præteritum, atque omnes partes, quas currens temporis
flumen ex annulo æternitatis dividit et abscindit.
Hæc Dei Sapientia vocatur Lux divina, quæ orta
in æternitate ex virtute et cognitione divinæ Essentiæ,
omnia uno intuitu comprehendit. »

(Lib. II, v. 1073-1088).

« Sicut nullus intellectus scientiam suam et potentiam
adhibet, quin prius operationi præfigat
determinatum finem et scopum, cujus gratia operabitur,
ita nec mundus caeco aliquo casu
enasci potuit, sed Artificem postulat, qui omniscius,
mundi formam Mente conceperat,
et omnium rerum qualitatem, magnitudinem et pondus,
numerum, mensuram et formam, et qua ratione ædificium
aptius potuerit sustentare, ac gubernare;
et hoc priusquam Omnipotentia sua inceperit creare atque plasmare
eximium hoc opus, honore et gloria coronatum. »

(*Consid. de Deo et religione,* Lib. II, v. 1318, etc).

3°) De æterna Providentia, juxta quam Deus omnia opificia sua gubernat ad suum finem.

1030. — a) « Dei Providentia Forma *(norma, seu Lex)* est rerum
et ordinis creaturaram propensarum ad finem attingendum,
ad quem singulæ ordinantur et disponuntur a Deo
per varios gradus, et in certis quibusdam limitibus,
sicut Deus eas Mente contemplatus est
ab æterno, priusquam opus istud perficere inceperit. »

(Ibidem).

b) « Patet atque invincibiliter verum manet,
quod firmo consilio et proposito, partes omnes
mundi conformantur Exemplari
sapienti, quod in prudentissimo Dei Intellectu
cum suis circumstantiis continebatur, ut res quælibet prosequatur
finem et scopum, ad quem Creator ipsam ordinavit.
Hoc etiam ex eo patet, quod omnis creatura solet
sibi operari ad finem particularem
cujus causa creata est, dum omnes conantur
concorditer Dei honorem et gloriam procurare.
Hoc modo, in qualibet re aliquid invenitur,
quod ordine suo et qualitatibus, intendit et prosequitur

propositum finem. Ex talibus bene dispositis ordinationibus,
provida Dei Sapientia clare probari potest,
tanquam ex vestigio, quod creaturis imprimit. »

Consid. de Deo et religione, Lib. III, v. 45-59).

c) « Tot prædictiones futurorum,
quæ a voluntate libera pendent;
. . . . . prædicere modum et ordinem
causarum rerum omnium quæ fient;
et hæc tam multis antea annis prævidere ac prænuntiare, in solamen aut terrorem;
. . . . . testantur et arguunt existentiam
Dei, sine quo nullus haec attingere potest.
Nam intellectus, qui descendere et penetrare
potest in illis secretis rerum nondum existentium,
et quæ adhuc fient, facilius omnia videre potest
quæ præsentia sunt, facta sunt et potuerunt fieri
et intelligi; et si cognoscit hæc omnia simul,
cognoscit omnia possibilia, et hæc cognitio vocatur
Omniscientia et Omnipotentia.
Omnium enim rerum origo et causa est Consilium,
Cognitio, Exemplar rerum, et hæc quidem substantialia;
qui autem omnia cognoscit, consequenter est Omnipotens.
Experientia ipsa docet, aliquam præscientiam
eorum, quæ necdum facta sunt, sedere
ubi homo nusquam ascendere potest,
quum oculi ejus hîc obtenebrati sunt umbris
et obscuris imaginibus. Itaque Superior quidam respicit
per aliquas fenestras, unde mortalis oculus respicere nequit.
Hic est solus Deus, cujus radii non impediti,
Perfectione infinita omne occultum attingunt.
Nulla creatura hanc habet potentiam, quum futura non
in se sint determinata; neque illa in causa sua videant,
quia nondum causa est eorum, quæ possunt esse,
vel non esse. Quis intellectus revelat
hæc mysteria, ut clare prævideat
quæ fient, vel quæ non fient, et hoc cum aliqua firmitate,
nisi visus esset adeo fortis, adeo clarus in videndo,
ut res videret ac si jam essent
in esse, præcise sicuti erunt,
et ab æterno cernuntur in specie,
in qua Deus ea prævidet? »

(*Consid. de Deo et religione*, Lib. I, v. 780-822).

III.

De divina omnium rerum Causa finali.

1031. — 1°) « Sicut lucerna flammam suam in speculo videt,
et ex speculo flamma reflectitur
ad lumen unde splendet, ita terminantur omnia
finaliter in Deo, ex quo existentiam acceperunt,
et quiescunt in Puncto, quod ad se omnia trahit;
ita amor creaturæ quiescit in Bono, quod eum excitavit. »

(*Ibidem*, Lib. II, v. 1286-1293),

2°) « O Fons, radix, stipes, motor, organum, pondus,
cœlestis machinæ, qui officiis tuis nunquam deficis,
qui in ordine conservas omne quod non Es,
et a te, ex te, per te et propter te factum est,
quis nisi Deus esse potes, primus et ultimus, solus
infinitus? Qui resides in uno
unico Centro, quod tu extra omnes circulos,
absque circumferentia, ubique Ipse inveneris. »

(*Ibidem*, Lib. I, v. 860-868.)

3°) « Tale est opus Creationis, quod visibile est,
ut ubique suum finem et utilem scopum jaculis attingat.
Nam creare est Dei, primi Conditoris,
qui propter ultimum Finem, seu semetipsum,
et propter hominum salutem, omnia ex nihilo produxit,
et ad proprium suum honorem perfecit et elaboravit.
Divina enim Providentia in suo consilio sedens,
in quo omnia ponderabantur, numerabantur, et mensurabantur,
et ad finem ordinabantur: mundum ædificavit
ad talem molem, qualem nunc aspicimus,
una cum innumeris ejus qualitatibus, virtutibus,
figuris et statibus, locis et temporibus, cœlestibus sphæris,
varietatibus ordinis et mensuræ similitudinibus
vel differentiis, quietibus vel motibus,
quibus vertitur et circumvolvitur mundus per dispares orbes,
in honorem divini Oculi, omnium rerum custodis. »

(*Ibidem*, Lib. III, v. 474-490).

4°) « Ex Dei Bonitate fluit divinus Amor
qui amat se et creaturam, nec ulla ratione creaturam lædit,
sed perducit ad Deum, rerum ultimum Finem
et Fontem, ut omne, cui Deus suam Naturam impressit,
sibi suæque Naturæ concorditer uniat *(per gratiam)*.
Amor semper quærit amati bonum,
et uniri vult objecto dilecto.
Hæc enim amoris virtus vult commune vinculum
ponere inter duo, vel plura varia.
Quo arctius hoc vinculum constringitur, eo fortius amor
conjungit amatum amato. »

(*Ibidem*, Lib. II, v. 1235-1241.)

§ II.

De mundo, juxta Deum formato et gubernato.

Scilicet 1°) De omnibus creaturis ad Dei exemplar formatis; 2°) de homine in specie ad Dei imaginem formato; 3°) de omnibus creaturis a Deo gubernatis seu motis ad finem.

I.

De omnibus creaturis ad Dei exemplar formatis.

1032. — 1°) « . . . . Etsi nunquam possimus interiora penetrare divinæ Naturæ, et nullus intellectus, quantumvis acuetur perfecte, ut oportet eum qui amplius semper comprehendit: tamen unusquisque Deum timere naturaliter obligatur,

qui per res creatas nobis radios suos mittit,
sicut lucens sol, in nube contentus,
agnoscitur per diem apud omnigenas nationes.
. . . . . .
Creaturæ sunt Dei repræsentationes et litteræ, lingua et vestigia;
rationis lumen Auctorem in operibus demonstrat
ea claritate, ut nemo se innocentem credere possit,
qui hunc solem negat in plena die. »

(*Consid. de Deo et religione*, Lib. I, v. 374-388).

2°) « Deus seipsum in omnia entia diffundit,
ita ut nihil sine divina Essentia esse possit,
et omnia Causæ rerum assimilentur et respondeant,
præsertim homines, qui potestatem a Deo acceperunt,
et anima immortali sunt dotati,
originem suam prosequente atque ad sidera scandente.
At vero, etsi Dei opificia divinæ Naturæ assimilentur,
fugere tamen debent ante Deum, Fontem eorum et Originem;
Creator enim et creatura sunt alterius, non unius generis,
ita ut differentia inter utrumque infinita maneat. »

(*Ibidem*, Lib. I, v. 528-538).

« . . . . . Omnes res assimilantur
supremo Bono, ex quo originem sumpserunt;
nam ipsa Dei Bonitas nequaquam realiter
rebus proprie loquendo desuper infunditur;
nam naturaliter nullæ qualitates exeunt
ex proprio suo subjecto, in quo radicatæ erant.
Qui alteri quoddam communicat, non totam suam essentiam exuit,
nec ejus partem, sed producit in alio aliquo
quod suæ naturæ simile est. »

(*Ibidem*, Lib. II, v. 1202-1211).

3°) « Dei Amor, per Voluntatem inclinatur ad se uniendum,
fecundatur amore suæ Pulchritudinis, et vult producere
hunc mirabilem mundum, animantia et res inanimes,
in quibus Dei similitudo juxta varios gradus splendet,
secundum quod Deus creaturis affulget, aut illas adumbrat ex alto,
volens in unaquaque suam gloriam manifestare,
et tanquam in aperto toro *(seu Sinu fecundissimo Divinitatis)*, revelare
infinitam, quam Ipse possidet Bonitatem et Pulchritudinem. »

(*Ibidem*, Lib. II, v. 1274-1282).

II.

De homine in specie ad Dei imaginem formato.

1033. — 1°) In proœmio tragœdiæ, cui titulus est: *Adam exul*, Vondelius ait: « Creator omnium rerum formavit Adam ad imaginem suam, sanctum, sapientem, justum, rectum et perfectum. Hæc perfectio, quacum creatus erat, et sine qua nos homines post Adæ lapsum nascimur, fundata erat in supernaturali donatione. Homo enim naturaliter spiritu et carne compositus, ideoque partim animalibus, partim angelis similis, per carnem quidem ejusque communicationem cum animalibus, ad bonum corporis et sensuum inclinatur, quod concupiscentia et sensus appetunt; per spiritum vero ejusque communicationem cum angelis, ad spiritualia et intellectualia bona fertur, ad quæ mens et voluntas inclinant. » *(Loco præcitato)*.

2°) « Si possibile foret, coloribus et penicillo animam rationalem, præstantiorem hominis partem et formam, sicut vivit, juxta veritatem depingere, o quantum Divinitas ex hac imagine cognosceretur! Sed ejus invisibilitas, qua Deo assimilatur in sua origine, non permittit profundius inspicere secretum internum talis cœlestis creaturæ, quam ex operationibus cognoscere et laudare oportet. »

(*Consid. de Deo et religione*, Lib. III, v. 199-206).

3°) « Volo Deum cognoscere in facie animarum,
quæ Deum exprimunt eo modo, ut nostro judicio,
nulla corporalis creatura comparari ipsis possit.
Anima spiritus est, non corpus ex terrena materia formatum;
Deus sine corpore est, sicut et spiritus; sed modo supremo
Spiritus increatus; sua ratione utendo anima, altius
ascendit quam sol, ad locum in quo substantiæ
spirituales habitant, et Dei throno appropinquant.
Anima est incorruptibilis, ideoque portat coronam
divinæ immortalitatis, titulum
iis qui intellectu et ratione carent, non concessum;
quorum corpus corrumpitur, dum anima, in
sua duratione divinitus conservata, non perit,
laudatque Æternum, ex quo orta est.
Quantum cognitionis lumen animæ contigit,
quum sensibus percipiat omnia quæ manifestantur
extra se, et in se congreget et conservet
copiam inæstimabilem omnium scientiarum,
usquedum Deum attingat, per gradus creaturarum suarum,
ratiocinando a causa ad effectum,
atque ab effectu ad causam . . . . . .
. . . . . .
Ita occurrit Deo, qui Oculus est omnia videns.
Deus enim omnia cognoscit sine rationis discursu;
præsentia, præterita, futura,
omnia Deus cognoscit, per ordinem eorum;
anima autem indiget perspicillis, dum peregrinatur in corpore
et nova veritatis stella hinc ac inde ipsi apparet ».

(*Ibidem*, Lib. III, v. 1038-1070).

4°) « Audite, Angeli, auscultate, cœlites;
suprema Bonitas, e cujus sinu omnia manant
bona et pulchra, quæ nunquam fatigatur
benefaciendo, cujus nunquam deficiunt gratiarum thesauri,
usque nunc nullo creato intellectu capiendi;
hæc, inquam, Bonitas creavit hominem sibi similem,
sicut et angelos, ut simul æternum regnum,
bonum incomprehensum, observata ferventer
injuncta lege, cum Deo possiderent;
præterea mirabilem et visibilem mundum ædificavit
Dei et hominum gratia,
ut in hoc paradiso homo regnaret, et multiplicaretur, et
cum tota sua progenie Eum confiteretur, Ei serviret et coleret,
et ascenderet per scalam mundi in apicem
Lucis increatae, ac Splendorem beatificantem. »

(*Ex Tragœdia: Lucifer*, Actus 1ᵘˢ, 2ª scena).

III.

De omnibus creaturis a Deo gubernatis, seu motis ad finem.

1034. — 1°) « Quis posset negare, supremam Dei Naturam
sine gubernaculo circumferre mundum sicut nunc fluctuat?
Dei opificium, et opificii qualitates jam memoratæ,
huic hypothesi ab omni parte contradicunt
ex magnitudine, motu, aptitudine, pulchritudine, dispositione,
determinatione, existentia et opulentia mundi.
Qui Deo æternum rerum gubernaculum auferre vellet,
Eum supremo munere privat, quod situm est in custodiendo
creaturas, maxime vero hominem,
cui omnia subjiciuntur. In Deo nec Virtus est, nec Mens
nec ipsa divina Natura, si Providentiâ Ipsi deest.
. . . . . .
Magnæ et splendidæ domui mundus comparatur,
in quo Dei Potentia et Sapientia eminent,
ut patris, tutoris, domini et capitis familiæ.
Officium provisoris domus, est attendere ad lucrum
et emolumenta familiæ, et omnes domesticos
continere in officiis suis, magnos et parvos
pueros, viros primos operarios et adolescentulos, primam famulam
et alias servas; atque familiam sicuti ipsi placet
manuducere, ut omnia concurrant in
unum salutarem finem; ut substantia et possessiones
ditescant firmitate et augmento; ut pecus et fructus
proficiant, et omne subjectum disciplinæ obediat.
Primum et supremum rectoris munus est, prudenter
regna sibi commissa defendere
a ruina . . . . . .
Deus igitur salutem intendens rerum sibi commissarum,
dirigit suum opus, ut illud protegat et conservet
in utilitatem hominis, in laudem Potentiæ
et Sapientiæ, quæ omnia e nihilo produxit.
Quæ vivunt et quæ non vivunt, regnant
inquantum Dei Providentiam perfecte exsequuntur.
Optima autem gubernatio, si credere licet Platoni
et Aristoteli, est monarchia.
Sic igitur unus Deus sedet in capite rerum,
quæ sapiente ejus Consilio finem suum attingunt.
Sic et rationalis anima, quæ vitam nostram sustentat,
ita membra dirigit, in corporis commodum et utilitatem,
unumquodque juxta proprium officium . . . . . .
Sed quamvis Deus regnet in cœlo cœruleo
et ubique, ita regnat vel per seipsum immediate,
vel per media; et sine hoc Dei gubernantis
influxu, nec virtus, nec anima, nec vita
inveniretur in Dei opificiis; nulla res
finem et scopum assequeretur, si singulæ, ut moles et stipites,
privarentur intelligentiâ, vi et virtute.

Si enim creaturis Dei influxus auferretur,
Sidera starent immobilia in orbe;
convenientia et discrepantia elementorum perirent;
ortus etiam rerum et occasus, plantarum viriditas et ariditas,
anni tempora et ætates, maris cursus et recursus,
rerum variationes et vicissitudines cessarent;
viventia et non viventia, statim finirent.
Hoc est argumentum evidens, et ratio invincibilis,
divinam Providentiam operari per creaturas. »

(*Consid. de Deo et religione*, Lib. III, v. 1234-1280).

2°) « Potestas, cujus fastigia Deus superat,
sita est in supremo jure, imo proprietate
rerum sibi subjectarum. Jubere et vetare,
permittere, remunerare, punire, huic Domino proprium est,
qui maximum sceptrum cœli tenet et terræ,
ratione naturæ suæ, ex qua omnia perfectionem
et virtutem hauriunt. Quæ pedibus ejus subjiciuntur
juste Eum ut Caput agnoscunt . . . . . .
Jure proprietatis potest ipse augere,
minuere, pascere, gloriam restringere, honorare,
sicut Ipsi placet in commodum sui regni,
quin Dei Potentia injuriam faciat divinæ Justitiæ,
quam sibi reservat, et contra quam nemo quidquam valet.
Prima enim rerum omnium lex, est prima Dei Voluntas.
Jus Creatoris non tantum possessionem
sed et conservationem suarum creaturarum Deo contulit. »

(*Ibidem*, Lib. II, v. 1294-1313).

3°) « Lubet me superius, in cœruleis cœli tabernaculis,
super omnes orbes, super elementa,
divinum diem ex Dei creata luce
facere; atque ubi nec aer, nec nubes oculos
impediunt, contemplari horologium, quod
tempora mundi distinguit, et, gyrantibus tot rotis,
intueri, Deum solum esse primum omnium Motorem ».

(*Ibidem*, lib. III, v. 830-838).

« Hîc ipsa ratio dictat, divinam esse originem motus illius,
qui, præter naturæ morem,
sidera circumducit ad manum suam,
non per formam enti impositam.
. . . . . .
Quandiu ergo stellæ motu non carent,
constat non naturam circumferre cœlum,
sed Dei Omnipotentiam corpora cœlestia movere. »

(*Ibidem*, v. 910-922).

§ III.

De Ecclesiæ christianæ prædestinatione, formatione et consummatione.

Canit Vondelius quomodo sancta Ecclesia 1°) fuerit in æternis Dei ideis intenta; 2°) in Calvario ex Christi corde formata; et 3°) quomodo ejus perfectio in æterna gloria consummetur.

I.

Divinus Architectus Ecclesiam ab æterno in sua Mente delineavit.

1035. — « Antequam beatus ille, imo divinus Fructus *(Christus, Ecclesiæ Caput)*
vita fungatur, et caput tollat in aerem,
et velut sol matutinus nobis arrideat ex horizonte,
suprema Sapientia vult per figuras et formas
promissionis, juramenti, descriptionis et imaginis,
per indicationem prophetiarum, Ecclesiam
delineare; et primo inchoativum exemplum dare.
Ita surgit aurora, priusquam lux splendorem suum et vitam
tribuat omnibus rebus, et universo mundi theatro,
quod prius videbatur umbra, sensim ejus penicillo illuminata.
In formando universo Deus similiter ita se gessit,
ut ad hoc exstruendum ædificium sex dierum spatio
usus sit, et Eden Dei imaginem, sexto die,
in facie hominis, minoris mundi, resplendentem conspexerit.
Nullus architectus incipiet jacere fundamenta templi
antequam ejus structuram delinearit, et quasi mente contemplatus fuerit;
postea pedetentim opificium formam suam et complementum accipit,
ac in pondere, numero et mensura in cœlum erigitur.
Ipsa quoque natura et ratio monstrant, quod omne futurum
fieri debet juxta hoc propositum, et elevari juxta hunc ordinem.
Omne enim quod proportione caret et mensura
displicet sapienti oculo, nec laude dignum est. »

(*Gloria Ecclesiæ*, Lib. I, v. 87-108).

II.

Ecclesia formata est ex corde Christi in cruce pendentis.

1036. — « Virgo, ex Adæ latere et costâ formata,
dum profundum somnum sensus captivabat,
significabat Ecclesiam, ex Christi latere irrigandam
sanguine et aquâ, quæ inter se miscentur,
et fluunt ex ejus latere ac corde nuperrime afflicto,
quod, mortis quiete somnians, tristitiam non sentit neque dolorem.
Sanguis ille et aqua sunt pretiosi canales
supremæ gratiæ, in quolibet Sacramento
dimanantis, qua Ecclesia, virgo speciosior
Evâ, sua perfectione Deo placet.
In sponsa tam cito Adæ tanquam uxor data,
status futuræ Ecclesiæ conspicitur,
quæ sponso unitur et desponsatur
sicut corpus unitur et adhæret capiti. »

(*Ibidem*, Lib. I, v. 234-248).

III.

De Ecclesiæ consummatione in gloria cœlesti.

1037. — 1°) De tribus angelorum hierarchiis, ad videndum Deum, atque ad procurandam hominum salutem ordinatis.

« Homo et angelus, ambo ex uno Patre Deo progeniti,
confratres sunt, electi consodales,
Altissimi filii et hæredes, sine macula.
O, una sit vestrum amborum voluntas, et amor vestra sit lex!
Nostis quomodo choros angelorum distinguere oportet
in tres hierarchias, et novem ordines;
suprema hierarchia in Seraphim, Cherubim et Thronos,
qui in Consilio Dei sunt, ejusque mandata excipiunt;
media constat Dominationibus, Virtutibus,
et Potestatibus, quæ præcepta a Dei consiliariis expectant,
ad hominum utilitatem, salutem et auxilium commune.
Tertia et infima hierarchia constat Principatibus,
Archangelis et Angelis, quibus obediendum est
præceptis mediæ hierarchiæ, et quorum ministerium exercetur
infra crystallinum cœlum,
per speciales missiones in universo stellarum ambitu.
Et quamvis universum latius extenderetur,
uniuscujusque hierarchiæ sphæra *(actionis)* circumscribitur, et angelis
indicatur propria civitas vel domus, aut personæ
quarum curæ demandati maneant, in honorem coronæ Dei.
Proficiscimini ergo, nuntii fideles, dii immortales,
obedite duci vestro, Dei mandatis addictissimo!
Procurate cœli gloriam in humano genere,
unusquisque in sphæra propria, et in suo loco.
Quidam autem thura ante Deum adoleant,
et ferant ad thronum Dei hominum oblata,
vota et preces, et concelebrent Dei laudes! »

(*Trag. Lucifer*, 1.us Actus, scena 2a).

2°) De uniformi omnium Beatorum motu circa divinum Centrum.

1038. — « Quando hæc temporalis vita terminatur,
incipit interminabilis vita,
Deo et Angelis nota,
et Beatis tantum data. »

« Ibi Divinitas insidet throno,
in cunctorum orbium centro,
quod, ubique et unice pulchrum,
nullam habet circumferentiam. »

« Hoc Punctum omnium oculos trahit ad se,
tanquam primus Sol omnium solum,
Fons luminis, nunquam radiando defessus,
et nullis umbris separatus. »

« Bona, quæ in creatione sparguntur,
scintillarum instar, hîc perfectionem attingunt
pulchritudinis, potentiæ et majestatis,
in Oceano Divinitatis, matris omnium fluminum perfectionum. »

« Homo derivatus ab unico isto ac uno Bono,
errat in terra, quasi in exilium missus,
quietem non inveniens
et supernam patriam quærens. »

(*Carmen separatum*, cui titulus: *Funera filiæ meæ Mariæ*).

3°) De gloria B. V. Mariæ, cœli Reginæ in cœlum assumptæ.

1039. — In dedicatione Epistolarum Virginearum, Poeta sequenti modo alloquitur Beatissimam Virginem:

« Quot stipati angelis, quanta gloria et gratulatione,
te suscipiebant Pater, Filius et Spiritus,
quum hinc ad cœli nuptias ascendebas
per vias hyacinthis et cyanis ornatas.
Cœlestis Jerusalem exsultare videbatur,
cœlum fulgebat carbunculis et lapidibus pretiosis.
Stellarum, lunæ et solis discedat lux
pro æterna luce, sapphiro, plateis et purissimo auro contextis.
Ibi cuncti jubilant, qui nulla peccati labe maculati,
oculos figunt in te et in Agnum sine macula.
Hîc cognoscimus Deum trinum, qui una flamma est et tres splendores.
Felix ille, qui hanc divinam lætitiam possidet! »

ARTICULUS VIII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN BALMESIO.

Referam quid doceat præclarus ille philosophus 1°) de Deo uno et trino, universi ordinis Centro, seu Causa; 2°) de ideali omnium effectuum creatorum repræsentatione in prima Causa intelligente; 3°) de cognitionum nostrarum objectivitate innixa ideali rerum repræsentatione in Mente divina et nostra; 4°) de principiorum seu causarum intuitione.

§ I.

De Deo, uno et trino, universi ordinis Centro seu Causa.

I.

Dei unitas est universitatis Centrum.

1040. — « Systemata ista, tam funesta quam absurda, quæ in Pantheismum omnia deveniunt, licet viis diversis, profundam tamen veritatem continent, fecundum luminis fontem, qui sophismatibus corruptus, tenebrarum abissus factus est. »

« Homo ratiocinando tendit ad explendum quemdam intellectus sui instinctum, scilicet ad pluralitatem reducendam ad unitatem, seu innumerorum entium varietatem ordinandam ad Centrum aliquod commune. Mens enim ejus intelligit, necessarium esse ut conditionatum redeat ad inconditionatum; relativum, ad absolutum; finitum, ad infinitum; multiplex, ad simplex. Omnes Religiones, omnes philosophorum scholæ de hac veritate inter se conveniunt; nulla autem Religio vel schola sibi exclusive vindicat hanc veritatem, quæ in omnibus mundi Religionibus, in omnibus epocis, et in ipso humanitatis exordio invenitur. Quis non miraretur amplissimam et altissimam illam traditionem, quæ ab omnibus generationibus conservata in eventuum et sæculorum cursu et recursu, Deum nobis ostendit præsidentem origini et fini mundi universi. »

« Profecto, unitas a philosophis omnibus quæsita, est Deus ipse; Deus, cujus cœli enarrant gloriam; Deus, qui nomen suum inscripsit in omnibus naturæ mirabilibus operibus; Deus, qui seipsum humanæ conscientiæ manifestat

cum auctoritate, cui resisti non potest. Ita! ecce Unitatem! ecce divinam lucem, quæ verum philosophum illuminat et consolatur, dum superbum sophistam excæcat et conturbat; ecce Unitatem, quam sapiens contemplatur atque adorat in suæ animæ sanctuario, dum insipiens philosophus sacrilegum *mei* sui nomen illi injicit. Ipsa est hæc Unitas, quæ in sua personalitate, sua conscientia, sua intelligentia infinita, sua perfecta libertate, est Religionis fundamentum simul et complementum; ipsa, quæ a toto mundo distincta, totum mundum ex nihilo produxit; ipsa, quæ mundum universum conservat, gubernat, ac semitis arcanis perducit ad finem immutabilibus decretis suis præfixum. »

« Est igitur unitas in mundo, est unitas in Philosophia; hac de re omnes consentiunt; sed ecce punctum, in quo cessat ille consensus: alii quidem summo studio distinguunt infinitum a finito, virtutem creatricem a re creata, unitatem a multiplicitate, servando tamen necessariam relationem inter liberam Agentis creantis ac omnipotentis Voluntatem, et finitas existentias; inter supremi ingenii Sapientiam, et ordinatissimum mundi universi progressum. Alii autem lugenda obcæcatione perculsi, effectum cum causa confundunt, finitum cum infinito, varietatem cum unitate; chaos antiquum in Philosophiæ regionibus repræsentant, sed absque ulla spe in ordinem et unitatem colligendi elementa in horribili confusione dispersa. Horum philosophorum terra inanis est et vacua; tenebræ sunt super faciem abyssi; sed ibi Spiritus Dei non fertur super aquas, ut sterile chaos fecundet, atque ex umbris et morte educat vitæ et luminis Oceanum. »

« Systemata vanitate philosophorum elaborata nullum revelant arcanum. Systema autem Religionis, quod simul est systema sanæ philosophiæ et humanitatis, omnium rerum rationem docet. Mundus spirituum, sicut mundus corporum, ingenio humano ænigma est insolubile, ubi Dei notionem rejicit; redeat vero ista notio, lux fit et verbum ænigmatis inventum est. »

« Hæc duo problemata fundamentalia, nempe origo intellectualis objectorum repræsentationis, ejusque cum objectis conformitas, simplicissime a nobis solvuntur. Noster enim intellectus infinitum Dei lumen participat, licet potentiâ sua finitus sit. Lumen quod accipit non est lumen quod in ipso Deo existit; sed est illius similitudo communicata homini, qui creatura est ad imaginem Dei facta... » (Philos. fundament., lib. 1, cap. 9).

II.

In Dei Unitate, fides distinguit Trinitatem personarum, quo mysterio inexplicabili omnia sublimissime explicantur.

1041. — « Est in nobis dualitas inter subjectum cognoscens et objectum cognitum; sine hac dualitate, cognitio foret phænomenon incomprehensibile; ipsa repræsentatio est vox contradictoria, nisi admittatur esse in intimo intellectu res realiter distinctas. Liceat mihi indicare, sublimem distinctionis realis typum nobis præberi in augustissimo mysterio divinæ Trinitatis, quod est dogma fundamentale sanctæ nostræ Religionis. Lucidum illud dogma tegitur velo mysterii, quod ratio nostra humili fide veneratur; verumtamen radii veritatis ex eo erumpentes, admirabilem lumen diffundunt; si divinæ Trinitatis mysterium explicari nequit, ipsum est sublimis rerum explicatio. Itaque maxime et merito in Platonis doctrina admiramur pallidam divini hujus Solis refulgentiam, quam suspicatus ac furatus est. Sed melius Ecclesiæ Patres et theologi, dum in revelatarum veritatum studio, quærerent fulcire fidem quibusdam convenientiæ rationibus, illuminaverunt profundissima cogitationis humanæ arcana. » (Ibid., cap. 8).

« Unitas, quæ cum ente confunditur, eadem non est ac unitas, quæ gignit numerum. Etenim prior unitas dicit tantum absentiam distinctionis; altera dicit proprietatem numerum gignendi. Attamen concludi nequit, unitatem cum ente identicam, distingui ab unitate numerum gignente. Omnia enim entia, in seipsis una, sed ab invicem distincta, quæcumque sint, concipi possunt sub notione numeri. Augustum Trinitatis mysterium includit ternarium numerum, et verissime affirmamus in Deo esse tres personas. » (Philos. fundam., lib. 6, cap. 2).

III.

Omnes creaturæ ad divinum Centrum reducuntur in ordine physico; et rationales creaturæ, in ordine intellectuali ac morali.

1042. — a) « Ens infinitum diligit seipsum... Deus, in profundissimis Intelligentiæ suæ arcanis, ab æterno intuetur infinitas creaturas possibiles. Quum in seipso contineat fundamentum possibilitatis harum creaturarum et relationum, quæ illas inter se vel cum Creatore conjungunt, sequitur nullam creaturam posse independenter a Deo existere, ac proinde omne ens necessario ad Deum coordinari. Finis, quem Deus in Crea-

tione sibi proposuit, esse non potest nisi ipsemet Deus, quoniam ante Creationem, nihil erat, nisi Deus; et post Creationem, omnes creaturarum perfectiones continentur infinito gradu, formaliter, ac virtualiter in sinu Dei. Ergo hæc coordinatio omnium creaturarum ad Deum, tanquam ad ultimum earum Finem, est conditio creaturis inhærens, atque a Deo in externum perfecta in omnibus mundis possibilibus. Omne quod creatum est aut creari potest, fit aut fieri potest juxta aliquam Dei Ideam, quæ in infinito Intellectu repræsentatur cum omnibus proprietatibus absolutis vel relativis in ea præexistentibus. Sic omnis existentia actualis vel futura enti imponit obligationem sese coordonandi ad Deum, unicum Fontem totius esse. »

b) « Jam vero inter creaturas, quas Deus producit juxta repræsentationem seu Ideam in suo Intellectu præexistentem, quædam voluntate prædítæ sunt; voluntas autem est appetitus boni cogniti, est principium determinationum propriarum, mediante actu intellectus. Si creatura haberet intuitivam Dei cognitionem, omnes voluntatis ejus actus forent necessario morales, quia necessario forent actus amoris erga Deum. Tunc creata voluntas in rectitudine sua esset continua refulgentia infinitæ Sanctitatis, seu Amoris quo Deus semetipsum amat. Et licet, in hoc casu, moralis perfectio creaturæ libera non esset, nihilominus esset perfectio moralis in gradu eminenti. Tunc enim foret perpetua conformitas creatæ voluntatis cum Voluntate infinita; quoniam creatura, ex beata amoris necessitate, non vellet, nec velle posset nisi quod vult ipse Deus. Moralitas creatæ voluntatis consisteret in hac constanti conformitate cum divina Voluntate; quæ conformitas non distingueretur ab actu morali et sancto per essentiam, scilicet ab amore creaturæ erga Ens infinitum. »

« Sed cum creatura Deum non cognoscat modo intuitivo, et de Deo non habeat nisi incompletam atque indeterminatam notionem, non amat necessario Bonum infinitum, quod in seipso non cognoscit. Voluntas ad bonum quidem inclinatur, sed ad bonum modo indeterminate cognitum; inde nullam experitur necessariam inclinationem ad ullum reale objectum. Quum bonum ei se præbeat sub notione generali, atque in diversissimis applicationibus, voluntas nulli istarum applicationum subjicitur; ideo manet libera. Creatura pro libitu suo egredi potest ex ordine quem intendit Deus, divinaque consilia effugere; sed tunc libertas illa non est perfectio, et pendet a cognitionis imperfectione in subjecto cognoscente. »

« Dum divinæ Voluntati in suis actibus se conformat, creatura rationalis ordinem exsequitur quem vult Deus; ordinem amat quem Deus amat. Si in hoc ordine exsequendo, creatura ordinem non diligit in ipso libertatis suæ fundo, et si agit ex motivis ab ordine isto alienis, actus est mere physicus; voluntas non diligit quod Deus diligit. Hæc est limitatio, quæ actuum moralitatem ab immoralitate separat. Moralitas enim proprie dicta consistit in explicita vel implicita conformitate creatæ voluntatis cum divina Voluntate. Absoluta moralitatis nota est amor Dei explicitus vel implicitus, qui refulgentia est infinitæ Sanctitatis, seu Amoris quo Deus seipsum diligit. » (Philos. fundament., lib. 10, cap. 20).

§ II.

De ideali repræsentatione omnium effectuum creatorum, in prima Causa intelligente.

1043. — I. « Intuitionis amplitudo et claritas proportionantur perfectioni intelligentiæ. Intelligentia infinita non procedit per rationis discursum, sed per intuitionem; non quærit cognitionis suæ objecta, quæ ipsi præsentia sunt; Deus Essentiam suam contemplatur per intuitionem *identitatis;* ea autem quæ extra ipsum sunt, vel esse possunt, videt per intuitionem *causalitatis.* »

« Relationes entium inter se proportionantur loco, quem in mundo universo occupant. Deus, Ens infinitum, Causa omnium quæ sunt vel esse possunt, immediatas et intimas habet relationes cum mundo universo. Itaque omnia entia in ipso repræsentantur, non tantum generaliter, sed etiam quoad minimas differentias. Ens universale, Causa universalis, objecta non cognoscit per conceptus confusos, per universales et communes repræsentationes; sed minimæ particularitates ei apparent cum perfecta claritate, quia hæc omnia ab eo dependent. Cognitio ejus ut fundamentum habet Realitatem infinitam, quæ non est alia ab eo; Intelligentia ejus non fluctuat per vagas ideas, sed fixas ideas contemplatur; immutabilis et vivacissima et distinctissima intuitione Realitatis infinitæ, videt Ens infinitum in omne quod est, et in omnibus quæ infinita activitate producere potest. Experientia ejus ab extrinseco non supervenit, nam nihil in eum agere potest; sed tota est in suipsius cognitione atque amore. » (Ibid., lib. 4, cap. 17).

II. « Veniamus nunc ad repræsentationem, quam nuncupavi repræsentationem causalitatis. Aliquod ens potest seipsum sibi repræsentare; causa potest effectus suos repræsentare; acti-

vitas, quæ producere potest, incomprehensibilis est, si principium actus producentis non contineat aliquo modo rem productam. »

« Itaque Deus, qui Causa universalis est, in se continet, virtualiter ac modo supremo, omnia entia realia et possibilia. Si autem ens potest seipsum repræsentare, potest quoque repræsentare quod continet. Ergo causalitas, sub conditionibus supra enuntiatis, potest esse origo repræsentationis. »

« Cum quanta intellectus altitudine explicat D. Thomas, quomodo Deus creaturas cognoscit! In Summa theologica, quærit utrum Ens increatum cognoscat alia a se; et respondet affirmative, non quod Essentiam divinam consideret tanquam speculum, sed ope Theologiæ ascendens ad sublimissimas considerationes, in causalitate invenit originem hujus cognitionis. »

« Deus, inquit, seipsum perfecte intelligit.... Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est quod virtus ejus perfecte cognoscatur. Virtus autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit.... Et hoc etiam evidentius fit, si adjungatur, quod ipsum Esse Causæ agentis primæ, scilicet Dei, est ejus Intelligere. Unde quicumque effectus præexistunt in Deo, sicut in Causa prima, necesse est quod sint in ipso ejus Intelligere, et quod omnia in eo sint secundum modum intelligibilem..... Sic igitur dicendum est, quod Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per Essentiam suam. Alia autem a se videt, non in ipsis, sed in seipso, inquantum Essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. » (1. q. 14, art. 5).

« Eadem doctrina exponitur in 1. q. 12, art. 8, ubi quærit utrum videntes Deum per essentiam, omnia in Deo videant. » (Philos. fundam., lib. 1, cap. 13).

§ III.

De cognitionum nostrarum objectivitate innixa ideali rerum repræsentatione in Mente divina et nostra.

1044. — I. « Rei repræsentantis identitas cum re repræsentata, constituit *repræsentationem identitatis*. Relatio causæ et effectus constituit *repræsentationem causalitatis*. Sed tertium est repræsentationis genus, quod a duobus primis distinguitur, et quod vocabimus *repræsentatio idealitatis*. Intelligibiles species nostræ pertinent ad hunc repræsentationis ordinem, etenim non identificantur cum suo objecto, nec causant objectum suum... »

« Jamvero 1°) si existat aliquod ens, repræsentans aliud ens ab ipso non productum, vis repræsentativa non essentialiter ad illud pertinet, sed ei ab alio data est. »

2°) « Communicatio intellectuum explicari nequit, nisi per interventum primæ Intelligentiæ, quæ sit communis omnium intellectuum causa, ac proin possit eis tribuere virtutem mutuæ actionis et repræsentationis. » (Ibid.).

II. « Homo cogitur mente ascendere supra seipsum et supra mundum universum, ad inveniendam repræsentationis originem, tam subjectivæ quam objectivæ. Ergo ei recurrendum est ad Activitatem quamdam primitivam, infinitam, quæ intellectus faciat communicare inter se et cum mundo corporeo. Ergo Philosophia mere ideologica et psychologica non ducit ad Deum. Ergo Philosophia non potest incipere a facto unico quod est omnium factorum causa, sed terminanda est et reapse terminatur ad hoc supremum factum, scilicet ad Existentiam infinitam, quæ Deus est. » (Ibid., lib. 1, cap. 12, in fine).

III. « Notionum nostrarum objectivitas, et relationes necessariæ, quas in ordine possibili percipimus, manifeste demonstrant arcanam communicationem inter nostrum intellectum et increatam Intelligentiam, quæ omnis possibilitatis Principium et Fundamentum est. Possibile explicare nequit, si communicatio ista non admittatur. Ea enim est ipsa Dei Actio intellectui nostro tribuens facultates, quarum virtutem percipit necessariam aliquarum notionum relationem inter se. Atqui, hujus relationis fundamentum est Ens absolutum; ejus autem prototypus invenitur in ipsa Essentia infinita. Itaque si quis hanc communicationem neget, negat meram possibilitatem, ac proin omnes ordinis possibilis veritates, quæ ad eam referuntur; destruit ergo omnem scientiam. Nullæ enim existunt relationes necessariæ, nisi Ens necessarium, in quo fundantur et repræsentantur istæ relationes, sine quibus impossibile est aliud cognoscere quam quod existit, vel tantum apparet, videtur, sentitur; impossibile aliquid affirmare extra ordinem actualem. » (Ibidem, lib. 4, cap. 26, in fine).

IV. 1°) « Quid sunt veritates necessariæ? Entium relationes typum suum habent in Ente, quod continet plenitudinem totius esse. Nulla individua ratio finita, est conditio necessaria istarum veritatum; rationem suam habent in Ente infinito. »

2°) « Omnis res habet essentiam suam, quæ abstracte considerata, realitas est, non in se et individualiter, sed in Ente in quo invenitur plenitudo totius esse. »

3°) « Itaque scientiæ habent aliquid reale; non sunt meræ intellectus nostri creationes, sed

necessariæ relationes repræsentatæ in Ente necessario, et æternaliter ab eo cognitæ.».

4°) « Scientia possibilis est; nam entia contingentia includunt aliquam necessitatem; quia, etsi existere desinant, in suo interitu non trahunt æternos typos omnis esse, quos solos scientia studiose considerat. »

5°) « Omnes relationes individuæ, quum eamdem habeant originem, idem quoque lumen participant; omnes vivunt eadem vita, indivisa quidem in Principio creante, divisa vero in creaturis. Ergo unitas, vel potius uniformitas seu communitas rationis humanæ, est possibilis et necessaria. »

6°) « Sic ratio humana habet, tanquam vinculum commune, Intelligentiam infinitam. Sic Deum in nobis invenimus. *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*, dicunt sacri libri (Act. 17, v. 28). In quibus verbis tota Philosophia continetur. »

7°) « Humanam rationem seorsim consideratam explicare; mente sistere in phænomenis particularibus, absque vinculo illa colligante; et velle in his factis singularibus exstruere magnificum scientiæ nostræ ædificium, profecto non pertinent ad illud quod Sapientia vocatur, artium suprema... »

8°) « Nostra doctrina explicat quare sint tot res, quarum rationem dare non possumus; has enim videmus, sic sunt, sic necessario sunt; impossibile est ulterius progredi. Triangulum non est circulus, quare? Sic est; nihil aliud dicere valemus; sed quare? quia relatio repræsentata in Ente infinito, in Veritate per essentiam, est necessaria necessitate immediata. Ipsa Intelligentia non videt nisi in seipsa suam essendi rationem. Omnia entia omniumque entium relationes invenit in plenitudine sui Esse, ultra quod nihil est. Deus, cum entia intelligentia crearet, dedit eis intuitionem harum relationum, quæ ratiocinium nostrum effugiunt; has intuemur, et sufficit... »

« Nobilissimi Metaphysici theoriam nostram professi sunt. Cum Deo, omnia intelligibilia et clara fiunt; sine Deo, fit chaos confusissimum; hoc verum est in ordine factorum, sed magis adhuc in ordine conceptuum. Intellectualis conceptio nostra factum est; conceptus nostri facta sunt; admirabilis ordo regnat in omnibus rebus; omnes res connectuntur juxta immutabiles leges; et neque hæc connexio, neque hic ordo a nobis pendent. Vox *ratio* profundissima est, nam ad infinitam Intelligentiam refertur. Duæ rationes humanæ esse non possunt, ita ut quod uni homini verum est, sit falsum alteri. Ultra omnem consensum inter creatos intellectus, ultra omnem intuitionem individuam, existunt quædam veritates omnibus intellectibus necessariæ. Si hanc unitatem explicari velimus, oportet extra nosmetipsos mente egredi, oportet ad magnam illam Unitatem ascendere, ex qua procedunt omnia, ad quam redeunt omnia. »

« Theoria illa sublimis est, sed unice vera; qui ab ea discedit, videre desinit, et verborum sensum non amplius intelligit. O rem mirabilem et consolatoriam! Hoc ipso momento, quo homines Deum obliviscuntur, vel etiam negant, Deus physice irradiat eorum intellectum et conceptus, Deus illuminat omne quod sunt, omne quod cogitant; a Deo enim habent vim intelligendi. Veritas objectiva ipsi Deo innititur; homo nullam potest affirmare veritatem, quæ suum typum in Deo non habeat. Hæc intellectualis communicatio finiti cum Infinito eminet inter certissimas Metaphysicæ veritates; etiamsi studia Ideologiæ nullum alium fructum habuissent, quam inventionem veritatis tanti momenti, tempus ei consecratum non amisissemus. » (Philos. fundament., lib. 4, cap. 27).

§ IV.

De principiorum seu causarum intuitione.

I.

De intellectualis intuitionis notione et fecunditate.

1045. — « Una ex ingenii dotibus est *intuitio*, seu facultas intelligendi sine discursu, quod alii non perspiciunt nisi labore improbo et assiduo. Vulgo adhuc nox est, ipsi autem jam ortus est sol. Notio seu factum, quæ nullius momenti esse videntur, ei revelant mille relationes, mille circumstantias aliis absconditas. Principium istud non erat nisi punctum, quod sub ingenii intuitione crescit, dilatatur, extenditur sicut aurora oriente sole. Respicite! ipsa quoque aurora non erat in oriente nisi pallidus luminis tractus! et jam innumerabiles radii argentei et aurei in cœlo ejaculantur; ignei torrentes spatium inundant ab Oriente ad Occidentem, ab Aquilone ad Meridiem. » (De Arte perveniendi ad verum, cap. 16, § 4).

II.

De intellectualis intuitionis sublimitate et raritate.

1046. — « Quare principia quædam simplicia omnibus intellectibus obviam non veniunt? Quare genus humanum admirari tenetur, ut virum

extraordinarium, illum qui cernere novit quasdam res, quas omnes, ut saltem videtur, sicut ipse, cernere potuissent? Hac quæstione investigatur ratio alicujus decreti divinæ Providentiæ; investigatur enim quare Creator aliquibus ingeniis electis tribuit magnam vim intuitionis, aut si magis libeat, immediatam visionem intellectualem plerisque denegatam. »

« D. Thomas admirabilem doctrinam circa hoc factum particulare exponit. Juxta sanctum Doctorem, rationis discursus indicat intellectus nostri debilitatem. Facultas evolvendi nostros conceptus nobis indita est ad isti debilitati subveniendum. Angeli intelligunt, sed non ratiocinantur. Quanto altior est intellectus, tanto decrescit conceptuum ejus numerus, quia in his paucioribus rerum speciebus notiones includit, quas inferiores intellectus in plures species distribuunt. Sic supremi angeli, paucis tantum speciebus comprehendunt immensum notionum circulum. Specierum intelligibilium numerus eo magis decrescit, quo cœlestes illi spiritus ad Creatorem appropinquant; et ipse Deus, qui est Idea suprema, Ens infinitum, Intelligentia infinita, omnia in una Idea intuetur; Idea nempe simplici, unica, immensa, quæ nihil aliud est, quam ipsa ejus Essentia. O sublimem theoriam! quæ admirabilem prodit notitiam secretorum ingenii, et innumeras applicationes nobis suggerit relate ad intellectuales hominis facultates. »

« Etenim egregia ingenia non distinguuntur conceptuum suorum quantitate. Paucos tantum conceptus habent, quibus mundum universum mente amplectuntur. Avis camporum fatigatur humili volatu proxima terræ radendo; in eadem loca it ac redit, quin unquam transgrediatur sinus et limites vallis in qua nata est. Aquila autem sublimi volatu magis magisque ascendit, nec sistit nisi in summis verticibus, unde acerrimis oculis contemplatur montes, fluviorum cursum, latissimos campos opertos civitatibus populo frequentissimis, virentia prata et messes opulentas. »

« Omnes quæstiones supremum quemdam habent apicem, unde ab altis ingeniis cernuntur. Ex hac similitudine ista ingenia res totas intuitu suo complectuntur. Si vulgo non datum est ibi primo conatu pervenire, huc tendere saltem continuo quisque debet. Centuplum enim ex suo labore accipiet. Experientia constat omnem quæstionem, vel etiam omnem disciplinam, reduci ad pauca principia essentialia, ex quibus fluunt cætera. Jam vero hæc principia intelligenda sunt, et reliqua clara fiunt ac facilia, nec erratur in descendendo ad puncta singula. » (De Arte perveniendi ad verum, cap. 16, § 7).

III.

De labore et via virorum alto ingenio præditorum.

1047. — « Intuitio, seu visus intellectualis, non acquiritur nisi diuturna aspiciendi consuetudine. Promptus, certus et acutus eximii pictoris intuitus non est gratuitum naturæ donum, sed acquisitus est diligenti contemplatione et patienti observatione pulchrorum exemplarium. Divinus harmoniæ sensus nunquam perficeretur in homine, etiam optima indole ad musicam addiscendam disposito, si hunc continuo læderent soni asperi et inconcinni. » (Ibid., § 8).

« Quando virum sublimi ingenio præditum videtis exsultantem ut gigas ad currendam viam suam, vanis parcite verbis, sterilibus parcite consiliis, sed tantum ei dicite: « Imago Divini- » tatis, cursum tuum incipe, sed Principium et » Finem tuum ne obliviscaris. Vela navis tuæ » explicas, et nescis quo vadas; oculos tuos ad » cœlum extolle, et viam tuam pete ab Eo qui » fecit te; Voluntatem suam ostendit tibi, Vo- » luntatem Dei! Ibi magnitudinem tuam, ibi » gloriam tuam invenies! » (Ibid., cap. 18, § 4).

His verbis adderem: Non tantum *Principium* et *Finem* tuum ne obliviscaris, sed etiam et maxime, supremum *Exemplar* tuum, in omni tuo speculatione, factione, actione attente inspicias, ne unquam a vero, pulchro, bono aberres, et ut divinæ Voluntati semper conformeris; nam cum sis Dei imago, perfici omnino non potes, nec Deo placere, nisi Ipsi similior in dies efficiaris: *Inspice, et fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est!* (Exod., 25, v. 40).

ARTICULUS IX.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN BROERE.

1048. — Hoc nomen, quod plerisque lectoribus nostris est ignotum, in Hollandia clarissimum est. Broere scientias sacras docuit in seminario Harlemensi vitamque laboriose consumpsit in sacerdotibus formandis et Protestantibus impugnandis. Piissime sicut vixerat obiit die 1ª Decembris 1860. Ex iis, quæ de ejus doctrina in genere et in specie referemus, patebit eum adnumerandum esse raris ingeniis prima rerum principia intuentibus, quorum mentionem facit Balmesius in fine paragraphi præcedentis.

§ I.

De Cornelii Broere doctrina in genere.

1049. — Ad instar omnium sapientium christianorum, quorum doctrina hucusque vidimus, Broere Deum unitrinum considerat tanquam supremum Principium a quo procedit, ad quod reducendus est, et juxta quod ab initio suo usque ad finem perficitur universus ac trinus ordo creatus. Divina enim Trinitas est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis, vel Centrum unicum circa quod omnes creaturæ perficiuntur; est Sol divinus, qui præ nimio fulgore suo, aciem intellectus nostri infinite superante, nequit in seipso aspici seu intelligi, et tamen supernaturali lumine suo tenebras errorum dissipat ac totum ordinem creatum nobis manifestat. Non enim melius nec sublimius cognosci potest universus ordo creatus, quam contemplando Ordinem increatum ad cujus exemplar factus est.

Dolemus, doctum auctorem non reliquisse opus quoddam integrum, in quo totam doctrinam suam de trino Ordine exemplari et de trino ordine exemplato complexus fuerit. Cuncta enim quæ conscripsit, sparsa inveniuntnr per volumina Operis cujusdam periodici hollandica lingua redacti, cui titulus est: *De Katholiek*. Accedit quod multi hujus publicationis articuli nominibus auctorum non subscripti sunt, ita ut interdum dubium oriri possit, utrum hæc illave elucubratio revera nostri Broere manu sit exarata. Ea quæ infra citabimus, tum ex nota intrinseca, tum ex aliorum auctorum citationibus ei attribuenda esse, morali certitudine credimus.

Plerisque suis scriptis Broere Protestantium religionem in patria sua late grassantem impugnat. Ejus errores splendore veritatis dissipare, varia fidei catholicæ dogmata harmonice unire, et ordinis naturalis analogiam cum Ordine supernaturali ostendere totis viribus conatus est. Inde, quamvis opera ejus magna ex parte sint polemica, tamen etiam continent expositionem doctrinæ catholicæ ex Scriptura sacra, Patribus et Schola desumptam, potissimum ex S. Thoma. Itaque illum inter Neo-Scholasticos recensuimus.

Divinus Exemplarismus, quem docet Broere, nobis videtur ad tria capita reduci posse, inquantum divinæ Trinitatis vestigia invenit tum in omni ordine creato, tum in Religione supernaturali, tum in Ecclesia christiana. De primo tantum vestigiorum genere agemus in reliquo Articulo.

Quæ dicentur versa sunt ex hollandica lingua in latinam, benevolentiâ cujusdam Confratris.

§ II.

De trino Naturæ divinæ Ordine.

1050. — « Deus *unus* est in Essentia, *trinus* in personis, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ille est non *aliquis ordo*, sed *ipse Ordo;* ille est consummata *Unitas*, simulque numerus perfectus, *Trinitas;* et ita immediate Vita est, ut omnes vitæ species eminenter complectatur. — Consueta ordinis figura circulus est, qui sese diffundit circa centrum. Hæc tamen diffusio, seu motus ille vitalis, circuitus est, a centro regulatore diversus; et animæ nostræ competit, quæ cuncta orbis puncta, seu potentias suas, cum medio, nempe cum sua essentia, conferens, circulum ad unitatem reducit et in eo consummat. — Quisnam autem unicus et perfectus circulus? Ille... cujus centrum ab orbe non realiter differt. Atqui, talis circulus, solus Deus est; Vitam enim in semetipsa diffundit. Itaque circuitus est centrum, centrumque est circuitus; in eo Vita et Unitas unum idemque est. » (De Katholiek, vol. 27, p. 215).

« En Exemplar, en infinita Norma, juxta quam omnia sunt condita. Deus enim creare non potest, nisi juxta unicum et indivisum Exemplar, quod Ipse est; nec ullus exstat ordo, qui non est imitatio Ordinis substantialis ». (Vol. 27, p. 216).

§ III.

De toto ordine creato imitante trinum Ordinem increatum.

1051. — « Mysterium SS. Trinitatis omnes res imitantur. — Atqui, hoc mysterium situm est in eo, quod distinctio personarum sit in unitate naturæ. — Ergo omnis imitatio fieri debet per aliquam distinctionem in unitate, ideoque in omni re inveniri debent tres partes distinctæ et earum unio ».

« Docet divus Augustinus, sanctissimam exprimere Trinitatem hanc, non esse aliquid accidentale aut superveniens, sed essentiale et propriissimum. (Ad Nebrid., Epist. 11, T. 6, p. 15. — Item in Civ. Dei, lib. 11, cap. 26, T. 7, p. 292), sanctus Doctor, in generalissimis creati ordinis principiis, perspicuam cum sanctissima Trinitate analogiam ostendit. Hæc sunt principia universalissima et omnibus rebus creatis communia. — Atqui, in hisce principiis, ubique perspicitur trina distinctio. — Ergò in omnibus inest trina distinctio. »

« In omnibus nimirum est 1°) Quædam vis, *causa operans*, imago Patris; 2°) quædam *similitudo, seu species*, imago Filii; 3°) quædam

ordinatio in finem, imago Spiritus sancti. Qui tamen creatus ordo, infinito prorsus spatio a Dei perfectione distat. Imperfectio creaturæ in divisione sita est, uti manifestum est in adducta analogia. »

I. « **Causa operans** aliquid divisum denotat; causa enim, et ejus actio, objective unum et idem non sunt. In creaturis, pater esse, et actualiter generare differunt. — Secus autem in Deo, in quo Vita una est et identica. Non est aliud esse Patris, aliud generare; hoc autem *generare* oppositum τῷ *generari*, ipse Pater est. Similiter τό *generari*, ipse Filius est; atque τὸ *procedere*, ipse Spiritus sanctus. »

II. « **Similitudo** cum aliquo, etiam discrimen indicat inter vivum realiter *(individuum singulare)*, et unitatem *(naturam communem)*. Individuum enim generi aut universali *(naturæ specificæ)* consimile est. Nequaquam tamen tale individuum cum universali *(natura)* coalescit. — At vero Deus, quippe qui infinitus sit, nullam ejusmodi differentiam patitur, et tres personæ in una universalitate seu natura uniuntur. Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus: etenim infinita illa Unitas adeo *(essentialiter et)* immediate Vita est, et personæ infinite viventes tam perfecte unum sunt, ut quælibet sit ipsa illa Unitas infinita, nec tres personæ nisi unus Deus sint. »

III. « **Ordinatio ad finem** eamdem offert divisionem. Actio nostra differt ab unitate vel ordine *(via)*, quem sequi debet tanquam medium, ut finem attingat; et tendentia ad finem, seu medium, ipse finis non est. — In Deo autem, ipsa operatio, hujusque unitas unum quid sunt. Pater non ita amat Filium, nec similiter Filius Patrem, ut quasi partim active, partim passive opponerentur sibi, uti duo amores duove amoris principia, quæ concurrunt; neque ita ut in hoc amore, persona Filii a virtute Patris distingueretur, sed ab utraque, uti ab unico Principio, procedit Spiritus sanctus. Eam ob causam, nec adest hîc differentia inter *(vivum)* amorem et *(vivum)* ejus objectum; nam Spiritus sanctus Amor est, qui immediate ipsum Bonum est; nec bonum aliquod, aut beatitudinem appetit; quia est Bonitas personaliter. » (Vol. 27, p. 215 et seq.).

§ IV.

De ordinis creati analogia cum trino Ordine increato

1052. — Ea quæ sequuntur, ad litteram ipsa verba sunt Clari Broere, quibus, postquam multa sparsim de ordine scripsit, sic omnia nervose resumit, et brevi exponit. Inveniuntur in volumine 27 et 49.

I. « Æterna est nativitas Filii a Patre, æterni sunt Patres et Filii amplexus; æterna est Amoris, Spiritus sancti ab utroque processio. »

« Unitas a Vita hujusque fecunditate non differt. Deus habet Filium. Usque adeo ista fecunditas est infinite magna et valida! Et ille Filius est ejus Verbum; tam spiritualis, tam pura, et infinite cognita est hæc generatio *(hoc generare et generari)!* Est ergo absoluta similitudo; Deus de Deo; cumque Deus a Deo non differat, nec illa Unitas Patris et Filii sit cæca necessitas, e contra effectus infinitæ Scientiæ, et consequenter Amor infinitus, ideo Amor ille nec est Pater nec Filius, et tamen Deus. In re creata distinguitur unitas a vita, in qua distinctione, generaliter natura rei creatæ sita est. »

« Finitum esse potest, et non esse. Non est perfecte *unum;* quum enim perfectam cogitamus Unitatem, cogitamus infinitum, quod, utpote perfecte vivens, necessario existit. Unde duo sunt in creaturâ distincta principia, unitatis alterum, alterum vitæ, quæ sibi invicem inseparabiliter respiciunt, et se perficiunt unione, id est, continua Dei imitatione. »

II. « Claro et forti modo, Deus hanc ordinatam distinctionem produxit in opere Creationis. »

« Unitatem suam singulari modo in spiritu creato expressit, Spiritus enim eminenter unus est. »

« Fecunditatem Vitæ suæ, præ aliis in materia refert; materia enim eminenter multiplex est. »

« Vitam et unitatem simul speciali modo, unione spiritus et materiæ imitatus est, in qua tam fecunditas quam unitas spiritus conspiciuntur. »

« Unitas autem vitæ operationem præcedit; simplicitas præ multiplici evolutione concipitur; et ubique activitas ad ultimum entis finem dirigitur. »

III. « Exinde ante omnia voluit Deus creare angelos, et in ipsis imitari suam Unitatem. Ipsi sunt suprema, cæterisque excelsiora entia, quæ vitam unitati suæ proportionatam consecuta sunt. Spiritus specialiter causa est. Ideo angeli agunt, verbum suum generant et communicant. Cum vero in creatura, una tantum divina perfectio possit modo *perfecto* ante oculos proponi, angeli nullum subsistens producunt. »

IV. « Cum porro vita creata in fine evolvatur, et externe manifestetur, Deus, quasi in extrema et infima Creationis peripheria, materiam posuit; et cum omne ens inferius una aliqua qualitate præcellere oporteat, materiæ donavit Deus principium vitæ et fecunditatis. In ipsa, unum ens ex altero procedit. Sed etiamsi productum assimiletur producenti, ita tamen similitudo conscientiâ caret. »

V. « In opere Creationis, Deus duo ordinis principia *(spiritum nimirum et materiam)* magis magisque conjunxit, et creaturas condidit nobiliori semper vita dotatas, donec tandem in homine unum et indivisum spiritum univit cum fecunda et multiplici materia. »

« In ipso, duæ naturæ sociantur, ita ut, juxta S. Gregorium Nazianzenum, in Orat. 38, homo fuerit imago universi et major mundus in minori compendiose propositus. Erat in eo realis productio, hujusque conscientia; erat ibi filius. »

VI. « Societas humana est imago sanctissimæ Trinitatis. Voluit autem Deus mundum secum in viva, personali relatione collocare Filium, qui Verbum est. Oportebat etiam esse Filium et Verbum creationis; per ipsum duo creati ordinis principia, recepta unione naturam superante, infinitum ejus mysterium prædicarunt. »

« In hoc Consilio, Paradisus erat imperfectio; stupenda conjunctio spiritus et materiæ, omniumque creatæ naturæ constitutivorum, inchoatio erat, non consummatio. »

VII. « Post lapsum, separatio tanto erat major. Ubique, in locum duplicitatis, suffecta est quædam pugna, præcipue inter elevationem spiritus, et fecunditatem materiæ. Spiritus et caro, juxta Scripturam, per eminentiam adversa sunt. Deus autem promisit reconciliationem. Ab æterno statuerat Filius Dei fieri filius hominis, ut, susceptâ, quæ universa complectitur, naturâ humanâ, totum ordinem creatum instauraret, Angelos et hominem et materiam. Per Mariam hoc factum est. »

« In ipsa, locum habet mirabilis unio simplicis spiritûs et fecundæ materiæ; ipsa sciens concepit; in ipsa est altissima mentis ad Deum elevatio, una cum corporis fecunditate. Operatio spiritus modo incomprehensibili cum materiæ operatione conjuncta est, ut concipiat de sola sanctificatione, prius mente quam ventre; credendo peperit; credendo concepit. Ipsa ergo, juxta verba S. Dionysii Alexandrini, est una sola Virgo, filia vitæ, quæ genuit Verbum visum et subsistens. »

§ V.

De analogicis increati et creati ordinis elementis.

1053. — I. Generalior idea ordinis ex mente clari Broere videtur sita *in unione multiplicitatis et unitatis*, quæ sunt quasi elementa omnis ordinis, juxta Exemplar Ordinis increati. Ordo enim increatus perficitur in eo, quod tres personæ, distinctæ oppositione relationum suarum, existant in una Natura communi. Requiritur ergo in qualibet creatura distinctio et *multiplicitas*, *unitas*, et *conjunctio utriusque*, sive pluralitas in unitate. Pluralitatis et unitatis Principium unicum est in Deo, dum in creatura *duo* sunt principia prorsus distincta; principium enim multiplicitatis nequit esse etiam principium unitatis. Inde in omni creatura est quædam divisio. Quia vero *materia*, propter suam divisibilitatem, est principium et radix multiplicitatis ac individualitatis; et *forma*, seu spiritus, principium et radix unitatis; propterea universalissima in creatura divisio est inter *principium materiale* et *principium formale*. Exinde omnes errores, qualiscumque generis sint, reduci possunt ad speciem aliquam sive *Materialismi* sive *Pantheismi*, theoretici, practici, aut socialis.

Naturalis itaque dictorum elementorum connexio *ordinem naturalem* constituit; supernaturalis eorum conjunctio, vel unio ad perfectionem supernaturalem, efficit *ordinem supernaturalem*. Exemplar istius perfectæ unionis est Christus, qui perfectissima personæ unione, duas naturas maxime varias conjungit. Perfectissima Christi imitatio est B. Virgo Maria, quæ perfectissime unit dicta elementa, materiam et spiritum; spiritum per eximiam suam virginitatem, qua Deo adhæsit: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (1. Cor. 6, v. 17); *materiam*, per Maternitatem suam, qua genuit hominem qui Deus est. Adeo enim pura et virginalis fuit terra hæc, ut fructum genuerit divinum; et meruerit Matrem esse omnium hominum. In ipsa perfecte impletur mysterium virginitatis et maternitatis... *Virgo concipiet et pariet Filium* (Isai. 7, v. 14).

1054. — II. Omnis igitur ordo creatus factus est ad imitationem Ordinis substantialis Dei. Etenim sicut Ordo divinus consistit in existentia trium personarum distinctarum in una natura communi, ita omnis ordo creatus consistit in pluralitate et unitate, vel potius in unione, vel simultaneitate utriusque. Elementa ordinis sunt *unitas* et *distinctio*, quæ in Deo perfectissimo modo inveniuntur. Quo perfectius hæc elementa in ordine inveniuntur, eo perfectior erit ordo. 1°) *In natura*, hæc duo principia inveniuntur. Omnia sunt varia, ut diversimode repræsentetur magnitudo et perfectio divini Esse; omnia tamen etiam ad *unitatem* tendunt, quia idem divinum Exemplar imitantur. Hæc vero unitas non debet esse Unitas Dei, in qua cuncta identificantur; nam unitas creata, quantumcumque perfecta, non supponit identitatem partium, sed unionem partium revera distinctarum. *Distinctio* iterum non est separatio, neque disruptio partium, sed consistit in harmonia et concordia mutua.

2°) *Ordo supernaturalis* est ordo, in quo Infinitum unitur finito. Exemplar, seu typus est Jesus Christus, in quo Natura divina ineffabili unione personali jungitur naturæ humanæ. Perfectissima ejus imitatio est unio animæ Beatissimæ Virginis cum Deo. Ordo supernaturalis in genere perfectior est ordine naturali, quia principia ordinis constitutiva majori cum perfectione ei insunt; unde *varietas* rerum est pulchrior et ditior, quæ ad strictiorem *unitatem* reducitur. — Ordo supernaturalis est elevatio ipsius ordinis naturalis, per novam et perfectiorem Ordinis increati imitationem. Clare hoc perspicimus in operibus Dei: quum Deus perfectissime semper agat, in Creatione dat rei quidquid ei debetur, et naturæ perfectio exigit; in initio rei, ex modo, quo de manu Dei profecta est, recte Ejus Essentiam et attributorum trinitatem dignoscere possumus.

Deus, verbi gratia, magnam constituerat *unitatem* inter societatem domesticam, civilem et religiosam. Attamen, etsi unitæ, manebant *distinctæ;* insuper *unitas* ea non erat, in qua partes identificantur; nec *distinctio* talis ut essent separatæ. Adam enim erat pater, rex et sacerdos; dignitates, quæ etsi *distinctæ* manerent, tamen in una persona *uniebantur*.

1055. — III. Peccatum Adæ omnes partes ordinis a Deo conditi separavit; fregit unionem supernaturalem hominis cum Deo; fregit societatem mutuam hominum; disturbavit ordinem in ipso homine et subordinationem facultatum. Cuncta quæ Deus bene *distinxerat* atque *univerat*, abrupit et separavit peccatum.

Ordo vero restituitur, et magnus Ordinator est secunda SS. Trinitatis persona. Nec tantum est Ordinator, nam in Reparationis opere, ordo non solum *restituitur* in pristinum statum, sed etiam *perficitur* et consummatur; quia Ordo substantialis et divinus perfectissimo, quo potest modo, ei applicatur. Christus in S. Scriptura dicitur per antonomasiam: « *Mediator novi Testamenti* »; jam, qui vere mediator est, habet circum se, ut ita dicam, ordinem cujus medium, seu mediator est. (Vol. 33, p. 273). Qui rejicit Christi mediationem, totum ordinem supernaturalem negat; quia non est ordo sine medio, sive centro. *(Ibid).* Mediatio Christi est mediatio personalis; quare indicat mittentem causam personalem, et fructum personalem. Et huic Ecclesiæ principio, tota continuatio respondere debet; quapropter existentia trium personarum in Deo per totam Ecclesiam, et per omnes ejus partes, manifestari debet.

Sicut itaque ordo naturalis manifestat divinas relationes generales Potentiæ, Sapientiæ et Bonitatis, ita in Ecclesia, sive in societate a Christo fundata, ubique revelatur vestigium trium personarum divinarum. In Christo, natura corrupta restauratur, et partes dissoluti ordinis in *unitate* centri perfectioris recapitulantur, et ad perfectiorem statum reducuntur. *Distinctio* ex qua oritur pluralitas nulla existere potest major, quam in Ecclesia existit; est enim distinctio personarum. Hæc est perfectissima varietas, 1°) quia persona est perfectissima res, quæ esse vel cogitari potest; 2°) quia distinctio in Deo, ex oppositione personarum provenit.

Unitas Ecclesiæ est etiam perfectissima participatio Unitatis personarum SS. Trinitatis, quam impetravit Christus: « *Ut sint unum, sicut et nos.* » (Jo. XVII, 11). Revelatio itaque, quam renovavit et maxime perfecit Deus, quum locutus est nobis in Filio, non est tantum nova cognitio, sed novus et integer aliquis ordo inferiori superadditus, cujus Centrum vitale et movens est secunda persona SS. Trinitatis, Christus ipse, præsens in Eucharistia.

§ VI.

De cognitione ordinis naturalis et supernaturalis.

1056. — I. Deus est Veritas infinita, Lux rationis. Hæc potest ex communi et naturali ordine rerum, necessariis argumentis Deum probare. (Vol. 28, p. 113). Ratio est, quia inter finitum et infinitum necessariæ sunt relationes generales et abstractæ, similitudinis et finis. (Vol. 28, p. 76 - Vol. 30, p. 102).

Ratio nostra *ordinem naturalem* cognoscere potest, et inquantum iste ordo factus est ad exemplar Dei, in cognitionem attributorum generalium divinorum devenire potest. Ast præter generales et abstractas veritates, circa Dei Naturam nihil cognoscere potest, quum rerum naturæ nihil amplius indicent. Sicuti omnia in natura in unitatem vergunt, ita et ratio nostra unitatem ubique quærit, et partium pluralitatem sub unitatis conceptu videre; ast unitas ista attingi ab ipsa sola nequit; unitas illa est Verbum Patris, Imago substantialis ipsius ordinis; Verbum, in quo constant omnia, et per quod omnia creata sunt et recreata; in quo omnia instaurantur et glorificantur.

II. Lumen fidei nobis revelat veritates adhuc profundiores; edocet existentiam personarum, et multo perfectius Vitam Dei explicat, et naturam ordinis facti juxta Exemplar Dei, unius et trini, qui substantialis et personalis Ordo est.

« Deus solus est pura Unitas, ita ut in ipso Ordo sit necessarius, nec aliqua distinctio addit, aut differentia, inter esse et operari. »

« In natura non est pura unitas; omnia sunt duplicia. Non est perfecta unitas, sed similitudo. » (Vol. 29, p. 91).

Fundamentalis distinctio creaturarum Dei est dualitas, quæ ad unitatem reducitur. Vita et unitas, commune et singulare, natura et persona, quæ in Deo uniuntur et identificantur, dividuntur in operibus Dei, ita ut tantum mutua similitudine uniantur.

§ VII.

De triplici genere ordinis creati.

Scilicet 1°) de ordine physico; 2°) de ordine intellectuali, artistico et morali in homine individuo; 3°) de ordine sociali.

1057. — I. De ordine physico.

In creatura, duo sunt principia unitatis et multiplicitatis, quæ sua unione et mutuâ harmoniâ perficiunt ens. Principium unitatis est spiritus seu forma; principium multiplicitatis est materia. Unitas iterum spiritus non est infinita et indivisibilis Perfectio Dei. Spiritus enim duo continet, mentem et voluntatem. Per intellectum percipimus rerum existentias, formale rerum: mens vero nostra nihil producit, nec gignit veritatem. Voluntas est facultas causativa; per voluntatem sumus activi, producimus aliquid, actum scilicet moralem, qui est quasi fructus animæ nostræ. In intellectu homo est potius passivus, per voluntatem potius activus. (Vol. 49, p. 362).

1058. — II. De ordine intellectuali, artistico et morali in homine individuo.

Sicut in natura pure sensibili, ita et in homine esse debet maxima varietas inter partes compositi humani. Corpus enim et anima ex diametro opponuntur. Hæ tamen partes perfectissima unione junguntur: non enim est perfectior unitas quam unitas personæ. Etenim perfectio hominis fit, vel juxta intellectum, vel juxta voluntatem. Intellectus perficitur vel recipiendo imaginem rerum, per *scientiam*, vel exprimendo formis sensibilibus verbum suum internum *per artem*. Voluntas perficitur volendo et operando bonum *per virtutem*. Objectum *scientiæ* est veritas, quam intellectus detegit et in se recipit. Objectum *artis* est pulchrum, quod homo producit, et *quodammodo* creat. Objectum *virtutis* est bonum morale, quod causat homo, agendo juxta legem. At vero veritas, pulchritudo et bonitas duplicem aspectum offerunt.

1°) *Scientia* intendit res et maxime rem per excellentiam, scilicet, Deum. Scientia quærit unire unitatem et multiplicitatem veritatis. Ratio nostra naturaliter tendit in Deum, Veritatem infinitam; quia est objectum omnium maxime intelligibile. Jam Veritas infinita est una et multiplex. Omnis creata veritas, quo est altior et perfectior, quo propius Veritati infinitæ accedit, eo perfectius est una, et eo ditior in multiplicitate; ita tamen ut in creata veritate, principia unitatis et multiplicitatis non sint eadem. Ratio nostra conatur hæc principia unire, et quo melius unit, eo perfectior scientia exurgit. (Vol. 28, p. 94).

Nota bene dici: *unire* conatur; non vero *identificare* vel *confundere;* nam ex confusione horum elementorum semper aliquis error nascitur. Unitate et multiplicitate regitur humana ratio. Ipsa quærit veritatem, quæ est finis ejus; veritas, imo Veritas divina et infinita, rationem attrahit. Veritas vero divina est perfectissime *una* propter infinitam simplicitatem; est etiam maxime *multiplex*, realis, viva et movens, quia causa est omnium aliarum veritatum. In veritate autem naturaliter cognita ratio quiescere nequit; appetit intuitionem, quam fides præparat; appetit cognitionem mysterii SS. Trinitatis, quod fides revelat; quærit veritatem supernaturalem, in quâ unitas naturæ substantialiter non differt a personis. Omnes *veritates* participatæ ordinem æternæ Veritatis supponunt, et demonstrant ordine suo et harmonica constructione, et quidem per se, positive et propria luce; *errores* autem negative, inquantum sunt umbræ Lucis æternæ. (Vol. 27, p. 231, et vol. 49 p. 385).

Omnes veritates continentur in Christo, Deo et homine. Verbum Patris est Veritas infinita, quæ nequit nobis magis appropinquare vel magis nobis assimilari, quam assumendo naturam nostram.

Tria in scientia inveniuntur: *Causa* scientiæ, seu media, quibus certitudo comparatur. *Similitudo*, seu objectiva veritas, cui intellectus assimilatur, nam veritas est adæquatio rei et intellectus. *Finis*, seu praxis, virtus, leges, præcepta, etc. (Vol. 32, p. 143).

2°) *Ars* non quærit realitatem, non rem ipsam, sed similitudinem, speciem, imitationem, pulchram formam rei. Ipsa Realitatem infinitam, scilicet Deum, non solum vult cognoscere, vel contemplari, sed etiam veluti *reproducere*, et eo *frui*. Objectum artis est pulchrum. Pulchrum vero est splendor veri. Pulchritudo itaque exemplaris, sicut veritas, duplicem offert aspectum. Ars appetit harmonicam quamdam unitatem, quæ singularem unitatem superat; et realitatem, quæ jam perfectior videtur, quam mera rei propositio sive imitatio. (Vol. 28, p. 95).

In Deo Veritas, Pulchritudo et Bonitas non distinguuntur; in ordine creato distinguuntur. (Vol. 49, p. 364-365).

3°) *Virtus* est quædam maternitas unâ cum virginitate, renuntiando omni malo et producendo omne bonum. Est puritas ab omni affectu creaturæ, et incorruptio, quæ facit esse proximum Deo; est renuntiare omni satisfactioni sensuum et adhærere soli Deo; ut, gratia ejus adjuvante, bonis operibus abundemus.

Virginitas unitatem indicat, qua solus homo cum Deo solo unitur, remotis aliis, quæ a Deo abstrahere possunt. Maternitas autem vitam, actionem et multiplicitatem potius indicat.

1059. — III. **De ordine sociali.**

Societas hominum est perfectissima imago SS. Trinitatis. Quare? Quia multiplicitas et unio personarum optime repræsentat et imitatur SS. Trinitatem, quæ tribus personis unitis constat. Partes societatis sunt perfectiores quam partes individui, quum jam per se sint totalitates quædam, totalitates perfecte ab invicem distinctæ et perfecte in se constitutæ; unitatis vinculum in societate humana perfectius est quam in qualibet alia re composita; est enim unio voluntatum, vinculum morale.

In societate, modo eminenti adest unitas et multiplicitas. *Unitas* est ordo, qui omnem societatem facit esse corpus aliquod morale; causa hujus ordinis est auctoritas, in cujus virtute radicatur unionis principium.

Multiplicitas consistit in libertate individuorum, quæ societatem componunt; radix distinctionis est ergo libertas subjectorum. Multis insuper aliis modis unitas et multiplicitas societati insunt, uti videre est in Vol. 27 (p. 29 et seqq.; p. 302 et seqq.). Tria in societate reperiuntur: *Causa*, seu auctoritas, quæ civium multiplicitatem ad unitatem reducit. *Similitudo* inter cives, quum subditi societatis sint coram lege æquales. *Finis*, seu persona individua, quæ auctoritati obedit et cum cæteris civibus subit salutarem ejus influxum.

§ VIII.

De inordinatione, quæ oritur ex confusione duorum ordinis elementorum.

1060. — Diximus, omnia in natura creata esse divisa, duplicia. At neque divisio, neque duplicitas, ordo est; sed connectio inter ea, quæ distinguuntur, ordinem facit. Divinus enim et exemplaris Ordo in eo consistit quod tres personæ consistant in una Natura. Ergo distinctio, seu pluralitas in Unitate modo infinite perfecto. (Vol. 49, p. 371). Ubi unitas et multiplicitas harmonice uniuntur, pulcher resultat ordo; ubi vero confunduntur, aut ubi alterutri nimium conceditur, ordo sive plene, sive partim evertitur.

Sic 1°) *in ordine physico*, si nimium concedatur pluralitati *(principio materiali)* exsurget Materialismus; si exaltetur plus æquo unitas, sive pars spiritualis, oritur Pantheismus.

2°) *In ordine individuali* a) si ratio nostra in *veritate exquirenda* nimium adhæreat unitati rerum, Nominalismus erit, vel scientia quædam sensibilis, quæ falso intendit veritatem producere et substantiam sentire; si multiplicitati nimium adhæreamus, Realismus orietur. b) Si in *arte* exercenda ratio nimium unitati studeat, Idealismus erit exaggeratus; si multiplicitati, aut parti materiali, pravum habebis Naturalismum. c) Si in operibus *virtutis* nimia sectetur unitas, falsus obtinebitur Mysticismus; si nimia multiplicitas, perniciosus Realismus.

3°) Si in *societate* hominum nimium faveatur unitati, auctoritas erit despotica; si nimium faveatur multiplicitati, democratia enascetur.

§ IX.

De errore, qui oritur ex aliqua confusione Ordinis increati et ordinis creati.

1061. — In omni errore, cujuscumque sit generis, semper quædam confusio est finiti cum Infinito, hominis cum Deo. Sic ex inordinatione natura ordinis probatur: omnis inordinatio exsurgit ex confusione multiplicitatis et unitatis. Ergo e contra, ordo resultat ex debita ipsarum conjunctione. Broere hoc monstrat in omni erronea Philosophia, vel ex falsa ratione, qua ratio nostra veritatem inquirit vel possidere potest.

1°) Ratio nostra destinata est ad intuitionem, quam Deus concedet in regno cœlorum, et ad certitudinem supernaturalem. Ex hac innata inclinatione ad intuitionem, et certitudinem plus quam naturalem, sequitur quod ratio *quærendo* veritatem, et certitudinem naturalibus viribus acquirendo, non satiatur; sed continuum desiderium gignit intuendi veritatem, et certitudinem quasi visibilem possidendi. Vera via ut ibi perveniat, est supernaturalis Revelatio, quæ hîc altiorem certitudinem et inchoatam intuitionem concedit. Si vero ratio hanc viam Revelationis sequi renuit, ipsa ob vehemens intuendi desiderium, incipit revelare; imaginatur per verbum intellectuale producere veritatem, quam intuetur. Quis autem non videt, Verbum divinum hîc sumi pro verbo humano? Verbi divini est producere veritatem; est Veritas *subsistens* per quam omnia vera sunt. Verbum autem humanum est tantum figura quædam veritatis, *accidentale* quid; proin facere nequit, ut res

cogitata eo ipso revera existat. Homo se ponit loco Dei, sibique adscribit virtutem infinitam.

Dein, quum ideæ nostræ universales sint et spirituales, non existerent nisi universalia; vel potius nonnisi unum Universale, quod Deus est; proinde nascitur purus Pantheismus, vel quædam ejus species, qua omnia singulariter existentia non sunt nisi ipsa Universalitas varie modificata; ita ut multiplicitas perdatur, et resolvatur in falsam et absolutam unitatem; confunduntur itaque principia ordinis. Adeo hîc elevatur ratio, ut affirmatio esset quasi creatio veritatis; negatio, quasi veritatis destructio.

2°) Alterum extremum esset, si ratio non præcise vellet *producere* veritatem, sed eam sensibiliter existentem *sentire*, quasi ipsæ res essent veritates spirituales. In priori casu, ipsam ideam intellectualem « faceret ratio realem substantiam; in hoc vero, ratio substantiam sensibilem esse vult formam intelligibilem. » (Vol. 27, p. 231).

Præterea, quum sentire veritatem subsistentem, fieret per *sensus;* et sensus sint singularium, sequeretur omnia esse singularia, ac destrueretur omnis unitas et universalitas; omnia essent multiplicia; multiplicitas sola existeret; et quum materia, ob suam divisibilitatem, sit radix multiplicitatis, esset hic error vel purus Materialismus, vel quædam ejus species.

3°) Sic ergo ipsa inordinatio probat ordinis naturam; sicut tenebræ naturam lucis. Inordinatio enim existit quando *multiplicitas* et *unitas*, aut non, aut modo inæquali *uniuntur;* ergo ex adverso ordo resultat ex harmonica utriusque unione, juxta Exemplar divinum, quod est personarum pluralitas in perfectissima communione unius singularis Naturæ. (Vol. 27, p. 224-232).

§ X.

De sociali inordinatione in specie.

1062. — 1°) Conformiter duplici errorum classi mox enumeratæ, duplex tendentia manifestatur in vita sociali. Etenim si identificentur individuales libertates, personarum *multiplicitas* confunditur in unitate quadam sociali vel in universalitate, ita ut individua nihil sint nisi evolutiones, vel centra, vel gradus unius ejusdemque unitatis socialis; est *Pantheismus* in societate. Aut perditur prorsus *unitas* societatis, nec admittuntur nisi individua, personæ et partes incohærentes; est *Materialismus* in societate.

2°) Patet etiam hîc confundi ordinem creatum cum increato. In Deo enim non differt natura communis a subsistentia personali; ideo identificare personalitatem cum natura, aperte repugnat creatæ naturæ.

In secundo errore, idem fere obtinet, ita ut negetur communitas, vel participatio naturæ in quolibet individuo.

ARTICULUS X.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN VAN DEN BERG.

1063. — **Prænotanda.** Doctus ille auctor, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ magister et studii regens in collegio Huissensi (Hussen) in Hollandia, duo nostris diebus edidit opuscula ubi optime exponitur Exemplarismi divini doctrina. Unum inscribitur: *De Ideis divinis*, seu de divina Essentia, prout est rerum omnium Idea et primum Exemplar, juxta doctrinam doctoris angelici, D. Thomæ Aquinatis, contra Pantheismum præsertim idealisticum aliosque errores modernos. — Alterum opusculum habet titulum: *Beatissima Virgo Maria, Imago Dei et SS. Trinitatis*, juxta mentem doctoris angelici.

Ex priore horum operum transcribemus: 1°) notiones præliminares, et 2°) synopsim, quæ ab ipso P. Van den Berg confecta est, et completam operis ejus ideam lectoribus exhibet. Sed primo audiamus quid dicat auctor de capitali momento doctrinæ Exemplarismi.

« In systemate doctoris angelici, doctrina de Ideis divinis, de divina Essentia ita considerata, veræ Philosophiæ et basis videtur esse, et anima, et vita. *Tanta vis in ideis constituitur*, ait S. Augustinus (lib. Q. 83, q. 46), *ut nisi iis intellectis, sapiens nemo esse possit.* Ideæ enim divinæ, exemplaria illa æterna, omnia continent, omnia complectuntur. Quæcumque sunt in Deo, et a Deo, sunt in Idea, in Deo exemplari, in Deo cognoscente, vidente et movente. Ideæ divinæ sunt totius Creationis, Gubernationis, Providentiæ universæ exemplaria, et hinc ideas illas æternas omnia et singula quæcumque sunt, et quocumque modo sunt, plus minusve perfecte exprimunt, imitantur, ipsis assimilantur, prout in decursu hujus operis luculentissime patebit. » *(Ratio operis).*

§ I.

Notiones præliminares de ideis divinis.

1064. — « Si in omnibus curandum est, ut tractanda jam ab initio clare et lucide proponantur, ne statu quæstionis non bene deter-

minato nec rite exposito, omnia maneant confusa: ita profecto in quæstione hac nostra difficili æque et profunda, dum de ideis divinis pro modulo nostro loqui volumus, omnino statuendum nobis imprimis videtur, quid intelligamus idearum nomine, quomodo dividantur, de quibusnam hîc agere noster scopus. Itaque: »

« Quid et quotuplex est idea secundum D. Thomam, cujus doctrinam exponere intendimus; quomodo dividitur et quonam sensu ideam hîc accipimus?

I. « *Quid ergo idea?* » Est forma rei præter ipsam existens; *idea* græce, latine *forma* dicitur. *Unde* per ideas intelliguntur formæ aliarum rerum præter res existentes. » (1. q. 15, art. 1).

II. « *Idea autem est duplex:* speculativa et practica. *Speculativa*, inquantum est solummodo principium cognitionis rei, pura rei repræsentatio; *practica* vero, inquantum est forma rei, ad cujus similitudinem agens operatur, vel saltem agere potest. Hæc ergo est virtute vel actu practica. Et hoc ultimo sensu, idea etiam dicitur exemplar et principium operationis. « Forma, ita S. Doctor, præter ipsam *(rem)* existens, ad duo esse potest; vel ut sit exemplar ejus, cujus dicitur forma, vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. » (Ibid).

« Nec ea divisio mira videri potest consideranti, quod *et cognitio duplex detur, speculativa scilicet et practica;* prima est pura veritatis contemplatio, in secunda vero hæc ad praxim ordinatur. Utraque est in eadem facultate intellectiva; quod autem una, non altera, ad opus ordinetur, id est per accidens; residet ergo utraque scientia in intellectu, et in hoc conveniunt, quod per utramque cognoscatur veritas; finis autem earum est diversus: scientia speculativa solummodo contemplationem, practica operationem intendit. Id clare exponit D. Thomas. « Intellectus practicus, inquit, et speculativus non sunt diversæ potentiæ. Cujus ratio est, quia, ut supra, q. 77, art. 3, dictum est, quod accidentaliter se habet ad objecti rationem, quam respicit aliqua potentia, non diversificat potentiam. Accidit enim colorato, quod sit homo, aut magnum, aut parvum. Unde omnia ejusmodi eâdem visivâ potentiâ apprehenduntur. Accidit autem alicui apprehenso per intellectum. quod ordinetur ad opus, vel non ordinetur. Secundum hoc autem differunt intellectus speculativus et practicus. Nam intellectus speculativus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed solummodo ad veritatis considerationem. Practicus autem intellectus, qui hoc quod apprehendit, ordinat ad opus. » (1. q. 79, art. 11).

« Quod ego de scientia speculativa et practica dicitur, ideæ speculativæ et practicæ applicari potest. Idea itaque speculativa non est nisi repræsentatio objecti cogniti in mente; practica, actu nempe, exemplar est in mente artificis, juxta quod operatur, seu ex D. Thoma: « Est forma quam aliquid imitatur, ex intentione agentis, qui determinat sibi finem. » (Quæst. disput., de Ideis, art. 1). *Forma*, mente nempe concepta, quia agenti interna est, et *exemplar* præ se ferens rationem causæ, quatenus dirigit agentis actionem et sibi assimilatur effectus. Dicit tamen S. Doctor: *ex intentione agentis*, quia si effectus per accidens, id est præter agentis intentionem, assimiletur, idea illa, seu forma, verum exemplar non foret. »

« Posita itaque divisione ideæ in speculativam et practicam, utriusque definitione determinata, quantumvis idea communiter accepta similitudinem notet, et ad speculativam spectet cognitionem, animadvertendum tamen est, veram et propriam ideæ notionem practicæ magis quam puræ speculativæ convenire. Et ratio est hæc, quia vox *idea* causalitatem quamdam inferre videtur. Idea autem practica, seu exemplar, potius quam speculativa est causativa, virtute saltem, quatenus, uti modo diximus, agentis actionem dirigit, ut assimiletur effectus. » (D. Thom., loc. cit., art. 3).

« Ad rectam tamen plenioremque horum intelligentiam, duo insuper cum Doctore nostro consideranda: 1°) Idea practica et speculativa non sunt quasi duæ ideæ, sed quia, secundum rationem intelligendi, practica addit super speculativam ordinem ad actum, sicut homo addit super animal *rationale;* nec homo tamen et animal sunt duæ res. 2°) Cum idea, actu practica, sit exemplar, ad cujus imitationem quis operatur, cumque omnis operans contueatur ipsam rem imitandam, hinc idea illa practica menti operantis offertur directe, seu in senso Scholasticorum, ut id *quod* intelligitur, ita tamen ut in eadem illa idea, secundario etiam illa suspiciantur, quæ ad ipsam imitationem sunt producenda, seu in sensu scholastico, idea est id *quo* aliquid intelligitur, nempe secundario.»

« Et ita videor mihi paulo latius quidem, prout res exigit, clare tamen aperuisse, quid sit idea in sensu divi Thomæ, quomodo dividatur, quid singula. Unum determinandum restat, nempe quo sensu ideam hîc accipiamus. »

III. « Itaque dum de ideis divinis instituimus sermonem, non de ideis pure speculativis, sed practicis; non prout sunt pura principia cognitionis, sed prout sunt principia operationis; non

prout ad puram speculationem, sed ad actum habent ordinem, prout sunt rerum archetypæ et exemplaria potissimum consideramus.»

« Ut autem ordine debito procedatur, 1°) dicemus de ideis divinis absolute consideratis; 2°) de ideis divinis relate ad Creationem; 3°) de ideis divinis comparate ad res in genere; 4°) de ideis divinis comparate ad hominem; et 5°) de ideis divinis comparate ad Filium Dei, qui, prout Verbum divinum, est perfectissima Patris Imago.»

§ II.

Synopsis operis de ideis divinis.

1065. — *Caput I. De ideis divinis absolute consideratis.*

Articulus I. *Existunt ideæ divinæ.*

« Expressior ideæ definitio. — Existere ideas in Deo probatur a S. Augustino, SS. Patribus, et Revelatione. Ex ratione: Deus est Causa prima per creationem, Deus creavit per intellectum, Deus est ipsius suum Intelligere. — Existunt ideæ in Deo omnium et singulorum; item possibilium; non malorum qua talium. — Variæ sententiæ circa naturam divinarum idearum, in quo consistant. »

Articulus II. *In quo consistunt ideæ divinæ.*

§ I. « *Ideæ illæ non sunt ipsæmet creaturæ, neque secundum quoddam esse intelligibile, ab æterno productum, neque secundum esse objectivum, quod habent ab æterno in Intellectu divino.* »

« Difficultas hujus quæstionis. — Probatur prima pars theseos ex Revelatione. Item ex ratione: ex Simplicitate Dei; ex eo quod ideæ sint causæ rerum; et tertio quia Deus se per seipsum intelligit, et per hanc cognitionem intelligit rerum possibilitatem, ut postea probabitur. — Probatur altera pars ex ratione: Idea est forma idealis in mente artificis existens, est causa exemplaris per influxum vitalem; est causa realis ideati et exemplar; creatura in esse objectivo est ipsa res exemplata; idea est causa effectrix rerum; ergo Deus ab esse rerum dependeret; tandem de ratione ideæ est, ut res producta eam imitetur, non ut cum ipsa identica sit. »

§ II. « *Ideæ in Deo non sunt Essentia divina extrinsece et intuitive visa, in sensu Ontologistarum; seu non sunt rationes illæ æternæ, in quibus nos omnia immediate videre ipsi arbitrantur.* »

« Ontologismus modernus. Opinio D. Fabre proponitur. »

« Refutatur: Esse divinum ipsa divina Essentia est; Deus est simplicissimus; ergo, si videtur extrinsece, videtur et intrinsece; nec videri potest abstracte. Principia D. Thomæ Ontologismo contraria. Expenditur ex professo mens D. Thomæ ex 1. q. 88, art. 3. Quid senserit in hac re D. Augustinus. Refellitur Ontologismi error radicalis. »

§ III. « *Ideæ in Mente divina sunt ipsa divina Essentia, non tamen ut sic et simpliciter, sed ut cognita participabilis et imitabilis, secundum aliquem modum similitudinis in creaturis.* »

« Consentiunt in hac re Cicero, Clemens Alexandrinus, D. Augustinus; liquet præsertim ex D. Thoma. — Confirmatur ratione. Consideranda tamen Essentia divina ut cognita, cognita quidem ut participabilis et imitabilis, secundum aliquem modum a creaturis. Consideranda est quatenus Principium cognitionis et operationis creaturarum; ut similitudo sive Exemplar, ad cujus inspectionem producuntur creaturæ. — Refutatur objectio: quomodo essentia una possit esse, et ideæ plures. — Discrimen essentiale inter ideam Thomisticam et Hegelianam, seu quid idea, quæ omnium fons et origo, in sensu D. Thomæ; quid in sensu ipsius Hegel. »

« Tres conclusiones: 1°) Non solum divina Essentia omnium rerum idea et Exemplar est, sed et ipsa rerum repugnantia archetypos divinos supponit, ab ipsa divina Essentia tanquam a radice pendet. 2°) Sicut Essentia divina est idea et Exemplar omnium rerum, ita et Deus omnia in eadem Essentia videtur cognoscere. Explicatur quomodo possibilis sit cognitio Dei quoad res extra se, in seipso. 3°) Verbum divinum non est eodem modo ac divina Essentia, Idea omnium rerum. »

1066. — *Caput II. De ideis divinis relate ad Creationem.*

« Verbum divinum est omnium rerum expressivum et operativum. Ideæ divinæ sunt necessariæ omnino: 1°) inquantum Deus necessario videt Essentiam suam imitabilem, infinitis modis participabilem; 2°) in ordine etiam ad Verbum divinum, inquantum necessario omnium creaturarum possibilium expressivum est. In duplici sensu disputatur. »

Articulus I. *Ideæ in Deo sunt liberæ in hoc sensu, quod Deus in Creatione ideas libere sit exsecutus. — Ita contra Eclecticos.*

Duo thesis hujus principia: 1°) Voluntas divina ita pura, ita sancta est, ut per se nullum aliud objectum possit respicere, nisi divinam Bonitatem; 2°) Bonitas Dei est perfecta, absque aliis subsistere potest, cum nihil perfectionis

ei ex aliis accrescat. — Explicantur principia et applicantur. — Refutantur objectiones: Bonum est sui diffusivum; Voluntas creandi est ipse Deus; hinc si Deus potuit non creare, potuit esse non Deus. Thesi non officit, modum quo subsistat divina Libertas, clare evidenterque proponi non posse. Dicere Deum necessario creare, est inducere Pantheismum. »

Articulus II. *Ideæ in Deo non solummodo fuerunt liberæ, inquantum eas exsequi aut non exsequi libere potuit, sed etiam in modo quo eas exsecutus est; seu stante Dei decreto, quo creare voluit, potuit aliud vel melius creare universum. Ita contra Malebranche et Leibnitz.*

« Mala in mundo ipsa Bonitatem et Sapientiam divinam testantur. Ad quæstionem: Utrum Deus mundum potuerit meliorem creare, quam est, respondendum negative, si spectetur ex parte Bonitatis vel Sapientiæ divinæ, vel ordinis rebus attributi; affirmative vero, re spectata ex parte creaturarum. — Probatur utraque pars ex D. Thoma. — Secunda pars insuper liquet ex natura idearum divinarum exemplarium, ex divina Omnipotentia et Bonitate repræsentanda. — Refellitur quadruplex objectio: 1°) Deus debuit creare, quo modo bonum, justum, conveniens est; 2°) debuit agere sapienter; 3°) non decuit mundum eligi minus perfectum; 4°) rerum cursus, ut nunc determinatus, optimus est. — Ratio propria, quare Deus hunc mundum minus perfectum potius quam perfectiorem, ignoratur. — Ex omnibus prædictis, stabilita Dei summa libertate, sequitur insanire eos, qui miracula reputent impossibilia. »

1067. — *Caput III. De ideis divinis comparative ad res existentes in generali.*

« Theoria hegeliana circa creationem proponitur et redarguitur. Opponitur theoria thomistica. »

Articulus I. *Omnes res, quæcumque sint, Deum imitantur in ipsius Entitate, Veritate et Bonitate.*

« In omnibus consideranda tria: entitas, veritas, bonitas. *Quoad entitatem*, docet D. Thomas, veram similitudinem inter Esse divinum et creatum, similitudinem tamen analogicam tantum, non hegeliano-pantheisticam. — Inde variæ sunt inter Esse divinum et creatum differentia, ita ut differant in ipso esse communi. Summa creaturarum a Deo dependentia non favet Ontologistis. »

« Imitatio Dei in rerum *veritate*, primo *secundum quod est veritas in rebus.* Deum esse summam et primam Veritatem, mirifice exponit et probat D. Thomas. Et quia prima Veritas, hinc veritas creata, juxta D. Augustini celebre effatum, est similitudo Principii, quod confirmat Angelicus. Sicut ergo Deus est primum Verum, ita omnia sunt primario vera, prima hac Veritate, quam pro posse imitantur. — Porro habetur imitatio, *considerata veritate ut in intellectu:* Deus enim, sicut omnium rerum, ita et intellectuum omnium et intellectionum Mensura. Quocumque igitur modo sumatur creata veritas, summa et prima Veritas, realiter ipsa divina Essentia cujuscumque veritatis Idea et primum Exemplar est. — Non existunt tamen extra Mentem divinam veritates positive æternæ, etsi dentur negative æternæ. Sunt prima principia aliaque hujusmodi exemplata quædam primæ et summæ Veritatis, non proprio sensu veritates æternæ, non ideis suis sub omni respectu similes. »

« Tandem imitatio quædam in rebus *quoad bonitatem.* Sicut ad esse rei sequitur verum in ordine ad intellectum, ita bonum in ordine ad voluntatem. Hinc omne ens, inquantum ens, bonum est. Dantur quidem mala, inquantum ens caret quodam esse; malum non est natura, sed remotio boni non negative, sed privative. Deus est summe bonus, bonus per Essentiam; Bonitas divina est realiter ipsa divina Essentia; hinc Essentia divina, seu summa Dei et essentialis Bonitas, cujuscumque bonitatis Idea et primum Exemplar est. Quod ulterius patet, quia Deus est non solum omnium *Principium effectivum* et *exemplare*, sed et *finale*, prout egregie explicat S. Doctor. — Quibus omnibus consideratis sequuntur quinque conclusiones. »

Articulus II. *In omnibus rebus invenitur vestigium Trinitatis.*

« Quid Trinitas in sensu hegeliano. Consectaria hujus systematis. Character philosophiæ hegelianæ. — In omnibus rebus occurrit vestigium Trinitatis intellectæ catholico sensu. »

« In ordine ad hanc thesim, ostenditur 1°) ex S. Doctore, creare non esse proprium alicui personæ, sed convenire Deo ut Deo, id est secundum esse. Error Raymundi Lulli et Neoterismus germanicus, quem jam suo tempore refellit D. Thomas. Diluitur duplex objectio, prima assumpta ex intellectus per Revelationem illustratione, altera ex ipso Fidei Symbolo. Ostenditur 2°) processiones personarum aliquo modo esse causam rationemque Creationis; ita S. Doctor. 3°) Quid vestigium; notantur et explicantur vestigii conditiones. »

« Probat vario modo S. Doctor, in omnibus creaturis Trinitatis dari vestigium. Variæ aliæ superadduntur convenientiæ. Quicumque tamen

vestigiorum, exemplorum, convenientiarum apparatus, ex iis solis mysterium SS. Trinitatis non probatur. »

Articulus III. *Ipsa rerum multitudo, distinctio, varietas, inæqualitas, tendentia, Deum seu divinam Essentiam repræsentare conantur.*

« Thesis videtur sibi contradictoria; verum hoc in sensu Hegeliano, non in sensu D. Thomæ. Principia hîc militant sequentia: Unusquisque agens intendit suam ideam in effectu exprimere; quo agens perfectior, eo id fit perfectius; Deus est Agens perfectissimum; ergo perfectissime debuit similitudinem suam in rebus creatis inducere; quod tamen creaturarum non patitur natura. Hinc sapientissime disposuit divina Providentia, ut quod in Causa est unite et simpliciter, in effectu composite et multipliciter inveniatur; ergo sapientissime *multiplicitatem* et *varietatem* Deus rebus imposuit. Et cum non esset perfectum universum, si tantum unus gradus perfectionis in rebus inveniretur, ipsa rerum *distinctio* et *inæqualitas* ipsum Deum, divinam Essentiam, mirifice juxta modum suum repræsentant. Porro omnis res per suum motum vel actionem *tendit* in aliquod bonum sicut in finem; Finis vero ultimus omnium rerum Deus est, cui tendunt omnia aliquo modo assimilari, inquantum in iis per quamdam imitationem divina Bonitas repræsentatur. Illi etiam qui appetunt non esse, qui se voluntarie occidunt, ipsi damnati appetunt divinam similitudinem. Appetunt enim et hi bonum quoddam, nempe carere malo, et ideo juxta modum suum, ipsam Dei similitudinem, qui est Fons omnis boni, Bonus per essentiam, appetunt. Illi qui ex una parte, Deum fugiunt, vel ab ipso volunt recedere, qui Deum odio persequuntur, ipsi dæmones; ex alia parte, Eum implicite appetunt, appetentes aliquam quamcumque perfectionem, vel aliquod esse, quæ in summa Dei Perfectione, vel in Esse divino radicantur. Illæ quoque creaturæ, quæ Deum non cognoscunt, ad Deum suo modo exprimendum, per ipsum Deum diriguntur. »

1068. — *Caput IV. De ideis divinis comparate ad hominem.*

« Testatur textus sacer et profitetur aperte, pluribus in locis, in homine imaginem Dei, et variam quidem, magis minusve perfectam, pro vario statu. »

Articulus I. *Imago Dei prout est in omni homine.* Exponitur textus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

« Probatur imago Dei in omni homine: Omnis homo est natura intellectualis; unde potest Deum imitari, cognoscendo eum et amando. Imago hæc deleri nequit, quia intellectualis natura manet semper; quod explicat et confirmat D. Thomas. Est et in omni homine imago Trinitatis, eo ipso quod est imago Dei. Nihil inde sequitur pro Neoterismo moderno, quasi inde cognosci possit Trinitas. Ratio ergo imaginis quoad Naturam divinam, est et imaginis quoad Trinitatem. Imago est imperfecta. — Imaginem hanc ex processionibus divinis ostendit S. Doctor. Imago Trinitatis, etsi primo et principaliter sit attendenda secundum actus intellectus et voluntatis; secundario tamen et ex consequenti, Trinitas per memoriam repræsentari dicitur. »

Articulus II. *Imago Dei in homine bene morato, seu qui actiones suas instituit juxta regulas veræ moralitatis.*

« Quisnam est fons omnis moralitatis. Dantur quatuor sententiæ; singulæ refutantur. Lex æterna est norma et regula, a qua omnis moralitas et obligatio in ultima analysi dependet. Lex æterna vere existit. Est realiter eadem cum Essentia divina. Est Idea et Exemplar omnium legum. Duplex refutatur objectio. Regula ergo prima et suprema voluntatis humanæ est Lex æterna; regula subordinata et ab ea derivata est humana ratio. Lex æterna est fons omnis moralitatis, omnium legum idea et exemplar. Inde quinque conclusiones. Aberrat longissime Liberalismus modernus. Descriptio et sequelæ Liberalismi. »

Articulus III. *Imago Dei in homine justo.*

« Imago est perfectior et excellentior, quæ magis Prototypon, in casu Deum, imitatur. Per gratiam efficimur, juxta S. Petrum, *divinæ consortes Naturæ*. Varia hujus textus explicatio; D. Thomas verum nobis præbet. Gratia sanctificans est formalis divinæ Naturæ participatio. Thesis hæc explicatur et probatur. Triplex Dei perfectionum gradus. Elucidatur conclusio, et variis textibus D. Thomæ confirmatur. Videtur insuper gratia esse participatio divinæ Naturæ, ut infinita, ut Actus purus est objective, non subjective. — Unde gratia videtur secundario Naturæ Dei participatio, ut est in tribus personis, quod Scriptura confirmat. Hinc animæ adoptio perfectissima et divinissima, ut ex sacris Litteris liquet. Mirabiles gratiæ et charitatis effectus in Sanctis. »

Articulus IV. *Imago Dei in homine glorificato.*

« Imaginis hujus triplex ratio. *Prima* est lumen gloriæ. Quid sit lumen gloriæ; est necessarium; quid efficiat. Esse videtur gratia sanc-

tificante perfectius. Est nobilius ipsa charitate. — *Secunda imaginis ratio:* Beati, videntes Deum, ipsam divinam Essentiam habent sibi immediate unitam. Deus oculo corporeo nequit videri. Ad visionem requiruntur duo: virtus visiva, et rei visæ unio cum visu. Nequit dari aliqua similitudo, qua videatur Deus ut in se est; hinc Essentia divina videtur immediate. Non sequitur inde confusio finiti cum Infinito, nec creati permixtio cum Increato. Beati non producunt, ut videtur, verbum mentis, in quo Essentiam divinam contemplantur, sed hoc supplet divina Essentia, ut ab æterno intellecta; sicut persona divina, licet ab æterno humanitatem non terminet, seu ipsi præbeat subsistentiam: quia tamen Actus purus est, eam actuat, terminat immediate in tempore, absque subsistentia alia distincta, sine permixtione cum humanitate. Ipsa ergo divina Essentia Verbi producendi quodammodo est vices gerens. Elucidatur aliquatenus experientia eorum, qui ad supremum orationis gradum provecti in Deo quiescunt. Vident ergo Beati Essentiam divinam, vident et personas divinas, attributa divina, et his eorum intellectus immediate, absque similitudine, unitur. — *Tertia ratio imaginis:* Beati eadem ac Deus fruuntur beatitudine. Visio qua Deum per essentiam videbimus, est eadem cum visione, qua Deus videt seipsum, ex parte ejus qua videtur, non ex parte cognoscentis. Deiformitatem stabilimus, Pantheismum rejicimus. Nullus intellectus creatus pertingere potest ad illum perfectæ cognitionis modum divinæ Essentiæ, quo cognoscibilis est, cum divina Essentia sit infinite cognoscibilis, intellectus creatus finitus et limitatus. Animæ divinam Essentiam immediate contemplantis eminentia. »

1069. — *Caput V. De ideis divinis comparate ad Filium Dei.*

« Decretum divinæ Sapientiæ circa Incarnationem. »

« **Articulus I.** *Imago Dei in Christo homine.* »

« Imago hæc in humanitate Christi tanto est sublimior, quanto natura cui unitur, et persona ad cujus subsistentiam tracta fuit. Vera naturæ divinæ humanæque strictissima unio, non confusio, non permixtio. Unio tanto major, quanto major unitas in qua utraque natura conjungitur, intensive et simpliciter major unione animæ et corporis. Præeminet, ratione unitatis personæ, ipsi unitati numerali. Nullus naturam divinam inter et humanam nexus medius. Subsistentia communicatur naturæ per seipsam, quia per seipsam Subsistentia est. Unitas Incarnationis tanta est, ut quamvis eam præcelleat unitas Trinitatis ratione Essentiæ, unitas tamen Incarnationis ipsi præeminet unitati Trinitatis propter unitatem suppositi, quæ in Trinitate non occurrit. — Nullus nexus ratione gratiæ: gratia sanctificans non præcessit, sed subsecuta est unionem hypostaticam. — Unica non solum Subsistentia, sed et unicum Esse, unica Existentia. Christus verus Deus, Deus verus homo. Quæ de Deo, etiam de homine; quæ de homine, de Deo quoque enuntiari possunt. Homo factus est Deus, id est: factum est ut homo sit Deus, ita ut in rigore verbi, determinatione non adjecta, falsum dicere videamur: Christus est creatura, qui de seipso dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* In Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Est ratione naturæ humanæ homo, ratione naturæ divinæ Deus, ratione subsistentiæ Filius Dei. »

« **Articulus II.** *Verbum æternum, perfectissima Patris Imago.* »

« Misera doctrinæ modernæ conditio ex eo est, quod dum non est in rebus nisi assimilatio analogica, proclametur pantheistica; ubi vero pantheistica est, seu potius vera consubstantialitas, ea vel omnino negetur, vel ipsa prædicetur in Trinitate identitas personarum, quæ cum toto universo confunditur. — Describitur Verbum æternum; ipsum nomen ex parte rationis elucidatur. Est in divinis processio ad *intra*, tamen in una natura, propter summam perfectionem divini Intelligere. Verbum æternum est Filius, quia ejus processio habet rationem generationis. Filius perfectissimus, et perfectissima Imago, cum inter personas divinas perfectissima datur æqualitas, et mutua inhabitatio et circuminsessio. — Varia similitudo et dissimilitudo inter verbum divinum et humanum. — Datur in divinis ordo naturæ, ordo originis, nulla prioritas. Æqualitas in divinis ex perfectione absoluta, et hinc perfectissima illa imago, distinctio ex perfectione relativa, et hinc nulla personarum identitas. Similitudo nec ratione solius Essentiæ, nec solius relationis, sed utriusque. Tanta æqualitas, ut Pater sit in Filio, et Filius in Patre secundum Essentiam, relationem et originem; inde non confusio, sed intima præsentia. — Etsi eadem æqualitas inter Patrem et Spiritum sanctum, ac inter Patrem et Filium, non tamen eadem imago, propter diversum processionis modum. Natus dicitur Filius, quia procedit per emanationem intelligibilem; non Spiritus sanctus, quia procedit per voluntatem; quod probat S. Doctor. Hinc solus

Filius Deus, non Spiritus sanctus, propria et perfectissima Dei Patris Imago. — Quamvis et Verbum sit expressivum omnium creaturarum, non tamen ipsarum imago est; insuper namque requiritur, ut ab ipsis procedat per viam generationis, ut et ille cujus Verbum et Imago est, ipsum Verbum dicat. — Unica ergo Dei Imago perfectissima, Verbum divinum, cui nempe Filio Dei, Exemplari nostro, quodammodo conformes fieri confidimus. »

« **Epilogus.** Dictorum recapitulatio brevissima. Error radicalis modernorum est, quia latet eos vera notio de Deo, a qua tamen tot tantaque dependent. Rationalismus hodie passim pantheisticus est, lumen intellectuale cum lumine æterno confundens. Sit ergo vera de Deo notio; aberrarunt circa eam plurimi philosophi; præstat eam D. Thomas, inquantum ope rationis acquiri potest. Juxta eum, Deus triplici via potest cognosci: causalitatis, remotionis, excellentiæ. Singula juxta mentem S. Doctoris proponitur et expenditur; urgetur præsertim in via excellentiæ, ex vario capite illud: Deus est ipsum Esse. Tandem Deus est, ut omnium Principium, ita et omnium Finis. »

ARTICULUS XI.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN LIBERATORE.

1070. — Rev. P. Liberatore S. J. magna cum laude numerandus est inter primos hodiernos instauratores doctrinæ D. Thomæ. Quam ad instaurationem promovendam, latine scripsit *Institutiones philosophicas*, atque italice duo egregia opera, scilicet *De composito humano*, et *Theoriam de cognitione intellectuali juxta D. Thomam.*

In hoc ultimo opere plura docet de D. Thomæ Exemplarismo. Scilicet 1°) dicit quid Doctor angelicus intelligat per *ideam in genere.* 2°) Asserit D. Thomam doctrinæ Aristotelis conjunxisse sublimem Platonis theoriam *de ideis divinis* a S. Augustino emendatam. 3°) Ostendit influxum Exemplarismi divini in omnes Philosophiæ D. Thomæ partes.

Tria hæc puncta in latinam linguam vertimus in tribus sequentibus numeris.

§ I.

Quid S. Thomas intelligat per ideam in genere.

1071. — « I. *Cognitio* duplex esse potest, speculativa scilicet atque practica. Cognitio speculativa veritatem contemplatur tantum; practica autem cognitio a veritatis contemplatione transit ad actionem. *Intellectus speculativus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus vero intellectus dicitur qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus.* (1. q. 79, art. 2). Sic scientia astronomi, qui solum astrorum cursum observare novit, speculativa est; scientia vero architecti, elegantem inquirentis formam, quam ædificio cuidam dare intendit, est scientia practica. Hæc duo cognitionis genera non differunt intellectu quem afficiunt, sed fine ad quem terminantur; etenim, dum prior terminatur ad meram facti alicujus inventionem, altera tendit ad opus quoddam efficiendum. *Intellectus practicus differt a speculativo, fine. Finis enim speculativi est veritas absolute, sed practici est operatio.* (Quæst. disp., q. de Ideis, art. 2).

« Atqui, *idea* referri potest ad hoc utrumque genus cognitionis. Si ad practicam cognitionem referatur, nihil aliud est ac exemplar istud, seu typus, quem artifex in mente habet, ut opificium aliquod juxta hanc speciem producat. Sic sæpe quærimus: quamnam ideam exprimere voluerit hic vel ille pictor, hic sculptor, hic poeta; sic quoque asserimus ideas juxta quas productæ sunt cunctæ res creatæ, ab æterno exstitisse in Mente supremi Artificis mundi universi. — Si autem ad speculativam cognitionem idea referatur, significat tantum intellectualem objecti cogniti repræsentationem; scilicet formam istam, quæ intellectum actuando, determinat eum ad talem aut talem perceptionem. In hoc sensu quærimus utrum ideæ inditæ sint, an acquisitæ, et unde in nobis oriantur. »

« Jam duplex ille ideæ sensus indicatur in pluribus D. Thomæ locis, quæ veluti compendio ac sufficienter in verbis sequentibus rediguntur: Idea *græce, latine* forma *dicitur. Unde per ideas intelliguntur formæ aliarum rerum, præter ipsas res existentes. Forma autem alicujus rei, præter ipsam existens, ad duo esse potest: vel ut sit exemplar ejus cujus dicitur forma; vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente.* » (1. q. 15, art. 1).

« Ergo idea, juxta S. Doctorem, distinguitur a re cujus idea esse dicitur; *Forma rei præter ipsam existens.* Et hic est sensus in quo vox *idea* adhibetur ab ipso Platone, qui primus ea philosophice loquendo usus est. Hoc enim vocabulo exprimere volebat æternos rerum sensibilis mundi typos, in se subsistentes extra materiam. Porro S. Thomas ab hac opinione rejiciens falsam partem in ea contentam, sensum vocis *ideæ* restrinxit ad significandum vel typum artificiati:

exemplar ejus cujus dicitur forma; vel causam, quæ objecti cognitionem determinat: *principium cognitionis ipsius.* In priori sensu, vox idea pertinet ad practicum intellectum, in altero, pertinet ad speculativum; ast in utroque sensu, ita distinguitur ab ipso objecto, ut ejus similitudinem exhibeat; inde fit ut in eadem forma in objecto et in intellectu resplendeat, ac *similia dicantur, quæ communicant in eadem forma.* » (1. q. 4, art. 3).

« II. Quamvis idea duplicem sensum istum habeat, prior tamen altero accuratior est, ob rationem a D. Thoma sic indicatam: *Forma semper notat habitudinem causæ. Est enim forma quodammodo causa ejus quod secundum ipsam formatur; sive formatio fiat per modum inhærentiæ, sicut in formis intrinsecis; sive per modum imitationis, ut in formis exemplaribus... Si ergo loquamur de idea secundum propriam nominis rationem, sic non extendit se, nisi ad illam scientiam, secundum quam aliquid formari potest; et hæc est cognitio actu practica, vel virtute tantum... Sed tamen si ideam communiter appellemus similitudinem vel rationem, sic ideam etiam ad speculativam cognitionem jure pertinere potest. Vel magis proprie dicamus, quod* idea *respicit cognitionem practicam actu vel virtute;* similitudo *autem et* ratio, *tam speculativam quam practicam.* » (De Verit., q. 3, art. 3).

« III. Ex his omnibus manifestum est, quod ad vocem *ideæ* in scientia practica et speculativa adhibendam, idea non sumenda est nisi in sensu significante meram rerum repræsentationem aut expressionem; sed si proprius inhæreatur vero hujus vocis sensui, ideo necessario restringenda est ad practicum ordinem, inquantum formam exprimit, quam in mente habet artifex, atque ad cujus imitationem opificium suum producit. *Hoc videtur esse ratio ideæ, quod idea sit forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem.* » (Ibid., art. 1).

« Itaque D. Thomas, qui accuratissima tantum verba adhibere studet, hoc *ideæ* vocabulo non solet uti, nisi in sensu nuperrime explicato; ast ad exprimendum objecti repræsentationem, quæ in ordine mere speculativo informat intellectum, sæpius utitur voce *speciei.* Hic porro sensus pulchræ latinitati conformior est, nam ipse Cicero, ut græcum istud vocabulum in latinam linguam vertat, utitur voce *speciei,* sicut antea voce *formæ* usus fuerat. Dum enim in Topicis dicit: *Formæ sunt, quas Græci* ideas *vocant* (Topicor., 30), in Quæstionibus tusculanis ait: *Quam Græci ideam, nos recte* speciem *dicere possumus* (Lib. 1). »

« Verumtamen, ut modernorum mori me conformem, vocabulo *ideæ* utar in ordine mere speculativo. Sufficit mihi lectorem semel hîc præmonuisse, speculativam ideam a D. Thoma passim designari voce *speciei,* cui sæpius jungitur adjectivum: *intelligibilis.* — *Species intelligibilis est forma secundum quam intellectus intelligit* (1. q. 85, art. 2). » (Op. citat., cap. 1, art. 1).

§ II.

De sublimitate theoriæ idearum in doctrina S. Thomæ.

1072. — I. Liberatore modo sequenti exorditur citati operis Caput 8. *De divino Exemplarismo.* « Theoria exemplarium æternorum a Platone jam inventa, atque S. Augustini ingenio perfecta, accedente lumine ideæ christianæ, non tantum in seipsa sublimissima est, sed etiam admirabilem influxum in omnes Philosophiæ partes exercet. Inde intelligitur quare D. Thomas hanc doctrinam tanto ardore amplexus est, tantoque studio exposuit; imo illam constituit ut animam et vitam totius systematis sui philosophici. »

« Hoc satis non animadvertit clarus Rosmini, quando de scholasticis temporibus loquens, dixit *tunc exemplares ideas fuisse receptas quantum opus erat ad explicandum Dei Sapientiam et mundi Creationem, quin statutæ fuerint tanquam systematicum Philosophiæ fundamentum.* Et postea sententiam suam clarius evolvens, ait: *Sic, quum D. Thomas eo pervenit, ut de divinis ideis agat, Aristotelem deserit, et confugit ad exemplaria, quæ scholarum Philosophus irrisit ut poeticas metaphoras; sed non tentat S. Doctor theoriam exemplarium conciliare cum Aristotelis doctrina, quam in cæteris propemodum sequitur.* Opinor tenendam esse sententiam contrariam opinioni, quam his verbis exprimit Rosmini, et hoc præcise demonstrare intendo in præsenti Capite octavo libri nostri. »

II. Auctor sic concludit idem Caput octavum, in breve quoddam compendium redigendo doctrinam divini Exemplarismi, quam continet.

« Clare perspicio, me sublimem istam materiam difficillime tractasse, et verba mea non fuisse consentanea altitudini tanti argumenti. Sed saltem hæc pallida mea adumbratio lectores intelligentes incitabit ad Exemplarismum latius et dignius perscrutandum in angelici doctoris operibus. Ibi videbunt quomodo doctrina ista sit, in illius mente, Philosophiæ anima et vita, quæ non destruunt, quemadmodum apud quosdam alios, ipsum subjectum, quod erant animaturæ et vivificaturæ. Ibi invenient, quo-

modo æterna exemplaria ante omnia constituant mundum intelligibilem, atque ipsam Dei Vitam participent, quia divinum Verbum continent. Imo divinam Creationem dirigunt, dum sint exemplaria, quæ Ars divina in producendo mundo imitatur; et in se præbeant ultimam ac supremam rationem distinctionis, gradationis, valoris rerum creatarum, necnon efficacitatis earum ad divinas perfectiones manifestandas. Denique postquam animæ humanæ naturam elucidaverint, veram cognitionis nostræ indolem explicant, sine interventu intuitionis entium idealium, quæ Philosophiam non ingrediuntur nisi ludo intellectus, et quæ a causis secundis auferendo naturalem earum efficaciam, tendunt quoque ad ipsam substantiam et existentiam ab eis auferendum. »

« In Deo solo, utpote in Ente infinite simplici, *idealitas* cum *realitate* identificatur. In cæteris autem entibus a Deo diversis, forma idealis a forma reali distinguitur. Hoc ex eo provenit, quod in ente creato essentia non est existentia, sicut in Ente increato, quod totum est Actus purissimus ac simplicissimus. Sed creaturæ, antequam *realem formam* a Deo accipiant, *idealem formam* participant, inquantum ab æterno subsistunt in Mente divina. Ibi vita sunt, et Vita divina. Deinde per Creationem subsistunt in seipsis, et dum istam existentiæ formam conservant, non tantum *esse* habent, sed etiam *actionem*, qua possunt intellectui nostro manifestari, atque ab eo novam vitam accipere mediante cognitione. In hoc autem cognitionis statu, res creatæ generant artem humanam, cujus leges estheticæ fundantur in intelligibili rerum quidditate, et sic tendunt ad seipsas in realitate reproducendas sub alia forma per influxum ingenii artificis. »

« Hæc omnia docet doctor angelicus, quamvis sit Aristoteli discipulus, et hæc omnia tam stricte colligantur cum platonico Exemplarismo, ut nullo prorsus alio modo divinis Archetypis attribui possit esse simul principia *cognitionis* et *actionis*, nisi incidatur in errores, quos interpretatio falsa, sed certe inter doctos communissima, Platoni imputabat. »

§ III.

De divini Exemplarismi influxu in omnes philosophiæ S. Thomæ partes.

1073. — Influxus ille patebit ex sola inspectione indicis prædicti Capitis octavi *De divino Exemplarismo*. Ibi manifeste apparebit, Exemplarismum informare totam D. Thomæ doctrinam.

« **Artic. I.** *D. Thomas Exemplarismum Platonis amplectendo, Aristoteli non contradicit.*

« I. Sub quo aspectu Aristoteles impugnet Platonis Exemplarismum.

« II. Utrum aliquorum auctorum judicium de Aristotele, sub hoc respectu, æquum sit?

« III. D. Thomas veram Exemplarismi partem conservat, cui nunquam contradixit Aristoteles. »

« **Artic. II.** *De Exemplarismo relate ad possibilia, atque ad Vitam divinam.*

« I. Argumentum probans æternos Archetypos in divino Intellectu existere.

« II. Multiplicitas exemplarium, quæ sunt rerum principia, divinæ simplicitati non opponitur.

« III. Hujus doctrinæ applicatio: 1°) Primum Exemplar, in suo fonte originali, unum est, cum sit ipse Deus; 2°) virtute æternorum Archetyporum, Deus possibilia cognoscit; 3°) ergo sub hoc respectu, possibilia divinam Vitam participant; 4°) ergo res ex reali nihilo productæ sunt, non autem ex ideali nihilo; 5°) æterni Archetypi continentur in Verbo divino. »

« **Artic. III.** *De Exemplarismo relate ad Creationem.*

« I. Quomodo divinum Verbum sit origo productionis omnium rerum *ad extra;* et quomodo actus creans procedat in Deo ex Amore.

« II. Quomodo, etiam in entibus ratione destitutis, inveniatur vestigium divinæ Trinitatis. »

« **Artic. IV.** *De Exemplarismo relate ad Cosmologiam.*

« I. Exemplarismus præbet rationem ordinis mundi creati.

« II. Præbet quoque rationem veritatis ac bonitatis creaturarum.

« III. Res tanto perfectior est, quanto Deo propinquior. »

« **Artic. V.** *De Exemplarismo relate ad Psychologiam.*

« I. Solæ creaturæ rationales sunt Dei imagines secundum speciem.

« II. Nihilominus ratio imaginis in eis perfecta non est.

« III. Homo est imago Dei, non solum quantum ad qualitatem naturæ, sed etiam quantum ad Trinitatem personarum.

« IV. Refutantur ii qui hanc similitudinem explicant per innatam entis ideam. »

« **Artic. VI.** *De Exemplarismo relate ad Idealogiam.*

« I. Quomodo D. Thomas ex doctrina Exemplarismi eruit rationem veritatis cognitionis nostræ.

« II. In quo sensu dici possit verum non videri in æterna Veritate. »

« **Artic. VII.** *De Exemplarismo relate ad Moralem.*

« I. Duo moralitatis elementa consideranda sunt: appetitus, et regula quæ dirigit appetitionem.

« II. Quomodo Exemplarismus det rationem prioris elementi.

« III. Quomodo det rationem alterius elementi.

« IV. Ontologistæ nullum inde argumentum eruere possunt in favorem sui systematis. »

ARTICULUS XII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN MAZZELLA.

Eminentissimus ille Cardinalis doctissimas edidit Prælectiones scholastico-dogmaticas. Jamvero in prælectionibus *de Deo Creante*, optime disserit de Exemplarismo divino, in disputatione 1, ubi 1°) in Art. 7 quærit: *Utrum Deus sit Causa mundi exemplaris*, et 2°) in Art. 9: *Utrum in mundo sit aliqua Dei repræsentatio.*

Hos Articulos in duobus paragraphis sequentibus referemus.

§ I.

Utrum Deus sit exemplaris Causa mundi.

Ante omnia oportet ut recte intelligatur quid sit Causa exemplaris, et quid sint in divina Mente exemplaria, seu ideæ rerum. Itaque auctor: 1°) docet genuinam divinarum idearum notionem, et 2°) solvit propositam Quæstionem.

I.

De genuina divinarum idearum notione.

1074. — « Quatuor causarum genera communiter distinguuntur: causa efficiens, materialis, formalis et finalis. De *efficiente* mundi causa actum est Articulis præcedentibus: Deus autem nequit dici *materialis* aut *formalis* Causa mundi; id enim tum summæ ejus simplicitati, tum aliis perfectionibus repugnat; videretur ergo solum agendum superesse de Deo uti Causa mundi *finali*. Verum denegari nequit Deo causalitas respectu mundi *exemplaris*, quæ ad unum ex prædictis causarum generibus revocatur, ac proinde vera est causalitas. »

« Quæritur, inquit Maurus, (Quæst. philos. 1. 2, q. 18, ad 5[m]) ad quod genus causæ reducatur idea. — Respondeo, quod expresse ab Aristotele (2 Phys. text. 28) reducitur ad causam *formalem*. — Duplex igitur est forma seu causa formalis: *intrinseca* est, per quam res intrinsece constituitur in suo esse specifico; *extrinseca* est forma ad cujus imitationem res constituitur in suo esse specifico; hæc autem forma est idea et exemplar. — Hinc solvit S. Thomas (in disp. de Ver., q. 3, a. 1) in 3 argumento, pro parte affirmativa, quo pacto etiam in Deo verificetur doctrina Aristotelis (2 Phys., text. 90) quod tres causæ, nimirum efficiens, finalis et formalis coincidunt in unam. Essentia enim divina est simul Causa finalis, efficiens et formalis, non intrinseca, sed extrinseca et exemplaris omnium rerum. »

« Hanc Causam exemplarem pertractandam suscipimus in hoc articulo. Imprimis tamen necesse est paucis exponere verum conceptum *divinarum idearum*, quæ sunt *exemplaria*, ad quorum imitationem et similitudinem mundus effectus est. Idque præstabimus quærendo: 1°) quid sit idea in se, et veluti in abstracto considerata; 2°) quid in concreto sint Ideæ divinæ.

1°) **De idea in abstracto considerata.**

A. IDEA PERTINERE POTEST AD COGNITIONEM SPECULATIVAM ET PRACTICAM.

1075. — « Quod græce *idea*, ut animadvertit D. Thomas (1. q. 15, a. 1), latine dicitur *forma*. Forma autem ad duo esse potest, vel ut sit exemplar ejus cujus dicitur forma, vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. »

« Quod duplex ideæ munus facilius intelligetur, si consideremus a) discrimen inter scientiam speculativam et practicam, b) modum, quo idea unam et alteram respicit; ad utramque enim refertur, sed non eadem proprietate eodemque sensu. »

a) « **Discrimen inter scientiam speculativam et practicam,** ita perspicue tradit D. Thomas (1. q. 24. a. 16): « Scientia potest dici speculativa tripliciter: *Primo*, ex parte rerum scitarum, quæ non sunt operabiles a sciente, sicut est scientia hominis de rebus naturalibus, vel divinis. *Secundo*, quantum ad modum sciendi, ut puta, si ædificator consideret domum, definiendo et dividendo et considerando universalia prædicata ipsius. Hoc siquidem est operabilia speculativo modo considerare, et non secundum quod operabilia sunt; operabile enim est aliquid per applicationem formæ ad materiam, non per resolutionem compositi in principia universalia formalia. *Tertio*, quantum ad finem: nam intellectus practicus differt fine a speculativo, sicut dicitur in 3 de Anima, text. 49. ».

« Intellectus enim practicus ordinatur ad finem operationis: finis autem intellectus speculativi est consideratio veritatis. Unde si quis ædificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit quantum ad finem speculativa consideratio, tamen de re operabili. Scientia igitur quæ est speculativa ratione ipsius rei scitæ, est speculativa tantum. Quæ vero speculativa est vel secundum modum, vel secundum finem, est *secundum quid* speculativa, et *secundum quid* practica. Cum vero ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica. »

b) « **Modum quo idea competit scientiæ speculativæ aut practicæ** exponit idem S. Doctor (de Verit., q. 3, a. 3), dicens: « Forma semper notat habitudinem causæ. Est enim forma quodammodo causa ejus quod secundum ipsam formatur, sive formatio fiat per modum inhærentiæ, sicut in formis intrinsecis, sive per modum imitationis, ut in formis exemplaribus... Si ergo loquimur de idea secundum propriam nominis rationem, sic non extendit se nisi ad aliquam scientiam, secundum quam aliquid formari potest; et hæc est cognitio actu practica, vel virtute tantum... Sed tamen si ideam communiter appellemus similitudinem vel rationem, sic idea etiam ad speculativam cognitionem jure pertinere potest. Vel magis proprie dicamus, quod *idea* respicit cognitionem practicam actu vel virtute; *similitudo* autem et *ratio*, tam speculativam quam practicam. »

B. In præsenti quæstione, considerabimus ideam solum prout pertinet ad cognitionem practicam, ac proinde possumus eam definire cum D. Thoma (de Verit., q. 3, a. 1) qui ait: « Hæc videtur esse ratio ideæ, quod idea sit forma quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem. »

« Hinc, uti ipse angelicus doctor explicat, quatuor conditiones requiruntur: a) ut sit forma existens extra rem cujus est forma, et ab ea necessario distincta. Etenim, ut observat D. Thomas (loco cit.), « Forma alicujus rei potest dici tripliciter: *Uno modo*, a qua formatur res, sicut a forma agentis procedit effectus formatio. Sed quia non est de necessitate actionis ut effectus pertingat ad completam rationem formæ agentis, cum frequenter deficiant, maxime in causis æquivocis: ideo forma a qua formatur aliquid non dicitur esse idea, vel forma. — *Alio modo* dicitur forma alicujus, secundum quam aliquid formatur; sicut anima est forma hominis, et figura statuæ est forma cupri; et quamvis forma, quæ est pars compositi, vere dicatur esse forma illius, non tamen consuevit dici ejus idea: quia hoc nomen *idea* videtur significare formam separatam ab eo cujus est forma. — *Tertio modo* dicitur forma alicujus, illud ad quod aliquid formatur; et hæc est forma exemplaris, ad cujus similitudinem aliquid constituitur; et in hac significatione consuetum est nomen *ideæ* accipi, ut idem sit idea quod forma, quam aliquid imitatur. »

b) « Ut aliquid fiat ad similitudinem et imitationem ideæ. Hic enim est modus causandi proprius ideæ, quod sit regula ad cujus imitationem fit effectus. Unde non quævis forma extra rem existens dicitur idea, aut exemplar. »

c) « Ut quod fit ad similitudinem ideæ, *per se* ita fiat. Aliquid, inquit D. Thomas, potest imitari formam aliquam dupliciter: uno modo ex intentione agentis, sicut pictura ad hoc fit a pictore ut imitetur aliquem cujus forma depingitur; aliquando autem est prædicta imitatio per accidens, præter intentionem, et a casu; sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicujus, de quo non intendunt. Quod autem imitatur aliquam formam a casu, non dicitur ad illam formari, quia ly *ad* videtur importare ordinem ad finem. Unde cum forma exemplaris, vel idea, sit ad quam formatur aliquid, oportet quod formam exemplarem, seu ideam, aliquid imitetur *per se*, non per accidens. » (Loco proxime citato).

d) « Quarta conditio, quæ in tertia necessario præsupponitur, ut agens tale sit per intellectum, ac proinde determinet sibi finem. « Videmus etiam, prosequitur D. Thomas, quod aliquid propter finem dupliciter operatur: uno modo ita quod ipsum agens determinat sibi finem, sicut est in omnibus agentibus per intellectum; aliquando autem agenti determinatur finis ab alio principali agente... Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius per agens, quod non determinat sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris, vel ideæ; non enim dicimus quod forma hominis generantis, sit idea, vel exemplar hominis generati; sed solum hoc dicimus, quando agens propter finem determinat sibi finem, sive illa forma sit in agente, sive extra agentem; dicimus enim formam artis in artifice esse exemplar artificiati; et similiter etiam formam quæ est extra artificem, ad cujus imitationem artifex aliquid facit. » (Ibidem).

2°) **De idea in concreto considerata.**

1076. — In hoc puncto doctissimus auctor, citando Suaresium et Sylvestrem Maurum, videtur cum eis recedere a genuina D. Thomæ doctrina de notione divinarum idearum, dum docent ideas divinas *formaliter* esse cognitionem, qua Deus res intelligit tanquam Essentiæ snæ imitationes, *materialiter* tantum esse ipsam

suam Essentiam cognitam tanquam diversimode a rebus imitandam. Notam hac de re controversiam tractabimus in Tomo III, Parte II.

A. « Si ex generali theoria de ideis, devenimus ad investigandum quid sit in concreto idea in Deo, dicendum videtur, quod divina Essentia, ut cognita ab Intellectu divino communicabilis extra se, habet rationem ideæ. « Quod, inquit D. Thomas, hoc modo potest videri: Ipse enim Essentiam suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci, non solum secundum quod est in se, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat divinæ Essentiæ similitudinem. Sic igitur, inquantum Deus cognoscit suam Essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ; et similiter de aliis. » (1. q. 12, a. 2, corp.).

« Quæ ut accuratius definiantur tria distinguamus oportet, a) ipsam divinam Essentiam, quæ est realiter una, sed virtualiter multiplex, quatenus, cum sit ipsa essendi plenitudo, continet in se quemcumque essendi gradum. b) Essentiam divinam prout actu cognoscitur a divino Intellectu ut imitabilis *ad extra*, seu varios gradus essendi, secundum quos divina Essentia est imitabilis, actu terminantes cognitionem divinam. c) Cognitionem quamdam reflexam, nostro concipiendi modo, qua Deus cognoscit cognitionem habitam imitabilitatis suæ Essentiæ. »

B. « Jamvero a) ipsa divina Essentia imitabilis *ad extra* considerata antecedenter ad actum intellectus, qui illam contemplatur ut imitabilem, potest dici *fundamentaliter idea*, sed non *formaliter;* nondum enim dicit relationem ad id cujus est exemplar, nec ad intellectum, sed ad agens intellectuale, quod per ideam operatur. »

b) « Cognitio autem illa *reflexa* non dicitur constituere formaliter ideas divinas, siquidem illas supponit. Unde scite animadvertit *Toletus:* « Aliud est ideam fieri, aliud cognosci in se. Fit idea, cum Essentia in ordine ad aliud intelligitur; cognoscitur autem, quum actu reflexo Essentia habens ordinem cognoscitur. Ista distinguimus secundum modum nostrum intelligendi; in Deo autem non est multitudo actuum, sed unus, qui Ipsemet est. »

c) « Varii gradus essendi, secundum quos divina Essentia est imitabilis, prout terminant cognitionem divinam, *formaliter* constituunt ideas divinas; seu ipsa cognitio divinæ Essentiæ secundum diversos gradus imitabilis, formaliter constituit ideas divinas; ut enim patet ex dictis, hîc verificantur omnia quæ requiri diximus ad rationem ideæ. — Unde *D. Thomas* ait: « Essentia divina est Idea rerum, non quidem ut est Essentia, sed ut est intellecta; res autem creatæ non perfecte imitantur divinam Essentiam: unde Essentia non assumitur absolute ab Intellectu divino ut Idea rerum, sed cum proportione creaturæ fiendæ ad ipsam divinam Essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam. » (De Verit., q. 3, ad 2).

« Quæri hîc solet, utrum *proprie loquendo*, idea sit ipsum objectum prout cognitum, an ipsa cognitio; de qua re, confer Suarez, Metaph., disp. 25, sect. 5. — Maurus hæc habet: « Idea materialiter, et *ut quod*, est ipsum objectum cognitum; idea vero formaliter, et *ut quo*, est ipsa cognitio. Ratio est, quia idea materialiter et denominative est id quod denominatur idea, quam artifex imitatur: exempli gratia, domus cognita est exemplar, quod architectus imitatur, et cui conatur conformare domum exteriorem; ergo idea materialiter, et *ut quod*, est ipsum objectum cognitum. E converso, idea formaliter, et *ut quo*, est id per quod objectum constituitur formaliter in ratione ideæ imitabilis ab agente faciente suum opus; ergo cognitio est idea formaliter, et *ut quo*. » (Cap. 1, ad 4[m]).

d) « Quemadmodum ideæ sunt *exemplaria* rerum, ita res, seu creaturæ, sunt *exemplata*, quæ nempe ad eorum similitudinem fiunt. Prout autem exemplata hæc considerantur *antecedenter* vel *consequenter* ad liberum decretum Creationis, habentur exemplata, seu creaturæ, in statu *possibilitatis*, aut *existentiæ physicæ*. Aberrant ergo a veritate, qui divinas ideas cum possibilibus confundunt. »

C. « *Ex dictis colligitur* a) divinas ideas a *S. Augustino* describi: « Ideæ, inquit, sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo esse habentes, quæ divina Intelligentiâ continentur. Sed cum ipsæ neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. » (83 Quæst., q. 46).

b) « Quamvis Creatio sit productio ex nihilo, recte tamen dici, ea quæ creantur non nihil fuisse antequam fierent, quantum ad rationem facientis. Quod perbelle explicat S. Anselmus: « Videor mihi videre quiddam quod non negligenter discernere cogit, secundum quid ea, quæ facta sunt, antequam fierent, dici posse fuisse nihil. Nullo namque pacto fieri potest rationabiliter aliquid ab aliquo, nisi in facientis ratione præ-

cedat aliquod rei faciendæ quasi exemplum, sive, ut aptius dicam, forma, vel similitudo aut regula. Patet itaque quoniam priusquam fierent universa, erat in Ratione summæ Naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent. Quare cum ea quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc quia non erant quod nunc sunt, nec erat ex quo fierent; non tamen nihil erant quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent. »

c) « Errasse Platonem, dum admisit ideas divinas *extra Deum existentes*. Tria enim, uti testatur *S. Justinus* (Cohort. ad Gent., cap. 6) agnovit rerum principia, nimirum Deum, materiam et ideas. »

« Tantumne inquit *S. Ambrosius*, (Hexæm., lib. 1, cap. 1), opinionis sumpsisse homines præsumpserunt, ut aliqui eorum tria principia statuerent, Deum, exemplar et materiam, sicut Plato discipulique ejus, et ea incorrupta et increata, et sine initio esse asseverarunt; Deumque non tanquam Creatorem materiæ, sed tanquam Artificem ad exemplar, hoc est ideam, intendentem fecisse mundum de materia, quam vocant *hylen*. »

d) Ideam in Deo dici posse *unam et multiplicem*. Est una, quatenus una est divina Essentia, et una realiter est divina cognitio; multiplex vero, quatenus idea, ut inquit D. Thomas, (1. q. 15, a 2, ad 1[m]), non nominat divinam Essentiam inquantum est Essentia, sed in quantum est similitudo, vel ratio hujus vel illius rei. Unde secundum quod sunt plures rationes intellectæ ex una Essentia, secundum hoc dicuntur plures ideæ. »

e) « Multiplicitatem idearum minime pugnare cum infinita Dei simplicitate. Etenim, α. si ideæ considerentur in suo veluti fundamento, sunt ipsa divina Essentia, quæ est realiter una, et solum virtualiter multiplex: virtualis autem distinctio non facit compositionem. — β. Si ideæ formaliter considerentur, sunt termini divini Intellectus contemplantis divinam Essentiam uti imitabilem *ad extra:* intellectus autem unico actu attingens multiplex objectum, non obstat simplicitati. — γ. Si denique ideæ considerentur uti principium cognitionis, certe in Deo non sunt uti principium *subjectivum quo* Deus intelligit; Deus enim non indiget speciebus intelligibilibus, sed ipsa sua Essentia determinatur ad cognoscendum quidquid cognoscibile est. Sunt ergo ad summum Principium *subjectivum in quo* Deus cognoscit omnia possibilia, quemadmodum in sigillo possumus nos cognoscere varias impressiones, quæ ex eo in aliqua materia fieri possunt. »

f) « Creaturas omnes, quatenus sunt termini imitantes divinam Essentiam, respondentes ideis divinis, in quibus et cognoscuntur, participare aliquo pacto de Vita Dei. « Quidquid est in Deo, ait D. Thomas, ut intellectum, est ipsum vivere, vel Vita ejus. Unde cum omnia quæ facta sunt a Deo, sint in ipso ut intellecta, sequitur quod omnia in ipso sunt ipsa Vita divina. » (1. q. 18, a. 4).

« Quod pulcherrime expressit S. Augustinus dicens: « Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam; si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic. est in arte, ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere; numquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, et illa manet quæ in arte est; nam potest illa arca putrescere, et iterum ex illa, quæ in arte est, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo, fratres charissimi, quia Sapientia Dei, per quem facta sunt omnia, secundum Artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam Artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, Vita in illo est. Terram vides, est in Arte terra; cœlum vides, est in Arte cœlum; solem et lunam vides, sunt et ista in Arte; sed foris corpora sunt, in Arte vita sunt. » (In Joann., tract. 1, n.° 17). Vide, præter alios auctores jam citatos, Liberatore, *Della conoscenza intellettuale*, part. 2, cap. 1, et cap. 8, a. 2.

II.

De propositæ quæstionis solutione.

Propositio. — *Quum Deus mundum condiderit juxta æternas et incommutabiles ideas, quæ ejus Intelligentia continentur; recte statuitur tum Deum esse primam exemplarem mundi Causam, tum verissime asseri cum S. Anselmo, ea quæ facta sunt ex nihilo, non nihil fuisse antequam fierent, quantum ad rationem facientis.*

1077. — « **Probatur I.** *Ex Scriptura.* Legitur in Psalm. 135, v. 5: « *Qui facit cœlos in intellectu.* » — Jerem. 10, v. 12: « *Qui facit terram in fortitudine sua, præparat in Sapientia sua, et potentia sua extendit cœlos.* » — Prov. 3, v. 19: « *Dominus Sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia.* » — Sap. 7, v. 21: « *Omnium enim Artifex docuit me Sapientia.* » — Prov. 8, v. 22, inducitur Sapientia sic loquens:

« *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram; nondum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens; et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.* »

« Unde ex his S. Scripturæ testimoniis, Deus mundum, seu res omnes extra se existentes, condidit 1°) juxta ideas præconceptas, quas 2°) non accepit ab aliquo objecto extra se posito. Ergo Deus est prima Causa exemplaris mundi. »

« *Prob. antec. quoad 1^am^ partem.— a)* Dicitur Deus omnia creasse *in intellectu;* intellectus autem non aliter concurrit ad opus externum, quam exhibendo formam rei faciendæ. — *b)* Dicitur Deus omnia fecisse *in Sapientia;* in sapientia non potest aliquid moliri, qui non habet ideam finis, eorumque quæ ad finem ordinantur. — « Si ordo universi, inquit D. Thomas, (1. q. 15. a. 2.) est per se creatus ab eo, et intentus ab ipso, necesse est quod habeat ideam ordinis universi. Ratio autem alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur rationes propriæ eorum ex quibus totum constituitur; sicut ædificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cujuslibet partium ejus. Sic igitur oportet quod in Mente divina sint propriæ rationes omnium rerum. » — *c)* Sapientia divina, per quam mundus conditus est, dicitur *Omnium Artifex:* artifex autem operatur juxta præconceptam ideam. »

Prob. Antec. quoad 2^am^ partem. — a) Dicitur Deus *cœlos et terram, omnia,* seu universitatem creaturarum, in Sapientia fecisse: ergo non potuit ab aliquo objecto extra se posito ideas accipere; secus enim non fecisset illud Deus in Sapientia. — *b)* Dicitur Sapientia divina existere ab æterno, præexistere omnibus creaturis, præparasse seu direxisse omnia opera Dei *ad extra:* ergo non potuit Deus ob objecto aliquo extra se posito rerum creandarum ideas accipere. »

1078. — « **Probatur II.** *Ex Patribus.* Innumera prope sunt Patrum testimonia de hac re, eaque præclarissima; pauca seligemus ».

« *Origenes* (in Joan. ad ea verba: *In Principio erat Verbum:* « Opinor sicut domus et navis fabricatur vel ædificatur juxta figuras et formas mentibus eorum, qui structuræ præsident, conceptas, domo navique principium sumentibus ab his figuris et rationibus quæ sunt in artifice: sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes jam antea a Deo manifestatas in Sapientia; omnia enim in Sapientia fecit. »

« S. Augustinus (lib. 83, Quæst., q. 46): « Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus; hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa Mente Creatoris? Non enim extra se quidquid positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum creandarum creaturumve rationes in divina Mente continentur, neque in divina Mente quidquam nisi æternum atque incommutabile esse potest,.... non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent, quorum participatione fit, ut sit, quidquid est, quoquo modo est. »

« S. Dionysius (de Divin. Nomin., cap. 7): « Divina Mens omnia continet antecellente omnibus cognitione, ratione illa qua Causa est omnium, scientiam in se omnium ante complectens, quæ et angelos, priusquam essent, noverat, et angelos produxit et cætera omnia, ex intimo et ab ipso, ut ita dicam, principio habens perspecta et ad subsistendum producens. Atque hoc, ut opinor, Scriptura docere nos voluit cum ait: *Qui novit omnia antequam fiant.* (Daniel 13, v. 41). Non enim ex iis quæ sunt, addiscens novit divina Mens, sed ex seipsa et in seipsa, secundum eam Scientiam quæ omnium est Causa, et cognitionem et substantiam prius habet, et collecta tenet omnia. »

« S. Maximus (apud Enthymium, part. I, Panopl., tit. 3): « Rationes omnium in Deo fixæ sunt, secundum quas ex non exstantibus illa produxit, ac secundum rationes easdem cognoscit omnia antequam fiant. Has porro rationes Dionysius Areopagita prædestinationes vocat divinasque Voluntates. »

« S. Anselmus (Monol., cap. 11): « Quamvis summam Substantiam constet, prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam secundum eamdem, et per eamdem suam Locutionem conderet: quemadmodum faber prius mente concipit quod postea secundum mentis conceptio-

nem opere perficit; multam tamen in hac similitudine intueor dissimilitudinem. Illa namque divina Locutio nihil omnino aliunde assumpsit, unde eorum quæ factura erat, formam in seipsa compingeret, vel ea ipsa, id quod sunt perficeret; faber vero penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul, aut per partes, ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit; nec opus conceptum perficere, si desit materia, aut aliquid sine quo opus præcogitatum fieri non possit; quanquam enim homo, tale aliquod animal possit cogitando vel pingendo, quale nusquam sit, confingere, nequaquam tamen hoc facere valet, nisi componendo in eo partes, quas ex rebus alias cognitis in memoriam attraxit. Quare in hoc differunt invicem illæ in Creatrice substantia et in fabro suorum operum faciendorum intimæ locutiones: quod illa nec assumpta nec adjuta aliunde, sed prima et sola Causa sufficere potuit suo artifici ad suum opus perficiendum; ista vero, nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum incipiendum. Quapropter ea quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid, quod non sunt per illam. Quæ vero per istum fiunt, penitus non essent nisi essent aliquid, quod non sunt per ipsam. »

« *Ideas Platonicas extra Deum existentes impugnant* S. Justinus. martyr, (Cohort. ad Gentes), Tertullianus (De Anima), Nazianzenus (Orat. 23), etc. Quæ omnia testimonia tam aperta sunt, ut nulla expositione indigeant. »

1079. — « Probatur III. *Ex ratione* D. Thomæ (1. q. 44, a. 33), quæ sic proponi potest: « Qui habet rerum omnium exemplaria, quæ re non sunt aliud a sua Essentia, est prima Causa exemplaris omnium. — Atqui 1°) Deus habet rerum omnium exemplaria seu ideas, quæ 2°) non sunt realiter aliud a divina Essentia, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode. — Ergo... »

« *Prob. Min. quoad 1^am partem.* a) Deus mundum creando, non ex necessitate, sed ex sua libera Voluntate operatus est, uti ostendimus. Qui autem ita agit et sapienter agit, certe ab intellectu dirigitur. Ergo Deus, qui certe sapientissime operatus est, prout ejus Natura exigit, debuit Creationis finem præstituere, singulas creaturas ad finem ordinare, eas cognoscere, etc. Sed hoc importat Deum habuisse ideas rerum omnium quæ facta sunt. Ergo... »

« In omnibus, inquit D. Thomas (1. q. 15, a. 1), quæ non a casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cujuscumque. Agens autem non agit propter formam, nisi inquantum similitudo formæ est in ipso. Quod quidem contingit dupliciter: in quibusdam enim agentibus præexistit forma rei faciendæ secundum esse naturale, sicut in his quæ agunt per naturam: sicut homo generat hominem, et ignis ignem; in quibusdam vero secundum esse intelligibile, ut in his qui agunt per intellectum: sicut similitudo domus præexistit in mente ædificatoris; et hæc potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare formæ quam mente concepit. Quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per Intellectum agente, necesse est quod in Mente divina sit forma ad similitudinem cujus mundus est factus. Et in hoc consistit ratio ideæ.

« b) Confirmatur id *a posteriori,* siquidem constat esse ordinem in mundo, eumque in divinam Sapientiam, tanquam in primum Principium, reduci: « Ordo autem in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere, quod in divina Sapientia sint rationes omnium rerum, quas supra diximus ideas, id est: formas exemplares in Mente divina existentes. »

« *Prob. Min. quoad 2^am partem.* a) Deus est Causa omnino independens. Sed talis non esset, si non a seipso, seu a sua Essentia, sed ab aliquo alio exemplari a se diverso, debuisset ideas accipere. Ergo... »

« b) Præterea cum nihil sit extra Deum, quod ab eo factum non sit, nihil est extra Deum, a quo possit Deus rerum faciendarum ideas accipere. »

« *Scholion.* Nonnulli recentiores timent ne ex statuta doctrina de ideis divinis, Pantheismus inducatur. Etenim, ajunt, juxta expositam doctrinam, ideæ divinæ realiter non distinguuntur a Deo, et Deus dici debet Prototypus mundi. Jamvero, cum artifex aliquid exterius molitur, manifestat suam ideam; mundus ergo non esset nisi exterior Dei manifestatio, seu esset ipse Deus externe manifestatus. Unde, addunt, dicendum potius est, quod in Deo est idea mundi, sed non quod Deus est Idea mundi; quam formam loquendi plurium theologorum exempla confirmant. Ita Staudenmaier (apud Knoll., part. 2, cap. 1, art. 1).

« At vero, si tradita doctrina de Ideis divinis bene intelligatur, evidens est nullum esse Pantheismi periculum. Creaturæ enim, sive in statu existentiæ, sive in statu possibilitatis spectentur, non sunt ipsa ideæ Dei; sed eæ sunt, quæ ideas Dei imitantur, seu quæ ad idearum divinarum similitudinem fiunt, aut fieri possunt. Quare Deus creando manifestat quidem suas ideas, seu manifestat seipsum, sed non ponendo extra se suas ipsas ideas, sed earumdem terminos imitativos, ita ut creaturis possimus Ideas divinas cognoscere, non quatenus has in seipsis

intuemur, sed quatenus ex earum similitudine, in creaturis manifestata, ad idearum notitiam assurgimus. »

« Non est autem recedendum ab illo modo loquendi: *Deus est Idea mundi;* tum quia, ut vidimus, est communis apud Patres et D. Thomam; tum quia, ex dictis, est veritati conformis. Cæterum fere nullum est discrimen inter hæc duo: *Deus est Idea mundi;* et *in Deo sunt ideæ mundi;* quidquid enim in Deo est, Deus est. Unde iidem theologi ab adversariis citati, qui utuntur altera formula: *In Deo sunt ideæ mundi,* promiscue adhibent etiam primam, quod et videre est apud D. Thomam. »

« Piget dicere, præfatum theologum vere erroneo fundamento niti, et discrimen esse non in modo loquendi, sed in doctrina. Nam in Deo distinguit duplex, ut ait, Logon: *increatum* qui est Verbum, Filius Dei, et *creatum,* qui, juxta ipsum, est cogitatio de mundo, quam habet Pater; hunc alterum vero ponit in Deo, ut realiter distinctum ab Intellectu et Essentia divina. »

« Sed hic talis est error, ut vix refutatione indigeat. Etenim 1°) præterquam quod sic tribueretur Creatio soli Patri, aliquid reale poneretur in Deo, a Deo ipso realiter distinctum. Quod si dicitur infinitum, habemus duo infinita, vel quartam personam in Deo: si finitum, actum est de divina simplicitate, etc. Hæc attigisse sufficiat de re sat evidenti. »

« 2°) S. Athanasius distinguit quidem duplex Logon; sed nullibi æternam cogitationem Patris de mundo, simpliciter et absolute distinguit a Verbo, seu Filio Dei. Ipse, *Adversus Gentes,* cap. 40, distinguit Logon divinum, *qui ab omnibus creaturis diversus, proprius et unicus Logos boni Patris est,* et Logon creatum, qui in natura et in spiritibus invenitur. In eodem sensu sancti Patres distinguunt Sapientiam increatam et sapientiam creatam, de qua creaturæ, et præcipue entia intelligentia participant; illa æterna, infinita, Patri et Filio et Spiritui sancto communis est: hæc producta, finita, vario modo in creaturis invenitur; illa causa est, hæc effectus. »

« 3°) Hinc S. Anselmus (Monolog., cap. 33 vel 31) statuit imprimis summum Spiritum *consubstantiali uno Verbo, dicere se et quod facit;* atque id denique declarans, subdit: « Verbum autem, quo creaturam dicit (summus Spiritus), nequaquam similiter est verbum creaturæ, quæ non est ejus similitudo, sed principalis essentia; consequitur igitur ut ipsam creaturam non dicat verbo creaturæ. Cujus ergo verbo eam dicit, si non dicit Verbo ejus? Nam quod dicit, Verbo dicit; et verbum alicujus est verbum, id est, similitudo. Sed si nihil aliud dicit quam se aut creaturam: nihil dicere potest, nisi aut suo, aut ejus verbo. Si ergo nihil dicit verbo creaturæ: quidquid dicit, Verbo suo dicit. Uno igitur eodemque Verbo dicit seipsum, et quæcumque fecit. »

§ II.

Utrum in mundo sit aliqua Dei repræsentatio.

Responsio affirmativa ad hanc quæstionem necessario sequitur ex conclusione prioris quæstionis. Etenim si Deus est mundi Exemplar, sequitur quod mundus est juxta Deum exemplatus.

Auctor 1°) exponit statum secundæ quæstionis; 2°) solvit quæstionem.

I.

Exponitur status quæstionis.

1°) **De Dei, unius Essentia et trini personis, repræsentatione in creaturis generatim.**

1080. — « Cum quælibet causa effectum aliquo modo sibi similem faciat, ex eo quod Deus est Causa mundi, uti ostensum est, facile colligitur mundum præ se ferre aliquam similitudinem ad Deum. Verum aliqualis similitudo præsertim eruitur ex Dei causalitate exemplari; si enim res omnes factæ sunt ad similitudinem divinarum idearum, quæ sunt ipsa divina Essentia, ut cognita ab Intellectu divino communicabilis extra se, necesse est ut in rebus omnibus, aliqua divinæ Essentiæ, divinarum perfectionum, Dei ipsius repræsentatio inveniatur. Quæstionem igitur de Dei causalitate exemplari, alia de Dei repræsentatione in creaturis immediate consequitur. »

« Hæc autem quæstio bifariam dividi potest. Nam potest quæri: 1°) utrum in creaturis sit aliqua repræsentatio Dei, prout est Essentia unus; 2°) utrum in illis sit aliqua repræsentatio Dei, prout est personis trinus. »

« Ac primo quidem, nulli dubium esse potest Deum, ut est Essentia unus, repræsentari in creaturis. Ut enim arguit D. Thomas, (1. q. 4, a. 3) similitudo attenditur secundum convenientiam in forma. — Sed creaturæ omnes conveniunt cum Deo in aliqua forma; siquidem sunt entia per participationem, cum Deus sit Ens per se; esse autem per se competit Deo, prout est Natura unus. — Ergo Deus, ut Natura unus, aliquo modo repræsentatur in creatura. Atque inde fit ut ex creaturis cognoscamus Deum, et quæ absoluta sunt in eo, juxta illud Apostoli, (Rom. 1,

v. 20): *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus Virtus et Divinitas.* » Cognoscimus quidem, ut causam ab effectu, *quia* Deus est; analogice autem cognoscimus *quid est.*

« At vero, ex hoc ipso videtur sequi, Deum, uti personis trinum, minime in creaturis repræsentari. Etenim repræsentatio habetur secundum formam, quam causa effectui communicat, et in qua hic cum illa convenit. Forma vero a causa effectui communicata respondet principio *quo* effectionis, et non principio *quod;* ita filius, exempli gratia, repræsentat patrem, seu similis est illi in natura ejusdem speciei, non vero in personalitate; nec inspecto aliquo opere artis, potest per se cognosci, quis illud effecerit, aut utrum unus aut plures illud effecerint, sed solum ab aliquo intellectu humano illud effectum fuisse. Sane personæ divinæ operantur *ad extra*, quatenus sunt unus Deus, et non quatenus ad se invicem referuntur et relationibus distinguuntur, adeo ut dicantur et sint unum Creationis Principium. — Non videntur ergo divinæ personæ in creaturis repræsentari. — Unde D. Thomas (de Verit., q. 10, a. 3), ait: « Omne illud quod in divinis causalitatem habet, ad Essentiam pertinet, cum Deus per Essentiam suam sit Causa rerum. Propria autem personarum sunt relationes, quibus personæ non ad creaturas, sed ad invicem referuntur. Unde naturali cognitione in propria personarum devenire non possumus. »

« Nihilominus, quum personæ divinæ cum Essentia identificentur, atque inter se distinguantur secundum originem, quæ in unaquaque re respondet exigentiæ suæ naturæ: necesse est ut ubi est repræsentatio Dei, secundum id quod est in eo absolutum, sit etiam trium personarum repræsentatio. — Hinc D. Thomas (1. q. 93, a. 5), ait: « Distinctio divinarum Personarum non est nisi secundum originem, vel potius secundum relationes originis. Non autem est idem modus originis in omnibus; sed modus originis uniuscujusque est secundum convenientiam suæ naturæ. Aliter enim producuntur animata, aliter inanimata; aliter animalia atque aliter plantæ. Unde manifestum est, quod distinctio divinarum personarum est secundum quod Naturæ divinæ convenit. Unde esse ad imaginem Dei secundum imitationem divinæ naturæ, non excludit hoc quod est esse ad imaginem Dei secundum repræsentationem trium Personarum, sed magis unum ad alterum sequitur. »

2°) De Dei unius repræsentatione in creaturis speciatim, per modum vestigii et imaginis.

1081. — « Itaque, ut hæc, quoad apparentiam inter se pugnantia, apte componantur, simulque intelligatur qualis sit Dei repræsentatio in creaturis, notandum est in primis repræsentationem hujusmodi haberi posse, vel per modum *vestigii* vel per modum *imaginis.*

A. Repræsentatio per modum vestigii habetur, cum (1. q. 45, a. 7) « aliquis effectus repræsentat solam causalitatem causæ, non autem formam ejus; » seu, ut docet idem S. Doctor (1. q. 93, a. 6, c.): « Vestigium repræsentat per modum effectus, qui sic repræsentat suam causam, quod tamen ad speciei similitudinem non pertingat. Impressiones enim, quæ ex motibus animalium relinquuntur, dicuntur vestigia; et similiter cinis dicitur vestigium ignis, et desolatio terræ vestigium hostilis exercitus. » — Unde sequitur quod per vestigium proprie investigare possumus *existentiam* causæ, et ad summum ejus *naturam quoad aliqua communia*, non vero quoad propriam ejus *formam.* »

« Attamen recte animadvertit Valentia (T. 1, d. 3, q. 2, p. 3): « Cum dicimus ex sententia D. Thomæ de ratione vestigii esse, ut non perfecte per id veniamus in rei cognitionem, hoc intelligendum esse ex vi vestigii. Nam accedente nostro discursu, ex vestigio quoque aliquando venimus in cognitionem causæ, secundum proprium ejus esse: ut ex hominis vestigio intelligimus, hominem ibi fuisse secundum propriam formam. Hoc tamen non cognoscimus quia vestigium perfecte hominem repræsentet. » — Imo, magis ad rem nostram, advertendum est, supposita fide Trinitatis, nos aliqua ejus vestigia posse invenire; at si nullum habeamus de hoc mysterio notitiam, nec possumus ullum ejus vestigium agnoscere, ac per consequens nec Trinitatis notitiam consequi. Sicut si nihil sciremus de leone, quamvis ejus vestigium videremus, non possemus dicere illud esse vestigium leonis, nec per illud ad propriam leonis notitiam assurgere. »

B. Ad repræsentationem vero per modum imaginis hæc requiruntur: a) Ut aliquid sit alteri simile, uti per se patet.

b) Ut similitudo imaginis derivata sit a suo archetypo, seu ut id, quod dicitur imago, sit expressum ad similitudinem illius, cujus est imago. « Omnis imago, inquit S. Augustinus, (De Gen. ad Litt. Imperf., n.° 57), similis est ei cujus imago est; nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est ejus: sicut in speculo et pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt, tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur. »

« Atque hac ratione docet S. Thomas (de Verit. q. 23, a. 7, ad 1^{m}; 1. q. 4, a. 3, ad 4^{m}, etc.), cum dicatur creatura similis Deo, non posse vicissim

dici Deum esse similem creaturæ. « Quis, inquit S. Augustinus (Solil., lib. 2, cap. 6), in speculum attendat, et recte dicat se esse illi imagini similem, ac non potius illam sibi? »

c) « Ut aliquid sit alteri simile in natura specifica, vel in signo speciei, ut in figura. « Requiritur autem, ait D. Thomas (1. q. 93, a. 2. c.), ad rationem imaginis, quod sit similitudo secundum speciem, sicut imago regis est in filio suo; vel ad minus secundum aliquod accidens proprium speciei, et præcipue secundum figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro. Unde signanter Hilarius dicit (in lib. de Synod., can. 1) quod *imago est species indifferens.* »

d) « Ut aliquid sit alteri simile *vi productionis*, seu ut modus ipse derivationis imaginis ab archetypo, ex sua formali ratione, tendat ad exprimendam similitudinem. Hæc conditio requiritur ad perfectissimam et omnino propriam rationem imaginis; atque ejus defectu, uti docent theologi in tractatu *de Trinitate*, Spiritus sanctus non est proprie imago Patris, sicut Filius. »

« Sed in Deo nullum est accidens, nec Deus in nulla continetur specie, cum sit supra omne genus et omnem speciem; quomodo ergo verificari potest tertia illa conditio, ut in creaturis inveniatur imago Dei? « Manifestum est respondet D. Thomas (1. q. 93, a. 2), quod similitudo speciei attenditur secundum ultimam differentiam. Assimilantur autem aliqua Deo, primo quidem et maxime communiter, inquantum sunt; secundo, inquantum vivunt; tertio vero, inquantum sapiunt vel intelligunt; quæ, ut Augustinus dicit (in lib. 83 Quæst., q. 51, in med.), « ita sunt Deo similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. » Sic ergo patet, quod solæ intellectuales creaturæ, proprie loquendo, sunt ad imaginem Dei. »

« Ne tamen, hac in re, ullus sit errori locus, animadvertamus oportet cum D. Thoma (1. q. 4, a. 3, c.): « Quod cum similitudo attendatur secundum convenientiam, vel communicationem in forma, multiplex est similitudo, secundum multos modos communicandi in forma. Quædam enim dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma, secundum eamdem rationem et secundum eumdem modum; et hæc non solum dicuntur *similia*, sed *æqualia* in sua similitudine; sicut duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine; et hæc est perfectissima similitudo. — Alio modo dicuntur similia, quæ communicant in forma, sed non secundum eamdem rationem, ut patet in agentibus non univocis... Si ergo agens sit contentum in eadem *specie* cum suo effectu, erit similitudo inter faciens et factum in forma, secundum eamdem rationem speciei, sicut homo generat hominem. — Si autem agens non sit contentum in eadem specie, erit similitudo, sed non secundum eamdem rationem speciei... sed secundum similitudinem *generis*. — Si igitur sit aliquod agens, quod non in genere contineatur, effectus ejus adhuc magis remote accedet ad similitudinem formæ agentis, non tamen ita quod participet similitudinem formæ agentis, secundum eamdem rationem speciei aut generis, sed secundum aliqualem *analogiam*, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo, illa quæ sunt a Deo, assimilantur ei, inquantum sunt entia, ut primo et universali Principio totius esse. »

C. « Ex his omnibus sequitur a) in creaturis intelligentia carentibus, non esse *imaginem*, sed *vestigium* Dei. Imo etsi, juxta Patres, quod videre est apud Petavium (De Oper. sex dier., lib. 2, cc. 2-4), multiplex sit in homine similitudo ad Deum, repræsentatio tamen per modum *imaginis* ei competit solum inquantum mentem habet; si qua alia sit repræsentatio etiam secundum corpus, ea non erit nisi per modum vestigii. — Vide D. Thomam (1. q. 93, a. 6, ad 3^{m}). »

b) « Imaginem Dei in homine esse valde imperfectam; siquidem cum Deus sit supra omne genus et supra omnem speciem, nihil potest cum eo secundum similitudinem speciei convenire; seu quælibet repræsentatio Dei in creatura est *analogica*, non *univoca*. Unde D. Thomas (1. q. 93, a. 1, ad 3^{m}) dicit: « Cum unum sit ens indivisum, eo modo dicitur species *indifferens, quo una*. Unum autem dicitur aliquid, non solum numero, aut specie, aut genere, sed etiam secundum analogiam vel proportionem quamdam, et sic est unitas vel convenientia creaturæ ad Deum. »

c) « Imaginem Dei omnino perfectam non esse nisi unam, nempe Filium Dei, qui dicitur (Ibid., 1, v. 3): *Splendor gloriæ et figura substantiæ ejus.* » Quod quidem in divinis ostenditur verum respectu Patris, ex secunda conditione ad imaginem requisita; respectu Spiritus sancti, ex quarta. Quoad hominem vero scribit D. Thomas (Loco mox citat., ad 2^{m}): « Primogenitus omnis creaturæ est Imago Dei perfecta, perfecte implens illud cujus Imago est. Et ideo dicitur *imago*, et nunquam *ad imaginem*. Homo vero propter imperfectionem similitudinis dicitur *ad imaginem*. Et quia similitudo perfecta Dei non potest esse, nisi identitate naturæ, Imago Dei est in Filio suo primogenito, sicut imago regis in filio sibi connaturali; in homine autem sicut in aliena natura, sicut imago regis in nummo argenteo, ut patet per Augustinum (Lib. de Decem chordis, cap. 8, circ. med.). »

3°) **De divinæ Trinitatis imagine et cognitione a nobis.**

1082. — « Quæ hactenus diximus de *imagine* Dei in creaturis intelligentibus, respiciunt imaginem Dei, tum prout est *Natura unus*, tum prout est *personis trinus*. — Sed quoad imaginem analogicam Trinitatis, duplex adhuc imago distingui debet; una qua, ope *solius rationis*, principium analogum inveniri et concipi queat; altera qua, nonnisi *præeunte Fide*, principium analogum a nobis cognosci possit. »

« Ad alterum genus pertinet imago Trinitatis in creaturis; siquidem *a) imago hæc, nonnisi supposita fide, cognoscitur*. Repræsentatio enim Trinitatis habetur, tum per attributa quæ, ut diximus, appropriantur personis, tum præsertim in homine per ea attributa et per illas operationes, per quas processiones personarum locum habent in Deo; id melius patebit ex probatione thesis. Sed neque sciremus attributa illa appropriari personis divinis; aut operationes, quæ homini competunt ut ratione est præditus, imaginem esse Trinitatis; nisi antea edoceremur esse Trinitatem personarum in Deo. Sic, ex. gr., ex intellectione et amore, quem in nobis experimur, colligeremus ad summum esse intellectionem et amorem in Deo; sed absque Revelatione, nunquam possemus cognoscere, Verbum et Amorem in Deo, esse duas subsistentias. »

« Unde D. Thomas, *cum sibi objecisset* (1. q. 93, a. 5): « Si igitur in homine est imago Dei secundum Trinitatem personarum, cum homo per naturalem rationem seipsum cognoscere possit, sequeretur quod per naturalem cognitionem posset homo cognoscere Trinitatem divinarum personarum: quod est falsum, ut supra (q. 32, a. 1.) ostensum est; *respondet:* Ratio illa procederet si esset in homine imago Dei perfecte repræsentans Deum. Sed sicut Augustinus dicit (15. de Trinit., c. 6, ver. fin.), maxima est differentia hujus trinitatis, quæ est in nobis, ad Trinitatem divinam. Et ideo, ut ipse ibidem dicit: *Trinitatem quæ in nobis est, videmus potius quam credimus; Deum vero esse Trinitatem, credimus potius quam videmus.*

b) « Imo, supposita etiam fide Trinitatis, nonnisi assumendo aliquod principium demonstrationis sola Revelatione notum, potest mysterium illud ostendi. « Si videlicet, inquit Franzelin (de Trinitate, thes. 19), supponitur tanquam principium veritas revelata, quod sicut mens nostra producit immanens verbum intellectuale et immanentem volitionem, ita in Spiritu infinito est vera immanens productio, et proinde realis processio, tum sub ratione intellectionis, tum sub ratione volitionis; hoc, inquam, supposito principio revelato, sane non solum probabiles, sed necessariæ rationes etiam nobis intelligibiles demonstrant, processiones illas immanentes esse, non ex libera productione, sed ex necessaria perfectione Intellectus et Voluntatis in Deo, adeoque esse æternas; porro Verbum genitum in Deo, non esse accidens, sed esse substantiale, (quæ de Verbo dicuntur, æque valent de Amore procedente); pariter esse distinctionem inter Principium a quo generatur Verbum, et inter Verbum genitum, adeoque etiam esse distinctas personas, etc. At vero hæc non est demonstratio Trinitatis ex solo lumine rationis, sed est theologica deductio ex veritate revelata, ejusdemque veritatis analogica aliqua paulo distinctior intellectio, ex analogia spiritus creati. »

« Hinc D. Thomas (1. q. 32. a. 1. ad. 2^{m}) docet: « Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio; uno modo ad probandam sufficienter radicem..... Alio modo inducitur ratio, non quæ sufficienter probet radicem, sed quæ radici jam positæ ostendat congruere consequentes effectus..... Primo ergo modo, potest induci ratio ad probandum Deum esse unum, et similia; sed secundo modo, se habet ratio quæ inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet Trinitate posita, congruunt hujusmodi rationes, non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum..... Et inde est quod..... per fidem venitur ad cognitionem et non e converso. »

« Sed indemonstrabilitas SS. Trinitatis mysterii *ex solis principii rationis*, ostendi solet in tract. de Trinitate. — Vide Franzelin (thes. 17-19). Nobis hæc innuisse sufficiat, ut innotescat quomodo doctrina de imagine Trinitatis in creaturis apprime cohæreat cum Conc. Vat. (Const. *Dei Filius*, can. I, in cap. 4), definiente: « Si quis dixerit in Revelatione divina, nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit. »

« His itaque rite intellectis, »

II.

Solvitur proposita quæstio.

« **Propositio.** — *In omnibus creaturis 1°) sive intelligentia carentibus, 2°) sive præsertim intelligentia præditis, aliqua invenitur Dei repræsentatio, seu similitudo; non modo prout ipse est Essentia unus, sed etiam prout est personis trinus; ita tamen ut in illis per modum vestigii, in his vero per modum imaginis repræsentetur.* »

Iª pars Propositionis.

1°) Omnes creaturæ Deum, uti est Essentia unus, repræsentant per modum vestigii.

1083. — I. « Quidquid, inquit D. Thomas (1. q. 4, art. 2, corp.) perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva, vel secundum eamdem rationem, si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel eminentiori modo, si sit agens æquivocum. » Atqui, Deus est Causa efficiens omnium creaturarum, ut probavimus. Ergo. »

« Idem fere argumentum aliter proponi potest ex eodem S. Doctore (C. G., lib. 1, c. 40) : « Quod per participationem dicitur æquale, non dicitur tale, nisi inquantum habet quamdam similitudinem ejus quod per essentiam dicitur. » Atqui, Deus dicitur Ens per essentiam, et creaturæ omnes repræsentant Deum *summum et primum Ens.* — Patet ex superius dictis, creaturas ratione carentes, non posse Deum repræsentare per modum imaginis; ac proinde, si probetur aliquam eas præ se ferre similitudinem cum Deo, eo ipso constabit Deum in ipsis repræsentari per modum vestigii. »

II. Creaturæ omnes debent assimilari ideis, quas de iisdem ab æterno habuit Deus, qui est earum Causa exemplaris; sed, si hoc, assimilantur ipsi Deo, uti patet ex dictis de natura divinarum idearum; ergo.... Unde creaturæ repræsentant Deum *summum et primum Verum.* « Res naturales, inquit D. Thomas (1. q. 16, a. 1.), dicuntur esse veræ, secundum quod assequuntur similitudinem specierum, quæ sunt in Mente divina. » Et (q. 16, a. 6.): « Si loquamur de veritate, secundum quod est in rebus, sic omnes sunt veræ una prima Veritate, cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem. Et sic, licet plures sint essentiæ seu formæ rerum, tamen una est Veritas divini Intellectus, secundum quam omnes res denominantur veræ. »

« Pulcherrima sunt quæ de hac re habet S. Anselmus (Dialog. de Verit., cap. 7): « *Mag.* Jam considera, an præter summam Veritatem, in aliqua re veritas sit intelligenda, exceptis his quæ supra conspecta sunt. — *Disc.* Quid illud esse potest? — *Mag.* An putes aliquid esse aliquando aut alicubi, quod non sit in summa Veritate, et quod inde non acceperit quod est, inquantum est; aut possit aliud esse, quam quod ibi est? — *Disc.* Non est putandum. — *Mag.* Quidquid igitur est, vere est, inquantum hoc est, quod ibi est. — *Disc.* Absolute concludi potest, quia omne quod est, vere est; quoniam non est aliud quam ibi est. — *Mag.* Est igitur veritas in omnium quæ sunt, essentia; quia hoc sunt, quod in summa Veritate sunt. — *Disc.* Video ita ibi esse veritatem, et nulla ibi possit esse falsitas; quoniam quod falso est, non est. — *Mag.* Bene dicis. Sed dic an aliquid aliud debeat esse, quam quod est in summa Veritate? — *Disc.* Non. — *Mag.* Si ergo omnia hoc sunt, quod ibi sunt: sine dubio hoc sunt, quod debent. — *Disc.* Vere hoc sunt quod debent. — *Mag.* Quidquid vero est quod debet esse, recte est. — *Disc.* Aliter esse non potest. — *Mag.* Igitur omne quod est, recte est. — *Disc.* Nihil consequentius. — *Mag.* Si ergo veritas et rectitudo idcirco sunt in rerum essentia, quia hoc sunt quod sunt in summa Veritate, certum est veritatem rerum esse rectitudinem. »

III. « Omne ens, inquit D. Thomas (1. q. 5, a. 3), inquantum est ens, est in actu, et quodammodo perfectum; quia omnis actus, perfectio quædam est; perfectum vero habet rationem appetibilis et boni, ut ex dictis patet (a. 1 hujus quæst.); unde sequitur omne ens, inquantum hujusmodi, bonum esse. » — Atqui, creaturæ omnes assimilantur Deo secundum esse, quod ab eo participant; ergo. — Unde creaturæ omnes repræsentant Deum *summum et primum Bonum* ».

« Quod D. Thomas (1. q. 5, a 4, c.) insuper explicat etiam de quadam bonitate intrinseca. « Unumquodque dicitur bonum Bonitate divina, sicut primo Principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum similitudine divinæ Bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua Bonitas, denominans ipsum. Et sic est Bonitas una omnium, et etiam multæ bonitates. »

« Hæc ipsa expendens *Lessius* (de Perf. div., lib. 6, cap. 4), concludit: « Ex his obiter colligimus, cur tantum sint duæ proprietates entis positivæ: *Verum et bonum.* Dico *positivæ*, quia unitas supra rationem entis nihil dicit, nisi divisionis negationem. *Unum* enim est res in se indivisa, ab aliis omnibus indivisa. Ratio igitur cur duæ tantum sint, est quia tres tantum sunt habitudines rebus omnibus communes ad Causam universalem omnium. Prima est, tanquam ad Causam primam effectricem a qua omnia accipiunt esse, ratione cujus dicuntur entia; hæc habitudo est prima et fundamentalis. Secunda, tanquam ad causam exemplarem, secundum quam effectæ sunt; hæc habitudo dicitur *veritas.* Tertia, ut ad finem ultimum, quæ dicitur *bonitas.* Non poterant autem hæ proprietates aliter in rebus poni, quam ex ordine ad istam Causam, quæ est Deus; tum quia nulla est alia, a qua omnia dependentiam habeant; tum quia omnis habitudo ad alia, verbi gratia, ad intellectum et voluntatem creatam, est posterior ratione boni et veri. — Non enim ideo res sunt veræ, quia intelligibiles; nec ideo bonæ, quia amabiles; sed contra, hæ de-

nominationes veritatem et bonitatem rerum consequuntur, tanquam posteriores. Secundum hanc considerationem, opera bona in sacris Litteris dicuntur *veritas*, seu vera (abstractum enim pro concreto accipitur idiotismo hebraico), ut qui bene operatur dicitur *facere veritatem*, quia sunt conformia suæ regulæ, nimirum Legi æternæ. E contrario, opera mala vocantur *mendacium*, et qui ea facit, dicitur facere et *operari mendacium:* quia dissident a regula operationis et vitæ humanæ. »

IV. Si creaturas omnes simul consideremus, videmus in earum multiplicitate, varietate, et ordine relucere varias perfectiones divinas, quæ sunt unus Deus; ergo... Hinc D. Thomas (1. q. 47, a. 1, c.) ait: « Unde dicendum est, quod distinctio rerum et multitudo, est ex intentione primi Agentis, quod est Deus. Produxit enim res in esse, propter suam Bonitatem communicandam creaturis, et per eas repræsentandam; et quia per unam creaturam sufficienter repræsentari non potest, produxit multas creaturas et diversas; ut quod deest uni ad repræsentandam divinam Bonitatem, suppleatur ex alia. Nam Bonitas, quæ in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et diversim; unde perfectius participat Bonitatem divinam et repræsentat eam totum universum, quam alia quæcumque creatura. »

« Et (q. 47, a. 3, ad 1[m]): Propter quod Aristoteles (in 12 Metap., text. 52), ex unitate ordinis in rebus existentibus, concludit Unitatem Dei gubernantis; et Plato (in Timæo, aliq. a princ.) ex unitate exemplaris, probat unitatem mundi, quasi exemplati. — Vide etiam Contra Gentes, lib. 1, c. 42, arg. 6). »

2°) In creaturis omnibus est vestigium divinæ Trinitatis.

1084. — Probatur ex ratione theologica. « Adest in creaturis repræsentatio Trinitatis, si aliqua in ipsis inveniuntur, quæ necesse est reducere in divinas Personas sicut in Causam. Atqui ita est. Ergo. »

« *Prob. Min.* — a) Omnes creaturæ, cum sint entia, habent unitatem. — Atqui, lege *appropriationis*, unitas pertinet ad Patrem; siquidem Unitas absolute dicitur, et non præsupponit aliquid aliud, sicut nec Pater præsupponit aliam personam; Veritas pertinet ad Filium, cujus processio est per Intellectum, et qui est Verbum; Bonitas pertinet ad Spiritum sanctum; procedit enim per Voluntatem, cujus est ferri in bonum. Ergo. »

b) Omnis creatura habet modum, speciem et ordinem: *modum*, quatenus habet esse certo aliquo modo limitatum, quod est consistere in modo; *speciem*, quatenus est in determinata aliqua specie; *ordinem*, seu harmoniam inter esse ejusque manifestationem. Vide Franzelin (de Trinitate, p. 309). — Atqui modus, lege *appropriationis*, tribuitur Patri: esse enim limitatum dicit ordinem ad potentiam a qua producitur, et Potentia tribuitur Patri; Species tribuitur Filio, sive quia *Verbum*, seu locutio, de se est manifestatio; Ordo tribuitur Spiritui sancto, tum quia propensio in id quod est sibi conveniens, est *amor* in bonum; sive quia amor harmoniam dicit. Ergo. — *Species* hîc solet etiam alio sensu explicari. « Species enim, inquit Sylvius (in 1. p., q. 39, a. 8, concl. 1), sive *Pulchritudo* (appropriatur) Filio, propter similitudinem quam habet cum propriis Filii, quoniam pulchritudo seu decor tria requirit, ut dictum est (q. 5, a. 4): primo, perfectionem sive integritatem; secundo, proportionem; tertio, coloris suavitatem, seu claritatem. Et quantum ad hæc tria, species habet similitudinem cum propriis Filii: quoad primum quidem, inquantum est Filius, habens in se vere et perfecte Naturam Patris; quoad secundum vero, inquantum est expressa imago Patris; quoad tertium autem, inquantum est Verbum, quod lux est et splendor Intellectus. »

c) Eodem fere modo intelligitur illud Sapientiæ (11, v. 21): *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* In *mensura*, quatenus Deus modum præfigit rei omni, quæ proinde limitata est suis principiis; in *numero*, quatenus omni rei speciem præbet; in *pondere*, quatenus rem omnem ad quietem et stabilitatem trahit.

Vide *S. Augustinum* (de Genes. ad litt. 1, 4, c. 3); *D. Thomam* (de Verit., q. 21, a. 6), quare hæc etiam referunt causalitatem divinarum Personarum. « In qualibet creatura, inquit D. Thomas (1. q. 45, a. 7), inveniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in divinas Personas, sicut in Causam. Quælibet enim creatura subsistit in suo esse, et habet formam per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quædam substantia creata, repræsentat Causam et Principium, et sic demonstrat Personam Patris, qui est Principium non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam et speciem repræsentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repræsentat Spiritum sanctum, inquantum est amor; quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis. Et ideo dicit Augustinus (in lib. de Trinit., c. 10, circa fin.), quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundum quod unum aliquid est; et secundum quod aliqua specie formatur, et secundum quod aliquem ordinem tenet. — Et ad hæc reducuntur illa

tria, *numerus, pondus et mensura*, quæ ponuntur Sapient. 11. Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem. — Et ad hæc tria reducuntur alia tria, quæ ponit Augustinus (in lib. de Natura boni, c. 3): *Modus, species et ordo;* et ea, quæ ponit in lib. 83 quæst. (q. 18, in princ.): *Quo constat, quo discernitur, quo congruit.* Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. Et in idem de facili reduci possunt quæcumque sic dicuntur. — Vide S. Augustinum (Lib. 6 de Trinit., cap. ult.; toto lib. 11; et lib. 14, cap. 8).»

IIª pars propositionis.

1°) Est in homine imago Dei, prout est essentia unus.

1085. — Probatur I. Legitur enim Genes. 1, v. 27: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos.* — Sapient. 2, v. 23: *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* — Eccli. 17, v. 1: *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* — I. Corinth. 17, v. 7: *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago et gloria Dei est.*

Quoad hunc textum Apostoli, recte notat D. Thomas (1. q. 93, a. 4, ad 1): « Tam in viro quam in muliere invenitur Dei imago, quantum ad id quo principaliter ratio imaginis consistit, scilicet quantum ad intellectualem naturam. Unde Genes. 1, v. 27, cum dixisset: *Ad imaginem Dei creavit illum*, scilicet hominem, subdit: *Masculum et feminam creavit eos.* Et dixit pluraliter *eos*, ut Augustinus dicit (lib. 3, super Gentes, cap. 22, a med.): *Ne intelligatur in uno individuo uterque sexus fuisse conjunctus.* — Sed quantum ad aliquid secundarium, imago Dei invenitur in viro, secundum quod non invenitur in muliere. Nam vir est principium mulieris et finis, sicut Deus est Principium et Finis totius creaturæ. Unde cum Apostolus dixisset, quod *vir imago et gloria est Dei, mulier autem est gloria viri*, ostendit quare hoc dixerit, subdens: *Non enim vir est ex muliere, sed mulier ex viro, et vir non est creatus propter mulierem, sed mulier propter virum.* Confer etiam quæ habet S. Doctor, lect. 2, in istud Caput. »

« **Probatur II.** Ut in creatura intelligente reperiatur imago Dei, tria requiruntur, nempe similitudo cum Deo, similitudo derivata a Deo, similitudo quoad gradum naturæ intelligentis. Atqui, primum et alterum constat ex disputatis art. præc.; tertium per se patet: agitur enim de natura intelligente. Ergo... »

2°) Est in homine imago divinæ Trinitatis.

1086. — « Probatur I. Dicitur enim Genes. 1, v. 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* — *S. Augustinus* (lib. 12 de Trinit., cap. 6) ait: « Dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Paulo post autem dictum est, et fecit Deus hominem ad imaginem Dei. *Nostram* certe, quia pluralis est numerus, et non recte diceretur, si homo ad unius Personæ imaginem fieret, sive Patris, sive Filii, sive Spiritus sancti. Sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est: *Ad imaginem nostram.* Rursus autem, ne in Trinitate credendos arbitraremur tres deos, cum sit eadem Trinitas, unus Deus: *Et fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei*, pro eo ac si diceret: *Ad imaginem suam.* »

« Ibidem autem refutat S. Doctor errorem eorum, qui dicebant hominem factum ad imaginem solius Filii. — Cap. seq. etiam refutat eos, qui asserebant imaginem Trinitatis non esse in uno homine, sed in tribus, nempe viro, uxore et filio.

S. Petrus Damianus (de Fide cath., opusc. 1, c. 1) ait: « Homo non ad unius Personæ, sed ad totius Trinitatis est creatus imaginem. Unde non legitur: *Faciam ad imaginem meam;* sed: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem nostram.* »

« **Probatur II.** In divinis est Pater generans Verbum per Intellectum; Pater et Filius spirantes Spiritum sanctum per Voluntatem; Pater autem, Verbum et Spiritus sanctus sunt unum natura. Atqui, aliquid simile invenitur in homine. Ergo... »

« *Prob. min.* Cum increata Trinitas, inquit *D. Thomas* (1. q. 93, a. 6, c.), distinguatur secundum processionem Verbi a dicente, et Amoris ab utroque, ut supra habitum est (q. 45, a. 7); in creatura rationali, in qua invenitur processio verbi secundum intellectum, et processio amoris secundum voluntatem, potest dici imago Trinitatis increatæ per quamdam repræsentationem speciei. » — Et (1. q. 37, a. 3): « Sicut ex hoc, quod aliquis aliquam rem intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum; ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, provenit quædam impressio (ut ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente; ita quod cum aliquis seipsum intelligit et amat, est in seipso, non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente, et amatum in amante. »

« Quod jam expresserat *S. Augustinus* (de Trinit., lib. 9, c. 11, n. 18), dicens: « Est quædam

imago Trinitatis ipsa mens et notitia ejus, quod est proles ejus, ac de se ipsa verbum ejus, et amor tertius; et hæc tria unum sunt atque una substantia. » — Et *S. Ambrosius* (de Dignit. condit. humanæ, cap. 2), scribit: « Licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est intellectum, voluntatem et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota mente tua:* id est ex toto intellectu, ex tota voluntate, ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria, etc. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas: ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates; atque in his tribus, ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo. »

« **Probatur III.** Ad melius assequendam vim præfati argumenti, juverit adnotare illud attingere principalem rationem qua homo dicitur conditus ad imaginem Trinitatis. Hanc autem principalem rationem plures aliæ veluti secundariæ consequuntur: adeoque Patres, quos videre est apud Petavium, loco citato, plures enumerant titulos, quibus homo præsefert imaginem divinarum Personarum. Imo illam ipsam principalem rationem evolvit et urget D. Thomas seq. articulis cit. q. 93. Etenim.

a) « Docet quod licet imago Trinitatis sit in anima nostra secundum potentias, dictinctior tamen est cum actu cogitamus et amamus. « Ad rationem, inquit, (q. 93, a. 7) imaginis pertinet aliqualis repræsentatio speciei. Si ergo imago Trinitatis divinæ debet accipi in anima, oportet quod secundum illud principaliter attendatur, quod maxime accedit (prout possibile est) ad repræsentandum speciem divinarum Personarum. Divinæ autem Personæ distinguuntur secundum processionem Verbi a dicente, et Amoris connectentis utrumque. Verbum autem in anima nostra sine actuali cognitione esse non potest, ut Augustinus dicit (14. de Trinit., cap. 7 a med.). Et ideo primo et principaliter attenditur imago Trinitatis in mente secundum actus, prout scilicet ex notitia quam habemus cogitando, interius verbum formamus, et ex hoc in amorem prorumpimus. Sed quia principia actuum sunt habitus et potentiæ, unumquodque autem virtualiter est in suo principio; secundario et quasi ex consequenti imago Trinitatis potest attendi in anima secundum potentias, et præcipue secundum habitus, prout in eis scilicet actus virtualiter existunt. »

b) « Docet quod etsi imago quædam Trinitatis sit in homine actu intelligente et volente *quodcumque objectum*, adhuc tamen perfectior est imago, quando cogitamus et amamus nosipsos; tunc enim homo est in seipso, non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente, et amatum in amante. »

c) Docet quod adhuc perfectior est imago Trinitatis in homine, quando homo seipsum intelligit et amat in ordine ad Deum. « Verbum Dei, inquit (q. 93, a. 8), nascitur de Deo secundum notitiam sui ipsius, et Amor procedit a Deo, secundum quod seipsum amat. Manifestum est autem, quod diversitas objectorum diversificat speciem verbi et amoris. Non enim idem est specie, in corde hominis, verbum conceptum de lapide et equo; nec idem specie amor. Attenditur igitur divina imago in homine, secundum verbum conceptum de Dei notitia et amorem exinde derivatum; et sic imago Dei attenditur in anima, secundum quod fertur vel nata est ferri in Deum. »

d) Denique docet quod tripliciter considerari potest imago Trinitatis in homine, prout ipsa Dei cognitio et amor spectari potest in triplici ordine: naturali, supernaturali in via, et supernaturali in patria (q. 93, a. 4). Cum cognitio Dei per fidem et amor charitatis, perfectior sit cognitione et amore Dei naturali, perfectiorem etiam in nobis exprimunt imaginem Trinitatis. Sed cum fides locum cedit visioni, et Deus amatur charitate tali visioni respondente, sicut fit in cœlis; tunc perfectissima, quoad possibile nobis est, erit in nobis imago Dei. Unde de hoc statu dicitur I. Joan. 3, v. 2: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus Eum sicuti Est.*

CAPUT III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN MODERNIS MYSTICIS.

Prænotanda. — *De divino Exemplarismo in Theologia mystica generatim.*

1087. — Postquam divinum Exemplarismum inspeximus in modernis auctoribus, qui in castris Philosophiæ et Theologiæ dimicaverunt, sive contra hæreticos, sive inter se, restat ut eamdem videamus doctrinam in modernis Mysticis, qui supremum Exemplar, tam specula-

tive quam practice, in charitatis ardoribus et in pace animæ suæ contemplati sunt.

Patres Theologiæ mysticæ sunt ipsius Ecclesiæ Patres, potissimum S. Dionysius Areopagita et S. Augustinus, qui metaphysicis et dogmaticis speculationibus suis miscere solebant mysticas et fervidas cordis elevationes ad Deum. Sanctos illos Patres imitati sunt Doctores medii ævi, in quibus ardentissima pietas altissimæ scientiæ uniebatur. Nam supernaturalis eorum sapientia, a divino amore procedens, ad eum circulari progressu redibat; in eis enim charitas et cordis puritas lucem intellectui ingerebant, et vicissim lux charitatem ac puritatem augebat

Pias veterum Patrum, et Doctorum medii ævi contemplationes jam retulimus. Vidimus quoque, nobiliores moderni ævi sapientes, in doctrina Exemplarismi, Theologiam mysticam conjunxisse Philosophiæ et Theologiæ dogmaticæ.

Superest ut ostendamus Exemplarismum auctorum modernorum, qui de rebus asceticis ac mysticis unice vel principaliter scripserunt. Hi auctores mysticis contemplationibus suis adjiciunt philosophicas et dogmaticas speculationes, quia disciplinæ omnes sublimiter conjunguntur in unitate sapientiæ supernaturalis.

Videamus igitur eamdem divini Exemplarismi doctrinam variis modis resplendentem in contemplationibus Ludovici Blosii Ord. S. Ben.; S. Teresiæ, Ord. Carmel.; S. Joannis a Cruce, Ord. Carm.; Ludovici Granatensis, Ord. Præd.; Alvaresii de Paz, Soc. J.; S. Francisci Salesii; Philippi a SS. Trinitate, Ord. Carm.; Patris d'Argentan, Ord. Capuc.

ARTICULUS I.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN LUDOVICO BLOSIO.

Ludovicus Blosius, abbas Lætiensis, Ord. S. Benedicti, in Belgio, sæculo XVI florebat, et doctrina ac pietate magis adhuc quam nobilitate claruit. Plura scripsit opera ascetica, Spiritus sancti unctione referta, in quibus refulget lumen divini Exemplarismi. Videamus quid doceat 1°) De æternis rerum exemplaribus. 2°) De mundo divinas perfectiones repræsentante. 3.°) De divina Trinitate in creaturis repræsentata.

§ I.

De æternis rerum exemplaribus.

Cum cæteris sapientibus hucusque citatis, asserit Blosius, Deum esse supremum mundi Artificem, ita ut creaturæ exemplariter et nobiliori modo in divina Mente præexistant, quam realiter existunt.

I.

De Deo, inquantum est mundi Artifex, Exemplar et finis.

1088. — « Deus Factor est omnium sæculorum sive temporum, Creator cœli et terræ, visibilium et invisibilium. Non ex necessitate aliqua, sed propter solam Bonitatem suam creavit omnia, dans rebus inanimis ut subsistant; plantis ut subsistant et vita vegetativa vivant; brutis animantibus, ut subsistant, vivant ac sentiant; creaturis rationalibus, nempe angelis et hominibus, ut subsistant, vivant, sentiant, atque intelligant. Sola Bonitas ejus Causa est naturalium proprietatum, et bonorum omnium quæ in creaturis sunt. Nam cum boni proprium sit se diffundere, et ipse Deus sit summe bonus ac substantiale Bonum, derivat suam Bonitatem in omnia, indulgens ejusdem Bonitatis suæ radios cuique creaturæ, juxta ejus captum et aptitudinem; quemadmodum sol iste visibilis illuminat et permeat omnia inferiora, ut quodque eorum luminis virtutisque solaris consortium ac participationem in se admiserit. Igitur Deus, propter Bonitatem suam, omnia quæ existunt deduxit ad esse ex nihilo; et adhuc multo plura, imo vero innumeros mundos, si vellet, creare posset, cum sit Essentiæ pelagus infinitum. »

« Ipse mundum istum pulchrum condidit, ad exemplar istius pulcherrimi mundi, quem in Sapientia sua habebat. Quemadmodum enim peritus architectus domum exemplarem, materia carentem mente continet, ad cujus similitudinem efformat domum materialem, tanquam exemplum et expressionem illius Archetypi, quod mente gerit; ita rerum omnium Opifex Deus, in sua æterna Sapientia, exemplares divinasque ideas ac rationes habuit eorum, quæ fecit; et quidquid ab eo creatum est, sive visibile, sive invisibile sit, quia semper ab eo cognitum fuit, ab æterno in ejus Mente atque Intelligentia vixit. Hinc ait beatus Joannes Evangelista: *Quod factum est, in Ipso vita erat.* Quælibet ergo creatura prius in Deo exstitit, quam in seipsa. » (Instruct. vitæ ascet., pars 2, cap. 9).

II.

De modo, quo omnia Dei opificia in ejus ideis præexistunt.

1089. — 1°) Non ita existunt res creatæ, sicut in propria natura; nam secundum hanc sunt

corruptibiles, mutabiles et egenæ; in Deo autem nihil corruptibile, nihil mutabile, nihil egenum est. Cum omnis creatura facta sit ex nihilo, ex se nihil est, et in nihilum mox redigeretur, nisi virtute et gratia servaretur. Omne enim quod esse cœpit, etiam suapte natura desinere potest. Separetur a rebus conditis quidquid corruptionem, imperfectionem atque indigentiam sonat, et jam elucescet quomodo sunt in Deo. In cognitione Dei, sive in Deo, res omnes sempiterne vivunt, et vita sunt. In Essentia inquam, Dei, omnium rerum exemplaria sunt, et ipsa eadem divina Essentia omnium rerum unum Exemplar est. O quam jucundum erit videre in illa gloriosa civitate, quomodo in Deo et multa unum sunt, et unum multa! » (Ibidem).

2°) « Res omnes sunt in Deo secundum ideam; nam ideæ, seu intelligibiles formæ rerum omnium, fuerunt ab æterno in Mente Scientiaque Dei, et in ea stabiles atque incommutabiles manent et vita sunt; et ipse Deus, vel Essentia divina, est una Idea atque unum Exemplar rerum omnium, intellectualiter omnia repræsentans. Hinc Joannes Evangelista, cum dixisset omnia per æternum Dei Verbum facta esse, et sine ipso nihil esse factum, subjecit: *Quod factum est, in Ipso vita erat.* » (Conclave animæ fidelis, cap. 10, § 2).

III.

Omnia bona visibilia multo melius existunt in exemplaribus suis invisibilibus.

1090. — « Crede, invisibilia ac cœlestia, visibilibus terrenisque incomparabiliter potiora, digniora, pulchriora suavioraque esse. Visibilia enim et sensibilia quæ hic sunt, imagines sunt illorum invisibilium quæ sunt in cœlo, in Deo. In illis invisibilibus veritas, in istis visibilibus umbra est. Sed quia nobis, qui de terra sumus, terrena sensibiliaque prius cognita fuerunt, idcircoque ipsa visibilia, res; invisibilia vero, rerum similitudines æstimamus. Revera tamen illa invisibilia, res; ista autem visibilia, rerum similitudines sunt, quæ illis permanentibus transeunt. Ea quoque invisibilia quæ creavit Deus, Angeli et animæ rationales, si cum Deo comparentur, umbra sunt. »

« Non putes, aliquid eorum, quæ hic vides, et quæ te delectant, deesse in supramundana Jerusalem; sed crede, in invisibili et intelligibili illo mundo esse omnia, quæ in visibili et sensibili hoc mundo cordibus humanis placent... Deus, qui origo, fons, exemplar, archetypum, idea et ratio omnium est, omnia etiam est. Igitur quidquid in hoc mundo delectat, quidquid in hoc mundo est, in cœlo est; et quod ibi est, longe sublimius, longe præstantius est, quam quod hîc est. Omnis voluptas, quæ hîc corpore sive sensibus corporis hauritur, non nisi remotissima, obscurissima obtusissimaque imago est illius sincerissimæ voluptatis, quam spiritus rationalis Spirituï increato unitus persentit. In cœlo verissima perfectissimaque rerum exemplaria sunt; multa unum sunt, et unum multa. Ibi omnia incorrupta et stabilia in æternum perseverant. Hîc symbola quædam et signa verorum habemus tantum, quæ cum tempore labuntur et prætereunt. » (Instructio vitæ asceticæ, pars. 2, cap. 6).

§ II.

De mundo divinas perfectiones repræsentante.

Mundus est liber universalis, in quo viri spirituales intelligere possunt divini Artificis Potentiam, Sapientiam et Bonitatem, quæ in rebus visibilibus manifestantur.

I.

Mundus est magnus Dei liber.

1091. — « Profecto, si ipsæ creaturæ exacte prudenterque considerentur, mirifice animam considerantis in admirationem rapiunt, et ad laudem atque amorem summi Conditoris non parum accendunt. Nam universus iste mundus, veluti quidam liber est digito Dei scriptus, in quo singulæ creaturæ tanquam singulæ litterarum figuræ sunt. Quemadmodum autem is, qui litteras non novit, si librum apertum inspiciat, videt sane ipsarum litterarum characteres, vim tamen et significationem earum non comprehendit: ita is, qui non percipit ea quæ Dei sunt, perspicit quidem externarum creaturarum speciem, sed internam illarum rationem non intelligit. *Vir* enim *insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.* » (Psal. 91).

« Cæterum homo spiritualis, qui oculos animi habet apertos, dum exterius Dei opificium contemplatur, quam mirabilis sit ipse Opifex interius percipit; et ex pulchritudine rerum, quas considerat, transit ad Pulchrum illud, pulchrorum omnium pulcherrimum, unde omnis pulchritudo profluit. Cui in hac jucunda contemplatione constituto, singula quæque prorsus miracula sunt; adeo ut ipse obstupefactus cum Propheta exclamare cogatur: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in Sapientia fecisti.* » (Psal. 103). « *Delectasti me in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.* » (Psal. 91).

« Sane non minus stupendum videri debet, quod humor vitis in vinum, Deo disponente, quotannis convertatur, quam quod olim in Cana Galileæ, eodem jubente, aqua in vinum mutata fuerit; et majus est multos creare quotidie qui non erant, quam his qui mortui fuerant, vitam reddere. Nulla tam exigua, vel ut ita dicam tam vilis creaturula est, in qua non reluceant hæc tria Dei invisibilia, Potentia, Sapientia et Bonitas. Itaque Deus per ea quæ fecit cognoscitur, quemadmodum beatus Paulus asserit, dicens: *Invisibilia ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* » (Rom. 1).

« Quanta, quæso, admiratione dignum est, quod ipse Deus cœlum, terram et omnia quæ his continentur ex nihilo creaverit, pluraque creare possit, cum sit substantiæ pelagus infinitum? Fecit omnia, solum peccatum non fecit, neque enim ipsum *(peccatum)* aliquid esse dici debet. Conservat item omnia; nam si virtute sua non conservaret illa quæ condidit, mox universa redigerentur in nihilum; quia ex se nihil sunt, et omnino dependent a Deo, a quo facta sunt. Curat omnia: *Attingit a fine usque ad finem fortiter*, et ab angelo usque ad extremum vermiculum, *disponit omnia suaviter* (Sap. 8); ita ut nec folium quidem ex arbore decidat absque ejus Providentia. » (Parad. animæ fidel., cap. 28).

II.

Divini Artificis Potentia, Sapientia et Benevolentia in toto mundo manifestantur.

1092. — « *Potentiam* ipsius Conditoris manifestat rerum creatarum multitudo et quantitas; *Sapientiam* ostendit species et qualitas; *Bonitatem* declarat utilitas. »

1°) Quam *multa* creavit Deus! Numera stellas cœli, arenam maris, pulverem terræ, pluviæ guttas, avium plumas, piscium squamas, pilos quadrupedum, folia et fructus arborum. Numera homines, volucres, pecudes, plantas, lapides; numera cætera omnia, si potes; si non potes, confitere esse innumerabilia. »

« Quam vero *magna* creavit Deus! Metire moles montium, tractus fluminum, spatia camporum, altitudinem cœli, profundum abyssi. »

« Rursum, quam *parva* creavit Deus! Nam ipsa quoque ad quantitatem spectant; et non minor Potentia est, parva ex nihilo creasse, quam creasse maxima. Igitur quam parva creavit Deus! Ut prætereamus inanimata, attende papiliones, muscas, culices; attende scolopendras, formicas, tineas; attende singula insectorum, animalculorum genera. »

2°) « Jam quam *apta*, quam *pulchra* sunt quæ creavit Deus! Inspice structuram et compagem corporis humani; inspice fabricam cœli; considera elementorum dispositionem, temporumque vicissitudines; considera cætera omnia, et ubique miram harmoniam, miram convenientiam, mirum ornatum invenies. Nam si vel folium arboris contemplari volueris, deprehendes in eo stupendum quoddam artificium. Videbis, quam apte ea parte sit robustius, qua parte ramis suæ arboris est magis vicinum; videbis quam convenienter se dilatet, quam pulchre desinat, quam decenter per gyrum veluti serratis dentibus circumsepiatur, quam concinue productis huc illucque costulis in sese intexatur. Inspice unum aliquod, inspice et alterum ejusdem generis; tot invenies dentes in uno, quot dentes in altero; talem figuram in uno, qualem figuram in altero. — Quid porro hac luce pulchrius? Quid sereno cœlo amœnius? Quid rutilo sole venustius? Quid lunæ stellarumque decore comptius? — Quid variorum flosculorum elegantia speciosius? Quid verno tempore magis formosum? in quo horti, prata, sylvæ, agri, redivivo vestita ornatu, jucundissimum spectaculum nobis exhibent; in quo herbarum ac plantularum germina, latente quadam naturæ vi, quam ipse Conditor indidit, e terra mirabiliter prodeunt, et erecta sursum in suas spicas, tanquam morte proculcata, statum et gloriam futuræ resurrectionis apposite designant. — Taceo de his quæ *deformia* videntur; nam et in eis pulchra admodum est ipsa deformitas, aspectumque non parum demulcet. »

« Transeo ad illa quæ auditum, olfactum, gustum et tactum oblectant. Quid philomelarum et galeritarum cantu gratius? Quid lyræ et citharæ modulatis sonis dulcius? Quid rosarum ac liliorum redolentia suavius? Quid sapore diversorum fructuum atque condimentorum delectabilius? Quid bysso et serico lenius? Omitto hîc et ea quæ *aspera*, et ea quæ *amara* sunt.

3°) « Ecce autem omnia, et magna et parva, et pulchra et deformia, et dulcia et amara, et lenia et aspera, summus ille rerum Opifex *ad sui laudem, hominumque utilitatem*, usum, eruditionem, ac solatium condidit. Pauca perstrinximus, quia locus non admittebat ut multa diceremus. Cæterum omnia nec animo quidem comprehendi possunt, nedum verbis explicari. »

« Tu ex his quæ dicta sunt, disce philosophari etiam in aliis, quæ a nobis expressa non sunt. Omnia grato oculo contemplare. Dic nonnunquam apud temetipsum hæc aut similia: O quam potens et magnus est, qui tam multa immen-

saque creavit! O quam pulcher et suavis est, qui tam amœna et dulcia condidit! O quam bonus et liberalis est, qui omnia ista donavit! Ad hunc modum, per creaturas transi ad Creatorem, ex creaturis mirare Conditorem, cum creaturis lauda Benefactorem. »

« Si defæcato cordis oculo, potueris considerare etiam invisibiles Dei creaturas, animam rationalem, puritate et sanctimonia ornatam; Angelos, Virtutes, Potestates, Dominationes cæterosque cœlestis aulæ cives; jam miraculis obrutus, a teipso propemodum alienaberis. » (Paradis. animæ fidel., cap. 29).

§ III.

De divina Trinitate in creaturis repræsentata.

Trinitas creatrix duobus modis generalibus in creaturis repræsentatur, scilicet *per modum imaginis* in creaturis rationalibus, et per *modum vestigii* in omnibus creaturis.

I.

Mens humana divinam Trinitatem repræsentat per modum imaginis.

1093. — « In anima hominis pulchre relucet Sanctæ Trinitatis imago. Habet enim anima rationalis, sicut habent et spiritus angelici, tres naturales vires admodum excellentes, nempe memoriam, intellectum et voluntatem, quas Deus illi indidit, ut ipsa Deum memoria recolere, intellectu cognoscere, voluntate eligere et diligere, atque eo frui possit. »

« Quemadmodum autem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sunt unus Deus, sive una divina Substantia; ita tres illæ superiores spiritualesque animæ vires, sunt una mens, sive una animæ essentia. Tres æternæ et inseparabiles personæ Divinitatis inseparabiliter operantur; et prædictæ tres potentiæ animæ, etiam inseparabiles, operantur inseparabiliter. Neque enim memoria aliquid recolit aut recogitat, sine intellectu et voluntate; nec intellectus aliquid cognoscit, sine memoria et voluntate; nec voluntas aliquid eligit vel diligit, sine memoria et intellectu. »

« Illæ tres potentiæ animæ sunt spirituales sensus; nam visus attribuitur vi intellectivæ; auditus vi memorativæ; odoratus, gustus et tactus vi affectivæ sive amativæ, hoc est voluntati. Sicut autem spiritus præstantior est corpore; ita illi sensus perfectiores et digniores sunt sensibus corporis. Porro ea anima, quæ supra vires suas naturales sublevata, meretur in simplici essentia sua occultissimoque fundo invenire Deum, eique sine medio uniri, videt, audit, odoratur, gustat et tangit quod nullis verbis enarrari potest. »

II.

Creaturæ materiales repræsentant divinam Trinitatem per modum vestigii.

1094. — « Verumtamen, ut etiam sensibili similitudine confirmetur in te fides, qua credere debes Filium esse æternum, et Spiritum sanctum æternum, sicut Pater, a quo procedunt originemque accipiunt, æternus est; attende uti splendor et calor, ab igne quidem vel flamma procedunt, qui tamen igne posteriores tempore non sunt. Nam eo ipso momento, quo ignis est, etiam splendorem et calorem emittit; nec unquam ignis sine splendore caloreque esse potuit, adeo ut si ignis esset æternus, splendor quoque esset æternus, et calor æternus. Itidem tam splendor quam calor procedens a sole, coævus est soli. »

« Incomprehensibilis illa generatio atque processio in Sanctissima Trinitate, sicut initium nunquam habuit, ita nec finem unquam habitura est. Si enim habuisset initium, vel si aliquando desineret, aliqua mutatio circa Divinitatem facta esset aut fieret, quod nullo modo fieri potest; nam Natura et Substantia divina est incommutabilis. Cum quælibet divina Persona sit perfectionis infinitæ, et quælibet aliam limpidissime intueatur, plenissimeque comprehendat, diligunt utique se invicem ipsæ tres Personæ amore jucundissimo, ardentissimo, prorsusque infinito. »

« Sed præstat de tanto mysterio aliquid intus experiri, quam ore multa dicere. Tu in his, quæ ratione et intellectu comprehendere nequis, fidem integram retinens, simpliciterque credens quod Catholica credit Ecclesia, humilitati atque amori da operam. » (Conclave animæ fidelis, cap. 10, § 2).

ARTICULUS II.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN S. TERESIA.

Sic ipsa, cum magna humilitate et pari sublimitate, narrat tres visiones, in quibus Deus ei revelavit, suam Veritatem ac Bonitatem, esse supremum Exemplar et Fontem omnis veritatis atque bonitatis.

Visio prima.

1095. — « Quadam die, nimiis deliciis in oratione affluens, et tali favore indignam me reputans, consideravi quanto magis merebar locum, qui fuerat olim mihi ostensus, et cujus aspectus, ut dixi, ex memoria mea nunquam deletur. Hæc cogitatio novo ardore me accendit, et mente ita fui rapta, ut excessum istum verbis exprimere non valeam. »

« Immersa atque absorpta in illa suprema Majestate, quam in aliis raptibus jam videram, cognovi aliquam Veritatem, quæ est cæterarum omnium complementum. Dicere non possum quomodo hoc factum est, quia nihil vidi. Tunc audivi hæc verba, quin loquentem viderem, sed intelligens ipsam Veritatem me alloqui: « Quod tibi nunc facio non est parva gratia, sed unus ex maximis favoribus, quos a me accepisti; omnes enim calamitates in hoc mundo accidentes, ex hoc proveniunt, quod homines clare non cognoscunt veritates in sacra Scriptura contentas, quarum tamen non est apex, qui non impleatur... Scisne, quid sit vere me diligere? Est recte intelligere, omne quod mihi displicet, non esse nisi mendacium. Hanc veritatem, quam modo non intelligis, aliquando clare cognosces ex profectu quem inde accipiet anima tua. »

« Horum verborum impletionem revera experta sum, et non poteram gratias Deo satis agere. Nam ab illa exstasi, dicere non valerem usquequo vanitatem et mendacium percipio omnium, quæ ad Dei famulatum non pertinent, et usquequo omnium misereor, qui hanc veritatem ignorant... Cognitio, quam de seipsa mihi contulit divina illa Veritas, modo ineffabili repræsentata meo intellectui, animæ meæ impressa permansit; penetravit me nova erga Deum reverentia, ejus Majestatem et potestatem tanta claritate mihi manifestando, ut exprimi nequeat; intelligitur tantum esse rem admirabilem. Ardenter optaveram non amplius loqui, nisi de istis veritatibus tam elevatis super omnia quæ hominum curas implere solent; et ab eo tempore me tæduit in mundo vivere... Licet modum ignorarem, quo Dominus tantis thesauris me ditaret, nec minime quidem timebam ne illuderer. Nihil vidi, sed cognovi quantum expedit nihil æstimare, nisi quod nos Deo propinquiores efficit; intellexi, quid sit ambulare in Veritate, coram Veritate, nimirum coram Christo Domino nostro, qui ipse est hæc Veritas, quemadmodum mihi manifestare Ei placuit. »

« Omnia ista lumina mihi communicata sunt, tum verbis ad me directis, tum modo incomprehensibili, quo sine verbis clarior adhuc intelligentia mihi infundebatur. De hac Veritate intellexi sublimissimas veritates, quas plures simul doctores me non docuissent; nunquam certe potuissent, ut opinor, illas veritates tam profunde in animam meam imprimere, nec tam clare mihi ostendere hujus mundi vanitatem. Hæc Veritas, quæ seipsam mihi revelare tunc dignata est, in se Veritas est; est sine initio, omnes veritates ab illa Veritate pendent, sicut omnes amores ab illo Amore, et omnes magnitudines ab illa Magnitudine. Quod de illa eloquor, ut sentio, obscurum est relate ad claritatem, qua Dominus hoc notum mihi facere voluit. O! quam mirabiliter elucet Potentia hujus Majestatis, quæ tam brevi tempore tantis ditat bonis, et tam sublimes veritates relinquit animæ impressas! O Magnitudinem! O Majestatem, quam meam appellare audeo! Quid facis, o mi dilecte Domine? Deus omnipotens, considera cui supremos hos favores elargiris! An igitur non memineris, me fuisse mendaciorum abyssum, ac vanitatum oceanum? Quomodo, mi Deus, quomodo potes tantum amoris et favoris excessum exhibere animæ, quæ his gratiis tantopere indignam se præbuit? » (Vitæ, cap. 40).

Visio secunda.

1096. — « Cum aliqua die orationi vacarem, in uno temporis momento mihi repræsentatum est, quomodo omnes res in Deo conspiciuntur, et continentur. Illas non in propriis formis aspiciebam, et tamen meus earum aspectus erat summe clarus; hanc visionem describere, prorsus impossibile mihi foret. Nihilominus vivide animæ meæ impressa permansit; una est ex insignioribus gratiis, quas a Domino acceperim, quæque magis profuerunt ad me humiliandam et confundendam in memoria peccatorum a me commissorum... »

« Dicam ergo Divinitatem esse velut adamantem summe translucidissimum ac limpidissimum, atque multo majorem mundo; seu velut speculum simile huic speculo, in quo anima mihi ostensa est in alia visione; solum Divinitas mihi revelata est modo incomparabiliter sublimiori, et sentio verba mihi deficere ad illum exprimendum. Singulæ actiones nostræ in hoc adamante conspiciuntur, quoniam nihil existere posset extra Magnitudinem omnia in seipsa continentem. Admiratio mea summa fuit, dum, in tam brevi temporis spatio, tot res viderem in hoc miro adamante repræsentatas; nec sine maximo dolore meminisse possem tetrarum macularum, quas peccata mea in hanc inenarrabiliter puram Claritatem imprimebant. Imo, quoties picta illa tabula mihi cogitanti objicitur, nescio quomodo hanc aspiciendo non succumbam... » (Ibidem).

Visio tertia.

1097. — « Vix ædem sacram ingressa, spiritu altissime rapta sum. Cœlum, cujus una tantum janua in aliis visionibus mihi fuerat aperta, totum nunc mihi patuit. Tunc mihi apparuit, Reverende Pater, thronus de quo tibi jam locuta sum; supra hunc thronum, alteram aspexi sedem, in qua Divinitatem sedere intellexi, quin aliquid viderem, et per ineffabilem quemdam cognoscendi modum. Hæc sedes fulciebatur symbolicis animalibus, quorum figuras explicari audieram, et eas putavi designare Evangelistas; sed videre non potui quomodo sedes facta erat, nec quis in ea sedebat. Solummodo vidi magnam angelorum multitudinem, qui mihi apparuerunt multo pulchriores angelis, quos antea in cœlo conspexeram. Existimavi illos esse Cherubim vel Seraphim, quia gloria eorum, sicut modo dixi, aliorum angelorum splendorem longe superabat, et quia toti accensi videbantur. Cœlestis Beatitudo, qua perfundebar, exprimi nequit; est enim res ineffabilis, quæ nec concipi potest, nisi sentiatur. Intellexi, omne bonum quod optari potest, ibi reperiri, et tamen nihil videbam. Mihi dictum fuit, nescio a quonam, quod tunc unice poteram intelligere, me nihil intelligere posse; et quod poteram considerare quomodo cunctæ res creatæ purum nihilum sunt, si huic invisibili Bono comparentur. Et revera, ab eo tempore, confusione replebar solum cogitando, me adhuc posse, non dico diligere quidquam creatum, sed creaturas vel respicere; nam mundus nonnisi formicarum nidus esse mihi apparebat. » (Vitæ, cap. 29).

ARTICULUS III.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN S. JOANNE A CRUCE.

1098. — Mystica ejus doctrina tota consistit in supernaturali hominis intellectus, memoriæ ac voluntatis *transformatione* in Deum per tres habitus infusos fidei, spei et charitatis. Hæc autem transformatio supponit *privationem* objectorum naturaliter informantium tres illas potentias intellectuales, et potentias sensitivas, quibus potentiæ nostræ intellectuales prævie utuntur ad agendum. Privatio ista in potentiis sensibilibus, a S. Joanne nuncupatur *nox sensuum*, et privatio in potentiis intellectualibus, vocatur *nox spiritus*, quæ duplex est, secundum quod obscuratur mens, sive in rationis discursu, sive in simplici primorum principiorum intuitu. Exemplar, quod in transformatione nostra imitari debemus, est Christus voluntarie omnibus privatus.

Effectus transformationis est sublimis contemplatio in intellectu, et mystica unio cum Deo in voluntate, quibus perficitur in anima nostra supernaturalis imago divinæ Trinitatis. Unde tota hæc doctrina reducitur ad Exemplarismum supernaturalem.

Audiamus quomodo sanctus auctor in suis Canticis spiritualibus explicet 1°) prædictam transformationem; 2°) effectum ejus.

§ 1.

De mystica animæ transformatione.

Anima non substantialiter quidem, sed accidentaliter ac supernaturaliter in Deum transformatur: 1°) triplici naturalium potentiarum suarum mortificatione; 2°) trium virtutum theologicarum exercitio; 3°) triplici privatione omnium rerum, quæ non sunt Deus; 4°) imitatione Jesu Christi omnibus rebus privati.

I.

De triplici potentiarum nocte, seu mortificatione.

1099. — In initio *Ascensus Carmeli*, lib. 1, cap. 2, auctor explicat primum versum primi Cantici, in quo anima, Dei sponsa futura, sic loquitur:

> « *In nocte obscura,*
> *Anxio amore inflammata,*
> *O faustam fortunam!*
> *Exii quin aspicerer,*
> *Tranquilla manente casa mea.* »

« *In nocte obscura.* Transitus quo anima ad divinam unionem tendit, *nox obscura* nuncupatur triplicem ob causam. *Prima* desumitur ex termino, a quo discedit anima, ut accedat ad Deum suum; passiones suas privare debet gaudio rerum quas possidet, quod facere nequit nisi eis renuntiando; hæc autem renuntiatio est quasi nox, respectu passionum et sensuum hominis. *Secunda* causa desumitur ex medio seu via, per quam anima ad divinam unionem tendit; hæc via est fides, quæ oculis nostris obscura videtur. *Tertia* causa desumitur ex termino ad quem pervenire prætendit anima, et quia nullus alius est quam ipse Deus; et quia Deus supra creaturas infinite elevatur, obscura nox dici posset relate ad animam in præsenti vita degentem. Quicumque igitur ad divinam

unionem pervenire cupit, per tres illas noctes transire debet. »

« Harum noctium figura in libris sacris invenitur. Angelus, qui juvenem Tobiam gubernabat, jussit eum ab uxore sua continenter abstinere per tres dies et tres noctes; atque fel piscis quem ceperat, cremare. Ex quibus *primum* edocemur, cor passionibus obnoxium, ac creaturarum dilectione correptum, purgandum esse ab ista dilectione, atque divino Amore consumendum, ut ad Deum moveatur; qua in purgatione ejicitur spiritus malignus, tyrannidem suam exercere solitus in animas quæ creaturarum vincula nondum ruperunt. — Angelus ad Tobiam dixit, eum *secunda nocte* recipiendum fore in sanctorum Patriarcharum societatem, qui sunt nostri patres in fide; similiter anima, postquam primam noctem transiit, abstinendo se ab objectis sensus delectantibus, secundam noctem ingreditur; tunc enim versatur in fide nuda et simplicissima, cujus lumina et ductum unice sequitur. — *Tertia nocte*, angelus Tobiam certiorem fecit de benedictione, quam acceptu-rus erat, et quæ Deus est. Sic Deus, per secundam noctem, quæ fidem figurat, modo tam secreto sese animæ communicat, ut Ipse ei sit tertia nox, primâ et secundâ obscurior. Transacta autem hac tertia nocte, seu peracta hac Dei communicatione, licet anima tenebris obtecta sit, statim sponsæ unitur, quæ divina Sapientia est. Et quemadmodum angelus juveni Tobiæ declaravit, illum tertia nocte fore uxori suæ in timore Domini uniendum; ita Domini timor, quando ultimam perfectionem suam obtinuit, divino Amori conjungitur, et tunc anima in Deum suum amore transformatur. Sed ut noctes istæ clarius intelligantur, de earum causis singillatim tractabimus *(in sequentibus Capitibus)*. »

« Verumtamen observandum est, tres illas noctes, proprie loquendo, non esse nisi unicam noctem in tres partes distinctam. *Prima nox*, nempe sensuum, comparatur primæ parti noctis naturalis, in qua tollitur nobis visus sensibilium objectorum. *Secunda*, quæ fidei nox est, mediæ nocti assimilatur, in qua nihil aspicitur. *Tertia*, quæ Deus est, assimilatur ultimæ parti noctis vel potius auroræ, cui immediate succedit lumen solis. »

II.

De tribus virtutibus theologicis, quarum exercitio efficitur nox spiritus.

1100. — « Quoniam dicere cogor modum, quo in spiritualem noctem introducuntur tres animæ potentiæ: intellectus, memoria et voluntas, ostendere necesse est quomodo tres virtutes theologicæ, per quas anima divinam unionem acquirit, nuditatem et obscuritatem singulæ producunt in singulis potentiis; videlicet fides in intellectu, spes in memoria, et charitas in voluntate. Dicemus insuper, quomodo intellectus perfici debet in tenebris fidei; memoria, in vacuitate et exspoliatione spei; voluntas, in nuditate amoris, ut anima ad Deum transire possit. Quod fit sequenti modo. »

« *Fides* nobis credenda proponit mysteria, quæ intellectus concipere nequit virtute rationis suæ naturalisque luminis. Itaque S. Paulus eam vocat: *Sperandarum substantia rerum* (Hebr. 11, v. 1). Et quamvis intellectus mysteriis adhæreat magna cum certitudine ac firmitate, ea tamen non penetrat, nec clare cognoscit; nam si de illis haberet claram evidentemque notitiam, fides non esset fides, quia licet nobis infundat lumina vere certissima, hæc tamen lumina semper obscuritate admixta sunt. »

« Nec dubitandum, quin similem effectum *spes* in memoria causet, eam evacuando ab omnibus rebus, quæ præsentem vitam spectant atque futuram; etenim non speramus nisi quod nondum possidemus; quod si possideremus, hoc non amplius speraremus. *Spes* enim *quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* (Rom. 8). Igitur hæc virtus memoriam in obscuritate retinet, omnibus illam privando. »

« *Charitas* quoque voluntatem nostram ab omnibus exspoliat creaturis, amorem nostrum solvendo ab omnibus quæ non sunt Deus, vel ab omnibus quæ non unice propter Deum diligimus, et Deo nos uniendo vinculis purissimi perfectissimique amoris. Hoc docet Dominus noster Jesus Christus, dicens: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat*, saltem affectu, *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, v. 33). »

« Inde manifestum est, fidem, spem et charitatem constituere animam in obscuritate, et in omnium rerum creatarum nuditate. Optime figurantur tribus panibus, quos media nocte amicus quidam ab amico suo petitum ivit, sicut in aliqua parabola narrat Dei Filius. Ex hac enim edocemur, animam nostram debere potentias suas in tenebris servare, ut dum in tenebris versatur, tres virtutes illas acquirat, et in ultima perfectione possideat... »

« Oportet igitur, ut tres spirituales animæ nostræ potentias disponamus ad theologicas virtutes acquirendas, intellectum nostrum in fide firmando, memoriam a creaturarum delectatione revocando, et in voluntate divinum Amorem accendendo. Atque sic potentias separando ab omnibus, quæ cuilibet harum virtutum non conveniunt, eas in perfecta obscuritate stabiliemus. »

« En noctem spiritualem, quam activam nuncupavimus, quoniam anima omnia, quæ potest ex parte sua, facit ut in eam sese introducat. Cæterum medium in eam ingrediendi, quod modo explicavimus, optimum est ac tutissimum, ut a dæmonis fraudibus præservemur, atque ab amore proprio et vitiis liberemur. Proprius ille amor viros spirituales subtiliter decipit, eosque impedit quominus in virtute progrediantur; quia non possident secretum sese a creatis rebus separandi, et juxta tres virtutes illas gubernandi, ita ut nunquam bona spiritualia purissime sapiant, nec in perfectione progrediantur per viam tam brevem et directam, quam inire possent. Quod hîc dicimus spectat non incipientes, pro quibus longius scribemus, sed eos qui ad contemplationis statum jam pervenerunt. » (Ascens. Carm., lib. 2, cap. 6).

III.

De triplici gradu privationis, qua anima ab omnibus, quæ non sunt Deus, evacuatur.

1101. — Ut evidentius appareat S. Joannem a Cruce, omnia divinæ transformationis media reducere ad *privationem* omnium quæ non sunt ipse Deus, sequentia carmina transcribemus, in quibus auctor compendiose redegit totam suam de noctibus, seu de mortificatione doctrinam. In quatuor primis versibus, docet privationem *affectivam;* in quatuor sequentibus docet privationem *effectivam*, qua mediante, anima realiter transmutatur, seu transit in Deum; in quatuor ultimis docet privationem *totalem*, qua anima totaliter transmutatur in Deum, seu a toto creato transit ad totum Increatum, in quo requiescit.

1. « *Ad omnia gustanda* (per divinam Sapientiam), *nihil gustes* (quod non est Deus).
Ad omnia scienda, nihil scire cupias.
Ad omnia possidenda, nihil possidere desideres.
Ut sis omnia, nihil in omnibus esse velis. »

2. « *Ut pervenias ad ea quæ non gustas, transire debes per ea quæ non gustas.*
Ut pervenias ad ea quæ nescis, transire debes per ea quæ nescis.
Ut habeas quæ non possides, transire debes per ea quæ non possides.
Ut fias quod non es, transire debes per ea quæ non es ».

« Media non impediendi totum: »

3. « *Quando in quodam particulari sistis, te in totum proficere desinis.*
Nam ut transeas a toto ad totum, tibi renuntiare debes a toto ad totum.
Et quando ad totius possessionem perveneris, hoc retinere debes nihil volendo.
Nam si quoddam in toto habere velis, thesaurum tuum pure in Deo non habes ».

« In hac denudatione, spiritus requiem suam invenit; nam nihil amplius desiderando, nec ad magna nec ad parva inclinatur, quia permanet in humilitatis suæ centro. Sed contra, si minimum cuperet, statim ex hac cupiditate doleret. » (Ascens. Carm., lib. 1, cap. 13).

IV.

De Jesu omnibus privato, quem in triplici nocte mystica imitari debemus.

1102. — « Verus progressus noster in vita spirituali non consistit nisi in imitatione Jesu Christi, qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me* (Joan. 14, v. 6). — *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur* (Ibid., 10, v. 9). Itaque credere non possum, hunc a bono spiritu impelli, qui ad Deum transire intendit per consolationes ac per media facilia et commoda, nec vult Salvatoris nostri vestigia premere. Et quoniam dixi, Filium Dei esse viam, et hanc viam nihil esse nisi naturæ mortificationem in omnibus, quæ sensus et spiritum spectant, nunc exponam quomodo sic mori debemus, Dominum imitando, qui nostrum Exemplar est et Lumen. »

« Primo certum est, Jesum Christum, dum in terra vivebat, spiritualiter mortuum fuisse sensitivæ parti animæ suæ, donec mors naturalis ipsum totaliter ab ea in cruce privaverit. Etenim, sicut ipse dicit apud S. Matthæum (8, v. 20), non habebat ubi caput reclinaret, tanto mortuus erat omnibus, quæ sensus oblectare possunt. »

« Secundo, spirituali ac superiori parti animæ suæ pariter mortuus erat per continuam abnegationem, quam potissimum ante mortem suam naturalem attestatus est, quando derelictionem suam manifestavit verbis dolore plenis (Matth. 27, v. 46). Nam cœlestis ejus Pater omnibus consolationibus internis eum privaverat, atque in extrema cordis amaritudine demerserat. Sed quum ista derelictio fuit maxima quam unquam expertus est, ideo hoc quoque tempore maximum opus perfecit quod unquam excogitari possit, videlicet Redemptionem omnium hominum, eorumque cum Deo reconciliationem. Imo magnum illud opus consummavit eo ipso tempore, quo perditus erat, et velut ad nihilum redactus in æstimatione Judæorum, qui hunc in cruce morientem videntes, tanquam miserrimum virum eum habebant ac deridebant. Ita mors Christi, et contemptus quo afficiebatur, tunc videbantur eum exinanire. »

« Ipse Pater Jesu Christi, omnem consolationem ab eo auferendo, hunc aliquo modo ad ni-

hilum redigere visus est, ut mundi Redemptor ita derelictus et exinanitus, exactissime persolveret generis humani debita. »

« Hoc viris spiritualibus revelat mysterium *Ostii et Viæ* per quæ transire debent, ut perveniant ad divinam unionem; ita ut quanto magis erunt exinaniti secundum animalem et rationalem animæ partem, tanto intimius Deo unientur, ac tandem sublimissimo potientur statu, ad quem in hac vita perveniri potest. Ergo eminens illa perfectio invenitur in voluntaria ac spirituali morte sensuum et spiritus, interioris hominis et exterioris; non autem in gustibus et deliciis, quæ rerum divinarum contemplatio in animam fundere potest. (Ascens. Carm., lib. 2, cap. 7.)

§ II.

De mysticæ transformationis effectu.

Effectus transformationis supernaturalis sunt *in mente* sublimis divinorum opificiorum atque ipsius Dei contemplatio, et *in voluntate* perfecta cum divina Voluntate conformitas.

I.

De contemplatione pulchritudinis mundi animam in Deo transformatam elevante ad amorem pulcherrimi omnium Exemplaris.

1103. — Hanc jucundam contemplationem celebrat sanctus poeta in Canticis 4 et 5, quæ in hoc Articulo conjungimus.

1°) Canticum quartum.

« O sylvas et opacitates
Plantatas per manum dilecti mei!
O pratum perenniter virens,
Floribus variis conspersum!
Dicite an per vos transiit Sponsus meus. »

« Exercitium cognitionis suiipsius est initium cognitionis Dei. Ad hanc propriæ cognitionis viam ingrediendam, necesse est mundi divitias ac voluptates contemnere, atque dæmonis tentationes et mortificationis molestias superare. Anima supra declaravit se fortiter rupisse omnia hæc obstacula. Nunc dicit se primum elevandam esse per creaturarum contemplationem ad Creatoris cognitionem, in eis considerando ejus Magnitudinem et Excellentiam. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi*, ait S. Paulus, *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus Virtus et Divinitas.* Itaque in hoc Cantico, anima creaturas alloquitur, easque de divino Sponso suo percontatur; vel juxta S. Augustini doctrinam, ad Deum suum cognoscendum, considerat elementa, cœlos, cœlestes intelligentias, omnes res corporales et spirituales. »

« O sylvas et opacitates! »

« *Sylvæ* designant elementa: terram, aquam, aerem et ignem. Quemadmodum sylvæ componuntur mira densissimarum arborum varietate, sic elementa replentur multis diversisque creaturis. Quapropter anima elementa nuncupat *opacitates;* innumera enim datur multitudo specierum et differentiarum animalium in terra, piscium in mari, avium in aere; et ignis inservit ad vitam eis tribuendam et conservandam. Ita quælibet animalium species in suo vivit elemento, in quo velut in sylva plantatur arbor; ibi nascitur et pascitur. Sic varias species disposuit Deus, quando creavit eas, terram jubendo ut animalia produceret; mare et aquas, ut producerent pisces; aerem ut esset consuetus avium locus. Anima autem cunctas res videns universi mundi, solo Dei imperio creatas, statim adjicit: »

« Quæ plantatæ estis per manum Dilecti mei. »

« Considerat enim, solam Dilecti sui manum esse Opificem tot creaturarum tam variarum et tam excellentium. Nam licet Deus plura per manus angelorum operetur, sola tamen manu sua usus est in opere Creationis. Et hæc consideratio mirum erga Sponsum amorem in corde sponsæ accendit. Tunc addit: »

« O pratum perenniter virens! »

« Cœlum contemplatur tanquam pratum semper viride, nam sidera in eo contenta pulchritudinem suam æterne conservabunt, velut amœnam viriditatem justos recreaturam. Ipsa Ecclesia, in precibus quas pro fidelibus fundit, viriditatis vocabulo utitur, ut quamdam sensibilem æternæ felicitatis imaginem nobis ingerat. *Oramus*, inquit, *ut constituat te Christus, Filius Dei vivi, intra paradisi sui semper amœna virentia.* Anima pergit: »

« O pratum perenniter virens, floribus variis conspersum. »

« His floribus indicat angelos et Beatos, quibus ornatur sanctus ille locus, sicut vas pretiosum auro gemmisque decoratur. »

« Dicite an per vos transiit Sponsus meus. »

« Illa quæstio non continet nisi hunc sensum: Dicite quales perfectiones Creator vobis largitus est. »

2°) Canticum quintum.

« Mille gratias spargendo Sponsus tuus
Transiit per has sylvas cum festinatione,
Easque respiciendo
Sola Facie sua,
Ornatas reliquit sua Pulchritudine. »

« In hoc Cantico, creaturæ respondent præcedenti interrogationi animæ, et earum responsio reddit ei, dicit S. Augustinus, invictum perfectionum Dei testimonium. Breviter enim testantur, Deum infinite bonum et magnum, ex nihilo atque uno temporis momento cunctas produxisse creaturas, eis impressisse aliqua magnalium suorum vestigia; eas ditasse donis suis et qualitatibus, quibus naturaliter indigebant; eas inter se mirabiliter ordinasse, atque inviolabilem aliarum ab aliis dependentiam statuisse, ut mutuam illarum unionem conservaret. Sapientia Dei, quæ Verbum æternum est, magnum illud opus direxit, et Potentia ejus hoc exsecuta est. Dicit igitur : »

« Mille gratias spargendo. »

« Per has gratias significatur creaturarum numerus quasi infinitus. Divina beneficia vocantur gratiæ, quia mundus universus eis impletur et ornatur. »

« Transiit per has sylvas cum festinatione. »

« Hoc non designat, respectu Dei, nisi creationem elementorum, quæ vocantur sylvæ; et Deus dicitur per ea transeundo, sive illa creando, mille gratias in ipsa sparsisse, quoniam elementa decoravit omnibus creaturarum pulchritudinibus. His adjecit virtutem generativam, ut individuorum productioni et specierum conservationi cooperarentur. Deus pertransiisse tantum asseritur, quoniam creaturæ non sunt nisi pedum ejus vestigia, quæ ipsius Magnitudinem, Potentiam, Sapientiam aliasque perfectiones nobis manifestant. Transitus ille magna cum festinatione factus est, quia creatæ substantiæ sunt minimum Dei opus, quum illas produxerit in instanti, et quasi transeundo. Mysteria Incarnationis Verbi, fidei christianæ et reliqua, sunt maxima excellentissimaque Dei opera; hæc enim operatus est cum profundiori consilio, et cum evidentioribus Potentiæ suæ testimoniis. »

« Easque respiciendo
Sola Facie sua,
Ornatas reliquit sua Pulchritudine. »

« Filius Dei est, juxta S. Pauli verba, *splendor gloriæ et figura Substantiæ ejus* (Hebr. 1, v. 3). Deus per Filium suum respexit omnia opificia sua; per eum ipsis tribuit existentiam, naturam, naturales qualitates ea perficientes, ut in Genesi a Moyse narratur: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (Gen. 1., v. 31). »

« Deus, per suum quoque Filium, creaturis communicavit esse supernaturale, quando imaginis sui characterem impressit in hominem, quem usque ad similitudinem suam elevavit. Jamvero omnes creaturæ, quum in homine contineantur, hunc honorem cum illo participant. Idcirco dixit Jesus Christus: *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* (Joan. 12, v. 32). Igitur Deus Pater omnes creaturas glorificavit in mysterio Incarnationis et Resurrectionis Filii sui. »

« Anima, in contemplationis suæ ardore ac lumine, cognoscit insuper abundantiam divitiarum et pulchritudinum, quibus Deus creaturas gratificavit; et clare videt, omnia ista bona fluere ex infinitis thesauris atque ex supernaturalibus Filii Dei pulchritudinibus. Novit præterea, Deum, Christi causa, aperire manum suam, ut loquitur Propheta, et implere omne animal benedictione (Psal. 144, v. 16)... »

II.

De humanæ voluntatis cum Voluntate divina conformitate, per quam perficitur in anima unio cum Deo, et divina similitudo.

1104. — Hanc conformitatem docet sanctus auctor in Ascens. Carm., lib. 2., cap. 5 et 6, in quibus legitur: « De aliis unionibus taceo, et hoc loco non loquor nisi de totali ac permanenti animæ unione secundum substantiam, et de potentiarum ejus unione cum Deo, quantum ad habitum, et non ad actum illius unionis. »

« Jamvero prædicta unio causatur, non per substantialem Dei præsentiam in omnibus creaturis, qua res in esse conservantur, sed per amorem, qui animam in Deum transformat, ita ut fiat amoris similitudo inter Deum et animam. Itaque appellatur unio similitudinis, quia voluntas animæ et Voluntas Dei tam similes ac uniformes sunt, ut anima velit quæcumque vult Deus, et non velit quæcumque Dei Voluntati non conformantur. »

« Hæc intelliguntur, non tantum de rebus quæ divinæ Voluntati contraria sunt secundum actus, sed etiam de iis quæ illi opponuntur secundum habitus. Sic anima vitare debet voluntarios actus cujuscumque imperfectionis, et eorum habitus, quos contraxit, exstirpare. Et quia nulla creatura potest, sive per suam actionem, sive per suam capacitatem, Deum attin-

gere, anima privari debet omnibus creaturis, omnibus actionibus suis, omnibusque capacitatibus, nempe suâ scientiâ, suâ intelligentiâ, suo sensu et omnibus rebus, quæ divinæ Voluntati sunt alienæ, ut Deo assimilari possit, et nihil habens quod non sit secundum Dei Voluntatem, tota in Ipsum transformetur. »

« Sed animadvertere oportet, hanc unionem ac transformationem differentes habere gradus, secundum differentes gradus amoris animarum, quæ Deo uniuntur et in Eum transformantur. Etenim hæ plures habent amoris gradus; illæ, pauciores habent; aliæ Deum diligunt totis suis viribus; et consequenter hæ voluntatem habent magis conformem Dei Voluntati; illæ, minus conformem; aliæ, totaliter et sine ulla restrictione conformem. Itaque Deus singulis earum sese communicat secundum istam amoris et conformitatis cum sua Voluntate differentiam, illasque supernaturaliter in se transformat plus minusve perfecte... Sic animæ divino lumine plus minusve replentur, et plus minusve clare Deum intuentur, quemadmodum Beati hunc plus minusve distincte vident in cœlo; quod eos non impedit quominus contenti sint, sicut et viatrices animæ valde contentæ sunt in hac diversitate unionis et transformationis, atque in supernaturalis illius favoris inæqualitate. Illæ tantum non contentæ sunt, quæ omnibus rebus non exspoliantur, quia nunquam perveniunt ad puram simplicemque cum Deo unionem, sine qua plane contentæ esse nequeunt. »

III.

De anima transformata, et Deo assimilata.

1105. — 1°) Hæc anima seipsam intuetur pulchram divina Pulchritudine, et divinæ Sapientiæ mysteria altissime contemplatur.

Sanctus poeta, divino amore afflatus, dilectum suum sic alloquitur in *Canticis 36 et 37:*

« Gaudeamus, o Dilecte,
Pergamus ad nos videndos in tua Pulchritudine,
Ad montem sive ad collem,
Unde fluit unda pura;
Ingrediamur interius in profundum;
Et statim simul ad sublimes
Cavernas petræ ibimus,
Quæ sunt valde absconditæ;
Et in eas intrabimus,
Et mustum granatorum gustabimus. »

In horum carminum explicatione, auctor ipse docet, ibi agi de supernaturali contemplatione divinæ Pulchritudinis, primo in seipsa, ac deinde in divinis operationibus naturæ, gratiæ et gloriæ. Opera gratiæ sunt præcipue abscondita Jesu Christi mysteria. Sufficiet nobis transcribere commentarium versuum 2, 3, 4 et 10.

« Pergamus ad nos videndos in tua Pulchritudine ».

« En sensum horum verborum: Si me in tuam Pulchritudinem transformes, in tua Pulchritudine te videbo, et vicissim me videbis; teipsum in me videbis in tua Pulchritudine, et meipsam in te videbo in eadem Pulchritudine tua. Hac igitur transformatione, in tua Pulchritudine ego videbor esse tu, et tu esse ego videberis; tuam Pulchritudinem esse meam, et meam esse tuam apparebit; atque in tua Pulchritudine unum tecum esse videbor, et tu videberis unum esse mecum. Hæc omnia fiunt in adoptione filiorum Dei, qui revera dicere possunt, quod Jesus Christus Patri suo dicebat: *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt* (Joan. 17, v. 10). Sed magna hæc differentia intercedit, quod Jesus Christus omnia, quæ sunt Patri suo, habeat per divinam Essentiam suam; filii autem adoptionis hæc non habeant, nisi per divinam participationem. »

« Ad montem sive ad collem. »

« Divina sponsa sub *montis* vocabulo, intelligit cognitionem Dei in Verbo suo, quod est Sapientia essentialis et infinita; et sub voce *collis* exprimit Dei cognitionem in operibus ejus, quæ cognitio accidentalis est et crassior. Sponsum suum rogat, ut ei impertiri dignetur utramque cognitionem istam: priorem, quæ respicit Pulchritudinem ejus Essentiæ, naturæ et perfectionum; alteram, quæ spectat pulchritudinem ejus mysteriorum et rerum creatarum; ut ipsa Sponso suo assimiletur, quantum in hac vita potest. »

« Unde fluit unda pura. »

« Sponsa ulterius per *undam puram* exprimit divinam cognitionem, a sensibilibus imaginationis phantasmatibus purgatam, et ab ignorantiæ tenebris liberatam. Quanto enim Deum plus diligit, tanto divinas veritates clarius cognoscere exoptat. Itaque subjungit: *Ingrediamur interius in profundum.* »

« Et mustum granatorum gustabimus. »

« Mala granata repræsentant altissima Dei mysteria, profundissima nempe illius judicia, sublimissimasque magnitudines. Etenim *grana* hujus mali figurant innumerabiles perfectionum divinarum effectus *(in divina Essentia sicut in causa contentos).* Rotunda granati forma designat Dei Æternitatem, quæ velut circulus, initio et fine caret. *Mustum* granatorum, gaudium significat, quod per suam cognitionem suumque amorem habet anima de Dei Natura et attributis, atque mirabilem delectationem, quam ex

hoc Dei gustu percipit. Suavissimum illud poculum Deo propinat, sicut sponsa in Canticis Sponso suo idem offert. *Ibi*, inquit, *me docebis, et tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum* (Cant. 8, v. 2). Dicit *granata sua*, quia hæc illi dedit Deus tanquam propria, et sponsa Deo eadem retribuit tanquam ea possidens. Sic sponsus hoc poculum sponsæ propinat, quæ vicissim idem poculum sponso suo præbet, ita ut potus sit utrique communis. »

2°) Idem argumentum canere pergit S. Joannes a Cruce in Canticis 38 et 39.

« *Ibi mihi manifestabis*
. . . . . .
Halitum aeris,
Cantum dulcis Philomelæ,
Sylvam ejusque amœnitatem,
In nocte serena,
Cum flamma quæ consumit, et non affligit. »

Auctor *sylvam ejusque amœnitatem in nocte serena* sequentibus verbis explicat: « Quanta res, de qua loquitur sponsa, est amœna sylva! Per *sylvam* exprimere intendit Deum, cum omnibus creaturis suis, quas in se continet. Etenim, quemadmodum arbores magnæ sylvæ, plantatæ sunt et vivunt in sylvæ illius profunditate, sic creaturæ in Deo radicantur et vivunt, ita ut anima in Deo illas cognoscat tanquam in Causa existentiæ et vitæ ipsarum, nec curat res creatas cognoscere extra Creatorem. »

« Præterea videre cupit pulchritudinem et *amœnitates* hujus sylvæ, scilicet illecebras, quas a Deo acceperunt, et pulchritudinem quam eorum dispositio, mutua relatio et universa harmonia in cœlo atque in terra constituunt. Idcirco sponsa Deum in operibus suis cognoscit cum mira delectatione. »

« *In nocte serena.* Hæc nox est contemplatio, in qua sponsa desiderat creaturas in Deo videre. Nam contemplatio est obscura sicut nox; quapropter appellatur Theologia mystica, sapientia, secreta Dei scientia; quoniam in ea Deus animam docet modo secreto et abscondito, sine sensuum ministerio, in profundo silentio, in quiete ac tenebris noctis spiritualis; ita ut anima nesciat quomodo supernaturales istæ operationes in seipsa fiant, atque ut intellectus divinas cognitiones accipiat tantum, quin prius imaginariis speciebus utatur. »

ARTICULUS IV.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN LUDOVICO GRANATENSI.

Libri ejus magnis laudibus honorati sunt a Gregorio XIII, in Epistola ad auctorem scripta. Fuerunt præterea valde commendati et frequenter citati a S. Carolo Borromæo, a S. Francisco Salesio aliisque eximiis scriptoribus. Pauca ex eis transcribemus: 1°) de Pulchritudine Dei, qui est mundi Artifex et Exemplar; 2°) de pulchritudine mundi, juxta Deum exemplati; 3°) de pulchritudine minoris mundi, juxta Deum exemplati.

§ I.

De Pulchritudine Dei, qui est mundi Artifex et Exemplar.

1°) Deus, inquantum est mundi Artifex, æternam mundi ideam in Mente intelligit atque intendit. 2°) Deus, inquantum est supremum omnium rerum Exemplar, est prima earum Mensura, Causa, Unitas, Bonitas et Pulchritudo, quas imitatione participant. 3°) Quantum diligendus est Deus infinite perfectus.

I.

De mundo intelligibili in Mente divini Artificis.

1106. — In Memoriali vitæ christianæ, tractat. 7, cap. 2, n.° 1, T. 12 oper., Granatensis Deum sic ardenter alloquitur: « Diligam te, Domine, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis, sicut Ipse mihi præcipis; et cæterum, cum sis infinite perfectus, infinitum mereris amorem. In te solo comprehendis omnes creaturarum perfectiones ac pulchritudines. Cuncta enim quæ in diversis partibus admiramur pulchri hujus universi, uno verbo a te creati, in te existunt, et quidem in gradu infinite superiori... Idcirco aliqui philosophi recte asseruerunt, te melius comparari non posse, nisi mundo cujus Creator es, dummodo tamen illum exspoliemus ab omni quodcumque habet materiale ac imperfectum; quidquid autem perfecti possidet, in te transferamus. Quando statuam nominamus hominis imaginem, nullatenus loqui intendimus de lapide, ex qua facta est; sed de forma, qua ornatur; similiter, quando mundum nuncupamus tuam imaginem, ab eo materialitatem imperfectionemque abstrahimus, et hoc solum tibi attribuimus, quod in eo perfectum

est. In eodem sensu affirmamus, mundum inter omnia quæ sunt, propius ad te perfectione sua accedere, nam cunctæ pulchritudines, quibus decoratur, in te inveniuntur modo infinite superiori. »

« Ita, Domine Deus, tu es mundus perfectionum et pulchritudinis; mundus sapientiæ et omnipotentiæ; mundus bonitatis, suavitatis, justitiæ, misericordiæ et omnimodarum divitiarum... Homo appellatur *minor mundus*, quia immensi hujus universi compendium est; sed te, Domine, nominare possumus magnum et *maximum mundum*, quoniam ex te processit visibilis hicce mundus; ille effectus est, et tu es Causa; est opificium, et tu es Artifex. Quapropter omnia quæ in eo sunt, in te sunt; cum hac tamen differentia, quod omnia in illo imperfecta sunt, cum ipse ex nihilo sit productus, dum in te, Creatore ac Omnipotente, omnia perfecta sunt. In mundo visibili, cunctæ res existunt modo corporali et corruptibili; in te autem existunt modo spirituali, æterno et divino; omnia in te, o mi Deus, Deus est. »

« Ex Magnitudine tua exiit hujus universi parvitas; ex Pulchritudine tua suam hausit pulchritudinem; ex divitiis tuis, suas divitias; ex perfectionibus tuis, suas perfectiones; licet ille sit visibilis, et tu sis invisibilis; ille temporalis, et tu æternus. Si ex nihilo factus est quoad materiam, idem dici nequit quoad exemplar; nam productus est juxta exemplares formas, quæ in te existebant. Quemadmodum plantæ semen totam plantam mirabili secretaque ratione continet, sic tu, mundi universi Creator et Artifex, universum comprehendis, quem tu creasti. Solum planta est in semine tanquam in sua causa materiali, modo confuso et imperfecto, sicut littera in atramento, vel domus in materiis ad ædificandum idoneis. Sed mundus universus in te est, tanquam in Causa efficiente et exemplari, ita ut in te sit modo perfectiori et distinctiori, quam in seipso. »

« Et si magna parvis componere liceret, Intelligentiam tuam, o mi Deus, compararem officinæ ingentis typographiæ, in qua, præter opificem, qui prelo præest, inveniuntur typi litterarum omnis formæ omnisque dimensionis. Etenim ex tua Mente, Domine, velut ex regia quadam typographia, revera prodiit liber universi mundi; quoniam in tuo Intellectu reperiuntur, non tantum Potentia quæ dat esse omnibus rebus, sed etiam formæ et species infinitæ varietatis, juxta quas exemplatæ sunt formæ et figuræ rerum visibilium, sicut et invisibilium. Et nihilominus formæ illæ nullam multiplicitatem in te constituunt, quamvis creaturæ diversimode illas participent, nam istæ formæ confunduntur in absoluta Essentiæ tuæ simplicitate. Nulla igitur est creatura, cujus exemplarem formam in teipso non possideas. Hæ sunt ideæ, quas in divina Mente tua ponunt philosophi; juxta illas ideas, sive illos typos, pulcherrimus hicce mundus creatus est; et mille alios mundos cum eadem facilitate creare potuisses, quum in te habeant omnes suum typum, suumve exemplar... »

« Diligam te ergo, Domine; et si non tantum quantum mereris, saltem quantum mihi in hac vita possibile est! Diligam te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota virium mearum fortitudine!... »

II.

De Deo, prima omnium rerum Mensura, Causa, Veritate, Bonitate et Pulchritudine.

1107. — 1°) « Diligam te, Domine, quia tu es omnium rerum Speculum, Regula, et, sicut ait quidam philosophus, omnium substantiarum *Mensura*. Quanto enim aliqua substantia tibi appropinquat, ac abundantius tuum Esse participat, tanto ejus natura nobilis est atque perfecta. In ultimo gradu jacent creaturæ, quæ solum esse habent, puta elementa. Superius elevantur creaturæ vita præditæ, sicut plantæ; dein creaturæ sensu præditæ, ut animalia; postea creaturæ intelligentiam et sapientiam possidentes, ut homines; denique super omnes alias sublimantur creaturæ, quæ sunt in statu gratiæ et charitatis. Illæ enim tibi propinquiores sunt, o mi Deus, et Bonitatem tuam abundantius participant. *Deus charitas est*, ait discipulus quem diligebat Jesus, *et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (1. Joan. 4, v. 16). »

« Diligam te, Domine, quia universalis es *Causa*. Hæc veritas philosophis sola ratione innotuerat. Intelligebant, esse absurdum excogitare causarum catenam indefinite ab invicem procedentium; intelligebant, terminum huic progressioni esse assignandum, ac tandem perveniendum esse ad primam Causam, quæ aliis communicet motum et causalitatem. Sic in horologio motor omnes rotas movet; sic reipublicæ dux aliis præpositis præscribit agendi modum et officia. » (Ibid., n.° 2).

2°) « Deus est *prima Veritas*, a qua procedunt omnes veritates; est *prima Causa*, omnibus rebus tribuens earum virtutem et motum; est *prima Bonitas*, ex qua fluit omne bonum, est *prima Pulchritudo*, ex qua oritur omne pulchrum; prima et *suprema Perfectio*, in qua omnes creaturæ suarum perfectionum principium invenerunt; nam cunctas perfectiones istas

in se continet, sed in gradu supereminenti, cum omnibus perfectionibus infinitis, quæ ipsi propriæ sunt. » (Introd. ad Symbol., part. 2, cap. 4, T. 14 opp.).

3°) « Si pulchritudo eminet inter omnes amoris causas, quomodo te non diligerem, o mi Deus, qui omnis pulchritudinis Fons es? Tu es Pulchritudo mundi; et omnibus creaturis, quibus componitur, speciale pulchritudinis genus tribuisti. Pulchritudinem tuam sol et luna mirantur; tuam Faciem desiderant angeli prospicere; in te contemplando, Beati spiritus summam gloriam et felicitatem inveniunt. Tu decorem suum largitus es avibus, floribus, fontibus, agris, fluviis, maribus, sylvis, arboribus, terræ, montibus, vallibus et omnibus rebus quæ sunt. Tu, velut ornatum, cœlo dedisti sidera sua; aeri, suos aves; aquæ, pisces; pratis, flores; terræ, infinitam plantarum et animalium varietatem. Tu pulcher es in omni loco, quia in omni loco deprehendimus vestigia et radios Pulchritudinis tuæ. In cœlo fulget gloria tua; et in inferno justitia tua; justi gratiam tuam, et peccatores longanimitatem tuam manifestant. » (Memoriale vitæ christ., tract. 7, cap. 2, n.° 3).

III.

De infinita Dei Pulchritudine ab omnibus diligenda.

1108. — « Si tantopere pulchritudo amabilis est, quanto amandus es, o Domine, tu infinitæ Pulchritudinis abysse, tu Fons inexhauste ex quo fluit omne pulchrum? Creaturarum pulchritudo, o mi Deus, particularis est ac finita; tua autem Pulchritudo universalis est atque infinita, nam in te solo contines omnem opificiorum tuorum pulchritudinem. Et sicut sol majorem habet claritatem ac splendorem, quam simul omnia sidera firmamenti, et solus abundantius lumen ac illa dispergit, ita Pulchritudine fulges infinite superiore omnium creaturarum decori, et infinite digniore, quæ corda nostra rapiat et alliciat. Sol et luna tuam Pulchritudinem admirantur, ex ipsa oritur omnis forma, et angeli in ea contemplanda nunquam fastidiunt, quoniam creaturarum formam et qualitates multo perfectius in illa intuentur quam in ipsis creaturis... »

« Manifestum est, te pulchritudinem possidere omnium creaturarum visibilium, et simul invisibilium, quæ visibiles incomparabiliter superant numero et excellentiâ. Insuper in te habes infinitas pulchritudines, quæ nulli creaturæ unquam communicatæ sunt. Mare magnum est, non tantum propter aquas per rivos in illud delatas, sed etiam propter aquam, quam per seipsum in se continet; similiter, o mi Deus, tu es infinitæ Pulchritudinis oceanus, non solum quia in te comprehendis omnium creaturarum pulchritudines et perfectiones, sed etiam quia infinitatem possides aliarum excellentiarum tuæ Magnitudini propriarum, quas *ad extra* nunquam communicasti; et tamen singulæ nullatenus distinctas perfectiones efformant, sed omnes identificantur in unica Forma infinitæ absolutæque simplicitatis... »

« Tanta est Pulchritudinis tuæ magnitudo, ut cœlestibus spiritibus sufficiat eam contemplari illaque frui, ut ex hac sola ejus possessione plene beatificentur, omniaque eorum desideria compleantur. Infinitam illam Pulchritudinem tuam ardentissimo amore diligunt, continuo amore diligunt, ex omnibus viribus suis; et in ea diligenda impendunt totam virtutem suam, quin defatigentur unquam. Objectum quod admirantur, tantopere potentias illorum allicit atque defigit, ut sese cohibere non possent, quin actualiter te diligant, et semper hoc eodem modo... »

« Nec miremur, quod visio divinæ Pulchritudinis ad complendam angelicorum chororum felicitatem sufficiat; nonne sufficit ad Beatitudinem ipsius Domini angelorum? Nam in quo consistit Dei Beatitudo, nisi in seipso contemplando, atque in fruendo propria Pulchritudine sua? Hanc veritatem sapiens Aristoteles, licet paganus, non ignoravit... Quanta igitur est illa Pulchritudo, cujus visio sufficit ad ipsum Deum beandum, illumque plena felicitate satiandum! Quanta est hæc Pulchritudo, quam in æternum Dominus contemplatur et semper contemplabitur, quin ullo unquam afficiatur fastidio, sed contra ex hac contemplatione percipiat gaudium ineffabile, in cujus comparatione omnes creaturæ existentes et possibiles nihil sunt! Quomodo non demergeretur homo in hoc immenso Abysso, quum ad ipsam Dei Magnitudinem continendam sufficiat?... »

« Te ergo diligam ex totis præcordiis meis, o Domine mi, o Pulchritudo sine limite! Te diligam, o cunctarum gratiarum Oceane, o cunctorum florum horte deliciose, o picta cunctarum pulchritudinum tabula, o cunctarum perfectionum Abysse. Aperiantur oculi mei ad mirandum illud spectaculum contemplandum, et cæteris omnibus claudantur. Omnes creaturæ tuæ sint mihi, Domine, speculum in quo Faciem tuam conspiciam, imaginem in qua te videam, scalam per quam ad te ascendam, librum in quo magnitudines tuas legam. Oculos meos aperi, o mi Deus; illos ungere digneris gratiæ tuæ collyrio, ut frui quodammodo mihi

liceat uno splendoris tui radio. Fac ut cor meum te ardenter sitiens, cum regio propheta exclamet: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (Psal. 41). » (De Amore divino, part. 3, cap. 2, n°. 1, T. 13 opp.)

§ II.

De pulchritudine majoris mundi juxta Deum exemplati.

Major mundus pulcherrimus est: 1°) ratione trini ordinis naturalis omnium rerum creatarum; 2°) ratione trinæ hierarchiæ terrestris et cœlestis, per quam creaturæ rationales ad supernaturalem perfectionem ordinantur; 3°) Hæc mundi pulchritudo divinam Pulchritudinem manifestat.

I.

De pulcherrima et trina universi mundi ordinatione a divina Sapientia.

1109. — « Diligam te, Domine, quia tu Fons es unde fluunt omnes sapientiæ et scientiæ thesauri. Si sol materialis principium est et causa luminis corporalis, et si nobis omnia, quæ videmus manifestat, tu similiter Principium es luminis spiritualis; tu es Sol tenebras animæ expellens, et cujus solius claritas menti nostræ tribuit intelligere quæ intelligit. Tu es Ratio et Regula omnium rerum. Tua Voluntas infallibilis unicuique earum assignat locum quem occupat, et gradum in quo disponitur. Corporales creaturas fecisti; spirituales quoque creaturas fecisti; ac denique creaturas fecisti utrasque participantes. Sunt quædam creaturæ corruptibiles, et quædam incorruptibiles; sunt quædam simplices, et quædam compositæ; aliæ ad imperandum destinatæ sunt, et aliæ ad obediendum; aliæ ut producant, aliæ ut producantur; hæ nobiles sunt et magnæ, illæ sunt infimæ ac parvæ; aliæ ab utrisque extremis æque distantes, prout universi mundi perfectio requirebat. »

« Tu quoque, o mi Deus, locum determinasti cuique rei convenientem, spectata ejus natura. Hæ sunt sursum, illæ deorsum, aliæ in medio inter duos hosce terminos. Sic non est in mundo locus, qui manuum tuarum opificiis non impleatur, et qui singulorum naturæ perfecte non conveniebat. Tu ad eumdem finem ordinasti variarum rerum multitudinem. Tu ex his omnibus concinnasti musicam tanta harmonia plenam, mundum tanta pulchritudine splendentem, rempublicam tam perfecte gubernatam, ut nihil tali operi comparari queat. Jamvero si sapientia est bonum tam magnum et pretiosum, si creaturarum tuarum universalitas tam gloriosum de tua Sapientia testimonium perhibet, quomodo te magni non æstimarem pro tuo merito? Quomodo te non diligerem ex omnibus viribus meis, et ex tota anima mea? nonne in operibus suis video tot gloriæ tuæ refulgentias, et tot pulchritudinis tuæ spectacula; nonne tuam Scientiam omnes annuntiant, et una voce nos ad te diligendum invitant? » (Ibid., n.° 2).

II.

De pulcherrima hierarchia cœlesti et terrestri.

1110. — « Sed quid est visibilis mundi pulchritudo, si invisibilis mundi decori comparetur? Quid est corporum pulchritudo cum spirituum pulchritudine collata, nisi quod est jubar stellæ splendori solis comparata? S. Joannes in Apocalypsi narrat, se angelum vidisse tanta pulchritudine tantoque splendore fulgentem, ut Apostolus sese coram illo prostravisset, nisi fuisset ab angelo impeditus. Si vero beatorum horum spirituum pulchritudo tanto superat visibiles omnes pulchritudines, quid de illa Pulchritudine putandum est, quæ omnem visibilem invisibilemque pulchritudinem perfecte continet? Hoc quodammodo intelligere poterimus, considerando tum angelorum multitudinem, tum perfectionum eorum ordines et hierarchias. Et primo tam multi sunt, ut multitudinem excedant cæterarum specierum creaturarum; non sunt infiniti, sed innumerabiles, et hic solus eos dinumerare potest, qui stellarum multitudinem supputat, et unamquamque earum vocat nomine ejus. Non obstante tamen angelorum numero, hierarchia adeo perfecta inter eos regnat, ut ordo superior, præter qualitates ordinis immediate inferioris, plures alias adhuc possideat, quæ specificam differentiam in eo constituunt. »

« Aliquid simile habemus in Ecclesiæ gradibus ac dignitatibus, in quibus superior dignitas, præter jura inferioris dignitatis, alia confert jura latiora, quæ varias illas dignitates inter se distinguunt. Sic constituitur ecclesiastica hierarchia, a minoribus ordinibus usque ad supremum gradum, scilicet usque ad dignitatem summi Pontificis. Atqui, in Ecclesia triumphante invenitur hierarchica illa constitutio, cujus imaginem nobis præbet Ecclesia militans. Primus cœlestium spirituum chorus his componitur qui communiter nuncupantur Angeli. Archangeli, qui secundum chorum constituunt, sunt Angelis

numerosiores, quum numerus spirituum singulos choros componentium, juxta excellentiam illorum crescat. Similiter progrediendo, novem choros percurremus usque ad ultimum, qui Seraphim constat. Hic chorus est Deo proximus, et remotissimus a choro Angelorum proprie dictorum; in se continet omnes spirituum beatorum perfectiones, sicut homo in se continet essentiales qualitates et perfectiones animalium sibi subjectorum. » (De amore Dei, part. 3, cap. 2, n.° 2, T. 13 opp.).

III.

De mundi ordine, divinam Bonitatem et Pulchritudinem manifestante.

1°) De divinæ Bonitatis manifestatione, in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ.

1111. — « Quando infinita Misericordia tua, Domine, in tuum palatium nos introducere dignata fuerit, et quum aperte ac sine velo splendorem gloriæ tuæ contemplabimur, non amplius indigebimus Faciem tuam in Creationis speculo requirere; tunc enim te videbimus in teipso, et infinitam Bonitatem tuam in tua Essentia mirabimur. Sed quandiu peregrinamur in hac lacrymarum valle, procul a beata præsentia tua, et intuitiva suavique tua societate privati, tuam Bonitatem nonnisi ex effectibus suis cognoscimus, et sola ejus opera testimonia nobis perhibent de inexhausto benignitatis Fonte, ex quo procedunt. »

« Plurimum nobis interest, o mi Deus, hanc Naturæ tuæ perfectionem cognoscere, quoniam in ea invenimus primum ac potentissimum te diligendi motivum. Dum cuncta creabas cum numero, pondere, et mensura, atque omnibus creaturis suas leges et suas existendi conditiones statuebas, voluntati nostræ inseruisti physicam ad bonum inclinationem, ita ut bonum, sit naturale objectum hujus facultatis, sicut color est objectum visus, et sonus objectum auditus. Relationem tam intimam inter voluntatem et bonum voluisti, ut hæc potentia nihil aliud appetere possit: quod si aliud velle videatur, si malum operetur, et bonitati injuriosum adulterium committat, hoc unice agit quia malum sub specie boni ei apparet. Ex hac physica inclinatione ad bonum, absentes nobisque ignotos viros diligimus, simul ac eorum virtutes coram nobis laudantur. Atqui, si bonitas est objectum voluntatis, si, quanto res aliqua est melior, tanto justius amorem nostrum meretur, quanto jure is diligendus est, qui est infinite Bonus, et cujus Natura Bonitas est? Ita, Domine, tua Bonitas exæquat Esse tuum; et quemadmodum Esse tuum nullos novit limites, sic tua Bonitas infinita est. »

« Etsi nondum in seipsa Bonitatem tuam, o mi Deus, fuerimus contemplati, illius tamen characteres in operibus tuis quodammodo invenimus, sive opera ad ordinem naturæ referantur, sive ad ordinem gratiæ. Etenim quid sunt hominum Creatio, Conservatio. Redemptio, Justificatio, Glorificatio, nisi tot Bonitatis tuæ testimonia, vel tot scintillæ, quæ ex divino illo Foco emicuerunt? » (Ibid., n.° 1).

Tunc argumentum suum evolvit auctor in tribus paragraphis, ad quos lectorem remittimus brevitatis causa, et quorum titulos tantum indicabimus.

§ I. De ordine naturæ, inquantum divinam Bonitatem homini manifestat.

§ II. De ordine gratiæ, inquantum divinam Bonitatem homini manifestat.

§ III. De ordine gloriæ, inquantum divinam bonitatem homini manifestat.

2°) De divinæ Pulchritudinis manifestatione in omnibus Dei opificiis.

1112. — « Diximus, Deum ab homine ante omnia exigere amorem ejus, et hunc amorem maxime excitari pulchritudine, non corporali tantum, sed etiam spirituali, qualis est angelorum ac justarum animarum pulchritudo. Nam sicut voluntas bono præsente movetur, ita accenditur amor, præsente pulchro. Quapropter Deus, cum ardenter desideret a creaturis suis diligi, aliquam Pulchritudinis suæ refulgentiam, seu quosdam radios emittere voluit in singulis opificiis suis, a sideribus cœlum ornantibus, usque ad mineralia in terræ visceribus abscondita. »

« Divinam illam Pulchritudinem primo resplendentem intuemur in spectaculo, quod in nocte serena nobis exhibet cœlum stellatum; tunc enim immensa illa fornix, hoc sublime tatabernaculum splendet facularum lumine multo fulgentiorum adamantibus et margaritis, atque adeo numerosarum, ut has ille solus computare potest, qui easdem creavit; sed Dei decor specialiter refulget in duobus astrorum illorum præcipuis, scilicet in sole et luna... »

« Suprema Pulchritudo adhuc resplendet in agrorum virore, in fontium frigiditate, in mille floribus quibus prata consperguntur, et quorum nescio quid magis mirandum est, vel colorum varietas, vel ars exquisita qua formati sunt. Et quid dicam de pulchritudine margaritarum, gemmarum; de fulgidis earum coloribus, proprietatibus et valore? Quid dicam de metallis, præcipue de auro et argento, quæ apud omnes populos tanto æstimantur? An loquar de corporis humani pulchritudine, præsertim in quibusdam hominibus, quos commemorat S. Scriptura; verbi gratia in Joseph, Absa-

lom, Thamar, ne celebrem Helenam nominem, quæ Trojam perdidit? »

« Inde manifestum est, omnes creaturas, etiam illas quæ in sinu terræ inveniuntur, ut lapides et metalla pretiosa, quasdam Pulchritudinis Creatoris scintillas præbent, vel aliquos ejus radios reflectunt. Multo plura dicenda forent de pulchritudine animarum divina gratia ornatarum, necnon de pulchritudine cœlestium illorum spirituum, quos Deus tanta gloria tantoque splendore decoravit, ut unum ex istis intuens, Daniel propheta præ timore in terram facie corruit (Dan. 8, v. 4). Nihilominus stellas firmamenti numero excedunt. »

« Jamvero, diversi illi pulchritudinis radii, quos admiramur, et infiniti alii, qui nos latent, omnes conjunguntur, et quidem modo longe perfectiori, in rerum omnium Auctore. Sicut magister multo melius ac discipulus possidet scientiam quam ei communicat: ita illud Ens, quod omnibus creaturis, sive visibilibus, sive invisibilibus pulchritudinem tribuit, qua ornantur, hanc eamdem pulchritudinem necessario possidet, et multo perfectius; nemo enim dat quod non habet. Inde concludamus quanta Beatis est felicitas in contemplando divinam illam Faciem, quæ præter pulchritudinem in mundo universo dispersam, splendet mille aliis pulchritudinibus, quæ nulli creaturæ unquam communicatæ fuerunt. Si Petrus Apostolus quasi extra se raptus est in Salvatoris nostri transfiguratione; si solius hujus scintillæ fulgor illum ita extollebat et gaudio inebriabat, ut loqueretur nesciens quid dicebat, quam beata erit sors animarum, quæ intrabunt in gaudium Domini sui, et torrente deliciarum ejus potabuntur?... O millies beatæ animæ, quæ fruentur hac felicitate; illam enim nec oculus vidit, nec auris audivit, nec intellectus noster capere unquam posset. » (Introduct. ad Symbol. fid. pars 1, cap. 23, n. 1, T. 14 opp.).

§ III.

De pulchritudine minoris mundi, sive hominis, juxta Deum exemplati.

1°) Homo est minor mundus, inquantuum corpore et spiritu componitur. 2°) Ratione animæ suæ spiritualis, creatus est ad Dei imaginem. 3°) Hæc autem imago, suo Prototypo comparata, imperfectissima est.

I.

Homo jure dicitur minor mundus.

1113. — « Homo dicitur minor mundus, quia immensi hujus universi compendium est. » (Memor. vitæ Christ., tract. 7, cap. 2, T. 12 opp.).

« Anima humana in corpus suum exercet actionem analogam operationi, qua Deus in integrum mundum influit. Idcirco philosophi hominem communiter nuncupaverunt minorem mundum. » (De Amore Dei, part. 3, cap. 2, n.° 6, T. 13 opp.).

« Homo nominatur μικρόκοσμος, seu minor mundus, quoniam in compendio continet quidquid complectitur mundus universus. Nam habet esse cum elementis, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere et libere velle cum angelis. A S. Gregorio vocatur *omnis creatura*, quia summatim in seipso habet omnium rerum creatarum naturam et proprietates (Homil. 29 in Evan.). »

« Itaque Deus hominem creavit sexto die, postquam cætera entia jam creaverat, quia hunc constituere volebat omnium operum suorum compendium. In ratione particulari debitorum et acceptorum, numerum rerum singularum sequitur linea numerica totalem summam exprimens, ita ut sola hæc linea complectatur omnia quæ singillatim in aliis paginis explicata sunt. Atqui, talis fuit Dei ratio agendi in hominis formatione: nam in eo fecit summam et recapitulationem mundi universi. Ex hoc divino Consilio sequitur, nos Dei perfectiones facilius cognoscere scrutando humanam naturam, quam totum mundum considerando, quod cæterum non esset parvum opus. »

« Geographi rotunda utuntur tabula, in qua diversæ orbis partes et regiones, suo quæque loco describuntur; in hac autem tabula, uno intuitu ea omnia conspiciuntur, quæ in propria natura inspici non possent, nisi per plures annos. Jamvero, in eodem sensu dicere nobis licet, hominem esse tabulam a supremo Artifice depictam, in qua, non meris tantum figuris, sed ipsa re nobis ostenditur quidquid continet major mundus. Quanto minor est hæc tabula, quanto nobis notior est, atque intimior, cum nunquam a nobis avellatur, tanto perfectior est Creatoris cognitio, quam illam aspiciendo acquirimus. » (Introd. ad symbol. fid., part. 1, cap. 23, n.° 1, T. 14 opp.).

II.

Homo creatus est ad Dei imaginem et similitudinem.

1114. — « Voluisti, o Domine, ut proportio et similitudo esset inter hominem et te, inter amantem et amatum, cum similitudo sit unus ex abundantioribus amoris fontibus. Cuinam autem anima mea magis assimilabitur, quam Tibi, ad cujus imaginem et similitudinem creata est?... Revera, o mi Deus, magna est analogia,

quam inter animam nostram et teipsum statuisti, sive quoad substantiam, sive quoad modum quo existit, cogitat et operatur. »

« Tu Spiritus es, et anima nostra spiritus est; tu invisibilis es, et anima nostra invisibilis est; tu immortalis est, et anima nostra immortalis est; tu Intellectum habes, Voluntatem liberumque arbitrium, et anima nostra similibus facultatibus prædita est. Tu Bonitatem, Sanctitatem, Virtutem habes in tota earum perfectione; nostra quoque anima virtute ac bonitate ornabatur, antequam diabolus similitudinem alterasset, quam nobis impresseras. Et etiam non obstante hac alteratione, in nobis relinquuntur signa et vestigia primævæ pulchritudinis nostræ; talia sunt naturalis amor boni, horror mali, gratitudo aliique ejusdem generis affectus. »

« Et quid dicam de tuo existendi atque agendi modo? Infinite simplex es et indivisibilis, tu totus præsens in toto mundo, et totus præsens in singulis ejus partibus. Similiter anima nostra tota est in corpore suo, et tota in singulis ejus partibus. Tu, o mi Deus, pure Spiritus, Auctor es omnium quæ fiunt in creaturis; tu dedisti elementis existentiam, plantis vitam vegetativam, animalibus sensum, hominibus intelligentiam; et propter perfectam Unitatem tuam, hæc omnia opera facis Virtute absolute simplici. Anima nostra, quæ similiter est spiritualis substantia, in corpore nostro operationes perficit, admiratione nostra dignissimas... Omnes illas functiones in sua unitate peragit, et in sua immaterialitate tam spiritualia quam corporalia curat opera... »

« Tandem, o Domine, tu in cunctis operibus infinitus es. Humana anima hoc quidem modo non est infinita, sed tamen aliquo sensu infinita dicenda est potentiâ, duratione, intelligentiâ et scientiâ. Infinita est potentia; nullum enim ens, nisi Deus, desideria ejus complere valeret. Infinita est duratione; nam vita ejus nunquam cessabit, ac durabit quandiu Deus erit Deus. Infinita est intelligentiâ et scientiâ; quidquid enim discat et capiat, semper ei manebit potentia plura cognoscendi, intelligendi, novosque rerum aspectus inveniendi. Intellectus humanus plurimas artes ac scientias excogitavit atque invenit; verumtamen non exhaustus est, nec unquam exhaurietur; et semper ei suppetit sufficiens virtus ad nova invenienda, inventaque evolvenda... »

« Quodsi ad artis opera transeamus, hæc reperiemus multum naturæ operibus appropinquare; aliis verbis perspiciemus, opera, quorum humanus intellectus principium est, assimilari operibus ex divina Mente exortis. Atqui, tanta in operibus analogia, non minorem analogiam in modo existendi manifestat; qualis enim est res, talis ejus operatio; qualis modus existendi, talis modus agendi... »

« Sit nomen tuum millies semperque benedictum, o Domine, quoniam nos ad tuam similitudinem creare dignatus es... Quanquam tu summus es, nos autem infimi sumus, hæc distantia nedum motiva debilitet, quæ ad diligendum te nos obligant, eorum vim magis auget. Nam similitudo, quando in proportione inæquali fundatur, est majoris dilectionis causa quam similitudo fundata in perfecta æqualitate. Sic pater filium, uxor virum ardentiori amore diligunt, quam fratres diligunt fratres. Duæ voces perfecte concordes, sed diversas partes canentes, harmoniam producunt, quam non producerent, si ambæ eamdem partem uno sono cantarent. Pariter, o mi Deus, inæqualitas, quæ inter te et animas nostras existit, prædictæ similitudini harmonice conjuncta, fortius nos incitat ad te diligendum. Ex duobus entibus inæquali perfectione præditis, minus perfectum diligit alterum tanto ardentius, quanto propriam perfectionem ab eo accipit. » (De Amore Dei, part. 3, cap. 2, n.° 6, T. 13 opp.).

III.

Dei imago a Dei similitudine, in anima nostra differt qualitate et immutabilitate.

1115. — « Sed quare dicitur homo factus, non solum ad Dei imaginem, sed etiam ad ejus similitudinem? »

« Ad hanc quæstionem S. Ambrosius et S. Bernardus respondent, voce *imaginis* designari quod homo accepit naturale; voce autem *similitudinis* quod homo accipit gratuitum. (Ambr. de Dignit. condit. hum., cap. 2 et 3. — Bernard., Serm. 1. in Resurr. B. M. V.). Igitur, juxta sanctos doctores illos, homo factus esset ad Dei imaginem, propter potentias et inclinationes, quas physice accepit, ut vita communi et naturali vivat; factus autem esset ad Dei similitudinem, propter gratias et habitus supernaturales, quibus in creatione sua donatus est, ut vivat vita supernaturali et digna quæ vitam mereatur æternam. »

« Inde sequitur, imaginem Dei nunquam delendam esse, etiamsi homo infernum habitaret; similitudinem vero divinam aboleri, si homo Dei gratiam amittat. »

« Quod autem hominem in hac amissione movere debet, non est tantum divina similitudo, qua destituitur; sed præsertim similitudo, quæ glorioso huic privilegio substituitur. Quænam est ista similitudo? Hanc regius propheta

sequentibus verbis declarat: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Psal. 48, v. 13). O horrendum lapsum, quo postquam homo, in vita puritate clara, divinam similitudinem expresssit, tam profunde cecidit, ut non amplius Deo assimiletur, sed stupidis animalibus! An humilius cadere et descendere posset humana miseria? Hac calamitate discat homo cognoscere peccati malitiam, quod unicum funestarum istarum sequelarum principium est. »

« Sufficiant illæ considerationes ad acquirendam cognitionem animæ intellectivæ, et omnium quæ ad utrumque mundum, nempe ad universum atque ad hominem referuntur. » (Introd. ad Symb. fid., part. 1, cap. 35, n.° 13, T. 14 opp.).

ARTICULUS V.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN ALVAREZ DE PAZ.

1116. — Quamvis Alvarez Philosophiam et Theologiam dogmaticam docuerit in collegio Limano Societatis Jesu, non scripsit tamen nisi de rebus ad Theologiam asceticam et mysticam pertinentibus. Notissimum est opus magnæ molis et eximiæ doctrinæ, quod *de Vita spirituali ejusque perfectione* latina lingua eleganter exaravit, atque Paulo V dedicavit. Referemus quid in eo dicat: 1°) De Deo, mundi Artifice ejusque ideis; 2°) de divina Pulchritudine; 3°) de divini Artificis perfectionibus, in omnibus opificiis ejus repræsentatis; 4°) etiam in minimis creaturis, verbi gratia, in floseulo; 5°) de ipsa Dei Trinitate in creaturis repræsentata.

§ I.

De Deo, inquantum est mundi Artifex, et de ejus Ideis.

1117. — Est argumentum Contemplationis 22, quæ fundatur in versu 21, cap. 7, libri Sapientiæ: *Omnium enim Artifex docuit me Sapientia.* »

« O Deus sapientissime, tu non solum es omnia sciens, sed omnium Artifex et inventor. Tecum enim Sapientia, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres. Artifex dicitur ille, qui in mente habet imagines aut exemplaria rerum, ad quoram similitudinem extra se opus aliquod effingit. Hic autem modus operandi perfectissimus est, quo quis prius intra se opus faciendum exprimit, et postea juxta illud quod mente concepit, non coactus, sed libens extra producit. »

« Ita ergo tu, Domine, operaris, cum sis omnium perfectissima Causa, et intra te omnium rerum creatarum exemplaria præhabes. Quare dicit Apostolus tuus: *Fide intelligimus aptata esse*, sive apte disposita, *sæcula*, aut ea quæ aliquo tempore fiunt, *Verbo Dei, ut ex invisibilibus* rationibus rerum apud te existentibus, tanquam ex exemplaribus, *visibilia fierent* (Hebr. 11, v. 3). Es velut Speculum lucidissimum, in quo absque ulla imperfectione, universa repræsentantur. Es ut Centrum, in quo omnes creaturæ tanquam lineæ copulantur. Es ut Imago pulcherrima, ex qua omnia creata aliquid referunt. »

« Jam hinc liquet quantæ sint opes Intellectus tui, in quo, o Domine, omnium rationes continentur. In te sunt nitidi cœli, sunt æthera celsa, immensique maris distantia, sidera vasta, oceanusque ingens, depressaque tartara terræ, aquarum cursus, et cætera cuncta quæ fuerunt, quæ sunt, et quæ postea sequentur, illud quod in te uteumque imitantur. Si theatrum mundi est admiratione dignissimum, in quo orbis partes imperia, provincias et regna, maria et littora delineata conspicimus, quam admirabilis est divina Natura tua, in qua sine errore, sine confusione, absque imperfectione et multiplicitate, rerum species et singularia etiam, prout tibi placuerit, intuebimur. Es tu, o Deus amantissime, quæcumque videmus, quæcumque contemplamur. Non quia sis quasi congeries universarum rerum, sed quia Unus et simplex existens, eorum omnium rationes habes. In libro memoriæ tuæ omnes scribentur; dies formabuntur et subducentur, et nemo in eis; nam ibi sunt omnes dies et omnia tempora, non divisa, sed una æternitate contenta. »

« Hæ demum rerum rationes, quæ in te sunt, o Creator meus, idem omnino sunt cum tua divina Natura. Non sunt mortuæ aut corruptibiles, sed viventes et increatæ; omnia enim, quæ in te sunt, Vita sunt. Non sunt imperfectæ, sed perfectissimæ, adeo ut creaturarum perfectissima, rationi sive ideæ suæ in te existenti comparata, res picta comparatione rei viventis et veræ, esse videatur. Sicut enim rudis discipulus non potest ex toto formam a magistro sibi propositam imitari, ita nec creatura potest tuam Pulchritudinem, nisi valde imperfecte referre. »

« Te ergo, ut summum Artificem universorum laudo et diligo; et rationem viri perfecti in te existentem, in me delineare beneficio tuæ gratiæ concupisco. »

Pulcherrima quoque dicit Auctor *de Sapientia Dei* in Contemplatione 21.

Item in Contemplatione 86, *De æterno Verbo*, per quod Deus seipsum et omnia simul cogno-

scit atque exprimit, et per quod fecit omnes creaturas. Ex hoc præclaro loco, sequentia tantum verba transcribemus: « Es denique, Domine, Verbum potens. Omnia enim per te, non solum tanquam per Causam exemplarem, sed etiam tanquam per Causam effectricem, et per manum tuam facta sunt. »

Sed Deus non est tantum omnium Causa *efficiens* et *exemplaris;* est etiam Causa *finalis*, sicut ostenditur in Contemplatione 80. — In Contemplatione 79, Deus consideratur tanquam *Primus* et *Novissimus*.

§ II.

De divina Pulchritudine.

Dei Pulchritudo est infinita, et consequenter Causa est omnis finitæ pulchritudinis.

I.

Deus est pulcher infinite.

1118. — « O Deus meus, et summum Bonum meum, tu es pulcherrimus, et Fons omnis pulchritudinis et decoris. Pulchrum est quod visum placet, quod integrum est, quod proportionatis partibus consonum, et conveniente luce, aut splendore circumfusum. Absurdum autem esset putare, quod corpora tantum pulchra sunt, et non magis in rebus spiritualibus insit pulchritudo, quæ per analogiam eadem habent quæ in corpore pulchro cernuntur. — Tu igitur, Domine, qui purissimus Spiritus es, pulcherrimus es; nam et clare visus adeo places, ut te intuentes beatos, et omnis mali et doloris expertes efficias; et licet obscure per donum Sapientiæ in contemplatione visus, adeo formosus appares, ut contemplanti te, omnia hujus mundi pulchra, sordida et deformia videantur. Integer es, nihilque in te est, quod aut diminutum, aut minus perfectum existat. Omnia in te consona sunt, cum pari gressu universæ perfectiones tuæ currant, et usque ad infinitam Naturæ tuæ Perfectionem procedant. Nec cares luce, imo ipsa Lux increata es, et tenebræ in te non sunt ullæ. Es ergo non solum pulcher et decorus, sed ipsemet Decor ac Pulchritudo, quam utinam aliquando conspiciam! »

« Revela tamen, o Domine, nobis servis tuis sitientibus te quanta sit hæc Pulchritudo tua. Illa quidem infinita est, et sine ullo limite omnium rerum creatarum pulchritudinem superans. Adeo, ut sicut unus sol splendidior est omnibus lucidis, etiamsi in unum jungantur; et unus ignis calidior est omnibus calidis; et unum mare vastius est omnibus lacunis et stagnis: ita et una Pulchritudo tua in immensum magis quam hæc universitas omnium rerum, tum visibilium, tum invisibilium, pulchritudines superet. Hæc, sicut et Natura tua, a qua minime distinguitur, æterna est, principium et finem nesciens; immutabilis est, nunquam ætate flaccescens; generalis est in omnibus perfectionibus, quæ de te considerentur, apparens; ubique locorum et in quocumque tempore splendens; non ab aliquo participata, sed essentialiter esse pulchritudinis habens. Hæc ergo sola est vera Pulchritudo, propter quam debeant omnia contemni. »

II.

Divina Pulchritudo est Fons omnium pulchritudinum.

1119. — « Est etiam hæc Pulchritudo, o Deus semper amantissime, Fons omnium pulchritudinum, quæ in omnibus creaturis reperiuntur, et Abyssus earum, a qua omnes illæ, et infinitæ aliæ quæ creari possent, obruuntur. Jam cogitatio mea per omnes pulchritudines elementorum, et cælorum, et mixtorum, et animalium, et hominum, absque tamen ulla adhæsione discurrat; hinc ad pulchritudines angelorum, quarum una major est alia, et nullo numero ab hominibus cogitato comprehenduntur, ascendat; alias etiam necdum creatas, quæ tamen in futurum ante mundi finem creabuntur; et alias in infinitas nunquam creandas aspiciat. Hæ omnes una tua Pulchritudine continentur, et comparationem ad reliquam Pulchritudinem infinitam, quæ supra illas in te est, sunt velut comparatione maris, gutta roris exigua. Si ergo forma unius istarum rerum est tam amabilis, ut propter eam fruendam aliquando homines sensum et rationis usum amittunt, quid propter te faciendum esset, o summe Deus, quomodo esses diligendus, et usque ad despicientiam omnium visibilium, et sustinentiam pro te omnium tribulationum adamandus. »

§ III.

De divinarum perfectionum repræsentatione in omnibus Dei opificiis.

1120. — In Lib. 5, pars 1, appar. 3, cap. 4 et 5, optime loquitur Alvarez de *Cognitione Dei per ejus opera, in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ.* Pauca tantum sequentia transcribemus.

« Ex creatura poteris divinas perfectiones investigare, considerando rationem causæ. Omnis enim causa perfectionem habet effectûs, quem producit; quomodo enim daret quod non habet?

Sed hoc diversimode; nam quædam causæ sunt ejusdem naturæ cum effectu, ut cum ignis producit ignem; et hæ ad minus habent perfectionem æqualem cum effectu a se producto. Aliæ sunt diversæ naturæ ab effectu; ut cum sol, qui non est ignis, generat ignem; hæ autem habent perfectionem, quam effectui communicant, multo sublimiori ac eminentiori modo quam effectus, cum sint non æqualis, nec inferioris, sed superioris naturæ comparatione illius, et sublimitatem naturæ sequatur sublimitas perfectionis. Quæ omnia nemo, quantumvis rudis, non intelligit. »

« Deus autem est Causa prima omnium rerum, et æquivoca, ut dicunt, seu alterius naturæ, quæ in infinitum excedit omnem creatam naturam. Habet ergo perfectiones omnium eminentissimo modo et increato, et ab omni imperfectionis mixtione alieno. »

« His sic intellectis, quasi scalam omnium creaturarum facies, et per illam ad contemplandam Dei Perfectionem ascendes. Terra est stabilis? Deus est magis stabilis, imo prorsus immutabilis, qui dicit: *Ego Dominus, et non mutor* (Malach. 3, v. 6). Mare est spatiosum, et quasi immensum? Deus est immensus, qui cœlum et terram implet. Aer, cum sit instrumentum vitæ, a nullo continetur, sed nolentibus etiam nobis, elabitur? Deus est in quo vivimus, et movemur, et sumus; qui ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat. Ignis est in agendo efficax? Deus efficacior et plane omnipotens, cui nemo resistere potest. Cœlum est incorruptibile et omnia continet? Deus immortalis, qui omnia, ut exiguum et indivisibile centrum comprehendit. Sol, et luna, et astra sunt pulchra? Deus est pulcherrimus, cujus Pulchritudinem ipse sol et luna mirantur. »

« Sic in alio genere ascendes per prudentiam apum, qua favos elaborant; et per industriam avium, qua nidos fabricant; et per diligentiam formicarum, qua cibos in æstate congregant; ad prudentiam hominum, qui tam mirabiliter cuncta disponunt; et ex hac ad sapientiam angelorum; ex hac vero ad illam increatam et infinitam Sapientiam Dei, quæ sine obscuritate, sine successione, sine labore omnia intuetur, sine sollicitudine aut errore cuncta moderatur... »

« Ex perfectionibus creaturarum, Dei perfectiones investigare curabis, illasque ei non limitatas, sed illimitatas attribues. Sunt enim creaturæ aut *vestigia Dei*, ut omnia pure corporalia; aut *imagines Dei*, ut angelus et homo. Et sicut in *vestigiis* hominis, quædam sunt magis, quædam minus expressa; ita in creaturis, quædam magis, quædam minus divinæ Perfectionis exprimunt, secundum quod magis aut minus perfectæ sunt. Similiter loquendum est de *imagine*, quod quædam est grossior, ut ita dicam, et imperfectior, ut homo; alia subtilior et perfectior, ut angelus. » (Loco cit., cap. 4).

§ IV.

Divinæ perfectiones, etiam in minimis creaturis, verbi gratia in flosculo, relucent.

1121. — Auctor pergens lepidissime evolvit jucundam Thomæ a Kempis sententiam: « Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitæ, et liber sanctæ doctrinæ esset. Non est creatura tam parva et vilis, quæ Dei Bonitatem non repræsentet (De Imit. Christi, lib. 2, cap. 4).

Dicit ipse Alvarez: « Accipe ergo aliquam creaturam etiam minimam ut flosculum... et Deo, quidquid in illo inveneris perfectionis, attribue. In illo flore est esse, quoniam est aliquid ens; et Deus est Ens. Ille flos factus est ex nihilo; convoca omnes reges et principes hujus sæculi, qui fuerunt, et qui sunt, et qui futuri sunt; congrega illos in uno tempore, et roga ut omnes suas opes impendant, et per se, aut per alios, unum tibi florem ex nihilo faciant; cum autem non possint, eorum inanem potentiam videbis, et infinitam Dei Potentiam admiraberis, qui non flosculum unum, sed omnia visibilia et invisibilia ex nihilo, solo verbo produxit. In illo flore est mira foliorum dispositio, certus numerus, occulta virtus, tum ad se conservandum, tum ad attrahendum succum quo crescat, tum ad medendum alicui morbo, ut nobis succurrat; ecce Dei Sapientiam. Illi (flori) esse et virtutem dedit Deus, non ob aliquam indigentiam, sed liberaliter, ut secundum quod flos est capax, suum esse ipse communicet, ecce Dei Bonitatem. Illum hominibus ad aliquam utilitatem dedit, ecce Dei Amorem. In illo flore est Deus, perinde atque in omnibus, per Essentiam, præsentiam atque potentiam; ecce Immensitatem. In pulchritudine ejus vide Dei Pulchritudinem; in suavitate, suavitatem; in candore, puritatem; in eo quod illi congrua dedit, Justitiam; in eo quod eum tenet, Providentiam; in eo quod protegit, Misericordiam. Si ille te delectat, Deus, Fons voluptatis, magis delectet; si ille te juvat, Deus magis te juvet; si illum tu admiraris, Deum magis admirare. »

« Sic adorabis Dominum in spiritu et veritate: in spiritu, quia ut ad Deum te efferas, transcendis omnem spiritum; et in veritate, quia ei attribuis omnem perfectionem, quam certum

est, Illam formaliter, ut ajunt, aut eminenter continere. » (Ibidem).

§ V.

Ipsa Dei Trinitas in omnibus creaturis quodammodo repræsentatur.

1122. — « In omnibus quoque rebus creatis, o Deus supreme, aliquod est signum hujus Trinitatis tuæ; nam omnes quodammodo sunt unum, et quodammodo sunt tria. Caput orbis, Christus, unigenitus Filius tuus, hoc ipsum præ se fert. Est enim unus Christus, ac una Persona Majestatis tuæ, nempe secunda quæ dicitur Filius, in quo sunt etiam hæc tria: Divinitas, qua Deus est; anima, qua rationalis est; caro, qua corporalis est. »

« Creatio ipsius orbis una est, sed tribus operationibus distincta: productione, qua res productæ sunt; distinctione, qua sunt locis et naturis separatæ; ornatu, quo sunt apte compositæ. »

« Orbis ipse unus est, sed tribus generibus rerum distinctus: unum pure spirituale, continens angelos; alterum pure corporale, continens sensibilia rationis expertia; tertium mixtum, nos homines, partim spirituales et partim corporeos comprehendens. »

« Harum rerum quælibet una est, sed facta in pondere, numero et mensura; in modo, specie et ordine; et constans substantiâ, potentiâ et operatione. »

« Homo tandem ipse imago tua est, o Domine, cujus anima una simplex substantia est, tres tamen vires: memoria, intellectus atque voluntas. Qui, et ad similitudinem tui, seipsum intelligens, intra se imaginem sui format; et se amans, sui amorem spirat; licet in hoc deficiat, quod huic imagini, et amori suo novo, propriam substantiam non communicat. »

« Ex his et similibus, aliquid hujus tui Mysterii conjectamur. Sed revera posuisti tenebras latibulum tuum; et attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Claudantur ergo oculi, et affectus dissolvatur, et totus amor, et conatus cordis mei ad te, summum et æternum Bonum, raptetur. »

ARTICULUS VI.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN S. FRANCISCO SALESIO.

Sanctissimus ac eruditissimus ille Doctor, non minus ingenio quam ardentissima charitate conspicuus, plura scripsit opera ascetica tam eximia, ut gloriosum Doctoris Ecclesiæ titulum suo auctori meruerint.

Audiamus quid in præclaro Tractatu suo *de Amore Dei*, dicat de Deo infinite perfecto, et omnia opificia sua ad exemplar propriæ Perfectionis condente ac ordinante.

§ I.

De unico Dei Actu, qui est ejus Divinitas.

1123. — In prædicti operis, Lib. 2, cap. 2, legitur: « Nous avons une grande diversité de facultés et habitudes, qui produisent aussi une grande variété d'actions, et ces actions une multitude non pareille d'ouvrages. Car ainsi sont diverses les facultés de voir, d'ouïr, de goûter, toucher, se mouvoir, entendre, vouloir; et les habitudes de parler, marcher, jouer, chanter, courir, sauter, nager; comme aussi les actions et les œuvres, qui proviennent de ces facultés et habitudes, sont grandement différentes. »

« Mais il n'en est pas de même en Dieu; car il n'y a en lui qu'une très-simple infinie Perfection, et en cette Perfection qu'un seul très-unique et très-pur Acte; ainsi, pour parler plus saintement et sagement, Dieu est une seule, très-souverainement unique, et très-uniquement souveraine Perfection, et cette Perfection est un seul Acte très-purement simple, et très-simplement pur, lequel n'étant autre chose que la propre Essence divine, il est par conséquent toujours permanent et éternel. »

« Et néanmoins, chétives créatures que nous sommes, nous parlons des actions de Dieu comme s'il en fesait tous les jours en grande quantité et en grande variété, bien que nous sachions le contraire. Mais nous sommes forcés à cela, Théotime, par notre imbécillité; car nous ne savons parler sinon selon que nous entendons, et nous entendons selon que les choses ont accoutumé de se passer parmi nous; or, d'autant que, ès choses naturelles, il ne se fait presque point de diversité d'ouvrages que par diversité d'actions, quand nous voyons tant de besognes différentes, une si grande variété de productions, et cette multitude innumérable des exploits de la Puissance divine, il nous semble d'abord que cette diversité se fait par autant d'actes, que nous voyons de différents effets; et nous en parlons tout de même, pour parler plus à notre aise, selon notre pratique ordinaire, et la coutume que nous avons d'entendre les choses. Et si, en cela nous n'offensons par la vérité; car encore qu'en Dieu il n'y ait pas multitude d'actions, ains un seul Acte qui est la Divinité mê-

me, cet Acte toutefois est si parfait, qu'il comprend excellemment la force et la vertu de tous les actes qui sembleraient être requis pour toute la diversité des effets que nous voyons. »

§ II.

De uno Verbo, per quod mundum fecit Deus, juxta æternam Ideam suam.

1124. — Pergit Sanctus Auctor: « Dieu ne dit qu'un seul Mot, et en vertu d'icelui, en un moment furent faits le soleil, la lune, et cette innombrable multitude d'astres, avec leur différence en clarté, en mouvement, en influences:

Il dit, et soudain furent faits,
Tous ces ouvrages si parfaits.

Un seul Mot de Dieu remplit l'air d'oiseaux et la mer de poissons, fit éclore de la terre toutes les plantes et tous les animaux que nous y voyons. Car, encore que l'historien sacré, s'accommodant à notre façon d'entendre, raconte que Dieu répéta souvent cette toute puissante Parole: *Soit fait,* ès journées de la création du monde: néanmoins, à proprement parler, cette Parole fut très-unique, si que David l'appela un souffle ou aspiration de la bouche divine (Psal. 32, v. 6), c'est-à-dire un seul trait de son infinie Volonté, lequel répand si puissamment sa vertu en la variété des choses créées que, pour cela, nous le concevons comme s'il était multiplié et diversifié en autant de différences, comme il y en a en ces effets, quoiqu'en vérité il soit très-unique et très-simple. Ainsi Saint Chrysostôme remarque que ce que Moyse a dit en plusieurs paroles, décrivant la création du monde, le glorieux saint Jean l'a exprimé en un seul mot, disant que *par le Verbe,* c'est-à-dire par cette Parole éternelle, qui est le Fils de Dieu, *tout a été fait.*

Cette Parole donc, Théotime, étant très-simple et très-unique, produit toute la distinction des choses; étant invariable, produit tous les bons changements; et enfin étant permanente en son Éternité, elle donne succession, vicissitude, ordre rang et saison à toutes choses. »

Tunc S. Franciscus evolvit comparationem duorum artificum, quorum unus penicillo, alter prelo imaginem aliquam producit; et concludit: « Ainsi, Théotime, la nature, comme le peintre, multiplie et diversifie ses actes, à mesure que ses besognes sont différentes, et lui faut un grand temps pour faire de grands effects; mais Dieu, comme l'imprimeur, a donné l'être à toute la diversité des créatures, qui ont été, sont et seront, par un seul trait de sa toute-puissante Volonté, tirant de son Idée, comme de dessus une planche bien taillée, cette admirable différence de personnes et d'autres choses, qui s'entresuivent ès saisons, ès âges, ès siècles, chacune en son ordre, selon qu'elles devaient être; cette souveraine unité de l'Acte divin étant opposée à la confusion et au désordre, et non à la distinction ou variété, qu'elle emploie au contraire pour composer la beauté, réduisant toutes les différences et diversités à la proportion, et la proportion à l'ordre, et l'ordre à l'unité du monde, qui comprend toutes les choses créées, tant visibles qu'invisibles, lesquelles toutes ensemble s'appellent l'univers; peut-être parce que toute leur diversité se réduit en unité, comme qui dirait uni-divers, c'est-à-dire, unique et divers, unique avec diversité, et divers avec unité. »

« En somme, la souveraine Unité divine diversifie tout, et sa permanente Eternité donne vicissitude à toutes choses, parce que la perfection de cette Unité étant sur toute différence et variété, elle a de quoi fournir l'être à toute la diversité des perfections créées, et a la force de les produire. »

§ III.

De inscrutabili divini Artificis Sapientia, ejusque vestigiis in omnibus opificiis suis.

1125. — I. « Théotime, les raisons de la Volonté divine ne peuvent être pénétrées par notre esprit, jusqu'à ce que nous voyions la face de Celui qui *atteint de bout à bout fortement, et dispose toutes choses suavement* (Sap. 8, v. 1); faisant tout ce qu'il fait *en nombre, poids et mesure* (Sap. 8, v. 21); et auquel le Psalmiste dit: *Seigneur vous avez tout fait en Sagesse* (Psal. 103, v. 24). »

« Combien de fois nous arrive-t-il d'ignorer comment et pourquoi les œuvres mêmes des hommes se font, et dont dit le saint Evêque de Naziance: L'artisan n'est pas ignorant, encore que nous ignorions son artifice? Ni de même, certes, les choses de ce monde ne sont pas témérairement et imprudemment faites, encore que nous ne sachions pas leurs raisons (Orat. 14, n.° 42). Si nous entrons en la boutique d'un horloger, nous trouverons quelquefois une horloge qui ne sera pas plus grosse qu'une orange, à laquelle il y aura néanmoins cent ou deux cents pièces, desquelles les unes serviront à la montre, les autres à la sonnerie des heures et du réveil-matin; nous y verrons des petites roues, dont les unes vont à droite, les

autres à gauche; les unes tournent par-dessus, les autres par bas; et le balancier, qui, à coups mesurés, va balançant son mouvement de part et d'autre; et nous admirons comme l'art a su joindre une telle quantité de si petites pièces les unes aux autres, avec une correspondance si juste, ne sachant ni à quoi chaque pièce sert, ni à quel effet elle est faite ainsi, si le maître ne le nous dit; et seulement, en général, nous savons que toutes servent pour la montre ou pour la sonnerie... »

« Théotime, nous voyons ainsi cet univers, et surtout la nature humaine, comme une horloge composée d'une si grande variété d'actions et de mouvements, que nous ne saurions nous empêcher de l'étonnement. Et nous savons bien, en général, que ces pièces, diversifiées en tant de sortes, servent toutes, ou pour faire paraître comme en une montre, la très-sainte Justice de Dieu, ou pour manifester la triomphante Miséricorde de sa Bonté, comme par une sonnerie de louange; mais de connaître en particulier l'usage de chaque pièce, ou comme elle est ordonnée à la fin générale, ou pourquoi elle est faite ainsi, nous ne le pouvons pas entendre, sinon que le souverain Ouvrier nous l'enseigne, Or, il ne nous manifeste pas son Art, afin que nous l'admirions avec plus de révérence, jusqu'à ce qu'étant au ciel, il nous ravisse en la suavité de sa Sagesse, lorsqu'en l'abondance de son amour, il nous découvrira les raisons, moyens et motifs de tout ce qui se sera passé en ce monde, au profit de notre salut éternel (Liv. 4, chap. 8).

II. « Dieu a empreinte sa piste, ses allures et passées en toutes les choses créées; de sorte que la connaissance que nous avons de sa divine Majesté par les créatures ne semble être autre chose que la vue des pieds de Dieu, et qu'en comparaison de cela, la foi est une vue de la Face même de sa Divine Majesté, laquelle nous ne voyons pas encore au plein jour de la gloire, mais nous la voyons pourtant comme en la prime aube du jour... O combien est délicieuse la sainte lumière de la foi, par laquelle nous savons avec une certitude non pareille, non seulement l'histoire de l'origine des créatures et de leur vrai usage, mais aussi celle de la naissance éternelle du grand et souverain Verbe divin, auquel et par lequel tout a été fait, et lequel avec le Père et le Saint-Esprit est un seul Dieu, très-unique, très-adorable, et béni ès siècles des siécles! Amen. » (Liv. 3, chap. 9).

§ IV.

De majoris et minoris mundi pulchritudine in genere.

1126. — In sequenti loco, S. Franciscus 1°) præclare disserit de pulchri essentia et conditionibus; 2°) asserit, Deum esse summum Pulchrum; 3°) Deum aliquos Pulchritudinis suæ radios in cuncta opificia sua sparsisse, singularum partium diversitatem ordinando ad totius unitatem.

I. « L'union établie en la distinction fait l'ordre; l'ordre produit la convenance et la proportion; et *la convenance ès choses entières et accomplies*, fait la beauté. Une armée est belle, quand elle est composée de toutes ses parties, tellement rangées en leur ordre, que leur distinction est réduite au rapport qu'elles doivent avoir ensemble, pour ne faire qu'une seule armée. Afin qu'une musique soit belle, il ne faut pas seulement que les voix soient nettes, claires et bien distinguées, mais qu'elles soient alliées en telle sorte les unes aux autres, qu'il s'en fasse une juste consonnance et harmonie, par le moyen de l'union qui est en la distinction, et la distinction qui est en l'union des voix, que non sans cause on appelle un accord discordant, ou plutôt une discorde accordante. »

« Or, comme dit excellemment l'angélique S. Thomas (1. q. 5, art. 4, ad. 1^{um}) après le grand S. Denis (de Div. Nomin., cap. 4, § 7), la beauté et la bonté, bien qu'elles aient quelque convenance, ne sont pas néanmoins une même chose; car le bien est ce qui plait à l'appétit et volonté; le beau, ce qui plait à l'entendement et à la connaissance. Ou, pour le dire autrement, le bon est ce dont la jouissance nous délecte; *le beau ce dont la connaissance nous agrée*. Et c'est pourquoi jamais, à proprement parler, nous n'attribuons la beauté corporelle, sinon aux objets des deux sens qui sont les plus connaissants, et qui servent le plus à l'entendement, qui sont la vue et l'ouïe, si que nous ne disons pas: Voilà de belles odeurs, ou de belles saveurs; mais nous disons bien: Voilà de belles voix, et de belles couleurs. »

« Le beau étant donc appelé beau, parceque sa connaissance délecte, il faut que, outre l'union et la distinction, l'intégrité, l'ordre et la convenance de ses parties, il ait *beaucoup de splendeur et de clarté*, afin qu'il soit connaissable et visible. Les voix, pour être belles, doivent être claires et nettes; les discours, intelligibles; les couleurs, éclatantes et resplendissantes. L'obscurité, l'ombre, les ténèbres sont laides et enlaidissent toutes choses, parce qu'en

icelles rien n'est connaissable, ni l'ordre, ni la distinction, ni l'union, ni la convenance. Ce qui a fait dire à Saint Denis, que Dieu, comme souveraine Beauté, est Auteur de la belle convenance, du beau lustre et de la bonne grâce qui est en toutes choses, faisant éclater, en forme de lumière, les distributions et départements de son rayon, par lesquelles toutes choses sont rendues belles, voulant que pour établir la beauté, il y eût la convenance, la clarté, et la bonne grâce. Certes, Théotime, la beauté est sans effet, inutile et morte, si la clarté ne l'avive, et lui donne efficace; dont nous disons les couleurs être vives, quand elles ont de l'éclat et du lustre. »

« Mais quand aux choses animées et vivantes, la beauté n'est pas accomplie sans *la bonne grâce*, laquelle, outre la convenance des parties parfaites, qui fait la beauté, ajoute la convenance des mouvements, gestes et actions, qui est comme l'âme et la vie de la beauté des choses vivantes. »

II. « Ainsi, en *la souveraine Beauté de notre Dieu* nous reconnaissons l'union, ains l'unité de l'Essence en la distinction des Personnes, avec une infinie clarté, jointe à la convenance incompréhensible de toutes les perfections des actions et mouvements, comprises très-souverainement, et, par manière de dire, jointes et ajoutées excellemment en la très-unique et très-simple Perfection du pur Acte divin, qui est Dieu même, immuable et invariable, comme nous le dirons ailleurs. »

1127. — III. « *Dieu donc, voulant rendre toutes choses bonnes et belles*, a réduit la multitude et distinction d'icelles en une parfaite unité, et, pour ainsi dire, il les a toutes rangées à la monarchie, faisant que toutes choses s'entretiennent les unes aux autres, et toutes à lui, qui est le souverain Monarque. »

« Il réduit tous les membres en un corps, sous un chef; de plusieurs personnes, il forme une famille; de plusieurs familles, une ville; de plusieurs villes, une province; de plusieurs provinces, un royaume; et soumet tout un royaume à un seul roi. »

« Ainsi, Théotime, parmi l'innumérable multitude et variété d'actions, mouvements, sentiments, inclinations, habitudes, passions, facultés et puissances, qui sont en l'homme, Dieu a établi une naturelle harmonie en la volonté, qui commande et domine sur tout ce qui se trouve en ce *petit monde*, et semble que Dieu ait dit à la volonté ce que Pharaon dit à Joseph : *Tu seras sur ma maison; tout le peuple obéira au commandement de ta bouche; sans ton commandement, nul ne remuera* (Gen. 41). Mais cette domination de la volonté se pratique certes fort différemment. » (Liv. 1, cap. 1).

§ V.

De supernaturali animæ nostræ pulchritudine et similitudine cum Deo, quæ essentialiter in charitate consistit.

Sanctus doctor 1°) probat hanc charitatis præeminentiam; et 2°) describit divinam transformationem, quam charitas in anima justa operatur.

I.

Tota perfectio nostra supernaturalis essentialiter consistit in charitate.

1128. — Hanc S. Augustini et D. Thomæ doctrinam passim evolvit S. Franciscus in suo Tractatu de Amore divino, præsertim in Libro II, qui inscribitur: *De la souveraine autorité que l'amour sacré tient sur toutes les vertus, actions et perfections de l'âme.* Sequentia hujus Libri Capita indicare sufficiat.

Chapitre 8. Comme la charité comprend toutes les vertus.

Chapitre 9. Que les vertus tirent leur perfection de l'amour sacré.

Chapitre 13. Comme nous devons réduire toute la pratique des vertus et de nos actions au saint amour.

Chapitre 15. Comme la charité comprend en soi les dons du Sain-Esprit.

Chapitre 19. Comme l'amour sacré comprend les douze fruits du Saint-Esprit, avec les huit béatitudes de l'Evangile.

Chapitre 20. Comme le divin amour emploie toutes les passions et affections de l'âme, et les réduit à son obéissance.

En ultimi hujus Capitis 20 initium : « L'amour est la vie de notre cœur; et comme le contrepoids donne le mouvement à toutes les pièces mobiles d'une horloge, aussi l'amour donne à l'âme tous les mouvements qu'elle a. Toutes nos affections suivent notre amour, et selon icelui nous désirons, nous nous délectons, nous espérons et désespérons, nous craignons, nous nous encourageons, nous haïssons, nous fuyons, nous nous attristons, nous entrons en colère, nous triomphons. »

« Ne voyons-nous pas les hommes qui ont donné leur cœur en proie à l'amour vil et abject des femmes, comme ils ne désirent que selon cet amour; ils n'ont de plaisir qu'en cet amour; il n'espèrent ni désespèrent que pour se sujet; ils ne craignent ni n'entreprennent que pour

cela; ils n'ont à contre-cœur, ni ne fuient que ce qui les en détourne; ils ne s'attristent que de ce qui les en prive; ils n'ont de colère que par jalousie; ils ne triomphent que par cette infamie. C'en est de même des amateurs des richesses, et des ambitieux de l'honneur; car ils sont rendus esclaves de ce qu'ils aiment, et n'ont plus de cœur en leur poitrine, ni d'âme en leurs cœurs, ni d'affections dans leur âme, que pour cela. »

« Quand donc le divin amour règne dans nos cœurs, il assujétit royalement tous les autres amours de la volonté, et par conséquent toutes les affections d'icelle, parceque naturellement elles suivent les amours. Puis, il dompte l'amour sensuel, et, le réduisant à son obéissance, il tire aussi après icelui toutes les passions sensuelles. Car en somme, cette sacrée dilection est l'eau salutaire de laquelle Notre-Seigneur disait: *Celui qui boira de l'eau que je lui donnerai, il n'aura plus soif* (Joan. 4, v. 13). Non vraiment, Théotime, qui aura l'amour de Dieu un peu abondamment, il n'aura plus ni désir, ni crainte, ni espérance, ni courage, ni joie que pour Dieu, et tous ses mouvements seront accoisés en ce seul amour céleste. »

In *Capite 9* legitur: « La charité est entre les vertus comme le soleil entre les étoiles; elles leur distribue à toutes leur clarté et leur beauté. Le foi, l'espérance, la crainte et la pénitence, viennent ordinairement devant elle en l'âme, pour lui préparer le logis; et comme elle est arrivée, elles lui obéissent et la servent, comme tout le reste des vertus, et elle les anime, les orne et vivifie toutes par sa présence. »

II.

De animæ justæ transformatione. in Deum per charitatem.

1129. — Per charitatem, anima vult seu diligit summum Bonum et Pulchrum, quod Deus est. — Atqui, volendo Bonum et pulchrum, ipsa fit quidem bona et pulchra, si antea erat mala et turpis; fit melior et pulchrior, si jam antea erat bona et pulchra. — Ergo per charitatem, secundum Dei Bonitatem ac Pulchritudinem, peccator reformatur et justus transformatur.

De hac conformitate voluntatis humanæ cum divina, præcipue loquitur sanctus Doctor in Libro 8, cujus argumentum sequentibus verbis indicatur: *De l'amour de conformité, par lequel nous unissons notre volonté à celle de Dieu, qui nous est manifestée par ses commandements, conseils et inspirations.* Initium tantum Capitis 1 transcribemus: « Comme la bonne terre, ayant reçu le grain, le rend en sa saison au centuple, ainsi le cœur qui a pris de la complaisance en Dieu, ne se peut empêcher de vouloir donner à Dieu une autre complaisance. Nul ne nous plait, à qui nous ne voulions plaire... Le véritable amour n'est jamais ingrat; il tâche de complaire à ceux auxquels il se complait; et de là vient la conformité des amants, qui nous fait être tels que ce que nous aimons...

« Or, cette transformation se fait insensiblement par la complaisance, laquelle étant entrée en nos cœurs, en engendre une autre, pour donner à celui de qui nous l'avons reçue... A force de se plaire en Dieu, on devient conforme à Dieu, et notre volonté se transforme en celle de la divine Majesté par la complaisance qu'elle y prend. L'amour, dit Saint Chrysostôme, ou il trouve, ou il fait la ressemblance; l'exemple de ceux que nous aimons a un doux et imperceptible empire, et une autorité insensible sur nous; il les force ou de les quitter, ou de les imiter... En somme, le plaisir que l'on a en la chose, est un certain fourrier, qui fourre dans le cœur aimant les qualités de la chose qui plait. Et pour cela, la sacrée complaisance nous transforme en Dieu que nous aimons; et à mesure qu'elle est grande, la transformation est plus parfaite; ainsi les Saints, qui ont grandement aimé, ont été fort vitement et parfaitement transformés, l'amour transportant et transmettant les mœurs et humeurs de l'un des cœurs en l'autre... »

In Libro I, cap. 6, dicitur: « La volonté gouverne toutes les autres facultés de l'esprit humain, mais elle est gouvernée par son amour *qui la rend telle qu'il est.* Or, entre tous les amours, celui de Dieu tient le sceptre, et a tellement l'autorité de commander, inséparablement unie et propre à sa nature, que s'il n'est le maître, incontinent il cesse d'être et périt. »

ARTICULUS VII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN PHILIPPO A SS. TRINITATE.

1130. — Prænotanda. *De duplici contemplationis objecto in genere.*

Præter *Summam philosophicam* et *Summam theologicam*, juxta S. Thomæ principia compositas, egregius hic Carmelita, anno 1656 edidit *Summam theologiæ mysticæ*, de quo opere ipse dicit in præfatione: « quod cæteris omnibus aliis præfero, præcipuum meorum operum. » Ex hac ultima Summa quædam referemus

eorum, quæ docet de duplici contemplationis objecto.

Duplex illud objectum sic ipse distinguit: « Quia contemplatio christiana est simplex divinæ Veritatis intuitus; vel, ut alii volunt, summæ Deitatis atque effectuum ejus, affectuosa et sincera cognitio; vel infusa, si sit contemplatio supernaturalis; vel nostra industria seu studio comparata: sequitur quod *objectum principale* hujus contemplationis sit divina Veritas, comprehendens tam divinam Essentiam et Trinitatem, quam utriusque perfectiones ac proprietates; *objectum vero minus principale* sint effectus Dei, sive creaturæ a Deo procedentes, et ad ipsum dirigentes eos, qui pulchritudinem illarum speculantur. »

§ I.

De Deo unitrino, qui est primarium contemplationis objectum.

Præclare loquitur auctor de Dei unitate, et Trinitate. Unitatem probat: 1°) ex infinita Dei perfectione; 2°) ex mundi unitate, et ostendit; 3°) Trinitatem personarum non destruere Essentiæ divinæ unitatem.

I.

Deus unus est, quia infinite perfectus.

1131. — « Deus debet esse perfectissimus, continens in se omnem perfectionem possibilem; nomine quippe Dei, omnes intelligunt id quo majus concipi non potest; cujus ratio est, quia Deus est suum Esse illimitatum et infinitum, ac proinde summum Bonum; ens enim et bonum convertuntur; et ita qui continet totam essendi rationem, continet etiam omnem bonitatis perfectionem, et consequenter est unus tantum Deus. Nam si plures essent dii, deberent inter se differre, ita quod unus haberet aliquid quod alius non haberet; illud autem in quo differrent, deberet esse perfectio aliqua unicuique propria, cum in Deo non possit esse imperfectio; et sic esset in unoquoque perfectio aliqua quæ non esset in alio; unde nullus eorum esset Deus, cum Deus debeat omnem continere perfectionem possibilem. »

« Secunda ratio est: Si plures essent dii, vel distinguerentur specie, vel solo numero. Primum dici non potest, nec ullus dixit; alias unus esset essentialiter perfectior alio; species enim inter se distinguuntur essentiali perfectione; et ita ratio prima redit, quod esset aliqua perfectio in quolibet, quæ non esset in alio; et sic nullus esset Deus, cum Deus summe perfectus esse debeat, ac proinde omnem continere perfectionem. — Secundum etiam dici non potest; cum enim Deus sit omnino immaterialis, est intra eamdem speciem immultiplicabilis; sola quippe materia est principium individuationis pure numeralis; et insuper in quolibet individuo ejusdem speciei, reperitur individualis aliqua perfectio, quæ non est in alio; et sic prima ratio semper currit. »

« Non solum autem Deus est unus, sed etiam est maxime unus, ut ratio D. Thomæ, 1. q. 11, art. 4, suadet: « Cum unum sit ens indivisum, ad hoc quod aliquid sit maxime unum, oportet quod sit maxime ens, et maxime indivisum. Utrumque autem competit Deo. Est enim maxime Ens, inquantum Est, non habens aliquod esse determinatum per aliquam naturam, cui adveniat. Sed est ipsum Esse subsistens omnibus modis indeterminatum. Est autem maxime indivisum, inquantum neque dividitur actu, neque potentia, secundum quemcumque modum divisionis, cum sit omnibus modis simplex. »

II.

Deus unus est, quia mundus unus est, et monarchice gubernandus.

1132. — « De *Orpheo* dicitur quod hæc scripserit filio: « Solum Regem formatorem aspice mundi, unicus est, ac sibi perfectus; sunt omnia ab uno. » Item dicitur quod in testamento, jusserit filio, ut unum tantum Deum coleret factorem mundi; multitudinem vero aliorum deorum aspernaretur. — *Socrates*, propter hanc veritatem, ut refert Cicero, ab Atheniensibus occisus est; multitudinem enim deorum deriserat, et moriens dixisse traditur: « Dubius vixi, dubius morior, nescio quo vadam: Ens entium, miserere mei! » — Divinus *Plato* sæpius in suis libris fatetur unum tantum esse Deum. — Sed clarius *Aristoteles* hanc profitetur veritatem, et multis in locis probat. Ex ejus namque scriptis multæ ad hanc probandam demonstrationes, tum physicæ, tum morales colliguntur: sed præcipue lib. 12 Metaphysicæ, ubi ex perfecto mundi regimine probat Deum esse, his verbis Librum et totam Metaphysicam concludens: « At entia nolunt male gubernari; non est bonum pluralitas principatuum; unus sit ergo princeps. » (Tract. 1, disc., 3, art. 3).

III.

Trinitas personarum Unitatem Dei non destruit, et est principale Objectum contemplationis supernaturalis.

1133. — « Nec mysterium SS. Trinitatis Unitati divinæ contrariatur; tres enim divinæ Per-

sonæ sunt unus et idem Deus. Unde, licet Filius in divinis sit alius a Patre, non tamen alius Deus, sed est alius scilicet in Persona, qui est idem Deus propter eamdem Naturam summe unam in tribus divinis Personis existentem; nec pluralitas in divinis reperta Personis, ex divisione divinæ Perfectionis, aut ex divinæ Naturæ multiplicatione, aut ex aliqua limitatione procedit, sed ex sola dimanat oppositione relationum. » (Ibidem).

« Etsi contemplatio supernaturalis ad omnia se objecta diffundat, ad quæ contemplatio naturalis seipsam extendit, tam in creaturis quam in ipso Creatore, principalius tamen... mysterium SS. Trinitatis, quasi magis proprium ipsique proportionatum respicit objectum, utpote prorsus supernaturale... »

§ II.

De mundo juxta Deum unitrinum exemplato, qui est secundarium contemplationis objectum.

1°) Omnium creaturarum contemplatio nos reducit ad suum Creatorem, cujus Perfectionem repræsentant. 2°) Omnes enim divinam Bonitatem repræsentant per modum vestigii. 3°) Rationales autem creaturæ, per modum imaginis.

I.

Omnes creaturæ juxta divini Artificis Ideas producuntur, et nos ad eum reducunt.

1134. — Docet auctor, cunctas creaturas a supremo Artifice procedere, inæquali perfectione repræsentando æqualem ejus Perfectionem, atque ad eum circulariter redire, ac simul nos illas contemplantes, ad suum et nostrum Creatorem reducere. Aliis verbis, asserit singulas et omnes creaturas ad Deum ordinari, et nos ordinare tanquam ad primam Causam efficientem, exemplarem et finalem.

« Quia Deus, christianæ contemplationis objectum, non potest in hoc mortalis vitæ statu in seipso videri, nec immediate secundum seipsum ab intellectu humano attingi, qui sensuum ministerio ad intelligendum indigens, sola quæ sub sensibus cadunt materialiter, directe percipit, et mediis ad spiritualia pertingit: inde est, quod qui ad Dei contemplationem assurgere ac pertingere desiderat, debet ad illum per creaturas, tanquam per varios gradus, paulatim ascendere. »

« Creaturæ, Dei Creatoris effectus ignobiliores, sunt velut quædam ipsius *vestigia;* nobiliores vero rationem *imaginis* ejus habent, quamvis non omnino perfectæ (solus Dei Filius, Patri consubstantialis est Imago ejus perfecta, et figura Substantiæ ejus); inde tales creaturæ potius ad imaginem, quam imagines Dei factæ dicuntur, juxta illud Genesis 1: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

« Sunt igitur creaturæ omnes, divinæ Substantiæ quædam emanationes, magis aut minus perfectæ, juxta propriam cujusque ideam, qua magis aut minus divinam Perfectionem participant. Cum enim divina Substantia sit infinite perfecta, plures et in infinitum semper perfectiores habet modos communicabilitatis *ad extra,* ita quod emanatâ quacumque et quantumcumque perfectâ creaturâ, possint aliæ et aliæ perfectiores, secundum gradus determinatos emanare; et nunquam divina Perfectio, in tali emanatione ac communicatione, poterit exhauriri; sicut nec divina Omnipotentia, qua producuntur. Cujus ratio manifesta est, quia quæcumque producuntur actu, et quantumcumque perfectæ creaturæ, semper finitam, et sigillatim et simul sumptæ, perfectionem dicent, ac proinde ab infinita Dei Perfectione deficientes infinite (cum inter Infinitum et finitum sit infinita distantia), adhuc ipsam, secundum varios et perfectiores semper in infinitum modos, communicabilem et participabilem relinquunt, secundum determinatas ideas, quas Deus juxta summam ejus Sapientiam formare potest. »

« Procedunt igitur a Deo plures ac variæ creaturæ, secundum varios perfectionis essentialis in unaquaque juxta determinatam speciem limitatæ gradus; quamvis omnes, ex parte Principii et actionis productione, quæ est ipsa Dei Substantia, sunt æque perfectæ, ac ejusdem Fontis emanantes rivuli, qui eo puriores, quo proprii Fontis originis propinquiores. »

Tunc enumerat auctor rivulos quatuor creaturarum, ex divinæ Pulchritudinis Fonte emanantium, scilicet creaturæ pure spirituales, seu angeli; deinde corpora cœlestia; postea elementa terrestria, seu corpora simplicia; ac tandem corpora mixta, sive inanimata, sive animata triplici vita, vegetativa, sensitiva et intellectiva, qualis est solus homo.

Et pergit: « Et sicut flumina ac rivuli intrant in mare, unde exeunt, sic prædicti quatuor creaturarum rivuli, ad ipsum Divinitatis Fontem redeunt, unde exierunt; non solum quatenus ad ipsum Deum, tanquam ad ultimum Finem tendunt, sed etiam quatenus perfectiones ipsius repræsentantes, ad ejus contemplationem creaturas intellectuales elevant... » (Tract. 1, disc. 1, art. 1).

In Articulo 9, optime ostendit quomodo spectaculum mundi, seu ordinis universi, mentes et corda nostra ad Deum elevet.

II.

Omnes et singulæ creaturæ divinam Perfectionem repræsentant per modum vestigii.

1135. — In Discursu 4 nuperrime citato, auctor contemplatione ad Deum ascendit per singulos creaturarum gradus, quos primum in genere indicant, quosque enumerare sufficiet.

Primus gradus, in elementis.

Secundus gradus, in mixtis inanimatis.

Tertius gradus, in meteoris.

Quartus gradus, in cœlis.

Quintus gradus, in viventibus vegetativis.

Sectus gradus, in sensitivis.

Septimus gradus, in viventibus intellectivis, scilicet in homine et angelis, de quibus aliqua in sequenti articulo transcribemus.

III.

Creaturæ spirituales divinam Perfectionem insuper repræsentant per modum imaginis.

1°) De creaturis spiritualibus in genere.

1136. — « Supremum ac perfectissimum genus viventium est intellectivum, sub quo continentur homo, angelus et Deus. Ex creaturis igitur intellectivis, ex homine scilicet et angelo, qui ad imaginem Dei facti sunt, ad ejusdem Dei contemplationem facilius et altius elevamur, quam ex aliis creaturis, in ordine vegetantium et sensibilium, quæ solum quædam Dei vestigia dicuntur, coarctatis. »

« Sub genere viventium intellectivo comprehenduntur, ut dictum est, tam homo quam angelus; ille, velut ex materia et forma rationali compositus, non pure est intellectivus cum angelis, sed etiam est vegetativus cum plantis, et sensitivus cum brutis; ita ut in seipso, tanquam parvus mundus, et creaturarum compendium, omnium illarum perfectiones aliqualiter participet. Habet enim esse cum inanimatis, vegetare cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum angelis. Unde ex ejus speculatione facilius ad Dei contemplationem assurgimus; maxime, quia ex una parte, sublimes illi spiritus angelici, qui perfectius Deum repræsentant, pro hoc statu mortalis vitæ, non sunt nobis noti; ex alia vero parte, quilibet homo, qui se ipsum in ordine ad hanc contemplationem considerabit, perfectissime potest se noscere, proprias perfectiones naturales in suis operationibus intueri, et sic ad divinas contemplandas assurgere, cum humanæ et aliæ perfectiones, sint divinarum diminutæ quædam participationes. »

« Naturæ intellectuali secundum se, duæ potentiæ conveniunt, intellectus scilicet ad cognoscendum, et voluntas ad tendendum in bonum cognitum. Cuilibet siquidem naturæ proprius convenit appetitus, in ordine ad suam conservationem: naturæ quidem non cognoscenti, naturalis appetitus; cognoscitivæ sensibili, appetitus elicitus; et cognoscitivæ intellectuali, appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas. Per intellectum, omne verum potest cognoscere, naturale quidem, propriis viribus; supernaturale vero, superadditis gratiæ viribus. Similiter per voluntatem potest omne bonum amplecti; naturale quidem, ex seipsa; supernaturale autem, ex gratia. »

2°) De angelis in specie.

1137. — a) **De angelorum existentia.**

Probatur ex variis rationibus naturalibus, et ex Scriptura. Primam tantum rationem referemus... « Naturali quidem ratione demonstratur ex hujus universi perfectione, quæ sicut alios gradus entis, sic perfectum intellectualitatis gradum, qui in solis angelis continetur, participare debet, ut sic universum perfectum Auctori suo Deo perfecte assimiletur... »

b) **De angelorum multitudine.**

« Angelorum multitudo omnium specierum materialium actu creatarum numero excedit. » Probatur ex Daniele 7. « Colligitur etiam ratione naturali, per hoc quod partes præcipuæ mundi debent esse in majori excessu creatæ, vel secundum quantitatem *(dimensivam)*, ut contingit in cœlis et elementis, vel secundum numerum, ut dicimus de angelis. Nam perfectio mundi, quæ maxima est, petit habere plures species rerum perfectiorum, ad ipsum pertinentium per modum partium præcipuarum, quam rerum imperfectiorum, ut ex ipsis constat terminis. »

c) **De angelorum natura et ordinatione.**

« Angeli sunt omnino incorporei, immateriales, incorruptibiles, ac per se subsistentes. In tres hierarchias, et novem ordines distribuuntur. »

« In prima hierarchia, ascendendo, est ordo Angelorum, qui minima nuntiant; ordo Archangelorum, qui summa nuntiant, et ordo Potestarum, qui mira patrant. »

« In secunda, seu media hierarchia, est ordo Principatuum, qui præsunt aliis inferioribus, ordo Virtutum, qui in eis operantur; et ordo Dominationum, qui eis imperant. »

« In tertia et suprema, est ordo Thronorum, in quibus Deus plane residet; ordo Cherubim, qui scientia Dei perfunduntur; et ordo Seraphim, qui divini incendii amore flagrant; quilibet enim ordo plenius munus illud accepit quo denominatur, quamvis sit mutua singulorum in aliorum munerum communicatio. »

3°) De homine in specie.

1138. — « Sed relictis pro nunc angelis... seipsum homo colligat, et sic intus in centro cordis collectus, ex mirabilibus quæ in seipso videbit, Deum facilius et suavius contempletur, quam foris liceret; et in intimo mentis suæ sacrario, divinam ejus Majestatem veneretur. »

« Consideret primo mirabilem corporis et animæ rationalis unionem; quomodo hæc forma spiritualis materiæ primæ, jam dispositæ suæ comparti, ad constituendum per se hominem, uniatur. Quis tam distantia, tamque dissimilia ad hunc effectum potuit conjungere, præter Deum? »

« Consideret deinde corpus humanum... sic apte dispositum *(variis partibus suis)*, ut sit etiam visu pulcherrimum... »

« Tandem ad animæ suæ contemplationem accedat, ejusque naturam ex propriis operationibus inquirat. Et cum operationes pure spirituales in ea deprehenderit, scilicet cujuscumque veritatis etiam æternæ cognitionem, et summi ac divini Boni volitionem, evidenter concludat animam suam esse pure spiritualem, a Deo creatam, ac per se subsistentem. »

« Non solum in animæ contemplatione, Deum unum, increatum, æternum summeque perfectum inveniet, sed etiam augustissimum SS. Trinitatis mysterium colligere poterit: in mente Patrem, in intellectu Filium, in amore Spiritum sanctum scrutabitur, cum sic illa distinguantur, ut simul unita maneant... Janua ergo contemplationis homini aperitur, quando ipse sua se ratione ducente, ad se cognoscendum ingreditur; ingresso autem, via usque in finem currenda restat, ut scilicet quisque ea consideratione propria, ad agnitionem Creatoris sui perveniat. Nostra ergo nos natura instruit, quod Creatorem habemus æternum, cui suum et proprium est quod subsistit; cui idem est Esse et id quod Est; unde necessario semper Est, quia a semetipso separari nihil potest. Necesse est ergo, ut Creatorem hunc nec principium, nec finem habere posse confiteamur; principium enim non habet quod semper fuit; nec finem, quod nunquam desinit; neque ergo æternus præter solum Creatorem, neque Creator nisi æternus esse potest. » (Tract. I, disc. 1. art. 8).

ARTICULUS VIII.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN PATRE D'ARGENTAN.

1139. — Hic auctor Capucinorum ordinem sæculo XVII illustravit scribendo, cum pari scientia et pietate, tria opera, quibus tituli sunt: *Conférences sur les grandeurs de Dieu.* Item *sur les grandeurs de Jésus-Christ.* Item *sur les grandeurs de la T.-S^te Vierge Marie,* mère de Dieu. — In eis novit res sublimissimas mediocribus ingeniis accommodare mediantibus jucundis comparationibus. Sic in primo prædictorum operum totam divini Exemplarismi doctrinam eleganter explicat, comparando divinum mundi Artificem pictori humano. Optime enim loquitur: 1°) de divino et pulcherrimo Pictore, similitudinem propriæ Pulchritudinis operante *ad intra,* atque *ad extra;* 2°) de omnibus ejus opificiis physice repræsentantibus unitrini Pictoris sui Pulchritudinem; 3°) de homine moraliter imitante Pictorem unitrinum.

Hoc loco non referemus nisi duo prima puncta, et quidem in tribus paragraphis.

§ I.

De divini Pictoris Pulchritudine.

1140. — Tres sunt pulchritudinis conditiones juxta S. Thomam, 1. q. 39, art. 8, corp., scilicet *integritatem,* seu perfectionem, ad quam refertur unitas et simplicitas; *claritatem,* ad quam referuntur distinctio ac varietas; *proportionem,* ad quam refertur harmonia. — Atqui, in divina Natura, seu Forma, tres illæ conditiones in summo gradu reperiuntur. Invenitur namque perfectio simplicissima et infinita, cum Deus sit Actus purus; invenitur distinctio ac varietas clarissima, cum divina attributa a se invicem distinguantur suis relationibus *ad extra,* et divinæ Personæ suis relationibus *ad intra;* invenitur harmonia conjunctissima, cum omnia Dei attributa, et tres Personæ, inter se uniantur in unitate ejusdem Naturæ individuæ. — Ergo Deus est summe pulcher.

I.

De simplicissima Dei Perfectione.

1141. — « *Deus est!* Il ne faut rien ajouter à cela, pour expliquer bien ce que c'est que Dieu. On a tout dit, quand on a dit qu'il Est; et si on ajoute *qu'il est un Acte pur,* c'est pour nous

faire entendre, que ce n'est pas comme la créature, qui n'a qu'une légère portion de l'être, précédée, suivie et toute environnée d'une infinité de non-êtres. Mais Dieu possède actuellement toute la plénitude de l'Être, sans nul mélange de privation, ni d'aucune possibilité. »

« Dieu Est; mais jamais il n'a pu être; jamais il ne pourra être, et maintenant il ne peut pas être; il est actuellement, sans commencement, sans fin, sans succession, et sans aucune altération; et voilà ce qu'on appelle un Acte pur. »

« Dieu Est; mais il n'a point été, et il ne sera point; d'autant qu'avoir été, signifie quelque chose de passé; devoir être, signifie quelque chose de futur. Il n'y a ni passé, ni futur en Dieu, mais il Est actuellement, c'est-à-dire qu'il est un pur Acte. »

« Dieu Est; mais il n'est point ceci ou cela en particulier, d'autant qu'il n'est point un être limité; mais c'est l'Être infini, qui renferme en soi toute l'étendue de l'être. Il est donc tout l'être, et il n'est rien de tous les êtres crées, comme l'explique excellemment S. Grégoire de Naziance dans l'une de ses éloquentes poésies: *Tu omnia, tu nihil rerum.* C'est ainsi qu'il est un pur Acte. »

« Dieu Est; mais il n'est pas depuis un certain temps, et n'est point fait Dieu par un autre; c'est un Être éternel, un Être nécessaire, un Être par lui-même. Car qui est-ce qui lui aurait donné son Être, puisqu'il est la source des êtres? Qui est-ce qui aurait limité son Être, puis qu'il ne l'a pas reçu d'un autre? C'est le seul Être infini et indépendant, qui bannit de soi-même tout non-être; et voilà ce que l'on veut dire, quand on dit qu'il est un pur Acte. Mais nos esprits sont trop limités pour le concevoir, et nos expressions trop grossières pour en parler, d'autant qu'il est infini en tout, et nous ne saurions rien concevoir ou dire, qui ne soit fini. »

« Cependant c'est cette Actualité infinie de son Être, qui est le coloris spirituel, si on peut parler ainsi, qui donne l'éclat et perfectionne toute la Beauté infinie de Dieu. Et comme le coloris s'épand universellement sur toutes les parties du visage pour animer sa beauté, qui demeurerait languissante et fade sans la vivacité de ce coloris: de même cette excellence incomparable d'être un Acte pur, s'étend sur tous les attributs divins, qui font la Beauté infinie de Dieu. La Toute-puissance de Dieu est belle, mais sa Beauté consiste en ce qu'elle est un Acte pur, qui ne peut être mélangé d'aucune impuissance. La Justice de Dieu est belle, mais sa Beauté consiste en ce qu'elle est un Acte si pur, qu'elle ne peut être mélangé d'aucune injustice. L'Éternité de Dieu est belle, mais sa Beauté est d'être un Acte pur, qui ne peut être mélangé de la succession de nos temps, qui ont leur passé et leur futur. Ainsi du reste des perfections de Dieu, dont la grande Beauté consiste en ce qu'elles sont un Acte infiniment pur, qui ne peut être mélangé de la seule ombre du moindre défaut. » (Confér. 24, art. 4).

II.

De varietate et harmonia divinorum attributorum.

1142. — Auctor præclare disserit de mirabili concordantia variorum Dei attributorum, quæ virtualiter ab Essentia, et ab invicem distinguuntur, et tamen in communi Essentia uniuntur, ac mirabiliter inter se consentiunt. Celebrat pulcherrimam harmoniam Dei Æternitatis omnia tempora continentis, cum Dei Immensitate omnia loca continente; laudat præterea harmoniam Dei Misericordiæ et Justitiæ. Item Dei Intellectus et Voluntatis. De divina Misericordia et Justitia sic loquitur: « La Miséricorde et la Justice, quoiqu'elles semblent avoir des tons différents, font néammoins une harmonie si belle, qu'on ne saurait les séparer, sans troubler la musique qui chante la gloire de Dieu, et sans que l'homme mette son salut en grand danger. »

« Le pécheur chante incessamment sur la terre: « Miséricorde, Miséricorde, Miséricorde infinie de mon Dieu, j'espère en vous! Et pendant qu'il tait la Justice, il pèche toujours contre la Justice. Viendra un temps qu'il criera éternellement dans les enfers: Justice, Justice, Justice impitoyable de Dieu, qui m'écrasez sous la pesanteur de vos châtiments! Cependant il ne verra jamais reluire sur lui aucun rayon de Miséricorde. »

« Pourquoi les avez vous ainsi séparées, pour ne les chercher que l'une après l'autre? Que ne faisiez-vous le concert et l'harmonie des deux ensemble, à l'exemple du Roi-prophète: *Misericordiam et Judicium cantabo tibi, Domine.* (Psal. 100, v. 1). Je loue, mon Dieu, j'adore, j'aime également votre Miséricorde et votre Justice; l'une me fait trembler de crainte, et l'autre m'anime d'espérance. Je ne présume pas de vous offenser impunément, parce que je sais que vous êtes infiniment juste, et que plutôt vous cesseriez d'être Dieu, que de laisser un seul péché sans punition. Mais je ne désespère pas aussi d'obtenir de vous la rémission de mes péchés, quoiqu'ils soient énormes

et en très-grand nombre, parceque je sais que vous êtes infiniment miséricordieux. O Beauté incomparable de cette harmonie! Miséricorde de Dieu que vous êtes juste! Justice de Dieu que vous êtes miséricordieuse! Ne les séparons jamais l'une de l'autre, mais qu'elles résonnent sans cesse à nos oreilles l'une avec l'autre; la douceur de cette harmonie soutiendra admirablement la gloire de Dieu et l'innocence de nos âmes. » (Ibid., art. 3).

III.

De distinctione et harmonia trium Personarum divinarum.

1143. — Distinctio illa oritur ex extrema oppositione relationum realium, quibus realiter distinguuntur ab invicem, ac constituuntur tres Personæ; harmonia autem consistit in individua ejusdem naturæ Unitate Personarum inter se.

« Voulez-vous voir la Beauté de Dieu d'un autre regard, qui vous la fera paraître si charmante et si admirable, que vous serez obligé de vous écrier tout transporté d'amour et de joie: *Valde admirabilis es, Domine, et Facies tua plena est gratiarum* (Esther 15). Que vous êtes admirable, Seigneur, et que votre Face est pleine de grâces! »

« Portez vos considérations sur l'accord incompréhensible de l'Unité de l'Essence et de la Trinité des Personnes divines. Comment peut-il se faire que l'Unité divine ne confonde point la Trinité, et que la Trinité ne divise point l'Unité? Une Essence fait que trois Personnes ne sont qu'un seul Dieu, et trois Personnes font qu'une seule Essence est un Dieu en trois personnes. L'Unité égale parfaitement les trois divines Personnes dans les perfections absolues, et la Trinité les partage parfaitement dans les perfections relatives. L'Unité fait que Dieu est seul, mais la Trinité fait qu'il n'est pas solitaire. Ainsi cette Majesté infinie possède l'Unité sans solitude, et la Trinité sans multitude. »

« Oh! que de miracles qui nous sont incompréhensibles! que de beautés qui ravissent éternellement les Bienheureux, qui les voient à découvert dans le plein jour de la gloire! Que de profonds mystères, qui ont abîmé de tout temps l'esprit de tous les contemplatifs. Le divin Aréopagite, le plus élevé de tous ceux que nous connaissons, après un vol d'esprit sur ces hautes montagnes, nous a laissé ces trois grandes paroles, qui pourraient servir d'entretien à une âme pendant toute sa vie: *Ex Pulchro isto omnium concordiæ, amicitiæ et communiones* (De Div. Nom., cap. 4). Il dit que cette Beauté infinie est le Principe de toutes les concordes, de toutes les amitiés et de toutes les communications, qui font le bonheur du monde, et toutes les beautés du temps et de l'éternité. La *concorde* est l'harmonie de plusieurs, qui n'ont qu'un même esprit, et qui conviennent dans les mêmes lumières. *L'amitié* est l'union de plusieurs, qui n'ont qu'une même volonté et les mêmes affections; et la *communication* enfin est une mutuelle correspondance des actions, une donation réciproque des biens, qui deviennent communs entre les personnes unies par les liens de l'amitié et de la concorde. » (Ibidem).

§ II.

De divino Pictore, similitudinem Pulchritudinis suæ operante ad intra et ad extra.

1144. — Hæc operatio fit per Intellectum et Amorem, quibus Deus, seipsum cognoscendo atque diligendo, necessario producit in seipso Filium suum ac Spiritum sanctum; et quibus idem Deus, necessario seipsum cognoscendo ut diversimode imitabilem, et libere volendo varias creaturas seipsum imitantes, eas *ad extra* libere producit imperio Verbi sui, in æternitatis vel temporis instanti, quod decrevit. — Jamvero, divina operatio potest picturæ comparari, inquantum terminus divinæ operationis *ad intra*, vel *ad extra*, est productio suæ similitudinis, perfectæ quidem in Filio suo, sed imperfectæ in creaturis. — Ergo Deus est supremus Pictor.

I.

Deus Pater Filium suum, Mente generando producit, et quodammodo in divina Natura pingit suam Imaginem sibi æqualem.

1145. — « Quelle gloire pour la peinture, si on considère que Dieu lui-même est le premier Peintre, et qu'il n'a point de plus sublime occupation, ni de plus agréable entretien, durant l'éternité, que de se peindre incessamment soi-même dans son Image? Son Immensité est la toile étendue, mais étendue si au large, que lui-même n'en voit pas le terme. La Beauté qu'il a devant les yeux et qu'il veut représenter, c'est sa propre Essence. Ses couleurs sont ses perfections adorables, qui lui sont toutes nécessaires, et qu'il emploie absolument sans réserve. Son pinceau est son divin Entendement, dont il ne fait jamais qu'un seul trait; et son ouvrage qu'il n'a jamais commencé et qu'il ne finira jamais, mais qu'il

produit toujours actuellement dans toute sa perfection, est son Fils unique, que Saint Paul nomme l'Image de Dieu invisible (Coloss. 1.). Mais que fait en cela ce Peintre admirable, sinon de nous peindre la Sagesse? car nous savons tous que le Verbe éternel est la Sagesse de Dieu. Voilà la gloire incomparable de la Peinture. Dieu le Père est le premier Peintre, et la Sagesse incréée est tout ce qu'il peint en lui-même. » (Confér. 22, art. 2).

II.

Deus Pater in Filio, seu Verbo suo, quod generat, videt varios modos, sive ideas, quibus pulcherrima Essentia divina imitabilis est.

1146. — « Cette divine Pensée n'est pas seulement immense en son étendue, ni seulement éternelle dans sa durée; mais elle est vivante, et toute Vie; et tout ce qui est en elle est Vie. C'est ainsi que l'Evangile nous en parle: *Quod factum est, in ipso Vita erat* (Joan. 1). Car de même qu'un architecte, qui s'est formé dans son idée le dessein d'un fort beau palais, le porte en sa tête avant qu'il l'exécute par ses mains, mais le porte tout spirituel et tout vivant; que les pierres les marbres, le bois, le fer et toutes les choses qui doivent servir de matière pour le bâtir, vivent dans son esprit, de la même vie que l'architecte, quoique tout cela n'ait pas de vie dans son être naturel: *Arca in opere non est vita, arca in arte vita est* (S. Aug., Serm. 1. in Joan.): de même le Verbe adorable, par lequel toutes choses ont été faites, et qui est cette Pensée adorable de Dieu, de laquelle nous parlons ici, portait le dessein de tout ce grand univers, formé dans ses Idées éternelles; et c'est ce que les théologiens appellent le monde exemplaire. Alors tout était Vie en lui, toutes les pierres qui le composent, vivaient de sa propre vie. La terre était vie et tous le éléments étaient vie; les plantes, les cieux, les animaux, les pierres, les hommes, tout était vie en lui, parce que c'était son Idée vivante, et cette Idée, n'est autre chose que Dieu même, qui est le grand Océan des vies: *in ipso Vita erat.* » (Confér. 8, art. 2).

III.

Deus Pater, necessario diligendo æqualem Imaginem suam, cum ipsa producit Spiritum sanctum, in quo libere volendo varias similitudines suas, producit ad extra creaturas.

1147. — « Je vois quelque chose qui me fait mieux connaître les splendeurs infiniment vives de la Beauté de Dieu, quand je considère que le plaisir de contempler cette Beauté, fait toute l'occupation de Dieu dans l'éternité. »

« Que faisait-il avant la Création du monde, sinon jouir des délices infinies de sa propre Beauté, où je remarque trois choses tout-à-fait admirables. La première que la vue de cette unique Beauté ravit tout l'Esprit de Dieu, infini comme il est, et le comble de tant de satisfaction, qu'elle le tient attaché à elle inséparablement, sans qu'il soit en son pouvoir d'en détourner les yeux un seul moment. Quels charmes infiniment puissants doit donc avoir cette Beauté? — La seconde, qu'elle remplit le cœur de Dieu d'une joie abondante, qu'il n'est plus capable, tout immense qu'il est, d'en concevoir une plus grande. — Et la troisième, que cette admirable Beauté a tant de puissance sur la Volonté toute-puissante de Dieu, qu'elle la nécessite à l'aimer; mais à l'aimer d'un amour éternel, d'un amour infini, d'un amour toujours actuel, et enfin d'un amour si nécessaire et si parfait, qu'il produit un terme qui est Dieu; et c'est le Saint-Esprit. »

« Si nous pouvions dire que cette Personne adorable eût un père et une mère, nous dirions que les deux autres Personnes divines seraient son père, et que la Beauté infinie de Dieu serait sa mère; car il est certain que c'est par le ravissement que le Père et le Fils ont, à la vue de cette Beauté, qu'ils produisent cette jubilation de leur cœur, ce soupir d'amour, cette allégresse de leur Volonté. »

« Saint Augustin semble avoir la bouche toute remplie de cette suavité même que goûtent les divines Personnes, quand il en parle au Livre sixième de la Trinité: *Est Spiritus sanctus Genitoris Genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas* (cap. 10). Il dit que c'est la suavité, la douceur, la joie, le souverain plaisir du Père et du Fils, que la vue de leur ineffable Beauté nécessite à s'aimer réciproquement, et à produire, par cet amour, un Dieu qui leur est égal, mais que la surabondance du plaisir, dont elle les remplit, sollicite sa Bonté à faire des profusions d'amour dans les créatures, pour leur donner l'être, et pour les rendre capables d'aimer avec eux cette même Beauté qu'ils voient infiniment aimable. » (Confér. 24, art. 4).

§ III.

De omnibus divini Pictoris unitrini opificiis, Pulchritudinem ipsius physice repræsentantibus.

1°) Creaturæ corporales Deum unitrinum repræsentant per modum *vestigii*. 2°) Anima hu-

mana Deum unitrinum repræsentat per modum *imaginis*, in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ. 3°) Angeli pulchrius adhuc Deum unitrinum naturaliter repræsentant. 4°) Omnes creaturæ ipsæ in invicem repræsentantur, seu pinguntur, per suas species sensibiles, imaginarias et intelligibiles.

I.

De rerum creatione, et creaturis corporalibus divinam Pulchritudinem repræsentantibus per modum vestigii.

1148. — 1°) « Mais quand Dieu est venu à enfanter ce qu'il avait conçu, et qu'il produit au dehors ce qu'il avait formé en lui-même, exécutant son dessein dans la création du monde; tous les êtres crées, sortant de ce Principe de la vie, ont comme perdu cette Vie divine qu'ils avaient en Dieu. C'est comme l'architecte, quand il bâtit au dehors le palais qu'il portait dans ses pensées; alors tout n'est plus vie, mais il donne à chacun des êtres telle nature et tel degré de perfection qu'il lui plait, selon la place plus ou moins noble qu'il veut lui donner dans son bâtiment. Aux uns Dieu ne donne que l'être simple, comme aux éléments; aux autres, l'être et la vie, comme aux plantes; aux autres, l'être, la vie et le sentiment, comme aux animaux; aux autres, l'être, la vie, le sentiment et la raison, comme aux hommes. Mais tout cela étant une fois sorti des Idées de Dieu, ou de cette Pensée vivante de Dieu, ne vit plus de la Vie de Dieu (Confér. 8, art. 2).

2°) Nous voyons que la Bonté de Dieu a bien voulu satisfaire en quelque chose les pieux désirs des bonnes âmes qui l'aiment, qui le désirent, qui brûlent de voir sa Beauté; et ça été en nous traçant lui-même quelques petits vestiges de cette incomparable Beauté dans les créatures... Ce ne sont pas ses images parfaites, qui nous représentent les éclats majestueux de son Visage; ce ne sont que les ombres ou les vestiges de ses pieds, et néanmoins elles ont tant de charmes, qu'elles enlèvent les esprits qui les considèrent, et leur font du moins conjecturer quelque chose de grand de la Beauté de Dieu, qui leur parait incompréhensible. »

Tunc in specie describit auctor pulchritudinem *prati* floribus verno tempore variati, *cœli* sideribus nocte serena conspersi, *solis* universum mundum illuminantis, calefacientis et fecundantis, et præsertim formam *corporis humani*, ob cujus amorem multi insaniunt, pugnant, divitias, honorem, vitam sponte disperdunt. Denique sic concludit:

« O Dieu d'amour, que faut-il donc que nous pensions de votre ineffable Beauté, puisque tous les hommes travaillent infatigablement, qu'ils se combattent et qu'ils s'entretuent, enchantés qu'ils sont par les vestiges de vos pieds? Pourquoi les rois et les empereurs se font-ils la guerre, si ce n'est pour la possession de la grandeur et de la gloire humaine? Eh! que sont les grandeurs, les royaumes et toutes les richesses des princes du monde, sinon des vestiges de vos pieds imprimés sur la terre, *vestigia Creatoris?* Pourquoi tant d'avares courent-ils par terre et par mer, pour chercher de l'or et des pierreries, sinon parcequ'ils sont passionnément amoureux de la beauté de ces choses? Eh! que sont-elles, sinon les vestiges de vos pieds imprimés sur une matière corruptible, *vestigia Creatoris?* Pourquoi les plus savants philosophes, et les plus beaux esprits du monde, ont-ils de tout temps trouvé tant de charmes a étudier les secrets de la nature, sinon parcequ'ils y voyaient des beautés, qui les ravissaient? Mais que sont toutes ces beautés, sinon quelques vestiges de vos pieds imprimés sur les créatures, *vestigia Creatoris?* Comme celui qui marche sur la poussière laisse bien quelques marques, qui font voir qu'il a passé par là, mais qui ne font pas connaître quelle est sa beauté. »

« Si donc les seules impressions de vos pieds marqués comme sur le sable, ont des beautés qui animent tous les courages, des éclats qui excitent toutes les passions, des charmes qui enchaînent tous les esprits, des attraits qui captivent tous les cœurs et qui bouleversent tout le monde, qui peut concevoir ce que c'est de voir votre Face, ô Source intarissable de beautés? *Valde mirabilis es, Domine; Facies tua plena gratiarum.* (Esther. 9). Et qui nous empêche de la voir et de la contempler sans cesse, du moins par les yeux de la foi, en attendant l'heureux moment que nous la verrons clairement par la lumière de la gloire? Ô Beauté infinie de mon Dieu, qui devez faire ma béatitude éternelle, quand me ferez-vous la miséricorde de me dévoiler votre Face, que je porte imprimée fortement dans mon esprit. Soyez toujours présente à ma mémoire, soyez l'unique objet de tous mes désirs. Si je pense souvent à vous, je vivrai toujours élevé au-dessus du monde, il sera impossible que mon cœur conçoive ni estime, ni affection pour toutes les choses mortelles. » (Confér. 24, art. 1).

II.

De animæ humanæ pulchritudine in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ, singulariter ac collective.

1149. — « Il est vrai que si les vestiges des pieds du Créateur paraissent imprimés sur les

autres créatures, c'est sur le front de l'être spirituel, que ce grand Architecte du monde a pris plaisir de tracer les plus beaux traits de ressemblance, selon cette parole du Psaume 4: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Vous nous faites porter, Seigneur, le caractère de votre divine lumière. »

« Quand cette âme embrasse tous les temps, quand elle se souvient du passé, quand elle prévoit le futur, quand elle considère le présent, et quand elle passe encore au-delà des siècles; n'est-ce pas une belle image de l'*Eternité de Dieu,* qui renferme en soi tous les temps, et qui les surpasse? Quand elle raisonne sur les choses universelles, quand elle conçoit les vérités de toutes les sciences, quand elle contemple l'infini, n'est-ce pas quelque trait de la souveraine *Sagesse* de Dieu? Quand elle invente tant de fabriques différentes, quand elle forme les desseins de tant d'ouvrages de diverse nature, et qui tous s'efforcent d'imiter la nature, n'est-ce pas quelque petite ombre de la *Toute-puissance de Dieu?* Enfin quand nous voyons que cette âme, unique et simple en sa substance, a trois facultés qui s'écoulent de son essence, la mémoire, l'entendement et la volonté; et que la mémoire, toujours féconde, fournissant à l'entendement les objets de sa connaissance, il en produit en lui-même une image qui les représente; et que la volonté de même, se complaisant en cette ouvrage de l'entendement, produit un amour qui le satisfait, n'est-ce pas une vivante image *d'un Dieu en trois personnes,* où le Père contemplant son Essence, produit un Verbe, qui en est l'expression et la vivante Image, et que l'un et l'autre, par un soupir de jubilation, produisent un Amour infini, un Saint Esprit qui les comble de joie? »

« Mais s'il est vrai qu'une âme séparée de la matière, considérée dans son état purement naturel, à tant de beauté qu'elle ferait honte à toutes les beautés corporelles, que faut-il penser de la beauté surnaturelle qu'elle reçoit par la grâce et les vertus? La beauté de cent mondes comme celui-ci ne l'égalerait pas. »

« Mais enfin que faut-il donc juger de cette beauté éternelle et divine, qu'elle reçoit dans la gloire, quand elle vient a être abimée dans le sein de Dieu? Elle a des éclats si charmants, que si nous voyions une âme bienheureuse dans la majesté de sa gloire, nous tomberions à l'instant en terre, ébloui de l'éclat d'une lumière si brillante, et nous croirions avoir vu Dieu même? »

« Mais s'il est vrai qu'une seule âme a tant de beautés dans la nature, dans la grâce et dans la gloire, que serait-ce donc de voir tout ensemble la beauté de ce monde innombrable d'âmes que Dieu a créées, qu'il sanctifie par ses grâces, et qu'il glorifie dans le ciel? Représentez-vous les beautés de la Cité sainte, où toutes les âmes bienheureuses, qui sont en si grand nombre, que personne, dit S. Jean, ne peut les compter, sont placées dans un bel ordre, comme autant de miroirs très-purs, où le grand Soleil de l'éternité se plait de peindre les beautés de sa Face adorable, par une profusion de lumières, qui les revêtent des beautés de Dieu même, et les font paraître comme autant de dieux. Oh! quel ravissement de voir toutes ces beautés réunies ensemble! C'est là un parterre et une prairie émaillée de fleurs bien différentes de celles qui paraissent sur la terre, durant la saison du printemps; et toutefois qu'est-ce que toute cette beauté, sinon un petit rayon de la Beauté infinie de Dieu, qu'il veut bien leur communiquer? *Quanto his Dominator eorum speciosior est?* (Sap. 13)... »

III.

De angelorum pulchritudine, humanam pulchritudinem naturaliter superante.

1150. — « Mais c'est encore peu que tout cela, ô Dieu d'amour. Quelle haute idée concevrions-nous de votre Beauté infinie, si nous pouvions porter les yeux sur les beauté suréminentes des créatures purement spirituelles, comme sont les anges, qui n'ont aucun commerce avec la matière! Nous les verrions rangés en un si bel ordre, que l'un n'est point égal à l'autre; mais l'un possède toujours quelque degré de perfection et de beauté au-dessus de son inférieur. Or, c'est le sentiment de plusieurs grand théologiens que leur nombre est si grand, qu'étant distingués en neuf chœurs, le dernier, qui est le moindre en perfection et en multitude, dépasse le nombre des hommes; les autres huit chœurs se surpassent aussi l'un l'autre en nombre, en excellence et en beauté, avec des proportions égales à leur plus haute élévation; en sorte que plus les intelligences célestes sont d'un ordre éminent, plus aussi est grand le degré de beauté que le supérieur a au-dessus de son inférieur. »

« Faites-vous de cette merveille une échelle mystérieuse comme celle de Jacob, pour monter à la connaissance de la Beauté infinie de Dieu; et, pour commencer à vous élever au-dessus de la terre, posez pour principe assuré que le dernier des anges surpasse en beauté *(naturelle)* toutes les âmes raisonnables; et puisque le troisième à la même élévation proportionnée au-dessus du second, et le quatrième au-dessus du

troisième; ainsi de tous les autres, de degré en degré, où les supérieurs en ordre, le sont aussi toujours en excellence et en beauté. Montez ainsi des degrés innombrables, autant qu'il y a d'individus de la nature angélique, dont le nombre surpasse les individus de la nature corporelle selon S. Thomas (1. q. 50, art. 3), qui suit en cela la sentence du très-sublime Saint Denys l'Aréopagite... N'est-il pas vrai qu'avant que vous fussiez arrivés seulement au centième, votre esprit serait accablé par le poids de cette grande idée qu'il faudrait se former, pour en concevoir toute la beauté?... Lorsque vous seriez au dernier degré, et que vous auriez admiré cette multitude innombrable de beautés qui se surpasseraient toutes l'une l'autre, vous pourriez dire, et vous diriez vrai, qu'elles n'approchent pas de celle de Dieu, mais qu'elles en sont infiniment plus éloignées, qu'elles ne le sont de la difformité de la plus horrible créature. *Quanto his Dominator eorum speciosior est?* (Sap. 13). »

« O Beauté ineffable et incompréhensible à tout autre qu'à vous-même! O Beauté tout aimable et infiniment adorable! Si un petit atôme de beauté, qui nous parait dans les créatures, a tant de charmes pour se faire aimer, pourquoi donc toute l'immensité de la Beauté infinie, que vous renfermez dans votre sein, ô mon Dieu, n'enlève-t-elle pas tous les cœurs des hommes? Ne faut-il pas être tout-à-fait aveugle, et n'avoir ni la lumière de la foi, ni la lumière de la raison, ni même la lumière des sens? Où est ta foi, ô homme, qui veux passer pour chrétien, si tu ne crois pas cette Beauté infinie, qui tient éternellement l'esprit de Dieu appliqué à la contempler avec un plaisir infini, et qui suspend tous les Bienheureux qui sont dans le ciel, dans un ravissement continuel, sans qu'ils s'en puissent jamais distraire pour un seul moment?... Si tu croyais cette vérité d'une ferme foi, quels seraient là-dessus les désirs ardents de ton cœur, et les mouvements de ton âme?... (Confér. 24, art. 2).

IV.

De omnibus creaturis, seipsas in aliis pingentibus per species, quibus repræsentantur.

1151. — In sequenti loco, D'Argentan ingeniose evolvit doctrinam scholasticam, quæ docet, omne objectum sensibile agere in organa sensuum nostrorum, eis imprimendo similitudinem, seu speciem suam; sensus autem in hanc impressionem reagendo producit speciem expressam, qua cognoscit objectum *sensibiliter*. Absente objecto, hæc species expressa manet impressa in phantasiam, quæ hanc exprimendo producit phantasma, quo objecta *imaginarie* a nobis cognoscuntur. Tunc intellectus agens, ex phantasmate abstrahit speciem intelligibilem, quæ in passivum intellectum imprimitur, et directe ab eo exprimitur, ita ut objectum *intellectualiter*, sed generaliter tantum a nobis cognoscatur. Deinde intellectus, reflexione convertendo se ad phantasma, cognoscit particulariter objectum, quod ab eo repræsentatur. Tandem rationis discursu, producit reflexam speciem intelligibilem, qua objectum complete intelligit. Inde sequitur, omne objectum varie cognosci per variam suæ similitudinis communicationem, sive per species sensibiles, imaginarias et intelligibiles, quæ merito ab auctore comparantur picturæ; sed requiritur nostrarum potentiarum cognoscitivarum reactio in impressionem ab objectis acceptam.

« Quand Dieu s'est expliqué au-dehors de lui-même par les créatures, quoiqu'il les ait faites de conditions fort différentes, et qu'il leur donne des qualités et des emplois conformes au rang qu'elles tiennent dans le monde, il a néanmoins voulu que tous les êtres visibles fussent des peintres, et qu'à l'exemple de Dieu le Père, ils ne cessassent jamais de se peindre eux-mêmes. En est-il un seul, de quelque condition qu'il soit, pourvu qu'il soit visible, qui ne fasse une profession si particulière de cet art, que comme s'il était inséparable de son être, vous l'auriez plutôt détruit, que de l'empêcher de se peindre toujours, et de se représenter dans son image partout où il peut; mais avec des secrets et des industries si particulières, que nous remarquons quatre prodiges dans l'exercice de son art, qui non seulement nous sont inimitables, mais qui paraissent des merveilles de la Sagesse de Dieu tout-à-fait incompréhensibles. »

« Premièrement, il n'est point d'objet visible qui ne sache exprimer sa très-parfaite ressemblance dans son espèce ou son image, qui n'est qu'un accident très-simple et une quantité très-légère, qu'il envoie au dehors de lui, dans tout l'espace diaphane qui l'environne, jusqu'au terme d'où il peut être vu. Je dis: *dans tout l'espace*, en sorte qu'il n'y a pas un seul point qui n'en soit rempli. Cependant il fait tout cela à si petit bruit, que personne ne s'en aperçoit; avec si peu de peine, qu'il ne lui en coûte aucun travail; en si peu de temps, qu'il ne lui faut qu'un seul moment; et son tableau est si parfait et si achevé, qu'il est impossible à toutes les créatures de le représenter mieux qu'il ne

fait lui-même dans cette espèce; que les philosophes appellent *une espèce intentionnelle...*»

« Secondement, ces espèces, ou ces images des objets visibles, n'ont aucune couleur *(artificielle)*, mais elles font voir toutes les couleurs; elles n'ont aucune grandeur *(c'est-à-dire aucune grandeur concrète, aucun volume)*, car elles sont indivisibles, mais elles font avoir toutes les grandeurs; elles n'ont ni forme, ni figure *(concrète)* mais elles représentent parfaitement toutes les figures et toutes les formes...»

« En troisième lieu, toutes ces espèces des objets visibles sont si complaisantes, qu'elles ne s'incommodent point les unes les autres; et quoiqu'elles soient infiniment multipliées et de conditions aussi différentes que sont toutes les choses qui les produisent, chacune n'est attentive qu'à faire paisiblement son ouvrage, sans empêcher le travail des autres... Quand vous regardez un grand passage, où vous remarquez cent choses différentes, et dans le total un nombre innombrable de couleurs différentes, voyez-vous qu'elles se confondent dans la prunelle de vos yeux, où elles sont toutes peintes, et qui n'a guère plus de grandeur que la tête d'une épingle? Ne discernez-vous pas très-distinctement le blanc et le noir, et toutes les couleurs, toutes les diverses dispositions de tous ces objets, sans aucune confusion?...»

« Je remarque encore, après tout cela, un quatrième prodige de la Sagesse de Dieu dans cette sorte de peinture, qui ne me semble pas moins surprenante, ni moins inconcevable que les autres. Comment est-ce que tous ces peintres naturels peuvent fournir à peindre toujours, sans se lasser jamais, sans cesser un seul moment et sans s'épuiser? Je ne suis pas surpris que Dieu le Père, ce premier Peintre, et ce Peintre éternel, peigne toujours sa divine Image, et qu'il s'épanche tout entier en elle, s'épuisant tout entier sans s'épuiser jamais, pour la produire aussi grande en tout, et aussi parfaite que lui, d'autant que sa fécondité est inépuisable. Mais que le moindre objet visible, quelque faible qu'il soit, imite ainsi la fécondité du Père céleste... qui n'avouera, que c'est une merveille qui passe nos intelligences, et qui nous doit faire admirer les grandeurs de Dieu?...»

« Qu'est-ce, ô grand Dieu, qui était capable d'inventer un tel Art, sinon l'Esprit du Dieu tout-puissant?... Si nous ne voyons pas sensiblement en cela les merveilles de la Sagesse infinie de Dieu, si nous ne les admirons pas, si nous ne les bénissons pas, je ne sais ce qu'il faut dire pour nous les faire mieux connaître...» (Confér. 24, art. 2).

APPENDIX

TERTIÆ PARTIS TOMI PRIMI.

DE DIVINO EXEMPLARISMO IN QUIBUSDAM ALIIS AUCTORIBUS HODIERNIS.

Doctrinam universalem de divino Exemplarismo, et de trino omnium rerum ordine, *confirmavimus* universali testimonio sapientium antiqui, medii et moderni ævi, eam in parte vel in toto tradentium per omnia sæcula, ad SS. Trinitatis gloriam, et hominis perfectionem juxta hoc divinum Exemplar procurandam.

Hanc partem terminabimus simul colligendo *locos aliquos* auctorum hodiernorum, qui consenserunt omnibus sapientibus præcedentibus, nimirum Joannis Görres, Ill^{mi} ac Rev^{mi} D^{ni} Landriot, D^{ni} Blanc, Patris Faber Orat. Londinensis, et R^{di} D^{ni} Lalance.

1152. — I. *Görres.* Introductionem ad opus suum de Mystica sic incipit: « Deus, quamvis unicus in Essentia sua, trinus est in Personis. Mundus creatus, quamvis unicus in Idea Dei, qui eum produxit, triplex est in suis manifestationibus. Nam tria entium genera in eo distinguuntur: alia *spiritualia* et invisibilia; alia *materialia* et visibilia; alia *organica*, quæ nexum inter dua prima extrema constituunt. Inter entia illa organica, homo, in unitate personæ suæ, conjungit tria entium genera, quibus componitur totus mundus. Sic potest relationem plus minusve intimam cum singulis generibus illis inire, et singulæ relationes possunt esse diversæ cujusdam mysticæ fundamentum. »

In fine ejusdem Introductionis, Görres asserit, corpus et animam hominis in tres partes dividi, secundum divinæ Trinitatis personas, quæ in signo crucis exprimuntur. Anima est vegetativa, sensitiva et intellectiva.

1153. — II. *Blanc.* In sua Introductione ad Historiam ecclesiasticam, *Sect. 5, Principes fondamentaux de la Philosophie de l'Histoire*, considerans universales mundi leges in relationibus suis cum Ecclesia, triplicem distinguit legem: legem *oppositionis* extrinsecorum elementorum, legem *transitionis*, quæ oritur ex actione et reactione oppositorum elementorum, et legem *medii harmonici*, seu proportionalis, in quo conveniunt et terminantur omnes motus oppositi. Medium supremum, in quo conveniunt omnia extrema opposita, est Verbum Dei, sive consideretur in divina Trinitate, sive in Creatione,

sive in Incarnatione et in Ecclesia. Sequentia tantum verba transcribemus:

« Ainsi s'offre à nous le Milieu, dans le Dieu un et trin, *unus et trinus*, dans l'Unité suprême et infiniment féconde, dans les trois Personnes divines, et notamment dans celle du Fils, où il est personnifié. C'est du haut de cet Archétype divin que nous le voyons en quelque sorte descendre dans la Création, pour y imprimer, à mille degrés divers, essentiellement imparfaits, l'image et comme le cachet de l'auguste Trinité. L'image du Père, nous la reconnaissons dans l'unité que le Milieu constitue, et vers laquelle doivent tendre toutes choses; celle du Fils, dans le moyen terme, qui forme l'idée fondamentale de ce Milieu; enfin l'image du Saint-Esprit, dans la force unitive que nous nous représentons dans le Milieu pour attirer les extrêmes. Cette force universelle, qui est la vie de tout ce qui existe, anime le monde moral, où elle est amour, et nous en trouvons un symbole grossier dans le monde matériel, sous le nom d'attraction. Cette triple image de la Trinité, qui fait la beauté et la grandeur de la Création, dans l'ordre naturel, va nous apparaître, dans l'ordre surnaturel avec une magnificence nouvelle et vraiment divine. » (P. 383).

Tunc loquitur auctor de Verbo incarnato, Mediatore inter Deum et hominem lapsum, et de Ecclesia, quæ est medium inter Christum ipsum et homines ab eo redemptos, nam gratia Redemptionis nobis applicatur per Ecclesiæ Sacramenta.

Accuratius et clarius locutus fuisset laudabilis ille auctor, si tanquam medium harmonicum et universale, statuisset *similitudinem*, in qua duo extrema conveniunt in omni rerum ordine. Porro in trino ordine universali, medium harmonicum est *analogia*, per quam omnia entia in *esse* conveniunt cum supremo Ente exemplari atque inter se, juxta divini Exemplarismi doctrinam.

1154. — III. *Ill^mus ac Rev^mus Dominus Landriot.* Episcopus Rupellensis et Santonensis (La Rochelle et Saintes), in duobus operibus suis, quibus tituli sunt: *Le Christ de la tradition*, et *Du Symbolisme*, passim de Verbo Dei et de Exemplarismo loquitur innixus auctoritate plurimorum Patrum, Doctorum et scriptorum profanorum, tam antiquioris quam recentioris ævi. Rectissime docet, Symbolismum, seu arcanam analogiam inter res materiales et spirituales, in divino Exemplarismo fundari, scilicet in hoc facto, quod spiritus sunt *imagines*, corpora autem *vestigia* supremi ejusdem Exemplaris; ita ut quadam inter se similitudine convenire debeant.

« Ce mystère est expliqué par cette belle théorie, que les créatures intellectuelles et matérielles sont, dans un ordre différent, la réalisation des mêmes idées divines, et qu'elles se rencontrent en Dieu dans une commune harmonie. » (Le Christ de la tradition, Appendice, p. 391). Ibidem citat verba Comitis de Maistre: « Le monde physique n'est qu'une image, ou si vous voulez, une répétition du monde spirituel, et l'on peut étudier l'un dans l'autre alternativement. (Lett., T. 1, p. 247).

1155. — IV. *P. Faber* in opere suo de *Creatore et creatura*, Lib. 3, cap. 4, dicit: « Creaturæ inanimatæ et irrationales Deum glorificant solo pulchritudinis splendore, qua ab eo vestitæ sunt. Deum glorificant per suam convenientiam cum hominis indigentiis. Species earum, numero ac varietate plures quam nobis necessariæ sunt, vestigium nobis præbent inexhaustæ ac liberalissimæ fecunditatis Creatoris. Deum adhuc glorificant, præ se ferendo vestigium atque sigillum Divinitatis ejus, et etiam Trinitatis illius in Unitate; et gradus bonitatis earum gradui respondet in quo divinas perfectiones repræsentant. »

« Sed rationalis creatura Creatorem potissimum repræsentat. Per solam existentiam suam Deum repræsentat, sicut creaturæ inanimatæ et irrationales, at per intellectum suum cognoscit Deum, et hac cognitione eum diligit; diligit autem eum per voluntatem suam, atque sua dilectione illo fruitur. Ita cognitio, dilectio et gaudium, quibus creatura rationalis tripliciter ac præsertim Sanctissimæ Trinitatis imaginem in se ostendit, divinam Naturam laudant, mirantur, adorant, et sic eam glorificant. Tribus illis actibus, ad quos disponimur donis gratiæ et gloriæ, in Deum quasi ingredimur, atque in eo quiescimus. »

Ibidem, Lib. 2, cap. 2: « In creaturis rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum *imaginis*, inquantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens. Sed in creaturis omnibus invenitur repræsentatio Trinitatis per modum *vestigii*, inquantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ *necesse* est reducere in divinas personas, sicut in Causam... »

« Forsitam omnia Dei opera sigillum ferunt ejus Majestatis Unius et Trinæ, atque perpetuam illam et externam repræsentationem generationis Filii et processionis Spiritus sancti, quæ fuerunt atque sunt Vita Dei ab æterno. Natura, gratia et gloria; Incarnatio, Eucharistia, et Visio beatifica, forsitan impressum in se gerunt divinum illud sigillum, quod est velut symbolum, inscriptio, monogramma Trinitatis in Unitate. Et sic postquam Verbum illuminaverit omnem venientem in hunc mundum, et

Spiritus omnia corda attraxerit ad amorem obedientem atque ad sanctitatem, per gratiam sanctæ humanitatis Jesu Christi; tunc Dominus, sicut in mysterio scribit Apostolus, *tradet regnum Deo et Patri,... et ipse Filius*, quoad humanam naturam suam, *subjectus erit Ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (1. Cor. 15, v. 24, 28). Pater nos creavit, Filius nos redemit, Spiritus sanctus nos sanctificavit; et quando Filius et Spiritus a nostris erroribus nos liberaverint, Pater nobis seipsum dabit; et tunc, sicut Philippus Apostolus dixit Jesu: *Sufficit nobis.* (Joan. 14, v. 8). Tunc consummabitur Dei amor, implebitur carissimum ejus desiderium et coronabitur Creatio. »

Demum, Lib. 3, cap. 4, dicit: « Tunc quasi ultimus ille actus subjectionis ineffabilis, ab hac natura creata præstitus, quæ est Caput ac Primogenita omnis creaturæ, ultimam perfectionem conferet pulchritudini Creationis; Creator seipsum totum dabit omnibus, et temporum chronica claudentur; ultra tempus, omnia immersa erunt in æternitatis splendoribus inaccessibilibus. Talis est Creationis historia, qualis a theologis aliquatenus in divina Intelligentia legi potest. Est opus simplicis amoris, immensæ magnitudinis, miræ proportionis in omnibus partibus suis, et absolutissimæ perfectionis in minimis earum. Tanti operis vita, ab ejus exordio usque ad consummationem, est amor; et illius effectus est permanens, immortalis, sed creata mundi universi assimilatio ad æternam, increatam atque indivisibilem Trinitatem. »

1156. — V. *R.dus D.nus Lalance*, Pastor in Xivry-le-Franc, pago diœcesis Nanceiensis, anno 1876 opusculum edidit inscriptum: « *Le fait universel de la Triplicité unitaire*, ou Physonomie générale des vérités scientifiques dans les deux ordres intellectuel et moral. »

In præfatione legitur: « Ces deux mots, *triplicité* et *unité*, ont tous les airs d'une nouveauté suspecte; n'énonceraient-ils pas au moins une énorme contradiction? »

« Cependant ils ne nous disent que ce que nous voyons tous les jours, et ce qui frappe continuellement nos sens. »

« *La triplicité unitaire*, c'est-à-dire la triplicité dans l'unité, et l'unité dans la triplicité, ou par la triplicité, n'est pas un fait isolé et rare; c'est au contraire un fait patent, notoire, palpable, qui nous entoure sans cesse, puisqu'elle existe dans toute la matière par ses trois dimensions, qui sont bien la triplicité unitaire par excellence. Et, notons-le en passant, ces trois dimensions sont parfaitement distinctes entre elles; elles ne se confondent nullement; jamais l'une ne devient l'autre, à moins qu'on n'en change la dénomination. »

« *La triplicité unitaire* n'a donc rien d'illogique en elle-même. Mais ce qui le paraîtrait peut-être à certains esprits, ce serait d'énoncer qu'elle existe en tout, que rien ne subsiste que par elle, et que tout, dans l'ordre intellectuel comme dans l'ordre sensible, est constitué sur le type des trois dimensions. C'est cependant ce que j'entreprends de démontrer. »

« Quelque répugnance que l'on éprouve, il faudra bien se rendre à l'évidence; mes preuves sont inattaquables et sans réplique possible. Car elles sont fondées sur les Mathématiques mêmes, que je vais examiner dans ce petit ouvrage, qui n'est que le préliminaire obligé d'un second, où nous trouverons, dans les autres branches scientifiques, des applications incessantes et universelles d'une vérité que les sciences exactes nous auront enseignée... »

« Ma thèse, comme je l'ai énoncée, se fonde principalement sur les Mathématiques. »

« Mon but, dans cet opuscule, est de mettre à nu leurs témoignages en faveur de la *triplicité unitaire*, qu'elles nous montrent sous un voile assez transparent dans tout ce qu'elles nous enseignent. »

« Je déchirerai ce voile en trois parties: la *première* traitera en général des nombres; la *seconde*, de l'Algèbre, de la Géométrie, de l'Astronomie, et de la Mécanique; et la *troisième*, de la Physique, de la Chimie, de la Géologie, de la Botanique et de la Médecine. »

In Supplemento primæ Partis, auctor loquitur de triplicitate in sono musicali. Ergo ex mathematicis supputationibus et factis physicis probat trinitatem in unitate omnium rerum, quam nos, in hoc Tomo I, demonstravimus argumentis metaphysicis, theologicis, et auctoritate sapientium omnium temporum.

INDEX TERTIÆ PARTIS

IN QUA CONFIRMATUR DIVINUS EXEMPLARISMUS EX COMMUNI SAPIENTIUM DOCTRINA.

Argumentum tertiæ Partis ejusque divisio. in tres libros, secundum quod consideratur doctrina sapientium in antiquo, medio et moderno ævo . pag. 408

LIBER PRIMUS.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DOCTRINA SAPIENTIUM ANTIQUI ÆVI.

Scilicet in doctrina 1°) paganorum philosophorum; 2°) Patrum græcorum; 3°) Patrum latinorum.

CAPUT I.

De divino Exemplarismo et trino ordine in pagana philosophia.

Prænotanda. - De usu doctrinæ philosophorum paganorum . . . . . pag. 409

Divisio Capitis in tres Articulos.

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo et trino ordine in variis antiquitatis philosophis.

§ I. *In philosophia Indiæ, Sinæ, Ægypti et Persidis* . . . . . » 410

§ II. *In Pythagora, Cicerone et Seneca, qui ad Italiam pertinent* . . . . . » 411

ARTICULUS II. - De Aristotelis doctrina circa divinum Exemplarismum, et trinum ordinem.

§ I. *Circa divinum Exemplarismum* . . » 415

I. Aristoteles recte rejecit Pythagoræ Exemplarismum, ratione defectuum ejus . . . . . » 415
II. Recte etiam rejecit Exemplarismum Platonis . . . . . » 415
III. Verus Exemplarismus non est contra, sed extra doctrinam Aristotelis . » 415
IV. Aristoteles non docendo divinum Exemplarismum, multos docuit errores . . . . . » 417
V. Lacunæ et errores doctrinæ Aristotelis debent per verum Exemplarismum compleri et corrigi. . . » 418
VI. De concordia existente inter Aristotelis ac Platonis systemata. . . » 419

§ II. *Aristoteles docet trinum ordinem rerum* pag. 419

I. Asserit, trinum ordinem ab ipsa natura rebus inditum esse . . . . » 419
II. Assentit Platoni docenti Deum esse primam Causam trini rerum ordinis. » 420
III. Docet omnia corpora tripliciter perfici, quoad substantiam et quoad motum . . . . . » 420
IV. Docet, ordinem totius mundi consistere in harmonia elementorum contrariorum . . . . . » 421

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo et trino ordine in Platone.

§ I. *Tota Platonis doctrina in divino Exemplarismo, seu in æternis rerum ideis fundatur.* . . . . . » 421

I. Synthesis totius doctrinæ Platonis. » 422
II. De divina Essentia, pulcherrimo omnium rerum exemplari . . . . » 422
III. De toto mundo exemplari. . . . » 424
IV. De singularum rerum exemplaribus, sive ideis . . . . . » 424
V. De materia et forma in rebus, et de divino rerum Artifice. . . . . » 425

§ II. *Probabilius est Platonem rerum ideas, seu exemplaria, posuisse extra Intellectum divini Artificis* . . . . » 426

I. Testimonia auctorum ideas Platonis reprobantium tanquam positas extra divinum Intellectum . . . . » 426
A. Testimonium Aristotelis contra Platonis ideas. De hujus testimonii auctoritate, sensu et veritate . . » 426
B. Testimonia Patrum græcorum et latinorum contra Platonis ideas . » 429
C. Testimonia doctorum medii ævi contra Platonis ideas . . . . . » 430
II. Testimonia auctorum ideas Platonis approbantium tanquam positas in divini Artificis Intellectu. . . . » 431
III. Ipsius Platonis testimonium, ex quo probabilius videtur ideas posuisse extra divinum Intellectum . . . » 433

§ III. *Tota Platonis doctrina tripliciter ordinata est* . . . . . » 436

I. Causa trilogiæ platonicæ . . . . » 436
II. Schema trilogiæ harmonicæ, quæ in tota Platonis synthesi apparet. . » 437
1°) in ordine metaphysico . . . . » 437
2°) in ordine physico. . . . . » 437
3°) in ordine intellectuali . . . . » 438
4°) in ordine artistico . . . . . » 438
5°) in ordine morali . . . . . » 438
6°) in ordine sociali . . . . . » 439
7°) in fine ultimo . . . . . » 439

§ IV. *Plato nullatenus cognovit Trinitatem personarum in Deo* . . . . . pag. 439

I. Refutantur textus ex ipso Platone objecti . . . . . » 439
II. Refutantur textus ex prioribus Platonicis objecti. . . . . » 440

ARTICULUS IV. - De divino Exemplarismo et trino ordine in veteribus Platonicis.

§ I. *De divino Exemplarismo in Philone judæo* . . . . . » 441

I. De Exemplarismo in libris mosaicis contento. . . . . » 441
II. De mundo archetypo, quem divinus Artifex in Verbo suo excogitat . » 442
III. De Verbo Dei, harmonico omnium rerum nexu et moderatore . . . » 442
IV. De hominis mente sigillata Dei imagine . . . . . » 443
V. De rationis nostræ similitudine cum Verbo Dei . . . . . » 443

§ II. *De divino Exemplarismo et trino ordine in Plotino* . . . . . » 443

I. Exponuntur tria synthesis Plotinianæ principia . . . . . » 443
II. De Bono seu Pulchro per essentiam, supremo ordinis universi *Centro* . » 445
1°) Pulchrum per essentiam est supremum trini ordinis *Principium.* » 445
2°) Forma non formata, et infinita, est supremum *Exemplar*, secundum quod omnia pulchra formantur. . » 446
3°) Bonum et Pulchrum ab omnibus appetitur tanquam *Finis*, ita ut sit commune *Centrum* motus universi. » 447
III. De divinæ Mentis, Pulchri archetypi imaginis, perfectione et sapientia. » 448
1°) Divina Mens est Verbum, Filius et Imago supremi Pulchri archetypi. » 448
2°) Divina Mens immediate informatur ac tota impletur a summo Bono ex quo gignitur. . . . . » 449
3°) Divina Mens est ipsa Sapientia. » 450
IV. De divinis ideis, seu de variis modis imitationis Pulchri archetypi, a divina Mente conceptis . . . . » 450
1°) De divinarum idearum natura in genere . . . . . » 450
2°) De singularum rerum ideis in Mente divina . . . . . » 451
3°) De totius mundi idea in Mente divina . . . . . » 451
V. De divina Mente artifice, mundum pulcherrime formante . . . . . » 451
1°) Divina Mens est mundi Artifex. » 451
2°) Divina Mens mundum formavit libere ac facile, juxta Pulchrum archetypum immediate et simul totum a se intellectum . . . . » 451
3°) Divina Mens totum simul fecit mundum. . . . . » 452
VI. De divina Mente mundum pulcherrime gubernante. . . . . » 452
1°) Divina Mens mundum gubernat per æternam Providentiam suam, cujus decretis res divina similitudine sigillat. . . . . » 452
2°) Divina Mens facile providet universo mundo, quia omnia ad unum in eo ordinantur . . . . . pag. 453
3°) Divina Mens specialiter homini providet . . . . . » 454
VII. De mundo juxta Pulchrum archetypum inæqualiter, seu variis gradibus exemplato. . . . . » 454
1°) Totus mundus inæqualibus partibus suis divinam Pulchritudinem repræsentat . . . . . » 454
2°) Generalia rerum principia sibi invicem sunt contraria, et ex eorum unione nascitur harmonia universa. . . . . » 455
3°) Deus non est causa mali . . . » 455
VIII. De omni pulchritudine in formis idealibus et realibus fundata. . . . » 456
IX. De Pulchro divino a nobis contemplando . . . . . » 457
1°) Pulchrum divinum debet esse nostræ contemplationis Centrum . . » 457
2°) Mens nostra requiem invenire nequit nisi in sola Pulchri divini contemplatione. . . . . » 457
3°) In beata vita, mens nostra seipsam et Deum clare videbit, atque sic Deo perfecte assimilabitur. . » 458
X. De Pulchro divino a nobis per virtutes imitando . . . . . » 459
1°) Ipse Deus a nobis imitandus est. » 459
2°) Deus est eminenter omnium virtutum Exemplar. . . . . » 459
3°) Virtutes sunt in divina Mente ut exemplares, et in anima nostra ut exemplatæ . . . . . » 459
4°) Exemplatæ virtutes dividuntur in purgativas, et in virtutes purgati animi . . . . . » 460

§ III. *De divino Exemplarismo et trino ordine in Porphyrio* . . . . . » 460

I. De tribus rerum principiis in genere. » 460
II. De Mente divina in specie . . . » 460
III. De omnium rerum ordinatione ad primam Causam, et de inordinatione ex peccato exorta . . . . » 461
IV. De Deo a nobis contemplando . . » 462
1°) De infinita perfectione Dei a nobis contemplandi . . . . . » 462
2°) De Deo nobis intime præsente et intra nos contemplando . . . . » 462
V. De Deo a nobis per virtutes imitando. . . . . » 462

§ IV. *De divino Exemplarismo et trino ordine in Proclo* . . . . . » 463

I. De primæ Causæ necessitate . . » 463
1°) Necessario statuendum est Ens nihil participans, a quo cætera entia participant omnia . . . . » 463
2°) Necessario statuenda est prima Mens, a qua cæteræ mentes ideas suas participant . . . . . » 463
II. De primæ Causæ perfectione. . . » 464
1°) De primæ Causæ simplicitate, inquantum est Actus purus omnem potentiam actuans . . . . . » 464
2°) De primæ Causæ bonitate et unitate . . . . . » 465

3°) De primæ Causæ veritate et pulchritudine . . . . . pag. 466
a) De omnium rerum veritate in Mente divina, mundi Artifice . . » 466
b) De amabilitate divinæ Pulchritudinis supremum Bonum manifestante . . . . . » 466
III. De trina rerum omnium ordinatione ad primam Causam . . . . . » 466
1°) De universæ multitudinis reductione ad supremæ Causæ unitatem. » 466
2°) De similitudine, per quam res omnes a prima Causa progrediuntur, atque ad eam regrediuntur. » 467
3°) De trina et circulari omnium rerum ordinatione ad Centrum divinæ Causæ . . . . . » 468

CAPUT II.

De divino Exemplarismo et trino ordine in Patribus græcis.

Prænotanda. - De Platonismi influxu in philosophiam, sed non in Theologiam Patrum græcorum.

Divisio Capitis in duos Articulos.

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo et trino ordine in S. Dionysio Areopagita.

§ I. *Probatur authenticitas librorum areopagiticorum.* . . . . . » 469

I. Exponuntur et defenduntur argumenta authenticitatis . . . . . » 469
A. *Argumentum intrinsecum* . . . » 469
Probatur 1°) Ex testimonio ipsius auctoris . . . . . » 469
Refelluntur objectiones . . . . . » 470
Probatur 2°) Ex convenientia et excellentia doctrinæ in libris areopagiticis contentæ . . . . . » 470
Refelluntur objectiones . . . . . » 471
Probatur 3°) Ex convenientia et pulchritudine styli librorum areopagiticorum . . . . . » 472
Refelluntur objectiones . . . . . » 472
B. *Argumentum extrinsecum traditionis* . . . . . » 473
Probatur . . . . . » 473
Refelluntur objectiones huic argumento oppositæ . . . . . » 473
II. Refelluntur cæteræ adversariorum objectiones . . . . . » 474
Objectio 1ª) Ex obscuritate, in qua libri areopagitici latuissent usque ad sæculum VI . . . . . » 474
Objectio 2ª) Ex circumstantiis in quibus divulgati sunt . . . . . » 475
Objectio 3ª) Ex anachronismis, qui in eis apparent . . . . . » 475
Objectio 4ª) Ex mentione quam facerent de Clemente Alexandrino . » 476
Objectio 5ª) Ex eorum inscriptione ad Timotheum, tanquam ad S. Pauli discipulum . . . . . » 476
Objectio 6ª) Ex eo, quod loquuntur de antiquis traditionibus. . . . » 477
Objectio 7ª) Ex theologicis locutionibus, quibus utuntur . . . . . pag. 477
Objectio 8ª) Ex ritibus sacris, quos describunt . . . . . » 477
Objectio 9ª) Ex solemni monachorum professione in specie . . . . . » 477
Conclusio totius paragraphi . . . » 478

§ II. *Probatur totam S. Dionysii doctrinam divino et trino Exemplarismo informari in genere* . . . . . » 478

I. Scripta S. Dionysii de Deo uno et trino, seu de Ordine increato ac exemplari . . . . . » 479
II. Scripta S. Dionysii de rebus creatis, sive de trino earum ordine juxta Deum exemplato. . . . . » 480

§ III. *De supremæ Causæ Perfectione, Unitate et Trinitate* . . . . . » 480

I. De infinita supremæ Causæ Perfectione . . . . . » 480
II. De supremæ Causæ Unitate . . . » 481
III. De supremæ Causæ Unitate et Trinitate. . . . . » 481

§ IV. *De supremæ Causæ Veritate, Bonitate et Pulchritudine* . . . . . » 482

I. De supremæ Causæ Veritate. . . » 482
II. De supremæ Causæ Bonitate. . . » 482
III. De supremæ Causæ Pulchritudine. » 482

§ V. *De Deo unitrino, inquantum est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis* . . . . . » 483

I. Deus est suprema Causa efficiens, exemplaris et finalis . . . . . » 483
II. Quomodo Deus sit suprema Causa efficiens, exemplaris et finalis . . » 483

§ VI. *De operativis Dei attributis* . . . » 485

I. De divina Sapientia . . . . . » 485
II. De æternis rerum ideis in divina Sapientia intellectis . . . . . » 485
III. De divino Amore . . . . . » 486
IV. De divina Potentia omnia producente . . . . . » 487
V. De divina Providentia omnia ad finem gubernante, et de supremo Dei Regno . . . . . » 487

§ VII. *De omnibus Dei opificiis juxta Ipsum exemplatis, quantum ad esse.* » 488

I. Omnia Dei opificia ab ipso participant esse proprium, et divino Esse analogicum. . . . . » 488
II. Omnia entia creata participant divinæ Causæ Unitatem. . . . . » 489
III. Omnia entia creata participant divinæ Causæ Veritatem, Bonitatem et Pulchritudinem . . . . . » 489
IV. De malo in entibus creatis . . . » 491
1°) De mali origine et natura . . » 491
2°) De mali conciliatione cum divina Providentia . . . . . » 491

§ VIII. *De Dei opificiis juxta Ipsum exemplatis, quantum ad operationem* . » 491

I. De intellectu, quem Angeli et homines a divino Intellectu participant . » 491

1°) De intellectu angelico . . . . pag. 492
2°) De intellectu humano . . . . » 492
II. De amore, quem creaturæ a divino Amore participant . . . . . » 493
1°) De amore a creaturis participato . . . . . » 493
2°) De triplici creaturarum ad pulchrum et bonum motu, procedente ex amore . . . . . » 493

§ IX. *De hierarchia, per quam angeli et homines tripliciter ad Dei unitrini assimilationem ordinantur* . . . » 494

I. De trina hierarchia in genere . . » 494
1°) De hierarchiæ definitione, continente triplex ejus elementum et scopum . . . . . » 494
2°) De hierarchiæ ordinatione ad Dei assimilationem, et de triplici ejus actu, scilicet purgatione, illuminatione et perfectione . . . . . » 495
3°) De trium actuum hierarchicorum effectibus et exercitio . . . » 496
II. De trina hierarchia angelica . . . » 496
1°) De novem angelorum ordinibus, qui terni in tribus hierarchiis distribuuntur . . . . . » 496
2°) De trina et hierarchica angelorum actione ad invicem, scilicet de purgatione, illuminatione et perfectione . . . . . » 497
3°) De angelicæ hierarchiæ relatione cum hierarchia terrestri, seu humana . . . . . » 497
III. De trina hierarchia terrestri, seu ecclesiastica . . . . . » 498
1°) De trino hierarchiæ ecclesiasticæ ordine in genere. . . . . » 498
a) De hierarchiæ ecclesiasticæ notione et origine . . . . . » 498
b) De triplici hierarchiæ ecclesiasticæ ordinatione in genere. . » 499
c) De analogia hierarchiæ Ecclesiæ christianæ in hac terra relatione cum hierarchia mosaica et angelica . . . . . » 499
2°) De trina hierarchiæ ecclesiasticæ actione . . . . . » 499
a) De purgatione, illuminatione et perfectione . . . . . » 499
b) De tribus Pontificum, Sacerdotum et Diaconorum ordinibus, qui subditos sibi fideles purgant, illuminant atque perficiunt . . . » 500
c) De triplici ordine fidelium, qui purgantur, illuminantur et perficiuntur . . . . . » 500
d) De Sacramentis, quibus fideles purgantur, illuminantur et perficiuntur in genere . . . . . » 501

Conclusio doctrinæ S. Dionysii . . » 502

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo et trino ordine in aliis Patribus græcis.

§ I. *De divino Exemplarismo in S. Irenæo.* » 503

I. Mundus fuit fabricatus a divino Artifice uno et trino . . . . . » 503
II. Mundus fuit a Deo factus ex nihilo. » 503
III. Mundus fuit a Deo factus ad sui ipsius exemplar . . . . . pag. 503

§ II. *De divino Exemplarismo in Clemente Alexandrino* . . . . . » 504

I. De Verbo incarnato, harmoniæ universæ præcentore, omnisque perfectionis Exemplari . . . . . » 504
II. De platonici Exemplarismi concordia cum Sacra Scriptura . . » 504
III. De vera pulchritudine . . . . . » 505
IV. Verus gnosticus id agit, ut Deo ejusque Filio sit quam simillimus. » 505
V. In cognitione et amore Dei sita est vera perfectio . . . . . » 505
VI. Quæ sit vera sapientia, et unde dicatur . . . . . » 506

§ III. *De divino Exemplarismo in Origene.* » 506

I. Omnes creaturæ præexistunt exemplariter in Verbo Dei . . . . » 506
II. Quomodo omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso Vita erant . . » 507
III. De mundo visibili facto ad exemplar mundi invisibilis et intelligibilis . » 507
IV. De homine, Dei et Christi imagine. » 507

§ IV. *De divino Exemplarismo in S. Methodio* . . . . . » 507

I. De divino Artifice unitrino . . . » 507
II. De homine a divino Artifice formato ad Dei imaginem . . . . » 508
III. De homine a divino Artifice corporaliter reformando in gloriosa resurrectione . . . . . » 508
IV. De Ecclesia a divino Artifice ordinata ad divinam assimilationem. » 509

§ V. *De divino Exemplarismo in Eusebio Cæsariensi* . . . . . » 510

Eusebius divinas ideas ostendit:
I. In Platone . . . . . » 510
II. In Moyse . . . . . » 510

§ VI. *De divino Exemplarismo in S. Athanasio* . . . . . » 510

I. De omnibus rebus a Patre per Verbum suum mira arte formatis et ordinatis . . . . . » 510
1°) Expositio dogmatica. . . . . » 510
2°) Comparatio lyricinis. . . . . » 511
3°) Comparationes chori, animæ et civitatis . . . . . » 511
II. De homine a Patre per Verbum suum formato et reformato . . . » 512
1°) Homo per Verbum formatus est ad Dei imaginem, quæ peccato deleta est . . . . . » 512
2°) Homo per Verbum, Dei Imaginem, reformatus est ad divinam imaginem . . . . . » 512

§ VII. *De divino Exemplarismo in S. Basilio* . . . . . » 513

I. Deus Pater omnia fecit, per Verbum in Spiritu sancto. . . . . » 513
II. Divinus Artifex est ipse omnium opificiorum suorum Exemplar pulcherrimum et amabilissimum . . » 514
III. Mundus trino rerum ordine constat, nempe superiorum, inferiorum et mediarum . . . . . » 515

§ VIII. *De divino Exemplarismo in S. Gregorio Nysseno* . . . . . pag. 515

I. Divina Trinitas hominem ad sui ipsius imaginem formavit, prædefinito consilio . . . . . » 515
II. Deus est Artifex infinitæ Pulchritudinis . . . . . » 516
III. Divinus hominis Artifex comparatur figulo, sculptori et pictori. . » 516

§ IX. *De divino Exemplarismo in S. Gregorio Nazianzeno* . . . . . » 517

I. Divini Artificis existentia et Ratio demonstrantur ex miro opificii ejus ordine. . . . . » 518
II. De rerum ordine generatim, sive in Dei Ratione seu Verbo, sive in ipsis rebus . . . . . » 518
1°) De ordine mundi naturalis . . » 518
2°) De ordine mundi supernaturalis, seu Ecclesiæ . . . . . » 519
III. De ordine constitutionis ac gubernationis rerum in specie. . . . » 519
1°) Divinus Artifex majorem mundum miro ordine constituit. . . » 519
2°) Divinus Artifex minorem mundum, seu hominem, miro ordine formavit . . . . . » 520
3°) Divinus omnium Rector utrumque mundum miro ordine et circulari motu gubernat . . . . . » 521

§ X. *De divino Exemplarismo in S. Ephræm* . . . . . » 522

I. De homine formato et reformato a divino Artifice . . . . . » 522
II. De Trinitatis divinæ vestigiis in anima humana . . . . . » 522

§ XI. *De divino Exemplarismo in S. Cyrillo Alexandrino* . . . . . » 522

I. De mundo ad divinam similitudinem *formato* a Patre, per Verbum in Spiritu sancto . . . . . » 523
1°) De divina Trinitate, omnium rerum Artifice . . . . . » 523
2°) De omnibus rebus creatis, exemplariter ac vitaliter in Dei Verbo præexistentibus . . . . . » 523
3°) De homine ad Dei imaginem formato, et per peccatum *deformato*. » 524
II. De mundo ad divinam similitudinem *reformato* a Patre, per Verbum in Spiritu sancto . . . . . » 524
1°) Dogmatica hujus reformationis expositio . . . . . » 524
2°) Comparatio sculptoris . . . . » 525
3°) Reformamur Christum imitando. » 525
III. De mundo ad divinam similitudinem *transformato* a Patre, per Verbum in Spiritu sancto . . . . . » 525
1°) Fideles spiritualiter transformantur per Christianam revelationem. » 526
2°) Fideles complete transformabuntur per gloriam et corporis resurrectionem . . . . . » 526
3°) Totus mundus per gloriam cum homine resuscitato transformabitur » 526

§ XII. *De divino Exemplarismo in S. Anastasio Sinaita* . . . . . pag. 526

I. Narratio formationis mundi ad exemplar divini Artificis, potest mystice intelligi de Christo ejusque Ecclesia . . . . . » 526
II. Principium, sex dies, et terminus productionis mundi applicantur SS. Trinitati et Christo . . . . » 527
III. Laudatur pulchritudo Ecclesiæ, Christi conjugis, ad divinam imaginem formatæ . . . . . » 528

§ XIII. *De divino Exemplarismo in S. Maximo* . . . . . » 529

I. De divina Trinitate, omnium rerum Artifice et Archetypo . . . . » 529
II. De natura rerum juxta Deum exemplatarum . . . . . » 530
III. De creaturarum analogia cum Deo et inter se . . . . . » 530
1°) Generalia hujus analogiæ principia . . . . . » 530
2°) De christianæ Ecclesiæ analogia cum Deo, mundo et homine . . » 531
3°) De analogia inter majorem ac minorem mundum, atque inter hominem et Scripturam sacram . . . » 531

§ XIV. *De divino Exemplarismo in S. Joanne Damasceno* . . . . . » 531

I. De notione similitudinis, exemplaris et imaginis. . . . . » 531
II. De imaginum scopo . . . . . » 532
III. De imaginum differentiis . . . . » 532
IV. De objectis per imagines repræsentandis . . . . . » 534
V. De imaginum Auctore Deo . . . » 534

§ XV. *De divino Exemplarismo in S. Theodoro Studita* . . . . . » 534

I. De differentia inter imaginem naturalem et artificialem . . . . . » 534
II. Honor imagini artificiali exhibitus refertur ad ejus prototypum . . » 535
III. Iconoclastæ imagines artificiales spernendo, omnia divini Artificis opificia ipsumque contemnunt . . » 536

§ XVI. *De divino Exemplarismo in S. Nicephoro* . . . . . » 536

I. De analogia inter divinam Trinitatem et hierarchiam angelicam. . » 537
II. De analogia inter judaicam et angelicam hierarchiam . . . . . » 537
III. De analogia inter judaicam et christianam hierarchiam. . . . . » 537

CAPUT III.

De divino Exemplarismo et trino ordine in Patribus latinis.

Prænotanda et divisio Capitis in duos Articulos.

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo et trino ordine in S. Augustino.

Prænotanda. - De S. Augustini Platonismo ejusque influxu . . . . . pag. 538

§ I. *De S. Augustini doctrina in genere circa scientiam ordinis universi, et divinum Exemplarismum* . . . pag. 538

I. De præstantia et raritate scientiæ ordinis universi, quæ est sapientia. » 539
II. De obstaculis et mediis, quæ scientiam ordinis impediunt, aut promovent . . . . . » 539
III. De ordinis universi amplitudine, quæ bona et mala complectitur . . . » 540
IV. S. Augustinus universum ordinem in sua doctrina amplexus est . . » 541
V. Tota S. Augustini sapientia, seu scientia ordinis universi, fundatur in divino Exemplarismo . . . . » 542

§ II. *De divina Trinitate, omnium rerum Artifice* . . . . . » 543

I. Indoles et momentum magni operis S. Augustini de Trinitate . . . » 543
II. Divinus Exemplarismus in opere S. Augustini de Trinitate continetur . . . . . » 544
III. Divina Trinitas est omnium rerum Artifex . . . . . » 545
1°) Deus est supremus Artifex . . » 545
2°) Omnia divini Artificis opera sunt toti Trinitati communia . . . . » 545
3°) Verbum est Imago et Ars, secundum quam Pater omnia fabricavit . . . . . » 545
4°) De vocabulis *ex quo, per quem, in quo*, quæ tribus personis divinis appropriantur . . . . . » 545

§ III. *De ordine intentionis in Mente divini Artificis* . . . . . » 545

I. De æterna Arte et ideis, juxta quas Deus omnia opificia sua produxit. » 546
II. De æterna Providentiæ Lege, juxta quam Deus omnia opificia sua gubernat . . . . . » 546
1°) Notio Legis æternæ . . . . . » 546
2°) Deus omnia secundum Legem æternam gubernat duplici modo, physico scilicet ac morali . . . » 546
3°) S. Augustini scripta de æterno divinæ Providentiæ ordine . . . » 546
III. De æterna Prædestinatione, juxta quam Deus creaturas rationales supernaturaliter consummat . . » 546
A. De Prædestinationis notione et ordine . . . . . » 546
B. De Prædestinationis causa et effectu . . . . . » 547
C. De inscrutabili Prædestinationis mysterio. . . . . » 549

§ IV. *De divini Artificis Unitate, Veritate et Bonitate, per analogiam participatis ab omnibus ejus opificiis.* » 551

I. De Dei et mundi unitate . . . . » 551
1°) Notio et divisio unitatis, quæ est omnis ordinis ac pulchritudinis forma. . . . . » 551
2°) Simplicissima, ordinatissima ac pulcherrima Dei Unitas, est Principium exemplare omnis unitatis, ordinis et pulchritudinis . . . . » 551
3°) De mundi unitate, ordine et pulchritudine ex Deo participatis . pag. 552
4°) Alii textus de eodem argumento. » 553
5°) De pia pulcherrimi mundi contemplatione . . . . . » 553
II. De mundi veritate ac bonitate ex Dei Veritate et Bonitate participatis . . . . . » 554
1°) Res omnes sunt veræ, inquantum divino Verbo, seu supremæ Veritati conformantur . . . . . » 554
2°) Res omnes sunt bonæ, inquantum divinitatem Bonitatem participant, et non sunt malæ nisi per defectum. » 554
3°) Omnia bona, sive magna sive parva, nonnisi a Deo sunt . . . » 555
III. De analogica similitudine, per quam res creatæ conformantur Dei Unitati, Veritati et Bonitati . . . » 555
1°) Res creatæ nonnisi analogice et inæqualiter imitantur æqualem Dei perfectionem . . . . . » 555
2°) Homo in specie, Deo similis est per modum imperfectæ imaginis . » 556
3°) Res creatæ ab Angelo et homine naturaliter cognoscuntur mediante sua similitudine intelligibili . . » 556

§ V. *De trino creaturarum ordine, trinum divini Artificis Ordinem repræsentante* . . . . . » 557

I. De trina Causa efficiente, exemplari et finali, tribus personis divinis appropriata . . . . . » 557
II. De mensura, numero, pondere; — modo, specie, ordine; — principio, medio, fine, juxta quæ omnes res creatæ distinguuntur tripliciter . » 557
III. De divinæ Trinitatis imagine in homine . . . . . » 557
1°) Loci desumpti ex tractatu de Trinitate . . . . . » 557
2°) Loci desumpti ex Civitate Dei . » 558

ARTICULUS II. – De divino Exemplarismo et trino ordine in aliis Patribus latinis.

§ I. *De divino Exemplarismo in Tertulliano* . . . . . » 559

I. De divina Trinitate omnium rerum Artifice . . . . . » 559
1°) Divina Trinitas explicatur ex sensibilibus ejus vestigiis . . . » 559
2°) Omnia a Deo facta sunt per suum Verbum, et per Spiritum sanctum. » 559
3°) Deus est omnium rerum Artifex. » 559
II. De Verbo, in quo divinus Artifex opificia sua præordinat . . . . » 559
1°) De Dei Verbo, seu Ratione . . » 559
2°) De divina Sapientia omnia disponente . . . . . » 560
3°) De mundo intelligibili et divina Præscientia . . . . . » 560
III. De divina Trinitate, mundum monarchice et hierarchice gubernante. » 560

§ II. *De divino Exemplarismo in S. Hilario* . . . . . » 560

I. De divina Trinitate, majoris mundi Artifice . . . . . » 560

II. De divina Trinitate, minoris mundi, sive hominis, Artifice . . . . . pag. 562
1°) Tota Trinitas hominem fabricavit ad imaginem suam . . . . . » 562
2°) Homo cœlestia ac terrestria in se continet, et quoad mentem tantum Dei imago est . . . . . » 562

§ III. *De divino Exemplarismo in Claudiano Mamerto* . . . . . » 563

I. De mensura, numero et pondere, quæ æterne concipiuntur ab ipsa Trinitate creatrice . . . . . » 563
II. De mensura, numero et pondere, in omnibus rebus creatis ad exemplar Trinitatis creatricis . . . . . » 564
1°) Hæc tria in uno quovis corpore et in unaquaque anima inseparabiliter unita existunt . . . . . » 564
2°) Quomodo mensura, numerus et pondus sint in corporibus . . . » 564
3°) Quomodo mensura, numerus et pondus sint in anima rationali . » 565
III. Claudianus animam hortatur, ut amoris pondere, ad divinam Trinitatem referatur per trina ejus vestigia, quæ in corpore et in seipsa perspicit . . . . . » 566

§ IV. *De divino Exemplarismo in S. Ambrosio* . . . . . » 566

Prænotanda. - De S. Ambrosii judicio circa Platonis Exemplarismum. . . . » 566

I. De divina Trinitate, mundi Artifice, seu Causa efficiente, exemplari et finali . . . . . » 567
1°) Deus est omnipotentissimus, sapientissimus et optimus omnium rerum Artifex . . . . . » 567
2°) Commune est Consilium trium personarum in operando ad extra. » 567
3°) Voces *ex quo, per quem, in quo* appropriantur tribus personis simul ad extra operantibus . . . . . » 568
II. Deus Pater omnia fecit per, seu juxta Verbum suum, in Spiritu sancto . » 568
1°) De Principio, seu Verbo Dei, quod est Ars Patris, juxta quam omnia facit . . . . . » 568
2°) Verbum est Patris Imago . . . » 569
3°) De Spiritu sancto, in quo Pater per Verbum facit omnia . . . . » 569
III. De majore mundo et minore mundo, seu homine, juxta Deum unum ac trinum exemplatis . . . . . » 570
1°) Major mundus visibiliter repræsentat invisibiles Dei perfectiones, et ejus perfectio ab ipso Artifice divino approbata est . . . . . » 570
2°) Homo factus est ad Dei imaginem. » 571
3°) Homo factus est ad physicam imaginem, et ad moralem similitudinem divinæ Trinitatis . . . . . » 572
4°) Homo est minor mundus, seu compendium majoris mundi. . . » 572

§ V. *De divino Exemplarismo in Boetio.* » 573

I. De divinæ Formæ simplicitate, perfectione et beatitudine . . . . » 573
II. De trina Formæ divinæ causalitate. pag. 574
1°) Deus est prima omnium rerum Causa efficiens . . . . . » 574
2°) Deus est prima Causa exemplaris. » 574
3°) Deus est prima Causa finalis. . » 575
III. De circulari omnium creatorum effectuum motu circa divinam Causam. » 575
1°) Mundus circulariter a Deo, ad Deum, et juxta seu circa Deum movetur ad perfectionem . . . » 575
2°) Causa hujus circularis et universalis motus est amor . . . . . » 576

§ VI. *De divino Exemplarismo in S. Fulgentio* . . . . . » 576

I. De divina Trinitate, omnium Causa. » 576
1°) Divina Trinitas omnia creavit et gubernat . . . . . » 576
2°) Divina Trinitas fideles sanctificat in una Christi Ecclesia . . . . » 577
II. De effectibus creatis, juxta divinam ac trinam Causam exemplatis . . » 577
1°) Divina natura, seu Forma, penitus a creatis naturis diversa est. » 577
2°) Omnia corpora sunt divinæ Trinitatis vestigia . . . . . » 578
3°) Anima rationalis est imago divinæ Trinitatis . . . . . » 578

LIBER SECUNDUS.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DOCTRINA SAPIENTIUM MEDII ÆVI.

Proœmium. De doctrinæ scholasticæ notione et excellentia . . . . . pag. 579

Libri partitio in quatuor Capita.

CAPUT I.

De divino Exemplarismo et trino ordine in doctoribus a sæculo IX usque ad S. Thomam.

Divisio Capitis in decem Articulos.

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo in Rabano Mauro.

§ I. *De Sapientia æterna, seu de Verbo, per quod Deus Pater omnia creavit et gubernat* . . . . . pag. 580

§ II. *De Sapientia incarnata, omnium hominum Exemplari* . . . . . » 581

§ III. *De ternario numero in divinis operibus relucente* . . . . . » 581

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo in S. Petro Damiano.

§ I. *De mundi præexistentia in divini Artificis Mente et Voluntate* . . . » 582

§ II. *De analogia inter majorem mundum et Ecclesiam* . . . . . » 582

§ III. *De analogia inter majorem mundum et minorem, seu hominem* . . . » 582

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo in S. Anselmo.

§ I. *De Deo unitrino, omnium rerum Artifice* . . . . . pag. 583

I. Omnia Dei opera ad extra, tribus divinis personis communia sunt . » 583
II. Deus humano artifici comparatur . » 583
1°) De rebus in æterna Mente divini Artificis idealiter præexistentibus. » 583
2°) De locutione, seu Verbo, in Mente divini Artificis . . . . . » 583
3°) Quantum divinus Artifex ab humano differat . . . . . » 584
III. De natura Verbi Artificis divini . » 584
1°) Summæ Essentiæ locutio est ipsa summa Essentia . . . . . » 584
2°) Quid Verbo suo loquatur Deus. » 584
3°) De Verbi Dei relatione ad creaturas . . . . . » 584
4°) De modo, quo Deus uno Verbo seipsum dicat et creaturas . . . » 585

§ II. *De homine facto ad Dei imaginem et similitudinem* . . . . . » 585

I. Homo Deum cognoscit per mentem suam, qua Deo similis est . . . » 585
II. Mens hominis est speculum et imago divinæ Trinitatis . . . . . » 586
III. Homo divinam similitudinem in anima sua debet voluntarie imprimere, Deum amando . . . . . » 586

ARTICULUS IV. - De divino Exemplarismo in Ruperto.

Prænotanda. De omnium Ruperti operum ordinatione ad SS. Trinitatem. . » 586

§ I. *De divina Trinitate, mundi Artifice.* » 586

I. Divina Trinitas est revera Artifex. » 587
1°) Est Artifex perfectionis naturalis et supernaturalis. . . . . » 587
2°) Explicatur comparatio figuli, quam Jeremias adhibuit . . . . » 587
II. Divinus Artifex extra se non aspexit aliquod exemplar, ad mundum faciendum . . . . . » 587
III. Omnia quæ a divino Artifice facta sunt, in ejus Verbo vita erant . » 588
IV. Divinus Artifex, seu Psaltes, antequam mundum harmonice conderet, huic operi in sua Sapientia prælusit deliciose. . . . . » 589
V. Angeli et homines divinam Sapientiam in suo intellectu participant. » 589

§ II. *De trino divinæ Trinitatis opere in genere* . . . . . » 589

I. De mundi creatione, redemptione et innovatione, quæ singulis personis appropriantur . . . . . » 590
II. De trina divisione præcipui operis Ruperti, scilicet *de Trinitate et operibus ejus* . . . . . » 590
III. De voce *forma* et verbis ab ea derivatis, quæ adhibet Rupertus . » 590
1°) De forma et formato . . . . » 590
2°) De corporali formatione . . . » 591
3°) De spirituali et supernaturali formatione, deformatione ac reformatione . . . . . pag. 591
4°) De conformatione. . . . . » 591
5°) De transformatione . . . . . » 591

§ III. *De divina Trinitate a nobis quærenda, et invenienda in tota Scriptura sacra* . . . . . » 591

I. Quod mysterium Sanctæ Trinitatis thesaurus sit desiderabilis, et quod thesaurus in agro sit absconditus . » 591
II. Quod sancta veteris Testamenti Scriptura ille ager sit, et quam ob causam convenienter agri nomine sit significata . . . . . » 592
III. Quomodo vel qualibus thesaurus ejusmodi in tali agro absconditus sit, et a qualibus cito possit inveniri. » 592
IV. Quod non in una parte agri, sed per totum agrum sacræ Scripturæ thesaurus iste et indignis absconditus, et a dignis sit inventus, vel cito inveniatur . . . . . » 592

ARTICULUS V. - De divino Exemplarismo in Hugone Victorino.

§ I. *De divino Artifice unitrino, ejusque Potentia, Sapientia et Bonitate in genere.* . . . . . » 593

I. Divina Trinitas est mundi Artifex, et Ordo exemplaris omnium rerum. » 593
II. Divinus Artifex est unica omnium rerum Causa, quæ omnia creavit a seipsa, juxta seipsa et propter seipsam . . . . . » 593
III. De divini Artificis Potentia, Sapientia et Bonitate, quæ tribus personis appropriantur . . . . . » 594

§ II. *De tribus prædictis attributis in specie.* . . . . . » 594

I. De divinæ Sapientiæ notione et prioritate virtuali . . . . . » 595
II. Deus in Sapientia sua, seu in Verbo, concepit mundi Exemplar . . . » 595
III. De variis Sapientiæ divinæ nominibus . . . . . » 596
IV. De divini Artificis Voluntate . . » 596
V. De divini Artificis Omnipotentia et de Optimismo. . . . . » 596

§ III. *De trina divini Artificis operatione ad extra.* . . . . . » 597

I. Divinus Artifex omnia ad extra operatur per tria prædicta attributa. » 597
II. Tota divini Artificis operatio ad extra, reduci potest ad mundi Creationem, Redemptionem et Glorificationem . . . . . » 597

§ IV. *De omnibus divini Artificis opificiis tripliciter juxta ipsum ordinatis* . » 598

I. Omnes effectus creati Causam creantem repræsentant, nempe Dei Potentiam, Sapientiam et Bonitatem. » 598
II. De trino creaturarum omnium ordine. . . . . » 599

III. De causarum et effectuum ordinatione ad primam Causam, et connexione in mundo . . . . . pag. 600

§ V. *De Angelis in specie, ad imaginem Dei unitrini formatis et ordinatis.* » 600

I. De Angelorum creatione, et natura Deo similiore . . . . . » 600
II. De trina Angelorum hierarchia . . » 601

§ VI. *De homine ad Dei unitrini imaginem formato, et majorem mundum in se continente* . . . . . » 601

I. Homo ad Dei unitrini imaginem formatus est . . . . . » 601
II. Homo majorem mundum in se continet . . . . . » 601
1°) Homo est minor mundus in ordine physico . . . . . » 601
2°) Homo est minor mundus in ordine intellectuali . . . . . » 602
3°) Homo est minor mundus in ordine morali . . . . . » 602

ARTICULUS VI. - De divino Exemplarismo in S. Bernardo.

§ I. *De unitrinæ Dei Formæ simplicitate et causalitate* . . . . . » 602

I. Divina Trinitas est simplicissima Forma, non formata . . . . . » 602
II. Deus est supremum Principium sine principio, a quo, per quod et in quo sunt omnia . . . . . » 603
III. Deus omnia fecit in mensura, numero et pondere, ad proprias perfectiones manifestandas . . . . » 603
IV. Deus omnia creavit et gubernat per suam Sapientiam et Charitatem, seu Amorem . . . . . » 604

§ II. *De homine, inquantum est divinæ Trinitatis imago* . . . . . » 604

I. Homo est divinæ Trinitatis imago per naturam, gratiam et gloriam. » 604
II. De triplici naturæ, gratiæ et gloriæ libertate, qua Deo conformamur . » 605
III. De varia Trinitate, Dei scilicet et hominis . . . . . » 606

§ III. *De homine per Verbum incarnatum reformato* . . . . . » 606

I. Peccatrix anima fit Deo dissimilis, et pecoribus similis. . . . . » 606
II. De reformatione similitudinis divinæ per Christum, perfectam Dei Imaginem . . . . . » 607
III. De triplici renovatione triplicis vetustatis . . . . . » 607
IV. De convenientia inter mysteria Trinitatis et Incarnationis . . . . » 608

ARTICULUS VII. - De divino Exemplarismo in Petro Lombardo.

Prænotanda. De magno doctrinæ ejus influxu in doctores medii ævi . . » 608

§ I. *De unitrini Artificis Scientia et Voluntate* . . . . . » 608

I. Deus est omnium rerum Causa unica et trina . . . . . » 608
II. De divina Scientia . . . . . pag. 609
1°) Deus in Verbo suo omnia cognoscit et Arte disponit cum Spiritus sancti Amore . . . . . » 609
2°) De variis Scientiæ divinæ nominibus et effectibus . . . . . » 609
3°) De æternitate et immensitate divinæ Scientiæ omnia comprehendentis. . . . . » 609
III. De divina Voluntate. . . . . » 610
1°) Dei Voluntas est suprema omnium rerum Causa, et quinque signa habet » 610
2°) Deus in omnibus suis operibus ad extra intendit propriam Bonitatem manifestandam, et electorum suorum utilitatem . . . . . » 610
3°) Deus malum non vult, sed permittit ad majus bonum procurandum . » 611

§ II. *De tribus Dei attributis causativis* . » 611

I. De divina Potentia, Sapientia et Benevolentia . . . . . » 611
II. De particulis ex quo, per quem, in quo . . . . . » 611

§ III. *De trina Causa in omnibus creatis effectibus repræsentata*. . . . . » 612

I. Trina Causa in omnibus creaturis repræsentatur per modum *vestigii*. » 612
II. Trina Causa in anima rationali repræsentatur per modum *imaginis* » 613
1°) Homo non est proprie imago, sed ad imaginem SS. Trinitatis. . . » 613
2°) De memoria, intelligentia et voluntate, secundum quas homo est ad imaginem divinæ Trinitatis . » 613
3°) De alia assignatione Trinitatis in anima, scilicet de mente, notitia et amore . . . . . » 613
III. Ex omnibus Dei vestigiis et imaginibus, cognoscere possumus divina attributa causativa, non vero divinas personas, quæ nonnisi per revelationem nobis innotescunt . » 614
IV. Exhortatio ad colendam unitrinam omnium rerum Causam . . . . » 614

ARTICULUS VIII. - De divino Exemplarismo in Richardo Victorino.

§ I. *De tribus attributis causativis, ad divinas personas appropriatis* . . . » 615

§ II. *De circulari operatione divinæ Sapientiæ, in omnibus rebus consideranda.* . . . . . » 616

§ III. *De contemplationis fundamento, quod est divinus Exemplarismus* . » 616

ARTICULUS IX. - De divino Exemplarismo in B. Alberto Magno.

§ I. *De trina omnium rerum Causa in genere, et de trina Causa exemplari in specie* . . . . . » 618

I. Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis . . » 618
II. Deus est prima omnium rerum Causa formalis extrinseca, seu exemplaris » 618

III. Deus est unicum rerum Exemplar, sed cum relatione ad plura. . . pag. 619
IV. Quorum idea seu exemplar sit causa in Deo . . . . . » 620
V. Divinus Intellectus est Causa universi ordinis creati. . . . . » 620
VI. Scientia Dei est Causa omnis scientiæ et artis . . . . . » 621
VII. Trina Causa, et tria attributa causativa, singulis personis divinis appropriantur . . . . . » 621

§ II. *De trina divinæ Causæ repræsentatione in omnibus effectibus juxta illam exemplatis* . . . . . » 622

I. De Trinitatis divinæ *vestigiis* in omnibus creaturis . . . . . » 622
1°) Vestigium Creatoris est in creatura . . . . . » 622
2°) Creatoris vestigia trina sunt et varia, atque reducenda ad quinque capita . . . . . » 622
3°) Vestigium Trinitatis creantis est in omni creatura . . . . . » 623
II. De Trinitatis divinæ *imagine* in creaturis rationalibus . . . . . » 623
1°) Notio imaginis. . . . . » 623
2°) Imago Trinitatis divinæ imprimitur in mente angelica et humana. » 623
3°) Imago Trinitatis in mente attenditur secundum memoriam, intellectum et voluntatem . . . . » 624
III. De divinæ Trinitatis Pulchritudine repræsentata in pulcherrimo et trino mundi ordine . . . . . » 624
1°) De pulchritudine mundi universi. » 624
2°) De trino mundi universi ordine. » 624
3°) Omnia in universo ad hominem secundario ordinantur. . . . . » 625

§ III. *De Causæ unitrinæ cognitione a nobis ex illius effectibus* . . . . . » 626

I. Possumus per novem vias naturaliter pervenire ad Dei cognitionem. . » 626
II. Per istas vias possumus cognoscere unius Dei Perfectionem . . . . » 626
III. Per istas vias possumus aliquam attributorum trinitatem in Deo cognoscere, non vero Trinitatem personarum. . . . . » 626

ARTICULUS X. - De divino Exemplarismo in Alexandro De Ales.

Prænotanda . . . . . » 627

§ I. *Compendium doctrinæ Alexandri Alensis de divino Exemplarismo* . . . » 627

I. De prima unitrinaque Causa efficienti, exemplari et finali . . . » 627
II. De prima Causa exemplari in specie. » 628
III. De mensura, numero et pondere, quibus omnes creaturæ primam trinamque Causam necessario repræsentant. . . . . » 628
IV. De aliis trinæ Causæ vestigiis in creaturis . . . . . » 629
V. De Dei unitrini imagine in creaturis rationalibus . . . . . » 629
VI. De mundi universi pulchritudine . » 630
VII. De mundi universi ordine. . . . » 630

§ II. *Referuntur in extenso duo loci ex præcedenti Compendio desumpti* . pag. 630

I. An prima Causa exemplaris una sit, vel plures? . . . . . » 630
II. An Incarnatio Filii Dei pertineat ad pulchritudinem universi? . . . » 631

CAPUT II.

De divino Exemplarismo et trino ordine in S. Thoma.

Prænotanda. De doctrinæ S. Thomæ eminentia, et de illius fundamento, quod est divinus Exemplarismus. » 633

Divisio Capitis in tres Articulos. » 635

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo in Quæstionibus disputatis de Veritate.

§ I. *De bono*. . . . . » 635

I. Utrum omnia bona sint prima Bonitate . . . . . » 635
II. Utrum creatum bonum, sit bonum per suam essentiam . . . . . » 636

§ II. *De ideis divinis* . . . . . » 636

I. Utrum sint ideæ . . . . . » 636
A. Notio ideæ . . . . . » 636
B. In Mente divina sunt ideæ . . » 637
II. Utrum sit necessarium ponere plures ideas . . . . . » 637
A. In Mente divina sunt plures ideæ. » 637
B. Quomodo plures ideæ sint in Mente divini Artificis. . . . . » 638
III. Utrum ad practicam vel speculativam cognitionem spectent ipsæ ideæ . . . . . » 638

§ III. *De veritate* . . . . . » 639

Utrum omnes veritates sint a prima Veritate. . . . . » 639

§ IV. *De Verbo Dei* . . . . . » 639

Utrum in divinis Verbum proprie dicatur . . . . . » 639

§ V. *De divina Providentia* . . . . . » 640

I. Ad quodnam attributum Divina Providentia reducatur . . . . . » 640
II. Utrum mundus Providentia regatur. » 641
III. Utrum actus humani Providentia regantur. . . . . » 642

§ VI. *De divina Prædestinatione* . . . » 642

Prædestinatio est pars Providentiæ, a qua tamen differt in duobus . » 642

§ VII. *De Voluntate Dei* . . . . . » 643

Utrum voluntatem nostram divinæ teneamur conformare Voluntati . » 643

Conclusio articuli. Tota præcedens S. Thomæ doctrina fundatur in divino Exemplarismo . . . . . » 644

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo in Summa contra Gentiles.

§ I. *Conspectus generalis Summæ contra Gentiles* . . . . . pag. 644

I. Hujus operis divisio in quatuor Libros . . . . . » 645
II. Subdivisio prædictorum quatuor Librorum . . . . . » 645
III. Ex dicta partitione concluditur præfatum opus in divino Exemplarismo fundari . . . . . » 645

§ II. *De divino mundi Artifice et Rectore.* » 646

I. De divino mundi Artifice, et æternis ejus ideis . . . . . » 646
II. De divino mundi Rectore ejusque Providentia . . . . . » 647

§ III. *Finis divini Artificis et Rectoris est mundi assimilatio ad suam Perfectionem* . . . . . » 648

I. Hæc assimilatio fuit finis divini Artificis in mundi productione. . . » 648
II. Eadem assimilatio est finis divini Rectoris in mundi gubernatione . » 649

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo et trino ordine in Summa theologica.

§ I. *De objecto et partitione sacræ doctrinæ in Summa theologica contentæ* . . » 650

I. De objecto hujus doctrinæ, quæ est summa Sapientia, omnia ad Deum unitrinum ordinans . . . . . » 650
II. Trina totius Summæ partitio. . . » 651
III. Trium Summæ partium subdivisio. » 651

§ II. *Tota Summæ theologicæ doctrina in divino Exemplarismo fundatur.* . » 652

I. Probatur de prima Parte . . . . » 652
II. Probatur de secunda Parte . . . » 653
III. Probatur de tertia Parte . . . . » 653

§ III. *De particularibus Summæ theologicæ locis, in quibus maxime elucet divinus Exemplarismus* . . . . » 654

I. Loci in quibus elucet Exemplarismus naturalis . . . . . » 655
II. Loci in quibus elucet Exemplarismus supernaturalis . . . . . » 655

CAPUT III.

De divino Exemplarismo et trino ordine in S. Bonaventura.

Prænotanda. Divinus Exemplarismus, ex Platone et S. Augustino haustus, totam informat S. Bonaventuræ doctrinam philosophicam et theologicam . . . . . pag. 656

Divisio Capitis in tres Articulos.

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo et trino ordine, in diversis S. Bonaventuræ operibus generatim.

§ I. *De divina omnium rerum Causa unitrina, et operativis ejus attributis.* pag. 656

I. Deus est prima omnium Causa unitrina . . . . . » 656
1°) Existit aliqua prima Causa . . » 656
2°) Prima Causa est una . . . . . » 657
3°) Prima Causa est trina . . . . » 657
a) ratione Trinitatis personarum. » 657
b) ratione trinæ causalitatis efficientis, exemplaris et finalis . . » 658
4°) Deus est omnium rerum Creator et Artifex . . . . . » 658
II. De tribus operativis attributis divini Artificis . . . . . » 658
1°) De divina Sapientia, Voluntate et Potentia . . . . . » 658
2°) De prædictorum attributorum appropriatione ad singulas personas. » 659

§ II. *De Dei ideis, Arte et Pulchritudine, quæ Verbo appropriantur* . . . » 660

I. De divinis ideis . . . . . » 660
Divinæ ideæ explicantur et probantur. . . . . » 660
II. De divina Arte. . . . . » 661
III. De Pulchritudine, Filio Dei appropriata. . . . . » 662

§ III. *De divinæ Trinitatis repræsentatione in singulis creaturis* . . . . » 662

I. Omnes effectus creati trinam Causam repræsentant per modum umbræ, vel vestigii, vel imaginis. . » 662
II. Omnes prædictæ repræsentationes non manifestant Trinitatem personarum, sed tantum attributorum eis appropriatorum. . . . . » 663
III. Singulæ creaturæ divinam Trinitatem repræsentant per modum *vestigii* . . . . . » 663
1°) Horum vestigiorum indicatio. . » 663
2°) Trina vestigiorum creatorum causalitas . . . . . » 664
IV. Creaturæ spirituales divinam Trinitatem insuper repræsentant per modum *imaginis* . . . . . » 664
1°) De triplice Dei imagine in Angelo. » 665
2°) De triplice Dei imagine in homine. » 665
3°) Utrum Angelus an homo sit Deo similior imago . . . . . » 665

§ IV. *De divinæ Trinitatis repræsentatione in toto mundi ordine* . . . . » 665

I. Divina Trinitas repræsentatur in trino mundi ordine naturali . . » 666
1°) De triplice genere substantiarum, quibus componitur mundus . . » 666
2°) De triplice mundi distinctione in mundum archetypum, majorem et minorem. . . . . » 666
3°) De majoris et minoris mundi assimilatione ad mundum archetypum . . . . . » 667

II. Divina Trinitas repræsentatur in trino mundi ordine supernaturali. pag. 668
1°) De trina hierarchia cœlesti, et triplici loco creaturarum intelligentium . . . . . » 668
2°) De cœlestis ac terrestris hierarchiæ Capite, quod est Verbum incarnatum . . . . . » 668
a) De congruentia Incarnationis secundæ personæ Trinitatis. . . » 668
b) De congruentia assumptionis naturæ humanæ a Verbo. . . . » 668
c) De Christi prædestinatione, nostræ prædestinationis exemplari. » 669
3°) De gloriosa mundi tranformatione in fine sæculi. . . . . » 670
a) De transformatione minoris mundi, seu hominis . . . . . » 670
b) De transformatione majoris mundi . . . . . » 670

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo et trino ordine in Itinerario mentis ad Deum.

Prænotanda. Doctor Seraphicus in hoc opere procedit *analytice*, ascendendo a creaturis exemplatis ad divinum Exemplar unitrinum . . » 670
Ex Capite I. De gradibus ascensionis in Deum, et de speculatione ipsius per vestigia ejus in universo. . . . . » 671
Ex Capite II. De speculatione Dei in vestigiis suis, in hoc sensibili mundo . . . . . » 672
Ex Capite III. De speculatione Dei per suam imaginem, naturalibus potentiis insignatim. . . . . » 672
Ex Capite IV. De speculatione Dei in sua imagine, donis gratuitis reformata . . . . . » 673
Ex Capite V. De speculatione divinæ Unitatis per ejus nomen primarium, quod est Esse . . . . » 673
Ex Capite VI. De speculatione beatissimæ Trinitatis in ejus nomine, quod est Bonum. . . . . » 674
Ex Capite VII. De excessu mentali et mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte. . . . » 674

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo, et trino ordine, in opere de Illuminationibus Ecclesiæ.

Prænotanda. In hoc opere, S. Bonaventura procedit *synthetice*, seu descendendo a supremo Exemplari unitrino ad creaturas collective vel singulariter exemplatas. . . . . » 674

§ I. *De Deo uno et trino, supremo omnis hierarchiæ Archetypo* . . . . . » 675
I. De divina Trinitate, inquantum est Sol supremus omnem hierarchiam illuminans . . . . . » 675
II. De divina Trinitate, inquantum est prima Causa omnia producens, gubernans et consummans . . . . » 676
III. De divina Trinitate, inquantum est summus Monarcha . . . . . » 676

§ II. *De cœlesti hierarchia secundum divinam Trinitatem exemplata* . . pag. 677
I. De cœlestis hierarchiæ ad divinam Trinitatem assimilatione in genere. » 677
II. De angelicarum hierarchiarum ad divinam Trinitatem assimilatione in specie. . . . . » 677

§ III. *De militantis Ecclesiæ hierarchia, secundum divinam Trinitatem et cœlestem hierarchiam exemplata* . » 678
I. De Ecclesiæ hierarchia, secundum rationem processuum . . . . . » 678
II. De Ecclesiæ hierarchia, secundum rationem ascensuum seu graduum. » 678
III. De Ecclesiæ hierarchia, secundum rationem exercitiorum. . . . . » 679
1°) De ordine laico . . . . . » 679
2°) De ordine clericali . . . . . » 679
3°) De ordine monastico. . . . . » 679

§ IV. *De anima secundum divinam Trinitatem, atque cœlestem hierarchiam, exemplata et hierarchice ordinata.* » 680
I. De hierarchia animæ, secundum ascensum ad Deum . . . . . » 680
II. De hierarchia animæ, secundum descensum a Deo . . . . . » 680
III. De hierarchia animæ, secundum regressum ad Deum per potentiarum ejus ordinationem . . . . . » 681
Conclusio totius articuli . . . . . » 681

CAPUT IV.

De divino Exemplarismo et trino ordine in aliis doctoribus posterioribus medii ævi.

Divisio Capitis in septem Articulos, qui ad totidem doctores referuntur. — De *Vincentii Bellovacensis* Speculo majore et minore agemus in Tomo III. . . . . » 681

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo in Duns Scoto.

§ I. *De ideis divinis* . . . . . » 682
I. Deus distincte cognoscit alia a se: » 682
II. Quid sunt in divino Intellectu ideæ rerum a se aliarum, quas cognoscit. » 683
III. Deus habet distinctam ideam omnium aliorum a se, quæ cognoscit. » 684

§ II. *De Trinitate creatrice, in omnibus creaturis suis repræsentata* . . . » 686
I. De mundi creatione, tribus personis divinis communi. . . . . » 686
II. De vestigii notione, ejusque differentia ab imagine . . . . . » 687
III. De Trinitatis creatricis vestigio, in omnibus rebus creatis impresso . » 688
IV. De divinæ Trinitatis imagine in mente humana . . . . . » 688

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo in Raymundo Lullo.

Prænotanda De Lulli doctrina. . . . . pag. 689

§ I. *Exponitur ars Lulliana* . . . . . » 690

I. De Lullianæ artis fundamento, quod est divinus Exemplarismus . . . » 690
1°) De primis artis Lullianæ principiis . . . . . » 690
2°) Ars Lulii contendit imitari naturam creatam, et naturam Dei increatam . . . . . » 691
3°) Ars Lulli, ab Ivone ejus discipulo, commendatur ut eximia divinæ Sapientiæ et Artis participatio . . . . . » 692
II. De Lullianæ artis methodo, quæ in divino Exemplarismo fundatur . » 692
1°) De signis sensibilibus a Lullo adhibitis ad Artem suam explicandam. » 693
2°) De oratione et virtute, quæ in arte Lulliana, studio jungendæ sunt. » 694
III. De fine artis Lullianæ, qui est assimilatio nostra ad Deum per scientiam et virtutem . . . . . » 695

§ II. *Æstimatur ars Lulliana* . . . . » 696

I. Referuntur quorumdam auctorum sententiæ de Lulli doctrina. . . » 696
II. Quid ipsi de Lulliana arte sentiamus . . . . . » 697

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo in Dante Aligherio.

Prænotanda. De trino ordine præcipui Poematis ejus . . . . . » 699

§ I. *De divino Artifice unitrino, mundum a seipso, juxta seipsum et ad seipsum formante ac ordinante.* . . . . . » 699

I. Deus est supremus mundi Artifex, Principium et Finis. . . . . » 699
II. Divinus Artifex unitrinus omnia opificia sua juxta seipsum formavit et ordinavit . . . . . » 700
III. Divinus mundi Rector omnia ordinate movet ad Bonum, seu ad seipsum . . . . . » 702

§ II. *De Deo unitrino, suam imaginem reformante in homine per Christi gratiam* . . . . . » 704

I. De ineffabili Redemptionis nostræ opere per Verbi Incarnationem . » 704
II. De dignitate Matris Verbi incarnati. » 705

§ III. *De Deo unitrino, Angelos et homines per gloriam æternam transformante.* » 706

I. De clara divinæ Trinitatis visione per gloriam . . . . . » 706
II. De B. V. Maria, cœli Regina . . » 707
III. De novem choris Angelorum, et eorum comparatione cum novem cœlis . . . . . » 709
IV. De glorioso beatorum hominum cœtu . . . . . » 711
V. De divinæ Trinitatis ac Christi laudibus a tota curia cœlesti celebratis. . . . . » 712

ARTICULUS IV. - De divino Exemplarismo in Joanne Gerson.

Prænotanda De theologica ejus doctrina . pag. 714

§ I. *Quædam Gersonis definitiones ad divinum Exemplarismum pertinentes.* » 715

I. Definitiones naturam rerum spectantes . . . . . » 715
II. Definitiones spectantes artem et legem, quibus ordinatur hominum operatio . . . . . » 715
III. Definitiones spectantes rerum ordinem, qui ex recta Dei et creaturarum intelligentium operatione procedit . . . . . » 716

§ II. *De divina Trinitate, inquantum est mundi Artifex* . . . . . » 716

I. De indivisis totius Trinitatis operibus ad extra, et eorum appropriatione ad singulas personas . » 717
II. De divino Artifice eiusque ideis, seu intentione, juxta quam omnia facit . . . . . » 717
III. De modo, quo res omnes sunt in Mente divini Artificis . . . . » 718

§ III. *De pulchritudine totius mundi majoris, juxta divinam Trinitatem exemplata* . . . . . » 719

I. De una et trina creaturarum pulchritudine in genere . . . . . » 719
II. De graduo et pulcherrimo totius mundi ordine naturali et supernaturali. » 719
III. De circulari totius mundi motione a Deo, secundum Deum, et ad Deum. » 720

§ IV. *De minoris mundi, sive hominis pulchritudine ad exemplar divinæ Trinitatis* . . . . . » 720

I. Homo est Microcosmus, seu pulcherrimum, nobilissimum et circulare Macrocosmi compendium. . . . » 721
II. Homo est divinæ Trinitatis imago naturalis et supernaturalis, secundum mentem . . . . . » 722

ARTICULUS V. - De divino Exemplarismo in S. Antonino.

§ I. *De divina Trinitate, mundi Artifice.* » 722

I. De Sapientia essentiali et increata, per quam divina Trinitas mundum fecit et gubernat. . . . . » 723
II. De Sapientia personali et incarnata, per quam divina Trinitas mundum refecit . . . . . » 723
III. De divinæ Trinitatis Arte, Amore et Perfectione, quæ ex operibus ejus manifestantur . . . . . » 723

§ II. *De Trinitatis divinæ vestigiis, aut imagine, quæ in omnibus opificiis ejus imprimuntur* . . . . . » 724

I. De divina Causa unitrina, in universo mundo repræsentata . . . . . » 724
II. De divina Causa unitrina, in triplici hierarchia Angelorum repræsentata . . . . . » 724

III. De divina Causa unitrina, in homine repræsentata . . . . . pag. 725
1°) De anima hominis physice *formata* ad imaginem SS. Trinitatis. » 725
2°) De anima hominis per virtutes *informata* ad imaginem SS. Trinitatis. » 725
3°) De anima humana per pœnitentiam *reformata* ad imaginem SS. Trinitatis . . . . . » 725
IV. De divina Causa unitrina, in rebus corporalibus repræsentata . . . » 726
1°) De Trinitatis vestigiis in corporibus cœlestibus . . . . . » 726
2°) De Trinitatis vestigiis in terrestribus elementis . . . . . » 726
3°) De Trinitatis vestigiis in rebus elementatis . . . . . » 726
V. De divina Causa unitrina, repræsentata in tota Ecclesia . . . . . » 726

ARTICULUS VI. - De divino Exemplarismo in S. Laurentio Justiniano.

§ I. *De divina Trinitate, mundi Artifice et Rectrice* . . . . . » 727
I. Deus est prima mundi Causa efficiens, exemplaris et finalis . . . » 727
II. Opera Dei ad extra, sunt communia tribus personis, quibus singulis appropriantur singula attributa . . » 727
III. Deus mundum, per suam Sapientiam et per Spiritum sanctum, condidit ac gubernat . . . . . » 728

§ II. *De mundi pulchritudine, perfectionem divini Artificis repræsentante ad ejus gloriam* . . . . . » 729
I. Mundus est resplendens speculum divinæ Perfectionis . . . . . » 729
II. Mundus est tabula eximie picta, quæ divini Pictoris Artem commendat. » 729
III. Mundus est liber scriptus intus et foris, in quo intelliguntur divinæ perfectiones . . . . . » 730

§ III. *De homine, Dei imagine, et mundi centro atque compendio* . . . . » 730
I. Homo a Deo creatus est ad ipsius imaginem . . . . . » 730
II. Homo a Deo positus est medius inter creaturas sibi superiores et inferiores, quæ utrimque ad utilitatem ejus ordinantur. . . . . » 730
III. Homo est minor mundus, visibilis et invisibilis . . . . . » 731

ARTICULUS VII. - De divino Exemplarismo in B. Dionysio Carthusiano.

§ I. *De transcendentalibus entis proprietatibus, et de forma substantiali, per quam entia creata eas participant.* » 731
I. Unum, verum et bonum cum ente ac inter se convertuntur. . . . » 731
II. De uno. . . . . » 732
III. De vero . . . . . » 732
IV. De bono . . . . . » 733
V. De pulchro . . . . . » 734
VI. De forma substantiali, per quam entia suum esse ejusque proprietates ab Esse divino participant . . . . » 734

§ II. *De divina et unitrina omnium rerum Causa efficiente, exemplari et finali.* pag. 735
I. De natura primæ Causæ . . . . » 735
II. Deus est prima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis . . » 735
III. Deus est mundi Artifex . . . . » 736

§ III. *De divina Causa exemplari in specie.* » 736
I. Deus est Veritas prima et exemplaris, omnisque veritatis creatæ Fons . . . . . » 736
II. In Mente divina præexistunt omnium rerum ideæ . . . . . » 737
III. Plura de idearum quidditate adjiciuntur . . . . . » 738
IV. Deus metrice celebratur ut idea et Exemplar . . . . . » 739

§ IV. *De trina omnium rerum ordinatione a Deo* . . . . . » 740
I. Prima Causa omnia in mensura, numero et pondere disposuit . . . » 740
II. Prima Causa omnia regit ad mundi perfectionem . . . . . » 740
III. Prima Causa ordinem universi instituit . . . . . » 741

§ V. *De unitrinæ Causæ vestigiis in omnibus suis effectibus* . . . . . » 741
I. Prima Causa in suis effectibus non repræsentatur nisi analogice . . » 741
II. Dei Unitas, Veritas, Bonitas et Pulchritudo in omnibus entibus creatis participantur in mensura, numero et pondere. . . . . » 742
III. Dei Potentia, Sapientia et Benevolentia in omnibus creaturis manifestantur . . . . . » 742
IV. Quædam attributa singulis personis propria sunt, et quædam appropriata atque in creaturis repræsentata . . . . . » 742

§ VI. *De unitrinæ Causæ imagine et similitudine in creaturis intelligentibus.* » 743
I. De comparatione divinæ imaginis in angelo et homine, atque de hominis loco in universo. . . . . » 743
II. De divina imagine et similitudine in homine speciatim . . . . . » 744
III. De hominis conformitate intellectuali et morali cum Deo. . . . » 745

§ VII. *De divinæ Causæ perfectione resplendente in Verbo incarnato* . . » 746
I. Divinæ perfectiones magis elucent in hominis Redemptione, quam in totius mundi creatione et gubernatione . . . . . » 746
II. Christus est omnino perfectus . . » 747
III. Christus est Ecclesiæ Caput, et hominum Exemplar . . . . . » 747

LIBER TERTIUS.

DE DIVINO EXEMPLARISMO ET TRINO ORDINE IN DOCTRINA SAPIENT. MODERNI ÆVI.

Proœmium. De reactione contra doctrinam scholasticam . . . . . pag. 748

Libri partitio in tria Capita.

CAPUT I.

De trino Exemplarismo in auctoribus, qui a scholastica philosophia deviaverunt.

Prænotanda. De auctoribus, qui in hoc Capite non citandi, aut citandi sunt . . pag. 748

Divisio Capitis in septem Articulos.

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo in Nicolao Cusano.

§ I. *De Deo, omnium rerum Exemplari* . » 749

I. Divina Essentia est omnium rerum Exemplar . . . . . » 749
II. Divinum Verbum est Patris Mens, Ars et Figura . . . . . » 750
III. Omnium rerum mensura, numerus et proportio præexistunt in Dei Verbo » 751

§ II. *De creaturis divinam Trinitatem repræsentantibus in genere* . . . . » 751

I. Singulæ creaturæ juxta divinam Trinitatem diversimode perficiuntur. » 751
II. Omnes creaturæ tribus gradibus in mundo ordinantur . . . . . » 752
1°) De tribus universi gradibus in rebus individuis, et in mente nostra. » 752
2°) De triplici naturarum creatarum gradu . . . . . » 752
3°) De mira omnium prædictorum graduum connexione . . . . . » 752
III. Homo est totius mundi medium et compendium . . . . . » 753

§ III. *De Angelis in specie, juxta divinam Trinitatem ordinatis et operantibus.* » 753

I. De tribus Angelorum ordinibus. . » 753
II. De angelorum functionibus, inquantum sunt divinæ Providentiæ ministri. . . . . » 754

§ IV. *De hominis mente, inquantum est imago divinæ Trinitatis* . . . . » 754

I. Mens humana est naturaliter imago divinæ Trinitatis . . . . . » 754
II. Mens humana est supernaturaliter imago divinæ Trinitatis . . . . » 754
III. Mens humana divino Intellectui confirmatur per intelligibiles rerum species . . . . . » 755

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo in Thomassino.

§ I. *De divinarum idearum notione juxta Thomassinum* . . . . . pag. 755

§ II. *De divinarum idearum existentia, demonstrata ex Platonis et Platonicorum auctoritate* . . . . . » 757

§ III. *De divinarum idearum existentia, demonstrata ex Patrum præsertim auctoritate* . . . . . » 757

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo in Malebranchio.

§ I. *De essentia mundi corporalis, a nobis cognita in divino Archetypo.* . . » 758

§ II. *De Verbo incarnato, Archetypo omnis perfectionis operum Dei, et præsertim creaturarum intelligentium* . . . » 759

ARTICULUS IV. - De divino Exemplarismo in Bossueto.

§ I. *De divinis ideis* . . . . . » 760

I. Res mutabiles habent immutabilem essentiam metaphysicam, quæ subsistere non potest, nisi in Mente divini Artificis . . . . . » 760
II. Rerum ideæ a Deo Patre concipiuntur in æterno Verbo suo, per quod ad suam imaginem nos genuit . » 761
III. Omnia ab æterno Vita sunt in Dei Verbo . . . . . » 761

§ II. *De divinæ Trinitatis imagine in mente humana* . . . . . » 762

I. Anima nostra est divinæ Trinitatis imago, inquantum ex memoria sua concipit cogitationem suam, quam diligit . . . . . » 762
II. Anima nostra est divinæ Trinitatis imago, inquantum in arte sua concipit opificiorum suorum ideam, quam diligit . . . . . » 763
III. Anima nostra est divinæ Trinitatis imago, inquantum ipsa est creata ad suam beatitudinem, quam intelligit et diligit. . . . . » 763

§ III. *De divinæ Trinitatis imagine in Ecclesia christiana* . . . . . » 764

I. Unitrina Dei natura repræsentatur in trina Ecclesiæ unitate . . . » 764
II. Imago divinæ Trinitatis in Ecclesia consummabitur, quando omnes electi eamdem ipsius Vitam participabunt in cœlo. . . . . » 765

ARTICULUS V. - De divino Exemplarismo in Fenelonio.

Prænotanda. De funestissimo philosophiæ Cartesianæ influxu . . . . . » 765

§ I. *De ideis divinis* . . . . . » 766

§ II. *Refutatur Optimismus Malebranchii.* » 766

ARTICULUS VI. - De divino Exemplarismo in Leibnitio.

Prænotanda. De Leibnitii Monadologia in divino Exemplarismo fundata . . pag 767

§ I. *Quid sentiebat ipse Leibnitius de sua Monadologia* . . . . . » 768

§ II. *Quid de prædicto Leibnitii systemate sentiendum sit, secundum veritatem.* » 769

§ III. *De Dei Scientia, Ideis et Arte* . . » 770

ARTICULUS VII. - De divino Exemplarismo in Staudenmaier.

Eruditus ille auctor voluit Philosophiam et Theologiam conciliare in sublimi doctrina Exemplarismi divini . . » 771

I. Schema operis ejus philosophici. . » 771
II. Schema operis theologici . . . . » 772
III. Ex utroque schemate apparet prædictus auctoris scopus . . . . . » 772

Indicantur defectus doctrinæ ejus . » 772

—

CAPUT II.

De divino Exemplarismo et trino ordine in Neo-Scholasticis.

Prænotanda. De auctoribus in hoc Capite citandis . . . . . pag. 772

Divisio Capitis in duodecim Articulos.

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo in Suaresio.

§ I. *Existunt rerum ideæ, seu exemplaria.* » 773

I. Argumenta philosophica . . . . » 773
II. Argumenta theologica . . . . . » 773

§ II. *Ubinam sint ideæ.* . . . . . » 774

I. Exemplar esse potest intra vel extra mentem artificis in genere . . . » 774
II. Rerum ideæ sunt in Mente divini Artificis. . . . . » 774

§ III. *De rerum conformitate cum ideis divinis* . . . . . » 775

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo in Lessio.

§ I. *Omnis perfectio in Deo continetur, tanquam in prima et universali Causa efficiente, exemplari ac finali.* » 775

§ II. *Laudatur divina Sapientia, quæ est prima omnium Ratio in omni ordine.* » 776

§ III. *Deus est suprema Veritas, omnis veritatis Fons et omnium rerum Exemplar* . . . . . » 777

§ IV. *De rerum creatarum veritate et bonitate.* . . . . . » 778

I. De veritatis et bonitatis natura . » 778
II. De trina ordinatione unitatis, veritatis ac bonitatis rerum, ad divinam Causam efficientem, exemplarem et finalem . . . . . » 779

§ V. *Divinus Amor est Causa efficiens omnium rerum, quas circulariter movet a summo Bono, circa seu juxta Bonum, et ad Bonum, atque sic eas perficit.* pag. 779

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo in Bellarmino.

Prænotanda. Circa Bellarmini opusculum *De Ascensione mentis ad Deum*, ex quo sequentia excerpuntur . . . » 780

§ I. *De suprema et trina omnium rerum Causa, omnes suos effectus tripliciter disponente, seu ordinante* . . . » 781

I. Simplicissima Dei Forma est altissima omnium rerum Causa efficiens, exemplaris et finalis . . . . . » 781
II. Practica Dei Sapientia omnia tripliciter disposuit in mensura, numero et pondere. . . . . » 781

§ II. *De pulchritudine majoris mundi, juxta divinam Pulchritudinem exemplati.* » 782

I. De pulchritudine mundi, juxta Deum exemplati . . . . . » 783
II. De pulchritudine divini Exemplaris mundi . . . . . » 783

§ III. *De pulchritudine Angelorum, qui sunt perfectiores Dei imagines* . . » 783

I. De naturali Dei in Angelis imagine, perfectiore quam in homine . . » 783
II. De supernaturali Dei imagine in Angelis . . . . . » 784

§ IV. *De pulchritudine animæ nostræ, quæ est imago Dei* . . . . . » 784

I. Nostra anima est corporis forma, et Dei unius et trini imago secundum mentem suam. . . . . » 784
II. De Pulchritudine divini Exemplaris animæ . . . . . » 785
III. Anima nostra debet Deo similior fieri per virtutem et Dei gratiam. » 786

ARTICULUS IV. - De divino Exemplarismo in Contensonio.

§ I. *De infinita Pulchritudine divini Exemplaris.* . . . . . » 787

I. Deus est pulcher . . . . . » 787
II. Deus est infinite pulcher . . . . » 788
III. Solus Deus est infinitus . . . . » 788

§ II. *De ideis seu exemplaribus in Mente divini Artificis* . . . . . » 789

I. Probatur doctrina de ideis divinis. » 789
II. Refutantur objectiones . . . . . » 790

§ III. *De creaturis diversimode juxta Deum unitrinum exemplatis.* . . » 791

I. Creaturæ sunt veræ, inquantum divinis ideis conformantur. . . . » 791
II. Creaturæ collective sunt bonæ et pulchræ, inquantum sua multitudine ac varietate divinas perfectiones diversimode repræsentant . . . » 792
III. Cunctæ res creatæ exhibent sive imaginem, sive saltem vestigium divinæ Trinitatis creatricis . . . » 793

Epilogus. Exhortatio ad imitandam divini Exemplaris nostri Perfectionem . » 793

ARTICULUS V. - De divino Exemplarismo in Goneto.

§ I. *Prænotanda de notione ideæ, et variæ circa divinas ideas sententiæ* . . pag. 794

I. Quinque prænotantur de notione ideæ » 794
II. Variæ de divinis ideis sententiæ . » 795

§ II. *Triplici conclusione resolvitur quæstio de ideis divinis* . . . . . » 795

Conclusio prima. . . . . » 795
Conclusio secunda . . . . . » 797
Conclusio tertia . . . . . » 798

§ III. *Refelluntur objectiones.* . . . . » 799

ARTICULUS VI. - De divino Exemplarismo in S. Alphonso.

Prænotanda. Quomodo S. Alphonsus docuerit Exemplarismum . . . . . » 801

§ I. *Dissertatio de prædestinatione Jesu Christi* . . . . . » 801

Prævia quæstionis explicatio.

Pars I. Sententia S. Thomæ et S. Alphonsi propugnatur contra Scotistas . . » 802

I. Refelluntur objectiones ex S. Scriptura desumptæ . . . . . » 802
II. Refellitur intrinsecum Scotistarum argumentum . . . . . » 803

Pars II. Genuina S. Thomæ sententia propugnatur contra aliquos Thomistas recentiores . . . . . » 803

I. Exponuntur argumenta sententiæ S. Thomæ et S. Alphonsi . . . » 804
II. Refelluntur adversariorum objectiones. . . . . » 805

§ II. *De exemplari Pulchritudine Jesu Christi* . . . . . » 806

I. Probatur ex S. Scriptura . . . . » 806
II. Probatur ex omnibus pulchritudinis causis. . . . . » 806
III. Probatur ex Sanctorum revelationibus . . . . . » 807

§ III. *De exemplari pulchritudine B. V. Mariæ* . . . . . » 807

I. Prænotanda . . . . . » 807
II. S. Alphonsi opusculum cui titulus est: *Acclamationes ad Mariam* . . . » 808

ARTICULUS VII. - De divino Exemplarismo in Vondelio.

§ I. *De supremo ac trino mundi Artifice.* » 810

I. De divina omnium rerum Causa efficiente . . . . . » 810
II. De divina omnium rerum Causa exemplari . . . . . » 812
1°) De infinita divini Exemplaris perfectione. . . . . » 812
2°) De æternis creaturarum exemplaribus in Mente divini Artificis. » 813
3°) De æterna Providentia, juxta quam Deus omnia opificia sua gubernat ad suum finem. . . . . » 814
III. De divina omnium rerum Causa finali. » 815

§ II. *De mundo juxta Deum formato et gubernato* . . . . . pag. 816

I. De omnibus creaturis ad Dei exemplar formatis . . . . . » 816
II. De homine in specie, ad Dei imaginem formato . . . . . » 817
III. De omnibus creaturis a Deo gubernatis, seu motis ad finem . . » 819

§ III. *De Ecclesiæ christianæ prædestinatione, formatione et consummatione.* » 821

I. Divinus Architectus Ecclesiam ab æterno in sua Mente delineavit . » 821
II. Ecclesia formata est ex corde Christi in cruce pendentis . . . . . » 821
III. De Ecclesiæ consummatione in gloria cœlesti . . . . . » 822
1°) De tribus Angelorum hierarchiis. » 822
2°) De uniformi omnium Beatorum motu circa divinum Centrum . . » 822
3°) De gloria B. V. Mariæ, cœli Reginæ . . . . . » 823

ARTICULUS VIII. - De divino Exemplarismo in Balmesio.

§ I. *De Deo uno et trino, universi ordinis Centro, seu Causa* . . . . . » 823

I. Dei unitas est universitatis Centrum. » 823
II. In Dei Unitate, fides distinguit Trinitatem personarum, quo mysterio inexplicabili omnia sublimissime explicantur. . . . . » 824
III. Omnes creaturæ ad divinum Centrum reducuntur in ordine physico, et rationales creaturæ in ordine intellectuali ac morali . . . . . » 824

§ II. *De ideali omnium effectuum creatorum repræsentatione in prima Causa intelligente* . . . . . » 825

§ III. *De cognitionum nostrarum objectivitate, innixa ideali rerum repræsentatione in Mente divina et nostra.* » 826

§ IV. *De principiorum seu causarum intuitione* . . . . . » 827

I. De intellectualis intuitionis notione et fecunditate. . . . . » 827
II. De intellectualis intuitionis sublimitate et raritate . . . . . » 827
III. De labore et via virorum alto ingenio præditorum . . . . . » 828

ARTICULUS IX. - De divino Exemplarismo in Broere.

§ I. *De Cornelii Broere doctrina in genere.* » 829

§ II. *De trino naturæ divinæ Ordine* . . » 829

§ III. *De trino ordine creato, Ordinem increatum imitante tripliciter* . . . » 829

§ IV. *De ordinis creati analogia cum Ordine increato* . . . . . » 830

§ V. *De analogicis increati et creati ordinis elementis* . . . . . » 831

§ VI. *De cognitione ordinis naturalis et supernaturalis* . . . . . » 832

§ VII. *De triplici genere ordinis creati* . pag. 833
I. De ordine physico . . . . . » 833
II. De ordine intellectuali, artistico et morali in homine individuo. . . » 833
III. De ordine sociali . . . . . » 834

§ VIII. *De inordinatione, quæ oritur ex confusione duorum ordinis elementorum* . . . . . » 834

§ IX. *De errore, qui oritur ex aliqua confusione Ordinis increati et ordinis creati* . . . . . » 834

§ X. *De inordinatione sociali in specie* . » 835

ARTICULUS X. - De divino Exemplarismo in Van den Berg.

Prænotanda. De capitali momento doctrinæ Exemplarismi . . . . . » 835

§ I. *Notiones præliminares de ideis divinis.* » 835

§ II. *Synopsis Operis de ideis divinis.* . » 837
I. De ideis divinis absolute consideratis » 837
II. De ideis divinis relate ad creationem » 837
III. De ideis divinis relate ad res existentes in generali . . . . . » 838
IV. De ideis divinis relate ad hominem. » 839
V. De ideis divinis relate ad Filium Dei . . . . . » 840

ARTICULUS XI. - De divino Exemplarismo in Liberatore.

§ I. *Quid S. Thomas intelligat per ideam in genere* . . . . . » 841

§ II. *De sublimitate theoriæ idearum in doctrina S. Thomæ* . . . . . » 842

§ III. *De divini Exemplarismi influxu in omnes philosophiæ S. Thomæ partes.* » 843

ARTICULUS XII. - De divino Exemplarismo in Mazzella.

§ I. *Utrum Deus sit exemplaris Causa mundi.* . . . . . » 844
I. De genuina divinarum idearum notione . . . . . » 844
II. De propositæ quæstionis solutione. » 847

§ II. *Utrum in mundo sit aliqua Dei repræsentatio.* . . . . . » 850
I. Exponitur status quæstionis . . . » 850
II. Solvitur proposita quæstio . . . » 853

CAPUT III.

De divino Exemplarismo et trino ordine in modernis Mysticis.

Prænotanda. De divino Exemplarismo in Theologia mystica generatim . . » 857

ARTICULUS I. - De divino Exemplarismo in Ludovico Blosio.

§ I. *De æternis rerum exemplaribus* . . » 858
I. De Deo, inquantum est mundi Artifex, Exemplar et finis . . . . » 858
II. De modo, quo omnia Dei opificia in ejus ideis præexistunt. . . . . » 858
III. Omnia bona visibilia multo melius existunt in exemplaribus suis invisibilibus . . . . . pag. 859

§ II. *De mundo divinas perfectiones repræsentante* . . . . . » 859
I. Mundus est magnus Dei liber . . » 859
II. Divini Artificis Potentia, Sapientia et Benevolentia in toto mundo manifestantur . . . . . » 860

§ III. *De divina Trinitate in creaturis repræsentata* . . . . . » 861
I. Mens humana divinam Trinitatem repraesentat per modum imaginis. » 861
II. Creaturæ materiales repræsentant divinam Trinitatem per modum vestigii . . . . . » 861

ARTICULUS II. - De divino Exemplarismo in S. Teresia.

Visio prima . . . . . » 862
Visio secunda . . . . . » 862
Visio tertia . . . . . » 863

ARTICULUS III. - De divino Exemplarismo in S. Joanne a Cruce.

§ I. *De mystica animæ transformatione* . » 863
I. De triplici potentiarum nocte, seu mortificatione . . . . . » 863
II. De tribus virtutibus theologicis, quarum exercitio efficitur nox spiritus. » 864
III. De triplici gradu privationis, qua anima ab omnibus quæ non sunt Deus, evacuatur . . . . . » 865
IV. De Jesu omnibus privato, quem in triplici nocte mystica imitari debemus . . . . . » 865

§ II. *De mysticæ transformationis effectu.* » 866
I. De contemplatione pulchritudinis mundi, animam in Deo transformatam elevante ad amorem pulcherrimi omnium Exemplaris . . » 866
II. De humanæ voluntatis cum Voluntate divina conformitate, per quam perficitur in anima unio cum Deo et divina similitudo . . . . . » 867
III. De anima transformata et Deo assimilata, quæ seipsam intuetur pulchram divina Pulchritudine, et divinæ Sapientiæ mysteria altissime contemplatur . . . . . » 868

ARTICULUS IV. - De divino Exemplarismo in Ludovico Granatensi.

§ I. *De pulchritudine Dei, qui est mundi Artifex et Exemplar* . . . . . » 869
I. De mundo intelligibili in Mente divini Artificis . . . . . » 869
II. De Deo, prima omnium rerum mensura, causa, veritate, bonitate et pulchritudine . . . . . » 870
III. De infinita Dei Pulchritudine ab omnibus diligenda . . . . . » 871

§ II. *De pulchritudine majoris mundi juxta Deum exemplati* . . . . » 872
I. De pulcherrima et triplice universi mundi ordinatione a divina Sapientia . . . . . » 872

II. De pulcherrima hierarchia cœlesti et terrestri . . . . . pag. 872
III. De mundi ordine, divinam Bonitatem et Pulchritudinem manifestante . » 873
1°) De divinæ Bonitatis manifestatione in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ . . . . . » 873
2°) De divinæ Pulchritudinis manifestatione in omnibus Dei opificiis . » 873

§ III. *De pulchritudine minoris mundi, seu hominis, juxta Deum exemplati.* » 874
I. Homo jure dicitur minor mundus . » 874
II. Homo creatus est ad Dei imaginem et similitudinem . . . . . » 874
III. Dei imago a Dei similitudine, in anima nostra differt qualitate et immutabilitate . . . . . » 875

ARTICULUS V. - De divino Exemplarismo in Alvarez de Paz.

§ I. *De Deo, inquantum est mundi Artifex, et de ejus ideis* . . . . . » 876

§ II. *De divina Pulchritudine* . . . . » 877
I. Deus est pulcher infinite . . . . » 877
II. Divina Pulchritudo est fons omnis pulchritudinis . . . . . » 877

§ III. *De divinarum perfectionum repræsentatione in omnibus Dei opificiis.* » 877

§ IV. *Divinæ perfectiones etiam in minimis creaturis, verbi gratia, in flosculo relucent* . . . . . » 878

§ V. *Ipsa Dei Trinitas in omnibus creaturis quodammodo repræsentatur* . » 879

ARTICULUS VI. - De divino Exemplarismo in S. Francisco Salesio.

§ I. *De unico Deî Actu, quî est ejus Divinitas* . . . . . » 879

§ II. *De uno Verbo, per quod mundum fecit Deus juxta æternam Ideam suam.* » 880

§ III. *De inscrutabili divini Artificis Sapientia, ejusque vestigiis in omnibus opificiis suis* . . . . . » 880

§ IV. *De majoris et minoris mundi pulchritudine in genere* . . . . . » 881

§ V. *De supernaturali animæ nostræ pulchritudine et similitudine cum Deo, quæ essentialiter in charitate consistit* . . . . . » 882
I. Tota perfectio nostra supernaturalis essentialiter consistit in charitate. » 882
II. De animæ justæ transformatione in Deum per charitatem . . . . . » 883

ARTICULUS VII. - De divino Exemplarismo in Philippo a SS. Trinitate.

Prænotanda. De duplici contemplationis objecto in genere . . . . . » 883

§ I. *De Deo unitrino, qui est primarium contemplationis Objectum* . . . » 884
I. Deus unus est, quia infinite perfectus » 884
II. Deus unus est, quia mundus unus est, et monarchice gubernandus. . . » 884
III. Trinitas personarum Unitatem Dei non destruit, et est principale Objectum contemplationis supernaturalis. » 884

§ II. *De mundo juxta Deum unitrinum exemplato, qui est secundarium contemplationis objectum* . . . . . pag. 885
I. Omnes creaturæ juxta divini Artificis ideas producuntur, et nos ad eum reducunt. . . . . » 885
II. Omnes et singulæ creaturæ divinam perfectionem repræsentant per modum *vestigii* . . . . . » 886
III. Creaturæ spirituales divinam perfectionem repræsentant per modum *imaginis* . . . . . » 886
1°) De creaturis spiritualibus in genere . . . . . » 886
2°) De Angelis . . . . . » 886
3°) De homine . . . . . » 887

ARTICULUS VIII. - De divino Exemplarismo in Patre d'Argentan.

§ I. *De divini Pictoris Pulchritudine* . » 887
I. De simplicissima Dei Perfectione . » 887
II. De varietate et harmonia divinorum attributorum . . . . . » 888
III. De distinctione et harmonia trium personarum divinarum . . . . » 889

§ II. *De divino Pictore, similitudinem Pulchritudinis suæ operante ad intra et ad extra.* . . . . . » 889
I. Deus Pater Filium suum Mente generando producit, et quodammodo in divina natura pingit suam Imaginem sibi æqualem . . . . . » 889
II. Deus Pater in Filio, seu Verbo suo, quod generat, videt varios modos sive ideas, quibus pulcherrima Essentia divina imitabilis est. . . » 890
III. Deus Pater necessario diligendo æqualem Imaginem suam, cum ipsa producit Spiritum sanctum, in quo libere volendo varias similitudines suas, producit ad extra creaturas . . . . . » 890

§ III. *De omnibus divini Pictoris unitrini opificiis Pulchritudinem ipsius physice repræsentantibus* . . . . . » 890
I. De rerum creatione et creaturis corporalibus, divinam Pulchritudinem repræsentantibus per modum vestigii . . . . . » 891
II. De animæ humanæ pulchritudine in ordine naturæ, gratiæ et gloriæ, singulariter ac collective . . . » 891
III. De angelorum pulchritudine, humanam pulchritudinem superante in ordine naturæ. . . . . » 892
IV. De omnibus creaturis, seipsas in aliis pingentibus per species, quibus repræsentantur . . . . . » 893

Appendix tertiæ Partis Tomi I. - De divino Exemplarismo in quibusdam aliis auctoribus hodiernis . . . » 894
I. In Görres . . . . . » 894
II. In Blanc . . . . . » 894
III. In Landriot . . . . . » 895
IV. In P. Faber . . . . . » 895
V. In Lalance . . . . . » 896

INDEX INDICUM TOMI PRIMI

IN QUO STATUITUR DOCTRINA DIVINI EXEMPLARISMI

PROLOGUS de totius operis argumento, methodo, fine et partitione . . . . . pag. 1

INDEX PRIMÆ PARTIS

IN QUA EXPLICATUR DIVINUS EXEMPLARISMUS IN SUIS PRINCIPIIS METAPHYSICIS ET THEOLOGICIS . . . . . » 147

INDEX SECUNDÆ PARTIS

IN QUA PROBATUR DIVINUS EXEMPLARISMUS EX S. SCRIPTURA, TRADITIONE ET RATIONE . . . . . » 397

INDEX TERTIÆ PARTIS

IN QUA CONFIRMATUR DIVINUS EXEMPLARISMUS EX COMMUNI SAPIENTIUM DOCTRINA. . . . . » 897

231.21
D 853
34329
Dubois, C.SS.R. Ernestus
AUTHOR
De Exemplarismo Divino...
TITLE Tomus Ius Statuitur Doctrina Divini Exemplarismi
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
STORAGE - CBPL
34329